



BIBLIOTHECA
VETERUM PATRUM
ANTIQUORUMQUE SCRIPTORUM
ECCLESIASTICORUM,

POSTREMA LUGDUNENSI MULTO LOCUPLETIOR ATQUE ACCURATIOR.




Cura & ſtudio ANDREÆ GALLANDII *Presbyteri*
CONGREGATIONIS ORATORII.



TOMUS XIII.



VENETIIS CIƆ IƆCCLXXIX.



EX TYPOGRAPHIA
JOANNIS BAPTISTÆ ALBRITII HIERON. FIL.
CUM VENETI SENATUS PRIVILEGIO.


KING'S INNS
LIBRARY
DUBLIN

PROLEGOMENA.

MONITUM.

Vixdum tertiusdecimus præclaræ hujus Bibliothecæ Tomus prelo committi cœperat, cum piissimus juxta atque eruditissimus ejus parens ANDREAS GALLANDIUS, *obitu utique impertuno, vitam cum morte commutavit. Accesserat & illud incommodum, quod vir* πολυμαθέστατος, *& in republica Literatorum bene notus* ANTONIUS ZANETTI, *qui & ipse in hanc Bibliothecam suam symbolam expurgandis typis conferebat, haud ita multo ante,* GALLANDII *fatum suo fato præcucurrerat. Itaque ad me ventum est, ut deserta a tantis viris provinciam ad exitum usque ministrarem. Profuit revera nonnihil, quod per familiaritatem cum eruditissimo auctore scirem jam quid operis præstandum esset mibi, si forte tanto oneri subeundo umquam deligerer. Maxime vero adjumento fuit, quod inter Adversaria viri clarissimi elenchus repertus est cum aliorum plerorumque Scriptorum, tum illorum præsertim, qui duo postrema volumina, quæ adhuc edenda supererant, ingredi deberent. Sciant igitur Lectores, ac universi quorum interest, per mortem eximii viri nihil præjudicii illatum huic Bibliothecæ. Nos enim & Scriptores ipsos ab illo delectos fideliter exhibuimus, & unde sumendi essent diligenter observavimus. Equidem tribus quatuorve totidem alios ex notatis ab ipsomet* GALLANDIO, *ceu utiliores substituimus; quia inter examinandum nullius frugis eos esse animadvertimus. Hoc & V. C. facturum fuisse, si superesse licuisset, certo scimus: erat enim suæ sententiæ patronus ita modestus, ut aliquando nostram, hominis tantilli, opinionem sequeretur. In una tantum re ab instituto ejus recessimus, quod ad calcem paginarum citationem locorum sacræ Scripturæ nequaquam posuimus, nisi si vel notatu digna interpretatio, vel varietas lectionis attendenda occurreret. Solent enim scriptores Ecclesiastici sæpenumero verba Scripturæ non quidem citare, sed potius contextui suæ orationis accommodare. Hujusmodi igitur loca non consignavimus, quippe quæ confusionem erroresque pariunt, si universa excitentur, & nihil in se habent, quod studiosi lectoris attentionem sollicitare queat. In Prolegomenis describendis* GALLANDIO *longe breviores fuimus, quod ea sæcula pertractavimus quæ ejusmodi Scriptores habent, de quibus vel nihil dicere liceat, & tanta a Bibliographis jam disputata sint, ut cramben recoquere supervacaneum existimaveris. Plura præfari ac monere nihil vetat, nihil etiam suadet. Quamobrem illud unum pro more imprecamur, ut reliquias has laboris nostri Lectores pro sua humanitate æqui bonique faciant: commoda quidem illius, ut par est, duci atque præcursori nostro* GALLANDIO *accepta ferentes; si qua vero sphalmata sunt, quæ minus probentur eruditis, ea universa tenuitati ingenii & exercitationis nostræ adscribentes.*

CAPUT I.

DE

THALASSIO

PRESBYTERO ET ABBATE.

FUit THALASSIUS presbyter & ἡγούμενος, sive abbas cujusdam in Libya monasterii: quem sanctus Maximus [1] Confessor pernecessarium habuit. Hujus porro sancti Confessoris mors cum anno DCLXII. consignari soleat [2], consequitur ante hunc annum Thalassium nostrum floruisse. Quamobrem haud ab re ad annum DCXL. cum Coccejo, vel ad annum DCXLVIII. cum *Gallandio* nostro commode referri potest. Huic Thalassio vulgo acceptas ferunt *Centurias IV.* in quibus agit *de Caritate, Continentia & Mentis regimine.* Eas nos heic exhibemus, diligentius tamen excusas. Ultimum fuit A hoc opusculum, quod *Gallandii* labores tulerint: Græce primus edidit Ducæus [3]: latine verterat edideratque Joannes OEcolampadius Augustæ Vindelicorum an. MDXX. unde & in alias Patrum Bibliothecas derivatæ sunt. Confer sis Fabricium [4]. Sunt porro Centuriæ omnes acrostichæ. Itaque in Centuria quarta emendavimus numerum XIII. pro quo legebatur numerus 89. ex alia versione. In numero etiam 35. ut acrostichis servetur Κατὰ φάρμακα legendum erit. Fragmentum epistolæ S. Maximi ad Thalassium habes infra pag. 42.

B

1. Confer Combef. ad S. Maxim. tom. I. pag. 674.
2. Fabr. Bibl. Gr. tom. VIII. pag. 730.
3. Bibl. PP. tom. II. p. 1179. edit. Parif. an. 1642.
4. Bibl. Gr. tom. X. pag. 167.

CAPUT II.

DE

THEODORO

RHAITUENSI.

THEODORUS in monasterio Rhaituensi monachum & presbyterum agebat, sancto Maximo ipse quoque amicus & synchronus [1]. Fabricius Lauram sive monasterium Rhaituense ponit [2] *ad Elim, sive septuaginta fontes in Palæstina.* At liquet [3] Elim non fuisse in Palæstina, sed in Arabia pro-

1. Combef. opp. S. Maximi t. II. p. 151. Baron. ad an. 657.
2. Bibl. Gr. t. IX. p. 232.
3. Exod. XV. 27. XVI. 1.

Sinai montem: nec septuaginta ibi fuisse fontes, sed duodecim fontes, & LXX. palmæ. Itaque melius Augustinus Lubinus [1] hanc regionem circa Ægyptum locat, cujus populos Rathenos appellat Ptolemæus; Menologium vero Basilii circa mare rubrum collocat. Scripsit Theodorus προπαρασκευὴν καὶ γυμνασίαν &c. quam Allatius [2] *Orationem dogmaticam* appellat. Prodiit græce & latine cum versione Theodori Bezæ, Genevæ an. 1576. & alias: cum versione Rob. Balphorei, & quidem castigatior e MS. Petri Stellæ, ad calcem Gelasii Cyziceni ann. 1599. Parisiis: denique cum Turriani versione edita est oratio illa apud Ducæum, & in Bibl. Patrum. Confer sis Cavæum in hoc Theodoro, & Fabricium [3]. Totus est vir prius, ut erroneas Manetis, Nestorii, Samosateni, Apollinarii, Mopsuesteni, Eutychis, Severi Antiocheni, & Juliani Halicarnassei sententias conficiat. Si Fabricio credimus [4] non videtur Photius [5] multum Theodoro nostro detulisse. Nos hoc opusculum a Gallandio jam inchoactum, nec tamen adhuc typis absolutum accepimus.

1. Apud Baudrandum Lex. Geogr. in voce *Rathi*.
2. De procefs. Spir. S. pagg. 251, 502. &c.
3. Præsertim t. IX. Bibl. Gr. pag. 232. 381.
4. Bibl. Gr. t. IX. p. 381.
5. Cod. I.

CAPUT III.
DE
ANASTASIO
S. R. E. BIBLIOTHECARIO.

Et de auctoribus in ejus Collectaneis occurrentibus.

PErsona ipsa ANASTASII vix quidquam ad nos pertinet, cum scriptorum modo, quæ in ejus Collectaneis cernuntur, rationem habeamus. De eo nihilominus aliquid dicere, ac præfari libet. Natione fuit, ut videtur, Romanus; certe Ecclesiæ Romanæ presbyter, abbas & Bibliothecarius. Claruit præsertim ab anno 858. ad 882. sub Pontificibus Nicolao I. Hadriano II. & Joanne VIII. Utrum idemmet cum Cardinali Anastasio censendus sit, latius disputant Scriptores, Cavæus in primis, omnino consulendus. Scripta illius recensent Bibliographi, inter quos diligentior Fabricius [1]. Præ ceteris Collectanea illius edenda nobis reliquit Gallandius noster ὁ πάνυ. Circumferuntur vero in illis quæ subjungimus Scriptorum monumenta, adjecto etiam numero paginarum, ubi apud nos infra occurrunt.

I. *Ipsius Anastasii Bibliothecarii epistolæ duæ, altera ad Joannem Diaconum, pag.* 30. *altera ad Martinum episcopum Narniensem, pag.* 43.
II. *Joannis papæ IV. Apologia pro Honorio summo pontifice, pag.* 32.
III. *Sancti Maximi epistolæ V. pag.* 34. 37. 38. 42. 58.
IV. *Theodori papæ Epistolæ III. pag.* 39. 41.
V. *Martini papæ Epistolæ IV. pag.* 43. 44. 49.
VI. *Commemoratio eorum, quæ S. Martinus Constantinopoli passus est, pag.* 45.
VII. *Relatio motionis in S. Maximum, quæ facta est coram principibus in Secretario, pag.* 50.
VIII. *Anastasii Monachi epistola, pag.* 59.
IX. *Relatio disputationis inter S. Maximum & Theodosium episcopum Cæsareæ Bithyniæ, pag.* 61.
X. *Anastasii Apocrisiarii epistola ad Theodosium presbyterum Gangrensem, pag.* 76.
XI. *Hypomnesticon de gestis SS. Maximi, Anastasiorum, Martini &c.*

Prodiere primum hæc Collectanea a Sirmondo edita Parisiis an. 1620. publici etiam juris facta a Combefisio, & in tomo XII. Bibl. PP. Lugdunensis; atque iterum vulgata in nova recensione operum Sirmondi, unde & nos in nostram penum transtulimus. Sed jam de auctoribus in Collectaneis comprehensis aliquid dicamus.

§ I.

De Sancto Joanne Papa.

Fuit Joannes papa hujus nominis quartus, natione Dalmata, patria Jaderensis. Patrem habuit Venantium Scholasticum. Romæ diaconum egit, ac tandem Papa designatus fuit, a S. Petro septuagesimus quartus: quam dignitatem annum & menses novem [2] obtinuit, usque ad diem xx. Septembris anni DCXLII. [3] vel ad duodecimum Octobris an. DCXLI. [4] Scripsit inter cetera ad Constantinum filium Heraclii Imp. Apologiam pro Honorio papa propter unam in Christo voluntatem. Hæc ad Constantinum epistola apud Eutychium [5] inscribitur *ad Heraclium & Constantinum fratres imperatores*. In Concilio Rom. an. DCXL. Joannes Monothelitas damnavit.

§ II.

De Sancto Maximo.

S. Maximus ex Protosecretario Heraclii abbas Chrysopolitanus fuit prope Constantinopolim. Hunc Græci Theologum [6], item Confessorem [7], Philosophum & Martyrem appellant. Hic strenuissimus Monothelitarum ac præcipuus adversarius, post mille vexationes tandem Lazicos deportatus, obiit an. Christi DCLXII. ætatis LXXXII. Cum Pyrrho CPolitano Patriarcha insignem habuit disputationem, quam ad an. DCXLV. consignat [8] Fabricius. Concilio Lateranensi sub Martino I. interfuit. Anastasius Apocrisiarius magistri sui Maximi vitam scripsit, quam laudat Allatius de Purgatorio [9], exstatque apud Combef. in tomo priori Operum

1. Bibl. Græc. tom. IX. pag. 337. Bib. med. t. I. p. 89. edit. Patav.
2. Burius in notitia.
3. Cavæus ad an. 640.
4. Fabr. Bibl. med. tom. IV. p. 42. edit. Patav.
5. Annal. tom. II. pag. 324.
6. In Cod. Bibl. Coislin. apud Montfauc. pag. 305
7. Combef. ad S. Maxim. t. I. p. 642. II. 98. 484. 528.
8. Bibl. Gr. tom. VIII. pag. 729.
9. Pag. 730.

S. Maximi [1]: poſt quam habentur etiam Acta, Collationes &c. quæ nos item græce & latine ex Anaſtaſii verſione edenda curavimus, prout exſtant apud *Sirmondum* [2]. Conſulantur Baronius [3] & Combefiſius in editione præclara operum S. Maximi.

§ III.

De Sancto Theodoro Papa.

Joannem IV. excepit in pontificatu Theodorus exeunte anno DCXLII. quem tenuit uſque ad dimidium anni DCXLIX. Patria fuit Hieroſolymitanus. Latine nonnulli Adeodatum, vel etiam Deuſdedit appellant. Is pontifex Pyrrhum Conſtantinopolitanum patriarcham turpiter in hæreſim Monothelitarum relapſum ſic damnaſſe dicitur, ut ad ſepulcrum S. Petri accedens, in Chriſti ſanguine tincto calamo depoſitionem Pyrrhi conſcripſerit. Duæ ejus exſtant epiſtolæ ſive apud Harduinum [4], ſive apud Oldinum [5]. Quæ in Collectaneis Anaſtaſii leguntur, potius fragmenta ſive excerpta ſunt, quam integræ epiſtolæ.

§ IV.

De Sancto Martino Papa.

Theodoro menſe Majo vita functo, Julio ineunte Petri ſedem regendam accepit Martinus hujus nominis primus, patria Tuders, martyr etiam, ſine tamen ſanguinis effuſione. Sedit pontifex ab anno DCXLIX: ad DCLIV. vel DCLX. De ejus tempore videndi Sirmondus [6] & Cointius [7]. Exſtant ejus epiſtolæ in tomis Conciliorum, & in Bibl. Patrum. Is coacto Lateranis Concilio CV. epiſcoporum Conſtantis Imperatoris Typum, ducesque Monothelitarum Sergium, Pyrrhum & Paullum, Cyrum item Alexandrinum, & Theodorum Pharanitenſem damnavit. Anno DCLIII. Calliopas Olympii in Exarchatu ſucceſſor cum Ravennatenſi exercitu Romam veniens, ſanctum pontificem capit, navi imponit, & poſt trimeſtre ſpatium, in Naxum inſulam deportat. Mox Conſtantinopolim ducitur: nec tamen ab eo obtineri potuit, ut Typum approbaret. Eapropter Cherſoneſum deportatur, ubi exſul obiit, & in Eccleſia S. Mariæ in Blachernis ſepultus eſt. Ex ejus epiſtolis ad nos ſpectat ea, quæ ad Theodorum eſt: ſeu potius fragmenta quædam ab Anaſtaſio decerpta, in quibus deplorat vicem ſuam ſanctus pontifex.

§ V.

De auctore Anonymo narrationis eorum, quæ ſæviter geſta ſunt in S. Martinum.

Auctor hujus Commemorationis ſeſe ſocium ſancti Martini prodit, dum ſtatim ab initio ait: [8] *Quædam quidem exterius ſollicitudine multa addiſcens, plurimorum autem proprie contemplator factus*. Et ſub finem [9]: *Viſa mihi & audita diligentiſſime declaravi vobis*. Non tamen navigationis ſocius fuiſſe videtur. Sex namque tantum pueruli cum S. Martino navigare permiſſi ſunt [10]. Facile igitur credi poſſit, illum ſancto Pontifici Conſtan-

A tinopoli adfuiſſe ſubinde, cum in Relatione motionis [11] ſtatim ab initio dicatur: *Die qua domnus Maximus, & is qui cum eo erat, penes hanc urbem regiam applicuerunt*. Quæ ſatis oſtendunt CPoli fuiſſe quoſdam, qui adverſariis Monothelitarum adhærebant. Utut ſit quæcumque in eum crudeliter & truculente ibi geſta ſunt uſque ad tranſportationem in Cherſoneſum, dilucide nobis exponit. Clericum etiam & monachum ſe prodit, cum propter rerum Theologicarum peritiam, tum etiam quia ſæpe S. Martinum *ſummum ſacerdotem noſtrum* appellat, Maximum vero, dominum: item quia more apud monachos uſurpato [12]: *Ego*, ait, *humilis & peccator famulus veſter a Deo venerabiles Patres*. B Utrum vero auctor motionis in S. Maximum factæ idem ſit cum auctore narrationis de S. Martino; etſi certa argumenta nulla demonſtrant, connexio tamen rerum quæ narrantur, ſtili affinitas, & quod apud Anaſtaſium jungantur in Collectaneis, haud improbabiliter iſtud ſuadeant.

§ VI.

De Anaſtaſio Monacho.

Erat Anaſtaſius iſte S. Maximi abbatis diſcipulus ac perfamiliaris. Annum ejus natalem fuiſſe C DCXVIII. ſcribit Cavæus [13], emortualem vero DCLXIV. Exſtat in Collectaneis Anaſtaſii ejus ad Monachos Caralitanos epiſtola. Fortaſſe etiam duæ ſuperiores enarrationes ad eumdem pertineant. Scripſit anno Chriſti ſaltem DCLVII. non DCLV. ut Cavæo videtur. Ait enim [14]: *Nono Kal. Septembris, quæ nunc tranſacta eſt, decimæ quartæ indictionis*. Nimirum anno Græcorum *6164*. cui & indictio XIV. & annus Chriſti *657*. congruunt.

§ VII.

De Anaſtaſio Apocriſiario.

D Alter S. Maximi diſcipulus fuit Anaſtaſius iſte, presbyter & Monachus, atque Romanæ Eccleſiæ Apocriſiarius. Scripſit vitam & acta S. Maximi magiſtri ſui [15], quæ maxime continentur in epiſtola ad Theodoſium Gangrenſem, quam nobis in ſuis Collectaneis ſervavit Anaſtaſius Bibliothecarius. Scripſit porro Indictione nona [16], ideoque anno Chriſti DCLXVI. non DCLXV. ut notat Cavæus. Etſi vero græca epiſtolæ non ſuperſint, teſtimonia tamen S. Hippolyti ex Cod. Franciſci Turriani adjuncta ſunt ex Combefiſio. Obiit S. martyr Anaſtaſius [17] die Dominico, hora tertia, V. Idus Octobrias cum in ſancta Collecta diceretur, Sancta Sanctis, Indictio- E ne decima. Qui characteres cadunt in annum Chriſti *666*. quo Kal. Septembris fluebat Indictio X. & Quinto Idus, ſive dies XI. Octobris erat Dominica, ſive feria prima, ut ajunt auctores Hypomneſtici [18].

§ VIII.

De Auctoribus Hypomneſtici.

Hujus Opuſculi auctores ſeſe palam oſtendunt Theodoſius & Theodorus fratres Monachi, ut no-

1. Pagg. 1-28.
2. Opp. tom. III.
3. Tom. VIII. pag. 657. num. 31.
4. Conc. tom. II. pag. 645.
5. Athenæi Rom. pag. 613.
6. Opp. tom. III. pag. 465.
7. Annal. Franc. tom. III. pag. 456.

8. Infr. pag. 45. C. 9. Pag. 49. A.
10. Pag. 45. A. 11. Pag. 50. D. 12. Pag. 49. A.
13. Ad ann. 655. pag. 385.
14. Infr. pag. 61. B.
15. Fabr. Bibl. Gr. tom. IX. pag. 122. & 340.
16. Infr. pag. 77. D.
17. Pag. 78. D. 18. Pag. 87. E.

tat Combefisius in monito, & Cavæus [1]. Ajunt etiam Anastasii Apocrisiarii epistolam sese accepisse a Lazico per Gregorium abbatem Bavararuensem, mense Augusto, Indictione XI. quæ præteriit [2]. Ex quo consequitur eos scripsisse anno 668. vel 669. putato scilicet initio Indictionis more Græcorum a Septembri. Pro anno priori stat Cavæus, pro posteriori Combefisius. Habemus in eo Hypo- A mnestico succinctam historiam passionis & mortis Martini papæ, Maximi, Anastasii abbatis, Anastasii Apocrisiarii, Theodori & Euprepii, ejusdem Anastasii Apocrisiarii fratrum germanorum [3]. Porro Jacobus Sirmondus, qui primus fasciculum hunc Anastasianum edidit, eique *Collectaneorum* titulum fecit, acceperat ex Bibliotheca Ecclesiæ Lugdunensis.

1. Ad ann. 668. 2. Infr. pag. 88. D. E. 3. Infr. pag. 86. C.

CAPUT IV.

DE SANCTO ANDREA CRETENSI ARCHIEPISCOPO.

Natus est Andreas Damasci, quantum quidem erudimur a Synaxariis, Magno Canone ac Triodiis Græcorum. Monachum, non episcopum, Hierosolymis egit. Quare in Catenis & alibi aliquando etiam Hierosolymitani nomine censetur [1]. Deinde Constantinopolim accitus, Diaconus factus est, Orphanotrophii curam gessit. Subinde Archiepiscopus Cretensis designatus fuit. Videnda quæ de eo scripsit Combefisius [2]. De ejus ætate inter eruditos non convenit. Cavæus ait, circa annum Christi DCXXXV. ac diu postea floruisse: propterea quod in Synaxario Triodiove suppar dicatur Sophronio patriarchæ, qui diem obiit supremam anno DCXXXIX. Hoc tamen nec Papebrochio [3], nec Casimiro Oudino placuit, qui contendit eum vitam produxisse ad dimidium usque anni DCCXXIV. Utut se res habeat, illud certum videtur, S. Andream scripsisse longe ante auctorem Dialogi Cristiani cum Saraceno, quem vulgo Joanni Damasceno ferunt acceptum. In hanc sententiam inducor ex eo, quod, ut suo loco adnotavimus, illius hic videatur verba usurpare, & quidem tamquam palam & publice jamdudum auctoritatem obtinentia. Cum porro S. Joannes Damascenus obierit circa annum DCCL. omnium minimam probabilitatem Oudini sententiam præ se ferre arbitramur.

Deinde cum probe constet ex Synaxariis, Andream a Theodoro Hierosol. ad VI. Synodum missum fuisse Constantinopoli, ubi & Diaconus & Orphanotrophus creatus est; illaque Synodus habita B fuerit anno DCLXXX. ipseque Andreas in Jambis ad Agathonem de codicibus Actuum illius Concilii agat, tamquam de Collectaneis *recentibus* atque utilibus; nisi vitam ei tribuamus supra hominum fidem longissimam, ad annum usque DCCXXIV. superfuisse cum Casimiro dicere nullo modo possumus.

Variæ ejus exstant homiliæ & alii fœtus. Nos selectissimas tantum exhibendas censuimus. Quam vero primus edidit de *Publicano & Pharisæo* Fabricius [4], nos heic cum nostra versione repræsentandam censuimus, ne quem forte hominis τοῦ ἔξω interpretatio offenderet. Quanta porro ejus sit γνησιότης & sinceritas (ut & ejus quam damus ab An- C gelo Maria Riccio publici juris factam,) nos hanc litem dirimere non avemus. Certe recentior videatur divisio Bibliorum in capita, qualem citat [5]: præter quam quod sextum appellat caput Proverbiorum XI. Quod si Cavæus suspecta habet nonnulla Opuscula, quæ jampridem sub Andreæ Cretensis nomine circumferuntur; dissidium facile componi poterit, si dicamus vel plures fuisse variis temporibus Cretenses Andreas, vel ab aliis contextas orationes ex verbis illius, illius quoque nomine fuisse inscriptas. Postremæ hujus conjecturæ infinita suppetunt exempla etiam in aliis sanctis Patribus; priori vero probabilitatem conciliare valeat, quod fortasse, ut Andreas noster ab aliis distingueretur, factum D fuerit, quod a Græcis veteribus vel Hierosolymitani appellatione, vel κατ' ἐξοχὴν Archiepiscopi Cretensis vocabulo indicatus sæpe fuerit.

1. Magnus Can. pag. 301.
2. Bibl. Conc. t. I. 3. April. t. I. p. 69.
4. Bibl. Gr. tom. X. pag. 141.
5. Infr. pag. 171. C.

CAPUT V.

DE JOANNE THESSALONICENSI.

Obtinebat Thessalonicensem sedem Joannes anno DCLXXX. quo sextæ Synodi interfuit, subscripsitque Synodicæ ad Agathonem. Eutychianos & Monothelitas strenuissime impugnavit: quare & tuendæ Chalcedonensis fidei campus amplissimus ei patuit, cum Monothelitæ eam quoque Synodum abrogandam contenderent, ut nos docet opportune E Joannes CP. Patriarcha [1]. Succi plena est ejus oratio in mulieres unguentiferas, sive de Resurrectione Christi, quam nobis Gallandius edendam consignaverat. A Combefisio post Savilianam editionem ἀδέσποτον, græce & latine publici juris facta est [2], nosque ab eo mutuati sumus. Visum est tamen & alia duo fragmenta satis prolixa subnecte-

1. Epist. apolog. ad Constantinum Pp.
2. Auct. Nov. tom. I. pag. 761.

re, alterum de miraculis S. Demetrii [1], alterum ex Dialogo, sive sermone inter paganum & christianum de cultu Imaginum [2]. Cum porro Actis VI. Synodi subscripserit tamquam Apostolicæ Sedis vicarius & legatus, non potuit certe diutius post annum DCLXXX. vitam prorogasse. Cavæus quidem de nostro hoc Joanne differens pag. 391. sic ait: *Præter hunc Joannem Thessalonicensem, inveni neminem*. Attamen quæ ex Joanne Thessalonicensi affert Metaphrastes, adnotatque passim Fabricius, haud difficile animum in aliam sententiam merito inclinare possint. Certe dum ait direptionem Thessalonicensis urbis sub Leone contigisse Imperatore, eamque constet accidisse anno 904. sub Leone VI. A Philosopho, quis non facile credat juniorem esse auctorem miraculorum S. Demetrii? Adde illum sic loqui de ejus civitatis direptione, tamquam de eventu, qui *ante annos plures* [3] contigerit, simulque videtur indicare, superstites adhuc fuisse multos, qui direptionem illam suis oculis vidissent. Jam autem si alia ponatur Thessalonicæ direptio quam quæ sub Leone VI. usuvenit, ea omnino sub Leone I. vel II. consignanda esset, ideoque ad summum circa dimidium sæculi quinti: Leo enim III. imperitabat sub initium sæculi VIII. ideoque ad hunc digitum intendere non poterat Joannes Thessalonicensis, qui Sextæ Synodo ann. 680. interfuit. B

1. Ex Combef. ad Script. post Theoph. Videndus & Allatius de Simeonib. pag. 97. & 105.

2. Ex Synod. Nicæna II. Act. V.

3. Infr. pag. 195. B.

CAPUT VI.

DE

EVANTIO ABBATE.

Distinguendum esse Evantium sive Evantum nostrum ab Evantio Viennensi, qui obiit anno DLXXXVI. probe animadvertit Basnagius & Fabricius. Scripsit enim epistolam contra eos qui Cæsaraugustæ ajebant, sanguinem animalium esse immundum. In ea porro laudat librum Regulæ Pastoralis S. Gregorii. Quare omnino ab Evantio Viennensi est distinguendus, qui ante editum illum librum diem supremam obierat. Erravit igitur in hac parte Cavæus [1]. Cardinalis Aguirrius [2] nititur demonstrare, Evantium hunc nostrum fuisse Archidiaconum Toletanum. Hispanum certe fuisse C constat ex ipsa epistola. De eo non plura apud Scriptores invenies. Nec tamen ab re affirmaveris, eum ob oculos præsertim habuisse Pirminium abbatem, ut constabit ex iis, quæ in illo infra dicentur.

1. Ad ann. 581. pag. 350.

2. Concil. Hisp. tom. III. pag. 87.

CAPUT VII.

DE

GERMANO

PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANO.

Germanus Constantinopolitanus Patriarcha, Justiniani Patricii filius, fuerat antea Cyzicenus Metropolita. Is cum Leonis Isauri decretis adversus sanctas Imagines minus obtemperaret, anno DCCXXX. sede sua dejectus, & vitam privatam agens, locum fecit Anastasio successori suo viro εἰκονομαχωτάτῳ. Decennio postquam throno CPolitano depulsus fuerat, in paterna domo vitam cum morte commutavit, die XII. Maii, satis grandævus, quippe qui Constantino Pogonato mortuo, a quo ejus parens Justinianus interfectus fuerat, anno nempe 685. virilia exsectus fuisse dicitur. A pseudosynodo Copronymiana CPli collecta anno 754. anathemati subjectus est, tamquam διγνώμῳ & ξυλολάτρῃ, id est, inconstans & versipellis, atque lignorum cultor. Ejus memoria celebratur Actione VI. Synodi secundæ Nicænæ, de eoque judicium suum profert Photius Cod. CCXXXIII. Plura scripsit, quæ recensent Bibliographi. Eminent inter cetera Rerum Ecclesiasticarum contemplatio, in qua ritus & mysteria Missæ Græcorum explicantur, quam tamen quidam Germano II. attribuunt. Pro Germano I. tamen militat inter ceteros Richardus Simonius [1]. Fatendum tamen ab aliis alia inserta D fuisse. Quare sincerum Germani fœtum vix distinguere quis valeat. Equidem primum ejus auctorem fuisse Germanum nostrum nonnulla suadere videntur. Namque in expositione secundi Antiphoni ait, quosdam velle Troparii auctorem esse Justinianum Imperatorem *sanctæ memoriæ*. Quæ sane verba cum usurpari soleant de homine haud ita multo antea defuncto, Scriptorem proinde non redolent sæculi XIII. qualis fuit Germanus II. sive referantur ea verba ad Justinianum I. qui obiit anno DLXV. sive ad secundum fato functum anno DCCXI. Præterea ritum quemdam a Græcis usurpatum referens, Indos commemorat, & *fideles Veneticas insulas inhabitantes* [2]. At enim ut quisque facile cernit, E hæc melius cadunt in finem sæculi VII. vel etiam initium VIII. propter adolescentiam & quamdam græcitatem nostræ civitatis, quam in sæculum XIII. Postremo passim commemorat, Christum esse *Unum de Trinitate hominem factum, passum &c.* quæ utique dissidia redolent sæculi VI. [3] potius quam sæculum decimum tertium.

Germano quoque nostro tribuitur libellus de sex Synodis, quem ἀδέσποτον ac sine auctoris nomine primus vulgaverat Justellus, mox auctiorem Lemoinius [4],

1. In not. ad Gabr. Severum, pagg. 249. 287. & Biblioth. selectæ tom. II. pag. 174.

2. Infr. pag. 217. E.

3. Vide Biblioth. nostram tom. XI. pag. VIII. & 330. 353. A.

4. Varior. Sacr. tom. I.

paſſimque recuſſus eſt in Bibliothecis & alibi. At A neſcio num Germanus I. Conſtantinum appellaviſſet *ἐν ἁγίοις Sanctum*, ac dixiſſet tempore Concilii Nicæni primi Alexandrum fuiſſe *Patriarcham* Conſtantinopolitanum. Conſule ſis diſſertationem V. C. Petri de Marca de hoc ipſo argumento.

CAPUT VIII.

DE

COSMA

HIEROSOLYMITANO.

COſmas a patria Hieroſolymitanus dictus, & ex eo quod civitas illa *Sancta* vocaretur, B Hieropolites etiam nuncupatus: condiſcipulus fuit S. Joannis Damaſceni, ſub eodem præceptore Coſma monacho educatus, ut in vita Damaſceni refert Joannes Hieroſolymitanus [1]. Cum enim ex Italia Damaſcum reverteretur, a Saracenis captus, ab Joannis Damaſceni patre redemtus eſt, Joannique filio ſuo, & Coſmæ noſtro hymnologo magiſter datus eſt. Poſt Petrum factus eſt Epiſcopus Majumæ [2], circa annum DCCXLIII. De illo Suidas hoc judicium tulit in Joanne Damaſceno: *Joannis Damaſceni æqualis fuit Coſmas Hieroſolymitanus, vir ingenioſiſſimus, omnino muſicam harmoniam ſpirans. Joannis porro & Coſmæ muſicales regulæ nullatenus cum aliorum carminibus conferri poſſunt, ac ne poterunt quidem, quamdiu mortale genus ſupererit.* Hos hymnos expoſuerunt Joan. Zonaras, Theodorus Prodromus, Marcus Eugenius, & Gregorius Corinthiacus [3]. Sunt tamen qui Coſmæ monacho, ſive ſeniori perperam attribuant. Odæ omnes ſunt acroſtichæ, non pleræque ut habes in Fabricio [4], qui utique ſententiam mutavit poſtquam Prudentius ab Aldo editus ad manus ejus pervenit, ex quo etiam Coſmæ hymnos recenſet [5]. Nos ex eo Aldi libro græca deſcripſimus, quæ tamen typothetarum oſcitantia vitioſiſſima ſunt, ſanata nihilominus per nos fuerunt ut in notis indicavimus, ex βιβλίῳ ἐνιαυσίῳ Romæ edito. Adornavimus etiam verſionem latinam, Aldina enim adeo ſervilis eſt, ut ſine græcis a latine tantum ſcientibus intelligi vix queant. Præterea hymnis illis XIII. adjecimus & alios nonnullos græce & latine ex verſione noſtra nunc primum prodeuntes, quos paſſim in eodem libro ἐνιαυσίῳ invenimus. Hos tamen, ſaltem qui longiores ſunt facile dixerim ad ſeniorem Coſmam junioris magiſtrum pertinere. Animadverſione dignum videtur, C quod in hymno Theophaniæ V. 2. dicitur de draconibus ſive dæmonibus luſtra Jordanis incolentibus: quod itidem refertur a S. Joanne Damaſceno [6]. Quare conſequitur vel per ea tempora vulgo ejuſmodi obtinuiſſe ſententiam, vel potius a communi magiſtro utrumque diſcipulum didiciſſe.

1. Pag. VII.
2. Lequienius in not. ad vitam Damaſc. pag. 20. ſeqq.
3. Allatius de Gregor. pag. 418.
4. Bibl. Gr. tom. X. pag. 218.
5. Ibid. pag. 333.
6. Infr. pag. 276. C.

CAPUT IX.

DE

BEDA, ET ECBERTO.

QUis Beda fuerit, qua patria ortus, qua ætate floruerit, quæ ejus ſtudia fuerint, ipſe nos docet ad calcem Hiſtoriæ Anglorum [1]. *Beda Dei famulus & presbyter monaſterii beatorum Apoſtolorum Petri & Paulli, quod eſt ad Wirimundam & Ingiruum. Qui natus in territorio ejuſdem monaſterii, cum eſſem annorum ſeptem, cura propinquorum datus ſum educandus Reverendiſs. abbati Benedicto, ac deinde Ceolfrido, cunctumque ex eo tempus vitæ in ejuſdem monaſterii habitatione peragens, omnem meditandis Scripturis operam dedi, atque inter obſervantiam diſciplinæ regularis, & quotidianam cantandi in Eccleſia curam, ſemper aut diſcere, aut docere, aut ſcribere dulce habui. Decimonono autem vitæ meæ anno Diaconatum, triceſimo* E *gradum presbyteratus, utrumque per miniſterium Reverendiſſimi epiſcopi Joannis, jubente Ceolfrido abbate, ſuſcepi. Ex quo tempore accepti presbyteratus, uſque ad annum ætatis meæ LIX. hæc in Scripturam ſanctam meæ meorumque neceſſitati ex opuſculis venerabilium Patrum breviter annotare, ſive etiam ad* D *formam ſenſus & interpretationis eorum ſuperadjicere curavi.* Obiit anno DCCXXXV. Opera ſua recenſet ſubinde ipſemet Beda, & poſt eum Bibliographi & Poſſevinus. Alia quædam paſſim ſub ejus nomine circumferuntur, quæ apud Warthonum præſertim & Smithæum alioſque occurrunt. Nos ex multis unam ad Egbertum epiſtolam quantivis pretii recudendam cenſuimus, quod multum lucis Egberto ipſi afferre poſſit.

Fuit porro Egbertus ſive Ecbertus Eboracenſis poſt Wilfridum Archiepiſcopus ab anno 732. ad 767. Regio erat principum Northumbrorum ſanguine cretus, Eadberti nempe frater. Inter alia quædam opera quæ illius nomine circumferuntur, extat *Dialogus de Eccleſiaſtica inſtitutione*, quem primus edidit Waræus anno 1664. ex Biblioth. Cottoniana, quique ſubinde in Tomos Conſil. immigravit, alias etiam ſæpe recuſus, & ſubinde auctus. Malmesburienſis [2] ſcripta ejus appellat *Exquiſitioris eruditionis ſcholaſticæ libellos*. Stilus tamen hanc laudem non meretur.

1. Tom. III. pag. 151.
2. De geſt. Pontif. Angl. lib. III. pag. 133.

CAPUT X.

DE JOANNE HIEROSOLYMITANO.

NOmine tantum & monachali professione notus est: cetera quis fuerit non constat. Monachum fuisse Hierosolymis ex titulo suæ narrationis *De origine motuum Iconoclastarum* liquet. In Synodo etiam nescio qua de charta illum suam narratiunculam pronunciasse, inde apparet [1]. At illum eumdem non esse cum Scriptore *Orationis apodicticæ*, seu *Invectivæ* ad Constantinum Caballinum sive Copronymum, contra atque vulgo Bibliographis persuasum videtur [2], quædam sunt quæ facile persuadeant. Namque primo auctor *Invectivæ* & presbyter & Patriarcha vocatur, auctor vero *Narrationis* nonnisi monachus audit. Deinde ille a pa- A tria, ut videtur, etiam Damascenus appellatur; hic vero Hierosolymitanus. Tertio aliter originem motuum Iconoclastarum uterque nobis refert. Quarto Scriptor *Narrationis* pusillus homo & tenui dicendi facultate præditus adparet, qui ne memoriter quidem sua recitare posset; at contra *Invectivæ* scriptor vehemens in dicendo cernitur, qui nec Imperatoris iram, nec frequentissimam audientiam vereatur, ignem spirans memoriterque apud auditores verba faciens. Hæc me ad distinguendum alterum ab altero induxerunt. Uterque tamen sic loquitur, ut saltem alicubi restitutas jam Imagines B suo tempore arbitrari possimus.

1. Infr. pag. 270. A.

2. Confer Fabr. Bibl. Gr. tom. VI. pag. 350.

CAPUT XI.

DE S. JOANNE DAMASCENO.

NObili loco natus est Joannes Damascenus, patre scilicet Sergio quæstore Abdolmelechi Caliphæ Saracenorum. Communem, ut capite superiori diximus [1], cum Cosma Hierosolymitano magistrum habuit Cosmam monachum. Subinde in aulam principis accitus, a secretis ei fuit, ut & pater ejus. Uterque *mansur* audiebat, quod ὑβριστικῶς & per contumeliam interpretata est septima Synodus Actione VI. Theophanes tamen [2] melius ait significare λελυτρωμένον, h. e. redemtum. Hoc sane minus longe distat ab *bimsir*, tradere, & orientalium linguis, in quibus *besir* eripere significat. Itaque sic dictus fuerit, vel quia ipse ereptus est a Saracenorum captivitate, vel potius quia eripiendorum pretia aut reciperet aut persolveret. In hanc potius sententiam inclinat animus, ex eo quod pater & filius eodem censebantur nomine: qui & ἀρκλᾶν, quasi dicas arcularium, etiam appellabatur [3]. Interpretationi igitur VI. Synodi locum dedisse videtur affinis orientalium vox *mamzer* quæ spurium hominem notat, vel potius Copronymi impietas, qui nomen *mansur* deflectebat in μαμζηρὸν, *mamzeron*, quo malitiose Catholicos quasi adulterinos traducebat. Tan- C ta fuit eloquentia, ut Chrysorrhoas, id est auro fluens Cedreno, Sigeberto aliisque diceretur. Insignem operum ejus editionem Lequienio debemus. Syncerior ejus Paracletice occurrit græce in libro ἐνιαυσίῳ, de quo diximus cap. VIII. Nos inter adversaria V. C. Bongiovanni dialogum nacti sumus inter Christianum & Saracenum, quem sibi ex Cod. quodam Vindobonensi describendum curaverat vir eruditus. Dialogus iste in Lequienio haud satis integer invenitur, & aliunde conquisitis fragmentis consarcinatus. Noster brevior quidem est, nec suis caret nævis: attamen ex eo pluscula loca Lequienii feliciter restitui poterunt, ut nihil interea dicamus D de insigni loco, quem in Adrea Cretensi commemoravimus. Græca Bongiovanni cum nostra latina versione exhibemus.

1. Supra cap. VIII.

2. Pag. 350.

3. Confer Allat. de Gregor. pag. 320.

CAPUT XII.

DE PIRMINIO ABBATE.

PIrminum abbatem fuisse ex titulo sui libelli satis constat: Chorepiscopum etiam fuisse ex conjectura suspicantur eruditi. Obiit anno 758. ut Mabillonius docet, & ex eo Historia Literaria Galliæ [1]. Quare typographicum sphalma videtur in Fabricium irrepsisse, apud quem, decennio serius ejus mors consignatur. Pirminii libellus *De singulis libris canonicis* inter analecta Mabillonii primum prodiit, a quo & nos inde accepimus. In eo tametsi barbare exarato, multa leguntur quibus dogmata catholica, & ecclesiasticæ consuetudines confirmari illustrarive possint. De eo plura non

1. Tom. IV. pag. 123

constant. Ex iis tamen fuisse videtur, qui ab esu sanguinis vel morticini abstinendum ducebant [1]: quare & in illum ejusque sequaces calamum strinxisse videatur Evantius, dum ait [2]: *In quibusdam Cæsaraugustæ partibus reperisse vos asseritis Christianos necdum eruditos paginibus sacris ...... qui dicunt immundum fieri hominem alicujus animalis sanguinem comedentem*. Certe Pirminius doctrinam suam maxime ex Actis Apostolorum confirmare studet, quod testimonium præsertim diluere nititur Evantius [3]. Ceterum Chorepiscopum illum saltem A fuisse conjiciunt ex ipsa phrasi suæ orationis: locum nemo, quod sciam, hactenus indicavit. In Cæsaraugustana tamen diœcesi si quis ponat propter Evantii auctoritatem, rem fortasse haud improbabilem affirmabit; cui etiam adstipulabuntur voces *Karagios* & *Karakares*, quæ suo adhuc tempore apud Hispanos in usu fuisse docet Philesacus. Fatendum tamen & in Galliis & in Hispaniis invaluisse eas superstitiones de quibus queritur Pirminius, quocum suo loco adnotavimus conferendum Berardum in Cann. Gratiani [4].

1. Infr. pag. 281. A. 2. Infr. pag. 198. A. 3. Ibid. D. 4. Ad Can. XVI. cau. 26. qu. 7.

CAPUT XIII.

DE

THEODORO ABUCARA.

Arabica, vel Syriaca voce sic dictus est Theodorus noster, quasi *Abu Cara*, h. e. Pater sive Episcopus Caræ, quæ ipsamet videtur civitas trans Jordanem posita in Palæstina, quam Scripturæ *Charan* sive *Haran* appellare censentur, cujus proinde Theodorus episcopus fuerit. Hoc tamen argumentum Lequienii [1] tanti non est apud Fabricium [2]. Alii Charræ in Mesopotamia episcopum faciunt, ut Cotelerius, Turrianus, Itigius aliique. Discipulus & auditor fuit Joannis Damasceni. Quare & illud usurpat *A voce domini Joannis* se accepisse [3], ac sæpe etiam verba utriusque conveniunt. Floruit circa annum DCCLXX. Nonnulli Theodorum B nostrum confundunt cum Theodoro Cariæ] Photii amico [4], qui in Synodo VIII. an. 869. Ignatii partes sequutus est; alii cum Theodoro Rhaituensi, qui floruit circa an. 660. cum Antiocheno item sive Hagiopolitano. Sed ab his omnino esse distinguendum evincit Fabricius loco citato. Tria & XL. ejus opuscula circumferuntur, a Gretsero edita fere universa. Ex his delegimus tractatum *De Unione & Incarnatione*, quem primus edidit græce & latine ex MS. Bodlejano Andreas Arnoldus Norimbergensis [5], qui idem in Cæsarea Bibliotheca memoratur a Lambeccio. Consulendus etiam de nostro Theodoro Cotelerius [6].

1. Damasc. tom. I. pag. 391.
2. Bibl. Gr. tom. IX. pag. 176.
3. Theodor. Opusc. 18. 35. 37. &c.

C

4. Confer Cavæum ad an. 867.
5. Parisiis an. 1685.
6. Ad Homil. Clement. V. c. XXIII. n. IV. App. PP. I. 669.

CAPUT XIV.

DE

ETHERIO ET BEATO.

Fuit Eterius, sive Etherius Uxamensis Episcopus; Beatus vero presbyter tantum, referente Mariana [1]. Attamen Paullinus Aquilejensis, sive potius Alcuinus [2] *Beatum vocat abbatem, & discipulum ejus Heterium*. Certe juniorem fuisse Eterium D liquet ex verbis ipsius Elipandi ad Felicem [3]: *Adolescentiam sane fratris nostri Eterii lacte adhuc alitam &c.* Nomen ejus in Operis titulo præcedere certum esse debet, quia ab Eterio scriptum est, quum jam esset *Oxomæ sedis nominatus episcopus* [4], non vero *postmodum factus*, ut Basnagius sibi velle videtur [5].

Notior aliquanto Beatus, cujus vita exstat apud Mabill. sæc. III. Bened. par. II. Fuit is Levanensis in Asturia monachus, abbas & presbyter Benedictinus, Monasterii Vallis Cavæ in territorio Liebano sive Santillanensi [6]. Traducit sæpe Elipandus Beatum, tamquam Asturicensem montivagum, fœtidum, horribilem: immo frequenter eum nomine *Antiphrasii*, h. e. adversarii, vel potius *infelicis* appellat.

Elipandi porro errorem in eo fuit, ut Christum humanitate adoptivum filium vocaret, quod passim ex ipsa Eterii & Beati disputatione constat. Historiam hujus rei locupletiorem exhibebit Basnagius in laudatis superius Observationibus. Multum etiam lucis Eterianæ doctrinæ afferent scripta Paullini sive Alcuini contra Felicem Urgelitanum; Synodus item Francofurtensis anni 794. aliæque contra Elipandum habitæ.

Scripsere Etherius & Beatus æra 823. hoc est anno Christi 785. æra namque Hispanica triginta & octo annis Christianam antevertit [7]. Stilus eorum satis barbarus, obscurus & implexus prout tempora & ingenia locorum illorum tunc ferebant: præterea quæ supersunt exemplaria rudiores amanuenses invenisse cernuntur. Primus edidit Petrus Stevartius ex Bibl. Toletana, Leodii Theologiæ doctor & professor. Subinde in Bibl. PP. immigrarunt duo illi libelli, quos tandem diligentius recensitos a Jacobo E Basnagio in antiquis Lectionibus Canisii [8], nos inde recudendos mutuati sumus. De fragmento a Stevartio edito, vide sis Fabricium [9].

1. Annal. Hisp. tom. VII. pag. 8.
2. Contr. Felic. Urgel. lib. I.
3. Infr. pag. 301. D.
4. Infr. pag. 299. C.
5. De hær. Feliciana Obs. pag. 289. §. 2. ad t. II. Canisii.
6. Basnage l. c. pag. 290.
7. Infr. pag. 290. A. Bevereg. Inst. Chronol. pag. 200.
8. Tom. II. par. 3.
9. Bibl. med. tom. V. pag. 112. edit. Patav.

CAPUT XV.

DE

JOANNE

DAMASCENO, SIVE HIEROSOLYMITANO.

SCriptorem Orationis στηλιτευτικῆς seu Invectivæ adversus Iconomachos, manu exarati codices Joannem perhibent alii quidem Damascenum, alii vero Hierosolymitanum. Eam græce & latine edidit Combefisius inter Scriptores post Theophanem [1], ut & aliam ἀποδεικτικὴν de sacris Imaginibus ad Constantinum Caballinum, quam idemmet publici juris fecit in novo Auctario [2], quam etiam MSS. Codd. Joanni Hierosolymitano, alii Damasceno inscribunt. Nominum ταυτότητι confusionem peperit. Fabricius [3] *Invectivæ* auctorem dicit Anonymum, quem & Cavæus sequutus est: at contra ille Orationis *apodicticæ* parentem agnoscit Jo: Hierosolymitanum, quem supra scripsisse diximus de *Origine motuum Iconoclastarum* [4], & ab hoc diversum arbitrati sumus. Ætatem scriptæ orationis apodicticæ consignandam esse intra annum 743. & 775. ex eo abunde patet, quod sub Copronymo & contra illum dicta sit, qui per eos annos regnavit, cujus & pseudosynodum habitam an. 755. refutandam assumit auctor noster. Immo vero scripsisse illum anno præcise 770. non modo chronotaxis Cavæana evincit, sed illud etiam, quod §. 16. dicat currentem Indictionem esse VIII. & jam a Christi passione fluxisse annos DCCXLV. Octava namque Indictio currebat anno illo 770. sive Græcorum 6278. Quod vero ait, annum illum esse a passione Christi 745. nisi error sit in numeris, referri possit ad initia motuum Iconoclastarum per decretum Leonis. Leo enim Isauricus, qui imperium obtinuit ineunte anno 716. decimo circiter Imperii sui anno edictum de tollendis imaginibus promulgavit, videlicet circa an. Christi 726. Igitur Christi annus 770. erat annus 745. reputatis nimirum in numero hoc & sæculis integris septem, & ex octavo annis tantum 45. quibus vigebant motus Iconoclastici. Confirmatur hæc interpretatio, quia subdit loco citato, motus Iconomachorum cœpisse *Indictione* IX. *abhinc plus minus annis* XLV. Jam vero anno Christi 726. seu Græc. 6234. currebat nona Indictio a Kalendis Septembris.

Quod vero auctorem Invectivæ eumdem statuamus cum scriptore Orationis adversus Copronymum, facit & similitudo stili, & argumenti ταυτότης, & temporum convenientia: præsertim vero quia auctor Invectivæ [5] aperte dicere videtur, sese mox ampliorem orationem editurum adversus hostes SS. Imaginum; & evidentius [6]: *Hoc modo accepimus a Sanctis Patribus, quorum etiam nomina & verba in libro consignabimus, si Dei voluntas ac providentia tulerit*. Quæ omnia occurrunt nobis adamussim in Oratione ad Copronymum, quam propter prolixitatem suam haud ab re librum vocare possis. Præterea cum Fabricius eidem Scriptori acceptas ferat & narrationem de origine motuum, & Apodicticam ad Caballinum, nec tamen, ut ostendimus suo loco, utriusque ille auctor haberi possit; maluimus ei Invectivam potius dissertationem, quam narratiunculam illam tribuere.

1. Pag. 303. 2. Tom. II. pag. 665. 3. Bibl. Gr. tom. VI. pag. 350. 4. Cap. x. 5. Infr. pag. 353. B. 6. Num. xv. pag. 357.

CAPUT XVI.

DE

TARASIO PATRIARCHA.

PHotii avunculus magnus fuit Tarasius, sedemque Constantinopolitanam obtinuit ab anno 784. ad 806. Ejus vitam ab Ignatio Nicæno Metropolita conscriptam latine legas apud Bollandianos [1]. Patrem habuit Georgium Præfectum urbis, matrem Encratiam. Habita sub illo est Synodus Nicæna II. Ejus scripta in tomis Conciliorum occurrunt fere universa. Nos epistolam ejus ad Hadrianum papam contra Simoniacam labem exhibemus, quæ exstat in jure Græco Romano [2]. Nos vero eamdem a Pandectis Beveregii sumsimus [3], cui tamen nostram adjecimus versionem.

1. Die 25. Febr. 2. Pag. 190. 3. Tom. II. par. I. pag. 184.

CAPUT XVII

DE

ANONYMO BECUCCIANO.

DOminicus Becuccius præpositus Ecclesiæ sancti Felicis ad Imam, ex Bibliotheca Gabrielis Richardii edidit Florentiæ anno 1768. ex quodam MS. [1] libellum auctore incerto, cui titulus est *Dogmata orthodoxa &c.* Scriptor ejus nusquam comparet. Gallandius noster in suis adversariis *Anony-*

1. Signatur K. I. estque chartaceus, quem Becuccius describit in præf. pag. 14. ac videtur sæculi xv.

mum Damascenum scripserat. Becuccius V. C. putat monachum fuisse [1], his ductus argumentis: primo quia teste Mabillonio, monachorum erat hinc inde a Patribus quædam decerpere, quæ alienis operibus subjungebant, ne ullæ in fine pagellæ vacarent in Codicibus. Secundo quia Joannem Damascenum *S. Patris nostri* appellatione allegat, quem constat in S. Sabæ Laura monachi vitam gessisse. Hæc quanti sint, quisque facile intelligat. Visum mihi est a nomine editoris *Anonymum Beccucianum* appellare. Facile autem crediderim esse pium aliquem laicum, qui pro liberis suis religiose educandis brevem illam catechesin planamque conscripserit, sive manualem librum vel Enchiridium, ut A veteres loqui solebant. Sub finem enim ait: *Ego quidem, filii mei dilecti, exposui vobis hæc sancta dogmata ...... ut pro certo habeatis, quod is qui genuit vos, ita credebat &c.* Quod ergo S. Joannem Damascenum *S. patris nostri* appellatione donaverit, id ex consuetudine est, qua sic Græci omnes sanctos etiam non monachos, aut certi instituti quod nos profiteamur, vocare pie & religiose consueverunt. Cum porro multus sit auctor noster in tradendo dogmate de cultu Imaginum, liquet eum post Synodum Nicænam II. vixisse. Quare nec ante annum 791. illum ponendum censuimus. De revelatione Gregorii Thaumaturgi, vide quæ in eo scripsit Gallandius [2].

B

1. Pag. 16.

2. Bibl. tom. III. pag. 447. & proleg. pag. XXVI.

CAPUT XVIII.

DE

LEIDRADO

EPISCOPO LUGDUNENSI.

Leidradus natione Noricus [1], Caroli Magni pernecessarius, & ut quidam sibi velle videntur, etiam Bibliothecarius. Sedem Lugdunensem post Hilduinum Adonis nepotem [2] obtinuit ab anno 799. ad 813. Intra hoc tempus delata sunt Lugdunum, & in majori Ecclesia collocata ossa beati Cypriani, & capita Sanctorum martyrum Pantaleonis, & Sperati Scillitani [3]. Multas ædificavit Ecclesias, monasteria erexit, cantum in Lugdunensi Ecclesia restauravit, aliaque præstitit boni ac diligentis pastoris officia, quamvis adversa corporis valetudine [4]. Jussu Caroli Hispaniam repetiit, ut adversus Feli- C cis doctrinam populos muniret. Initio imperii Ludovici in Suessionense monasterium se recepit, in cujus locum Agobardus suffectus est [5]. Hæc invenire licet in Agobardo Baluzianæ editionis. Superant ex operibus ejus, *Liber de Sacramento baptismi* cum epistola de eadem re ad imperatorem, quæ in Analectis suis publicavit Mabillonius, a quo & nos accepimus. Præterea epistolæ duæ, quæ leguntur ad calcem Agobardi Baluziani. Utramque ex illo nos recudendam curavimus. Vix in Monasterio Suessionensi annum explevit Leidradus, ibique vita est functus.

1. Theod. Aurelian. parænes. ad judices.
2. Ugo in Chron.
3. Ado Martyr. XVIII. Kal. Octobr.
4. Confer ejus epist. I. infra.
5. Ado & Ugo l. c.

CAPUT XIX.

DE

JESSE

AMBIANENSI EPISCOPO.

Jesse, quem alii Tesse appellant, fuit Ambianensis in Gallia episcopus ab anno 799. ad 835. Quo primum anno sedem episcopalem obtinuit, datus est Leoni III. papæ comes itineris in Italiam [1]. Missus est Constantinopolim a Carolo M. ad Nicephorum an. 802. ut cum illo & Irene pacem componeret. Quinquennio post, anno videlicet 808. iterum in Italiam missus ad Leonem. In Galliam reversus anno 811. Testamento Caroli M. subscri- D psit [2] cum Hildebrando, Riculfo, Arnulfo, Vulfario, Bernuino, Leidrado aliisque episcopis, ut ab illo ipso testamento erudimur apud Eginhartum. Ejus epistola quam repræsentamus, prodiit Parisiis an. 1615. cum opusculis Hincmari Rhemensis [3] ab Joanne Chorderio edita, deinde transiit in Bibl. P.P. Lugdunensem [4]. Multa habet de ritibus Baptismi: quare apparet agitatissimam fuisse per ea tempora in Galliis hujusmodi materiam.

1. Anastas. in vita Leon. III.
2. Sammarth. tom. I. pag. 94.
3. Pag. 664.
4. Tom. XIV. pag. 67.

C A P U T XX.

D E

S. A G O B A R D O

ARCHIEPISCOPO LUGDUNENSI.

SAtis multa de Agobardo ſcriptores ad nos. Fuit ille natione Gallus, & ortus eſt anno 779. ut a Mabillonio docemur [1]. Mox Hiſpaniam petiit, unde digreſſus anno 783. in Narbonenſem Galliam delatus eſt. Anno 813. cum Leidradus ſeſe in Monaſterium Sueſſionenſe contuliſſet, ſedi Lugdunenſi adminiſtrandæ præfectus eſt, quam anno inſequenti 814. tamquam propriam Leidrado vita functo obtinuit ad annum uſque 840. vel 841. quo VIII. Idus Junias [2] apud Sanctonas vitam cum morte commutavit. Anno 818. edito ad Imperatorem Ludovicum libro, Felicis Urgelitani errores confutavit. in Judæorum petulantiam acrius deſævíit, datis etiam ex Lugdunenſi Synodo an. 829. literis ſupplicibus ad ipſum Imperatorem.

Lotario & Pipino filiis adverſus Ludovicum patrem aperte arma moventibus [3], ab anno 833. ac deinceps varia fortuna uſus eſt. *Agobardus enim a fide principis avulſus, accendit conſilio juvenilem Lotharii animum. Convocatur concilium, ubi de eripiendo patri diademate audaciſſime quiſque contendit* [4]. Anno 834. excluſo a Galliis Lothario a Ludovico patre, Agobardus ſeſe illi erroris comitem junxit. Neque facti apologia omnibus rhetoricæ pigmentis ornata, neque probitas viri cetera virtutibus clari efficere potuerunt, quin deponeretur [5] in conventu ad Theonis Villam anno 835. cui tamen nullus alius ſuffectus eſt. Anno 837. relicto Lothario, in Galliam reverſus Ludovico iterum reconciliatus eſt, quem anno 840. vel 841. ad Rhenum proſequutus, apud Sanctonas diem obiit ſupremam.

Nemo eſt qui ſcientiam ac doctrinam Agobardi non commendet, Maſſonus, Fabricius, Baluzius, Cavæus, alii. Illius opera forte fortuna invenit Maſſonus apud quemdam Lugdunenſem bibliopegum, mox dilaceranda, niſi vir eruditus e manibus ejus arripuiſſet, quæ poſtea vulgavit Pariſiis anno 1605. Hunc ſubinde imitatus Stephanus Baluzius anno 1666. novam eorumdem operum editionem notis adornatam diligentiſſime procuravit. Nos Baluzianam editionem iterum excudendam decrevimus, ſic tamen, ut more noſtro, reſectis quæ parvi erant momenti in notis, graviora & utiliora, ſæpe in compendium coacta, ad calcem paginarum retinuerimus.

Scripta Agobardi recenſent Dupinius & Cavæus: qui tamen iniquior eſt aliquanto in eum propter libellum de Picturis & Imaginibus. Cum enim ceteri omnes, Maſſonum puta, Baluzium, Raynaudum, Mabillonium, Cointium, alioſque emunctæ profecto naris homines, Agobardi dicta emolliri, ac in bonum ſenſum accipi poſſe contendant, Cavæus ſolus in alia omnia abiiſſe maluit. Nihil tamen vel Hercules contra duos. Nam illud ſatis conſtat, I. Gallos per ea tempora diviſos in hac parte fuiſſe diverſis ſtudiis [6]. II. Canonem ſecundum Conc. Francofurt an. 794. in quo Patres illi videntur Nicænam Synodum ſecundam damnaſſe, nuſpiam reperiri niſi in Cod. S. Remigii, in quo & intruſus videatur aliena manu [7]. III. Veritos maxime Francos, ne imperium quod ad illos pervenerat, ex eo quod imaginum cultum maxime tuiti & patrocinati fuerant, ut apud hiſtoricos eſt in confeſſo, ad Græcos iterum relaberetur, ſi apud illos cultus earum reſtitueretur. Non igitur Francorum mens erat Iconoduliam impugnare ſenſu a Catholicis occidentalibus intellecto; ſed rem ſuam agebant quo modo cumque poterant, etiam traducendo cultum illarum tamquam a Græca Synodo ad veram latriam revocatum. Erant igitur qui politica ratione Nicænum concilium admittendum non eſſe vellent, erant qui & religioſa, tametſi a veritate aberrante. Quid mirum ergo ſi Agobardus, in religioſa animi ſententia ceteroquin vehemens, ratus fortaſſe revera latriæ cultum imaginibus decretum fuiſſe a Synodo Nicæna, & ut Francorum Imperii utilitati ſerviret, longius aliquanto, quam par erat in verbis abreptus fuerit? Plura vide ſis apud laudatum Berardum. Vide & quæ diximus in Leidrado de cultu Reliquiarum, & infra pag. 815. c. Nihil ergo mirum ſi Agobardus *Sancti* nomine cenſeatur in veterum Martyrologiis, cum & revera pius eſſet admodum, nec contra verum Imaginum cultum ſentiret, in principem vero humanitus peccaverit,

1. Itin. Ital. ſect. XIV. pag. 68.
2. Ado in Chron. ad an. 815. Hugo Floriac. in Chron. ad an. 841. & Chron. S. Remigii Divion.
3. Uſpergenſ. in Chron.
4. Papyrius Maſſonus in vita Agobardi.
5. Aventin. Ann. Bojor. lib. IV.
6. Vide ſis Berardum in Can. Gratian. par. I. cap. 43. & part. II. cap. 71. ad Can. VI. diſt. 37.
7. Baluz. ad Capit. tom. II. pag. 753.

C A P U T XXI.

D E

S. G R E G O R I O

D E C A P O L I T A.

NAtus eſt Sanctus Gregorius Irenopoli civitate τῆς δεκαπόλεως τῆς Ισαυρίας [1] Decapoleos Iſauriæ, vixitque ſub Leone Armeno [2], non vero Iſaurico, ut ſcribit Baronius ad an. 731. quo de abun-

1. Vita S. Gregor. Decap. in April. Bolland. tom. II. pag. 583. & Menolog. Sirleti ſub die XX. Novemb.
2. Pagius ad An. 731. num. 2. & 817. num. 18.

de erudimur ab Joanne Diacono Constantinopolitano scriptore vitæ S. Josephi Hymnographi apud eumdem Papebrochium [1]. Discipulos habuit prælaudatum Josephum, & Joannem quemdam: ex quibus priorem Romam misit, ut Pontificem certiorem faceret de infelici quarumdam ecclesiarum statu sub Iconomachis. Multa passim edidit miracula, peragratis variis urbibus ac regionibus, Syracusis, Thessalonica, Byzantio, Roma ecc. Cum omnem fere occidentalem regionem obiisset, Constantinopolim reversus est [2]. Interea Josephus quem Romam miserat, captivus ductus est in Cretam, ubi mansit usque ad obitum Leonis, qui interfectus est nocte ipsa Natalis Christi an. 820. Joseph Constantinopolim mox reversus, invenit S. Gregorium jam vita functum [3]. Scilicet *quum Byzantium rediisset noster Decapolita, ut Simeonem propter Imagines inclusum visitaret, eo viso post paucos dies Domino spiritum commendavit* [4]. Colitur a Græcis sub die xx. Novembris, etsi nonnulla Menea ponant sub die 18. Aprilis apud Bollandianos. Ejus & discipuli ipsius Joannis reliquias in quodam monasterio in deserto loco exædificato per Josephum hymnographum collocata sunt [5].

Superant ex scriptis ejus Sermo quidam historicus, cujus frequens usus fuisse videtur in monasteriis. Hunc græce & latine edidit cum notis suis Romæ Typis Grignanis Isidorus a S. Joseph an. 1642. Ait a se depromtum ex Codice MS. Cardinalis Bessarionis qui exstat in Bibliotheca nostra S. Marci. At cum nec ille Codicem numeret, nec in Codicum indice reperiatur tam mediocris opella, invenire non potuimus. Quæ in notis animadversione digna visa sunt, suis locis ad calcem paginarum compendio subjecimus.

1. Sub die III. April. 2. Menolog. l. c. 3. Pagius l. c. 4. Menolog. l. c. 5. Bolland. l. c.

CAPUT XXII.

DE HALITGARIO EPISCOPO CAMERACENSI.

Atrebatensem & Cameracensem sedem tenuit Halitgarius ab anno 816. ad 831. Apud Danos fidem prædicavit [1] cum Ebbone Remensi. Interfuit variis Synodis; Compendiensi an. 823. Parisiensi an. 825. ecc. Missus est Constantinopolim a Ludovico ad Michaelem Balbum an. 828. unde rediit anno insequenti, quo alteri Synodo Parisiensi subscripsit. Exstat ejus Pœnitentialis liber ad Ebbonem, quem commemorant Sigebertus [2], & Flodoardus [3]; qui & *sex libellos* habuisse commemorat. Sed sextus est Pœnitentiale Rom. ab ipso Halitgario collectum, cujus duo circumferuntur exemplaria nonnihil diffidentia in Canisio Basnagiano. Nobis tamen cum ceteris V. libris unum inde etiam acceptum edidisse satis visum est. Quinque priores libros quos Canisius edidit, alias sub diversis titulis inter Rhabani Mauri opera invenire fas est. Sextum illum primi ediderunt Stevartius & Menardus. Vide sis Fabricium [4].

1. Adamus Bremensis in Chron. ad an. 823.
2. Cap. CXXII.
3. Lib. II. Hist. Rem.
4. Bibl. med. tom. III. pag. 185. edit. Patav.

CAPUT XXIII.

DE AMULONE EPISCOPO LUGDUNENSI.

Diversimode vocatur auctor noster in priscorum libris, Amulo enim, Hamulus, vel etiam Hamularius audit. Fuit natione Gallus, successit Agobardo, tenuitque Lugdunensem sedem ab anno 841. ad 852. & ultra. De illo plura dabunt curiosis præter Bibliographos Cointius [1], & Dominicus de Colonia [2]. Cavæus diligenter ejus scripta recensuit. Nos ex Baluzii Agobardo tamquam potiora decerpsimus epistolas duas, ad Theoboldum alteram de adulterinis quibusdam sanctorum reliquiis, alteram ad Gothescalcum pro confutanda ejus doctrina & moribus. Præterea opuscula duo ad eumdem Gothescalcum *de Præscientia, Prædestinatione, & Libero arbitrio ecc.* ex quodam MS. Codice Trevirensi depromta. Hæc primus vulgaverat Parisiis an. 1649 Sirmondus.

1. Tom. VIII. pag. 650.
2. Hist. Liter. Lugdun. tom. II. pag. 117.

CAPUT XXIV.

DE

AUDRADO

SENONENSI.

EX sacerdote Chorepiscopus Senonensis fuit Audradus noster ad annum usque 849. quo in Parisiensi Concilio *omnes Chorepiscopi qui erant in Francia depositi sunt* [1]. Scripsit librum *de Revelationibus* anno 853. cujus excerpta legas apud Andream du Chesne [2]. In his memoratur liber *De fonte vitæ* hexametris scriptus ad Hincmarum Rhemensem, quem primus edidit Oudinus [3] ex MS. A abbatiæ Floreffiensis, inter Scriptores Galliæ & Belgii. Erravit tamen vir doctus toto cælo, dum libellum hunc ipsimet Hincmaro attribuit, cum Audradum sine controversia parentem agnoscat. Ex eo nos illum exhibemus. Fuit porro Audradus cognomento *Medicus*, Burchardi Carnotens. episcopi consanguineus, interfuitque Concilio Senonensi an. 853. [4].

1. Confer Berard. in Can. Grat. part. II. cap. 34. §. 2. & Abericum ad an. 842.
2. Scriptor. Franc. tom, II. pagg. 990-993.
3. Lugdun. Batav. an. 1692.
4. Cellotius Histor. Gotteschal. lib. IV. cap. 10. p. 272. Vide & Oudinum Script. Angl. & Belg. pag. 2.

CAPUT XXV,

DE

LUPO SERVATO.

LUpus Servatus, natione Gallus ex provincia Lugdunensi quarta, monachus fuit Ordinis sancti Benedicti. Ferrarias, vulgo *Ferrieres*, Lugdunensis Galliæ oppidum prope Senones patriam habuisse videtur, unde & Ferrariensis audit. Circa annum 828. Rhabano Mauro Fuldensi auditor datus est [1], ut divinas literas addisceret. Degit aliquamdiu in Monasterio Salingstadtensi. In Galliam cum Ludovico rediit an. 836. Abbas Ferrariensis monasterii S. Petri Bethlehem exeunte anno 842. electus est [2]. Biennio post interfuit Synodo ad Vernum, & anno 853. Concilio Suessionensi. Mox legatus ad Leonem papam venit. Vivebat adhuc post annum 861. quo vita functus est Prudentius episcopus Tricassinus [3], quem excepit Folcricus, ad quem Lupus scribit ep. cxxv. Trithemius qui Lupum Servatum & Ferrariensem duplicem personam facit, non videtur rem acu tetigisse. Plura scripsit, quæ Biblio- B graphi, Cavæus in primis, diligenter recensent. Eminent inter cetera Liber & Collectaneum de tribus quæstionibus [4], nempe I. *de libero Arbitrio:* II. *de Prædestinatione:* III. *de Sanguine Christi pro omnibus fuso*. Hunc librum scripsit an. 849. in quo præterquam quod contrariam Fausti Regiensis doctrinam rejicit, testimonia etiam affert longiora ex Cælestino papa, Augustino, Hieronymo aliisque multis sanctis Patribus. Edidit primus cum duplici epistola, altera ad Carolum M. altera ad Hincmarum Remensem Sirmondus an. 1648. parata jam ad prelum ab Antonio Grimberto, qui descripserat ex MS. Cod. Bibliothecæ sui Elnonensis monasterii, si quidem Cavæo fidem adjungimus, [5]. Subinde C opuscula illa recusa sunt an. 1650. & quidem auctiora. Postea immigrarunt in Opera Sirmondi [6], unde & nos in nostram penum derivanda accepimus.

1. Lupus ep. 40. eum Magistrum suum vocat.
2. Baron. ad an. 838. num. 6.
3. Annal. Fuldens.
4. Sigebert. cap. 94. de S. E.
5. Ad an. 830.
6. Tom. II. pag. 945.

CAPUT XXVI.

DE

DREPANIO FLORO.

WAndelbertus [1] Florum nostrum *Magistri* nomine insignitum, Subdiaconum Lugdunensis Ecclesiæ appellavit, dum ait: *Ope & subsidio præcipue usus sum sancti & nominatissimi Flori Lugdunensis Ecclesiæ Subdiaconi, qui ut nostro tempore revera singulari studio & assiduitate in Scripturæ scientia pollere, ita librorum authenticorum non mediocri copia & veritate cognoscitur abundare.* Hinc facile factum, ut Magistri nomen illi adhæreret. D Subinde & Diaconus audit. Trithemius monachum scribit S. Trudonis Leodiensis diœcesis, jurene an injuria, ut contendit Oudinus [2], nihil interest. Augustinum maxime habebat in deliciis. Varia scripsit, quorum catalogum habes apud Fabricium [3] & Cavæum [4]. Adversus Joannem Scotum scripsit an. 852. nomine Ecclesiæ suæ Lugdunensis, ad id electus, ut Mauguino videtur [5], quod in sermone quodam ab Hincmaro memorato [6], insigne speci-

1. Præf. ad suum Martyrol.
2. Tom. I. pag. 1806.
3. Bibl. med. tom. II. p. 63. edit. Patav.
4. Ad an. 837.
5. Differt. Hist. cap. 10. pag. 156.
6. De prædest. cap. 6.

men ediderat doctrinæ suæ de præscientia & prædestinatione. Quo in opere, non quidem scripta Erigenæ depravavit, ut vult Matth. Westmonasteriensis [1], sed aliquando adversarii sensum non satis videtur assequutus, ut bene Usserius [2] interpretatur. Visum est nobis ex illo afferre duntaxat libellum *de Electionibus Episcoporum*, quem in Agobardo suo vulgavit Baluzius V. C. pag. 254. nec tamen a Bibliographis vulgo commemoratum videmus. Fragmentum ejus ediderat Massonus, & ex illo Baronius, quod etiam, paullo tamen diversum, repræsentat Petrus de Marca in Concordia sua [3]. Fatetur Cavæus ignorare se quamdiu post scriptum in Erigenam superfuerit auctor noster: at cum Matthæus Westmonasteriensis superius laudatus, de eo mentionem faciat ad an. 883. sub eo anno illum afferre nequaquam incommodum existimavimus.

1. Ad an. 883. 2. Histor. Gottesch. cap. 9. 3. Lib. VIII. cap. 14. num. 2. & 3.

CAPUT XXVII.

DE

PHOTIO

PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANO.

Tanta bona fecit sua eruditione Photius, ut de illo prolixius loquendum esset; tanta item mala fecit suo schismate Photius, ut de illo æternum silendum esset. Nos pro instituti nostri ratione pauca perstringemus, eo vel maxime nomine quia scripta ejus ad schisma pertinentia non attingimus; & quæ exhibemus bene utentibus rebus ipsis, præterito si jus fasque fuerit auctoris vocabulo, plurimum prodesse poterunt. Itaque primo de persona ipsa Photii dicemus, postea de opusculis ejus sedem suam in bibliotheca nostra obtinentibus.

Photius patria CPtanus, summo loco natus, divitiis, honoribus, ingenio, officiis qua laicis, qua ecclesiasticis, palmam si non omnibus, plerisque certe præripuit. Fratres habuit patricios duos, Tarasium, & Sergium, qui Imperatoris sororem uxorem duxerat. Ejus πατρόθειος [1] avus paternus, seu mavis proavus, fuit Tarasius alter, ille nempe qui anno 806. patriarcha mortuus est. Parentes ejus martyres obiisse feruntur a scriptoribus nonnullis apud Cavæum, quod ille ob caussam imaginum accidisse suspicatur. Tanta prosapiæ nobilitas, accedente eximia ingenii dexteritate & agendorum negotiorum peritia, magnam reputationem in aula principali homini adhuc inter laicos degenti conciliavit, & munia dignitatesque amplissimas. Itaque Protospatharii vel præfecti custodum principis; protosecretarii item & protobuleutæ seu primi senatoris munere functus est. A Michaele in Assyriam, alii & ad Persas addunt, legatus missus est [2]. Cum porro Michael, ut voluptati intemperantius indulgeret, imperii administrationem Budæ, avunculo suo & curopalatæ, id est, magistro palatii, commisisset; is non minus quam imperator voluptati deditus, neptem suam uxorem duxit. Hoc Ignatius patriarcha ægerrime ferens, acriter in Budam insurrexit. Hinc nata odii caussa, quæ usque adeo exarsit, ut tandem eodem Buda annitente, & Ignatius throno dejectus fuerit, coactusque episcopatum abdicare, & in locum illius Photius ordinatus fuerit ipsomet die Christi natalitio anno 858. Quam tunc sortem tulerit, quas vices sit passus, quæ nata dissidia imperium & sacerdotium acriter commiserint, ecclesiamque adeo universam tetro schismate diviserit, adhucque disjunctam teneat, nostrum non est pluribus referre. Illud satis adnotasse fuerit, Photium bis episcopali sede fuisse exatum, & in his turbis suos libros amisisse, quod constat etiam ex initio quarti λόγου adversus Manichæos. Obiit in monasterio Bordi apud Armeniacos [3], & quidem circa annum 891. sicut Pagio [4] videtur. Multa scripsit eruditionis sive sacræ sive profanæ amplissimo referta penu, quæ Bibliographi diligenter recensent, Fabricius [5] cum primis. Stilus hujus hominis generatim æque fluit, obscurus tamen aliquando tum propter multimodam lectionem, tum etiam quia *occupationes occupationibus inserendo*, ut cum S. Ambrosio loquar [6], seriem sententiæ aliquando interturbat. Ex pluribus scriptis ejus ista ad nos pertinere visa sunt, tametsi certum de illis mandatum a *Gallandio* non acceperimus, cui potius placuisset Liber Ecclesiæ Lugdunensis adversus Erigenam, quem tamen omittendum censuimus, cum jam extet in Bibl. PP. nec hodie tanti sit illius argumentum.

I. *Homilia in natalem diem B. Deiparæ*, quam ex Cod. Mazariniano cum sua versione in Auctario novo [7] græce & latine edidit Combefisius. Inde nos acceptam diligentiusque excusam Lectoribus proposuimus.

II. *Adversus Paullianistas, sive recentiores Manichæos libri IV.* Recenset & illustrat hos libros diligenter more suo Fabricius [8]. Ex his primum jam ediderat latine versum Montfauconius an. 1715. in sua Bibl. Coisliniana [9]. At universos cum nova interpretatione, ac reformata aliquantulum primi libri versione, publici juris fecit omnium primus Christophorus Wolfius in suis Anecdotis græcis [10], adjectis etiam notis quibusdam, vocatisque in subsidium Eutymiano compendio ex ejus Panoplia, & Petri Siculi historia. Nos græca quidem Wolfiana recudenda curavimus, sed notas vel compendio exhibemus, vel minus necessarias prorsus omisimus; versionem vero novam adornavimus, propter jam alibi dictam rationem.

III. *Ex Amphilochianis Quæstiones XLVI.* Idem Christophorus Wolfius in suis *Curis Philologicis* [11] multo elegantius ac nitidius eas edidit primus. Pertinent omnes ad exegesin locorum quorumdam difficilium sacræ scripturæ. Heic quoque novam

1. Phot. in ep. encycl.
2. Vide Hankium in vita Photii, & Morerium in Diction.
3. Cedren. & Zonar. annal. tom. III. p. 141.
4. Ad ann. 886. num. V.
5. Bibl. Gr. tom. IX. pagg. 369-569. & alibi passim.
6. In ps. XXXVI. num. 32. in fin.
7. Tom. I. p. 1583.
8. Loco cit. p. 555.
9. Pag. 349. seqq.
10. Amburgi an. 1722.
11. Tom. V. p. 631. seqq. edit. Basil. an. 1741.

nos versionem elucubravimus. Acceperat quidem plura Amphilochiana, a numero videlicet LXXIV. ad CCI. Wolfius a celebri Jacobo Wetesteinio, qui rursum ex sectione librorum Dionysii Canusati [1] sibi comparaverat. Eas tamen quæstiones præ ceteris elegit, quas & nos exhibemus, utpote instituto nostro congruentes. Ceterum quamvis inter Photii epistolas plures occurrant ex Amphilochianis quæstionibus, universæ tamen necdum lucem aspexerunt, quamvis plures in Bibliothecis occurrant Codd. in quibus describuntur. Consule sis Wolfianas præfationes.

1. Obiit 28. Octob. 1731. Amstelodami.

CAPUT XXVIII.

DE

S. NOTKERO BALBULO.

Florebat exeunte sæculo nono, vel etiam decimo ineunte S. Notkerus, sive Notgerus Balbulus, monachus & presbyter Sangallensis, Isonis & Marcelli Scotigenæ discipulus, interque sanctos relatus an. 1514. [1] De eo diligenter Bibliographi. Fuit S. Balbulus *Sequentiarum* in Ecclesia auctor, redegitque cantum Ecclesiæ ad amussim Gregorianæ melodiæ [2]. Præter alia scripsit ad Salomonem discipulum suum, & postea episcopum Constantiensem, *de Interpretibus divinarum Scripturarum brevem Notationem*, quam cum libro Sequentiarum edidit Bernardus Pez [3], & ex eo immigravit in calcem tomi V. Bibl. med. Fabricii [4]. Unde & nos in nostram derivavimus syllogen. Scripsit etiam Martyrologium, quod adhuc dum superest, etsi defficiens, pro quo compingendo usus est antiquioribus martyrologiis Adonis, Rhabani &c. Immo sæpe totidem verbis cum Romano hodierno Martyrologio historias sanctorum exponit. Edidit primus, Canisius occurritque in recensione Basnagiana *tom.* 2. *par.* 3. *pag.* 89. unde & nos illud accepimus. Ac quia sub die 25. Apr. in S. Georgio M. ait, Hattonem *hoc anno* quasdam ejus reliquias a Formoso Apostolico impetratas in Germaniam attulisse; cum Formosus sederit a die 19. Septembris anni 891. ad diem paschæ anni 896. sequitur Notkerum suum Martyrologium exarasse intra annum 892. & 895. Obiit vir sanctus an. 912. ut notat Cavæus [5].

Nec quemquam movere debet, quod de nonnullis libris Veteris Testamenti scribit cap. 3. puta Sapientiam Salomonis librum esse, qui apud Catholicos *quasi incertus habeatur*. Idem mox de Judith, Esther, Paralipomenis, Macchabæis sic loquitur, ut eorum αὐθεντίαν videatur elevare, dum ait: *Ipsam in eis literam non pro auctoritate, sed tantum pro memoria & admiratione haberi*. Nam ad Sapientiam Salomonis quod attinet, incertam dixisse videtur apud Catholicos, quod varia essent judicia, num in Canone Hebræorum haberetur olim. Certe enim testatur auctor Hebræus *Semach David* ad annum mundi 3448. Ecclesiastici librum a priscis Judæorum & Thalmudistis suis inter *Hagiographa* computari, a quo proinde testimonia citant: & R. Azarias eum librum non rejici a suis sapientibus adnotat. Auctoritatem etiam libri Sapientiæ agnoscit idem Azarias post Nachmanidem, quo de vide sis Voisinium [6]. Putare ergo veteres Christiani potuerunt, libros illos aliquando fuisse in Judæorum Canone, & sic *incertos* illos appellare. De reliquis verba Balbuli nihil nos movere debent, vel cum alii ex veteribus nominatim *apocryphos* appellant libros quosdam, etiam post Innocentii I. decretum ad Exsuperium Tolosanum episcopum. Nihil enim aliud sibi voluisse videntur, quam eos libros ad spiritus potius ædificationem, aut memoriam rei gestæ, quam ad dogmata fidei stabilienda a θεοπνεύστοις scriptoribus fuisse editos, atque Ecclesiæ commendatos. Liquet istud vel maxime ex eo, quod in hunc censum reponat Estheris totum & Paralipomenon libros Balbulus, de quibus tamen nec Hebræi, nec Ecclesia umquam dubitavit.

1. Fabr. Bibl. med. tom. V. pag. 143. Cavæus ad an. 971. num. 2. pagg. 504. 505.
2. Eckard. cap. 9. apud Goldast. Rer. Allem. tom. I. pagg. 226-247.
3. Anecdot. tom. I. initio.
4. Pag. 308. seqq. edit. Patav.
5. Pag. 504.
6. In notis ad Pugion. Fidei pag. 102. seqq.

INDEX CAPITUM

EORUM QUÆ IN PROLEGOMENIS CONTINENTUR.

INDEX CHRONOLOGICUS
VETERUM PATRUM
ANTIQUORUMQUE SCRIPTORUM
ECCLESIASTICORUM,

QUORUM OPERA IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.



SÆCULUM VII.

INDEX ALPHABETICUS VETERUM PATRUM ANTIQUORUMQUE SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM,

QUORUM OPERA IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

SÆCUL. VII. VIII. & IX.

THALASSII

PRESBYTERI ET ABBATIS

HECATONTADES SIVE CENTURIÆ IV.

De caritate, vitæ continentia & regimine mentis.



ACCESSIT


THEODORI

PRESBYTERI RHAITHUENSIS

PRÆPARATIO ET EXERCITATIO

De divina Incarnatione.

SÆCUL. VII.
CIRCA
ANN. CHR.
648.



ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΑΒΒΑ

ΘΑΛΑΣΣΙΟΥ

Περὶ ἀγάπης καὶ τῆς ἐγκρατείας, καὶ τῆς κατὰ νοῦν πολιτείας· πρὸς Παῦλον πρεσβύτερον

ΕΚΑΤΟΝΤΑΣ α.

ἧς ἡ ἀκροστιχὶς ἥδε·

Πνευματικῷ ἀδελφῷ καὶ ἀγαπητῷ κυρίῳ Παύλῳ Θαλάσσιος, τῷ μὲν φαινομένῳ ἡσυχαστής· τῇ δὲ ἀληθείᾳ πραγματευτὴς κενοδοξίας.

THALASSII

HUMILIS MONACHI,

de caritate ac continentia, nec non de regimine mentis, ad Paullum presbyterum

CENTURIA I.

Cujus versuum primæ litteræ Græce collectæ has dictiones efficiunt:

Spiritali & dilecto domino Paullo THALASSIUS, *quietis monasticæ, ut apparet, re autem ipsa inanis gloriæ sectator.*

ΠΟθος πρὸς Θεὸν ὁλικὸς τεταγμένος, Θεῷ ἀλλήλοις συνδεσμεῖ τοὺς ποθοῦντας. A 1.

Νοῦς πνευματικὴν ἀγάπην κτησάμενος οὐ λογίζεται περὶ τοῦ πέλας τὰ τῇ ἀγάπῃ μὴ πρέποντα. 2.

Εν πλάσματι ἀγάπης τὴν ὑπόκρισιν κρύπτει, ὁ τῷ μὲν στόματι εὐλογῶν, τῇ δὲ καρδίᾳ ἐξουδενῶν. 3.

Υπομένει ἀταράχως ὁ ἀγάπην κτησάμενος τὰ παρ' ἐχθρῶν ἐπαγόμενα λυπηρὰ, καὶ ἐπίπονα. 4.

Μόνη ἡ ἀγάπη συνάπτει τὴν κτίσιν Θεῷ καὶ ἀλλήλοις εἰς ὁμόνοιαν. 5.

Αγάπην ἀληθινὴν ἐκεῖνος κέκτηται, ὁ ὑπονοιῶν μὴ ἀνεχόμενος, μηδὲ λόγου κατὰ τοῦ πέλας. 6.

Τίμιος ὑπάρχει παρὰ Θεῷ καὶ ἀνθρώποις ὁ πρὸς κατάλυσιν ἀγάπης μηδὲν ἐπιτηδεύων. B 7.

Ιδιον ὑπάρχει τῆς ἀνυποκρίτου ἀγάπης, ὁ λόγος ἀληθὴς ἐκ συνειδήσεως ἀγαθῆς. 8.

Κρύπτει τὸν φθόνον ἐν σχήματι εὐνοίας, ὁ ψόγον τῷ ἀδελφῷ ἐξ ἑτέρου προσφέρων. 9.

Ωσπερ αἱ σαρκικαὶ ἀρεταὶ τὴν τῶν ἀνθρώπων δόξαν, οὕτω καὶ αἱ πνευματικαὶ τὴν τοῦ Θεοῦ ἐπισπῶνται. 10.

Αγάπη καὶ ἐγκράτεια ψυχὴν καθαίρουσι· νοῦν δὲ λαμπρύνει προσευχὴ καθαρά. 11.

Δυνατὸς ἀνὴρ ἐκεῖνος ὑπάρχει, ὁ πράξει καὶ γνώσει τὴν κακίαν ἀπολαύνων. 12.

Εὗρε χάριν οὗτος παρὰ τῷ Θεῷ, ὁ ἀπάθειαν κτησάμενος καὶ γνῶσιν πνευματικήν. 13.

C

Λογισμῶν ἐμπαθῶν εἰ περιγενέσθαι θέλῃς, ἐγκράτειαν κτῆσαι, καὶ ἀγάπην πρὸς τοὺς πλησίον. 14.

Φύλαξον σαυτὸν ἀπὸ ἀκρασίας καὶ μίσους, καὶ μὴ εὑρῇς πρόσκομμα ἐν καιρῷ προσευχῆς σου. 15.

Ωσπερ οὐκ ἔστιν εὑρεῖν ἐν βορβόρῳ ἀρώματα, οὕτως οὐδ' ἐν ψυχῇ μνησικάκου ἀγάπης εὐωδίαν. 16.

Κράτει γενναίως θυμοῦ καὶ ἐπιθυμίας, καὶ πονηρῶν λογισμῶν τάχιστα ἀπαλλάττῃ. 17.

Αναιρεῖ κενοδοξίαν ἡ κρυπτὴ ἐργασία, ἀπε- 18.

1. AMor si totus ordinetur in Deum, amantes inter se & cum Deo copulat.

2. Mens spirituali caritate locuples, nihil quod caritatem non deceat, de proximo cogitat.

3. Sub caritatis figmento hypocrisin occultat, qui ore probat quod apud se vere nihili facit.

4. Nihil tam atrox, nihilque tam ærumnosum intentare possunt inimici, quod non citra turbationem sufferat, caritatem possidens.

5. Sola caritas in unam veramque concordiam, Deum & creaturam cogit.

6. Caritatem veram possidens, adversus proximum neque suspiciones, neque verbum aliquod admittet.

7. Apud Deum & homines honorem meretur qui operam suam ad caritatis dissolutionem negat.

8. Caritatis non simulatæ proprium est, verbum verum e conscientia bona profectum.

9. Sub benevolentiæ habitu livorem occultat, qui fratrem quasi ex alieno ore conviciis lacessit.

10. Ut carnales virtutes humanam, ita & spirituales Dei gloriam conciliant.

11. Caritas & continentia animam purificant, mentem vero puræ preces illustrant.

12. Vere potens vir est, qui & opere & scientia malitiam removet.

13. Magnam apud Deum gratiam invenit, qui sedatis affectibus cognitionem spiritualium adeptus est.

14. Si cogitationes animo infestas deesse cupis, stude continentiæ ac caritati in proximum.

15. Ut in tempore precum tuarum cuncta facessant offendicula, cave ab intemperantia & odio.

16. Ut in cœno aromata non inveniuntur, ita neque caritatis suaveolentia in anima injuriarum memori.

17. Iracundiæ & concupiscentiæ generose impera, & quantocius a malis cogitationibus eris alienus.

18. Inanem gloriam abolebis, opera occulte fa-

Sæcul. VII. circa Ann. Chr. 648.



λαύνει δὲ ὑπερηφανίαν τὸ μηδένα ἐξουθενεῖν. A

ciendo; superbiam vero, neminem contemnendo.

Ἴδιον κενοδοξίας ὑπόκρισις καὶ ψεῦδος· τῆς δὲ ὑπερηφανίας, ἡ οἴησις καὶ φθόνος.

19. Inanis gloriæ comites sunt simulatio & mendacium: superbiæ autem, suspicio & invidia.

Ἄρχων ἐκεῖνος ὁ ἑαυτοῦ ἄρξας, καὶ ψυχὴν καὶ σῶμα τῷ λόγῳ ὑποτάξας.

20. Imperator censendus est, qui anima & corpore rationi subjectis, se ipsum rexerit.

Γνησιότης φίλου ἐν πειρασμῷ δείκνυται, ἡνίκα τῆς ἀνάγκης συγκοινωνὸς γένηται.

21. Sinceritas amici in tentatione ostenditur, quando scilicet in necessitate communicat.

Ἀσφάλισαι τὰς αἰσθήσεις τῷ τρόπῳ τῆς ἡσυχίας, καὶ δίκασον τοὺς λογισμοὺς ἐφεστῶτας τῇ καρδίᾳ.

22. Sensus muni, & quieti assuefacito, cogitationes vero in pectore versantes justifica.

Πρὸς τοὺς λυπηροὺς λογισμούς, ἀμνησικάκως ἀπάντα· πρὸς δὲ τοὺς φιληδόνους ἐχθρωδῶς διάκεισο.

23. Cogitationibus, si tristitiam ferant, placide & absque acerbatione occurras: sin voluptariæ fuerint & illecebrosæ, hostiliter erga eas afficiare.

Ἡσυχία καὶ προσευχή, καὶ ἀγάπη, καὶ ἐγκράτεια τετράπλοκόν ἐστιν ἅρμα, εἰς οὐρανοὺς ἀνάγον τὸν νοῦν. B

24. Silentium, preces, caritas & continentia, quadrijugi equi sunt mentem in cælum subvehentes.

Τῆξον τὴν σάρκα σου ἀσιτίᾳ καὶ ἀγρυπνίᾳ, καὶ ἀπελαύνεις τὸν δήμιον τῆς ἡδονῆς λογισμοῦ.

25. Extenua carnem inedia & vigiliis, statimque carnificem voluptatis appetitum eliminabis.

Ὡς τήκεται κηρὸς ἀπὸ προσώπου πυρός, οὕτως ἀπὸ φόβου Θεοῦ ἀκάθαρτος λογισμός.

26. Sicut fluit cera a facie ignis, sic a timore Dei impurior cogitatio.

Κακὴ ζημία ψυχῆς συνετῆς ἐγχρονίσαι πάθει ψεκτῷ.

27. Grande malum & incommodum animæ sapienti, si mens exprobrandæ perturbationi diutine immoretur.

Ὑπόμεινον τὰς τῶν λυπηρῶν καὶ ὀδυνηρῶν ἐπαγωγάς· διὰ γὰρ τούτων σε καθαίρει ἡ τοῦ Θεοῦ πρόνοια.

28. Tristium ærumnosorumque eventuum plagas patienter sustine; talibus enim prudentia divina te purificat.

Ῥίψας τὴν ὕλην καὶ τῷ κόσμῳ ἀποταξάμενος· ἀπόταξαι λοιπὸν καὶ τοῖς πονηροῖς λογισμοῖς. C

29. Ubi materiam abjeceris, mundoque dixeris vale; reliquum, ut pravis & inanibus etiam cogitationibus renunties.

Ἴδιον ἔργον ὑπάρχει τοῦ νοῦ, τὸ λόγοις Θεοῦ σχολάζειν ἀεί.

30. Proprium mentis opus est, vacare semper verbis Dei.

Ὥσπερ ἔργον Θεοῦ διοικῆσαι τὸν κόσμον, οὕτω καὶ ψυχῆς κυβερνᾶν τὸ σῶμα.

31. Ut Dei opus est regere mundum, ita & animæ gubernare corpus.

Ποίᾳ ἐλπίδι τῷ Χριστῷ ἀπαντήσομεν, ταῖς τῆς σαρκὸς ἡδοναῖς μέχρι τοῦ νῦν δουλεύοντες;

32. Qua spe occurremus Christo, adhuc corporeis voluptatibus servientes?

Ἀναιρεῖ ἡδονὴν κακοπάθεια καὶ λύπη, ἢ ἑκούσιος, ἢ ἐκ τῆς προνοίας ἐπαγομένη.

33. Ærumnarum sive sponte assumtarum, sive divina providentia inductarum, tolerantia & mæror, concupiscentiam interimunt.

Ὕλη παθῶν φιλαργυρία τυγχάνει· ὡς αὐξητικὴ οὖσα τῆς περιεκτικῆς ἡδονῆς.

34. Avaritia per se materia affectionum; quarum, præsertim illecebrosarum, nullus erit modus, si invaluerit.

Λύπην τίκτει ἀποτυχία ἡδονῆς· ἡδονὴ δὲ παντὶ πάθει συνέζευκται. D

35. Voluptatum penuria parens est tristitiæ: voluptati vero nulla non perturbatio conjuncta est.

Ὧι μέτρῳ μετρεῖς τῷ σώματί σου, ἀντιστρόφως παρὰ Θεοῦ ἀντιμετρηθήσεταί σοι.

36. Qua mensura corpori tuo metiris, vicissim tibi remetietur Deus.

Θείων κριμάτων ἔργα τυγχάνει ἀνταπόδοσις δικαία τῶν διὰ τοῦ σώματος πεπραγμένων.

37. Divinorum opera judiciorum sunt, retributiones eorum quæ per corpora sunt perpetrata.

Ἀθανασίαν τίκτει ἀρετὴ καὶ γνῶσις· ὧν ἡ στέρησις, τοῦ θανάτου γέγονε μήτηρ.

38. Immortalitatem parit virtus ac scientia: contra, earum privatio mortis est mater.

Λύπη κατὰ Θεὸν ἀναιρεῖ ἡδονήν· ἡδονῆς δὲ ἀναίρεσις, ἀνάστασις ὑπάρχει ψυχῆς.

39. Tristitia quæ secundum Deum est, libidines & concupiscentias conficit, quarum interitus, animæ est resurrectio.

Ἀπάθειά ἐστιν ἀκινησία ψυχῆς πρὸς κακίαν· ἧς τυχεῖν ἀμήχανον ἄνευ ἐλέους Χριστοῦ.

40. Impassibilitas est animam non moveri ad malum ullum: verum hanc impossibile est assequi sine misericordia Christi.

Σωτὴρ ὑπάρχει ψυχῆς καὶ σώματος ὁ Χριστός, οὗ τοῖς ἴχνεσιν ὁ ἀκολουθῶν, ἐλευθεροῦται κακίας. E

41. Salvator tam animi quam corporis est Christus, cujus vestigia qui sequitur, a malis redditur liber.

Σωτηρίας εἰ θέλεις τυχεῖν, ἀπόταξαι ταῖς ἡδοναῖς· καὶ ἐγκράτειαν, καὶ ἀγάπην, καὶ προσευχὴν ἀναλαβοῦ.

42. Salutem vis assequi? renuntia voluptatibus, amplectere caritatem ac continentiam una cum precum assiduitate.

Ἴδιον ἀπαθείας, διάκρισις ἀληθινή· καθ' ἣν πάντα πράττε μέτρῳ καὶ κανόνι.

43. Propria est impassibilitati vera discretio, juxta quam in regula mensuraque facito omnia.

Ὁ κύριος ἡμῶν καὶ Θεὸς Ἰησοῦς ἐστιν ὁ Χριστός· καὶ νοῦς ὁ ἀκολουθῶν αὐτῷ, μὴ μείνῃ ἐν τῇ σκοτίᾳ.

44. Dominus noster & Deus est Jesus Christus; quem si mens sequatur, non manet in tenebris.

Συνάγαγε τὸν νοῦν σου, καὶ τήρει τοὺς λογισμούς, καὶ οὓς εὕρῃς ἐμπαθεῖς, πολέμησον πρὸς αὐτούς.

45. Recollige mentem tuam, & observa cogitationes: & si quas offenderis in affectiones noxias transire, ipsas expugna.

Τρία ὑπάρχουσι πράγματα, δι' ὧν λαμβάνεις λο-

46. A tribus cogitationes accipimus, a memoria,



γισμοῦ· ἡ αἴσθησις, καὶ ἡ μνήμη, καὶ ἡ κρᾶσις A τοῦ σώματος. χαλεπώτεροι δὲ οἱ αὐτοὶ ἀπὸ τῆς μνήμης εἰσίν.

sensibus & habitudine corporis: sed molestissimas affert memoria.

Ὁ ἐδόθη σοφία, ἔγνω λόγους ἀσωμάτων, καὶ τίς ἡ ἀρχὴ ὑπάρχει, καὶ τί τὸ τέλος τοῦ κόσμου.

47. Sapientia præditus novit rationes incorporeorum, & quod initium, & quis finis mundi.

Μὴ ἀμέλει πρακτικῆς, καὶ φωτισθήσεται ὁ νοῦς σου. θησαυρούς, φησιν, ἀποκρύφους καὶ ἀοράτους ἀνοίξω σοι.

48. Activam vitam ne habeas neglectui, & illustrabitur mens tua. Ait enim: [a] *Thesauros absconditos & invisibiles aperiam tibi.*

Εὗρε χάριν παρὰ Θεῷ, ὁ παθῶν ἐλευθερωθεὶς, καὶ τὸ μέγα ἔλεος ὁ γνώσεως καταξιωθείς.

49. Invenit gratiam apud Dominum, qui liberatus est ab affectionibus: insuper & ille misericordiam assequutus, qui scientiam meruit adipisci.

Νοῦς παθῶν ἐλευθερωθεὶς, φωτοειδὴς γίνεται, ταῖς τῶν ὄντων θεωρίαις ἀδιαλείπτως καταλαμπόμενος.

50. Mens perturbationibus nudata, quotidie luculentior evadit, & ad res quæ vere sunt, contemplandas illustratur.

Φέγγος ψυχῆς ἡ γνῶσίς ἐστιν, ἧς στερηθεὶς ὁ ἄφρων B ἐν σκότει διαπορεύεται.

51. Lux animæ est cognitio sancta; quæ si cui defuerit imprudenti, obambulabit in tenebris.

Ἄφρων ἐστὶν ὁ ἐν σκότει διάγων· ὃν διαδέχεται τὸ σκότος ἀγνωσίας.

52. Imprudens est qui in malitia versatur: ipsum enim ignorantiæ tenebræ excipient.

Ἰησοῦν ὁ ἀγαπῶν, ἐλευθερωθήσεται κακίας, καὶ ὁ ἀκολουθῶν αὐτῷ, ὄψεται γνῶσιν ἀληθῆ.

53. Jesum amans, a malitia liberabitur, & ipsum sequendo veram videbit scientiam.

Νοῦς παθῶν ἐλευθερωθεὶς, ψιλὰ βλέπει τὰ νοήματα, καὶ ἐγρηγορότος τοῦ σώματος, καὶ κατὰ τοὺς ὕπνους αὐτοῦ.

54. Mens a perturbationibus libera, quæ considerat, sive vigilet, sive dormiat corpore, videt subtilius.

Ὁ νοῦς εἰς ἄκρον καθαρθεὶς στενοχωρεῖται τοῖς οὖσι· καὶ ἔξω θέλει γίνεσθαι πάντων τῶν γεγονότων.

55. Menti in summum purificatæ, angusta sunt omnia quæ sunt; semperque cupit esse extra omnia quæ sunt facta.

Μακάριος ὁ φθάσας εἰς τὴν ἀπέραντον ἀπειρίαν· ἐκεῖνος δ' ἔφθασεν, ὁ τὰ πεπερασμένα περάσας. C

56. Beatus est is, qui ad infinitam immensitatem pervenit: is vero pervenit, qui penetravit ea quæ finita sunt.

Ἐρευνᾷ λόγους Θεοῦ ὁ σεβόμενος αὐτόν· εὑρίσκει δὲ αὐτοὺς ὁ τῆς ἀληθείας ἐραστής.

57. Scrutatur verba Dei, qui eum colit; invenit autem, qui amat veritatem.

Νοῦς ἐξ ὀρθότητος κινούμενος, εὑρίσκει ἀλήθειαν· ὁ δὲ ἐκ πάθους τινὸς, ἀποτυγχάνεται αὐτῆς.

58. Mens veritatem invenit, si a rectitudine dirigatur: amittit autem, si ab affectione aliqua.

Ὥσπερ τῇ οὐσίᾳ ἄγνωστος ὁ Θεὸς, οὕτως καὶ τῇ μεγαλοσύνῃ ἐστὶν ἀπέραντος.

59. Ut Deus secundum essentiam nobis est incognitus; ita secundum majestatem est immensus.

Ἧς οὐσίας ἀρχὴ καὶ τέλος οὐκ ἔστιν, οὔτε τῆς σοφίας ἐξεύρεσις.

60. Essentia quæ principio caret & fine, neque sapientia, perscrutabilis est.

Σωτηρία ὑπάρχει πάσης κτίσεως, ἡ ὑπεράγαθος τοῦ κτίσαντος περὶ αὐτὴν πρόνοια.

61. Salus omnis creaturæ, est optima creatoris circa ipsam providentia.

Ὑποστηρίζει κύριος πάντας τοὺς καταπίπτοντας ἐν οἰκτιρμοῖς, καὶ ἀνορθοῖ πάντας τοὺς κατερραγμένους.

62. Suffulcit Dominus miserationibus omnes vacillantes, & confractos omnes erigit.

Χριστός ἐστι ζώντων καὶ νεκρῶν κριτὴς, καὶ τῆς ἑκάστου D πράξεως δίκαιος ἀνταποδότης.

63. Christus viventium & mortuorum est judex, ac justus uniuscujusque operis retributor.

Ἄρξαι εἰ θέλεις τῆς ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος, προλαβὼν τὰς τῶν παθῶν αἰτίας περίκοπτε.

64. Imperare vis animæ & corpori? ante omnia affectionum caussas circumcide.

Σύζευξον ταῖς ἀρεταῖς τὰς τῆς ψυχῆς δυνάμεις, καὶ πάσης τῆς τῶν παθῶν ὁρμῆς ἀποζεύγνυνται.

65. Adhibe vires animæ ad studia virtutum, & ab omni affectionum violentia absolveris.

Τὰς τῆς ἐπιθυμίας ὁρμὰς ἐγκρατείᾳ χαλίνωσον· τὰς δὲ τοῦ θυμοῦ, ἀγάπῃ πνευματικῇ.

66. Concupiscentiarum impetus continentia refrenato, iracundiæ vero divina spiritualique caritate.

Ἡσυχία καὶ προσευχὴ, μέγιστα ὅπλα ἀρετῆς· αὗται γὰρ τὸν νοῦν καθαίρουσαι, διορατικὸν ἀπεργάζονται.

67. Silentium & preces maxima virtutum arma sunt: mentem enim simul purificant, ac perspicaciorem reddunt.

Συντυχία ὠφελεῖ μόνη ἡ πνευματική· τῶν δὲ λοιπῶν πασῶν προτιμοτέρα ἡσυχία. E

68. Solum spirituale colloquium prodest: at ceteris omnibus silentium præferendum est.

Τῶν πέντε τρόπων συντυχίας, τοὺς τρεῖς ἐπίλεξαι· τῷ δὲ τετάρτῳ μὴ συχνάσῃς· τοῦ πέμπτου ἀπόστηθι.

69. Ex quinque modis colloquiorum tres elige; in quarto ne sis frequens; a quinto prorsus abstine.

Ἡσυχίαν ἀγαπᾷ ὁ μὴ πάσχων πρὸς τὰ τοῦ κόσμου. καὶ πάντας τοὺς ἀνθρώπους, ὁ μηδὲν ἀγαπῶν ἀνθρώπινον.

70. Silentium amat, qui ad ea quæ hujus mundi sunt, non afficitur. Omnes autem homines amat, qui nihil humanum in eis amat.

Διδάσκαλος ἀληθὴς ἡ συνείδησις ὑπάρχει, ᾗ ὁ ὑπακούων ἀπρόσκοπος διαμένει.

71. Magistra verax conscientia est; cui quisquis auscultarit, absque scrupuli offendiculo permanet.

Ἐκείνους μόνους οὐ κρίνει τὸ συνειδὸς, τοὺς εἰς τὸ ἄκρον τῆς ἀρετῆς ἢ τῆς κακίας φθάσαντας.

72. Illos solos conscientia sua non arguit, qui vel in virtutem, vel in vitiorum fastigium pervenerunt.

Ἄκρα ἀπάθεια ψιλὰ ποιεῖ τὰ νοήματα· ἄκρα δὲ γνῶσις τῷ ὑπεραγνώστῳ παρίστησιν.

73. Summa impassibilitas subtiles efficit cogitatus: sublimis vero scientia ad ignotissima adducit.

Λύπη ἐστὶν ψεκτὴ ἀποτυχία ἡδονῶν, ὧν ὁ καταφρονήσας, ἄλυπος διαμένει.

74. Mæstitia ex voluptatum defectu concepta vituperabilis est: eas enim qui contemserit, inoffensus permanet ac jucundus.

a Isa. XLV. 3.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 648.

Η λύπη καθόλου στέρησίς ἐστιν ἡδονῆς, κἄν τε τῆς κατὰ Θεὸν, κἂν τῆς κατὰ κόσμον νοήσης.

A 75. Voluptatis repressio est, omnis tristitia; sive quæ secundum Deum est, sive quæ mundum sapit.

Θεοῦ ἐστι βασιλεία, ἀγαθότης καὶ σοφία, ὧν ὁ ἐπιτυχὼν, ἐν οὐρανοῖς πολιτεύεται.

76. Dei regnum, est bonitas ac sapientia; quas qui nactus, municeps est in cælis.

Εκεῖνος ἄθλιος ἄνθρωπος, ὁ τῆς ψυχῆς μὲν τὸ σῶμα, τοῦ Θεοῦ δὲ τὸν κόσμον τοῖς ἔργοις προτιμήσας.

77. Ille miser est homo, qui in operibus suis corpus quam animam, & mundum quam Deum majoris facit.

Ιση τὴν ἀγάπην πρὸς πάντας κέκτηται ὁ τοῖς μὲν σπουδαίοις μὴ φθονῶν, τοὺς δὲ φαύλους ἐλεῶν.

78. Æqualem in omnes caritatem possidet, qui bonis non invidet, malorumque miseretur.

Αρξαι ὡς ἀληθῶς ἐκεῖνος ὤφειλεν, ὃ καὶ ψυχῇ καὶ σώματι τὰ τῆς ἀρετῆς νομοθετήσας.

79. Quam vere idoneus & utilis ad regendum, qui jam antea animæ corporique suo virtutis leges tulit!

Πραγματευτὴς πνευματικὸς ἐκεῖνος ὑπάρχει, ὁ ἐξ ἴσου διὰ τὰ μέλλοντα καὶ τῶν ἡδέων τοῦ βίου καὶ τῶν αὐστηρῶν ὑποταξάμενος.

80. Ille spiritualis est negotiator, qui suavia prosperaque hujus mundi propter futura ex æquo contemnit. B

Ρώννυσι ψυχὴν μὲν, ἀγάπη καὶ ἐγκράτεια· νοῦν δὲ προσευχὴ καθαρὰ, καὶ θεωρία πνευματική.

81. Anima caritate & temperantia firmatur; mens vero puris precibus ac spiritali contemplatione.

Ακούων λόγον ὠφέλιμον, μὴ κρίνε τὸν λέγοντα, ἵνα μὴ τῆς ἐπωφελοῦς νουθεσίας ἑαυτὸν ἀποστερήσῃς.

82. Quum sermonem utilem audis, non judica dicentem, ne te ipsum pretiosa admonitione prives.

Γνώμη πονηρὰ κακὰ ἐνθυμεῖται, καὶ τὰ κατορθώματα τοῦ πλησίον εἰς ἐλάττονα παραγνωρίζει.

83. Judicium pravum mala cogitat, & benefacta proximi infideliter narrando elevat ac imminuit.

Μὴ πίστευε τῷ λογισμῷ κρίνοντι τὸν πλησίον, ὅτι πονηρὸν ἔχων θησαυρὸν, πονηρὰ καὶ λογίζεται.

84. Ne credideris cogitatui mala de proximo cogitanti: nam qui malum thesaurum habet, mala etiam cogitat.

Αγαθὴ καρδία ἀγαθὰς ἐννοίας φέρει· πρὸς γὰρ τὸν θησαυρὸν αὐτοῦ, καὶ τὰ ἐνθυμήματα αὐτοῦ.

85. Bonum cor bonas cogitationes nutrit: qualem enim thesaurum habet, tales etiam habet cogitationes. C

Τήρει τοὺς λογισμοὺς, καὶ φεῦγε ἀπὸ κακίας· ἵνα μὴ σκοτισθεὶς ὁ νοῦς ἄλλα ἀντ' ἄλλων βλέπῃ.

86. Habe rationem cogitationum tuarum, malitiamque fuge; ne obscura mente alia pro aliis videas.

Εννόει τοὺς Ιουδαίους, καὶ ἀσφάλισαι σεαυτόν. οἳ ἐκ τοῦ φθόνου τυφλωθέντες, τὸν Κύριον καὶ Θεὸν εἰς Βεελζεβοὺλ παρεγνώρισαν.

87. Judæos ante oculos propone, teque ipsum munias. Invidia enim obcæcati, Dominum & Deum Beelzebulis nomine infamabant.

Υπόνοια πονηρὰ σκοτίζει διάνοιαν, καὶ ποιεῖ, τὰ παρὰ τὴν ὁδὸν, ἀντὶ τῆς ὁδοῦ θεωρεῖν.

88. Suspiciones malæ mentem obfuscant, faciuntque ut ea quæ extra viam sunt, videantur esse in via.

Ταῖς ἀρεταῖς ἁπάσαις παραπεπήγασιν αἱ κακίαι· καὶ διὰ τοῦτο τὰς ἀρετὰς οἱ πονηροὶ εἰς κακίας παραγνωρίζουσι.

89. Juxta omnes virtutes scaturiunt & vitia; & inde est, quare mali virtutes in malam partem interpretantur. D

Ηδονῇ ἢ λύπῃ ἐγχρονίζων ὁ νοῦς, τῷ τῆς ἀκηδίας πάθει τάχιστα περιπίπτει.

90. Mens si in re aliqua diutius vel oblectetur, vel mæreat, statim in acediæ grave malum cadit.

Συνείδησις καθαρὰ διεγείρει ψυχὴν, λογισμὸς δὲ ῥυπαρὸς καταχθονίζει αὐτήν.

91. Conscientia pura animam excitat, quam rursus in terram immunda cogitatio dejicit.

Κινούμενα τὰ πάθη ἀπελαύνουσι κενοδοξίαν· ἀναιρούμενα δὲ, πάλιν αὐτὴν ὑποστρέφουσιν.

92. Exagitatæ passiones expellunt vanam gloriam: at si quietæ consistant, eam rursus postliminio revocant.

Εἰ πάντων ὁμοῦ τῶν παθῶν ἀπαλλαγῆναι θέλεις, ἐγκράτειαν καὶ ἀγάπην καὶ προσευχὴν ἀνάλαβε.

93. Vis semel ab omnibus animi perturbationibus liberari? assuefacito te caritati, continentiæ & precibus.

Νοῦς διὰ προσευχῆς τῷ Θεῷ ἐγχρονίζων, καὶ τὸ παθητικὸν τῆς ψυχῆς τῶν παθῶν ἀπαλλάττει.

94. Mens apud Deum moram faciens precando, affectivas animæ vires a passionibus liberat.

Ο Θεὸς τὸ εἶναι τοῖς οὖσι δεδωκὼς, καὶ τῇ προνοίᾳ αὐτοῦ ἅμα τὰ πάντα συνέδησεν.

E 95. Sicut Deus omnibus quæ sunt, dedit esse, ita & omnia providentia sua simul colligavit.

Δεσπότης δὲ ὑπάρχων, καὶ δοῦλος γενόμενος, τὸ ἄκρον τῆς προνοίας τῇ κτίσει ἐξέφηνεν.

96. Et quum esset Dominus, factus servus summam erga creaturas providentiam declaravit.

Ο Θεὸς καὶ Λόγος ἀτρέπτως σαρκωθεὶς, πάσῃ τῇ κτίσει διὰ τῆς σαρκὸς ἡνώθη.

97. Deus & Verbum absque sui conversione incarnatus, omni creaturæ per carnem unitus est.

Ξένον θαῦμα ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς, ὅτι Θεὸς ἐπὶ γῆς, [1] κἂν ἄνθρωπος ἐν οὐρανοῖς· ἵνα ἀνθρώπους ἀγγέλοις συνάψας, ἅμα πάσῃ τῇ κτίσει τὴν θέωσιν χαρίσηται.

98. Rarum miraculum in cælo & in terra, quia Deus super terram, & homo in cælis: ut homines Angelis associarentur, & omni creaturæ divinitas tribueretur.

Αγιασμὸς καὶ θέωσις ἀγγέλων καὶ ἀνθρώπων, ἡ γνῶσις τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου τριάδος.

99. Tam Angelorum quam hominum sanctificatio & deificatio, est sanctæ consubstantialisque Trinitatis cognitio.

Συγχώρησις ἁμαρτιῶν, παθῶν ἐστιν ἐλευθερία, ὧν ὁ μήπω ἀπαλλαγεὶς χάριτι, τῆς συγχωρήσεως οὔπω ἔτυχεν.

100. Peccatorum remissio libertatem ab affectionibus præstat: quam qui nondum per gratiam assecutus est, ab eo etiam peccata nondum discesserunt.

1. Κἂν] Forte καί.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ ΠΡΟΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ
ΕΚΑΤΟΝΤΑΣ β'.

ἧς ἡ ἀκροστιχὶς ἥδε,

Εὖξαι ὑπὲρ ἐμοῦ, ἀδελφὲ τιμιώτατε, ὅτι μεγάλα κακὰ προσδοκῶ ἄξια τῆς ἐμῆς προαιρέσεως, λύπας τῇ ψυχῇ, καὶ ὀδύνας τῷ σώματι.

EJUSDEM AD EUMDEM
CENTURIA II.

Cujus verſuum primæ litteræ has voces exhibent :

Ora pro me, frater digniſſime : mala enim exſpecto grandia & digna meis ſtudiis, triſtitias ſcilicet animi & dolores corporis.

Ἐθέλεις ὑφ' ἓν τῶν κακιῶν ἀπαλλαγῆναι; τῇ μητρὶ τῶν κακῶν τῇ φιλαυτίᾳ ἀπόταξαι. A

Ὑγεία ψυχῆς, ἀπάθεια καὶ γνῶσις, ἧς τυχεῖν ἀμήχανον τὸν ἡδοναῖς δουλεύοντα.

Ξηραίνει τὰς ἡδονὰς τάς σωματικάς τε, καὶ ψυχικὰς ἐγκράτεια μεθ' ὑπομονῆς, καὶ ἀγάπη μετὰ μακροθυμίας.

Ἀρχὴ κακῶν τῇ ψυχῇ ἡ φιλαυτία γέγονεν· φιλαυτία δέ ἐστιν ἡ τοῦ σώματος φιλία.

Ἴδιον τοῦ λογικοῦ τὸ ὑποταγῆναι τῷ λόγῳ, καὶ τὸ ὑποπιάσαι, καὶ δουλαγωγῆσαι τὸ σῶμα.

Ὕβρις τῷ λογικῷ ὑποταγῆναι τῷ ἀλόγῳ, καὶ πρόνοιαν αὐτοῦ ποιεῖσθαι εἰς ἐπιθυμίας αἰσχράς.

Πονηρὸν ἔργον ψυχῆς λογικῆς, καταλιμπάνειν τὸν κτίσαντα, καὶ λατρεύειν τῷ σώματι. B

Ἐκελεύσθης τὸ σῶμα ὑπηρέτην ἔχειν, οὐ μὴν δὲ ταῖς ἡδοναῖς αὐτοῦ παρὰ φύσιν δουλεύειν.

Ῥῆξον τὰ δεσμὰ τῆς πρὸς τὸ σῶμα φιλίας, καὶ μηδὲν παράσχῃς τῷ δούλῳ, ὅ, τι μὴ πᾶσα ἀνάγκη.

Ἔγκλεισον τὰς αἰσθήσεις ἐν τῷ φρουρίῳ τῆς ἡσυχίας, ἵνα μὴ τὸν νοῦν περισπῶσιν εἰς τὰς ἰδίας ἐπιθυμίας.

Μέγιστα ὅπλα τοῦ μεθ' ὑπομονῆς ἡσυχάζοντος, ἐγκράτεια καὶ ἀγάπη καὶ προσευχὴ καὶ ἀνάγνωσις.

Οὐ παύεται ὁ νοῦς περὶ τὰς ἡδονὰς κυκλεύων, ἄχρις οὗ τὴν σάρκα δουλαγωγήσας θεωρίᾳ σχολάζεται. C

Ὑπὲρ τῶν ἐντολῶν ἀγωνιζόμεθα, ἵνα παθῶν ἐλευθερωθῶμεν· ὑπὲρ δὲ τῶν θείων δογμάτων, ἵνα γνώσεως ἀξιωθῶμεν.

Ἀταραξία ψυχῆς ἀπάθεια καὶ γνῶσις· ἧς τυχεῖν ἀμήχανον τὸν ἡδοναῖς δουλεύοντα.

Δουλαγώγει τὸ σῶμα περιελὼν τὰς ἡδονάς, καὶ ἀπάλλαξον αὐτὸ μοχθηρᾶς δουλείας.

Ἐλεύθερος κτισθεὶς, καὶ ἐπ' ἐλευθερίᾳ κληθεὶς, μὴ ἀνάσχῃ δουλεύειν πάθεσιν ἀκαθάρτοις. D

Λύπαις καὶ ἡδοναῖς, ἐπιθυμίαις καὶ φόβοις συνδεσμοῦσι τὸν νοῦν τοῖς αἰσθητοῖς οἱ δαίμονες.

Φόβος Θεοῦ κρατεῖ ἐπιθυμιῶν, καὶ λύπη κατὰ Θεὸν ἀπελαύνει τὴν ἡδονήν.

Ἐπιθυμία σοφίας καταφρονεῖ φόβου, καὶ ἡ δοκὴ γνώσεως ἀποδιώκει λύπην.

1. Vis ſemel a malis omnibus liberari? matri malorum, amori ſui ipſius renuntia.
2. Animæ ſanitas eſt impaſſibilitas & ſcientia, quam nemo voluptatibus ſerviens aſſequi poteſt.
3. Abſtinentia cum patientia, & caritas cum longanimitate, tam corporeas quam animales voluptates exſiccant.
4. Principium malorum animæ, fuit amor ſui ipſius: amor autem ſui ipſius, amor eſt corporis.
5. Proprium eſt rationalis, ut rationi ſubdatur, caſtigatumque corpus in ſervitutem redigat.
6. Injuria fit rationali hominis parti, ſi ſubjiciatur brutæ alteri & rationis experti, prudentiam ſuam inſumendo ad explenda turpia deſideria.
7. Malum rationalis animæ opus, eſt reliquiſſe conditorem, & ſervire corpori.
8. Juſſus es corpus miniſtri loco habere, & non ut illius (ſupra quam exigit natura) ſervias cupiditatibus.
9. Amicitiæ erga corpus vincula rumpantur, & non indulgeas ſervo, niſi quod omnis neceſſitas requirit.
10. Include ſenſus intra quietis munitionem, ne in ſua deſideria mentem diſtrahant.
11. Ut tibi quies & patientia contingant, in promtu tibi ſint temperantiæ, caritatis, precum & lectionis arma, ſane multo fidiſſima.
12. Mens, voluptatum eſcis quas ambit, inhiare non ceſſat, donec corpore in ſervitutem redacto contemplationi vacet.
13. In præceptis ſervandis deſudandum eſt, ut ab animi affectionibus liberemur: in divinis autem dogmatis, ut ſcientiam digne mereamur.
14. In impaſſibilitate & cognitione conſiſtit animæ tranquillitas, quam voluptatum mancipiis contingere eſt impoſſibile.
15. In ſervitutem coge corpus voluptatibus circumſcriptis, & liberabis mentem a gravi ſervitute.
16. Liber conditus es, & in libertatem accerſitus: pigeat igitur impuris voluptatibus ſervire.
17. Doloribus & voluptatibus, concupiſcentiis ac timoribus devinciunt dæmones mentem eorum qui ſenſibus ſerviunt.
18. Timor Domini deſideriis dominatur, & triſtitia quæ ſecundum Deum, concupiſcentias repellit.
19. Deſiderium ſapientiæ timorem deſpicit; cupiditas autem ſcientiæ, voluptates repellit & triſtitiam.

SÆCUL. VII.
CIRCA
ANN. CHR.
648.



Τὰ τέσσαρα ταῦτα αἱ γραφαὶ περιέχουσι· τὰς ἐντολὰς, τὰ δόγματα, τὰς ἀπειλὰς, τὰς ἐπαγγελίας. A

20. Quatuor autem in fcripturis traduntur, Mandata, placita, minæ & repromiffiones.

Ἵστησι τὴν ἐπιθυμίαν ἐγκράτεια καὶ κόπος· μειοῖ δὲ αὐτὴν ἡσυχία, καὶ θεῖος ἔρως.

21. Concupifcentias fiftunt abftinentia & labor; minuunt autem quies ac divinus amor.

Μὴ λόγοις δι' αἰνιγμάτων τὸν ἀδελφὸν πλῆττε· οὐ μὴ γὰρ βαστάξῃς τὰ ὅμοια ἀντιδεχόμενος.

22. Cave fis, ne fratrem verbis ænigmaticis impugnes: neque enim tu ferres, fi fic audires e diverfo.

Ἵστησιν τὸν θυμὸν μακροθυμία καὶ ἀμνησικακία· μειοῖ δὲ αὐτὸν ἀγάπη καὶ συμπάθεια.

23. Iram fiftunt longanimitas & injuriarum oblivio, minuunt caritas & compaffio.

Ὧι ἐδόθη γνῶσις, ἐδόθη φῶς νοερόν· ὃς δὲ λαβὼν ἀτιμάζει, ὄψεται σκότος.

24. Cui fcientia data eft, datum eft mentale lumen: quod fi quis dehoneftarit, pro eo tenebras videbit.

Τήρησις ἐντολῶν Θεοῦ, τίκτει ἀπάθειαν· ἀπάθεια δὲ ψυχῆς συντηρεῖ γνῶσιν. B

25. Obfervatio mandatorum Dei parit impaffibilitatem: impaffibilitas autem animæ, cuftodit fcientiam.

Ανάγαγε τὰ αἰσθητὰ ἐπὶ νοητὴν θεωρίαν, καὶ ἀνθέλκεις τὴν αἴσθησιν ἐπάνω τῶν αἰσθητῶν.

26. Senfilia traducito furfum in cognitionem intellectualem, & fenfus evehes fupra ea quæ fenfilia funt.

Τὸ αἰσθητὸν γυναῖον σημαίνει ψυχὴν πρακτικήν· ᾗ ὁ νοῦς συγγενόμενος ἀποτίκτει τὰς ἀρετάς.

27. Naturalis & quæ videtur mulier, fignificat operativam animam: ad quam fi mens quæ vir eft, accefferit, ex ea virtutes parit.

Ερευνα λόγων Θεοῦ, διδάσκει γνῶσιν Θεοῦ τοὺς ἐν ἀληθείᾳ ζητοῦντας, ἐν εὐλαβείᾳ καὶ πόθῳ.

28. Inquifitio eloquiorum Dei, docet fcientiam Dei eos, qui pie ac defideranter veritatem fcrutantur.

Οπερ ἐστὶ τὸ φῶς τοῖς ὁρῶσι καὶ ὁρωμένοις, τοῦτο καὶ ὁ Θεὸς τοῖς νοοῦσι, καὶ νοουμένοις.

29. Quod lux eft videntibus & vifis, hoc Deus eft intelligentibus & intellectis.

Τὸ αἰσθητὸν στερέωμα, τὸ τῆς πίστεως σημαίνει στερέωμα, ἐν ᾧ πάντες οἱ ἅγιοι δίκην φωστήρων λάμπουσι. C

30. Vifibile cæli firmamentum, fidei fignat firmamentum, in quo omnes fancti ceu luminaria lucent.

Ιερουσαλὴμ ἐστὶν ἐπουράνιος, γνῶσις τῶν ἀσωμάτων· ἐν αὐτῇ γὰρ θεωρεῖται ἡ ὅρασις τῆς εἰρήνης.

31. Hierufalem eft fupercæleftis incorporearum rerum contemplatio, in qua vifio pacis fpectatur.

Μὴ ἀμέλει τῆς πράξεως, ἐπεὶ μειοῦται ἡ γνῶσις· καὶ λιμοῦ γενομένου καταβαίνεις εἰς Αἴγυπτον.

32. Activam vitam cave neglexeris, alioquin & fcientia decrefceret: hoc enim effet, orta fame, in Ægyptum defcendere.

Ελευθερία ἐστὶ νοητὴ, ἡ τῶν παθῶν ἀπαλλαγή· ἧς οὐδεὶς ἐπιτυγχάνει ἄνευ ἐλέους Χριστοῦ.

33. Libertas eft fpiritualis, a perturbationibus effe liberum, quæ nulli abfque mifericordia Jefu Chrifti contingit.

Γῆ ἐστιν ἐπαγγελίας ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν, ἧς πρόξενοι γίνονται ἀπάθεια καὶ γνῶσις.

34. Terra repromiffionis, regnum eft cælorum; in quam mentem inducunt impaffibilitas & fcientia.

Αἴγυπτός ἐστι νοητὴ, ὁ σκοτασμὸς τῶν παθῶν· εἰς ἣν οὐδεὶς καταβαίνει, εἰ μὴ λιμῷ περιπέσῃ. D

35. Ægyptus fpiritualis, obtenebratio perturbationum; in quam nemo, nifi antea fame laboret, defcendit.

Λόγοις πνευματικοῖς ἐπισυχνάσεις τὸ οὖς σου, καὶ λογισμῶν ἀκαθάρτων ἀπομακρυνεῖ ὁ νοῦς σου.

36. Aurem tuam fpiritualibus fermonibus frequenter accommoda, & mentem ab immundis cogitationibus elongabis.

Αγαθὸς καὶ σοφὸς φύσει μόνος ὁ Θεός· γίνεται δὲ μεθέξει καὶ ὁ νοῦς, ἐὰν σπουδάσῃ.

37. Solus Deus natura bonus eft ac fapiens; fit autem mens participatione talis, modo ftudiofa fit.

Κράτει γαστρὸς καὶ ὕπνου, καὶ θυμοῦ, καὶ γλώσσης· καὶ οὐ μὴ προσκόψεις πρὸς λίθον τὸν πόδα σου.

38. Impera ventri, fomno, iræ & linguæ; & numquam impinges ad lapidem pedem tuum.

Αγωνίζου ἀγαπῆσαι πάντα ἄνθρωπον ἐξ ἴσου, καὶ ἀπελαύνεις συλλήβδην πάντα τὰ πάθη.

39. Enitere ut omnes homines æqualiter diligas, paffionefque omnes fimul a te abiges.

Κοινὴ νοῦ καὶ αἰσθήσεως ἡ θεωρία τῶν αἰσθητῶν· ἰδία δὲ τοῦ νοῦ ἡ γνῶσις τῶν νοητῶν. E

40. Senfibilium rerum contemplatio communis eft menti & fenfui; intellectualium autem fcientia foli menti convenit.

Αδυνατον, τὸν νοῦν σχολάσαι τοῖς νοητοῖς, εἰ μὴ τὴν σχέσιν τὴν πρὸς τὴν αἴσθησιν, καὶ τὰ αἰσθητὰ ἀποκόψῃ.

41. Impoffibile eft mentem vacare intellectualibus, nifi amicitiam erga fenfus & fenfibilia antea amputarit.

Προσπάθειαν φυσικὴν ἡ αἴσθησις ἔχει πρὸς τὰ αἰσθητὰ, καὶ συμπεριάγει τὸν νοῦν περισπωμένη περὶ αὐτά.

42. Senfus natura fenfibilibus afficitur: fed quum circa ea diftrahitur, diftrahitur & mens.

Ρίψον τὴν αἴσθησιν περὶ τὴν τοῦ νοῦ ὑπουργίαν, καὶ μὴ δῷς αὐτῇ καιρὸν ἀντιπερισπᾶσαι αὐτόν.

43. Coge fenfus in mentis obfequium, & non des ipfis occafionem eam diftrahendi.

Οταν συμβῇ τὸν νοῦν σχολάσαι τοῖς αἰσθητοῖς, ἀντιπερίσπα τὴν αἴσθησιν, πρὸς νοῦν ἀνάγων τὰ παρακείμενα.

44. Quando mentem fenfibilibus vacare contingit, obfifte fenfibus, & objecta in mentem fubduc.

Σημεῖον, ὅτι σχολάζει ὁ νοῦς περὶ τὰ νοητὰ, τὸ πάντων καταφρονεῖν τῶν τὴν αἴσθησιν σαινόντων.

45. Signum mentis circa intelligibilia occupare, eft floccifacere omnia quæ fenfus oblectant.

Διανοιγόμενος ὁ νοῦς περὶ τὴν τῶν νοητῶν θεωρίαν, δυσαπόστατον ἔχει τὴν περὶ αὐτὰ ἡδονήν.

46. Occupata mens in contemplatione eorum quæ funt, folidam in eis voluptatem experitur.

A

Ὅταν ὁ νοῦς πλουτήσῃ τὴν τῆς μονάδος γνῶσιν, τότε καὶ τὴν αἴσθησιν πάντῃ δεδουλωμένην ἔχει.

47. Quando mens unitatis scientia locupletata fuerit, tunc sensus omnino in servitutem redactos tenet.

Κώλυε τὸν νοῦν σου κυκλεύειν τὰ αἰσθητὰ, ἵνα μὴ ἡδονὰς καὶ λύπας ἐν αὐτοῖς καρπώσηται.

48. Prohibe mentem tuam circum sensilia vagari, ne voluptatum tristitiæque fructus simul ex eis decerpat.

Ὧν ὁ νοῦς ἐν τοῖς θείοις σχολάζει διαπαντὸς, τούτων καὶ τὸ παθητικὸν μέρος θεῖον γέγονεν ὅπλον.

49. Quorum mens perpetuo divinis vacat, iis & affectivæ animæ vires divina fiunt arma.

Ἀδύνατον τὸν νοῦν τῇ γνώσει ποιωθῆναι, εἰ μὴ πρότερον τὸ παθητικὸν ταῖς οἰκείαις ἀρεταῖς ἐξ αὐτοῦ πελάσει.

50. Impossibile est mentem scientia perfici, nisi prius affectiva animæ portio suis admoveatur virtutibus.

Ξένος τῶν τοῦ κόσμου ὁ νοῦς τότε γίνεται, ὅταν τὴν πρὸς τὴν αἴσθησιν σχέσιν παντελῶς ἀποκόψῃ.

Vanæ re vera sunt hujusmodi argumentationes, & eversio fidei, ut ait Gregorius Theologus. Omnino igitur demonstratum est solam sententiam sanctæ & catholicæ Dei Ecclesiæ veram esse, & nihil contradici posse, neque posse eam coargui. Cum enim ostendere vult, quomodo ex divina erga homines caritate Verbum Dei ad assumendam carnem nobis condescenderit, unam naturam Verbi Dei confitetur incarnatam, quod ex æternitate & sine principio erat in Deo patre: & postB ea propter nos & propter salutem nostram, factum fuit homo, & [a] *semen Abraham apprehendit*, & per omnia factus est similis nobis excepto solo peccato. Quando autem docere vult illa in quibus Christus consistit, & quæ Christus vult nos contemplari, duas naturas substantialiter unitas confitetur, & inde demonstrat magnitudinem gloriæ & miserationum Dei, qui propter amorem erga nos voluit naturam nostram simul esse & simul numerari cum sua; & gratias Deo agimus pro dono ejus, quod enarrari non potest. Et hæc hactenus. Quia vero Severus solis vocibus insistit, & in solis verbis & sonitu pietatem collocat, cum tamen Apostolus dicat: [b] *Non est in sermone regnum Dei,* C *sed in virtute*, & veritate; & is est apud Severum optimus theologus, qui in categoriis Aristotelis & in reliquis philosophorum gentilium est limate exercitatus, necesse est, nos significata cujusque vocis, earum quibus contra ea quæ Severus dicit, uti opus est, opportune declarare secundum mentem doctorum ecclesiasticorum, qua ea acceperunt: ut qui inferius scripta legerint, statim ex ipsa lectione vim eorum quæ dicuntur, percipiant: ne si ignorent quid voces significent, impediantur quominus comprehendat quæ in eis contemplamur.

[a] Heb. II. 16. [b] 1. Cor. IV. 20.

ANASTASII
BIBLIOTHECARII SEDIS APOSTOLICÆ
COLLECTANEA
AD
JOANNEM DIACONUM.

Edidit primum JACOBUS SIRMONDUS *anno* MDCXX.

Carissimo fratri Joanni digno Christi Levitæ Anastasius exiguus in Domino salutem.

ECclesiasticam scripturæ ad multorum instructionem historiam industriæ tuæ promiseram ex Græco me tibi sermone quædam in Latinum vectiurum eloquium. Dixeras enim, & summa veritate docente perhibueras, Ecclesiasticam te ordiri non posse fidenter historiam, nisi utriusque linguæ quædam rerum gestarum conscripta series ad tuam notitiam devenisset. Quapropter qui tantæ me imperitiæ recognosco, ut nec ipsius linguæ meæ, in qua natus sum, ne dixerim alienæ, vim penetrare sufficiam; ac per hoc numquam interpretandi quacumque ratione conamen arripere præsumsissem; consentiens a magistris reprehendi, quam te a prædicta torpore meo texenda historia removere, satisfacere tibi ecce pro viribus maturavi. Credens plane a te corrigendum, quidquid meum distortum, poliendum quidquid repertum fuerit impolitum. Sane fateor, testimonium mihi perhibente conscientia, mallem hæc & hujusmodi ab aliis fieri, non tam laborem fugiens, quam imperitam undecumque scientiam meam, si tamen scientia, & non magis inscitia sit dicenda, non nesciens, si salva pace fraternitatis tuæ, seu scribendæ a te historiæ proposito, hæc omittere potuissem: qui profecto tanta luce sapientiæ rutilas, ut a me non quod necessarium, sed temerarium experiri saporem proposuisse videaris. Itaque mihi, interveniente obedientia, sata ab aliis rustica falce collegisse, & ad aream latinitatis fideli humero transvexisse sufficiat, nil videlicet addenti vel minuenti. Tuum autem erit, adjectis sententiis, veluti quodam ventilabro judicii, opus historiæ dilatare, & verba nostra, quæ in ea inserenda decreveris, quasi quædam frumenta purgare. Verum nos sic & hæc & alia interpretandi propositum sumsimus, ut nec ab ipsa verborum usquequaque circumstantia discessisse noscamur, nec pro posse a sensus veritate decidisse videamur. Porro novissimorum temporum brevia quædam opuscula transtuli, quoniam priorum temporum gesta priores, immo majores nostri transferentes, nos in hujuscemodi opere prævenerunt, quemadmodum & longe præstantius transscenderunt. Igitur * post Chronographiam tripertitam, quam te hortante transtulimus, & alia quædam brevissima opuscula, quæ ad petitum diversorum patrum & fratrum nostrorum interpretati sumus, ad manus nostras venire contigit apologiam quarti Joannis Romani Pontificis pro Honorio Papa a calumniatoribus impetito, quod unam Domini nostri Jesu Christi tantum scripserit voluntatem. Quæ videlicet apologia satis hunc, ut reor, excusabilem reddit, licet huic sexta sancta Synodus quasi hæretico anathema dixerit, & in Dei solius jam judicio positum reprobationis telo confoderit: cum hæreticus non ex erroris tantum deceptione, quantum ex electione non recta & contentiosa pertinacia generetur. Quis autem erit, qui nobis interim dicat, utrum ipse pro certo dictaverit epistolam, de qua illum anathematizandi fomitem calumniatores susceperunt: cum & ex scriptoris vel indisciplinatione, vel in Pontificem odio quid contingere tale potuerit? Quamvis non ignoremus, docente sancto Maximo in epistola sua, quam Marino scripsit presbytero, sanctissimum hanc scripsisse Joannem Abbatem. Esto, & ipse dictator exstitit: quis hinc illum interrogavit? quis intentionem investigavit? quis hunc corrigere voluit, & ille percontanti, aut emendare conanti restitit, vel contentionibus serviens resultavit? Præsertim cum in Evangelio illo, quo dicitur: [a] *Nolite judicare, & non judicabimini*, & cetera, nihil aliud præcipi magnis etiam magistris Ecclesiæ videtur, nisi ut ea facta, quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Sunt quippe quædam facta media, quæ ignoramus quo animo fiant, cum bono & malo fieri possint, de quibus temerarium est judicare, maxime ut condemnemus. Denique duo sunt, in quibus temerarium judicium cavere debemus; cum incertum est quo animo quidquam factum sit, vel cum incertum est qualis futurus sit, qui nunc vel malus vel bonus apparet. Quantum autem temerarium sit judicium præcavendum, aperte Dominus indicat, qui de Sodomitis more nostro loquitur, dicens: [b] *Descendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam.* Et rursus per Moysem: [c] *Ne maledicas surdo*, ait, *nec coram cæco ponas offendiculum*. Quod eisdem pene verbis Apostolus monet: [d] *Unusquisque*, inquiens, *nostrum pro se rationem reddet Deo. Non ergo amplius invicem judicemus, sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum.* Quis autem magis surdus, vel mutus dicendus est, quam is, cui, cum exanimis & dissolutus jacet in sepulcro, nec auris patet ad objecta solemniter audiendum, nec os aperitur ad objecta rationabiliter refellendum? Verum de hujusmodi judiciis sufficiunt quæ venerabilis Anastasius apostolicæ Sedis Præsul ad Anastasium Imperatorem scribens, sacræ scripturæ auctoritatis pondere gravida docet. Sed ne videamur

a Luc. VI. 37. *b* Gen. XVIII. 21. *c* Levit. XIX. 14. *d* Rom. XIV. 12. 13.

* *post Chronogr. trip.*] Ex Nicephoro, Georgio & Theophane excerptam. Edita est Lutetiæ MDCXLIX.

tam ſanctam, tamque reverendam Synodum accuſare, vel temere reprehendere, licere nobis opinamur de illa ſentire, quæ ſanctos Patres noſtros de Calchedonenſi magna Synodo ſenſiſſe non ignoramus. Quorum unus, ſanctus videlicet Papa Gregorius, uſque ad prolationem tantummodo canonum hanc ſuſcipiendam fore ſignavit. Beatus quoque æque Papa Gelaſius in tomo de anathematis vinculo qualiter eadem Synodus recipienda ſit, luculentis exemplis, & nonnullis divinis teſtimoniis innuit, ubi horum circumſtantiam tali deliberatione concludit. *Hæc*, inquiens, *& hujuſmodi exempla nos edocent, & teſtimonia divina confirmant, non omnia paſſim a quocumque dicta, vel ubicumque ſcripta indifferenter accipere, ſed retentis bonis, quæ noceant refutare*. Nam & hanc quoque ſanctam Synodum canonica quædam Capitula promulgaſſe, Græcorum ſcripta teſtantur, quæ tamen pene omnia, quia Sedes apoſtolica non approbavit, tota latinitas reprobavit. Sed quid de hac ſola dicimus? cum & ſecundam univerſalem Synodum, quæ primo Conſtantinopoli celebrata eſt, in cauſſa primatus Eccleſiarum, Sedes apoſtolica non admittat: quin & omnes Synodos ſic recipiendas decernat, ut Calchedonenſem Synodum admittendam fore prædictus ſanctus Gelaſius Papa deſcribit, pro fidei ſcilicet communione, & veritate Catholica & Apoſtolica, pro qua hanc fieri Sedes apoſtolica delegavit, factamque firmavit. Verum, ſi omnia exaggerare volumus, quæ in Honorii Papæ excuſationem colligere poſſumus, facilius charta nobis quam ſermo deficiet, & interpretandi propoſitum ad dictationis profecto vertemus eloquium. Unum tamen dicemus, quod reticere procul dubio non debemus, quia talis eſt dictus Honorius, qualis eſt & pronuntiatus: quod ſi talis non fuit, cui ſit præfixa ſententia, profecto non erit: quoniam ſicut ſcriptum eſt: *Homo videt in facie, Deus autem in corde*.

Sed ecce, dum prolixius præfatio ad te noſtra dirigitur, ab interpretandi ſtudio procul abſceſſimus: oſtendere geſtientes quod in apoſtolicæ Sedis petra, quantum ad fidem pertinet, nec etiam per Honorium inventum ſit umquam ſerpentis, id eſt virulentæ ſectæ veſtigium. Sume igitur jam memoratam Joannis Papæ pro Honorio apologiam: ſume etiam & pro eodem ipſo apologiam ex epiſtola Maximi Monachi, & re vera Philoſophi, Chriſtique Dei noſtri Martyris, miſſa Marino presbytero, diſſloratam. Ipſe quippe beatiſſimus Maximus non ſolum in jam dicta, ſed & in ea quam ſcripſit ad Abbatem Thalaſſium epiſtola, jam nominatum defendit Honorium: verum etiam in epiſtola ſua dogmatica, quam ad Petrum ſcripſit illuſtrem, magnum hunc & divinum appellat. Ex qua ſcilicet epiſtola de eodem Papa Honorio, & Hieroſolymitano Sophronio, de quo in translatis a nobis ſcriptis ſæpe memoriam fecimus, atque de Pyrrho Conſtantinopolitano hæretico Patriarcha, deſflorata quædam atque translata en tibi afferimus. Præterea interpretati ſumus ex epiſtola ejuſdem ſancti Maximi ad Marinum ſcripta Presbyterum circumſtantiam de Spiritus ſancti proceſſione, ubi fruſtra cauſſari contra nos innuit Græcos, cum nos non cauſſam vel principium Filium dicamus Spiritus ſancti, ut autumant; ſed unitatem ſubſtantiæ Patris ac Filii non neſcientes, ſicut procedit ex Patre, ita eum procedere fateamur ex Filio, miſſionem nimirum proceſſionem intelligentes; pie interpretans, utriuſque linguæ gnaros ad pacem erudiens, dum ſcilicet & nos & Græcos edocet ſecundum quiddam procedere, & ſecundum quiddam non procedere Spiritum ſanctum ex Filio: difficultatem exprimendi de alterius in alterius linguæ proprietatem ſignificans. Siquidem & hujuſmodi pia interpretatione ſanctus olim Athanaſius Orientales & Occidentales ſuper ſubſiſtentiæ vel perſonæ nomine diſſidentes univit, dum unum idemque utroſque corde credere, ſenſuque retinere perdocuit; licet ob linguæ varietatem aliter atque aliter ore confiterentur, & importunis contentionibus deſervirent. Tranſtulimus etiam quaſdam epiſtolas Theodori Papæ ſucceſſoris prædicti Papæ Joannis, juxta quud ordo poſcebat, ſcriptas ad Paullum ſucceſſorem Pyrrhi, & conſecratores ejus, quorum ſcilicet Joannis ac Theodori, eximiorum Sedis apoſtolicæ Præſulum, ſtilus epiſtolarum latina redolet eloquentia: ex quo liquido conſtat, non græce illas, ſed latine fuiſſe dictatas. Unde notandum quod nonnulla, quæ latine fuerunt edita, latinitas funditus mole oblivionis obruta deploraſſet, niſi ex Græcorum poſt fonte librorum hæc hauſta ſitibundo pectore reſumſiſſet, ſicut epiſtolam beati Papæ Felicis in Petrum ſententiam proferentem Antiochenum. Quin immo ſicut & ipſum quoque Clementem, quem Rufinus noſtræ linguæ redditum, reſtitutum & redeuntem ad Gaudentium ſcribens innuit; & quod Latine ſcriptus fuerit & amiſſus, rurſuſque receptus, ſignanter oſtendit. Excerpſi nihilominus, & tibi ecce translatam præſento, quamdam narrationis circumſtantiam ex epiſtola ſancti Maximi ad Thalaſſium ſcripta Abbatem, quid Conſtantinopoli Legati Romani geſſerint, gratia incitandæ conſtantiæ in cauſſa maximæ pietatis ad redargutionem puſillanimorum, & agnoſcendæ poteſtatis apoſtolicæ Sedis, contra eos qui ab ipſa quid violenter extorquere nituntur. Porro ecce nihilominus exibeo exſilii geſta ſancti Papæ Martini, quæ ad petitum venerabilis Martini epiſcopi Narnienſis edideram: una cum Hypomneſtico declarante breviter geſta ſanctorum Maximi Philoſophi, & utriuſque Anaſtaſii, nec non & Theodori, ac Euprepii, & aliorum.

Sæcul. VII. circa Ann. Chr. 651.



*JOANNIS PAPÆ ROMANI

AD CONSTANTINUM IMPERATOREM FILIUM HERACLII APOLOGIA PRO HONORIO PAPA PROPTER UNAM IN CHRISTO VOLUNTATEM,

cujus ajunt eum calumniatores mentionem fecisse.

Dominus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, qui eripuit nos de potestate tenebrarum in admirabile lumen suum, lumen veritatis, & veritas luminis, in quo complacuit omnem plenitudinem divinitatis habitare, & per eum reconciliare omnia, in ipso pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in cælis sunt, sive quæ in terris, propter eminentem magnitudinem divitiarum bonitatis suæ in faciem Ecclesiæ suæ respiciens, vestram præcognitam sibi & prædestinatam benignitatem ad fidei nunc integritatem vocare dignatus est: ita ut omni fallaci caligine procul amota, per vos victricem faciat veritatem. Quantum enim ex diversis suggestionibus, quæ ad nos catervatim venerunt, quin immo & ex ipso quoque auditu didicimus, omnes Occidentales partes scandalizatæ turbantur, fratre nostro Pyrrho Patriarcha per litteras suas huc atque illuc transmissas, nova quædam & præter regulam fidei prædicante, & ad proprium sensum quasi sanctæ memoriæ Honorium Papam decessorem nostrum attrahere festinante, quod a mente catholici Patris erat penitus alienum. Igitur ut vestra benignitas caussam totam rei discere possit, subtilissima veritate quæ ante brevis intercapedinem temporis gesta sunt, enarrabo.

Sergius reverendæ memoriæ Patriarcha prædicto sanctæ recordationis Romanæ urbis Pontifici significavit, quod quidam in Redemtore nostro Domino Jesu Christo duas contrarias dicerent voluntates: quo præfatus Papa comperto, rescripsit ei, quia Salvator noster sicut esset monadicus unus, ita & valde mirabiliter super omne genus hominum conceptus & natus esset. Ex sancta quoque ipsius incarnata dispensatione docebat, quia Redemtor noster sicut esset Deus perfectus, ita esset & homo perfectus: ut quam primus homo per prævaricationem amisit, sine aliquo peccato natus primæ imaginis nobilem originem renovaret. Natus ergo est secundus Adam nullum habens nascendo vel cum hominibus conversando peccatum: etenim Verbum caro factum in similitudine carnis peccati, omnia nostra suscepit, nullum reatus vitium ferens ex traduce prævaricationis exortum. Similitudinem ergo intelligimus, non carnis ejus, sed peccati. Etenim carnem Dominus veram suscepit ex intemerata & beata Virgine Dei genitrice, consubstantialis nobis effectus. Ergo similitudinem carnis peccati sanctus dicit Apostolus, quam similem nobis peccatoribus sine peccato cum anima rationali suscepit: & idcirco unam voluntatem secundum primam formationem Adæ naturalem humanitatis suæ Dominus noster Jesus Christus habere dignatus est, non duas contrarias, quem-A admodum nunc nos habere dignoscimur, qui de peccato sumus Adæ geniti: quoniam corruptibilis per transgressionem primus homo effectus, & creatori suo subdi contemnens, sensit carnem, quæ prius erat sibi subjecta, nihilominus repugnantem, & peccato suo totum genus humanum fecit obnoxium: sicut dicit Apostolus; [a] *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysem, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ.* Quapropter & nos qui per prævaricationem & peccatum illius nascimur, duas contrarias habere voluntates dignoscimur: duas autem dico, mentis & carnis invicem reluctantes, sicut idem beatus do-B cet Apostolus: [b] *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. Hæc autem invicem adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis.* Et hoc omne humanum patitur genus sub peccato constitutum, quoniam nemo est mundus ab hoc peccato prævaricationis, [c] *nec infans*, sicut scriptum est, *cujus est unius diei vita super terram.* Et quemadmodum Spiritus sanctus per David ait: [d] *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea.* [e] *Sicut enim in Adam omnes peccaverunt*, secundum Apostolum, *ita in Christo omnes justificabuntur.* [f] *Et sicut per unum hominem peccatores constituti* C *sunt multi; ita & per unum hominem justi constituentur multi.* Ergo unus & solus est sine peccato mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui in mortuis liber conceptus & natus est. In dispensatione itaque sanctæ carnis suæ duas numquam habuit contrarias voluntates, nec repugnavit voluntati mentis ejus voluntas carnis ipsius. Neque enim habuit quodcumque peccatum, qui venit dimittere peccatum mundi, quemadmodum & ipse dixit: [g] *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et alias taliter ait: [h] *Venit princeps mundi hujus, & in me invenit nihil.* Unde scientes, quod nullum in eo, cum nasceretur & conversaretur, esset omnino peccatum, decenter dicimus, D & veraciter confitemur, unam voluntatem in sanctæ ipsius dispensationis humanitate, & non duas contrarias mentis & carnis prædicamus, secundum quod quidam hæretici velut in puro homine delirare noscuntur.

Secundum hunc igitur modum jam dictus decessor noster prænominato Sergio Patriarchæ percontanti scripsisse dinoscitur, quia in Salvatore nostro duæ voluntates contrariæ, id est, in membris ipsius penitus non consistunt, quoniam nihil vitii traxit ex prævaricatione primi hominis. In nobis enim, non in eo, coaptatur quod scriptum

a Rom. V. 14. b Gal. V. 17. c Job. XIV. 4. juxta LXX. d Psalm. L. 7. e I. Cor. XV. 22. f Rom. V. 19. g Joan. VIII. 46. h Joan. XIV. 30.

* De hac epistola vide sis testimonium apud S. Maximum M. in disputatione cum Pyrrho Patriarcha.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 651.

est : [a] *Scio enim quia non habitat in me, id est in carne mea, bonum.* Et iterum: [b] *Non quod volo bonum hoc ago, sed quod nolo malum, hoc facio. Si autem quod nolo malum illud facio, non jam ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Et post hæc : [c] *Video enim aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Hinc ergo hæ duæ contrariæ voluntates mentis & carnis, quas Apostolus docet, in nostro nequaquam Salvatore fuerunt, eo quod hic luctaminis stimulus ex prævaricatione protoplasti sumsit initium : quoniam a Redemtore nostro natura suscepta est, non criminis culpa. Sed ne quis nonnumquam minus intelligens reprehendat, quamobrem de humana tantum natura, & non etiam de divina natura docere sciatur : etenim Christus in duabus naturis in una persona unitis cognoscitur, adoratur, & colitur Deus & homo perfectus. Debet qui super hoc ambigit scire, quoniam ad hoc facta est responsio ad jam dicti Patriarchæ interrogationem. Præterea & hoc fieri solet, ut scilicet ubi est vulnus, ibi medicinale occurrat auxilium. Nam & beatus Apostolus hoc sæpe fecisse dignoscitur, se secundum auditorum consuetudinem præparans: & aliquando quidem de suprema natura docens, de humana penitus tacet: aliquando vero de humana dispensatione disputans, mysterium divinitatis ejus non tangit. Etenim ipse hic quidem de divina natura ait : [d] *Christus Dei virtus, & Dei sapientia :* alibi autem de incarnatione ejus ita dixit : [e] *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Sapientia autem & stultitia, virtus & infirmitas, contrariæ adinvicem absque dubietate ponuntur. Ergone contraria sibimet docet beatus Apostolus? absit: sed audientibus semet configurat sapienter, secundum tempus docens, ut provida nutrix parvulis quidem lac præbens, perfectis autem solidum tribuens cibum. Quid ergo est quod ait : *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus; & quod stultum est Dei, sapientius est hominibus?* Hoc totum capitulum de dispensatione Christi, non de superna natura illius docere videtur: volens ostendere, quia Deus homo factus animam habuit & corpus humanum, quod stultum afferit & infirmum. Sapientia enim humana divinæ collata, stultitia est : fortitudo vero carnis cum Dei virtute comparata, infirmitas est. Quia profecto condita humana sapientia cum conditrice sapientia comparata, stultitia est.

Igitur connectentes utraque, & Christum Dei virtutem & Dei sapientiam secundum divinitatem, naturam divinitatis ejus confitemur: & secundum ejus sanctæ carnis dispensationem, quod stultum & quod infirmum est Dei, naturam humanitatis veraciter prædicamus, quoniam hoc infirmum & stultum, fortius & sapientius est omnibus hominibus. Omnes enim homines, sicut etiam superius dictum est, sub peccato prævaricationis nascuntur. Dominus autem noster Jesus Christus absque peccato exsistens, & nullum secum vitium ferens vetustatis, non solum fortior, sed & sapientior est omnibus hominibus, quamvis infirmum nostrum & stultum sola misericordia suscipere sit dignatus. Qui vero ex peccato primi hominis nati sunt, filii iræ ac tenebrarum a sanctæ scripturæ magisterio nominantur. At vero Christus, cum lux vera sit, sedentes in tenebris & umbra mortis illuminare dignatus est. Quid enim doceat Apostolus scribens ad Ephesios audiamus : [f] *Et vos, inquit, cum mortui essetis delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum sæculum mundi hujus, secundum principem potestatis aeris spiritus, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ, in quibus & nos aliquando conversati sumus in desideriis carnis, facientes voluntates carnis & cogitationum, & eramus natura filii iræ, sicut & ceteri.* Ecce istæ sunt duæ voluntates contrariæ, mentis scilicet & carnis, quæ in Salvatore nostro modis omnibus non fuere. Nos has ex peccato progenitoris Adæ, qui & se, & omne humanum genus obnoxium fecit, habere dignoscimur, ut aliquando quidem carnis aculeus menti resistere appareat, aliquando vero voluntas mentis voluntati carnis contradicere satagat; ut taliter cum Apostolo gementes confiteantur : *Mente quidem servio legi Dei, carne vero legi peccati.* Dominus autem noster unam voluntatem humanitatis naturalem suscipere dignatus est, quam in propria carne potestative ut omnium Dominus circumferebat, eo quod omnia serviant Deo: nullum profecto habens vel afferens ex prævaricatione peccatum, quoniam solus sine peccato & crimine prævaricationis est natus.

Prædictus ergo decessor meus docens de mysterio incarnationis Christi dicebat, non fuisse in eo, sicut in nobis peccatoribus, mentis & carnis contrarias voluntates. Quod quidam ad proprium sensum convertentes, divinitatis ejus & humanitatis unam eum voluntatem docuisse suspicati sunt, quod veritati omnimodis est contrarium. Verumtamen vellem, ut interroganti responderent, secundum quam naturam dicant Christi Dei unam voluntatem? Si secundum divinam tantum, de humanitate ipsius quid respondebunt? quoniam & homo perfectus est, ut non cum Manichæo condemnentur. Porro si secundum humanitatem Christi dixerint, quod hæc voluntas Deus esset perfectus; observent ne forte cum Photino & Hebione judicentur. Jam vero si ex utraque natura unam voluntatem esse dixerint, non solum naturales voluntates, sed & ipsas naturas confundent; ut nec hoc, nec illud, id est divina & humana, intelligi possit. Sicut enim utrasque naturas in adunatione unius Christi, ut impius Nestorius, non patimur; ita differentiam naturarum penitus non negamus, sed neque confundimus, quoniam utrasque naturas cum adunatione unius personæ Christi Dei inenarrabili consonantia confitemur. Quia enim unam voluntatem dicunt divinitatis Christi & humanitatis, & unam simul operationem; quid aliud, nisi quia & unam naturam Christi Dei secundum Eutychianam & Severianam divisionem operari noscuntur? Denique orthodoxi Patres, qui in toto mundo claruerunt, sicut utrasque naturas, ita & voluntates ac operationes Christi docere concordi prædicatione monstrantur.

Comperimus autem, quod charta quædam mandata sit, in qua sacerdotes subscribere coacti sunt contra tomum beatæ memoriæ Papæ Leonis & Calchedonensium synodum : in qua charta quædam sunt per novitatem composita, quæ dogma Ecclesiasticum refutare omnino dignoscitur. Inspiret ergo divina cle-

a Rom. VII. 18. b Ibid. ℣℣. 19. 20. c Ibid. ℣. 23. d I. Cor. I. 24. e Ibid. ℣. 25. f Ephes. II. 1. 2. 3.

Sæcul. VII. circa Ann. Chr. 651.

mentia Christianissimæ pietati vestræ, & cum sitis custodes immaculatæ fidei nostræ, vos ad compunctionem incitet, quo eos, qui novis sunt adinventionibus corrumpendi, imperatoriis sanctionibus arceatis, & prædictam chartam, quæ in scandalum properat fidei, & locis publicis est suspensa, præcipiatis depositam scindi. Omnes enim, qui in Occidentalibus partibus hoc audierunt, sed & populi qui sunt Regiæ vestræ urbis, cognita prædictæ chartæ concinnatione, corde perculsi sunt. Erit enim per auctoritatem vestram & apostolicam perfectionem prædicta charta, quæ contra Calchedonensem synodum est composita, nunc & in omni tempore otiosa, & cunctis virtutibus irrita. Perfectio vero fidei quemadmodum usque in præsens refulsit, oramus ut & per vos, sicut etiam per piæ memoriæ Constantinum, divino auxilio in robore suo permaneat. Propter quod, Christianissimi & Christi fidei custodes, donate hoc munus in primordiis vestris Ecclesiæ matri vestræ, cujus estis post Deum opitulatores, ut fidem Sponsi ejus serpentina calliditas non audeat violare. Hoc in primordiis salutare sacrificium afferte Domino Deo nostro, & ab ejus Ecclesia omnis novitatis nebulam radio pietatis vestræ dispergite: quatinus Dominus Deus noster vicaria ope omnes quæ contra vos sunt, conterat nationes, quæque pacem & inexpugnabilem Deum repellunt. Quatinus vobis ea quæ sunt Dei curantibus, Deus quæ vestra sunt benignus dignetur perficere. Propter quod etiam mentis inclinato genu tota mecum Ecclesia supplicat, ut ab integritate immaculatæ fidei nostræ, quam sancti Apostoli nobis tradiderunt, & sanctissimi Patres doctrinis luculentissimis consignavere, novæ confusionis turbinem amovere dignetur. Quatinus Deus & Dominus noster, cujus fides immaculata custoditur, misericordias suas merito vobis & copiosissime largiatur, qui est omnipotens & Dominus sempiternus. Creator omnium ad vestrum benigne respiciat imperium, & gentes, quæ in sua feritate confidunt, inexpugnabili suo potentatu prosternat.

Sæcul. VII. circa Ann. Chr. 660.

DIFFLORATIO
EX * EPISTOLA S. MAXIMI
AD MARINUM PRESBYTERUM

Apologiam inter cetera pro Honorio facientis.

Græca sunt ex Editione Combefisii.

TON δέ γε τῆς Ρωμαίων Πάπαυ Ονώριον, οὐ κατηγορήσειν οἶμαι τῆς τῶν ἐμφύτων θελημάτων ἐπὶ Χριστοῦ δυάδος, ἐν τῇ γραφείσῃ πρὸς Σέργιον ἐπιστολῇ διὰ τὸ ἓν θέλημα φάναι, συνηγορήσειν δὲ μᾶλλον, καὶ ταύτην ὡς εἰκὸς συνιστᾷν, οὐκ ἐπ' ἀθετήσει τοῦτό γε λέγοντα τοῦ ἀνθρωπίνου καὶ φυσικοῦ τοῦ Σωτῆρος θελήματος, ἀλλ' ἐπὶ τοῦ μηδαμῶς τῆς ἀσπόρου συλλήψεως αὐτοῦ καὶ τῆς ἀφθόρου γεννήσεως προκαθηγεῖσθαι θέλημα σαρκὸς, ἢ λογισμὸν ἐμπαθῆ. μόνη γὰρ θέλησις θεία καὶ Πατρικὴ, δι' υἱοῦ μονογενοῦς αὐτουργοῦντος τὴν οἰκείαν σάρκωσιν, καὶ πνεύματος ἁγίου συνδρομῇ, ταύτην εἰργάσατο. καὶ ὅτι γε ταύτης ἔχεται τῆς ἐννοίας, δῆλον ἐντεῦθεν· εἰπὼν γὰρ, ὅτι διὰ τὴν ἄφραστον ἕνωσιν τῆς ἀνθρωπίνης καὶ θείας φύσεως, καὶ Θεὸς λέγεται παθεῖν, καὶ ἀνθρωπότης ἐκ τοῦ οὐρανοῦ κατελθεῖν μετὰ τῆς θεότητος, καὶ ταύτῃ δεῖξαι τὴν τῶν φυσικῶς προσόντων ἑκατέρᾳ φύσει τῶν τοῦ ἑνὸς Χριστοῦ καὶ υἱοῦ κατ' ἐπαλλαγὴν ἄκραν ἀντίδοσιν, ἐπάγει λέγων· ὅθεν καὶ ἓν θέλημα ὁμολογοῦμεν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ιησοῦ Χριστοῦ. πῶς, φησιν; ἐπειδὴ προδήλως ἐκ τῆς θεότητος προσελήφθη ἡ ἡμετέρα φύσις, οὐχ ἁμαρτία· τουτέστιν, οὐκ ἐκ τῆς ἁμαρτίας· μονονουχὶ συμφθεγγόμενος τῷ μεγάλῳ Ἀθανασίῳ γράφοντι τάδε κατ' Ἀπολιναρίου τοῦ δυσσεβοῦς· ἐγεννήθη ἐκ γυναικὸς, ἐκ τῆς πρώτης πλάσεως τὴν ἀνθρώπου μορφὴν ἑαυτῷ ἀναστησάμενος, ἐν ἐπιδείξει σαρκὸς δίχα σαρκικῶν θελημάτων καὶ λογισμῶν ἀνθρωπίνων, ἐν εἰκόνι καινότητος· ἡ γὰρ θέλησις θεότητος μόνη, ἐπειδὴ καὶ

HOnorium etiam Romanum Papam non diffiteri reor naturaliter in Christo voluntatum dualitatem, in epistola quam scripsit ad Sergium, eo quod unam dixerit voluntatem; sed potius confiteri, & hanc fortassis etiam constabilire. Nam hoc non in reprobationem dixit humanæ Salvatoris & naturalis voluntatis: sed quod nullatenus conceptionem ejus, quæ fuit sine semine, vel incorruptam nativitatem præcesserit voluntas carnis, vel cogitatio vitiosa. Sola namque voluntas divina atque paterna, per Filium unigenitum per semet operantem propriam incarnationem, sanctique Spiritus conventionem, hanc operata est. Et quod hunc sensum sectetur, hinc est manifestum. Cum enim dixisset, quia propter ineffabilem unitatem humanæ ac divinæ naturæ, & Deus dicitur pati, & humanitas de cælo cum divinitate descendisse; & hoc modo ostendisset eorum, quæ naturaliter insunt utrique naturæ unius Christi & Dei Filii per commutationem summam redditionem, subinfert: *Unde*, inquiens, *& unam voluntatem fatemur Domini Jesu Christi*. Quomodo ait? Quia profecto a divinitate assumta est natura nostra, non culpa: id est, non a peccato; propemodum cum magno effatus Athanasio, qui hæc contra Apolinarium impium scribit: Natus est ex muliere, de prima plasmatione hominis formam sibi erigens in ostensione carnis absque carnalibus voluntatibus, & humanis cogitationibus in imagine novitatis. Voluntas enim

* *Epistola*] In Græco titulus est, Μαξίμου τοῦ Αγιωτάτου μοναχοῦ καὶ ὁμολογητοῦ τόμος δογματικὸς πρὸς Μαρῖνον πρεσβύτερον, *Maximi sanctissimi monachi & confessoris tomus dogmaticus ad Marinum presbyterum.*

φύσις ὅλη θεότητος. ἐπειδὴ γὰρ τῆς δι' ἡμᾶς κατὰ σάρκα τοῦ Λόγου γεννήσεως ὑπὲρ ἡμᾶς ἡ πρόοδος γέγονεν· οὐ γὰρ σαρκὸς ἐμπαθὴς προηγήσατο θέλησις ἢ λογισμὸς, ὡς ἐφ' ἡμῶν ὁρᾶται, διὰ τὴν ἐξ ἀπάτης τοῦ γένους κατακρατοῦσαν ἡδονήν· ἀλλὰ θέλησις θεότητος μόνη δι' υἱοῦ αὐτουργοῦντος, ὡς ἔφην, τὴν οἰκείαν σωμάτωσιν κατ' εὐδοκίαν πατρὸς, καὶ συνέργειαν τοῦ παναγίου πνεύματος, καινοτομοῦντος ἐν ἑαυτῷ τε καὶ δι' ἑαυτοῦ τὸν ἐπεισαχθέντα τῇ φύσει τῆς γεννήσεως τρόπον, καὶ ἀσπόρως τὴν ἑαυτοῦ ποιουμένου σύλληψιν ἐκ τῆς ἁγίας θεοτόκου, καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας· τοῦτον δὴ τὸν ἄρρητον αὐτοῦ τῆς γεννήσεως σκοπήσαντες λόγον, ἐκεῖνος μὲν, θέλησιν μόνην ἐπ' αὐτοῦ θεότητος εἶπεν, οὗτος δὲ θέλημα ἓν τοῦ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ· ἐπειδὴ προδήλως, φησὶν, ἐκ τῆς θεότητος προσελήφθη ἡ ἡμετέρα φύσις, καὶ οὐχ ἁμαρτία, δίχα σαρκικῶν θελημάτων καὶ λογισμῶν ἀνθρωπίνων, ὡς ὁ θεῖός φησιν Ἀθανάσιος· οὐ μέν γε τὸ μὴ καὶ ὡς ἄνθρωπον αὐτὸν μετὰ τοῦ εἶναι φύσει Θεὸν οὐκ ἔχειν ἀνθρώπινον θέλημα καὶ φυσικὸν, ὥσπερ οὖν καὶ θεῖον καὶ πατρικόν.

Τὸ δ' αὐτὸ κἀν τοῖς ἑξῆς ὑπαινίττεται, φάσκων· χωρὶς ἁμαρτίας συνελήφθη ἐκ πνεύματος ἁγίου, καὶ τῆς ἁγίας ἀχράντου καὶ ἀειπαρθένου θεοτόκου Μαρίας, καὶ χωρὶς μολυσμοῦ ἐξ αὐτῆς κατὰ σάρκα γεγέννηται. τὴν δέ γε θείαν γραφὴν ἐπαινετῶς τε καὶ ψεκτῶς προάγει τῆς σαρκὸς μνημονεύουσαν, οὐχ ἑτέραν, μὴ γένοιτο, τῇ τε φύσει καὶ τῇ οὐσίᾳ τὴν τοῦ κυρίου σάρκα πρὸς τὴν ἡμετέραν ὑποβάλλων νοεῖν, ὅς γε ταύτην ἠπίστατο προσληφθεῖσαν ἐκ τῆς ἡμετέρας οὐσίας, ἤγουν τῶν τῆς ὁμοφυοῦς ἡμῖν ἀειπαρθένου καὶ θεομήτορος παναγίων σπλάγχνων, ἀλλ' ἑτέραν τῇ ἁμαρτησίᾳ, καὶ τὸ μηδαμῶς ἀντιταττόμενον ἔχειν, καθάπερ ἡμεῖς, ἐν τοῖς μέλεσι τὸν ἐκ παραβάσεως νόμον τῷ νόμῳ τοῦ πνεύματος. οὐ γὰρ προσελήφθη, φησὶν, ὑπὸ τοῦ σωτῆρος ἡ κατεφθαρμένη ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας σὰρξ, ἡ ἀντιστρατευομένη τῷ νόμῳ τοῦ νοὸς αὐτοῦ· οὗ τινος γὰρ οὐ προκαθηγήσατο ὁ καθ' ἁμαρτίαν διὰ σπορᾶς τῆς γεννήσεως νόμος, τοῦτο παντελῶς οὐδὲ τοῖς μέλεσιν ἐνυπάρχει. ἀλλὰ νόμος θείας δικαιοσύνης πρὸς ὑποτύπωσιν ἡμῖν ἐκφαινόμενος, καὶ τὸν ἐκ παραβάσεως ἐπεισαχθέντα τῇ φύσει τελείως ἐξαφανίζων. ἦλθε γὰρ, φησιν, ὁ ἀναμάρτητος ζητῆσαι καὶ σῶσαι τὸ ἀπολωλὸς, τουτέστι τὴν ἁμαρτήσασαν τοῦ ἀνθρωπίνου γένους φύσιν. ἕτερος γὰρ νόμος ἐν τοῖς μέλεσιν αὐτοῦ, ἢ θέλημα διάφορον ἢ ἐναντίον οὐ γέγονε τῷ [1] πατρὶ, ἐντεῦθεν δεικνὺς, οὐχ ὡς οὐκ εἶχεν ἀνθρώπινον θέλημα καὶ φυσικόν· οὐ γὰρ λέξας φαίνεται τοῦτο· ἀλλ' ὅτιπερ ὡς ἄνθρωπος οὔτε κατὰ σῶμα διὰ τῶν μελῶν τὴν οἱανοῦν ἐκέκτητο παρὰ φύσιν ἐνέργειαν, οὔτε μὴν κατὰ ψυχὴν θελήματος ἐναντίαν ἢ παράλογον κίνησιν, ὥσπερ ἡμεῖς, ἐπειδὴ καὶ ὑπὲρ νόμον ἀνθρωπίνης φύσεως ἐτέχθη.

Τρανώτερον δὲ κἀν τοῖς ἑξῆς παρίστησιν, ὡς ὁ λόγος οὐκ αὐτῷ μόνον τὸ ἐμπαθὲς, ἀλλ' οὐ τὸ φυσικὸν ἐπὶ τοῦ Σωτῆρος ἀποδιορίσασθαι θέλημα· καὶ ὅτιπερ, κἀν τῷ φυσικῷ καὶ ἀνθρωπίνῳ, πρὸς τὸ πατρικὸν καὶ θεῖον συνέβαινε μὲν, οὐδεμίαν τὴν ἐξ ἀντιπράξεως ἔχων πρὸς ἐκεῖνο διαφορὰν, ὑποτύπωσιν δὲ διδοὺς ἡμῖν ἑαυτὸν, τὸ οἰκεῖον ἑκουσίως ὑπέταττεν· συνίστη δὲ τὸ πατρικὸν, ᾧ ἂν καὶ ἡμεῖς ἐκμιμούμενοι, τὸ ἑαυτῶν ἀθετήσαντες, τὸ θεῖον διὰ πάσης σπουδῆς ἐκπληρώσωμεν, λέγων οὕτως· κἂν γέγραπται, ὅτι οὐκ ἦλθον ποιῆσαι τὸ θέλημα τὸ ἐμὸν, ἀλλὰ τοῦ πέμψαντός με πατρός· καὶ, οὐχ ὃ ἐγὼ θέλω, ἀλλ' ὅ, τι σὺ πάτερ· οὐχ

A ſola divinitatis eſt, quoniam natura tota divinitatis eſt. Denique Verbi propter nos ſecundum carnem nativitatis ſuper nos progreſſio facta eſt. Non enim carnis vitioſa præceſſit voluntas vel cogitatio, ſicut in nobis aſpicitur, propter generis deſiderium, quod a deceptione primi parentis obtinuit: ſed voluntas divinitatis ſola per filium, qui ſecundum beneplacitum Patris, & cooperationem Spiritus ſancti, propriam, ut dixi, per ſe operatus eſt incorporationem, gerens in ſe, & per ſe noviter invectum naturæ modum nativitatis, & ſine ſemine ſuam ipſius patrans conceptionem ex ſancta Dei genitrice ſemperque Virgine
B Maria. Hac ergo ineffabili nativitatis ejus inſpecta ratione, ille quidem voluntatem ſolam in eo divinitatis dixit, hic vero voluntatem unam Domini Jeſu Chriſti. *Quia profecto*, inquit, *a divinitate aſſumta eſt natura noſtra, non culpa, abſque carnalibus voluntatibus, & humanis cogitationibus, ut ſacratiſſimus Athanaſius ait*. Non tamen perhibuit eum tamquam hominem, quia eſt quoque natura Deus, non habere humanam voluntatem & naturalem, quemadmodum & divinam atque paternam.


Idipſum autem etiam in ſubſequentibus innuit, aſſerens: *Sine peccato conceptus eſt de Spiritu ſancto, & ſancta immaculata ſemperque Virgine Dei genitrice Maria, & ſine contagione ex ea ſecundum*
C *carnem natus eſt*. Divinam quoque Scripturam in laudem & vituperationem profert carnis memoriam facere. Non aliam, abſit, natura & ſubſtantia Domini carnem, quam noſtram commonens intelligendam: qui etiam hanc ſciebat aſſumtam ex noſtra ſubſtantia, id eſt ex congenitæ nobis ſemper Virginis & Dei matris ſanctis viſceribus: ſed alienam a vitio, & nullatenus legem prævaricationis habentem, ſicut nos, in membris repugnantem ſpiritus legi. *Non enim aſſumta eſt*, ait, *a Salvatore caro a peccato corrupta, quæ repugnaret legi mentis ejus*. Cujus enim ſementationem, quæ per peccatum efficitur, non præceſſit generationis lex, hujus omnino nec in membris eſt: ſed lex
D divinæ juſtitiæ ad imaginationem nobis oſtenſa, & eam quoque, quæ ex prævaricatione naturæ illata eſt, perfecte demolitur. Venit enim ſine peccato quærere & ſalvare quod perierat, id eſt naturam humani generis quæ peccaverat. Alia enim lex in membris ejus, aut voluntas diverſa vel adverſa, non fuit in Salvatore. Hinc oſtendit, non quod non habuerit humanam voluntatem & naturalem, (non enim hoc dixiſſe videtur) ſed quod ſicut homo neque ſecundum corpus per membra quamlibet habeat præter naturæ leges operationem, neque rurſum ſecundum animam voluntatis contrarium, vel ſine ratione motum, veluti nos: quia & ſuper
E legem natus eſt humanæ naturæ.

Expreſſius autem & in ſubſequentibus comprobat, quod ſermo ſibi eſſet tantum, vitiatam & non naturalem a Salvatore diſterminandi voluntatem, & quod in naturali ac humana ad paternam ac divinam coaptaretur quidem, ſed nullam haberet ad illam ex repugnatione diverſitatem: normam autem dans nobis ſeipſum, quod proprie ſuum erat, voluntarie ſubjiciebat, commendabat vero paternum. Quatinus & nos imitati, quod noſtrum eſt reprobato, quod divinum eſt omni ſtudio expleamus, dicens ita: *Licet enim ſcriptum ſit:* [a] *Non veni facere voluntatem meam, ſed ejus qui miſit me Patris*. Et, [b] *non quod ego volo, ſed quod tu,*

[a] Joan. VI. 38. [b] Marc. XIV. 36.

[1] Forte Σωτῆρι.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 660.



εἰσὶ ταῦτα διαφόρου θελήματος, τουτέστιν ἐναντίου καὶ ἀντιπράττοντος· ἀλλὰ τῆς προσληφθείσης ἀνθρωπίνης οἰκονομίας, οἰκειουμένης συμπαθῶς τὰ ἡμέτερα. ταῦτα γὰρ δι' ἡμᾶς ἔλεγεν, οἷς δέδωκεν παράδειγμα ὁ τῆς εὐσεβείας διδάσκαλος, ἵνα τοῖς ἴχνεσιν αὐτοῦ ἑπώμεθα· καὶ μὴ τὸ ἴδιον ἕκαστος ἡμῶν, ἀλλὰ τὸ τοῦ κυρίου μᾶλλον ἐν πᾶσι προτιμήσῃ θέλημα. οὐκ ἀναίρεσιν οὖν, ὡς ἔφην, τοῦ φυσικοῦ καὶ ἀνθρωπίνου θελήματος, ἀλλὰ τοῦ ἐμπαθοῦς καὶ παρὰ φύσιν ποιεῖ· καὶ δι' ὅλου φάναι, τὸ πάσης ἁμαρτίας ἐλεύθερον, τὸ καθ' ἡμᾶς, ἐπιμαρτύρεται τὸν δι' ἡμᾶς σαρκωθέντα Θεόν.

Καὶ ἵν' ἐπιτόμως εἴπω· διὰ τοῦ ἑνὸς θελήματος, τὸ μόνην τῆς αὐτοῦ κατὰ σάρκα γεννήσεως τὴν θείαν προκαθηγήσασθαι θέλησιν δηλοῦν αὐτὸν οἶμαι· διὰ δὲ τοῦ μὴ ὑπάρχειν θελήματος διαφορὰν, τὸ ἐναντίον οὐκ ἔχων ἢ ἀντιπρᾶττον, ἀλλὰ τὸ συμβαῖνον δι' ὅλου καὶ ἡνωμένον· ὅθεν ἡνίκα μὲν τὴν ἡμετέραν φύσιν ἐκ τῆς θεότητος προσειλῆφθαι λέγῃ, θελήματος ἑνὸς μνημονεύει· ἡνίκα δὲ τὸ, οὐκ ἦλθον ποιῆσαι τὸ θέλημα τὸ ἐμὸν, εἰς μέσον τῷ λόγῳ προτίθησι, τὸν ἀριθμὸν ἀφεὶς, οὐκ εἰσὶ ταῦτα, φησι, διαφόρου θεμήματος, τουτέστιν ἐναντίου καὶ ἀντικειμένου. ἐξ οὗ τὸ δύο κατὰ φύσιν ὑπάρχειν ἐν τῷ σωτῆρι θελήματα προδήλως συνάγεται. εἰ γὰρ ἐναντίον οὐκ εἶχεν, φυσικὸν εἶχεν ὡς ἄνθρωπος. τὸ γὰρ οὐκ ἐναντίον, φυσικὸν πάντως, καὶ οὐδεὶς ἀντερεῖ· οὐδὲν γὰρ ἐν τῇ φύσει ἢ τοῖς κατὰ φύσιν παντελῶς ἐναντίον. δέος οὖν [1] πολλὰ βαίνειν, ὃ μὴ κυρίως ἐν τοῖς ἑαυτοῦ γέγραφε λόγοις, καὶ μηχανᾶσθαι τοὺς δι' ἐναντίας οἰκείας δόξης ὡς οὐκ ἀρίστης ἐπικάλυμμα ποιεῖν τ' ἀνδρὸς τὰ γράμματα, καθ' ἕτερον ταῦτα παρὰ τὸν ἐκείνου σκοπὸν παρεξηγουμένας. συνηγοροῦντα γὰρ ἔχει τὸν λόγον, πᾶσαν τῆ ἐπηρεαστῆ καταδρομὴν ἀπελαύνοντα.

Καὶ οὕτω μὲν ἔγωγε τὸν νοῦν ἔχειν ὑπολαμβάνω, πάσης ὄντα καθαρὸν ὑποψίας. βεβαιότερον δέ μοι τοῦτον πεποίηκεν ἐκ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης ἐπανελθὼν ὁ ὁσιώτατος πρεσβύτερος κύριος ἀββᾶς Ἀναστάσιος, ἀνὴρ, εἰ καί τις ἄλλος, ἀρετῇ τε θείᾳ καὶ φρονήσει κεκοσμημένος· καὶ φήσας ὡς πολὺς αὐτῷ λόγος κεκίνηται πρὸς τοὺς ἐκεῖσε τῆς μεγάλης ἐκκλησίας ἱερωτάτους ἄνδρας, διὰ τὴν πρὸς Σέργιον ἐξ αὐτῶν γραφεῖσαν ἐπιστολὴν, ὅτου χάριν καὶ πῶς αὐτῇ διερωτῶν ἐνετάγη τὸ ἓν θέλημα; καὶ εὗρεν ἀσχαλῶντας ἐν τούτῳ, καὶ ἀπολογουμένους, καὶ πρὸς αὐτοῖς τὸν ταύτην ἐν λατίνοις ὑπαγορεύσαντα, κατὰ κέλευσιν αὐτοῦ κύριον ἀββᾶν Ἰωάννην τὸν ἁγιώτατον σύμπονον, ἰσχυριζόμενον, ὡς οὐδαμῶς ἐπίμνησιν ἐν αὐτῇ δι' ἀριθμοῦ πεποίηνται ἑνὸς τὸ παράπαν θελήματος, εἰ καὶ τοῦτο νῦν ἀνεπλάσθη παρὰ τῶν ταύτην ἑρμηνευσάντων εἰς τὴν Ἑλλάδα φωνήν. οὔτε μὴν τὴν οἱανοῦν κυρίωσιν ἢ ἐκβολὴν τοῦ κατὰ τὸ ἀνθρώπινον φυσικοῦ τοῦ σωτῆρος θελήματος, ἀλλὰ τοῦ καθ' ἡμᾶς καὶ διαβεβλημένου τελείαν ἀποσκευὴν καὶ ἀναίρεσιν, καθ' ὃ καὶ ὁ πρὸς ἄλληλα τῶν ὁμογενῶν συνίσταται πόλεμος. δεῖξαι βουλόμενος πάσης οὖσαν καθαρὰν ἁμαρτίας τὴν προσληφθεῖσαν σάρκα, κατὰ τὴν τῶν ἱερωτάτων λογίων, καὶ τῶν πατρικῶν διδαγμάτων παράδοσιν. καὶ φαίνονταί πως διὰ τῶν τοιούτων λόγων, συνᾴδοντες τοῖς ἀρτίως ἐξηγηθεῖσι παρὰ τῆς ἐμῆς οὐδενίας, καὶ οἷον ἐπισφραγίζοντες τὴν ὑπὲρ Ὀνωρίου γενομένην συνηγορίαν.

Ταῦτα γοῦν ἀπολογησαμένους διαγνοὺς, ἐθαύ-

A *Pater, non sunt hæc diversæ voluntatis, id est, contrariæ ac repugnantis, sed dispensationis humanitatis assumtæ, quæ sua compassibiliter fecit quæ nostra sunt. Ista enim propter nos dicebat, quibus dedit exemplum pietatis magister, ut sequamur vestigia ejus, & non suam unusquisque nostrum, sed Domini potius in omnibus præferat voluntatem.* Non ergo interemtionem, ut dixi, naturalis & humanæ voluntatis, sed vitiosæ, ac ejus quæ est extra naturam, facit: & ut totum fateamur, ab omni peccato Deum liberum esse testatur, qui secundum nos propter nos incarnatus est.


Et ut compendio dicam, per unam voluntatem B solam ejus secundum carnem nativitatem eum divinam præcessisse voluntatem indicare conjicio. Per id vero quod ait, non esse voluntatis ejus diversitatem, contrarium vel repugnans quid non eum habere perhibet, sed conveniens & prorsus unitum ex toto. Unde cum nostram quidem naturam de divinitatis voluntate dicit assumtam, unius mentionem facit. Illud autem quod introducit, *Non veni facere voluntatem meam*, in medium verbo præponit, omisso numero: Non sunt, inquit, hæc diversæ voluntatis, id est contrariæ atque adversatricis. Ex quo duas secundum naturam existere in Salvatore voluntates manifeste colligitur. Si enim contrariam non habuit, natura- C lem habuit tamquam homo. Quod enim non est contrarium, naturale profecto est. Et nemo contradicet. Nihil quippe in natura, vel in his, quæ sunt secundum naturam, est omnino contrarium. Timor ergo est opinari, quod in ejus proprie non est sermonibus scriptum, & moliri adversarios propriæ opinionis tamquam non bonæ ad velamentum illius viri literas faciendum, secundum utrumque has præter illius intentionem falso referentes. Advocatum quippe habet rationis sermonem omnem calumniatoris abigentem incursum.

Et ego quidem sic se illius habere sensum existimo, ab omni suspicione purgatum. Certiorem autem mihi hunc sanctissimus fecit Presbyter, do- D minus videlicet Anastasius Abbas a seniori Roma reversus, vir scilicet incomparabilis, virtuteque divina & prudentia venustatus: qui afferens, quod multum sermonem moverit ad sacratissimos magnæ illius Ecclesiæ viros, propter epistolam, quæ ab eo fuerat ad Sergium scripta, percontans cujus rei gratia, vel qualiter in ea inserta fuerit una voluntas, & invenit hæsitantes in hoc, & rationem reddentes; insuper & eum, qui hanc per jussionem ejus Latinis tractaverit dictionibus, dominum videlicet Abbatem Joannem sanctissimum [2] symponum, affirmantem, quod nullomodo mentionem in ea per numerum fecit unius omnimodis voluntatis: licet hoc nunc sit fictum ab his, qui hanc in Græcam E vocem interpretati sunt. Verum nec quamlibet exinanitionem vel abolitionem naturalis secundum humanitatem Salvatoris voluntatis, sed ejus quæ nostra est, & reproba facta, perfectam dejectionem & interemtionem. Juxta quod & in invicem eorum quæ unius generis sunt efficitur bellum. Ostendere volens, ab omni esse peccato mundam assumtam carnem, secundum sacratissimorum eloquiorum, & paternarum doctrinarum traditionem. Et apparet qualiter hujusmodi sermones concinentes sint cum his, quæ modo sunt ab exiguitate mea recitata, & veluti astipulatores factæ pro Honorio defensionis.

Ego, cum hæc ille ratiocinando respondisset,

1. f. ἐπιβαλεῖν.

2. H. e. *collaboratorem*, ut infra.



μασα λίαν αὐτῶν τὴν ἀκρίβειαν, ὥσπερ οὖν καὶ κατεπλάγην τὴν πανουργίαν τῶν πάντα τολμώντων ὑπὲρ ἑνὸς τοῦ διακενῆς ἀσεβεῖν, καὶ θελόντων, ὡς ἔθος αὐτοῖς πάλαι καὶ νῦν, παρακλοποῖς τισι καὶ παρεξηγήσεσι τινὸς ἐνθύμως καθ' αὐτῶν ἀγωνιζομένους, τό γε παρὰ τὸ εἰκὸς, εἰς ἑαυτοὺς ἐπισπᾶσθαι, καὶ τὸν νοῦν σφετερίζεσθαι μηδαμῶς συνεπόμενον. ἀναγκαίως οὖν καὶ τοῦτο μαθὼν δεδήλωκά σοι, θεοτίμητε πάτερ, ὡς ἂν διὰ πάντων φραξάμενος ἔχοις ὅπως διακρούσῃ τῶν ἐναντίων τὰς φάλαγγας, λόγῳ τε βάλλων ἀτόνως καὶ πίστει κατὰ κράτος ὑπερνικῶν, δόξαν τε τὴν τοῦ μονογενοῦς ἐντεῦθεν εἰς ἀνάρρησιν ἔχων, καὶ διάδημα τὴν αὐτοῦ κατὰ χάριν κοινωνίαν καὶ ἕνωσιν.

A miratus sum oppido cognoscens subtilitatem ipsorum, & obstupui quodammodo super astutia eorum, qui pro uno frustra omnia gerere impie audent, & volunt, sicut eis ab olim moris, & nunc est, furtivis & falsis narrationibus, eos qui contra se magnanimiter agonixant, taliter, quin & absque omni ratione ad se ipsos attrahere, & sensum fraudare, qui se nullatenus sequitur. Necessario ergo & hoc cum didicissem, significavi tibi domino, honorabilis Pater, quatinus per omnia munitus, habeas qualiter insequaris adversariorum phalanges: verboque indefesse jaciens, & fide potenter superans, gloriamque hinc Unigeniti in præconium habens, & diadema hujus communionem per gratiam B & unitatem.

D I F F L O R A T I O

EX EPISTOLA EJUSDEM S. MAXIMI

SCRIPTA AD PETRUM ILLUSTREM.

Ubi Pyrrhi & sancti Sophronii Hierosolymitani episcopi, atque Papæ Honorii mentionem facit, ita post aliqua prosequutus.

VEstris laudabilibus syllabis [1] dignatus es significare indigno servo tuo propter Abbatem Pyrrhum. *Et post pauca*. Et futurum profecto esset, ut hac forte pro caussa ad redargutionem illius & omnium, qui secundum illum impiam novitatem sectantur indifferenter, ad divinitus conservanda tua & famosissima vestigia properarem. Quatinus scirent omnes, qui secundum vos pietatis sunt amatores, illorum una cum omni prorsus inscitia, impietatis quoque superfluam abundantiam. Sed timui ne putarer extra sacra quidquam agere jura, præter voluntatem hoc faciens sanctissimæ Sedis apostolicorum virorum, qui universam plenitudinem catholicæ Ecclesiæ bene ducunt, & ordinate secundum divinam legem deducunt. Quoniam hac divina videlicet lege consistunt cælestia & terrestria, & oportet ab ea nequaquam exorbitare, sed quæ sunt divina secundum Deum agere illos, qui D sancte secundum vos vivere proposuerint: quatinus & Deum gestorum habeant curatorem, & sine successu receptionem. Quoniam, famosissime domine, pejor his est, quod & antea intimavi, etiam ab antiquis hæreticis nova fides & expositio. Hanc enim multis quibus perduravit annis in episcopatu ad manifestationem reprobæ mentis suæ, (nam Deus & ad nequitiæ propalationem sæpe novit longanimiter sustinere: non ut hanc ampliorem per inducias reddat, sed ut hanc ampliorem factam justius puniat) decessor quidem ejus impie in utero aluit, iste vero magis impie genuit. Et rursus posteriores horum in contemtum excolunt divinitatis. *Et paullo post*. Et quod adhuc deterior illis est E mos, & veluti speciale omnium perversorum hæreticorum indicium, quia & suæ ipsius impietatis obnoxios, describunt innoxios. Sophronium quippe, qui prudenter divina perdocuit & prædicavit Ecclesiæ catholicæ dogmata, se in errorem movisse hac illacque susurrant. *Et post pauxillum*. Divinus enim Sophronius, ut ipsi testamini, laudabilissimi, in Afrorum regione mecum & cum omnibus peregrinis monachis moras agebat, cum ipsi perversitates illas fabricarent adversus omnes. *Et post pusilla*. Et erat quidem domus omnium per C divinam concordiam & unanimitatem in unum Dei favente gratia in universitate, quæ sub sole consistit, pacifica & tranquilla fide munitis Ecclesiis. Hi vero, qui horum invidebant consonantiæ, ac in Christum Deum confessioni, veluti quamdam caliginosam nubem, & stridentem vel gravem fluctum maris ac barbarorum, nemine hos movente, quam solo dæmone turbationis amico, qui genus humanum ad simultatem concitavit, repente contra veram Christianorum fidem novam excogitaverunt ecthesim. Deinde sententias pro ea, & compositiones injustas. Dein actiones monumentorum. Deinde Synodos latrocinales, & concursus episcoporum non voto convenientium, sed violentia contractorum, non exhortatione properantium, sed ex fuga barbarorum peregre proficiscentium. Dein jussiones & minas huc atque illuc adversus pios transmissas. Nam eum, qui tunc imperabat, sophistice muneribus in servitutem redigentes. *Et post pauca*. Ex proprio nomine viro ecthesin producere persuaserunt. *Paullo post*. Fit autem horum inimicus pariter & defensor, an potius afferendum fautor & accusator horum publicans argumentum: & innotescens quod ipse nequaquam ex se fuerit motus, sed ab illis coactus, impiissimam fecerit ecthesim in scriptis pro se ipso hæc dicens, & rationem reddens Joanni sanctæ memoriæ quondam Papæ senioris Romæ. *Et post pauxillum*. Convincunt autem se ipsos, quod isti valde manifeste fortissimi hanc fecerint, & nullatenus ille. Neque enim quodlibet super hoc habuit studium, ut pote ad alia circumlatus. *Post brevia*. De quibus omnibus miseri nec sensus apostolicæ facti sunt Sedis, & quod est risu, immo ut magis proprie dicamus, lamento dignissimum, utpote illorum demonstrativum audaciæ, nec adversus ipsam apostolicam Sedem mentiri temere pigritati sunt: sed quasi illius effecti consilii, & veluti quodam ab ea recepto decreto, in suis contextis pro impia ecthesi actioni-

1. Συλλαβαῖς pro literis.

Sæcul. VII. circa Ann. Chr. 660.



bus secum magnum Honorium acceperunt, suæ præsumtionis attestationem ad alios facientes viri in caussa pietatis maximam eminentiam. Quis itaque, o famosissime, & qualis Sophronius hæc & tam atrociter & per tantum temporis facere his falsiloquis persuasit? quæ hos non rogavit Ecclesia? quis pius & orthodoxus non supplicavit Antistes, cessare illos a propria hæresi clamando & obtestando? Siquidem ultima sua expirabat sacer Archadius, & spiritum Deo tradebat, sed nec usque ad horam illam eos rogare cessavit. *Et post pauca*. Quid autem & divinus Honorius, quid vero & post illum Severinus senex? quid denique & is, qui post hunc exstitit, sacer Joannes? Porro is qui nunc præsidet beatissimus Papa, omisit quidquam supplicationi conveniens? Nonne Oriens totus & Occidens lacrymas, lamenta, obsecrationes, deprecationes ex æquo tam Deo per orationes, quam his per epistolas afferebant? Sed Deus quidem horum profecto beatorum virorum finem admisit, & pro ea vicissitudine in sæcula conservavit. Illi autem Domini contemnentes inducias, ad conversionem hos benigne cohortantes, & horum egregiorum facta per tot tempora supplicatione torpentes, suæ nequaquam passi sunt cælestem fidem præferre. *Post aliqua*. Divinus ergo magnusque Sophronius tunc Alexandriam veniens, mox ex prima lectione (dederat enim etiam ipsi Cyrus ad retractandum illa novem impietatis capitula) lugubre quiddam & ingens vociferatus, fontes emittebat lacrymarum, illum fervide obsecrans, supplicans, expostulans, in pavimento ipsius vestigiis provolutus, quo nihil horum super ambonem contra catholicam Dei Ecclesiam prædicaret, quippe cum hæc liquido impii essent Apolinarii dogmata. *Et paullo post*. Taliter viri, o mihi præ omnibus reverendum caput, divina Deo perosis insultationibus, & invicem scenicis quodammodo illusionibus lacerabant, & sacratissimum Sophronium tam miserabiliter lamentatum, utpote contritionem more cujusdam secundi Hieremiæ Catholicæ deflentem Ecclesiæ, tantumque divinorum lapsum bene valde & compatientissime dogmatum deplorantem, nullatenus consolati sunt. *Et post nonnulla*. Si enim Romana Sedes non solum reprobum Pyrrhum, sed & male sentientem & male credentem non nescit, perspicuum profecto est, quia omnis, qui eos, qui Pyrrhum reprobaverunt, anathematizat, Sedem Romanam, id est catholicam Ecclesiam anathematizat: omitto enim dicere, quia utique & seipsum, qui talis est, si dumtaxat Sedi Romanæ communicat, Catholicæque Dei Ecclesiæ. Obsecro igitur, benedicte domine mi, præcipere omnibus, ne Pyrrhum sanctissimum vel almificum nominent. Neque enim tale quid sacra regula eum vocari permittit. A cuncta enim cecidit sanctitate, qui nimirum ab Ecclesia Catholica sponte prosiliit. Non enim fas est illum ex quacumque laude cognominari, qui jam olim damnatus est, & abjectus ab Apostolica Sede Romanæ urbis, ob externæ sensum opinionis, donec ab ea recipiatur conversus ad ipsam, immo ad Dominum Deum nostrum per piam confessionem, & orthodoxam fidem, qua sanctificationem recipiat, sanctumque vocabulum. Itaque si vult hæreticus neque esse, neque audiri, non isti aut illi satisfaciat, superfluum quippe hoc & irrationabile est; quia sicut uno contra eum scandalizato omnes scandalizati sunt, ita quoque uno satisfacto, omnes proculdubio satisfiunt. Festinet pro omnibus Sedi Romanæ satisfacere. Hac enim satisfacta, communiter ubique omnes pium hunc & orthodoxum prædicabunt. Nam frustra solummodo loquitur, qui mihi similes suadendos ac surripiendos putat, & non satisfacit & implorat sanctissimæ Romanorum Ecclesiæ beatissimum Papam, id est Apostolicam Sedem, quæ ab ipso incarnato Dei Verbo, sed & omnibus sanctis Synodis, secundum sacros canones & terminos, universarum, quæ in toto terrarum orbe sunt, sanctarum Dei Ecclesiarum in omnibus & per omnia percepit & habet imperium, auctoritatem & potestatem ligandi, atque solvendi. Cum hoc enim ligat & solvit etiam in cælo Verbum, quod cælestibus virtutibus principatur. Si enim alios quidem satisfaciendos ducit, & beatissimum Romanum Papam nequaquam implorat, simile quiddam agit ei, qui forte homicidii, vel alterius cujusdam criminis redarguitur, & insontem se non ei, qui secundum leges judicandi jura sortitus est, exhibere festinat: sed tantum inutiliter & sine lucro aliis, & privatis hominibus munditiam monstrare sui satagit actus, qui nullam habeant se solvendi a crimine potestatem. Quapropter, benedicte mi domine, adhuc magis extende præceptionem, quæ bene vobis, & secundum placitum Dei visa fuisse dignoscitur, quo nemini licentiam habeat iste quicquam loqui, & obloqui dogmatis caussa. Sed liquido discite voluntatem hujus abundantius investigantes, si velit annuere penitus veritati: & si hoc agere studuerit, & ad id secundum rationem accelerat, hortamini eum suggestionem convenienter facere ad beatissimum Papam Romanum: quatinus sic per illius divinam præceptionem, regulariter quæ circa ipsum sunt & decentissime moderetur ad gloriam Dei, & vestræ laudem sublimitatis.

EXCERPTUM
EX EPISTOLA S. MAXIMI
DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI
Scripta ad Marinum presbyterum Cyprium.

NON in tot hujus sanctissimi Papæ Synodica, quot scripsistis, capitulis Constantinopolitani reprehenderunt, sed in duobus tantum. Quorum alterum est de divinitatis ratione, quia dixit, ajunt, procedere etiam ex Filio Spiritum sanctum. Alterum vero de divina incarnatione, quoniam scripsit, inquiunt, absque originali & actuali peccato Dominum esse. Et in priore quidem consonantia protulerunt testimonia Latinorum Patrum, necnon & Cyrilli Alexandrini de sacro ipsius opere, quod in sanctum Evangelistam fecit Joannem, ex quibus non caussam Spiritus sancti filium se facere monstraverunt. Unam enim norunt caussam Filii ac Spiritus esse Patrem: alterius quidem se-



cundum generationem, alterius vero secundum emissionem: sed ut hunc per eum prodire insinuarent, & hanc substantiæ communionem & indissimilitudinem demonstrarent. In posteriori autem non est opus omnino defensione. Quæ enim in hoc sit altercatio, quamvis ita calumniatoribus ob suam perversitatem videatur? Verum prosecuti sunt, dicentes, quod nec in mente habuerit peccatum, secundum quod primus vitiatus fuisse apparet Adam, nec actionem mali & operationem. Ergo isti quidem hæc, de quibus non rationabiliter impetiti A sunt: illi autem, de quibus & valde juste, nullam nunc usque fecerunt apologiam, quia nec abjectionem eorum, quæ ab eis introducta sunt. Porro, secundum jussionem vestram, rogavi Romanos interpretari propria dicta, caussa furtivas adversantium surreptiones effugiendi. Verumtamen more obtinente ita faciendi atque mittendi, nescio utrum consentiant. Alias autem nec valent in aliena dictione ac voce sensum suum, sicut in propria vel alumna, subtili exprimere diligentia, vel etiam quemadmodum nos in nostra nostrum.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 648.



SYNODICA SANCTISSIMI THEODORI PAPÆ AD PAULLUM PATRIARCHAM CONSTANTINOPOLITANUM.

Synodicas fraternitatis vestræ literas, datas per Georgium Presbyterum & Petrum Diaconum nos suscepisse significamus, quarum percurrentes textum, invenimus eam inter spem & metum, quemadmodum inter fidum gemini litoris portum, confidentem pariter & fluctuantem, & non frustra. Nam sacerdotium grave onus est, quod scilicet aliorum vitæ cura fatigat, juxta quod scriptum est: [a] *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?* Et quanto metu sacerdotalis mens concutitur, ne forte per silentium vel immoderatum eloquium maculetur, tanto spe & maxima propriæ fortitudinis penna ad altitudinem sublevatur, quando de subjectorum profectu gratulatur. Scriptum est enim: [b] *Ubi plurimæ segetes*, C *ibi manifesta fortitudo boum*. Hinc e contra metus reverberat. Scriptum namque est: [c] *Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam. Illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis sermonibus. Fac ergo quod dico, fili mi, & temetipsum libera, quia incidisti in manum proximi tui. Discurre, festina, suscita amicum tuum: ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Eruere quasi damula de manu, & quasi avis de insidiis aucupis*. Audivimus, dilectissime frater, per timorem periculum nostrum, audiamus per spem repromissum consolationum solatium. [d] *Ego sum*, inquit Deus, *pars hereditatis tuæ*. Et iterum: [e] *Sacerdotes tui induant justitiam*. D Timor autem concutit, cum alias dicitur: [f] *Cui multum creditur, multum ab eo exigetur*. Et iterum: [g] *Potentes potenter tormenta patientur*. Et rursus spes nos refovet, ubi ait: [h] *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem exquirent ex ore ejus, quoniam angelus Domini exercituum est*. Inter tot ergo procellas atque tranquillos fluctus æstuare profundum, quid aliud est, nisi in portu asperrimi litoris navim mentis nostræ tempestatibus concuti? Sed quia majorem fiduciam ex longanimitate Dei Evangeliorum habere cognoscimur, spe gaudentes hujusmodi æstum nullo modo formidamus. Nos ergo quid, nisi dispensatores unius pastoris sumus? Ipso enim pascente pascimus, & regente regimus, quoniam omnes sub eodem pastore cum ovibus ipsius oves pascuæ sumus. Neque enim nostris viribus, B sed Dei gratiæ deputamus quod sumus. Tantum restat, ut cum divino auxilio petendo, quærendo, pulsando, fide & opere donum gratiæ irreprehensibiliter exhibere possimus, quo conculcatis vitiis, virtutum repromissa præmia percipere mereamur. Superbia, quæ est initium omnis peccati, longe a Sacerdotum mentibus fiat. Avaritia rursus, quæ est idolorum servitus, atque omnium malorum radix, abscissa, & a turbine pulveris sui procul amota destruatur, quæ excæcat etiam oculos sapientum. Dilectionem igitur omnium virtutum matrem, sine qua nihil perficitur, & in qua omnes virtutes pacis completæ vinculo indissolubiliter continentur, fide recta & spe certa studio indesinenti teneamus. Et quoniam fide hominum corda purgantur, lecti apices dilectionis vestræ limpida fidei fluenta vos de fontibus Salvatoris hausisse, & sicut prædicamus prædicare, & quemadmodum credimus credere, & sicuti docemus indiminute docere manifestarunt. His ergo ita se habentibus, cum ea quæ a Pyrrho adversus Apostolicam fidem nostram ad subversionem Synodalium decretorum prolata sunt, tam per dogma Sedis Apostolicæ, quod expositum est a prædecessore nostro, quam per jussionem filii nostri mansuetissimi Principis destructa sint: quamobrem fraternitas tua a publicis locis chartam, quæ suspensa pridemque cassata fuerat, non abstulit? quæ scilicet scandalum sanctis Dei Ecclesiis non modicum intulit. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit in salutem. Si dejiciendum ergo ejusdem Pyrrhi conamen fraternitas vestra ducit, qua pro caussa prædictam chartam de pariete non deposuit? Nemo quippe quod abominatur colit. Si autem, quod absit, hujusmodi scriptum amplectitur, cujus rei gratia nobis hoc per propria Synodica sua minime patefecit? Neutrum enim sine horum alterius dejectione indemniter stare potest. Nam si recta fides, quæ tot Conciliis roborata est, ab Heraclio & Pyrrho cum quadam additione & emendatione corrigitur: ergo fides a Patribus subtiliter examinata commoveri cognoscitur, & mortui vacua spe beatitudinis deciderunt: quod avertat Deus a fidelium cordibus. Hi enim qui defuncti sunt minime perierunt. Pretiosa namque in conspe-

a II. Cor. XI. 29. b Prov. XIV 4. c Prov. VI. 1-5. d Num. XVIII. 20. e Psalm. CXXXI. 9. f Luc. XII. 48. g Sap. VI. 7. h Malach. II. 7.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 648.

ctu Domini mors Sanctorum ejus. Et qui vivunt in hac fide, mundi effecti sunt: Patrumque dogma signata fide verum & pium firmiter est posteris traditum. Restat igitur, quod contra fidem promulgatum est, irritum fiat, & cum auctore proprio destruatur. Porro mirati sumus quia episcopi, qui fraternitatem tuam consecraverunt, sanctissimum illum in literis suis dixerunt. Sed & quia propter vulgarem turbationem & odium, Ecclesiæ hunc Constantinopolitanæ abrenuntiasse significaverunt. Propter quod etiam in ambiguitate positi, quæ a fraternitate vestra scripta sunt judicaveramus ad modicum quid differre, donec jam dictus Pyrrhus ab episcopatu Ecclesiæ Constantinopolitanæ pelleretur. Nam turbatio & odium populi episcopatus gradum nescit auferre. Canonica enim vindicta super eo debuerat provenire, quo fraternitatis tuæ consecratio irreprehensibilis & firma consistat. Scriptum est enim: [a] *Si vir ejus mortuus fuerit, soluta est a lege viri. Si autem vir ejus vivit, adultera vocabitur si fuerit cum alio viro.* [b] *Erunt enim duo in carne una. Mysterium autem hoc magnum est*, ait Apostolus: *Ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Etenim licet indigni simus, locum tamen ejus in Ecclesiis adimplemus. Vivente itaque prædicto Pyrrho, & nondum natura vel culpa exstincto, ne forte fieret schisma oportuerat præcaveri. Ut ergo fraternitatis vestræ sacerdotalis robustior ordo permaneat, oporteat debitum adversus eum colligi episcoporum ex propinquioribus locis conventum. Præcipimus enim super hoc etiam carissimis filiis nostris Serico Archidiacono, & Martino Diacono, & Apocrisiario, quibus & locum nostrum ad hujus rei deliberationem credimus: quatinus cum fraternitate vestra prædicti Pyrrhi culpa regulariter exquiratur. Non enim præsentia ejus necessaria est, ubi excessus ejus, & scripta veritati repugnantia præsto sunt, ut cum de his dijudicatur, modis omnibus condemnetur. Primo quidem, quoniam Heraclium, qui anathematizavit inviolabilem orthodoxorum Patrum fidem, diversis laudibus extulit, & sophisticam jussionem ipsius, in qua quasi symbolum fidei composuit, subscribendo firmavit, furtivisque surreptionibus quosdam Sacerdotes apud se singulatim prædictam chartam roborare coegit, & in publicis locis suspendere ad destructionem Calchedonensis Concilii audaci transgressione præsumsit. Unde non modicum dissensionis scandalum Ecclesiis Dei disseminavit, & obtestatione conventus a decessore nostro corrigi parvipendit. His igitur & aliis in Synodo fraternitatis vestræ requisitis, canonicæ hunc exsecutioni summittite, ut sacerdotali ordine & episcopali legislatione, ac regulariter eo sacerdotio denudato, non solum fides illibata permaneat, sed & fraternitatis vestræ gradus episcopalis firmior conservetur. At vero, si diligenter fraternitas vestra, dum consiliatur, perspexerit fautores jam dicti Pyrrhi circumstrepere, & senseritis crebro, insolenter præsenti negotio quod diffiniendum est im- A pedimentum per dilationem afferre, ut proprium compleant quandoque consilium, vobis contradicentes, nisi juxta votum suum quidquam proveniat; & si ob hoc fraternitatem vestram obnoxiam facere, vel etiam schisma de eadem persona tentaverint: possibile est ut abscidatur etiam in hujusmodi capitulo talis versutiarum ipsorum intentio, & obtineatur jussio a domino nostro & filio Christianissimi Principis, quoniam de hoc enixius eum per literas nostras poposcimus, ut scilicet sæpe dictum Pyrrhum ad hanc Romanam urbem jubeat mitti, quatinus conventu synodico a nobis effecto, pro sua temeritate judicetur. Sic enim & fraternitatis vestræ episcopalis dignitas omni futu- B ro contrariorum schismate firmior apparere valebit, & scandalum novitatis ab orthodoxa fide pulsum necabitur, atque Dei Ecclesia continuæ paci donabitur. Deleri namque ab Ecclesia scandala debent, & exstirpari. Multa enim possunt oriri dissensionis zizania contra promotionem fraternitatis tuæ, nisi canonica falce ne proficiant radicitus rescindantur. Siquidem cum patitur unum membrum, compatiuntur reliqua corporis membra. Absit ergo, ut schismata & dissensiones proveniant, secundum quod & mansuetissimum dominum & filium nostrum Principem per literas nostras petivimus, quo ab episcopatu fraternitatis vestræ omnia quæ nuper exorta sunt scandala recidantur, & nos qui- C dem veluti fraterna viscera condolentibus providentiæ nostræ medelam afferentes appareamus. Verumtamen prædictam chartam, quæ contra orthodoxam fidem & Calchedonense Concilium sophistice probatur exposita, cunctis viribus irritam esse deliberamus, & vinculo anathematis refutatam, atque ut a nobis & ab omnibus orthodoxis episcopis abominatam respuimus. Sufficit namque nobis fides quam sancti Apostoli prædicaverunt, Concilia firmaverunt, & sancti patres consignaverunt, per quam renati & docti facti sumus, quamque docemus, nullum augmentum in Symbolo fidei, quod a Synodis est firmatum, recipientes. Anathema his qui addunt, anathema qui demunt sancto mathemati, id est symbolo, quod in Concilio Nicæno diffinitum, Constantinopolique firmatum, & in Ephesino primo, atque Calchedone, a sanctis D & orthodoxis Patribus, qui in catholica fide floruerunt, gratia sancti est Spiritus stabilitum. Hæc & his similia concordi sensu fraternitas vestra prædicando nobiscum, ore & opere confiteatur. Similiter autem anathematizantes omnes hæreses & auctores earum, ut id ipsum dicamus omnes, sicut scriptum est, & schismata nullomodo germinent in Ecclesiis Dei, quæ spirituali jam & bis acuto sententiæ gladio sunt rescisa. Porro præsentem literarum latorem fraternitati vestræ in omnibus commendamus, quoniam & mores ejus exigunt, ut eum vobis nos commendare debeamus: quia manifeste vestram nobis præsentiam exhibere venerabilitas ejus atque perfectio morum dignoscitur.

a Rom. VII, 2, 3. b Ephes. V. 31. 32.

EXEMPLAR PROPOSITIONIS TRANSMISSÆ CONSTANTINOPOLIM

a Theodoro sanctissimo Papa Romano.

DOminus ac salvator noster in Evangeliis Apostolis suis ita dixit: [a] *Quicumque solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* Sed & alia Scriptura dicit: [b] *Ne transferas terminos æternos, quos posuerunt patres tui.* His ergo sic se habentibus, ad notitiam fraternitatis vestræ deducimus, quia Pyrrhus, qui quondam Ecclesiæ Constantinopoleos episcopatum surripuit, & instar lupi sub prætextu pastoris latitabat, contra orthodoxam fidem cornu bellico erecto, quædam novitatis figmenta composuit, & chartis a se dictatis, quosdam furtivis ac surreptitiis modis subscribere compulit Sacerdotes: versute gerens, ut hæreticum præsumtionis suæ dogma surreptis aliorum subscriptionibus stabiliret, & veluti novum mathema contra colendum, nobisque traditum a sanctis Patribus Symbolum componere conaretur. Et quoniam in Calchedonensi Concilio anathema positum est A his, qui addiderint, vel demserint quid in fide, quæ a tot patribus est roborata: hujus rei gratia dilectionem vestram præmunire consideravimus, ut his quæ a prædicto Pyrrho adversus Apostolicam fidem præsumta sunt, reprobatis, eamdem fidem sicut & sibi sumus retineatis, quam ex ipso lacte uberum sanctæ Ecclesiæ simul suxistis, universa temerariæ novitatis deliramenta destruentes. Nos enim tam per alias literas, quam per decretum præsentis propositionis, omnia quæ contra orthodoxam & apostolicam fidem nostram ab ejusdem Pyrrhi nova & temeraria vanitate introducta sunt abominantes, simulque cum charta, quæ proposita, & in publicis locis ab eo suspensa est, anathematizan- B tes, volumus omnes illa sapere, id est tenere, quæ sancti Apostoli tradiderunt, & Patres qui in orthodoxa fide floruerunt, posteris tradita per sancta quinque Concilia firmaverunt.

a Matth. V. 19. *b* Prov. XXII. 28.

THEODORI SANCTISSIMI PAPÆ AD EPISCOPOS

qui consecraverunt Paullum Patriarcham Constantinopolitanum propter Pyrrhum ex Patriarcha.

LIteras fraternitatis vestræ, per quas nobis de C promotione Paulli fratris & coepiscopi nostri significastis, suscepimus: & gavisi quidem super hujus sumus ordinatione. Sed futura mœstitia huic videlicet successura, propter zizania, quæ nascitura fore sperantur, animum nostrum valde concussit, nisi diligentissima manu & cautissima cura priusquam crescant, & dominicam messem suffocent, exstirpentur. Debuerat igitur Pyrrhus, qui sanctis Dei Ecclesiis scandalum seminavit, canonicæ prius animadversioni summitti, & tum prælatus frater noster Paullus sacrari: ne forte tempore aliquo de ejectione sua quampiam se putet querimoniam objecturum, quod odium sustinuerit populare, & vi pulsus libellum dederit, & suam Ecclesiam refu- D taverit, sicut nobis fraternitas vestra per literas suas significavit. Facile quippe mutantur homines, & quidem aliquando ex odio ad dilectionem assurgunt, aliquando vero a dilectione in odium dilabuntur. Qua ergo pro caussa, quæ dissimulari futura sunt provido non contemplantur obtutu; ne forte proveniens scandalum variis simultatibus Ecclesiam Dei discindat. Sunt capitula, quibus prædictus Pyrrhus canonice potest ab omni sacerdotali ordine pelli. Primum quidem, quia Heraclium, qui anathematizavit Catholicam fidem & Patres orthodoxe sentientes, in literis suis laudibus extulit, & per surreptionem, per quosdam Sacerdotes qui subscripserant, sophisticam quoque chartam adversus apostolicam fidem confirmare præsumsit, & in publicis locis suspendere festinavit, quasi novam fidem & symbolum suscitans contra sanctam Calchedonensem Synodum; pœnam minime veritus æterni judicii, & anathema quod positum est in eadem Calchedonensium Synodo; quo nemo umquam sancto mathemati, id est colendo Symbolo, quidquam addere vel minuere audere pertentet. Prædictus autem Pyrrhus nec protestatione conventus a pravitate sua recedere passus est. Ideo ergo jam memoratam chartam abominantes, & omnia quæ crebro dictus Pyrrhus contra fidem molitus est, anathematizantes, quin etiam nunc iterum atque iterum anathematizamus: illa tantum amplectentes, quæ sancti nobis Patres in synodis tradiderunt; nihil fidei addentes, nec auferentes. Et idcirco quæ in personam prædicti Pyrrhi diffinierimus, in literis quas ad jam memoratum fratrem & coepiscopum nostrum misimus, agnoscetis. Ut igitur scandalum minime futuro tempore generetur, secundum præfixum modum diligenter sacra provi-

Sæcul. VII. circa Ann. Chr. 648.

dentia exstinguere curet. Et res quidem ipsa nos magis ad tribulationem provocavit, & nascitura zizania conjecturis probabilius informavit, quoniam per literas vestras prædictum Pyrrhum sanctissimum nominastis. Si enim alia taceamus, & nihil omnino peccavit aut in religionem, aut in doctrinam fidei, & nec una culpa eum damnavit; quamobrem de propria est dejectus Ecclesia? Sed fortasse quis dixerit, generale hoc odium fecit. Sed vulgaris tumultus jus sacerdotii auferre non potest, nec odium sacro quemquam ordine denudare. Manifestæ quippe sunt canonicæ caussæ, quæ jura sacerdotii recidere possunt. Nisi enim naturæ caussa Præsul exstinguatur, Ecclesiam ejus alius non potest irreprehensibiliter apprehendere. Et hæc quidem non contradicentes ordinationi prædicti fratris no- A stri Paulli scribimus, sed vulnus latens & absconsum medente manu adaperimus, ne in vitalia viscera serpere possit, omnem immunditiam fœtidæ putredinis medicinaliter exhaurientes, & quæ possunt fieri diligentia providæ incisionis penetrantes, non ut hæc fiant optantes. Nam sæpedictum fratrem nostrum in visceribus mentis nostræ complectimur & fovemus: sed ne schismata fiant fraterna providentia & affectione dilectionis terremur: quatinus episcopatus ejus manus impositio nullomodo maculetur. Denique interemtis & suffocatis schismatibus, & fides quoque orthodoxa, quæ tot spiritualibus paradisi florum odoribus, per agricolas Christi Dei nostri, sanctos videlicet Apostolos, e- B luxit, nullatenus aliquibus zizaniorum spinis poterit sauciari.

Sæcul. VII. circa Ann. Chr. 660.

COMMEMORATIO
QUID LEGATI ROMANI
CONSTANTINOPOLI GESSERINT.


Ex Epistola sancti Maximi scripta ad Abbatem Thalassium.

IN his & hujusmodi esse te, Pater, sciens, & sola quæ illius sunt præ omnibus in generatione nostra omni studio procurare cognoscens: oportere ratus sum virtutem innotescere tibi eorum, quæ modo ab Urbe mihi felicissima scripta sunt a quibusdam reverendis viris, & tecum ex toto corde diligentibus Deum, caussa dogmatum catholicæ sanctæ & apostolicæ ipsius Ecclesiæ. Significaverunt enim, quod multa hujus rei gratia & prolixa quædam in ea facta sit motio, id est in regia urbe a sacratis illius Ecclesiasticis viris: & prius quidem, sed præcipue per idem tempus, quando illic missos in caussa promotionis Papæ cum delatis decretis apocrisiarios susceperunt. Tunc enim, tunc post plurimos sermones, quos ad eos caussa consecrationis moverunt, novissime ad effectum ejus, atque ad ipsius desiderii completionem, protulerunt eis dogmaticam chartam nunc ab eis expositam, asserentes: Non aliter vobis in capitulo, pro quo tantum transigentes navigium huc venistis, favorem præstabimus, nisi prius vos suasuros ei qui sacrandus est profiteamini, huic chartæ subscribere & dogmatibus quæ in ea continentur exceptis dilationibus consentire. At illi eorum quæ prætendebantur sibi virtute comperta, & quod hac pro caussa tanto tempore manere viduam Ecclesiarum principem matrem & urbem coegissent, hanc profecto per hujusmodi suum volentes obtinere commentum. Dum scilicet usque ad eam quoque irrationabiliter extendendam fore novitatem propriam putaverint, ut id pro quo studebant assequerentur; tranquille rationem prosecuti sunt, & quasi condescendentes dixerunt: *Nos quidem super hoc auctoritatem præbere non possumus; ministerium quippe nobis est creditum, non professionem faciendi præceptum. Illud autem vobis certum reddimus, quod referamus omnia quæ a vobis prætenta sunt, & chartam ipsam ostendamus ei qui consecrandus est, & si judicaverit hanc bene habere, rogabimus annotare huic propriam subscriptionem. Nunc autem ne velitis insperate propterea nobis impedimento fie-* C *ri, & vim inferre protelando, & nos heic retinendo. Neque enim est qui cuilibet, maximeque in caussa fidei, vim possit inferre. In hac enim & nimis infirmus fortis valde consistit, & valde mitis bellator summus invenitur: verboque divino confortans animam, maximis etiam invectionibus magis durus quam dissolutus quodammodo reperitur: quanto magis Romanorum Ecclesiæ & Clero, quæ ab olim huc usque, utpote senior cunctarum quæ sub sole sunt Ecclesiarum, omnibus præest? Hoc certe canonice tam a Conciliis & Apostolis, quam ab horum summo principatu consecuta, & in sortem adepta: nullis omnino propter Pontificatus provectionem scriptis, aut Synodicarum editionibus chartarum subjecta, sicut etiam in his omnes ex æquo ei secundum jus sacerdotale subjecti consistunt.* Hæc itaque cum taliter nihil reveriti, sed cum omni sacra decen- D tique fiducia stabiles illi & firmæ re vera & immobilis petræ ministri, maximæ videlicet & apostolicæ, quæ illic est, Ecclesiæ, ad regiæ urbis clericos disputassent, hos sedasse apparuerunt, & ut humiliter ac modeste sentirent, prudenter egerunt, sinceritatem & orthodoxiam propriæ fidei ab ipso eis initio cognitam facientes. Illi autem ipsorum admirantes pietatem, hujusmodi factum duxerunt merito recompensandum, & a prætendenda charta cessantes, jussionem in effectum ob episcopatum se suo perducere studio promiserunt. Quam factam accipientes Deo amabiles apocrisiarii, gratulantes remearunt ad propria. Hujus autem chartæ, divinitus honorate Pater, exemplar & mi- E hi quoque transmissum est. Exposita vero ab eis fuerat caussa tacendarum in Christo Deo, id est in substantiis ejus, ex quibus videlicet & in quibus est & creditur, naturalium operationum; & ne de cetero in eo sive una sive duæ penitus prædicarentur. Fatebatur autem solummodo confitendum esse, ex uno eodemque Dei Verbo incarnato Deo decibilia & humana processisse, & in unum eumdemque referenda.

μασα λίαν αὐτῶν τὴν ἀκρίβειαν, ὥσπερ οὖν καὶ κατεπλάγην τὴν πανουργίαν τῶν πάντα τολμώντων ὑπὲρ ἑνὸς τοῦ διακενῆς ἀσεβεῖν, καὶ θελόντων, ὡς ἔθος αὐτοῖς πάλαι καὶ νῦν, παρακλοπαῖς τισι καὶ παρεξηγήσεσι τοὺς ἐκθύμως καθ' αὐτῶν ἀγωνιζομένους, τό γε παρὰ τὸ εἰκὸς, εἰς ἑαυτοὺς ἐπισπᾶσθαι, καὶ τὸν νοῦν σφετερίζεσθαι μηδαμῶς συνεπόμενον. ἀναγκαίως οὖν καὶ τοῦτο μαθὼν δεδήλωκά σοι, θεοτίμητε πάτερ, ὡς ἂν διὰ πάντων φραξάμενος ἔχοις ὅπως διακρούσῃ τῶν ἐναντίων τὰς φάλαγγας, λόγῳ τε βάλλων ἀτόνως καὶ πίστει κατὰ κράτος ὑπερνικῶν, δόξαν τε τὴν τοῦ μονογενοῦς ἐντεῦθεν εἰς ἀνάρρησιν ἔχων, καὶ διάδημα τὴν αὐτοῦ κατὰ χάριν κοινωνίαν καὶ ἕνωσιν.

A miratus sum oppido cognoscens subtilitatem ipsorum, & obstupui quodammodo super astutia eorum, qui pro uno frustra omnia gerere impie audent, & volunt, sicut eis ab olim moris, & nunc est, furtivis & falsis narrationibus, eos qui contra se magnanimiter agonixant, taliter, quin & absque omni ratione ad se ipsos attrahere, & sensum fraudare, qui se nullatenus sequitur. Necessario ergo & hoc cum didicissem, significavi tibi domino, honorabilis Pater, quatinus per omnia munitus, habeas qualiter insequaris adversariorum phalanges: verboque indefesse jaciens, & fide potenter superans, gloriamque hinc Unigeniti in præconium habens, & diadema hujus communionem per gratiam B & unitatem.

Sæcul. VII. circa Ann. Chr. 660.



DIFFLORATIO
EX EPISTOLA EJUSDEM S. MAXIMI
SCRIPTA AD PETRUM ILLUSTREM.

Ubi Pyrrhi & sancti Sophronii Hierosolymitani episcopi, atque Papæ Honorii mentionem facit, ita post aliqua prosequutus.

VEstris laudabilibus syllabis [1] dignatus es significare indigno servo tuo propter Abbatem Pyrrhum. *Et post pauca*. Et futurum profecto esset, ut hac forte pro caussa ad redargutionem illius & omnium, qui secundum illum impiam novitatem sectantur indifferenter, ad divinitus conservanda tua & famosissima vestigia properarem. Quatinus scirent omnes, qui secundum vos pietatis sunt amatores, illorum una cum omni prorsus inscitia, impietatis quoque superfluam abundantiam. Sed timui ne putarer extra sacra quidquam agere jura, præter voluntatem hoc faciens sanctissimæ Sedis apostolicorum virorum, qui universam plenitudinem catholicæ Ecclesiæ bene ducunt, & ordinate secundum divinam legem deducunt. Quoniam hac divina videlicet lege consistunt cælestia & terrestria, & oportet ab ea nequaquam exorbitare, sed quæ sunt divina secundum Deum agere illos, qui sancte secundum vos vivere proposuerint: quatinus & Deum gestorum habeant curatorem, & sine successu receptionem. Quoniam, famosissime domine, pejor his est, quod & antea intimavi, etiam ab antiquis hæreticis nova fides & expositio. Hanc enim multis quibus perduravit annis in episcopatu ad manifestationem reprobæ mentis suæ, (nam Deus & ad nequitiæ propalationem sæpe novit longanimiter sustinere: non ut hanc ampliorem per inducias reddat, sed ut hanc ampliorem factam justius puniat) decessor quidem ejus impie in utero aluit, iste vero magis impie genuit. Et rursus posteriores horum in contemtum excolunt divinitatis. *Et paullo post*. Et quod adhuc deterior illis est mos, & veluti speciale omnium perversorum hæreticorum indicium, quia & suæ ipsius impietatis obnoxios, describunt innoxios. Sophronium quippe, qui prudenter divina perdocuit & prædicavit Ecclesiæ catholicæ dogmata, se in errorem movisse hac illacque susurrant. *Et post pauxillum*. Divinus enim Sophronius, ut ipsi testamini, laudabilissimi, in Afrorum regione mecum & cum omnibus peregrinis monachis moras agebat, cum ipsi

perversitates illas fabricarent adversus omnes. *Et post pusilla*. Et erat quidem domus omnium per C divinam concordiam & unanimitatem in unum Dei favente gratia in universitate, quæ sub sole consistit, pacifica & tranquilla fide munitis Ecclesiis. Hi vero, qui horum invidebant consonantiæ, ac in Christum Deum confessioni, veluti quamdam caliginosam nubem, & stridentem vel gravem fluctum maris ac barbarorum, nemine hos movente, quam solo dæmone turbationis amico, qui genus humanum ad simultatem concitavit, repente contra veram Christianorum fidem novam excogitaverunt ecthesim. Deinde sententias pro ea, & compositiones injustas. Dein actiones monumentorum. Deinde Synodos latrocinales, & concursus episcoporum non voto convenientium, sed violentia contractorum, non exhortatione properantium, D sed ex fuga barbarorum peregre proficiscentium. Dein jussiones & minas huc atque illuc adversus pios transmissas. Nam eum, qui tunc imperabat, sophistice muneribus in servitutem redigentes. *Et post pauca*. Ex proprio nomine viro ecthesin producere persuaserunt. *Paullo post*. Fit autem horum inimicus pariter & defensor, an potius afferendum fautor & accusator horum publicans argumentum: & innotescens quod ipse nequaquam ex se fuerit motus, sed ab illis coactus, impiissimam fecerit ecthesim in scriptis pro se ipso hæc dicens, & rationem reddens Joanni sanctæ memoriæ quondam Papæ senioris Romæ. *Et post pauxillum*. Convincunt autem se ipsos, quod isti valde manifeste fortissimi hanc fecerint, & nullatenus ille. Neque E enim quodlibet super hoc habuit studium, ut pote ad alia circumlatus. *Post brevia*. De quibus omnibus miseri nec sensus apostolicæ facti sunt Sedis, & quod est risu, immo ut magis proprie dicamus, lamento dignissimum, utpote illorum demonstrativum audaciæ, nec adversus ipsam apostolicam Sedem mentiri temere pigritati sunt: sed quasi illius effecti consilii, & veluti quodam ab ea recepto decreto, in suis contextis pro impia ecthesi actioni-

1. Συλλαβαῖς pro literis.

SÆCUL. VII.
CIRCA
ANN. CHR.
654.



ram & naturam humanam, absque eo qui genitus est ex ea, venerabilem semperque Virginem, matrem videlicet Domini nostri non honorat atque adorat, anathema sit & in præsenti sæculo, & in futuro. Sed homines occasiones quærentes scandala objiciunt ad scandalizandos multos.

Subscriptio. Deus te incolumem custodiat, amantissime fili.

THEOD. Susceptis his, gratias egi Deo, comperiens fortitudinem propositi sanctissimi viri. Anxiabar autem, volens discere qualiter sublatus fuerit a sede sua, & non poteram. Quotquot enim super hoc veram responsionem interrogabam, nemo mihi dabat, sed aliter atque aliter. Unde me necessitas compulit innotescere super hoc, & obsecrare illum, quo ab ipso discerem veritatem.

Scribit ergo ad hæc iterum Sanctus.

MARTINUS THEODORO.

Noscere voluit cara vestra dilectio, qualiter de Sede sancti Petri Apostoli, sicut unus passer solitarius ab ædificio, raptus fuerim. Et miror quia super hoc me inquirere voluisti, cum prædixerit Dominus noster de nequam temporibus istis discipulis suis: [a] *Quia in diebus illis erit tribulatio, qualis non fuit ab origine mundi usque nunc. Et nisi quia abbreviati sunt dies illi, non posset sustinere omnis caro. Sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Hoc in paucis de Antichristo dicitur. Nam & sanctus Paullus secundum datam sibi gratiam spiritus prænuntiavit dies istos Timotheo discipulo suo, dicens: *In novissimis diebus discedent homines a fide, & a veritate auditum avertent, seipsos amantes, avari*, & cetera. Et, crede mihi, desideratissime fili mi, non videndum tempus aliud, nisi manifeste hoc, in quo sint initia dolorum, quemadmodum Dominus prædixit adventum Antichristi. Et mihi breviter dicere necessarium visum est, antequam in toto mundo prævaleat judicium, & finem cursus tradam, hoc mihi expedire arbitratus, quo aliis mala mihi præparantibus exsultem potius quam fleam. Igitur, ut scias qualiter sublatus & ductus sim a Romana urbe, nil falsum audies accidentium. Omnia præscivi per totum tempus, quæ meditabantur, & sumto meipso cum omni Clero meo, privatim mansi in Ecclesia Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ cognominatur Constantiniana, quæ prima in toto mundo constructa & stabilita est a beatæ memoriæ Constantino Imperatore, & est juxta episcopium. Illic enim omnes nos seorsum morabamur a die Sabbati, quando Calliopas cum Ravennati exercitu, & Theodoro cubiculario, introivit civitatem. Misi ergo in obviam ejus quosdam ex Clero: quibus susceptis in Palatio, æstimavit & me cum eis esse. Cum autem quæsisset, & non invenisset, dixit primis Cleri: *Quia nos eum volumus adorare; sed cras, quod est Dominica dies, obvii ei erimus, & salutabimus eum, quia hodie non sufficimus.* Porro, Dominico die datis Missis in prædicta sancta Dei Ecclesia, suspicatus ille turbam multam colligi propter diem, nuntiavit hoc: *Quia multum fatigati sumus ex itinere, & non possumus occurrere hodie, sed cras omnimodis occurremus, & adorabimus sanctitatem vestram.* Ego vero ipse graviter infirmus eram ab Octobrio mense usque ad prædictum tempus, id est usque ad sextodecimo

A Kalendas Julias. Ergo feria secunda diluculo mittit Chartularium suum, & quosdam ex obsequio suo, dicens: *Quia arma præparasti, & armatos habes intus, & multitudinem lapidum collegisti ad repugnandum: & hoc necessarium non est, nec aliquid tale fieri permittas.* Cumque præsens audissem hæc, necessarium magis non habui, qualiter hos certos redderem, quam mittere illos gyraturos per totum episcopium, & si arma vel lapidem vidissent, ipsi testimonium perhiberent. Cum autem issent, & nihil invenissent, subintuli eis per verba, quod numquam aliquando aliter, sed semper per complexionem [1], & fallacem accusationem incederent adversus nos, cum & in adventu infamis Olympii

B vani cujusdam hominis cum armis me hunc potuisse repellere faterentur. Ego itaque ante altare Ecclesiæ lectulum meum habebam in quo jacebam: & nondum transacta media hora, ecce exercitus cum eis veniens in Ecclesiam, obumbrati omnes tenentes lanceas & spathas suas, quin & arcus suos paratos una cum scutis suis, & facta sunt illic quæ nec dicenda sunt.

Quemadmodum namque in hiemali tempore vento valide flante folia ex arboribus concussa cadunt, ita percutiebantur armis candelæ sanctæ Ecclesiæ, & retunsæ excutiebantur in pavimentum, & audiebatur sonitus qui in eadem fiebat Ecclesia, veluti tonitrus quidam horribilis tam ex pressura ar-

C morum, quam ex multitudine candelarum ab eis fractarum. Quibus confestim introeuntibus, jussio a Calliopa porrecta est presbyteris & diaconibus, in qua humilitatis meæ abjectio [2] continebatur, quod irregulariter & sine lege episcopatum subripuissem, & non essem in apostolica Sede dignus institui, sed omnimodis in hanc regiam urbem transmitti, subrogato in loco meo episcopo. Quod necdum aliquando factum est, & spero quod nec aliquando fieri habet: quia in absentia Pontificis Archidiaconus & Archipresbyter, & Primicerius locum præsentant Pontificis. Dum ergo hæc moventur, quæ de fide gesta fuerant jam manifestavi vobis. Quod autem præparati non fuerimus ad repugnandum,

D melius judicavi decies mori, quam unius cujuscumque sanguinem in terram fundi. Quod quidem & sine periculo hoc gestum est, non paucis, quæ non placuerunt Deo, malis effectis. Eadem itaque hora dedi me ipsum ad exhibendum Imperatori, & non resistendum. Porro acclamantibus mihi, ut veritatem dicam, quibusdam ex Clero ne facerem hoc, nulli eorum accommodavi aurem, ne subito fierent homicidia. Sed dixi illis: Sinite mecum venire ex Clero, qui necessarii mihi sunt, episcopos videlicet, presbyteros & diaconos, & absolute qui mihi videntur. Respondit Calliopas: Quotquot voluerint venire, cum bono veniant. Nos cuiquam necessitatem non facimus. Respondi ego: Clerus

E in potestate mea est. Exclamantes autem quidam ex sacerdotibus, dicebant: Cum ipso vivimus, & cum ipso morimur. Post hæc cœpit dicere per se Calliopas, & qui cum ipso erant: Veni nobiscum ad Palatium. Nec hoc facere recusavi, sed exivi cum eis in Palatium eadem secunda feria. Et tertia feria venit ad me omnis Clerus, & multi erant qui se paraverant ad navigandum mecum: qui etiam res suas jam immiserant in ea quæ vocabantur levamenta: & alii quoque nonnulli præparabantur clerici & laici, qui festinabant pervenire ad nos. Eadem ergo nocte, quæ illucescit in fe-

a Matth. XXIV. 21. 22.

1. συμπλοκήν.

2. ἀπεβολή, f. ἐκβολή.

ria quarta, quæ erat tertio decimo Kalendas Julias, circa horam quasi sextam noctis, tulerunt me de Palatio, retrusis omnibus qui mecum in Palatio erant, usque ad res diversas, quæ mihi in via & heic erant necessariæ: & non nisi cum sex puerulis & uno cauculo eduxerunt nos ex urbe: & cum immisissent non in unum eorum quæ dicebantur levamenta [1], circa horam plus minus quartam diei ad portum pervenimus. In ea sane hora, qua egressi sumus ab urbe Roma, statim ut erant obseratæ portæ, iterum eas obseraverunt, & sic remanserunt, ne exirent a civitate aliqui, & venirent ad nos in portu, donec illinc navigassemus. Unde necessitas nobis effecta est, ut omnium eorum res, qui in levamenta missi fuerant, in prædicto portu dimitteremus, & mox eadem die moveremur. Et pervenimus Kalendas Julias Mesenam, in qua erat navis, id est carcer meus. Non autem Mesenæ tantum, sed & in Calabria, & non tantum in Calabria, quæ subdita est magnæ urbi Romanorum, sed & in plurimis insularum, in quibus nos vel tribus mensibus peccata impedierunt, nullam compassionem adeptus sum: excepto dumtaxat in insula Naxia, quoniam ibi annum fecimus, merui lavari duobus vel tribus balneis, & apud urbem mansi in hospitio quodam. Et ecce quadraginta & septem dies sunt hodie, ex quo non merui calida nec frigida aqua rigare me, & effluxi & refrigui totus, quoniam ventris fluor & in navi & in terra usque ad præsentem horam requiem mihi omnino non dedit: & in ipsa quoque necessitatis meæ hora cum gustaturus sum, totus conquassatus corpore, ea quæ necessaria sunt percipere ad confortandam naturam non habeo, quia quod habeo tædet me sumere, cum id habeam penitus in fastidium. Sed credo in virtutem Dei qui omnia conspicit, quia cum de præsenti vita subductus fuero, exquirentur de his omnibus hi qui me persequuntur, ut saltem sic ad pœnitentiam ducti, ab iniquitate sua convertantur.

Subscriptio. Incolumem te custodiat Deus, fili dulcissime.

1. Navigia quædam minora sunt ad navium onera levanda.

COMMEMORATIO

eorum, quæ sæviter, & sine Dei respectu acta sunt a veritatis adversariis in sanctum, & apostolicum novum re vera confessorem & martyrem Martinum Papam Romæ, per epistolam cujusdam Christianissimi directam his qui sunt in Occidente, seu Romæ, & in Africa, orthodoxis patribus.

AFflictionum mærores & lacrymas, communemque sine cessatione ac mæstissimam vocem, quæ in dolores ex imo cordis prolata est, puto autem quæ & profertur Deo ab his qui sunt Romæ, adhuc autem & in omni loco dominationis ejus degentibus sanctis famulis Dei & fidelibus populis, ex quo facta est persecutio adversus sanctissimum patrem nostrum, Deo beatissimum, & fidelem sacerdotum principem & apostolicum universalem Papam, ac per hoc adversus catholicam Ecclesiam; puto autem hactenus hunc eumdem mærorem retineri in vobis, & multam solicitudinem habere vos, scire quomodo peractum est contra eum, quando exsulatus est & persecutione pulsus a Roma navigio usque Byzantium. Hæc in mente habens ego humilis & peccator famulus vester, quædam quidem exterius solicitudine multa addiscens; plurimorum autem proprie contemplator factus indignus ministerii beatissimi & pretiosi sacerdotis nostri, judicavi literis reminisci, & nota facere, claraque constituere vobis benedictis, atque per vos omnibus fidelibus & zelum habentibus culturæ divinæ: quatenus cognoscentes cum cordis mæstitudine mecum illum propheticum sermonem proferatis: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte* contritiones catholicæ Ecclesiæ & omnium Christianorum, immo perditionem, propter ea quæ acta sunt in beatum & Deo plenum ducem veritatis & prædicatorem. Verumtamen Deo gloria, qui dedit ei virtutem & sufferentiam stabilem in tentationibus, quæ supervenerunt ei a contrariis virtutibus & viris, in expugnando & viriliter dimicando pro cultu Dei, inrefragabiliter & spe firma usque ad mortem ponens animam suam, utpote imitator ejus, qui eum constituit athletam, Dominus ejus, ad informationem pro veritate dimicare. Ea equidem, quæ inibi Romæ gesta sunt in beatum & adamantinum spiritualem patrem, sacerdotumque principem domnum Martinum, & vos scitis: qualibus periculis luctatus est, videns gladios vibratos & acutos confertos adinvicem, tentos a pluribus militibus paratum habentibus inficere enses, & commutare a vita beatum, in circuitu altaris astantibus, & in toto templo catholicæ Ecclesiæ Romæ, quæ cognominatur Constantiniana, in qua sacerdotio fungens recubabat in foribus & grabato ipse beatus æger: & quomodo contritus animis, & artubus constrictus, impulsus & expulsus, raptus & extractus ex apostolico throno, in quo Deus eum constituit loco, inspectorem sui Apostolum, & prædicatorem orthodoxum veritatis. Sed vere iste non fecit pretiosiorem animam suam se, sed posuit eam usque ad mortem, imitans, sicut dictum est, Dominum suum dicentem: *Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis*: quo salvaret ubique errantem & perditam plebem ab insurgentibus nostris temporibus hæreticis.

Traditus igitur Romæ de catholica Ecclesia sancti Joannis, a potentibus hujus sæculi his qui hoc erant ministerio digni ministri, atque custodibus, depositus est ad portum, & conjectus est in lembo, & navigantibus, sicut scitis, euntibusque juxta Avidum [1], in insulam quæ vocatur Naxos, non concesserunt beato illi apostolico viro custodes penitus contingere terram, dolentibus prorsus pedibus ejus, cum ipsi per loca conferrent, & omnino quiescerent. Hi autem, qui per loca erant sacerdotes, & ceteri fideles regionis ipsius, dirigebant munera beato illi caussa utilitatis ejus, non

1. ἄβυδον.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 660.

εἰσὶ ταῦτα διαφόρου θελήματος, τουτέστιν ἐναντίου καὶ ἀντιπράττοντος· ἀλλὰ τῆς προσληφθείσης ἀνθρωπίνης οἰκονομίας, οἰκειουμένης συμπαθῶς τὰ ἡμέτερα. ταῦτα γὰρ δι' ἡμᾶς ἔλεγεν, οἷς δέδωκεν παράδειγμα ὁ τῆς εὐσεβείας διδάσκαλος, ἵνα τοῖς ἴχνεσιν αὐτοῦ ἑπώμεθα· καὶ μὴ τὸ ἴδιον ἕκαστος ἡμῶν, ἀλλὰ τὸ τοῦ κυρίου μᾶλλον ἐν πᾶσι προτιμήσῃ θέλημα. οὐκ ἀναίρεσιν οὖν, ὡς ἔφην, τοῦ φυσικοῦ καὶ ἀνθρωπίνου θελήματος, ἀλλὰ τοῦ ἐμπαθοῦς καὶ παρὰ φύσιν ποιεῖ· καὶ δι' ὅλου φάναι, τὸ πάσης ἁμαρτίας ἐλεύθερον, τὸ καθ' ἡμᾶς, ἐπιμαρτύρεται τὸν δι' ἡμᾶς σαρκωθέντα Θεόν.

Καὶ ἵν' ἐπιτόμως εἴπω· διὰ τοῦ ἑνὸς θελήματος, τὸ μόνην τῆς αὐτοῦ κατὰ σάρκα γεννήσεως τὴν θείαν προκαθηγήσασθαι θέλησιν δηλοῦν αὐτὸν οἶμαι· διὰ δὲ τοῦ μὴ ὑπάρχειν θελήματος διαφοράν, τὸ ἐναντίον οὐκ ἔχων ἢ ἀντιπρᾶττον, ἀλλὰ τὸ συμβαῖνον δι' ὅλου καὶ ἡνωμένον· ὅθεν ἡνίκα μὲν τὴν ἡμετέραν φύσιν ἐκ τῆς θεότητος προσειλῆφθαι λέγῃ, θελήματος ἑνὸς μνημονεύει· ἡνίκα δὲ τό, οὐκ ἦλθον ποιῆσαι τὸ θέλημα τὸ ἐμόν, εἰς μέσον τῷ λόγῳ προτίθησι, τὸν ἀριθμὸν ἀφεὶς, οὐκ εἰσὶ ταῦτα, φησι, διαφόρου θεμήματος, τουτέστιν ἐναντίου καὶ ἀντικειμένου. ἐξ οὗ τὸ δύο κατὰ φύσιν ὑπάρχειν ἐν τῷ σωτῆρι θελήματα προδήλως συνάγεται. εἰ γὰρ ἐναντίον οὐκ εἶχεν, φυσικὸν εἶχεν ὡς ἄνθρωπος. τὸ γὰρ οὐκ ἐναντίον, φυσικὸν πάντως, καὶ οὐδεὶς ἀντερεῖ· οὐδὲν γὰρ ἐν τῇ φύσει ἢ τοῖς κατὰ φύσιν παντελῶς ἐναντίον. δέος οὖν [1] πολλὰ βαίνειν, ὃ μὴ κυρίως ἐν τοῖς ἑαυτοῦ γέγραφε λόγοις, καὶ μηχανᾶσθαι τοὺς δι' ἐναντίας οἰκείας δόξης ὡς οὐκ ἀρίστης ἐπικάλυμμα ποιεῖν τ' ἀνδρὸς τὰ γράμματα, καθ' ἕτερον ταῦτα παρὰ τὸν ἐκείνου σκοπὸν παρεξηγουμένους. συνηγοροῦντα γὰρ ἔχει τὸν λόγον, πᾶσαν τοῦ ἐπηρεαστοῦ καταδρομὴν ἀπελαύνοντα.

Καὶ οὕτω μὲν ἔγωγε τὸν νοῦν ἔχειν ὑπολαμβάνω, πάσης ὄντα καθαρὸν ὑποψίας. βεβαιότερον δέ μοι τοῦτον πεποίηκεν ἐκ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης ἐπανελθὼν ὁ ὁσιώτατος πρεσβύτερος κῦρος ἀββᾶς Ἀναστάσιος, ἀνὴρ, εἰ καί τις ἄλλος, ἀρετῇ τε θείᾳ καὶ φρονήσει κεκοσμημένος· καὶ φήσας ὡς πολὺς αὐτῷ λόγος κεκίνηται πρὸς τοὺς ἐκεῖσε τῆς μεγάλης ἐκκλησίας ἱερωτάτους ἄνδρας, διὰ τὴν πρὸς Σέργιον ἐξ αὐτῶν γραφεῖσαν ἐπιστολήν, ὅτου χάριν καὶ πῶς αὐτῇ διερωτῶν ἐνετάγη τὸ ἓν θέλημα; καὶ εὗρεν ἀσχαλῶντας ἐν τούτῳ, καὶ ἀπολογουμένους, καὶ πρὸς αὐτοῖς τὸν ταύτην ἐν λατίνοις ὑπαγορεύσαντα, κατὰ κέλευσιν αὐτοῦ κύριον ἀββᾶν Ἰωάννην τὸν ἁγιώτατον σύμπονον, ἰσχυριζόμενον, ὡς οὐδαμῶς ἐπίμνησιν ἐν αὐτῇ δι' ἀριθμοῦ πεποίηνται ἑνὸς τὸ παράπαν θελήματος, εἰ καὶ τοῦτο νῦν ἀνεπλάσθη παρὰ τῶν ταύτην ἑρμηνευσάντων εἰς τὴν Ἑλλάδα φωνήν. οὔτε μὴν τὴν οἱανοῦν κυρίωσιν ἢ ἐκβολὴν τοῦ κατὰ τὸ ἀνθρώπινον φυσικοῦ τοῦ σωτῆρος θελήματος, ἀλλὰ τοῦ καθ' ἡμᾶς καὶ διαβεβλημένου τελείαν ἀποσκευὴν καὶ ἀναίρεσιν, καθ' ὃ καὶ ὁ πρὸς ἄλληλα τῶν ὁμογενῶν συνίσταται πόλεμος. δεῖξαι βουλόμενος πάσης οὖσαν καθαρὰν ἁμαρτίας τὴν προσληφθεῖσαν σάρκα, κατὰ τὴν τῶν ἱερωτάτων λογίων, καὶ τῶν πατρικῶν διδαγμάτων παράδοσιν. καὶ φαίνονταί πως διὰ τῶν τοιούτων λόγων, συνᾴδοντες τοῖς ἀρτίως ἐξηγηθεῖσι παρὰ τῆς ἐμῆς οὐδενίας, καὶ οἷον ἐπισφραγίζοντες τὴν ὑπὲρ Ὀνωρίου γενομένην συνηγορίαν.

Ταῦτα γοῦν ἀπολογησαμένους διαγνοὺς, ἐθαύ-

1. *f.* ἐπιβαλεῖν.

A. *Pater*; *non sunt hæc diversæ voluntatis*; *id est, contrariæ ac repugnantis, sed dispensationis humanitatis assumtæ, quæ sua compassibiliter fecit quæ nostra sunt. Ista enim propter nos dicebat, quibus dedit exemplum pietatis magister, ut sequamur vestigia ejus, & non suam unusquisque nostrum, sed Domini potius in omnibus præferat voluntatem.* Non ergo interemtionem, ut dixi, naturalis & humanæ voluntatis, sed vitiosæ, ac ejus quæ est extra naturam, facit: & ut totum fateamur, ab omni peccato Deum liberum esse testatur; qui secundum nos propter nos incarnatus est.

B. Et ut compendio dicam, per unam voluntatem solam ejus secundum carnem nativitatem eum divinam præcessisse voluntatem indicare conjicio. Per id vero quod ait, non esse voluntatis ejus diversitatem, contrarium vel repugnans quid non eum habere perhibet, sed conveniens & prorsus unitum ex toto. Unde cum nostram quidem naturam de divinitatis voluntate dicit assumtam, unius mentionem facit. Illud autem quod introducit, *Non veni facere voluntatem meam*, in medium verbo præponit, omisso numero: Non sunt, inquit, hæc diversæ voluntatis, id est contrariæ atque adversatricis. Ex quo duas secundum naturam exsistere in Salvatore voluntates manifeste colligitur. Si enim contrariam non habuit, natura-

C. lem habuit tamquam homo. Quod enim non est contrarium, naturale profecto est. Et nemo contradicet. Nihil quippe in natura, vel in his, quæ sunt secundum naturam, est omnino contrarium. Timor ergo est opinari, quod in ejus proprie non est sermonibus scriptum, & moliri adversarios propriæ opinionis tamquam non bonæ ad velamentum illius viri literas faciendum, secundum utrumque has præter illius intentionem falso referentes. Advocatum quippe habet rationis sermonem omnem calumniatoris abigentem incursum.

Et ego quidem sic se illius habere sensum existimo, ab omni suspicione purgatum. Certiorem autem mihi hunc sanctissimus fecit Presbyter, do-

D. minus videlicet Anastasius Abbas a seniori Roma reversus, vir scilicet incomparabilis, virtuteque divina & prudentia venustatus: qui afferens, quod multum sermonem moverit ad sacratissimos magnæ illius Ecclesiæ viros, propter epistolam, quæ ab eo fuerat ad Sergium scripta, percontans cujus rei gratia, vel qualiter in ea inserta fuerit una voluntas, & invenit hæsitantes in hoc, & rationem reddentes; insuper & eum, qui hanc per jussionem ejus Latinis tractaverit dictionibus, dominum videlicet Abbatem Joannem sanctissimum [2] symponum, affirmantem, quod nullomodo mentionem in ea per numerum fecit unius omnimodis voluntatis: licet hoc nunc sit fictum ab his, qui hanc in Græcam

E. vocem interpretati sunt. Verum nec quamlibet exinanitionem vel abolitionem naturalis secundum humanitatem Salvatoris voluntatis, sed ejus quæ nostra est, & reproba facta, perfectam dejectionem & interemtionem. Juxta quod & in invicem eorum quæ unius generis sunt efficitur bellum. Ostendere volens, ab omni esse peccato mundam assumtam carnem, secundum sacratissimorum eloquiorum, & paternarum doctrinarum traditionem. Et apparet qualiter hujusmodi sermones concinentes sint cum his, quæ modo sunt ab exiguitate mea recitata, & veluti astipulatores factæ pro Honorio defensionis.

Ego, cum hæc ille ratiocinando respondisset,

2. H. e. *collaboratorem*, ut infra.



rius, si sunt foris alii aliqui, qui debeant testificari? respondit Scriba: Sunt, domine, plurimi alii. Deficientes autem hi qui præsidebant, sancto & venerabili astante viro in conspectu eorum, & potissimum Spiritu eum sancto firmante, dixerunt sufficere testes. Erat quippe interpres eorum, quæ a Sancto dicebantur, verborum, Innocentius Consul filius Thomæ, qui erat ab Africa: & cum interpretaretur ea quæ a beato viro dicebantur, non ferebat, videns ignita jacula sancti Spiritus a Deo honorabili viro contra eos prolata. Ait ad Innocentium cum furore: Cur nobis interpretaris quæ dicit? Noli dicere quæ dicit.

Surgens ergo continuo Sacellarius cum plurimis qui consederant ei, ingressus est nuntiare Imperatori quæque ipse voluit. Eduxerunt autem sanctum apostolicum virum de cella judicii, magis autem ex aula Caiphæ, in gestatorio sedili sedentem, & statuerunt eum in medio atrii quod erat ante cellam Sacellarii, & Imperialis stabuli, quo consueverat omnis populus convenire, & exspectare Sacellarii ingressum. Circumdederunt eum excubitores, eratque omnibus spectaculum formidabile turbis. Post paullulum ergo, jusserunt inferri eum in solarium expositionis, ut esset ibi, quatenus prospiceret Imperator per cancellos triclinii sui ea quæ futura erant fieri. Erat itaque multitudo populorum usque ad hippodromium conferta convenientium illic. Statuerunt ergo reverentissimum virum in medio solarii dispositionis, præsentia totius Senatus subnixum hinc & inde. Facta est ergo constipatio subito non minima, & exiens ab Imperatore Sacellarius apertis janugis triclinii in solarium, dividere universum populum jussit. Veniensque ad sanctum ac venerabilem virum Martinum apostolicum, dixit ad eum: *Vide quomodo Deus te duxit, & tradidit in manus nostras. Tu nitebaris contra Imperatorem: quid tibi spei erat? Ecce dereliquisti Deum, & dereliquit te Deus*. Et continuo exclamans Sacellarius quemdam astantium excubitorum tonsorem, præcepit sine mora auferre psachnion [1] summi & apostolici atque præcipui pastoris omnium Christianorum, qui orthodoxam sanctorum Patrum & Synodorum confessionem, hoc est fidem confirmavit, & novi erroris exortos auctores, novos videlicet hæreticos, cum impiis dogmatibus eorum canonice & synodice anathematizavit. Cum ergo incidisset psachnion beati viri excubitor, & corrigiam campagiorum ejus, statim tradidit eum Sacellarius Præfecto urbis, dicens: *Tolle eum, domine Præfecte, & continuo membratim incide illum*. Cum his autem omnibus jussit astantibus anathematizare eum, quod & fecerunt. Non responderunt autem hujuscemodi voci viginti virorum animæ. Sed omnes quique hoc ipsum videbant, & sciebant quia est Deus in cælo conspector eorum quæ fiebant, dimisso vultu cum multa mæstitudine recedebant tribulati. Suscipientes ergo eum carnifices, exuerunt exterius ejus pallium sacerdotalis stolæ, & scindentes alas tunicæ, quæ erat interius a summo usque deorsum, circumposuerunt ferrea vincula in sanctam ejus cervicem, & per omne corpus ejus trahentes eum vi, non concesserunt penitus ei alicubi residere, & animam refocillare, sed a Palatio duxerunt eum publicantes & dehonestantes per medium civitatis ad Prætorium, & gladius coram eo.

Erat autem dolor magnus beato illi, & inenarrabilis: oppido enim erat fessus & infirmus, præ tantis incommodis futurus relinquere animam a pressura passionum, & tenuitate corporis. Attamen gaudens spe confortabatur in Domino: & quo magis cum afflictione & vi trahebatur, eo sereno obtutu ductus cum multa constantia animæ justus, cum uno solummodo indumento a summo discisso in duas partes, & sine cinctorio sequebatur, adeo ut interiora ejus quodammodo nuda panderentur, & multifaria quidem continuo populorum conspectis quæ fiebant, gemebant, ut veritatem dicam, & lacrymabantur. Pauci autem ministrorum satanæ gaudebant & subsannabant, & capita transeuntes sicut scriptum est movebant, dicentes: *Ubi est Deus ejus, & ubi fides ejus, & ubi doctrina ipsius?* Qui cum venisset in Prætorium dehonestatus, & a carnificibus vinculatus cum gladiis, conjecerunt eum in unum carcerum cum homicidis, & post unam quasi horam tulerunt eum inde, & transposuerunt in eam, quæ dicitur Diomedis custodia, in prætorio Præfecti. Tanta autem instantia & vi trahebant eum vinculis nexum, ut dilaniarentur crura & poplites ejus, & sanguis efflueret per ascensum scalæ ejusdem custodiæ. Sunt enim scopulosi & asperi valde, ac penitus in altum porrecti gradus. Erat autem ipse beatus præsentis vitæ proximus jam carere suppliciis, anima deficiente etiam ante gladium, cum jam non valeret conscendere cum se trahentibus. Introducentes ergo eum quomodocumque in custodiam decidentem sæpius & surgentem, posuerunt in scamno indutum calibis & catenis. Tunc enim, quando traditus est a Caipha Pilato ut crucifigeretur, hoc est a Præfecto, continuo cum exuerent eum carnifices, graviter algoribus vexabatur: erat enim intollerabilis hiems. Imposuerunt ei gravissima ferri pondera, & nullus aderat ei hominum ejus proprius, excepto uno solummodo Clerico adolescente: quique commanens ei in custodia, & superstans, lamentabatur magistrum, sicuti Petrus.

Erat etiam convinctus magister custodiæ eidem beato, quoniam sic erat mos, ut futurus pati per gladium, convinciretur magistro custodiæ. Erant ergo duæ mulieres, genitrix & nata, prænominatæ custodiæ claves tenentes, quæque aspicientes importabilem dolorem sancti illius, qui inter tot pœnarum genera, quæ aderant, algore quatiebatur durissimo: motæ compassionibus quærebant aliquam exhibere misericordiam cum eo, & contegere eum, sed non audebant propter convinctum & custodientem carnificem. Putabant enim actutum venturam censuram ut trucidaretur. Post quasdam vero horas, cum vocassent quidam ab imo ex ordine militari magistrum vigiliæ carnificem, descendente eo, una mulierum ergastulorum illorum pietatis viscere ducta, accedens amplectensque bellatorem Christi, & apostolicum patrem, portansque reclinavit eum in proprio toro suo, contegens utiliter & involvens. Mansit autem usque ad vesperum sine voce. Vespere autem facto, misit ad eum Gregorius Præfectus Eunuchus ex cubiculariis majorem domus suæ cum parvis cibariis, qui refecit eum, dicens: Ne deficias in tribulationibus, confidimus in Deum, non morieris. In quo magis aggravatus ille beatus ingemuit. Abstulerunt autem ferrea vincula continuo ab eo.

Sequenti vero die abiens Imperator in Patriarchium visendi gratia Paullum Patriarcham (proximus enim erat morti) narravit ei quæ consummata sunt in sanctissimum virum. Ingemiscens vero Paullus, & conversus, ad parietem dixit: Hei mihi! & hoc ad abundantiam judiciorum meorum actum est. Percontatus autem ab Imperatore quam-

1. *Hoc est* pallium *vel* peram. Vide Baron. ad ann. 651. num. 10. qui cum aliis legit [illegible].

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 654.



obrem hoc dixerit, reſpondit: Numquidnam, domine, non eſt miſerabile talia pati Pontifices? Tunc attentius adjuravit Imperatorem, ſufficere ei in his quæ paſſus eſt, nihilque amplius ſuſtinere. Unde audiens beatus ille ac apoſtolicus vir, quod non ſuſcepit quod exſpectabat, non gratum habuit tale promiſſum, ſed penitus mæſtus effectus eſt. Feſtinabat enim explere bonum certamen, & abire ad eum quem deſiderabat. Interea defuncto Paullo, & Pyrrho reſidere nitente, atque quibuſdam Eccleſiæ contradicentibus & prohibentibus, libellumque ejus publicantibus in Palatio, aſſerentibuſque quoniam & a beatiſſimo Paullo anathematizatus eſt: Pyrrhus reprobatus eſt ſacerdotio propter libellum quem fecerat Romæ.

Et multa commotione facta, poſt dies octo defuncto Paullo, dirigitur ab Imperatore ad Diomedis cuſtodiam ad magnanimum Papam Demoſthenes reſcriptor & collaborator Sacellarii, & Libellifius cum eo. Intrantes vero, dixerunt ad eum: Dominator noſter eximius Imperator miſit nos ad te, dicens: Ecce in quanta gloria prius conſiſtens, in qualem ordinem te ipſum duxiſti! nemo tibi fecit hoc, ſed tu ipſe tibimetipſi. Ipſe autem nihil aliud reſpondit, niſi ſolum hoc: Gloria & gratiarum actio per omnia ſoli immortali Regi. Dicit ad eum Demoſthenes reſcriptor: Significavit tibi dominator, dic nobis ea quæ de Pyrrho expatriarcha heic & Romæ ſubſequenter geſta ſunt. Pro qua cauſſa abiit Romam: juſſus, an proprio propoſito? Reſpondens ſanctus Papa dixit: Proprio propoſito. Ait Demoſthenes: Libellum illum quomodo fecit? compellente aliquo? Reſpondit ſanctus vir: Nemine, ſed propria propoſitione. Demoſthenes inquit: Veniente Pyrrho Romam, quomodo ſuſcepit eum ſanctus vir Theodorus deceſſor tuus Papa? uti epiſcopum? Reſpondit æquanimis Papa, & quomodo non? qui prius quam veniret Pyrrhus Romam, manifeſte ſcripſit huc, hoc eſt beatus Theodorus, ad Paullum, utpote ad eum, qui indecens fecerit, & alterius thronum invaſerit. Deinde autem ſponte ſua eodem Pyrrho veniente Romam ad veſtigia beati Petri, quomodo non haberet eum ſuſcipere præceſſor meus, & honorare, ut pote epiſcopum? Reſpondens Demoſthenes dixit: Vere veritas ſic ſe habet. Unde autem ſumebat ea quæ ad uſum ſui corporis erant neceſſaria? Dicit beatus: Manifeſte de Patriarchio Romano. Ait concertator: Qualis panis dabatur ei? Reſpondit honorabilis vir: Vos domini mei, neſcitis Eccleſiam Romanam? Dico enim vobis, quia quiſquis venit illuc miſerabilis homo hoſpitari, omnia ad uſum præbentur ei, & nullum immunem ſuis donis ſanctus Petrus repellit venientium illuc: ſed panis mundiſſimus & vina diverſa dantur non ſolum ei, ſed hominibus ei pertinentibus. Si ergo in miſerabilibus hominibus hæc fiunt, qui venit etiam honorabilis ſicut epiſcopus, qualem ſumtum habet ſuſcipere? Dicit ad eum Demoſthenes: Nos didicimus, quia vi fecit libellum Pyrrhus Romæ, & quia lignea vincula ſuſtinuit, & multa dolenda paſſus eſt. Reſpondit vir ille beatus, & dixit: Nihil tale factum eſt. Nam niſi quia formidine aliqui tenentur, non poſſunt forte loqui veritatem. Hic ſunt Conſtantinopoli plurimi, qui tunc erant Romæ, & ſciunt quæ ibi geſta ſunt. Ex quibus interim ſupereſt Plato Patricius, qui tunc Exarchus erat, quippe direxit homines ſuos tunc ad Pyrrhum Romam: percontamini eum de his ſi mentior. Verumtamen, quid volumus plurima quærere? Ecce in manibus veſtris retinetis me, & quodcumque

A vultis conſummate in me: Deo indulgente in veſtra eſt poteſtate. Utique ſi membratim inciditis carnes meas, ſicuti Præfecto juſſiſtis cum me traderetis, non communico Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. Ecce heic ſum, examinate me, & tentate, & invenietis experimento gratiam Dei, & fidelium ſervorum ejus. Iterum Pyrrhus in medium venit, qui totiens anathematizatus & nudatus eſt divino honore. Stupefactus autem Demoſthenes reſcriptor, & admirans ſuper hac voce æquanimis Papæ audaciam atque conſtantiam pro Chriſto in morte ſua, equidem ad hoc poſitus erat calix paſſionis. Similiter & hi qui conſequentes erant ei ſtupentes, accepto libellario ſeriatim cuncta dicta a beato viro,

B conſcribentes receſſerunt.

Fecit ergo reverentiſſimus Papa in eodem Diomedis ergaſtulo octoginta quinque dies poſt primas nonaginta tres, hoc eſt omnes ſimul CLXXVIII. Venit igitur Sagoleba ſcriba, dicens, quia juſſus ſum auferre te hinc, & transferre in domum meam, & poſt dies duos dirigere te quo juſſerit mihi Sacellarius. Interrogante autem Papa quo ducendus eſſet, vel in quem locum, noluit ei dicere. Rogabat ergo Sanctus ille, ut ſineretur in eadem cuſtodia, quouſque exſularetur, & ad horam auferretur de cuſtodia: & nec hoc conceſſum eſt ei. Sed circa occaſum ſolis dicit venerabilis Papa his qui erant in ergaſtulo: Accedite fratres, vale faciamus;

C quia ecce nunc aderit qui auferat me hinc. Et hæc dicente eo, hauſerunt ſinguli calicem. Et ſurgens ſereno vultu cum multa conſtantia atque gratiarum actione dicit ad unum concurrentium ſibi dilectum, qui erat ibi: Veni domine frater, & da mihi pacem. Erant porro præcordia fratris illius, ſicut mihi ipſe referebat in illa hora, qualia ut conjicio diſcipuli illius contemplantis Dominum in cruce. Non valens ergo, ut ajebat, cohibere ſeipſum, vocante eum beato ad oſculum, irrugiit frater ut leo. Cum eo autem inibi præſentes omnes lamentabantur terribili lamento. Anxiatus in hoc vir beatus flagitabat omnes ne ita facerent, ſereno obtutu dicens. Et impoſitis venerabilibus manibus ſu-

D per verticem ejus ſubridens ait: Bona ſunt hæc, domine frater, hæc ſunt opportuna, & te oportet ita facere? hæc ſunt pacis? cum econtra nunc debeas gaudere ſuper me. Ad quem illico cum contritione cordis reſpondit frater: Deus novit, famule Chriſti. Lætor in gloria, qua dignatus eſt Chriſtus Deus noſter propter nomen ſuum hæc te omnia pati: ſed lamentor omnium perditionem. Salutantes ergo omnes eum, receſſerunt. Veniens igitur continuo ſcriba, & auferens eum, intulit in domum ſuam. Dictum eſt ergo, quia in Cherſonam exſulatur: & poſt dies aliquot cognovimus, quia illuc clanculo navigio tranſvectus eſt ipſe ſanctiſſimus apoſtolicus vir. Veniens ergo illuc, poſt

E dies aliquot ſcripſit epiſtolam in Byzantium ad quemdam ſibi cariſſimum, ex illis videlicet, qui hunc propter Dominum, & ob rectam fidem ejus amabant.

Cum eſſet in magna tribulatione & exſilio idem ſæpe dictus pater noſter ſanctiſſimus conſtitutus, poſtulans aliquarum ſpecierum ſubſidia, propter multas & frequentes, graveſque ægrimonias corporales, anguſtiaſque omnimodas regionis illius, eo quod nihil ibi inveniretur, præcipue triticum, quod quidem illic nominabatur, non autem inveniebatur. Unde cum jurejurando ſcripſit, quia navicula illo veniente, & parum tritici habente ad commutationem ſalis, vix potuerit emere ex eo unum tritici modium quatuor ſolidis, cum multis & hoc preci-

bus. Diversas autem angustias scripsit sancta ejus anima pati se ibi; non solum corporalibus angustiis, sed etiam habitantium & dominantium ibi malis oppressus, ita ut penitus contritus male pejus moreretur, suasione videlicet dominantium in Byzantio. Quamobrem quæso vos ego humilis & peccater famulus vester, a Deo honorabiles Patres, ut quemadmodum ego visa mihi & audita diligentissime declaravi vobis, hoc est imminentes tentationes beatissimo Papæ propter rectam confessionem in Christo Domino, & propter anathematismum in novos factum hæreticos; quamquam ex multis parva, tamen quæ potui dirigere scripsi: ita & vos zelum habentibus culturæ Dei, explicate eadem, & hortamini imitari eum, & traditiones factorum Patrum retinere secundum imitationem ejus, & non communicare omnino contraria sentientibus. Obsecrantes etiam pro me indigno famulo qui scripsi, quo cum eo & vobiscum inveniam misericordiam a Christo Deo nostro in sæcula. Amen.

Obiit autem idem sanctissimus ter beatus apostolicus Martinus Papa, recens ac vera confessor & martyr Christi Dei nostri in eadem exsulatione Chersonæ, juxta ejusdem ad Dominum Deum petitionem, quam obtulit ei cum lacrymis, exiens de navi, & calcans terram illam, id est ut in ea finiret vitam, bonum certamen certans, cursum martyrii consummans, & bonam fidem servans, mense Septembrio, die sextadecima, in qua feliciffimæ martyris & fidem custodientis orthodoxam Euphemiæ, pretiosissima & beatissima secundum anni circulum celebratur memoria, indictione quartadecima. Positus est autem in tumulis Sanctorum extra muros Chersonitarum civitatis quasi stadio uno, in pretiosissimo & reverentissimo templo sanctissimæ & præ omnibus sanctis colendæ, castissimæ & immaculatæ, perbenedictæque gloriosissimæ & excellentissimæ omnium creaturarum, gratia plenissimæ, gaudium facientis & tribuentis dominæ nostræ, proprie natura & veritate solius Dei genitricis, semper virginis Mariæ, quæ cognominatur Blachernes: factus typus imitabilis omnibus, qui bene vivere & decertare elegerint & voluerint, pro ea, quæ verissime est, veritas. Cujus virginis, cujusque confessoris intercessionibus, Christus verus Deus & Salvator noster, qui ineffabiliter & sine semine ex ea processit propter genus humanum, custodiat & conservet nos, & omnes fideliter audientes, omnemque populum quem adquisivit in sinceritatem fidei & conversationem, in pace & dilectione perfecta, & omni justitia usque in finem. Cui est cum Deo patre & Spiritu sancto in deitate una substantia, æquus honor, virtus eadem, sine tempore regnum, semper principium, sceptrum juge, gloria perpes, majestas similis, per infinita sæcula. Amen.

Habet autem se prædicta epistola ejusdem sanctissimi & apostolici Papæ sic.

Indicamus germanæ caritati vestræ, domine frater, quia postquam egressi sumus ex eo quod Ivon dicitur a Constantinopoli, navigantes sancta quinta feria cœnæ Domini pertransivimus Pharum, per diversa loca transmeantes idibus Maiis, & Chersonem pervenimus. Ergo gerulus harum, qui præsentem vobis tradit epistolam, post triginta dies post nos a partibus Byzantii venit Chersonem. Et gavisi sumus super adventum ipsius, æstimantes quod expensæ missæ nobis ab Italia essent in terram hanc, quæ deberent nos eo veniente consolari. Et cum interrogassemus, cognovimus ab eo, quod nihil huc detulerit ab Italia: & miratus sum, & glorificavi Deum meum etiam in hoc, quoniam sicut scit tribulationes nostras dispensat: maxime cum fames in hac terra & necessitas talis esset, ut panis in ea tantum nominetur, non tamen penitus videatur. Quoniam nisi mittantur nobis ex partibus illis sumtus, vel a partibus Ponti, hic vivere omnino nequimus. Spiritus enim promtus est, caro vero infirma, ut etiam ipse nosti. Neque enim dispensatio quævis potest in hac terra ullatenus inveniri in solatium saltem modici sumtus. Si ergo, ut dictum est, transmissum fuerit illinc frumentum & vinum, aut oleum, & alia quædam quoquomodo, festina prout potueris mittere nobis. Neque enim hujuscemodi mala, ut reor, ostendi Sanctis, qui ibidem sunt, vel his qui sunt Ecclesiæ illius, ut usque adeo mandatum Domini parvipenderent: præsertim cum Apostolus Philippensibus scripsit, gratias agens eis, quod & Thessalonicam & semel & bis in usum sibi miserint, ubi & subdit: *Habeo autem omnia, & abundo*. Si enim peregrinos illic, id est Romæ, ita reficit sanctus Petrus; quid dicemus de nobis, qui proprii servi ejus sumus, & saltem ad momentum ministravimus ei, & in tali exsilio & afflictione consistimus? Cognitionem autem feci ad dilectionem vestram quarumdam specierum, quæ comparari debent illic: & horum quæso te more solito curam habeto, ut nostri, ad emendum & mittendum nobis propter multas necessitates nostras, & frequentes infirmitates.

Exemplar alterius epistolæ.

Omne desiderium habemus semper literis nostris caritatem vestram consolandi, & relevandi vos a solicitudine, quæ vobis de nobis est. Vobiscum vero & omnes sanctos & fratres nostros, qui curam nostri propter Dominum gerunt. Ecce & in præentiarum scribo vobis, quæ coartant nos. Veritatem dico in nomine Christi Dei nostri. Remoti enim ex omni mundana turbatione, & depositi a peccatis nostris, ecce & ipsa vita caruimus. Siquidem hi, qui in hac regione habitant, omnes gentiles exsistunt, & gentiles mores acceperunt hi, qui heic habitare noscuntur, nullam caritatem prorsus habentes, quam jugiter hominum natura & inter ipsos quoque barbaros crebra compassione demonstrat. Novit itaque Deus, nisi ex naviculis, quæ veniunt ex partibus Romaniæ, ut hi qui hic sunt nuncupant, partes videlicet Græcorum Ponticas partes vocantes. Nam nec semel de regione ista usque ad unum trimisium [1], frumentum potui comparare: sed nec alterius cujuscumque generis speciem, nisi ut prædictum est, ex naviculis quæ huc raro veniunt, ut sale onustæ recedant. Sic potuimus emere tres vel quatuor modios numismate, usque ad præsentem Septembrium mensem. Usque nunc vero non potuimus de novis geniminibus emere, nisi uno nomismate modios quatuor. Miratus sum autem, & adhuc miror indiscretionem & compassionem omnium qui quondam mihi pertinebant, & amicorum meorum ac propinquorum, quia sic funditus infelicitatis meæ obliti sunt, & nec scire volunt ut invenio, sive sim super terram, sive non sim. Miratus quoque multo magis sum in eos, qui sunt sanctissimæ Apostoli Petri Ecclesiæ, quoniam

1. H. e. tremissem, nempe tertiam solidi partem.

Sæcul. VII. circa Ann. Chr. 654.

tantam dederunt operam de corpore ac membro A suo, id est super dilectione nostra, ad reddendos nos sine solicitudine, saltem super corporali usu, quotidianoque sumtu. Nam etsi aurum Ecclesia sancti Petri non habet, frumento tamen & vino, & aliis necessariis expensa non caret per gratiam Dei, ut modicæ saltem exhibitionis curam gessissent. Qualem putas conscientiam habemus exhibendi ante tribunal Christi accusantibus omnibus tunc & rationem reddentibus hominibus, qui ex eodem luto & massa consistunt? Quæ formido est, quæ cecidit super homines ad mandata Dei minime facienda, aut timor ubi non est timor? An subtractione usque adeo nos spiritus maligni operiunt? B An ita inimicus omni plenitudini Ecclesiæ apparui, & adversarius illis? Verumtamen Deus, qui omne vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, per intercessiones sancti Petri stabiliat corda eorum in orthodoxa fide, & confirmet contra omnem hæreticum, & adversariam Ecclesiæ nostræ personam, & immobiles custodiat, præcipue pastorem qui eis nunc præesse monstratur: quo in nullo prorsus decidentes, vel declinantes, aut dimittentes eorum, quæ in conspectu Domini & sanctorum Angelorum ejus in scriptis professi sunt, usque ad pusillum quippiam, una cum humilitate mea coronam percipiant justitiæ orthodoxæ fidei de manu Domini & Salvatoris C nostri Jesu Christi. De humili namque hoc corpore meo & ipsi Domino cura erit, ut sibi gubernare placet, sive in tribulationibus indesinentibus, sive in modico refrigerio, Dominus enim prope est, & quid solicitus sum? Spero quippe in miserationes ejus, quod non tardet modo finire meum quo jusserit cursum. Omnes vestrates propter Dominum salutate, & omnes, qui pro Dei amore meis compassi sunt vinculis. Deus excelsus potenti manu sua protegat vos ab omni temtatione, & salvet in regnum suum.

En ergo quæ scripta sunt a beatissimo Apostolico ad carissimum suum.

Igitur saltem nunc, quando a sanctitate ipsius commoniti sumus, festinemus singuli qui diligimus Dominum, & habemus æmulationem erga sanctos ejus, qui usque ad mortem in fide catholica permanserunt: & saltem ex parte reficiamus eum, & compatiamur ei, ministrantes illi ex his quæ Dominus unicuique nostrum donavit, ut & communicatores in Domino claritatis ejus efficiamur. Non autem hæc ajo, quoniam summus Sacerdos noster fuit, sed quia incruentum Christo Deo pro salute animarum nostrarum in Ecclesia vestra sacrificium obtulit, & tantum illuminavit populum confessor & prædicator veritatis effectus. Æstimo sane, quod certificari etiam irrationabilia debuerint animalia, (quanto magis vos rationabiles & sensati?) quod omnia, quæ in eum facta sunt, ob rectam fidem ejus effecta sint, & hæreticorum abdicationem. Et hoc non aliunde, nisi quia pertinaciter adversarii perdurantes nullomodo flecti, vel ad lucem veritatis converti, sed & validioribus afflictionibus & tribulationibus afficiebant, a custodia in custodiam, ab exsilio in exsilium, eos qui circa monachum Anastasium erant, qui a tempore multo hic propter Christum de loco in locum tractus afflictus est. Simili modo & domnum Maximum, & discipulum ejus. Numquid & isti rebelles sunt? Ceterum, de Pyrrho sciendum est, quoniam postquam certi facti sunt a ter beato Apostolico, ac Platone, quod sponte fecerit libellum suum, locaverunt eum in throno isto: quamquam Deus statim justo judicio suo deleverit eum de libro viventium. Similiter autem & novus Præsul, ut comperimus, Pyrrhum & prædecessores ejus, beatos patres & sanctos vocavit. Ut ergo scientes, dilecti, quia terribilem judicem habemus, qui venturus est judicare cogitationes & actus nostros, & exquirere rectam fidem suam, sapientiam fortem & stabilem, sicuti suscepimus, in Domino teneamus cum patientia multa. Sanctos quoque patres nostros, saltem ut unum ex egenis, singuli secundum vires reficiamus, & consolemur tribulationes eorum. Et quidem de sanctissimo & famulo Christi Dei nostri apostolico di-D cta sint. De cetero vero necessarium duxi, etiam de divinitus honoratis & illustratis patribus nostris & concertatoribus ejus dilectioni vestræ significare.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ ΤΗΣ ΚΙΝΗΣΕΩΣ

γενομένης μεταξὺ τοῦ κυροῦ ἀββᾶ Μαξίμου, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ, καὶ τῶν ἀρχόντων, καὶ Σεκρέτου.

Τῇ ἡμέρᾳ ᾗ προσωρμίσθησαν ταύτῃ τῇ βασιλευούσῃ πόλει, ὅ, τε κύριος Μάξιμος, καὶ οἱ σὺν αὐτῷ, περὶ δυσμὰς ἡλίου, ἐλθόντες δύο μανδάτορες μετὰ δέκα ἐκσκουβιτόρων, ἐπῆραν αὐτοὺς ἐκ τοῦ πλοίου γυμνοὺς καὶ ἀνυποδέτους· καὶ μερίσαντες αὐτοὺς ἀπ' ἀλλήλων, ἐφύλαξαν εἰς διάφορα ἐκσκούβιτα, καὶ μεθ' ἡμέρας τινὰς ἀναφέρουσιν αὐτοὺς ἐν τῷ παλατίῳ, καὶ εἰσάγουσι τὸν γέροντα, ἐν ᾧ τόπῳ συνήχθη ἡ σύγκλητος, καὶ πολὺς ἄλλος ὄχλος· καὶ παριστῶσιν αὐτὸν μέσον τῶν ἀρχόντων καθημένων, καὶ λέγει αὐτῷ ὁ Σακελλάριος μετ' ὀργῆς πολλῆς καὶ μανίας· χριστιανὸς εἶ; καὶ εἶπε, χάριτι Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ τῶν ὅλων, χριστιανός εἰμι. καὶ λέγει ἐκεῖνος, οὐκ ἔστιν ἀληθές. ἀπεκρίθη ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ· σὺ λέγεις, οὐκ εἰμι. ἀλλ' ὁ Θεὸς λέγει εἶναί με, καὶ διαμένειν χριστιανόν. καὶ πῶς, φησιν, εἴπερ χριστιανὸς εἶ, μισεῖς τὸν βασιλέα; ἀποκριθεὶς ὁ τοῦ Θεοῦ δοῦλος, ἔφη· καὶ πόθεν δῆλον; τὸ γὰρ μῖσος, ψυχῆς ἐστι κεκρυμμένη διάθεσις, ὥσπερ οὖν καὶ ἡ ἀγάπη. καὶ λέγει αὐτῷ· ἐξ ὧν ἐποίησας, πᾶσιν ἐγένου φανερὸς, ὅτι μισεῖς τὸν

RELATIO MOTIONIS

factæ inter domnum Maximum monachum, & socium ejus, coram principibus in Secretario.

Die qua domnus Maximus, & is qui cum eo erat, penes hanc regiam Urbem applicuerunt, circa occasum solis, venientes duo manda-E tores una cum decem excubitoribus tulerunt eos e navi nudos & discalceatos, & separatos eos ab invicem custodierunt in diversis excubitibus. Et post dies aliquot adducunt eos in palatium, & introducunt senem in locum, in quem Senatus collectus est, & alia multa turba: & exhibent eum in medium sedentium principum. Et dicit ei Sacellarius cum ira multa & furore: Christianus es? Et dicit: Gratia Christi Dei universorum Christianus sum. Et dicit ille: Non est verum. Respondit Dei servus: Tu dicis, sed Deus scit esse me Christianum. Et quomodo, inquit, si Christianus es, odio habes Imperatorem? Respondens Dei servus ait: Et unde hoc claret? odium quippe mentis est occultus affectus, quemadmodum & dilectio. Et dicit ei: Ex his quæ fecisti cunctis factum est manifestum, quod odio habeas Imperatorem & Rem-

Sæcul. VII. circa Ann. Chr. 654.



βασιλέα, καὶ τὴν πολιτείαν αὐτοῦ. σὺ γὰρ μόνος Αἴγυπτον καὶ Ἀλεξάνδρειαν καὶ Πενταπολιν καὶ Τρίπολιν καὶ Ἀφρικὴν Σαρακηνοῖς παρέδωκας. καὶ τίς τούτων ἀπόδειξις, ἔφη; καὶ παραφέρουσιν Ἰωάννην τὸν γενόμενον Σακελλάριον Πέτρου τοῦ γενομένου στρατηγοῦ Νουμηδίας τῆς Ἀφρικῆς λέγοντα, ὅτι πρὸ εἰκοσιδύο ἐτῶν ὁ πάππος τοῦ δεσπότου ἐκέλευσε τῷ μακαρίῳ Πέτρῳ λαβεῖν στρατὸν, καὶ ἀπελθεῖν εἰς Αἴγυπτον κατὰ τῶν Σαρακηνῶν, καὶ ἔγραψέ σοι ὡς πρὸς δοῦλον τοῦ Θεοῦ λαλῶν, πληροφορίαν ἔχων εἰς σὲ ὡς ἅγιον ἄνθρωπον, εἰ συμβουλεύεις αὐτῷ ἀπελθεῖν. καὶ ἀντέγραψας αὐτῷ, λέγων, μηδὲν τοιοῦτο ποιῆσαι, ἐπειδὴ οὐκ εὐδοκεῖ ὁ Θεὸς ἐπὶ τῆς βασιλείας Ἡρακλείου, καὶ τοῦ γένους αὐτοῦ, συμπραχθῆναι τὴν πολιτείαν τῶν Ῥωμαίων. λέγει ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ· ἐὰν ἀληθεύῃ, πάντως ἔχεις καὶ τὴν πρὸς ἐμὲ Πέτρου καὶ τὴν ἐμὴν πρὸς αὐτὸν ἐπιστολήν; παρενεχθῶσι, καὶ ὑπόκειμαι ταῖς δοκούσαις τῷ νόμῳ ποιναῖς. καὶ λέγει· ἐγὼ οὐκ ἔχω ἐπιστολὴν, ἀλλ᾽ οὔτε οἶδα, εἰ ὅλως ἔγραψέ σοι. ἀλλ᾽ ἐν τῷ φοσάτῳ ταῦτα κατ᾽ ἐκεῖνον ἐλάλουν πάντες τὸν καιρόν. λέγει πρὸς αὐτὸν ὁ τοῦ Θεοῦ δοῦλος· εἰ τὸ φοσᾶτον ὅλον τοῦτο διελάλει, πῶς σὺ μόνος τοῦτο συκοφαντεῖς με; ἐθεώρησάς μέ ποτε, ἢ ἐγώ σε; καὶ λέγει, οὐδέποτε. τότε στραφεὶς πρὸς τὴν σύγκλητον ὁ τοῦ Θεοῦ δοῦλος, εἶπεν· εἰ δίκαιόν ἐστι τοιούτους παρακομίζεσθαι κατηγόρους, ἢ μάρτυρας, κρίνατε. ᾧ γὰρ κρίματι κρίνετε, κριθήσεσθε· καὶ οἵῳ μέτρῳ μετρεῖτε, μετρηθήσεσθέ, φησιν, ὁ τῶν ὅλων Θεός.

Καὶ μετὰ τοῦτον φέρουσι Σέργιον τὸν Μαγουδὰν, λέγοντα· πρὸ ἐννέα ἐτῶν ὁ μακάριος Ἀββᾶς Θωμᾶς ἐλθὼν ἀπὸ Ῥώμης εἶπέ μοι, ὅτι ὁ πάππας Θεόδωρος ἔπεμψέ με πρὸς τὸν πατρίκιον Γρηγόριον, ἵνα εἴπω αὐτῷ, μὴ φοβηθῆναί τινα. ὁ γὰρ δοῦλος τοῦ Θεοῦ ὁ ἀββᾶς Μάξιμος, ἐθεώρησεν ὄναρ, ὅτι κατ᾽ οὐρανοὺς εἰς ἀνατολὰς καὶ δυσμὰς ἦσαν δῆμοι ἀγγέλων. καὶ οἱ μὲν εἰς ἀνατολὰς ἔκραζον, Κωνσταντῖνε Αὔγουστε, τοῦ βίγκας· οἱ δὲ εἰς δυσμὰς ἐβόων, Γρηγόριε Αὔγουστε, τοῦ βίγκας· καὶ ὑπερίσχυσεν ἡ φωνὴ τῶν εἰς δυσμὰς, τὴν τῶν εἰς ἀνατολὴν φωνήν. καὶ τότε κραυγάζει ὁ Σακελλάριος· ἔπεμψέ σε ὁ Θεὸς καυθῆναι εἰς τὴν πόλιν ταύτην. λέγει ὁ τοῦ Θεοῦ δοῦλος· εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ, καθαίροντί με τῶν ἑκουσίων κακῶν, δι᾽ ἀκουσίου κολάσεως· πλὴν, οὐαὶ τῷ κόσμῳ ἀπὸ τῶν σκανδάλων. ἀνάγκη γὰρ ἐλθεῖν τὰ σκάνδαλα· οὐαὶ δὲ δι᾽ οὗ σκάνδαλον ἔρχεται. ὄντως οὐκ ἔδει τοιαῦτα λαλεῖσθαι παρουσίᾳ χριστιανῶν· οὐδὲ ἀτιμωρήτους μένειν τοὺς τὰ τοιαῦτα πράττοντας πρὸς τὸ ἀρέσαι ἀνθρώποις, σήμερον οὖσι, καὶ αὔριον οὐκ οὖσι. ταῦτα ζῶντος Γρηγορίου ἔδει τοῦτον εἰπεῖν, καὶ γνωρίσαι τῷ βασιλεῖ τὴν εἰς αὐτὸν εὔνοιαν. δίκαιον δέ ἐστι, εἰ καὶ ὑμῖν παρίσταται, τὸν πρὸ τούτου συκοφάντην ἐκβιασθῆναι ἀπελθεῖν ἐνέγκαι τὸν πατρίκιον Πέτρον, καὶ τοῦτον τὸν ἀββᾶν Θωμᾶν, κἀκεῖνον τὸν μακάριον πάππαν Θεόδωρον· καὶ τότε παρουσίᾳ πάντων, ἔλεγον τῷ πατρικίῳ Πέτρῳ· εἰπὲ, κύριε ὁ πατρίκιος, ἔγραψάς μοί ποτε περὶ ὧν εἶπεν ὁ Σακελλάριός σου, ἢ ἐγώ σοι; καὶ ὅταν κατετίθετο, ὑπὸ κόλασιν ἐγενόμην. ὁμοίως δὲ καὶ τῷ μακαρίῳ Πάππᾳ· εἰπὲ δέσποτα, ἐγώ σοί ποτε ὄναρ ἀφηγησάμην; καὶ ὅταν ἤλεγξέ με, ἐκείνου ἦν τὸ ἔγκλημα, οὐκ ἐμοῦ τοῦ ἑωρακότος. ἀπροαίρετον γὰρ πρᾶγμα τὸ ὄναρ· μόνα δὲ τὰ προαιρετικὰ κολάζει ὁ νόμος, εἴπερ αὐτῷ ἐναντιοῦται. τότε λέγει πρὸς αὐτὸν ὁ Τρωΐλος· παίζεις Ἀββᾶ, οὐκ οἶδας ποῦ εἶ; ὁ δὲ, οὐ παίζω, ἀλλὰ πενθῶ τὴν ζωήν μου συντηρηθεῖσαν μέχρι τοῦ νῦν,

A publicam ejus. Tu enim solus Ægyptum & Alexandriam, & Pentapolim, & Africam Saracenis tradidisti. Et quæ est, infit, horum approbatio? Et falso inducunt Joannem, qui fuerat Sacellarius Petri quondam Prætoris Numidiæ provinciæ Africæ, dicentem: Quia ante viginti duos annos avus dominatoris jussit beatæ memoriæ Petro exercitum sumere, & pergere in Ægyptum contra Saracenos: & scripsit tibi tamquam ad servum Dei loquens, certitudinem habens in te, ut pote in homine sancto, si des ei consilium abire. Et rescripsisti ei, dicens: Nil tale facere, quoniam non bene placitum est coram Deo, ut imperio Heraclii & generis ejus cooperetur respublica Romanorum. Dicit B servus Dei: Si veritatem loquitur, utique habet & Petri ad me, & meam ad ipsum epistolam, quæ deferantur, & subjaceo pœnis a legibus constitutis. Et dicit: Ego non habeo epistolam, sed nec novi si omnino scripserit tibi. Verum hæc in castris per illud tempus omnes loquebantur. Et dicit ad eum Dei servus: Si exercitus totus hoc fatebatur, quomodo tu solus super hoc me accusas? Vidisti me aliquando, vel ego te? At ille: Numquam. Tunc Dei servus ad Senatum conversus dixit: Si justum est tales adducere calumniatores, vel testes, judicate: [a] *In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini; & in qua mensura metiemini, metietur de vobis*, ait C omnium Dominus.

Et post hunc adducunt Sergium Magudam dicentem: Ante annos novem beatus Abba Thomas veniens Roma dicit mihi: Papa Theodorus misit me ad Gregorium Patricium, ut dicerem ei, ne quisquam timeret. Servus enim Dei Abba Maximus vidit visionem, quod in cælis ad Orientem & Occidentem chori essent Angelorum. [1] Hi vero qui erant in Occidente vocem emittebant, dicentes: Gregori Auguste tu vincas, & magis sonuit vox Occidentalium, quam Orientalium voces. Et tunc clamabat Sacellarius: Misit te Deus, ut incendaris in hac urbe. Dicit Dei servus: Gratias ago Deo, D qui emundat me a spontaneis malis per supplicium non spontaneum. [b] *Verumtamen væ mundo ab scandalis. Necessitas enim est, ut veniant scandala: væ autem per quem scandalum venit*. Vere non oportebat ut talia dicerentur in præsentia Christianorum, nec impunitos manere illos, qui talia fingunt ad placendum hominibus, qui hodie sunt, & cras non sunt. Hæc ut iste diceret dum Gregorius adviveret oportebat, qui & notam illi facere debuit suam circa eum devotionem. Justum autem esset, si & vobis quoque videtur, ut accusator, qui hunc præcessit, cogeretur abire, ducturus Petrum Patricium, & iste Abbatem Thomam, & ille beatum Papam Theodorum. Et tunc in præsentia cuncto- E rum dicere Patricio Petro: Dic, domine Patrici, scripsisti mihi aliquando super his quæ dixit Sacellarius tuus, aut ego tibi? Et cum adquievisset, sub supplicio fierem. Similiter & beato Papæ: Dic domine, ego tibi aliquando somnium enarravi? Et cum convicisset me, illius esset crimen, non meum, qui videram. Res enim non voluntaria est somnium. Porro sola quæ sunt voluntaria punit lex, si dumtaxat sibi fuerint adversata. Tunc dicit ei Troilus: Jocaris Abba: Nescis ubi sis? Qui respondens ait: Non jocor, sed lugeo vitam meam hactenus con-

a Matth. vii. 2. *b* Matth. xviii. 7.

1. *In Græco, & illi quidem qui ad Orientem, clamarent: Constantine Auguste, tu vincas. Hi vero cet.* Sirm.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 654



ἵνα τοιούτων λάβω πεῖραν φαντασμάτων. λέγει Ἐπιφάνιος ὁ πατρίκιος· ὁ Θεὸς γινώσκει, καλῶς ποιεῖ παίζων αὐτὰ, ἐὰν οὐκ εἰσὶν ἀληθῆ. μεθ' ὃν ὁ Σακελλάριος πάλιν πρὸς αὐτὸν μετ' ὀργῆς εἶπεν· ἁπλῶς πάντες ψεύδονται, καὶ σὺ μόνος ἀληθεύεις; καὶ ἀποκριθεὶς εἶπεν ὁ τοῦ Θεοῦ δοῦλος, συνδακρύσας τῷ λόγῳ· ἐξουσίαν ἔχετε, συγχωροῦντος τοῦ Θεοῦ, καὶ ζωῶσαι καὶ θανατῶσαι· πλὴν ἐὰν οὗτοι ἀληθεύωσι, καὶ ὁ σατανᾶς φύσει Θεός ἐστιν. εἰ δὲ οὐκ ἔστιν, ὥσπερ οὖν οὐδέ ἐστιν, οὐδὲ οὗτοι ἀλήθευσαν. μήτε γὰρ ἀξιωθῶ μετὰ χριστιανῶν θεωρῆσαι τὴν ἐπιφάνειαν τοῦ ὑπερουσίου Θεοῦ, ποιητοῦ τε καὶ δημιουργοῦ, καὶ προνοητοῦ καὶ κριτοῦ καὶ σωτῆρος τῶν ὅλων, εἴ ποτε ὄναρ τοιοῦτον ἀφηγησάμην, ἢ ἄλλου ἀφηγουμένου ἤκουσα, εἰ μὴ τῇ ὥρᾳ ταύτῃ παρὰ τοῦ κυροῦ Σεργίου τοῦ εὐνοίκου τῆς βασιλείας.

Εἶτα τρίτον συκοφάντην προβάλλονται, Θεόδωρον τὸν υἱὸν Ἰωάννου τοῦ κανδιδάτου λεγομένου, τὸν ἐπίκλην Χιλὰ, τὸν νῦν γαμβρὸν τοῦ κυροῦ Πλάτωνος τοῦ πατρικίου, λέγοντα· ὅτι συντυχίας μεταξὺ ἡμῶν ἐν Ῥώμῃ γενομένης περὶ τῶν βασιλέως, διέσυρε τὸ λαλούμενον, βυτία ποιῶν καὶ λαιβία. πρὸς ὃν εἶπεν ὁ τοῦ Θεοῦ δοῦλος· οὐδέποτε διελέχθην σοι, εἰ μὴ ἅπαξ μετὰ τοῦ ὁσιωτάτου πρεσβυτέρου κυροῦ Θεοχαρίστου, τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ ἐξάρχου, διὰ τὸν πριμικήριον, προτραπεὶς διὰ γραμμάτων περὶ τούτου. καὶ ἐὰν εὑρεθῶ ψευδόμενος, ἀπολαύω.

Καὶ μετὰ τοῦτον, τέταρτον ἄγουσι Γρηγόριον τὸν υἱὸν Φωτεινοῦ, λέγοντα· ὅτι ἀπῆλθον εἰς τὸ κελλίον τοῦ ἀββᾶ Μαξίμου ἐν Ῥώμῃ, κἀμοῦ εἰπόντος, ὅτι καὶ ἱερεύς ἐστιν ὁ βασιλεὺς, εἶπεν ὁ ἀββᾶς Ἀναστάσιος ὁ μαθητὴς αὐτοῦ· μὴ ἀξιωθῇ εἶναι ἱερεύς. εὐθέως λέγει πρὸς αὐτὸν ὁ τοῦ Θεοῦ δοῦλος· φοβήθητι τὸν Θεὸν κύριε Γρηγόριε. οὐδὲν παντελῶς ἐν τῇ περὶ τούτων διαλέξει λελάληκεν ὁ σύνδουλός μου. καὶ ῥίπτει ἑαυτὸν εἰς τὴν γῆν, λέγων τῇ συγκλήτῳ· ἀνάσχεσθε τοῦ δούλου ὑμῶν, καὶ πάντα λέγω ὡς ἐλαλήθη, καὶ ἐλέγξει με ἐὰν ψεύσωμαι. ὁ κύριός μου οὗτος Γρηγόριος ἐλθὼν εἰς Ῥώμην, ἠξίωσεν ἐλθεῖν εἰς τὸ κελλίον τοῦ δούλου ὑμῶν· ὃν θεωρήσας, ὡς ἔθος μοι ἐστὶν, ἔρριψα ἐμαυτὸν εἰς τὴν γῆν, καὶ προσεκύνησα αὐτῷ· καὶ ἠσπασάμην αὐτὸν, καὶ εἶπον αὐτῷ μετὰ τὸ καθίσαι· τίς ἡ αἰτία τῆς ποθητῆς παρουσίας τοῦ δεσπότου μου; καὶ εἶπεν· ὁ ἀγαθὸς καὶ θεοστεφὴς ἡμῶν δεσπότης, φροντίζων τῆς εἰρήνης τῶν ἁγίων τοῦ Θεοῦ ἐκκλησιῶν, ἐποίησε κέλευσιν πρὸς τὸν θεοτίμητον πάππαν, πέμψας καὶ προσφορὰν εἰς τὸν ἅγιον Πέτρον, προτρεπόμενος αὐτὸν ἑνωθῆναι τῷ προέδρῳ Κωνσταντινουπόλεως· ἅπερ πεμφθῆναι διὰ τῆς ἐμῆς μετριότητος κατηξίωσε τὸ εὐσεβὲς αὐτοῦ κράτος. καὶ εἶπον, δόξα Θεῷ τῷ ποιήσαντί σε ἄξιον τῆς τοιαύτης διακονίας. πλὴν, ἐπὶ ποίῳ τρόπῳ γενέσθαι τὴν ἕνωσιν ἡ αὐτοῦ θεοστεφὴς ἐκέλευσε γαληνότης, πάλιν εἰπὲ, εἴπερ οἶδας; καὶ εἶπας, ἐπὶ τῷ τύπῳ. καὶ ἔφην, ἀδύνατον, ὡς οἶμαι, τοῦτο καθέστηκεν· οὐ γὰρ ἀνέχονται οἱ Ῥωμαῖοι συναναιρεθῆναι ταῖς τῶν ἀκαθάρτων αἱρετικῶν φωναῖς, τὰς τῶν ἁγίων πατέρων φωτοφόρους φωνάς· ἢ τῷ ψεύδει συναποσβεσθῆναι τὴν ἀλήθειαν, ἢ τῷ σκότει συναφανισθῆναι τὸ φῶς. οὐδὲν γὰρ ἡμῖν ἔσται τὸ προσκυνούμενον, εἰ γένηται τῶν θεοδιδάκτων λόγων ἀναίρεσις. καὶ εἶπας, οὐκ ἀναίρεσιν τῶν ἱερῶν τύπος ποιεῖται φωνῶν, ἀλλὰ σιωπὴν, ἵνα τὴν εἰρήνην οἰκονομήσωμεν. καὶ εἶπον, ἔστι παρὰ τῇ θείᾳ γραφῇ σιωπὴ, καὶ ἀναίρεσις. ὁ Θεὸς γὰρ εἶπε διὰ τοῦ Δαβίδ· οὐκ εἰσὶ λαλιαὶ, οὐδὲ λόγοι, ὧν οὐκ ἀκούονται αἱ φωναὶ αὐτῶν. οὐκοῦν εἰ μὴ λαλοῦνται καὶ ἀκούονται οἱ περὶ Θεοῦ λόγοι, οὐδὲ ὅλως εἰσὶ, κατὰ τὴν γραφήν. καὶ εἶπας, μὴ βάλῃς με εἰς ὕλας· ἐγὼ ἀρκοῦμαι τῷ ἁγίῳ συμβόλῳ. καὶ πῶς δύνασαι τῷ ἁγίῳ ἀρκεῖσθαι συμβόλῳ, ἔφην,

A servatam, ut hujuscemodi experimentum præstigiorum percipiam. Et dicit domnus Epiphanius: Deus novit, bene facit, deludens eos si vera non sunt. Post quem, Sacellarius iterum cum ira dixit ad eum: Absolute omnes mentiuntur, & tu solus verum dicis? Et respondens servus Dei, audito verbo cum lacrymis ait: Potestatem habetis, permittente Deo, & vivificandi, & mortificandi. Verumtamen, si isti veritatem dicunt, & satanas natura Deus est. Si autem non est, sicut nec est, nec isti veritatem dixerunt. Denique nec merear cum Christianis videre adventum supersubstantialis Dei, factoris videlicet, conditoris, & creatoris, & provisoris, ac judicis, & salvatoris universorum, si B somnium tale aut vidi, aut alio referente audivi, excepta hora hac a domno Sergio dilecto imperii.

Dein tertium calumniatorem proponunt, Theodorum filium Joannis dudum candidati, cognomento Chila, qui gener est nunc domni Platonis Patricii, dicentem: Quia collocutione inter nos Romæ facta de imperio, detraxit quod dicebatur, mutiens & subsannationes faciens. Ad quem servus Dei dixit: Numquam disputavi tecum, nisi semel cum sanctissimo presbytero domno Theocharisto Exarchi fratre propter Primicerium, jussus per literas super hoc. Quod si repertus fuero mentiens, recipiam.

Et post hunc quartum adducunt Gregorium fi- C lium Photini, dicentem: Quia perrexi Romam ad cellulam abbatis Maximi: & me dicente quia & sacerdos est Imperator, dixit abbas Anastasius discipulus ejus: non sit dignus fore sacerdos. Et statim dixit ad eum servus Dei: Time Deum, domne Gregori, nil tale hujuscemodi disputatione conservus meus locutus est. Et cum semet projecisset in terram, Senatui dixit: Sustinete servum vestrum, & omnia dico vobis sicuti dicta sunt: & arguat me si mentitus fuero. Hic dominus meus Gregorius veniens Romam dignatus est venire ad cellulam servi vestri. Quo viso, sicuti moris est mihi, projeci meipsum in terram, & adoravi eum, & osculatus sum, & dixi ei post sessionem: Quæ caussa est desiderabilis adventus domini mei? At ille: Bonus, inquit, & a Deo confortatus dominator noster, solicitudinem habens pacis sanctarum D Dei Ecclesiarum, jussionem fecit ad divinitus honoratum Papam, missa etiam oblatione ad sanctum Petrum, hortatus est eum, quo se Præsuli Constantinopolitano uniret, quæ mitti per mediocritatem meam dignatum est pium ejus imperium. Et dixi: Gloria Deo, qui fecit te dignum hujusmodi ministerio. Verumtamen sub quo fieri modo unitatem a Deo coronata ejus jussit tranquillitas, si nosti? Et dixisti: Sub typo. Et dixi: Impossibile, ut opinor, est hoc. Non enim patiuntur Romani auferri una cum impuris hæreticorum vocibus sanctorum Patrum luciferas voces, vel simul cum mendacio veritatem exstingui, aut cum tenebris lumen pariter dissipari. Nil nobis quod adore- E tur erit, si divinitus ostensorum fuit verborum ablatio. Et dixisti: Non ablationem sacrarum typus efficit vocum: sed taciturnitatem, ut dispensemus pacem. Et dixi: Est apud divinam Scripturam taciturnitas etiam demtio. Deus enim per David dixit: [a] *Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum*. Ergo nisi dicantur & audiantur sermones qui de Deo sunt, nec omnino sunt secundum Scripturam. Et dixisti: Ne mittas me in silvas: ego sancto contentus sum symbolo. Et quomodo, dixi, potes sancto esse contentus sym-

[a] Psalm. XVIII. 3.

δεχόμενος τὸν τύπον; καὶ τί βλάπτει τὸ δέχεσθαι τὸν τύπον, καὶ λέγειν τὸ σύμβολον; ἔφης. λέγω, ὅτι προφανῶς ἀναιρεῖ τὸ σύμβολον ὁ τύπος. καὶ εἶπας, διὰ τὸν κύριον, πῶς; εἰπέ μοι, ἔφην, τὸ σύμβολον, καὶ γνῶθι πῶς ἀναιρεῖται ὑπὸ τοῦ τύπου. καὶ ἤρξω τοῦ λέγειν· πιστεύω εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα, ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς, ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων. ἐπίσχε, εἶπον, μικρὸν, καὶ μάθε πῶς ἡ τῶν ἐν Νικαίᾳ πίστις ἤρνηται. ποιητὴς γὰρ οὐκ ἂν εἴη Θεὸς, θελήσεως καὶ ἐνεργείας φυσικῆς ἐστερημένος, εἴπερ θελήσας, ἀλλ' οὐκ ἀναγκασθεὶς ἐποίησε τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, εἴπερ ἀληθεύει ἐν πνεύματι Δαβὶδ, πάντα ὅσα ἠθέλησεν ὁ κύριος, ἐποίησεν ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ ἐν τῇ γῇ, ἐν ταῖς θαλάσσαις, καὶ ἐν πάσαις ταῖς ἀβύσσοις. εἰ δὲ οἰκονομίας χάριν συναναιρεῖται τῇ κακοπιστίᾳ ἡ σωτήριος πίστις, χωρισμὸς Θεοῦ παντελὴς, ἀλλ' οὐχ ἕνωσις Θεοῦ ἐστι τὸ τοιοῦτον εἶδος τῆς λεγομένης οἰκονομίας. καὶ γὰρ αὔριον οἱ δυσώνυμοι Ἰουδαῖοι λέγουσιν· οἰκονομήσωμεν τὴν πρὸς ἀλλήλους εἰρήνην, καὶ ἑνωθῶμεν, καὶ περιέλωμεν ἡμεῖς μὲν τὴν περιτομὴν, καὶ ὑμεῖς τὸ βάπτισμα, καὶ μηκέτι ἀλλήλους πολεμήσωμεν. τοῦτο Ἀρειανοί ποτε προέτειναν ἐγγράφως ἐπὶ τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου, λέγοντες· περιέλωμεν τὸ ὁμοούσιον καὶ τὸ ἑτεροούσιον, καὶ ἑνωθῶσιν αἱ ἐκκλησίαι. καὶ οὐ κατεδέξαντο οἱ θεοφόροι πατέρες ἡμῶν· ἀλλ' εἵλοντο μᾶλλον διώκεσθαι καὶ ἀποθανεῖν, ἢ σιωπῆσαι φωνὴν παραστατικὴν τῆς μιᾶς τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος ὑπερουσίου θεότητος· καὶ ταῦτα συνεπιτιθεμένου τοῖς τὰ τοιαῦτα προτείνουσι τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου, καθὼς πολλοῖς ἱστόρηται τοῖς φιλοπόνως τὰ τότε γενόμενα γράψασι. καὶ οὐδεὶς τῶν βασιλέων ἠδυνήθη μέσαις φωναῖς πεῖσαι τοὺς θεοφόρους πατέρας συμβιβασθῆναι τοῖς ἐπ' αὐτῶν αἱρετίζουσι· ἀλλὰ ταῖς τρανοῖς καὶ κυρίαις, καὶ καταλλήλοις τῷ ζητουμένῳ δόγματι ἐκέχρηντο, λέγοντες προφανῶς· ὅτι ἱερέων ἐστὶν τὸ ζητεῖν, καὶ ὁρίζεσθαι περὶ τῶν σωτηρίων δογμάτων τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας. καὶ εἶπας· τί οὖν; οὐκ ἔστι πᾶς βασιλεὺς χριστιανὸς καὶ ἱερεύς; καὶ εἶπον, οὐκ ἔστιν. οὐδὲ γὰρ παρίσταται θυσιαστηρίῳ, καὶ μετὰ τὸν ἁγιασμὸν τοῦ ἄρτου ὑψοῖ αὐτὸν, λέγων, τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις. οὔτε βαπτίζει, οὔτε μύρου τελετὴν ἐπιτελεῖ, οὔτε χειροθετεῖ, καὶ ποιεῖ ἐπισκόπους καὶ πρεσβυτέρους καὶ διακόνους· οὔτε χρίει ναούς· οὔτε τὰ σύμβολα τῆς ἱερωσύνης ἐπιφέρεται, ὠμοφόριον καὶ τὸ εὐαγγέλιον, ὥσπερ τῆς βασιλείας τόν τε στέφανον καὶ τὴν ἁλουργίδα. καὶ πῶς ἡ γραφὴ βασιλέα καὶ ἱερέα λέγει εἶναι τὸν Μελχισεδέκ; ἔφης. καὶ εἶπον, ἑνὸς τοῦ φύσει βασιλέως Θεοῦ τῶν ὅλων γενομένου φύσει διὰ τὴν ἡμῶν σωτηρίαν ἀρχιερέως, εἷς ὑπῆρχε τύπος ὁ Μελχισεδέκ. ὡς δέ γε κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ ἕτερον εἶναι λέγεις βασιλέα καὶ ἱερέα, καὶ τὰ λοιπὰ τόλμησον εἰπεῖν, τὸ, ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητον, μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε τέλος ζωῆς ἔχοντα. καὶ σκόπει τὸν ἐκ τούτου ἀναφυόμενον κακόν. ἄλλος γὰρ εὑρεθήσεται Θεὸς ὁ τοιοῦτος ἐνανθρωπήσας, κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ, ἀλλ' οὐ κατὰ τὴν τάξιν Ἀαρὼν τὴν ἡμῶν ἱερουργῶν σωτηρίαν.


Πλὴν, τί θέλομεν διὰ πολλῶν ἐλθεῖν; εἰς τὴν ἁγίαν ἀναφορὰν ἐπὶ τῆς ἁγίας τραπέζης, μετὰ τοὺς ἀρχιερέας καὶ ἱερέας καὶ διακόνους, καὶ παντὸς ἱερατικοῦ τάγματος, μετὰ τῶν λαϊκῶν οἱ βασιλεῖς μνημονεύονται, λέγοντος τοῦ διακόνου· καὶ τῶν ἐν πίστει κεκοιμημένων λαϊκῶν, Κωνσταντίνου, Κώνσταντος, καὶ τοὺς λοιπούς. οὕτω δὲ καὶ τῶν ζώντων μνημονεύει βασιλέων, μετὰ τοὺς ἱερωμένους πάντας. ταῦτα αὐτοῦ λέγοντος, κράζει ὁ Μηνᾶς· ταῦτα λέγων ἔσχισας τὴν ἐκκλησίαν. καὶ λέγει πρὸς αὐτόν· εἰ ὁ λέγων τὰ τῶν ἁγίων γραφῶν, καὶ τὰ τῶν ἁγίων πατέρων

A bolo, suscipiens typum? Et quid lædet suscipere typum, & dicere symbolum? asseruisti. Ajo, Quoniam evidenter obtruncat symbolum typus. Et dixisti: Quomodo propter Dominum! Recitemus, dixi, symbolum, & scito qualiter obtruncetur a typo. Et cœpisti dicere: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, visibilium omnium & invisibilium. Attende, dixi, paullulum, & disce qualiter apud Nicæam convenientium fides negetur. Factor enim non esset Deus, voluntate ac operatione naturali privatus, si volens & non coactus fecit cælum & terram, si veritatem profert David in spiritu, dicens: [a] *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit, in cælo & in terra, in* B *mari & in omnibus abyssis*. Si autem, dispensationis gratia, una cum credulitate nequam salutaris demitur fides, separatio Dei fit omnimoda: sed non unitas est hujusmodi species ejus quæ dicitur dispensatio. Si quidem cras nefandi Judæi dicent: Dispensemus in alterutros pacem & uniamur, & amputemus nos quidem circumcisionem, vos vero baptismum, & non jam invicem impugnemus. Hoc & Ariani aliquando prætenderunt in scriptis sub Magno Constantino dicentes: Auferamus dictum Unius substantiæ, & Alterius substantiæ, & uniantur Ecclesiæ. Et non id admiserunt deiferi patres nostri, sed elegerunt potius persecutionem pati & mori, quam tacere vocem comprobantem unam Patris & C Filii, & Spiritus sancti supersubstantialem deitatem: & hæc cohibente his qui hæc prætendebant Magno Constantino, sicut a multis refertur, qui ea quæ tunc gesta sunt studiose scripserunt. Et nullus Imperatorum potuit mediis vocibus suadere deiloquis patribus, ut convenirent in ea quæ ipsi sectabantur: sed expressis vocibus ac propriis, & dogmati quod quærebatur congruis usi sunt; dicentes liquido, quoniam sacerdotum est quærere ac diffinire de salutaribus Ecclesiæ catholicæ dogmatibus. Et dixisti: Ergo non est omnis Christianus Imperator etiam sacerdos? Et dixi, Non est. Neque enim astat altari, neque post sanctificationem panis exaltat eum, dicens: Sancta sanctis. Neque D baptizat, neque chrismatis confectionem patrat, neque facit episcopos, vel presbyteros, aut diaconos, neque linit Ecclesias, neque indicia sacerdotii fert, superhumerale scilicet & Evangelium, quemadmodum Imperii coronam & purpuram. Et dixisti: Et quomodo Scriptura regem & sacerdotem dicit esse Melchisedec? Et dixi: Unius natura regis cunctorum Dei, natura etiam ob salutem nostram Pontificis facti, unus erat typus Melchisedec. Quod si secundum ordinem Melchisedec, alium dicis esse regem & sacerdotem; & reliqua præsume dicere, id est: [b] *Sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habentem*. Et adverte quod ex hoc oriri E valeat malum. Alius quippe talis reperietur Deus incarnatus secundum ordinem Melchisedec, & non secundum ordinem Aaron salutem nostram perficiens.

Verumtamen, quid volumus per multa discurrere? Inter sacras oblationes supra sanctam mensam post pontifices, & sacerdotes, & diaconos, omnemque sacratum ordinem, cum laicis Imperatores memorantur, dicente diacono: Et eorum, qui in fide dormierunt, laicorum, Constantini, Constantis, & ceterorum. Sic autem & vivorum memoriam facit Imperatorum post sacratos omnes. Hæc eo dicente, clamat Mennas: Hæc dicens scidisti Ecclesiam. Et dicit ad eum: Si is qui dicit ea quæ sanctarum sunt Scripturarum, atque sancto-

[a] Psalm. CXXXIV. 6. [b] Hebr. VII. 3.

Sæcul. VII. circa Ann. Chr. 654.



σχίζει τὴν ἐκκλησίαν, ὁ ἀναιρῶν τὰ τῶν ἁγίων δόγ- A ματα, τί δειχθήσεται τῇ ἐκκλησίᾳ ποιῶν, ὧν χωρὶς, οὐδὲ αὐτὸ τοῦτο, ἐκκλησίαν εἶναι δυνατόν; καὶ στραφεὶς ὁ Σακελλάριος, εἶπε τοῖς ἀνθρώποις τοῦ Ἐξάρχου μετὰ κραυγῆς· εἴπατε τῷ Ἐξάρχῳ, τοιοῦτον ἄνθρωπον ὤφειλες ἐάσαι ζῆν ὅπου ἄρχεις; καὶ λαβόντες αὐτὸν ἔξω, εἰσάγουσι τὸν μαθητήν. καὶ ἀπαιτοῦντες αὐτὸν κατειπεῖν τοῦ ἐπιστάτου, ὡς θλίψαντος Πύῤῥον, ἀπεκρίνατο ἠρεμαίᾳ τῇ φωνῇ τὰ τῆς ἀληθείας, ὅτι οὐδεὶς ἐτίμησε Πύῤῥον ὡς ἐτίμησε [1]. καὶ κελεύεται κράξαι; καὶ ἐπείπερ οὐ κατεδέξατο τῆς πρεπούσης μοναχοῖς εὐλαβοῦς φωνῆς ξενωθῆναι, κελεύει τυπῆναι αὐτὸν ὑπὸ τῶν παρεστώτων· καὶ πυγμαῖς αὐτὸν βαλόντες, ἡμιθανῆ αὐτὸν πεποιήκασι. καὶ ἀπολύσαντες αὐ- B τοὺς εἰς τὰ δεσμωτήρια, καταλαμβάνει τὸν γέροντα ὁ Μηνᾶς, λέγων παρουσίᾳ τῶν ἀρχόντων· ἔβαλέ σε ὁ Θεὸς, καὶ ἤγαγέ σε ὧδε, ἵνα ἀπολάβῃς, ὅσα εἰς ἄλλους ἐποίησας, πλανῶν πάντας εἰς τὰ Ὠριγένους δόγματα. πρὸς ὃν εἶπεν ὁ τοῦ Θεοῦ δοῦλος παρουσίᾳ πάντων· ἀνάθεμα Ὠριγένει καὶ τοῖς δόγμασιν αὐτοῦ, καὶ παντὶ σύμφρονι αὐτοῦ. καὶ λέγει ὁ Πατρίκιος Ἐπιφάνιος· ἐλύθη, κύριε ἀββᾶ Μηνᾶ, ὁ κατ' αὐτοῦ παρὰ σοῦ ἐπαγόμενος ψόφος, ἵνα καὶ εἰ ἦν Ὠριγενιστὴς, ἐπὰν ἀνεθεμάτισε, τῆς τοιαύτης ἑαυτὸν ἠλευθέρωσε μέμψεως. ἐγὼ δὲ ὡς οὐκέτι τοιοῦτο περὶ αὐτοῦ λεγόμενον παραδέχομαι. καὶ ἀπηνέχθη ἕκαστος αὐτῶν, ἐν ᾧ παρεφυλάττετο τόπῳ. C


Καὶ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ περὶ τὴν αὐτὴν ἀφὴν τοῦ λύχνου, Τρώϊλος ὁ Πατρίκιος, καὶ Σέργιος ὁ Εὐκρατᾶς, ὁ ἐπὶ τῆς τραπέζης τῆς βασιλικῆς, παρεγένοντο πρὸς τὸν δοῦλον Θεοῦ τὸν γέροντα, καὶ καθίσαντες, ἐκέλευσαν καὶ αὐτὸν καθίσαι, καὶ εἶπον πρὸς αὐτόν. εἰπὲ ἡμῖν κύριε Ἀββᾶ, τὴν μεταξὺ σοῦ καὶ Πύῤῥου γενομένην ἐν Ἀφρικῇ καὶ Ῥώμῃ περὶ τῶν δογμάτων κίνησιν. καὶ ποίοις αὐτὸν ἔπεισας ἀναθεματίσαι τὸ δόγμα τὸ ἴδιον, καὶ τῷ σῷ συνθέσθαι. καὶ ἀφηγήσατο αὐτοῖς πάντα καθεξῆς, ὅσα ἡ μνήμη ἀνέσωσε. καὶ τοῦτο εἶπεν· ὅτι ἐγὼ δόγμα ἴδιον οὐκ ἔχω, ἀλλὰ τὸ κοινὸν τῆς ἐκκλησίας τῆς καθολικῆς. οὐ γὰρ ἐκίνησα φωνὴν τὴν οἱανοῦν, ἵνα ἴδιόν μου λέγηται δόγμα. καὶ μετὰ τὴν ἀφήγησιν D λέγουσιν αὐτῷ· οὐ κοινωνεῖς τῷ θρόνῳ Κωνσταντινουπόλεως; καὶ εἶπεν, οὐ κοινωνῶ· διὰ ποίαν οὐ κοινωνεῖς αἰτίαν; εἶπον. ἀπεκρίθη, ὅτι τὰς ἁγίας τέσσαρας συνόδους ἐξέβαλον διὰ τῶν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ γενομένων ἐννέα κεφαλαίων, καὶ διὰ τῆς ἐν ταύτῃ τῇ πόλει γενομένης παρὰ Σεργίου ἐκθέσεως, καὶ διὰ τοῦτο προσεχῶς ἐπὶ τῆς ἕκτης ἰνδικτιῶνος ἐκτεθέντος τύπου· καὶ ὅτι ἅπερ ἐδογμάτισαν διὰ τῶν κεφαλαίων, διὰ τῆς ἐκθέσεως κατέκριναν· καὶ ἅπερ ἐδογμάτισαν διὰ τῆς ἐκθέσεως, διὰ τοῦ τύπου ἠκύρωσαν, καὶ καθεῖλον ἑαυτοὺς τοσαυτάκις. οἱ τοίνυν ὑφ' ἑαυτῶν κατακριθέντες, καὶ ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων, καὶ τῆς μετὰ ταῦτα ἐπὶ τῆς ὀγδόης ἰνδικτιῶνος γενομένης συνόδου καθαιρεθέντες, ποίαν ἐπιτε- E λέσουσι μυσταγωγίαν; ἢ ποῖον πνεῦμα τοῖς παρὰ τῶν τοιούτων ἐπιτελουμένοις ἐπιφοιτᾷ; καὶ λέγουσιν αὐτῷ· σὺ μόνος σώζῃ, καὶ πάντες ἀπόλλυνται; καὶ εἶπεν· οὐδένα κατέκριναν οἱ τρεῖς παῖδες μὴ προσκυνήσαντες τῇ εἰκόνι, πάντων ἀνθρώπων προσκυνούντων. οὐ γὰρ ἐσκόπουν τὰ τῶν ἄλλων, ἀλλ' ἐσκόπουν ὅπως ἂν αὐτοὶ μὴ ἐκπέσωσι τῆς ἀληθοῦς εὐσεβείας. οὕτω καὶ Δανιὴλ βληθεὶς εἰς τὸν λάκκον τῶν λεόντων, οὐ κατέκρινέ τινα τῶν μὴ προσευξαμένων τῷ Θεῷ κατὰ τὸ θέσπισμα Δαρείου, ἀλλὰ τὸ ἴδιον ἐσκόπησε. καὶ εἵλετο ἀποθανεῖν, καὶ μὴ παραπεσεῖν τῷ Θεῷ, καὶ ὑπὸ τῆς ἰδίας μαστιγωθῆναι συνειδήσεως, ἐπὶ τῇ παραβάσει τῶν φύσει νομίμων· κἀμοὶ οὖν μὴ δῴη ὁ Θεὸς κατακρῖναι

rum Patrum, scindit Ecclesiam; qui adimit sanctorum dogmata, quid monstrabitur Ecclesiæ faciens, sine quibus nec dici ipsam Ecclesiam est possibile? Et conversus Sacellarius dixit hominibus Exarchi cum clamore: Dicite Exarcho: hujusmodi hominem debebas dimittere vivere ubi præes? Et cum eduxissent eum foras, intromittunt discipulum. A quo cum exegissent, ut diceret contra magistrum, quod tribulaverit Pyrrhum: respondit quieta voce quæ veritatis erant, quia nemo honoravit Pyrrhum ut honoravit magister meus, & jubetis clamare? Quia vero voce passus non est a decenti monachos reverenda voce divertere, jubetur percuti ab his qui astabant: & pugnis summissum semimortuum reddiderunt. Quibus dimissis ad carceres, venit ad senem Mennas, dicens in præsentia principum: Misit te Deus, & duxit te huc, ut recipias quæcumque in alio fecisti, seducens omnes in Origenis dogmata. Ad quem servus Dei coram omnibus dixit: Anathema Origeni, & dogmatibus ejus, & omni consentaneo ejus. Et dicit Epiphanius Patricius: Destructa est, domne abba Menna, querimonia, quæ a te adversum eum illata est, quoniam & si esset Origenianista, eo quod anathematizavit eum, ab hujuscemodi sese liberavit querela. Interim ergo tale dictum super eo ulterius non admittam. Et inductus est unusquisque ipsorum in locum, in quo custodiebatur.

Et eadem die circa [a] tactum lucernæ, Troilus Patricius, & Sergius Eucratas, qui erat super imperatoriam mensam, venerunt ad servum Dei senem, & sedentes jusserunt etiam illi sedere, & dixerunt ad eum. Dic nobis, domne Abba, motionem dogmatum, quæ inter te & Pyrrhum Romæ & in Africa facta est: & quibus ei verbis persuaseris anathematizare proprium dogma, & tuo pacisci. Et enarravit eis omnia per ordinem quæcumque retinere memoria valuit. Addidit autem & hoc, dicens: Ego dogma proprium non habeo, sed commune catholicæ Ecclesiæ. Neque enim movi vocem quamlibet, ut proprium meum dicatur dogma. Et post totam narrationem dicunt ei. Non communicas throno Constantinopolitano? Et dixit: Non communico. Quamobrem non communicas? dixerunt. Respondit: Quia sancta quatuor Concilia ejecerunt per illa novem Capitula, quæ facta sunt Alexandriæ, & per ecthesin, quæ in hac urbe a Sergio patrata est, & per typum, qui nuper, id est per sextam est indictionem expositus: & quia quæ per illa dogmatizaverunt, per ecthesin damnaverunt, & quæ dogmatizaverunt per ecthesin, per typum irrita statuerunt, & deposuerunt semetipsos totiens. Illi igitur, qui a seipsis damnati sunt, & a Romanis atque a Synodo, quæ post hæc per octavam indictionem facta est, sunt depositi, & sacerdotio denudati, qualia celebrant, rogo, mysteria? Aut qualis spiritus ad ea quæ a talibus celebrantur, advenit? Et dicunt ei: Ergone tu solus salvaris, & omnes peribunt? Et dixit: Neminem damnaverunt tres pueri non adorantes iconam, cum hanc omnes homines adorarent. Non enim intendebant ea quæ aliorum erant, sed intendebant quatinus ipsi non deciderent a vera pietate. Sic & Daniel missus in lacum leonum non damnavit quemquam eorum, qui non adoraverunt Deum secundum Darii sanctionem, sed quod suum erat intendit, & elegit mori, & non cadere a Deo, & a sua conscientia flagellari in prævaricatione eorum quæ legalia sunt natura. Mihique Deus non det damnare

1. Interpres legit insuper ὁ ἐπιστάτης μου. Et mox κελεύετε.

a. h. e. accensionem.



τινα, ἢ εἰπεῖν, ὅτι ἐγὼ μόνος σώζομαι. αἱροῦμαι A δὲ ἀποθανεῖν, ἢ θρόησιν ἔχων κατὰ τὸ συνειδὸς, ὅτι περὶ τὴν εἰς Θεὸν πίστιν παρεσφάλην καθ' οἱονδήποτε τρόπον.

Λέγουσιν αὐτῷ. καὶ τί ἔχεις ποιῆσαι, τῶν Ρωμαίων ἑνουμένων τοῖς Βυζαντίοις; ἰδοὺ γὰρ χθὲς ἦλθον οἱ Ἀποκρισιάριοι Ρώμης, καὶ αὔριον τῇ κυριακῇ κοινωνοῦσι τῷ πατριάρχῃ. καὶ πᾶσι δῆλον γίνεται, ὅτι σὺ διέστρεφες τοὺς Ρωμαίους· ἀμέλει σοῦ ἀπαρθέντος ἐκεῖθεν, συνέθεντο τοῖς ἐνταῦθα. καὶ εἶπε πρὸς αὐτούς· οἱ ἐλθόντες, οἱονδήποτε πρόκριμα τῷ θρόνῳ Ρώμης, κἂν κοινωνήσωσιν, ἐπὰν οὐκ ἤγαγον B πρὸς τὸν πατριάρχην ἐπιστολὴν, οὐ ποιοῦσι· καὶ οὐ πείθομαι πάντως, ὅτι οἱ Ρωμαῖοι ἑνοῦνται τοῖς ἐνταῦθα, εἰ μὴ ὁμολογήσωσι τὸν κύριον ἡμῶν καὶ Θεὸν, καθ' ἑκάτερον τῶν ἐξ ὧν, ἐν οἷς τε καὶ ἅπερ ἐστὶν, εἶναι φύσει θελητικόν τε καὶ ἐνεργητικὸν τῆς ἡμῶν σωτηρίας. καὶ λέγουσιν· εἰ δὲ συμβιβασθῶσι τοῖς ἐνταῦθα οἱ Ρωμαῖοι, τί ποιεῖς; καὶ εἶπε· τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον διὰ τοῦ ἀποστόλου καὶ ἀγγέλους ἀναθεματίζει παρὰ τὸ κήρυγμά τι νομοθετοῦντας.

Καὶ λέγουσι· πάντως ἀνάγκη ἐστὶ, θελήσεις λέγεσθαι ἐπὶ Χριστοῦ καὶ ἐνεργείας; ἀπεκρίθη· πᾶσα ἀνάγκη, εἴπερ εὐσεβεῖν κατὰ ἀλήθειαν θέλωμεν. οὐδὲν γὰρ τῶν ὄντων, χωρὶς ἐνεργείας φυσικῆς ὑφέστηκεν. C οἱ γὰρ ἅγιοι πατέρες φανερῶς λέγουσι, μήτε εἶναι, ἢ γινώσκεσθαι χωρὶς τῆς οὐσιώδους αὐτῆς ἐνεργείας τὴν οἱανδήποτε φύσιν. εἰ δὲ οὔτε ἐστὶν, οὔτε γινώσκεται φύσις ἄνευ τῆς αὐτὴν οὐσιωδῶς χαρακτηριζούσης ἐνεργείας, πῶς εἶναι τὸν Χριστὸν, ἢ γνωρίζεσθαι Θεὸν ἀληθῶς φύσει καὶ ἄνθρωπον, ἄνευ τῆς θεϊκῆς καὶ ἀνθρωπίνης ἐνεργείας, ἐστὶ δυνατόν; ἀπολέσας γὰρ κατὰ τοὺς πατέρας τὸ βρυχικὸν ὁ λέων, οὐκ ἔστι λέων· καὶ κύων τὸ ὑλακτικὸν, οὐκ ἔστι κύων. καὶ ἄλλο τὸ οἱονοῦν τὸ φυσικῶς αὐτοῦ συστατικὸν ἀπολέσαν, οὐκ ἔστιν ἔτι ὅπερ ἦν. καὶ λέγουσιν αὐτῷ· οἴδαμεν ὄντως ὅτι οὕτως ἦν. πλὴν μὴ λυπήσῃς τὸν βασιλέα, διὰ τὴν εἰρήνην καὶ μόνον ποιήσαντα τὸν τύπον, οὐκ ἐπ' ἀναιρέσει τινὸς τῶν ἐπὶ Χριστοῦ νοουμένων· ἀλλ' ἐπὶ εἰρήνῃ, τὴν σιωπὴν τῶν ποιουσῶν τὴν διάστασιν D φωνῶν οἰκονομοῦντα.

Καὶ ῥίψας ὁ τοῦ Θεοῦ δοῦλος ἑαυτὸν εἰς τὴν γῆν μετὰ δακρύων· οὐκ ὤφειλε λυπηθῆναι ὁ ἀγαθὸς καὶ εὐσεβὴς δεσπότης κατὰ τῆς ἐμῆς ταπεινώσεως. οὐ γὰρ δύναμαι λυπῆσαι τὸν Θεὸν σιωπῶν, ἅπερ αὐτὸς λαλεῖσθαι καὶ ὁμολογεῖσθαι προσέταξεν. εἰ γὰρ κατὰ τὸν θεῖον ἀπόστολον, αὐτός ἐστιν ὁ θέμενος ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, πρῶτον ἀποστόλους, δεύτερον προφήτας, τρίτον διδασκάλους, δῆλόν ἐστιν, ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ διὰ τούτων λαλήσας. διὰ πάσης οὖν τῆς ἁγίας γραφῆς, τῆς τε παλαιᾶς καὶ νέας διαθήκης, καὶ τῶν ἁγίων διδασκάλων καὶ συνόδων διδασκόμεθα, θελητικόν τε καὶ ἐνεργητικὸν θεότητί τε καὶ ἀνθρωπότητι, τὸν E σαρκωθέντα Θεόν. οὐδενὸς γὰρ τῶν, οἷς ὡς Θεὸς γινώσκεται, καὶ τῶν, οἷς ὡς ἄνθρωπος φύσει γνωρίζεται, χωρὶς ἁμαρτίας, ἐστὶν ἂν ἐλλιπής. εἰ δὲ τέλειός ἐστι καθ' ἑκάτερον, ὡς οὐδενὸς κατ' ἑκάτερον ἐλλιπὴς, προφανῶς τὸ κατ' αὐτὸν ὅλον νοθεύει μυστήριον, ὁ μὴ ὁμολογῶν αὐτὸν εἶναι ὅπερ ἐστὶ, μετὰ τῶν προσόντων αὐτῷ καθ' ἑκάτερον, ἐν οἷς τε, καὶ ἅπερ ἐστὶ, πάντων φυσικῶν ἰδιωμάτων.

Καὶ μικρὸν σιωπήσαντες, ἀλλήλοις προσνεύσαντες λέγουσι· πόθεν δύνασαι δεῖξαι, ὅτι τὰς συνόδους ἐκβάλλουσιν οἱ θρόνοι Κωνσταντινουπόλεως; καὶ λέγει αὐτοῖς· ἤδη δέδεικται μερικῶς διὰ τῶν ἐν Ρώμῃ λαληθέντων παρ' ἐμοῦ πρὸς τὸν κύριον Γρηγό-

A quemquam, vel dicere quod ſolus ego ſalver. Quantum autem valeo, eligo mori, quam terrorem habere in conſcientia, quod in fide, quæ in Deum eſt, per quemlibet erraverim modum,

Dicunt ei: Et quid facies, cum Romani uniti Byzantiis fuerint? Ecce enim heri venerunt Apocriſiarii Romani, & cras Dominico die communicabunt Patriarchæ, ac per hoc omnibus manifeſtum fit, quod tu ſubverteris Romanos. Denique te illinc ablato, mox conſenſerunt his qui heic ſunt. Et dixit ad eos: Hi qui venere, præ-B judicium quoquomodo Sedi Romanæ, quamvis communicent, eo quod non detulerint ad Patriarcham epiſtolam, non faciunt: & non credo aliquando quod Romani uniantur iſtis, niſi confeſſi fuerint Dominum noſtrum & Deum ſecundum utrumque eorum, ex quibus eſt, & quæ eſt, eſſe & natura voluntarium, & operatorium habere ſalutis noſtræ. Et dicunt: Quod ſi connexi fuerint his Romani, quid facies? Et dixit: Spiritus ſanctus etiam angelos anathematizat, præter id quod prædicatum eſt, innovantes.


Et ajunt: Utique neceſſitas eſt voluntates dici in Chriſto, & operationes? Reſpondit: Omnis neceſſitas eſt, ſi dumtaxat pie revera ſapere volumus. C Nihil enim eorum quæ ſunt ſine operatione naturali ſubſiſtit. Sancti namque Patres manifeſte dicunt, non eſſe, nec ſciri, fine ſubſtantiali operatione [1], quæ hanc ſubſtantialiter characterizet: quomodo eſſe Chriſtum, aut agnoſci Deum natura veraciter & hominem eſt poſſibile? Amiſſo quippe, ſecundum ſanctos Patres, fremibili, leo non jam leo, & latrabili, canis non jam carnis; & aliud quodcumque perdito quod ſe naturaliter commendabat, non ulterius eſt quod erat. Et dicunt ei: Novimus vere quod ita ſit: verumtamen ne contriſtes Imperatorem, qui propter pacem tantummodo fecit typum: non in ademptionem cujuſquam eorum quæ in Chriſto intelliguntur, ſed ad pacem ſilentium vocum quæ faciebant D diſſenſionem, diſpenſans.

Et projicens ſe Dei ſervus in terram cum lacrymis dixit: Non debuerat contriſtari benignus & pius dominus adverſus humilitatem meam: non enim poſſum contriſtare Deum, tacens quæ ipſe nos loqui & confiteri præcepit. Si enim ſecundum ſacratiſſimum Apoſtolum ipſe eſt, qui poſuit in Eccleſia primo Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio Doctores, perſpicuum eſt quod ipſe ſit qui per iſtos locutus eſt. Per totam ergo ſanctam Scripturam, tam ſcilicet vetus quam novum teſtamentum, ſanctoſque Doctores, ac Synodos, edocemur voluntatis & operationis tam in divinitate, quam E in humanitate, incarnatum Deum eſſe capacem. In nullo enim eorum, quibus ut Deus ſcitur, vel eorum, quibus ut homo natura cognoſcitur, excepto dumtaxat peccato, eſt imperfectus. Si autem perfectus eſt utroque, ſicut in nullo ex ambobus eſt minoratus; manifeſte totum ipſius adulterat ſacramentum, qui non confitetur eum eſſe quod eſt, cum exſiſtentibus ſibi omnibus naturalibus idiomatibus, ex quibus, & in quibus, & quæ eſſe probatur.

Et cum paullum tacuiſſent, & ad invicem innuiſſent, ajunt: Unde potes oſtendere, quod ſanctas Synodos abjiciant hi, qui ſunt throni Conſtantinopoleos? Qui dicit eis: Jam partim oſtenſum eſt per ea, quæ Romæ locutus ſum ad

1. *Quæ Interpres omiſit ſic ſupple*: ullam quamcumque naturam. Si autem neque eſt, neque cognoſcitur natura abſque operatione quæ ipſam ſubſtantialiter characterizet quomodo, *cet.* SIRM.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 654.



ριον, τὸν ἀσηκρῆτιν· καὶ νῦν, εἰ παρίσταται τῷ δεσπότῃ τοῦτο δειχθήσεσθαι, κελεύσει δοθῆναι ἄδειαν τῷ ἀναξίῳ ὑμῶν δούλῳ, καὶ ποιῶ γνῶσιν βιβλίων, ὅτι τὰ ἐμὰ ἀφῃρέθησαν· καὶ πᾶσι φανερὸν ποιῶ τοῦτο, χωρὶς οἱασδήποτε σκολιότητος λόγων· καὶ λοιπὸν ἄλλων πολλῶν λαληθέντων, εἰς γραφικὰς καὶ φυσικὰς καὶ τεχνικὰς ἐτράπησαν γυμνασίας τε καὶ θεωρίας· ἐφ' αἷς ἡδυνθέντες, ἱλαρωτέρως διετέθησαν· καὶ ἤρξαντο λέγειν· οἶδεν ὁ κύριος, ὠφελήθημεν, καὶ ἀπὸ τοῦ νῦν ἐνοχλεῖν ὑμῖν οὐκ ἔχομεν.

Ὁ δὲ κῦρις Σέργιος εἶπεν αὐτῷ· ὅτι πολλάκις ἦλθον εἰς τὸ κέλλιόν σου εἰς Βέββας, καὶ ἠκροασάμην τῆς διδασκαλίας σου. καὶ ὁ Χριστὸς ἔχει βοηθῆσαί σοι· καὶ μὴ ἀγωνιάσῃς. εἰς ἓν δὲ μόνον λυπεῖς πάντας, ὅτι πολλοὺς ποιεῖς χωρισθῆναι τῆς κοινωνίας τῆς ἐνταῦθα ἐκκλησίας. ἔστι τις ὁ λέγων, εἶπεν ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ, ὅτι εἶπον· μὴ κοινωνήσῃς τῇ ἐκκλησίᾳ τῶν Βυζαντίων; ἀπεκρίθη ὁ κῦρις Σέργιος· αὐτὸ τοῦτο, τὸ σὲ μὴ κοινωνεῖν, μεγάλη πρὸς πάντας ἐστὶ φωνή, μὴ κοινωνῆσαι. καὶ εἶπεν ὁ τοῦ Θεοῦ δοῦλος· οὐδὲν βιαιότερον συνειδότος κατηγοροῦντος, καὶ οὐδὲν τούτου συνηγοροῦντος παρρησιαστικώτερον. ἀκούσας δὲ ὁ κῦρις Τρωΐλος, ὅτι ὁ τύπος ἀναθεματίζεται εἰς πᾶσαν τὴν δύσιν, λέγει πρὸς τὸν δοῦλον τοῦ Θεοῦ· καλόν ἐστιν, ὅτι τοῦ εὐσεβοῦς ἡμῶν δεσπότου ἡ ὑπόληψις ὑβρίζεται; ἀπεκρίθη ὁ τοῦ Θεοῦ δοῦλος· ὁ Θεὸς συγχωρήσει τοῖς ἐκβιβάσασι τὸν δεσπότην ποιῆσαι τὸν τύπον, καὶ τοῖς συγχωρήσασι. καὶ λέγει, τίνες εἰσὶν οἱ ἐκβιβάσαντες, καὶ τίνες οἱ συγχωρήσαντες; ἀπεκρίθη, οἱ τῆς ἐκκλησίας ἐξεβίβασαν, καὶ οἱ ἄρχοντες συνεχώρησαν· καὶ ἰδοὺ ὁ ῥύπος ἐκ τῶν ὑπευθύνων εἰς τὸν ἀθῷον καὶ καθαρὸν πάσης αἱρέσεως ἐξετινάχθη. ἀλλὰ συμβουλεύσατε ποιῆσαι, ὃ ἐποίησεν ὁ εὐσεβὴς τῇ μνήμῃ γενόμενος αὐτοῦ πάππος. ἐκεῖνος γὰρ αἰσθόμενος, ὅτι ψόγον αὐτοῦ τινες κατὰ τὴν δύσιν καταχέουσι, διὰ κελεύσεως ἐλεύθερον ἑαυτὸν ἐποίησε τῆς ἐπὶ τῇ ἐκκλησίᾳ μέμψεως, γράψας, ὅτι ἔκθεσις οὐκ ἔστιν ἐμή. οὔτε γὰρ ἐγὼ ὑπηγόρευσα, ἢ ἐκέλευσα γενέσθαι· ἀλλὰ Σέργιος αὐτὴν ὁ πατριάρχης συντάξας πρὸ πέντε ἐτῶν τοῦ ἀνελθεῖν με ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς, ἐδεήθη μου κατ' αὐτὴν γενομένου τὴν πανευδαίμονα πόλιν, ὀνόματί μου προτεθῆναι αὐτὴν μεθ' ὑπογραφῆς· καὶ κατεδεξάμην τὴν ἐκείνου παράκλησιν. νῦν δὲ γνοὺς ὅτι τινὲς ἐπ' αὐτὴν διαμάχονται, πᾶσι δῆλον ποιῶ, ὅτι οὐκ ἔστιν ἐμή. ταύτην ἐποιήσατο τὴν κέλευσιν πρὸς τὸν μακάριον Ἰωάννην πάππαν, κατακρίνοντα τὴν ἔκθεσιν, ἐν τοῖς πρὸς Πύρρον τότε γραφεῖσι, καὶ ἔκτοτε Σεργίου χρηματίζει πανταχοῦ εἶναι ἔκθεσις. τοῦτο ποιήσει καὶ ὁ νῦν εὐσεβῶς βασιλεύων ἡμῶν, καὶ μενεῖ παντελῶς ἄχραντος πάσης μέμψεως ἡ πρόληψις αὐτοῦ. τότε σείσαντες τὰς κεφαλὰς, ἐσιώπησαν, τοῦτο μόνον εἰρηκότες, ὅλα δύσχερῆ καὶ ἀνέκβατα.

Τούτων καὶ ἑτέρων διαφόρων λαληθέντων, προσκυνηθέντες καὶ προσκυνήσαντες, μετὰ πάσης ἱλαρότητος ἀνεχώρησαν. καὶ πάλιν τῷ ἄλλῳ σαββάτῳ, ἀνήγαγον αὐτοὺς ἐν τῷ παλατίῳ· καὶ εἰσφέρουσι πρῶτον τὸν μαθητὴν τοῦ γέροντος, συνελθόντων καὶ τῶν δύο πατριαρχῶν. καὶ ἄγουσι Κωνσταντῖνον καὶ Μηνᾶν κατηγόρους τοῦ γέροντος, καὶ ἀπαιτοῦντες τὸν μαθητὴν συγκαταθέσθαι τοῖς κατ' αὐτῶν λαλουμένοις· μετὰ δὲ πάσης παρρησίας εἶπεν ὁ μαθητὴς ἀφόβως πρὸς τὴν σύγκλητον· Κωνσταντῖνον εἰσάγετε ἐν σεκρέτῳ παλατίου; οὗτος οὐκ ἔστιν οὔτε πρεσβύτερος, οὔτε μοναχὸς, ἀλλὰ τριβοῦνος θυμέλης. ἐγνωρίσθη Ἀφροῖς καὶ Ῥωμαίοις, ποῖα γύναια βόσκων ἦλθεν ἐκεῖσε. πάντες ἔμαθον τὰς πανουργίας αὐτοῦ, ἃ ἐποίησε πρὸς τὸ λαθεῖν· ποτὲ μὲν λέγων, ὅτι ἀδελφαὶ αὐτοῦ εἰσι· ποτὲ δὲ, ὅτι διὰ τὸ μὴ κοινωνῆσαι τῇ ἐκκλησίᾳ Κωνσταντινουπόλεως ἐπῆρε αὐτὰς, ἵνα μὴ χρανθῶσι

A dominum Gregorium a secretis. Et nunc, si placet dominatori ut hoc ostendatur, jubeat dari licentiam indigno servo vestro, & facio notitiam librorum, quoniam mei ablati sunt: & cunctis hoc manifestum facio sine qualibet pravitate verborum. Et deinde cum alia multa dicta fuissent, in scripturales, ac naturales, & artificiales conversi sunt exercitationes & theorias, quibus delectati hilariores effecti sunt, & cœperunt dicere: Novit Dominus, profecimus, & ex hoc vobis molestiam non ingeremus.

Porro, domnus Sergius dixit ei: Sæpe veni ad cellulam tuam in Bellas, & audivi doctrinam tuam, & Deus auxiliabitur tibi, ne sollicitus sis. B In uno vero solummodo contristas omnes, qui videlicet multos facis separari a communione hujus Ecclesiæ. Est aliquis qui afferat, ait Dei servus, quod dixerim, Ne communices Ecclesiæ Byzantinorum? Respondit domnus Sergius: Hoc ipsum, inquiens, quo ipse non communicas, magna est apud omnes proculdubio vox non communicandi. Et Dei servus: Nil, ait, certius est quam conscientia, quæ accusat: & nil eo, cui hæc testimonium perhibet, majorem habet fiduciam. Ceterum, cum audisset domnus Troilus, quod typus anathematizaretur in toto Occidente, dicit ad servum Dei: Bonum est, quia pii dominatoris nostri opinio injuriis laceratur? Respondit servus Dei: C Deus ignoscat his, qui dominatori facere typum persuaserunt, & his qui permiserunt. At ille: Qui, ait, sunt qui persuaserunt, & qui sunt qui permiserunt? Respondit: Hi qui erant Ecclesiæ suaserunt, & Principes permiserunt. Et ecce sordes a fontibus in insontem & omni hæresi purum excussa est. Sed consilium date, ut faciat quod fecit piæ memoriæ quondam avus ejus. Ille quippe sentiens, quod in vituperium ejus in Occidente quidam prorumperent, per epistolam liberum se fecit ab Ecclesiæ querimonia, scribens: *Ecthesis*, inquit, *non est mea, neque enim ego vel dictavi, vel jussi ut fieret. Sed cum hanc Sergius Patriarca composuisset ante quinque annos, prius quam ab* D *Oriente repedassem, deprecatus est me, cum ad hanc felicem pervenissem urbem, ut nomine meo proponeretur cum subscriptione: & suscepi deprecationem illius. Nunc vero cognoscens, quod quidam super ea altercarentur, cunctis facio manifestum, quia non est mea.* Hanc fecit jussionem ad beatum Joannem Papam, condemnantem ecthesin in his quæ scripserat tunc ad Pyrrhum. Et ex eo tempore ubique Sergii esse dicitur ecthesis. Hoc faciat & is qui pie in nobis imperat, & permanebit omnino intemerata ab omni reprehensione opinio ejus. Tunc moventes capita siluerunt, hoc tantum dicentes: Omnia difficilia, & perplexa.

His itaque & aliis diversis edictis, adorati & E adorantes, cum omni hilaritate discesserunt. Et rursus alio sabbato adduxerunt eos in Palatium, & introducunt primo discipulum senis, convenientibus etiam tunc duobus pariter Patriarchis. Et ducunt Constantinum & Mennam senis accusatores, exigentes a discipulo, quo acquiesceret his quæ a se dicerentur. Ast discipulus cum fiducia omni ad Senatum intrepide dixit: Constantinum introducitis in secretarium Palatii? Hic neque Presbyter est, neque Monachus, sed Tribunus thymelicus: innotuit Afris atque Romanis, quales mulierculas pascens illinc venerit. Nam & omnes didicerunt versutias ejus, quas exercuit ut lateret: modo quod sorores suæ fuerint dicens, modo quod ne communicarent Ecclesiæ Constantinopolitanæ tulerit eas, affirmans, ne vide-

τῇ αἱρετικῇ κοινωνίᾳ. ἀλλὰ καὶ πάλιν ἐὰν λείψῃ αὐτῷ σπατάλη, καὶ εὕρῃ χώραν μὴ γνωρίζουσαν αὐτὸν, τὰ αὐτὰ ποιεῖ, αἰσχροῦ κέρδους χάριν, καὶ ῥυπαρᾶς ἡδονῆς. καὶ μεγάλη αἰσχύνη ἐστὶ τὸ κἂν συντυγχάνειν αὐτῷ, τοῖς σεμνῶς βιῶναι θέλουσιν, εἶτα μετὰ ταῦτα, ἐρωτηθεὶς εἰ τὸν τύπον ἀνεθεμάτισεν; ἀφόβως εἶπεν· οὐ μόνον ἀνεθεμάτισα, ἀλλὰ καὶ λίβελλον ἐποίησα. τί οὖν, οὐχ ὁμολογεῖς πεποιηκέναι κακῶς; λέγουσιν αὐτῷ οἱ ἄρχοντες. καὶ λέγει, μὴ δῷ ὁ Θεὸς, ἵνα ὅπερ ἐποίησα καλῶς κατὰ θεσμὸν ἐκκλησιαστικὸν, εἴπω γενέσθαι κακῶς. καὶ πολλὰ ἄλλα ἐρωτηθεὶς, καὶ ἀποκριθεὶς καθὼς ὁ Θεὸς ἐχορήγησεν αὐτῷ, ἐξάγεται τοῦ σεκρέτου.

A licet polluerentur hæretica communione. Verum & si rursus sibi defecerint epulæ, & invenerit locum se non agnoscentem, eadem facit turpis lucri gratia, & sordidæ voluptatis. Ingensque confusio est saltem loqui cum eo his, qui religiose vivere volunt. Deinde interrogatus si typum anathematizasset? intrepide dixit: Non solum anathematizavi, sed & libellum feci. Ergone, ajunt ei principes, confiteris te male fecisse? At ille: Non tribuat Deus, ut quod bene & secundum ritum Ecclesiæ feci, dicam factum fuisse non bene. Et super multis interrogatus, cum respondisset secundum quod sibi largitus est Deus, educitur de secretario.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 654.

Καὶ εἰσάγουσι τὸν γέροντα, καὶ λέγει πρὸς αὐτὸν κῦρις Τρώϊλος· εἰπὲ, ἀββᾶ· βλέπε, εἰπὲ τὴν ἀλήθειαν, καὶ ἐλεεῖ σε ὁ δεσπότης· ἐπεὶ ἐὰν διὰ τῆς νομίμου διηγήσεως ἔλθωμεν, καὶ εὕρῃ κἂν ἓν τῶν κατηγορηθέντων σου ἀληθὲς, ὁ νόμος φονεύει σε. καὶ εἶπε· καὶ ἤδη εἶπον, καὶ πάλιν λέγω, ὅτι ἐὰν μόνον ἓν λέγηται εἶναι ἀληθὲς, καὶ ὁ σατανᾶς Θεός ἐστιν. εἰ δὲ οὐκ ἔστι Θεὸς, ἀλλ' ἀποστάτης, καὶ τὰ κατηγορηθέντα μου ψευδῆ καὶ ἀνυπόστατα. πλὴν εἴ τι κελεύετε ποιῆσαι, ποιήσατε· Θεὸν σέβων, οὐκ ἀδικοῦμαι. καὶ λέγει αὐτῷ· οὐκ ἀνεθεμάτισας τὸν τύπον; ἀπεκρίθη· πολλάκις εἶπον, ὅτι ἀνεθεμάτισα. λέγει αὐτῷ· τὸν τύπον ἀνεθεμάτισας; τὸν βασιλέα ἀνεθεμάτισας. ἀπεκρίθη ὁ τοῦ Θεοῦ δοῦλος· ἐγὼ βασιλέα οὐκ ἀνεθεμάτισα, ἀλλὰ χάρτην ἀλλότριον τῆς ὀρθοδόξου καὶ ἐκκλησιαστικῆς πίστεως. καὶ λέγει αὐτῷ· ποῦ ἀνεθεματίσθη ὑπὸ τῆς συνόδου Ῥώμης; ἀπεκρίθη, εἰς τὴν ἐκκλησίαν τοῦ σωτῆρος, καὶ εἰς τὴν θεοτόκου. τότε λέγει πρὸς αὐτὸν ὁ ἔπαρχος· κοινωνεῖς τῇ ἐκκλησίᾳ τῶν ὧδε, ἢ οὐ κοινωνεῖς; ἀπεκρίθη, καὶ εἶπεν, οὐ κοινωνῶ. λέγει αὐτῷ, διὰ τί; ἀπεκρίθη, ὅτι ἔξω ἔβαλε τὰς συνόδους. καὶ εἶπεν, ἐὰν ἔξω ἔβαλε τὰς συνόδους, πῶς εἰς τὰ δίπτυχα ἀναφέρονται; καὶ λέγει· καὶ τίς ὄνησις ὀνομάτων, τῶν δογμάτων ἐκβεβλημένων; καὶ δύνασαι, ἔφη, τοῦτο δεῖξαι; καὶ εἶπεν· ἐὰν λάβω ἄδειαν, καὶ κελεύετε, δειχθῆναι ἔχω τοῦτο πάνυ εὐχερῶς. καὶ σιωπησάντων αὐτῶν, λέγει αὐτῷ ὁ Σακελλάριος· διατί ἀγαπᾷς τοὺς Ῥωμαίους, καὶ τοὺς Γραικοὺς μισεῖς; ἀποκριθεὶς ὁ τοῦ Θεοῦ δοῦλος εἶπε· παραγγελίαν ἔχομεν, τοῦ μὴ μισῆσαί τινα. ἀγαπῶ τοὺς Ῥωμαίους, ὡς ὁμοπίστους, τοὺς δὲ Γραικοὺς, ὡς ὁμογλώσσους. καὶ πάλιν λέγει αὐτῷ ὁ Σακελλάριος· πόσων ἐτῶν λέγεις ἑαυτόν; ἀπεκρίθη, οε´. καὶ λέγει αὐτῷ· πόσους χρόνους ἔχει μετὰ σοῦ ὁ μαθητής σου; ἀπεκρίθη, λζ´. τότε ἀνέκραξε εἷς κληρικὸς, ἀπέδωκέ σοι ὁ κύριος, ὅσα ἐποίησας τῷ μακαρίῳ Πύρρῳ. πρὸς ὃν οὐδὲν ἀπεκρίθη ὅλως.

B Et introducunt senem, & dicit ad eum domnus Troilus: Dic Abba, vide, dic veritatem, & miserebitur tui dominator. Nam si ad legalem inquisitionem venerimus, & invenerit saltem unum verum ex his, de quibus accusaris, lex occidet te. Et dixit: Jam dixi, & iterum dico: Si unum tantummodo ex his quæ dicitis est verum, & satanas Deus est: si vero non est Deus, sed apostata; & ea super quibus accusor falsa sunt, & minime subsistentia. Verumtamen quicquid jubetis facere, facite: Deum colens non injuriam patior. Et dicit ei: Non anathematizasti typum? Respondit: Multotiens dixi, quia anathematizavi. Et dicit ei: typum anathematizasti? Imperatorem anathematizasti. Respondit
C Dei servus: Ego, inquiens, Imperatorem non anathematizavi, sed chartam alienam ab ecclesiastica fide. Et dicit ei: Ubi anathematizatus est a Romana synodo? Respondit: In Ecclesia Salvatoris, & in Dei genitricis. Tunc dicit ad eum Præfectus; Communicas Ecclesiæ huic, an non communicas? Respondit, & dixit: Non communico. Dicit ei: Quare? Respondit: Quoniam foras ejecit Synodos. At ille: Si foras, inquit, ejecit Synodos, quomodo in diptychis recitantur? Et dicit: Et qui profectus est nominum, cum dogmata sint ejecta? Et potes, ait, hoc ostendere? Et dixit: Si accepero licentiam, & jusseritis, ostendetur hoc
D oppido facile. Et tacentibus omnibus, dicit ei Sacellarius: Quare diligis Romanos, & Græcos odio habes? Respondens autem Dei servus ait: Præceptum habemus, ne quemquam odio habeamus. Diligo Romanos ut unam mecum habentes fidem: Græcos autem, ut eadem qua ego lingua loquentes. Et iterum dicit ei Sacellarius: Quot annorum dicis esse teipsum? Respondit, septuaginta quinque. Et dicit ei: Quot annos habet tecum discipulus tuus? Respondit, triginta septem. Tunc unus clericorum exclamavit: Retribuit tibi Deus quæcumque fecisti beato Pyrrho. Ad quem nihil omnino respondit.


Τοσούτων δὲ λαληθέντων ἐν τῷ σεκρέτῳ, οὐδεὶς οὐδὲν τῶν πατριαρχῶν ἐφθέγξατο. ἐν δὲ τῷ κινεῖσθαι περὶ τῆς συνόδου Ῥώμης λόγον, κράζει ὁ Δημοσθένης· οὐ κεκύρωται ἡ σύνοδος, τοῦ συγκροτήσαντος αὐτὴν καθαιρεθέντος. καὶ λέγει ὁ τοῦ Θεοῦ δοῦλος· οὐ καθῃρέθη, ἀλλ' ἐδιώχθη. ποία γέγονεν ἐπὶ τοῖς πεπραγμένοις συνοδικὴ καὶ κανονικὴ πρᾶξις ἀσφαλῶς ἔχουσα αὐτοῦ τὴν καθαίρεσιν; πλὴν ἵνα καὶ κανονικῶς καθῃρέθη, οὐ ποιεῖ τοῦτο πρόκριμα τοῖς ὀρθοδόξως κατὰ τοὺς θείους κανόνας κυρωθεῖσιν, οἷς καὶ τὰ γραφέντα παρὰ τοῦ ἐν ἁγίοις πάπα Θεοδώρου συμβαίνουσι. καὶ λέγει τούτων ἀκούσας Τρώϊλος ὁ πατρίκιος· οὐκ οἶδας τί λέγεις, ἀββᾶ. τὸ γενόμενον, γέγονε.

E Cum autem tanta in secretario dicta fuissent, nullus penitus Patriarcharum quicquam effatus est. Cumque sermo de Synodo Romana motus exstitisset, clamat Demosthenes: Non est firma Synodus eo, qui hanc celebravit, deposito. Ad quod servus Dei: Non, inquit, depositus est, sed expulsus. Nam quæ sub gestorum serie synodica & canonica facta est actio continens ejus diligenti relatione depositionem? Verumtamen etiamsi canonice depositus exstitisset, non faceret hoc præjudicium his, quæ orthodoxe secundum sacras regulas sunt firmata: quibus etiam quæ scripta sunt a sanctæ memoriæ Papa Theodoro congruunt. Et dicit his auditis domnus Troilus: Nescis quid dicas, Abba. Quod factum est, factum est.

Ταῦτα, ὅσα ἡ μνήμη κατέχει, τὰ κεκινημένα τε καὶ εἰρημένα· καὶ εἰς τοιοῦτον τὰ κατ' αὐτοὺς κατέ-

Hæc sunt, quantum memoria retinet, quæ mota & dicta sunt, & tali ea quæ in illos gesta fue-

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 654.



λῆξε τέλος. ἀπολύσαντες καὶ τὸν ἅγιον γέροντα τοῦ σεκρέτου, ἐν τῇ φρουρᾷ. καὶ τῇ ἐπαύριον, ἥ τις ἦν κυριακὴ, συμβούλιον ποιήσαντες οἱ τῆς ἐκκλησίας, ἔπεισαν τὸν βασιλέα, ταύτην αὐτοὺς κατακρῖναι τὴν πικρὰν καὶ ἀπάνθρωπον ἐξορίαν· διῃρημένους ἀλλήλων, τὸν μὲν ἅγιον γέροντα, εἰς Βιζύην κάστρον τῆς Θρᾴκης, τὸν δὲ μαθητὴν αὐτοῦ εἰς Πέρβερην, ὃ οὐκ ἔχει ἐξώτερον βῆμα ποδὸς ἡ Ῥωμαίων βασιλεία, ἀπρονοήτους, γυμνοὺς, ἀτρόφους, πάσης τῆς πρὸς τὸ ζῆν ἀφορμῆς ἐστερημένους, μὴ ἐγγίζοντας θαλάσσῃ, ἵνα μὴ ἔχωσιν ἐκ τῶν ἐλεημόνων ἐπίσκεψιν. καὶ οὕτως εἰσὶ γυμνοὶ καὶ ἄτροφοι, μόνην ἔχοντες τὴν ἐλπίδα τοῦ Θεοῦ· παρακαλοῦντες πάντας τοὺς χριστιανοὺς, τοῦτο βοῶντες, εὔξασθαι διὰ τὸν κύριον, ἵνα τελειώσῃ ὁ Θεὸς τὸ ἔλεος αὐτοῦ μετὰ τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν, καὶ διδάξῃ ἡμᾶς. ὅτι οἱ συμπλέοντες αὐτῷ, ἠγριωμένης πεῖραν λαμβάνουσι θαλάσσης, ἀνέμοις καὶ κύμασι δονουμένου μὲν τοῦ σκάφους, ἀκατασείστου δὲ διαμένοντος, συγχωρεῖ γὰρ κλύδωνος μεγάλου αὐτοὺς πειραθῆναι, δοκιμάζων αὐτῶν τὴν περὶ αὐτὸν διάθεσιν, ἵνα μεγάλῃ τῇ φωνῇ κράξωσι· κύριε, σῶσον ἡμᾶς, ἀπολλύμεθα, καὶ μάθωσι πάντα μόνῳ αὐτῷ ἐπιγράφειν, τὰ τῆς αὐτῶν σωτηρίας· καὶ μὴ πεποιθότες ὦσιν ἐφ' ἑαυτοῖς, καὶ τύχωσι γαλήνης μεγάλης, τοῦ ἀνέμου καὶ τῶν κυμάτων κατάναστάντων· καὶ εἰς μέσον λύκων αὐτοὺς ἐκδίδωσι, καὶ διὰ τῆς στενῆς πύλης εἰσελθεῖν, καὶ διὰ τεθλιμμένης ὁδεύειν τρίβου παρακελεύεται· καὶ λιμὸν καὶ δίψαν, καὶ γύμνωσιν, καὶ δεσμὰ καὶ φυλακὰς καὶ ἀπαγωγὰς καὶ μάστιγας, καὶ σταυρὸν καὶ ἥλους, καὶ ὄξος καὶ χολὴν, καὶ ἐμπτύσματα καὶ ῥαπίσματα καὶ κολαφίσματα καὶ ἐμπαιγμοὺς προτείνεται, καὶ πάθος καὶ θανάτους πολυτρόπους· ὧν τέλος, ἡ παμφαὴς ἀνάστασις, φέρουσα μεθ' ἑαυτῆς εἰρήνην τοῖς δι' αὐτὸν διωχθεῖσι, καὶ χαρὰν τοῖς δι' αὐτὸν θλιβεῖσι, καὶ ἀνάληψιν εἰς οὐρανοὺς, καὶ προσαγωγὴν τῷ πατρικῷ καὶ ὑπερουσίῳ θρόνῳ, καὶ λῆξιν ὑπὲρ ἄνω πάσης ἀρχῆς οὖσαν καὶ ἐξουσίας καὶ δυνάμεως καὶ κυριότητος, καὶ παντὸς ὀνόματος ὀνομαζομένου, εἴτε ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ, εἴτε ἐν τῷ μέλλοντι· ἧς τύχοιμεν ἅπαντες, εὐχαῖς καὶ πρεσβείαις τῆς πανυμνήτου καὶ πανσέπτου καὶ ὑπερενδόξου κυρίως φύσει θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, καὶ τῶν ἁγίων ἀποστόλων, προφητῶν καὶ μαρτύρων. ἀμήν.

A re terminata sunt fine, dimisso quoque sancto sene a secreto in carcerem. Postera vero die, quæ fuit Dominica, concilio facto, hi qui erant Ecclesiæ persuaserunt piissimo Imperatori, hoc eos amaro & inhumano exsilio condemnandos, & ab invicem dividendos. Sanctum quidem senem penes Byzohen castrum Thraciæ provinciæ: porro discipulum ejus apud Perberim, quo exterius nec passus pedis Romanorum habet Imperium, nudos, sine provisione, sine caussa, atque omni ad vivendum occasione carentes, non appropinquantes mari, ne haberent ex misericordibus visitationem. Et ita sunt nudi, & sine alimentis, solam habentes spem Dei: & hoc omnes Christianos rogantes atque clamantes: B Orate propter Dominum, ut consummet Deus misericordiam suam cum humilitate nostra, & doceat nos. Nam & ipsi qui cum eo navigant esseri experimentum accipiunt maris, ventis quidem & fluctibus scapha concussa, sed stabili penitus permanente. Permittit quippe magnis eos tentari procellis, eorum erga se probans affectum, quatinus voce grandi exclament: *Domine, salva nos, perimus*, discantque omnia illi soli adscribere, quæ suæ noscuntur esse salutis: & ne confidentes sint in se, tranquillitatemque consequantur magnam, ventis sedatis & fluctibus: & in medium eos luporum dat, & per angustam portam intrare, & per artam incedere semitam jubet, & famem ac sitim, & nu- C ditatem, & vincula & carceres, & abductiones & verbera, & crucem & clavos, & acetum & fel, & sputa & alapas, & colaphos & ludibria proponit, & passionem, & mortes multimodas: quorum finis splendidissima est resurrectio, ferens secum pacem his qui propter illum persecutionem sunt passi, & ascensum in cælos, & ascensum ad paternum & consubstantialem thronum, & sortem quæ est super omnem principatum, potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, sive in hoc sæculo, sive in futuro. Cujus participes efficiamur omnes, orationibus & intercessionibus superlaudabilis & præ omnibus venerabilis & gloriosæ, proprie ac natura Dei geni- D tricis, semperque Virginis Mariæ, sanctorumque Apostolorum, Prophetarum, ac Martyrum. Amen.

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΑΒΒΑ ΜΑΞΙΜΟΥ
πρὸς Ἀναστάσιον μονάζοντα.

Χθὲς ὀκτωκαιδεκάτῃ τοῦ μηνὸς, ἥτις ἦν ἡ ἁγία πεντηκοστὴ, ὁ πατριάρχης ἐδήλωσέ μοι λέγων· ποίας ἐκκλησίας εἶ, Βυζαντίου, Ῥώμης, Αντιοχείας, Ἀλεξανδρείας, Ἱεροσολύμων; ἰδοὺ πᾶσαι μετὰ τῶν ὑπ' αὐτὰς ἐπαρχιῶν ἡνώθησαν. εἰ τοίνυν εἶ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, ἑνώθητι, μήπως ξένην ὁδὸν τῷ βίῳ καινοτομῶν, πάθῃς ὑπὲρ οὐ προσδοκᾷς. πρὸς οὓς εἶπον· καθολικὴν ἐκκλησίαν, τὴν ὀρθὴν καὶ σωτήριον τῆς εἰς αὐτὸν πίστεως ὁμολογίαν, Πέτρον μακαρίσας ἐφ' οἷς αὐτὸν καλῶς ὁμολόγησεν, ὁ τῶν ὅλων εἶναι Θεὸς ἀπεφήνατο. πλὴν μάθω τὴν ὁμολογίαν, ἐφ' ἣν πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν γέγονεν ἡ ἕνωσις, καὶ τοῦ γενομένου καλῶς, οὐκ ἀλλοτριοῦμαι. καί φασι, κἂν οὐκ ἔχωμεν περὶ τούτου κέλευσιν, λέγομεν διὰ τὸ γενέσθαι σε πάντως ἀπροφάσιστον. δύο λέγομεν ἐνεργείας διὰ τὴν διαφορὰν, καὶ μίαν διὰ τὴν ἕνωσιν. τὰς δύο διὰ τὴν ἕνωσιν μίαν φατὲ γεγονέναι, ἢ παρὰ ταύτας, εἶπον, ἑτέραν; οὔ, φασιν, ἀλλὰ τὰς δύο μίαν διὰ τὴν ἕνωσιν. ἀπηλλάγημεν πραγμάτων, ἔφην,

EJUSDEM S. ABBATIS MAXIMI
ad Anastasium Monachum discipulum suum.

Heri, quod fuit octavadecima mensis dies, qua solemnitas agebatur sanctæ mediæ Pentecostes, Patriarcha significavit mihi dicens: cujus Ecclesiæ es? Constantinopolitanæ, Romanæ, Antiochenæ, Alexandrinæ, an Hierosolymitanæ? Ecce omnes una cum subditis sibi provinciis adunatæ sunt. Igitur si es Catholicæ Ecclesiæ, unire, ne forte E extraneam & novam viam conversatione tua reperiens patiaris quod non speras. Ad quos dixi: Catholicam Ecclesiam Deus omnium esse prænunciavit, rectam & salutarem fidei in se habitæ confessionem, Petrum beatum dicens in quibus se bene confessus est. Verumtamen discam confessionem, supra quam omnium Ecclesiarum facta est unitas, & ab eo quod bene gestum est nequaquam alienabor. Et ajunt: Licet non habeamus super hoc jussionem, dicimus, ut efficiaris penitus inexcusabilis. Duas fatemur operationes ob diversitatem, & unam propter unitionem. Duas propter unitatem asseritis factas, an præter has, dixi, aliam? Non, inquiunt, sed duas unam propter unitionem. Caruimus, di-

ἑαυτοῖς ἀνυπόστατον πίστιν, καὶ Θεὸν ἀνύπαρκτον A πλάσαντες. εἰ γὰρ εἰς μίαν συγχέομεν τὰς δύο διὰ τὴν ἕνωσιν, καὶ πάλιν εἰς δύο διαιροῦμεν διὰ τὴν διαφορὰν, οὐκ ἔσται μονὰς οὔτε δυὰς, ἐνεργειῶν ἀλλήλας ἀναιρουμένων ἀεὶ, καὶ ποιούντων ἀνενέργητον ᾧ προσπεφύκασι, καὶ παντελῶς ἀνύπαρκτον. τὸ γὰρ μηδεμίαν ἔχον ἐκ φύσεως ἀναφαίρετον, καὶ μηδενὶ λόγῳ τροπῆς ἀλλοιουμένην καὶ μεταπίπτουσαν κίνησιν, πάσης οὐσίας ἐστέρηται κατὰ τοὺς πατέρας, οὐκ ἔχον ἐνέργειαν οὐσιωδῶς αὐτὸ χαρακτηρίζουσαν. τοῦτο οὖν λέγειν οὐ δύναμαι, οὔτε ἐδιδάχθην παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων ὁμολογεῖν. τὸ δοκοῦν ὑμῖν, οὖσιν ἐξουσιασταῖς, ποιήσατε. οὐκοῦν ἄκουσον, ἔφησαν, ἔδοξε τῷ δεσπότῃ καὶ τῷ πατριάρχῃ, διὰ πρακέπτου τοῦ πάππα B Ῥώμης, ἀναθεματισθῆναί σε μὴ πειθόμενον, καὶ τὸν ὁριζόμενον αὐτοῖς ἀπενέγκασθαι θάνατον. τὸ τῷ Θεῷ πρὸ παντὸς αἰῶνος ὁρισθὲν ἐν ἐμοὶ δέξοιτο πέρας, φέρον αὐτῷ δόξαν πρὸ παντὸς ἐγνωσμένην αἰῶνος, αὐτοῖς τοῦτο ἀκούσας ἀπεκρινάμην. καὶ πρὸς τὸ γνῶναί σε, καὶ προσθήκην εὐχῆς τῷ Θεῷ ποιήσασθαι καὶ δεήσεως, ἐμφανῆ σοι τὰ δηλωθέντα πεποίηκα, παρακαλῶν τῷ κυρίῳ Θείῳ, καὶ τοῖς ἐκεῖ σὺν αὐτῷ πατράσιν ἡμῶν ἁγίοις γνώρισμα καταστῆσαι ταῦτα, τῆς αὐτῆς χάριν αἰτίας.

xi, rebus, nobismetipsis sine subsistentia fidem, & sine exsistentia Deum fingentes. Si enim in unam confundimus duas propter unitionem, & rursus in duas separamus unam propter differentiam, non erit unalitas, neque dualitas, operationibus invicem separatis semper, & patrantibus inoperativum & penitus insubstantivum eum cui inerant. Quod enim ex natura nullum habet qui auferri possit, vel aliqua ratione vicissitudinis commutari & intercidere, motum, omni caret substantia secundum patres, non habens operationem substantialiter se characterizantem. Hoc itaque dicere nequeo. Neque enim sic edoctus sum a sanctis Patribus confiteri: quod libuerit vobis, potestativi cum sitis, facite. Ergo audi, dixerunt: Visum est dominatori & Patriarchæ per præceptum Papæ Romani, ut anathematizeris nisi obedias, & destinatam ab eis perferas mortem. Quod a Deo ante omne diffinitum est sæculum, finem accipiat, ferens sibi gloriam ante omne sæculum scitam, illis cum hæc audirem, respondebam. Et ut cognoscas, & additamentum orationis & deprecationis facias Deo, manifesta tibi quæ denunciata sunt mihi exhibui: rogans quatinus hæc domno Thio, & sanctis patribus qui illic simul cum eo sunt, nota constituas ejusdem rei gratia.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 654.

ANASTASIUS.

HÆC jussit mihi transcribere & nota facere sanctissimis vobis: quo & ex his motione comperta, communem omnes pro communi matre nostra, catholica videlicet Ecclesia, & nobis indignis servis vestris afferratis Domino precem, ad roborandum omnes, & nos quoque, in illa vobiscum perseverantes, secundum pie in ipsa prædica- C tam a sanctis patribus orthodoxam fidem. Magnus enim in toto mundo timor habetur, cum hæc persecutionem consonanter ab omnibus patiatur, nisi sua gratia consuete præstet auxilium is, qui semper auxiliatur, semen pietatis saltem Seniori Romæ relinquens, nobis non mentientem ad Apostolorum habitam principem repromissionem suam confirmans.

EJUSDEM S. ANASTASII MONACHI DISCIPULI S. ABBATIS MAXIMI AD COMMUNE MONACHORUM apud Caralim constitutorum Collegium.

MUlta scribere nos etiam præter votum tempus prohibuit. Omnia vero in uno nota facimus verbo sanctissimis vobis. Hi qui alterius sunt partis diffinitione immobili ut est, & propriæ maxime professionis constitui paternam non malunt doctrinam, sed alterius impelluntur opinionibus, quas & dinumerare operosum de cetero duco. Modo ergo ab inexsistentia ad inconvenientiam translati sunt: id est ex eo quod neque unam, neque duas dicunt, ad prædicandum duas & unam, id est tres in uno eodemque Christo voluntates & operationes traducti, quod neque patrius, neque synodicus, neque physicus sermo decrevit: sed neque priscorum & deinceps hæreticorum furor eatenus adinvenit, sciens inanem tamquam vitio pro- D prio corruptam eamdem opinionem. Si enim diversæ ex diversis compositum substantiis characterizant naturaliter proprietates, utpote nullatenus ademta naturarum diversitate propter unitionem, sed salva potius proprietate utriusque naturæ, & in unam personam & unam subsistentiam concurrente, quemadmodum sancta Calchedonensis synodus ait: & is Deus ex Deo patre, & homo ex homine semper virgine matre, idem ipse exsistens cognoscitur juxta naturam natus, quamquam incorporaliter & sine caussa; corporaliter autem ex hac propter caussam, salutem videlicet nostram: quomodo possibile est, unam eamdemque personam, id est unum eumdemque Christum Dominum nostrum & Deum, super duas etiam alia se-

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 654.

cundum ipsos proprietate naturaliter figurari, ad certitudinem eorum, ex quibus, & in quibus, & quæ est? Si enim eædem creduntur etiam per aliam, id est per tertiam, quæ & per dualitatem, voluntates & operationes ejus, quæ secundum naturam sunt: necesse est ut identitate exhibitionis indissimilitas cognoscatur exsistentiæ, & sit idem duabus una, id est alterutris tres, sive naturales, sive substantiales.

Verum, naturales quidem non, sed secundum illos subsistentialis, aggregentque ob hoc adversus eum jam aut tres substantias, aut totidem subsistentias, & secundum ipsum æqui numeri proprietates, increatam videlicet & creatam, & neutram, id est inexsistentem. Inexsistens enim est, quod neutrius per naturam participatur, ita ut etiam identitate, quæ ad eam, id est tertiam est, secundum illos inexsistentes sint & duæ naturæ, & naturales ipsius voluntates & operationes. At vero si non eadem, sed alia, exceptis his ex quibus est credendus, in eo per tertiam ajunt, eumdem secundum eamdem, rursus proferunt inexsistentiam, velut is qui medius inter neutram harum exsistat, increatam scilicet natura sua, & creatam substantiam atque virtutem: aut enim subsistentialem volunt hanc esse, aut compositam, aut deivirilem, aut unitoriam propter adunationem. Nam non solum, ut dictum est, hanc non exsistentem introducunt, quod secundum nihil eorum ex quibus est naturam hunc characterizet: verum etiam a naturali cognatione, quam habet cum Deo & patre, reddunt externum. Minus enim dicendum, quia perhibent eum etiam a congenita proprietate, quam habet ad intemeratam matrem & virginem, alienum: quasi secundum neutrum horum habeat compositam, aut subsistentialem, aut deivirilem, aut unitoriam propriam voluntatem & operationem. Verum patris quidem incompositam sine principio habet, & substantialem atque divinam; matris vero creatam natura & humanam.

Deinde etiam divisas naturas, ex quibus ipse est, inferunt, quasi per operationem, & non per subsistentiam sibi unitas innotescat, si propter unitatem unam operationem dogmatizent: quod hi qui in divisione corrupti sunt dicunt, affectuosam hanc esse operationem fabulose fingentes. Sic autem & confusioni locum tribuentes, & deivirilem secundum Severum male interpretantur, unam hanc, sed non duas secundum unitionem divinam natura & virilem significare contendentes, & hanc deiviri quandam naturam, sed non virum factum Deum sibimet subinducunt, præsertim cum hoc prævidens etiam vere deiphantor Dionysius [1], non unam vocaverit hanc, sed nova quadam deivirili nobis eum dixerit operatione conversatum. Ostendens non alteram ab altera disjunctam, sed ambas per alterutras connaturaliter adunatas, in eorum ex quibus, & in quibus, & quæ erat, certitudinem proferendas. Et ut [2] paterne dicamus [3], cum alterius communione horum utrumque. Ita ut mirabiles quidem passiones, compassibilia vero proculdubio miracula cognoscantur, per omnimodam coaptationem eorum, quæ ab eo naturaliter gesta sunt. Dupla enim omnia, & vera omnia, & unita omnia prædicant in eo qui duplici est natura, ea quæ secundum naturam sunt Dei præcones & patres nostri. Quibus, ut dictum est, suum corrigere nolentes sermonem, adhuc & senioris Romæ propriæ consentire sectæ coegerunt Apocrisiarios, unam super duas, id est tres secum prædicandi in eodem Domino nostro Jesu Christo voluntates & operationes, similem scientiæ ligno gustum commiscentes, quemadmodum & isti fidem ex bono & malo proferunt affectantibus. Unde & talibus circumvenientes literis, ei qui miserat mittunt. Quia ergo in magno propter hæc periculo sunt res pene totius catholicæ & apostolicæ Dei Ecclesiæ constitutæ, pro ea deprecamur & obsecramus sanctissimos viros, ne hanc despiciatis periclitantem, sed adjuvetis tempestatibus laborantem, scientes in tempore tribulationis dilectionem, quæ in Spiritu sancto est, nasci: & si possibile est vos transire citius, quasi alia pro caussa, ad senioris Romæ pios & firmos ut petram viros: qui videlicet vobiscum tutores nostri sunt semper, & propugnatores ferventissimi veritatis, obsecrare hos supplicatoriis vocibus & lacrymis pro omnibus Christianis, quatinus mercedem a Domino sortiantur: omnibus similiter & sibimet absque novitate recens super ea minus plusve suscipientes vel approbantes, præter quæ diffinita sunt a sanctis Patribus ac synodis, ut boni studii sui æmulatione hoc maximum cum Deo auxilio directe prosequentes opus, cum illis sive nunc, sive in die judicii, Dominum habeant debitorem, quem nimirum habuerunt in talibus creditorem, non aliud quid præter se, sed ipsum totum, totis vobis atque illis in æternas delicias & refectionem donantem: quem & nos habere adversus Arianos qui continuantur heic supplicate Deo, beati & nostræ ad Deum deductionis prævii, cum simus egeni, pauperes, & indigni servi vestri.

1. Epist. ad Cajum.
2. *Paterne*] Patrum more sive verbis.
3. Leo Papa epist. ad Flavianum.

Sæcul. VII. circa Ann. Chr. 656.

* ΤΟΜΟΣ Β'. ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ἡμῶν καὶ ὁμολογητοῦ Μαξίμου, περὶ τῶν πραχθέντων ἐν τῇ πρώτῃ αὐτοῦ ἐξορίᾳ, ἤτοι ἐν Βιζύῃ· τὰ παρὰ τοῦ Θεοδοσίου ἐπισκόπου Καισαρείας Βιθυνίας, καὶ αὐτοῦ διαλεχθέντα.

ΤΑ κεκινημένα περὶ τῆς ἀμωμήτου ἡμῶν τῶν χριστιανῶν πίστεως, καὶ τῆς τῶν δι' ἐναντίας παρεισάκτου καινοτομίας, μεταξὺ τοῦ ἀββᾶ Μαξίμου, καὶ Θεοδοσίου ἐπισκόπου Καισαρείας ἀναγκαῖον ἡγησάμην κατάδηλον ποιῆσαι πᾶσιν ὑμῖν τοῖς ἐν ὀρθοδοξίᾳ διατελοῦσιν, ἵνα ἀκριβέστερον τὰ περὶ τούτων εἰδέναι ἔχοντες, δοξάζητε μᾶλλον τὸν φιλάνθρωπον Θεὸν, τὸν B διδόντα λόγον ἐν ἀνοίξει τοῦ στόματος τῶν φοβουμένων αὐτόν· μήπως συνήθως οἱ ἐχθροὶ τῆς ἀληθείας, τἀναντία ταύτης διαφημίζοντες, ἐκταράξωσιν ὑμῶν τὰς καρδίας.

Τοιγαροῦν τῇ εἰκοστῇ τετάρτῃ τοῦ Αὐγούστου μηνὸς τῆς νυνὶ παρελθούσης τεσσαρεσκαιδεκάτης ἐπινεμήσεως, ἐξῆλθε πρὸς αὐτὸν ἐν ᾗ παρεφυλάττετο ἐξορίᾳ, τουτέστιν ἐν κάστρῳ Βιζύης, ὁ προρηθεὶς ἐπίσκοπος Θεοδόσιος, ὡς εἶπεν, ἐκ προσώπου Πέτρου τοῦ προέδρου Κωνσταντινουπόλεως πεμφθείς· καὶ Παῦλος καὶ Θεοδόσιος οἱ ὕπατοι, ὡς εἶπον καὶ αὐτοὶ ἐκ προσώπου βασιλέως πεμφθέντες. καὶ ἀνελθόντες πρὸς τὸν εἰρημένον μοναχὸν Μάξιμον, C ἐν ᾧ τόπῳ ἀπεκέκλειστο, ἐκάθισαν, καὶ ἐπέτρεψαν καὶ αὐτὸν καθίσαι, συνόντος αὐτοῖς καὶ τοῦ ἐπισκόπου Βιζύης. καὶ λέγει πρὸς αὐτὸν ΘΕΟΔΟΣΙΟΣ ὁ ἐπίσκοπος. πῶς ἔχεις κύριε ἀββᾶς; ΜΑΞΙΜΟΣ. ὡς προώρισεν ὁ Θεὸς πρὸ πάντων τῶν αἰώνων τὴν περὶ ἐμὲ προνοητικὴν διεξαγωγὴν, οὕτως ἔχω. ΘΕΟΔ. τί οὖν, πρὸ παντὸς αἰῶνος περὶ ἑκάστου ἡμῶν [1] ὥρισεν ὁ Θεός; ΜΑΞ. εἴπερ προέγνω, πάντως καὶ προώρισε. ΘΕΟΔ. τί ἐστιν αὐτὸ τὸ, προέγνω, καὶ προώρισε; ΜΑΞ. ἡ πρόγνωσις τῶν ἐφ' ἡμῖν ἐννοιῶν καὶ ἔργων ἐστὶν, ὁ προορισμὸς δὲ τῶν οὐκ ἐφ' ἡμῖν συμβαινόντων ἐστί. ΘΕΟΔ. ποῖά ἐστι τὰ ἐφ' ἡμῖν, καὶ ποῖα τὰ οὐκ ἐφ' ἡμῖν; ΜΑΞ. ὡς ἔοικε, πάντα γινώσκων ὁ δε- D σπότης μου, δοκιμαστικῶς διαλέγεται πρὸς τὸν δοῦλον αὐτοῦ. ΘΕΟΔ. μὰ τὴν ἀλήθειαν τοῦ Θεοῦ, ἀγνοῶν ἠρώτησα, καὶ μαθεῖν θέλων τὴν διαφορὰν τῶν ἐφ' ἡμῖν, καὶ οὐκ ἐφ' ἡμῖν· καὶ πῶς τὰ μὲν ὑπὸ τὴν πρόγνωσιν τοῦ Θεοῦ ὑπάρχουσι, τὰ δὲ ὑπὸ τὸν προορισμὸν ὦσιν. ΜΑΞ. ἐφ' ἡμῖν ἐστι τὰ ἑκούσια πάντα, τουτέστιν ἀρεταὶ καὶ κακίαι· οὐκ ἐφ' ἡμῖν δὲ, αἱ ἐπιφοραὶ τῶν συμβαινόντων ἡμῖν κολαστικῶν τρόπων, ἢ τῶν ἐναντίων. οὔτε γὰρ ἐφ' ἡμῖν ἐστιν ἡ κολάζουσα νόσος, οὔτε ἡ εὐφραίνουσα ὑγεία· καὶ αἱ ποιότητες καὶ αἱ τούτων αἰτίαι. οἷον αἰτία νόσου ἀταξία, ὥσπερ καὶ ὑγείας εὐταξία· καὶ βασιλείας οὐρανῶν αἰτία, ἡ τῶν ἐντολῶν φυλακὴ, ὥσπερ καὶ πυρὸς αἰωνίου, E ἡ τούτων παράβασις. ΘΕΟΔ. τί οὖν, διὰ τοῦτο θλίβῃ ἐν τῇ ἐξορίᾳ ταύτῃ, ἐπειδὴ ἄξιά τινα ἐποίησας ταύτης τῆς θλίψεως; ΜΑΞ. παρακαλῶ, ἵνα ὁ Θεὸς ταύτῃ τῇ θλίψει περιορίσῃ τὰς ἐκπτώσεις, ὧν ἥμαρτον αὐτῷ ἐν τῇ παραβάσει τῶν αὐτοῦ δικαιωτικῶν ἐντολῶν. ΘΕΟΔ. οὐκ ἔστι δοκιμῆς ἕνεκεν ἐπαγομένη θλίψις πολλοῖς; ΜΑΞ. ἡ δοκιμὴ τῶν ἁγίων ἐστὶν, ἵνα φανερωθῶσι διὰ τῆς θλίψεως τῷ βίῳ τῶν ἀνθρώπων αἱ περὶ τὸ φύσει καλὸν διαθέσεις αὐτῶν, ἑαυταῖς συνεκφαίνουσαι τὰς ἠγνοημένας πᾶσιν ἀρετὰς, ὡς ἐπὶ Ἰὼβ καὶ Ἰωσήφ. ὁ μὲν γὰρ ἐπὶ φανερώσει τῆς κεκρυμμένης ἀνδρείας

TOMUS CONTINENS relationem de dogmatibus, quæ mota ſunt inter S. Maximum & Theodoſium epiſcopum Cæſareæ Bithyniæ, ſeu Conſules qui cum eo erant.

QUæ mota ſunt de immaculata noſtra Chriſtianorum fide, atque ſubintroducta contrariorum novitate, inter abbatem Maximum & Theodoſium epiſcopum Cæſareæ Bithyniæ, neceſſarium duxi manifeſta facere omnibus vobis, qui B in orthodoxia conſiſtitis: ut cum certius de his ſcire viſi fueritis, glorificetis magis ac magis amatorem hominum Deum, qui dat verbum in apertione oris timentium ſe: ne forte more ſolito veritatis inimici huic contraria diffamantes, corda veſtra conturbent.

Igitur nono Kal. Septembrias, quæ nunc tranſacta eſt quartædecimæ indictionis, exivit ad eum in exſilium, in quo poſitus ſervabatur, id eſt ad caſtrum Bizyæ, prædictus epiſcopus Theodoſius, ex perſona, ut dixit, Petri Conſtantinopolitani Præſulis miſſus, nec non & Paullus ac Theodoſius Conſules, ut faſſi ſunt, & ipſi ex perſona Imperatoris directi. Et cum aſcendiſſent ad prædictum C monachum Maximum in locum, in quo retruſus habebatur, ſederunt, & præceperunt etiam & ipſum ſedere. Aderat autem cum illis etiam epiſcopus Bizyæ. Et dicit ad eum THEODOSIUS epiſcopus: Quomodo habes, Abba? Et MAXIMUS ad eum: Sicut prædeſtinavit Deus ante omnia ſæcula proviſoriam fore circa me diſpenſationem, ſic habeo. THEOD. Ergone prædeſtinavit Deus ante omne ſæculum quæ circa ſingulos ſunt? MAX. Si præſcivit, utique & prædeſtinavit. THEOD. Quid eſt hoc ipſum quod aſſeris, præſcivit & prædeſtinavit? MAX. Præſcientia eſt cogitationum & ſermonum & operum, quæ ex nobis ſunt: prædeſtinatio vero eorum eſt, quæ ex nobis non accidunt. THEOD. Quæ ſunt illa, quæ ex nobis ſunt, & D quæ ex nobis non ſunt? MAX. Ut liquido patet, omnia ſciens dominus meus probando interrogat ſervum ſuum. THEOD. Per veritatem Dei ignorans, & diſcere volens percontatus ſum differentiam eorum quæ ſunt ex nobis, & quæ non ſunt ex nobis, & qualiter quædam ſub præſcientia Dei, quædam vero ſub prædeſtinatione conſiſtunt. MAX. Ex nobis ſunt voluntaria omnia, id eſt virtutes & vitia. Non ex nobis autem ſunt illationes accidentium nobis pœnalium modorum, vel his contrariorum. Neque enim ex nobis eſt vel nocens languor, vel lætificans ſanitas, licet operatrices horum cauſſæ ex nobis exſiſtant: ut puta intemperantia cauſſa eſt languoris, quemadmodum tem- E perantia cauſſa eſt ſanitatis. Et regni cæleſtis cauſſa mandatorum cuſtodia, quemadmodum & ignis æterni horum tranſgreſſio. THEOD. Ergone propter hoc tribularis in exſilio iſto, quoniam digna quædam hac tribulatione geſſiſti? MAX. Rogo, ut Deus hac tribulatione remetiatur exceſſus meos, quibus ei peccavi in prævaricatione juſtificationum mandatorum ſuorum. THEOD. Non eſt etiam probationis cauſſa tribulatio multis illata? MAX. Probatio ſanctorum eſt, ut ſcilicet per tribulationes vitæ hominum manifeſtentur affectus eorum, qui ſunt circa id quod eſt naturaliter bonum, ſibimet inſinuantes ignotas omnibus virtutes ſuas, ut in Job & Joſeph. Siquidem alter ad manifeſtationem

* Tomus alter ſancti Patris noſtri Maximi ac confeſſoris: quæ geſta ſunt in primo ejus exſilio, id eſt, Bizyæ: quæ ſcilicet inter Theodoſium Cæſareæ Bithyniæ epiſcopum ipſumque fuerunt diſputata. SIRM.

1. *Forte* προώρισεν.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 656.

ἐπειράζετο· ὁ δὲ, ἐπ' ἐκφωνήσει τῆς ἁγιαστικῆς A σωφροσύνης ἐδοκιμάζετο· καὶ πᾶς τῶν ἁγίων ἀκουσίως ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ θλιβεὶς, ἐπί τισι τοιαύταις οἰκονομίαις ἐθλίβετο, ἵνα διὰ τῆς ἀσθενείας τῆς συγχωρουμένης αὐτοῖς ἐπαχθῆναι, τὸν ὑπερήφανον καὶ ἀποστάτην περιπατήσωσι δράκοντα, τουτέστι τὸν διάβολον. ἡ γὰρ ὑπομονὴ, δοκιμῆς ἔργον ἐστὶν ἐφ' ἑκάστου τῶν ἁγίων. ΘΕΟΔ. μὰ τὴν ἀλήθειαν τοῦ Θεοῦ, καλῶς εἶπας· καὶ ὁμολογῶ τὴν ὠφέλειαν, καὶ ἐζήτουν ἀεὶ ἐν τοῖς τοιούτοις συνδιαλέγεσθαι ὑμῖν. ἀλλ' ἐπειδὴ ἐπ' ἄλλῳ κεφαλαίῳ κἀγὼ καὶ οἱ δεσπόται μου οἱ μελλοπατρίκιοι πρὸς σὲ γεγόναμεν, καὶ τοσαῦτα διαστήματα ἤλθομεν, παρακαλοῦμέν σε τὰ παρ' ἡμῶν προτεινόμενα δέξασθαι, καὶ χαροποιῆσαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην. ΜΑΞ. ποῖα B ταῦτά εἰσι, δέσποτα, καὶ τίς ἐγὼ, καὶ πόθεν εἰμὶ, ἵνα ἡ ἐπὶ τοῖς προτεινομένοις μοι συγκατάθεσις χαροποιήσῃ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην; ΘΕΟΔ. μὰ τὴν ἀλήθειαν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἅπερ λέγω σοι, ἐγώ τε καὶ οἱ δεσπόται μου μελλοπατρίκιοι, ἐκ τοῦ στόματος τοῦ δεσπότου ἡμῶν τοῦ πατριάρχου, καὶ τοῦ εὐσεβοῦς δεσπότου τῆς οἰκουμένης ἠκούσαμεν. ΜΑΞ. κελεύσατε οἱ δεσπόται μου εἰπεῖν ἅπερ βούλεσθε, καὶ ἅπερ ἠκούσατε.

ΘΕΟΔ. Παρακαλεῖ ὁ βασιλεὺς καὶ ὁ πατριάρχης δι' ἡμῶν, μαθεῖν παρὰ σοῦ, διὰ ποίαν αἰτίαν οὐ κοινωνεῖς τῷ θρόνῳ Κωνσταντινουπόλεως; ΜΑΞ. ἔχετε περὶ τούτου ἐπιτροπὴν ἔγγραφον παρὰ τοῦ εὐσεβεστάτου βασιλέως, ἢ παρὰ τοῦ πατριάρχου; ΘΕΟΔ. C οὐκ ὤφελες, δέσποτα, ἀπιστῆσαι ἡμῖν· κἂν γὰρ ταπεινός εἰμι, ἐπίσκοπος ἀκούω· καὶ οἱ δεσπόται μου συγκλήτου μέρος τυγχάνουσι, καὶ οὐκ ἤλθομεν πειράσαι σε· μὴ δῴη Θεός. ΜΑΞ. οἱῳδήποτε τρόπῳ ἤλθατε πρὸς τὸν δοῦλον ὑμῶν, ἐγὼ χωρὶς πάσης ὑποστολῆς λέγω τὴν αἰτίαν, δι' ἣν οὐ κοινωνῶ τῷ θρόνῳ Κωνσταντινουπόλεως. πλὴν κἂν ἄλλων ἦν τὸ ἐρωτᾶν με διὰ ποίαν αἰτίαν, ὑμῶν οὐκ ἔστι, τῶν γινωσκόντων ἀσφαλῶς πλεῖον ἐμοῦ τὴν αἰτίαν.

Γινώσκετε τὰς γενομένας καινοτομίας ἀπὸ τῆς ἕκτης ἐπινεμήσεως τοῦ διελθόντος κύκλου, ἀρξαμένας ἀπὸ Ἀλεξανδρείας διὰ τῶν ἐκτεθέντων ἐννέα κεφαλαίων παρὰ Κύρου, τοῦ οὐκ οἶδα πῶς γεγονότος ἐκεῖσε προέδρου, τῶν βεβαιωθέντων ὑπὸ τοῦ θρόνου Κων- D σταντινουπόλεως· καὶ τὰς ἄλλας ἀλλοιώσεις, προσθήκας τε καὶ μειώσεις, τὰς γενομένας συνοδικῶς ὑπὸ τῶν προεδρευσάντων τῆς τῶν Βυζαντίων ἐκκλησίας, Σεργίου λέγω, καὶ Πύῤῥου, καὶ Παύλου, ἅς τινας καινοτομίας πᾶσα γινώσκει ἡ οἰκουμένη. διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν οὐ κοινωνῶ ὁ δοῦλος ὑμῶν τῇ ἐκκλησίᾳ Κωνσταντινουπόλεως. ἀρθῶσι τὰ προσκόμματα τὰ τεθέντα ὑπὸ τῶν εἰρημένων ἀνδρῶν, μετ' αὐτῶν ἐκείνων τῶν θεμένων αὐτὰ, καθὼς εἶπεν ὁ Θεός· καὶ τοὺς λίθους ἐκ τῆς ὁδοῦ διαῤῥίψατε, καὶ τὴν λείαν καὶ τετριμμένην, καὶ πάσης ἀκανθώδους αἱρετικῆς κακίας ἐλευθέραν ὁδὸν τοῦ εὐαγγελίου, καθάπερ καὶ ἦν εὑρίσκων, ὁδεύω πάσης δίχα προτροπῆς ἀνθρωπίνης. ἕως δὲ ἂν τοῖς τεθεῖσι προσκόμμασι, καὶ τοῖς τεθει- E κόσιν αὐτὰ σεμνύνωνται οἱ πρόεδροι Κωνσταντινουπόλεως, οὐδείς ἐστιν ὁ πείθων με λόγος ἢ τρόπος κοινωνεῖν αὐτοῖς.

Ὧν ἀκούσας Θεοδόσιος ὁ ἐπίσκοπος, ἔδοξε μετὰ τῶν λοιπῶν τῶν σὺν αὐτῷ παραγενομένων, τὸ λεχθὲν ἀποδέχεσθαι. καὶ πάλιν ὁ αὐτὸς ἐπίσκοπος πρὸς τὸν ἀββᾶν Μάξιμόν φησιν· ποίησον ἀγάπην· τί ἐστιν ὅπερ εἶπας ἡμῖν, ὅτι οὐδεὶς ὥς τις τὴν ὑπόστασιν, ἀλλ᾽ ὥς τι τὴν φύσιν ἐνεργεῖ; προΐεται γάρ μοι νοήσαντι τὸ λεχθέν. ΜΑΞ. οὐδεὶς ὥς τις τὴν ὑπόστασιν ἐνεργεῖ, ἀλλ᾽ ὥς τι τὴν φύσιν· οἷον, Πέτρος καὶ Παῦλος ἐνεργοῦσιν, ἀλλ᾽ οὐ Πετρικῶς καὶ Παυλικῶς, ἀλλ᾽ ἀνθρωπικῶς. ἄμφω γὰρ ἄνθρωποι φυσικῶς κατὰ τὸν κοινὸν καὶ ὁριστικὸν τῆς φύσεως λόγον· ἀλλ᾽ οὐχ ὑποστατικῶς κατὰ τὸν ἰδίως ποιόν. ὡσαύτως Μιχαὴλ καὶ Γαβριὴλ ἐνεργοῦσιν, ἀλλ᾽ οὐχὶ Μιχαηλικῶς καὶ Γαβριηλικῶς, ἀλλ᾽ ἀγγελικῶς. ἄμφω γὰρ ἄγγελοι. καὶ οὕτως ἐπὶ πάσης φύσεως, πολλῶν τῷ ἀριθμῷ κατηγορουμένης, κοινὴν, ἀλλ᾽ οὐχὶ μόνην τὴν ἐνέργειαν θεωροῦμεν. οὐκοῦν ὁ λέγων ὑποστατικὴν ἐνέργειαν, αὐτὴν τὴν φύσιν μίαν οὖσαν, ἄπειρον ταῖς ἐνεργείαις εἰσάγει γεγενημένην· καὶ κατὰ τὸ πλῆθος τῶν ὑπ᾽ αὐτὴν ἀγομένων ἀτόμων, ἑαυτῆς διαφέρουσαν· ὅπερ εἰ δεξόμεθα καλῶς ἔχειν, πάσῃ φύσει τὸν ἐπ᾽ αὐτῇ τοῦ πῶς εἶναι λόγον συνδιαφθείρομεν.

Καὶ τούτων εἰρημένων, ἐν τῷ ἀσπάζεσθαι ἀλλήλους, εἶπε ΘΕΟΔ. ὁ ὕπατος· ἰδοὺ γέγονε τὰ πάντα καλῶς· ἄρα καταδέχεται ὁ βασιλεὺς παρακλητικὴν ποιῆσαι κέλευσιν; ΜΑΞ. πάντως ποιεῖ, ἐὰν θέλῃ μιμητὴς εἶναι τοῦ Θεοῦ, καὶ συνταπεινωθῆναι αὐτῷ, διὰ τὴν κοινὴν πάντων ἡμῶν σωτηρίαν. λογιζόμενος, ὡς εἴπερ ὁ φύσει σώζων Θεὸς, οὐκ ἔσωσεν ἕως ἐταπεινώθη θέλων, πῶς ὁ φύσει σωζόμενος ἄνθρωπος ἢ σωθήσεται, ἢ σώσει μὴ ταπεινούμενος; καὶ εἶπε ΘΕΟΔ. ὁ ὕπατος· ὅτι ἐλπίζω τοῦ Θεοῦ σώζοντός μοι τὴν μνήμην, τοῦτον αὐτῷ τὸν λόγον λέγω, καὶ πείθεται. καὶ ἀσπασάμενοι ἀλλήλους ἐπὶ τούτοις, ἀπῆλθον μετ᾽ εἰρήνης, δεδωκότος τοῦ ἐπισκόπου τῷ ἀββᾷ Μαξίμῳ πεμφθὲν αὐτῷ ποσὸν μικρὸν, καὶ στιχάριν καὶ καμάσιν· καὶ τὸ μὲν στιχάριν εὐθέως κατ᾽ αὐτὴν τὴν ὥραν Βιζύης ὁ ἐπίσκοπος· ἐν τῷ Ῥηγίῳ δὲ οὐ τὸ δοθὲν αὐτῷ ποσὸν μόνον, ἀλλὰ καὶ ἄλλο εἴ τι δήποτε ἐξ εὐποιΐας εἶχε, μετὰ τῶν λοιπῶν οἰκτρῶν αὐτοῦ πραγμάτων καὶ ἐσθημάτων, ἀφείλαντο.

Μετὰ δὲ τὸ ἀπελθεῖν τοὺς εἰρημένους ἄνδρας τῇ ὀγδόῃ τοῦ σεπτεμβρίου μηνὸς τῆς παρούσης πεντεκαιδεκάτης ἰνδικτιῶνος, ἐξῆλθεν αὖθις Παῦλος ὁ ὕπατος ἐν Βιζύῃ πρὸς τὸν ἀββᾶν Μάξιμον, κέλευσιν ἐπιφερόμενος περιέχουσαν οὕτως· κελεύομεν τῇ σῇ ἐνδοξότητι ἀπελθεῖν ἐν Βιζύῃ, καὶ ἀγαγεῖν Μάξιμον τὸν μοναχὸν μετὰ πολλῆς τιμῆς καὶ κολακείας, διά τε τὸ γῆρας καὶ τὴν ἀσθένειαν· καὶ τὸ εἶναι αὐτὸν προγονικὸν ἡμῶν, καὶ γενόμενον αὐτοῖς τίμιον. καὶ θέσθαι τοῦτον ἐν τῷ εὐαγεῖ μοναστηρίῳ τοῦ ἁγίου Θεοδώρου, τῷ διακειμένῳ πλησίον τοῦ Ῥηγίου· καὶ ἐλθεῖν, καὶ μηνῦσαι ἡμῖν. καὶ πέμπομεν ἐκ προσώπου ἡμῶν δύο πατρικίους, ὀφείλοντας διαλεχθῆναι τὰ παριστάμενα ἡμῖν, φιλοῦντας ἡμᾶς ψυχικῶς, καὶ φιλουμένους παρ᾽ ἡμῶν· καὶ ἐλθεῖν, καὶ ἀναγγεῖλαι ἡμῖν τὴν παρουσίαν αὐτοῦ. ἀγαγὼν οὖν ὁ αὐτὸς ὕπατος, καὶ θεὶς ἐν τῷ προειρημένῳ μοναστηρίῳ, ἀπῆλθε ἀναγγεῖλαι.


A tum in hominibus Deum, eumdem integrum manentem intra sua, totum in divinis hominem, eumdem ipsum integre manentem, a propriis non decidentem. Receptio enim in invicem naturarum, & naturalium quæ sibi insunt, juxta deiloquorum patrum nostrorum doctrinam, & non translatio vel casus propter unitionem effecta est, eorum qui confusionem maligne faciunt unalitatem, & ideo innovationibus multimode confusionem inducunt, & propter defectionem constantiæ rationis suæ persequuntur pios.

Quibus auditis, Theodosius episcopus visus est cum reliquis, qui secum venerant, quod dictum fuerat suscepisse. Et iterum idem Episcopus ad abbatem B Maximum; Fac, inquit, caritatem: quid est quod dixisti nobis, quia nullus ut quis subsistentiam, sed ut quid naturam operatur? astat enim mihi non intelligenti quod dictum est. MAX. Nullus ut quis subsistentiam operatur, sed ut quid naturam: ut puta Petrus & Paullus operantur, sed non Petrice, & Paullice, sed humane, ambo quippe homines naturaliter juxta communionem & diffinitivam naturæ rationem, sed non subsistentialiter secundum id quod proprie facit. Similiter Michael & Gabriel operantur, verum non Michaelice vel Gabrielice, sed angelice, ambo quippe angeli. Et ita in omni natura multa numero prædicante, communem, sed non annihilatam operationem aspicimus. Ergo qui C dicit subsistentialem operationem, ipsam naturam, cum una sit, infinitam operationibus inducit effectam, secundum multitudinem atomorum, quæ sub ipsam rediguntur, a semet differentem: quod si admiserimus bene se habere, in ipsa omni natura quoquomodo exsistendi rationem corrumpimus.

Et his dictis, dum invicem oscularentur, THEOD. Consul dixit: En facta sunt omnia bene: putasne consensurus est Imperator rogatoriam facere jussionem? Et dicit abba MAX. Utique facit, si voluerit imitator esse Dei, & humiliari cum eo propter communem omnium nostrum salutem: perpendens quia si Deus, qui natura salvat, non salvavit donec volens humiliaretur, quomodo is qui natura salvan-D dus est homo, aut salvabitur aut salvabit non humiliatus? Et dixit THEOD. Consul: Spero, quia Deo salvante mihi memoriam, hunc eumdem ei dicam sermonem, & adquiescet. Et cum in his se mutuo salutassent, abierunt cum pace, data ab episcopo abbati Maximo quadam pecuniæ quantitate, & tunica, & casula, quæ fuerant sibi transmissa. Et tunicam quidem statim eademque hora tulit Bizyensis episcopus. Ast in Regio non solum quantitatem sibi pecuniæ datæ, verumetiam & aliud quodcumque ex beneficentia quorumdam habere videbatur, una cum reliquis ejus vilibus rebus ac vestibus abstulerunt.

Postquam vero abierunt prædicti viri sexto Idus E Septembrias præsentis quintædecimæ indictionis, exivit rursus Paullus Consul in Bizyen, ad abbatem Maximum jussionem ferens continentem secundum hanc formam: *Jubemus gloriæ tuæ ire Bizyen, & adducere Maximum monachum cum honore multo atque blanditie, tam propter senectam & infirmitatem, quam eo quod sit a progenitoribus noster, fueritque illis honorabilis. Et ponite hunc in venerabili monasterio sancti Theodori, quod rejacet juxta Regium: & venire, & nuntiare nobis: & mittemus ad eum ex persona nostra patricios duos, qui debeant illi declarare quæ nobis placuerint, nos ex animo amantes, & a nobis amatos: & venire nuntiaturi nobis adventum ejus.* Igitur cum idem Consul adduxisset eum, & posuisset in jam nominato monasterio, regressus est nuntiare.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 656.




A Καὶ τῇ ἑξῆς ἡμέρᾳ ἐξέρχονται πρὸς αὐτὸν Ἐπιφάνιος καὶ Τρώϊλος οἱ πατρίκιοι μετὰ πολλῆς περιβολῆς καὶ φαντασίας, καὶ Θεοδόσιος ὁ ἐπίσκοπος, καὶ ἀνέρχονται πρὸς αὐτὸν ἐν τῷ κατηχουμενίῳ τῆς ἐκκλησίας τῆς αὐτῆς μονῆς· καὶ τοῦ συνήθους ἀσπασμοῦ γενομένου, ἐκάθισαν, βιασάμενοι καὶ αὐτὸν καθίσαι· καὶ ἀπαρξάμενος τοῦ πρὸς αὐτὸν λόγου ΤΡΩΙΛΟΣ, εἶπεν· ὁ δεσπότης ἡμῶν ἐκέλευσεν ἡμᾶς πρὸς σὲ γενέσθαι, καὶ λαλῆσαι ὑμῖν τὰ δόξαντα τῷ αὐτοῦ θεοστηρίκτῳ κράτει. ἀλλ' εἰπὲ ἡμῖν πρῶτον, ποιεῖς τὴν κέλευσιν τοῦ βασιλέως, ἢ οὐ ποιεῖς; ΜΑΞΙΜΟΣ εἶπε· δέσποτα, ἀκούσω τί ἐκέλευσε τὸ εὐσεβὲς αὐτοῦ κράτος, καὶ δεόντως ἀποκρίνομαι· ἐπεὶ πρὸς τὸ ἀγνοούμενον, ποίαν ἔχω ἀπόκρισιν δοῦναι; ΤΡΩΙΛ. ἐπέμενε λέγων. οὐκ ἐνδέχεται ὅτι λέγομέν τί ποτε, B ἐὰν μὴ πρῶτον εἴπῃς εἰ ποιεῖς, ἢ οὐ ποιεῖς τὴν κέλευσιν τοῦ βασιλέως. καὶ ὡς εἶδεν αὐτοὺς ἐνισταμένους, καὶ ἐπὶ τῇ ἀναβολῇ αὐτοῦ πικρότερον βλέποντας, καὶ τραχύτερον ἀποκριναμένους μετὰ πάντων τῶν συνόντων αὐτοῖς, καὶ τῶν ἀξιωμάτων κοσμικοῖς ἐπηρμένων, ἀποκριθεὶς ὁ ἀββᾶς ΜΑΞ. εἶπεν. ἐπὰν οὐκ ἀνέχεσθε εἰπεῖν τῷ δούλῳ ὑμῶν τὰ παραστάντα τῷ δεσπότῃ ἡμῶν καὶ βασιλεῖ, ἰδοὺ, λέγω ἀκούοντος τοῦ Θεοῦ καὶ τῶν ἁγίων ἀγγέλων, καὶ πάντων ὑμῶν, ὅτιπερ εἴ τι δήποτε κελεύει μοι περὶ οἱουδήποτε πράγματος τῷ αἰῶνι τούτῳ συγκαταλυομένου καὶ συμφθειρομένου, προθύμως ποιῶ. καὶ αἰθέως ἀναστὰς ΤΡΩΙΛ. εἶπεν· εὔξασθέ μοι, ἐγὼ ὑπάγω. οὗτος γὰρ οὐδὲν ποιεῖ. C καὶ πολλοῦ πάνυ γενομένου θορύβου, καὶ πολλῆς ταραχῆς καὶ συγχύσεως, εἶπεν αὐτοῖς ΘΕΟΔ. ὁ ἐπίσκοπος· εἴπατε αὐτῷ τὴν ἀπόκρισιν, καὶ γνῶτε τί λέγει· ἐπεὶ τὸ οὕτως ἐξελθεῖν μηδὲν εἰρηκότας καὶ μηδὲν ἀκούσαντας, οὐκ ἔστιν εὔλογον. τότε ΕΠΙΦ. ὁ πατρίκιος εἶπε· τοῦτό σοι δηλοῖ δι' ἡμῶν ὁ βασιλεὺς, λέγων· ἐπειδὴ πᾶσα ἡ δύσις, καὶ οἱ ἐν τῇ ἀνατολῇ διαστρέφοντες εἰς σὲ θεωροῦσι, καὶ ἅπαντες διὰ σὲ στασιάζουσι, μὴ θέλοντες συμβιβασθῆναι ἡμῖν διὰ τὴν πίστιν· κατανύξοι σε ὁ Θεὸς κοινωνῆσαι ἡμῖν ἐπὶ τῷ παρ' ἡμῖν ἐκτεθέντι τύπῳ, καὶ ἐξερχόμεθα ἡμεῖς δι' ἑαυτῶν εἰς τὴν Χαλκῆν, καὶ ἀσπαζόμεθά σε, καὶ ὑποτιθέμεθα ὑμῖν τὴν χεῖρα ἡμῶν, καὶ μετὰ πάσης τιμῆς καὶ δόξης εἰσάγομεν D ὑμᾶς εἰς τὴν μεγάλην ἐκκλησίαν, καὶ μεθ' ἑαυτῶν ἱστῶμεν ἐν ᾧ κατὰ συνήθειαν οἱ βασιλεῖς ἵστανται, καὶ ποιοῦμεν ἅμα τὴν σύναξιν, καὶ κοινωνοῦμεν ἅμα τῶν ἀχράντων καὶ ζωοποιῶν μυστηρίων τοῦ ζωοποιοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ· καὶ ἀνακηρύττομέν σε πατέρα ἡμῶν, καὶ γίνεται χαρὰ οὐ μόνον τῇ φιλοχρίστῳ καὶ βασιλίδι ἡμῶν πόλει, ἀλλὰ καὶ πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ. οἴδαμεν γὰρ ἀσφαλῶς, ὅτι σοῦ κοινωνοῦντος τῷ ἁγίῳ τῷ ἐνταῦθα θρόνῳ, πάντες ἑνοῦνται ἡμῖν, οἱ διὰ σὲ καὶ τὴν διδασκαλίαν ἀποσχίσαντες τῆς κοινωνίας ἡμῶν.

Καὶ στραφεὶς πρὸς τὸν ἐπίσκοπον ὁ ἀββᾶς ΜΑΞ. μετὰ δακρύων εἶπεν αὐτῷ· κύριε ὁ μέγας, ἡμέραν κρίσεως ἐκδεχόμεθα πάντες. οἶδας τὰ τυπωθέντα, E καὶ δόξαντα ἐπὶ τῶν ἁγίων Εὐαγγελίων καὶ τοῦ ζωοποιοῦ σταυροῦ, καὶ τῆς εἰκόνος τοῦ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν, καὶ τῆς αὐτὸν τεκούσης παναγίας ἀειπαρθένου μητρός. καὶ βαλὼν κάτω τὸ πρόσωπον ὁ ἐπίσκοπος, συγνοτέρᾳ τῇ φωνῇ λέγει πρὸς αὐτόν· καὶ τί ἔχω ποιῆσαι ἐγὼ, ἐπὰν ἕτερόν τι παρέστη τῷ εὐσεβεστάτῳ βασιλεῖ; καί φησι πρὸς αὐτὸν ΜΑΞ. καὶ διὰ τί ἥψω τῶν ἁγίων Εὐαγγελίων, καὶ οἱ μετὰ σοῦ, οὐκ οὔσης ἐφ' ὑμῖν τῆς τῶν λαληθέντων ἐκβάσεως; ὄντως πᾶσα ἡ δύναμις τῶν οὐρανῶν, τοῦτο οὐ πείθει με ποιῆσαι. τί γὰρ ἀπολογήσομαι, οὐ λέγω τῷ Θεῷ, ἀλλὰ τῷ ἐμῷ συνειδότι, ὅτι διὰ δόξαν ἀνθρώπων, τῷ κατ' αὐτὴν λόγῳ μηδεμίαν ἔχουσαν ὕπαρξιν, τὴν σώζουσαν τοὺς στέργοντας αὐτὴν πίστιν ἐξωμοσάμην;

A Et in craſtinum veniunt ad eum Epiphanius & Troilus Patricii, cum multo amictu & phantaſia, necnon & Theodoſius epiſcopus: & aſcendunt ad eum in catechumenium Eccleſiæ ipſius monaſterii, factaque conſueta ſalutatione ſederunt, cogentes & ipſum ſedere, & orſus habitum ad eum ſermonem TROILUS, dixit: Dominus orbis juſſit nos venire ad te, & dicere vobis quæ viſa ſunt divinitus roborato imperio ſuo. Sed dic nobis primitus, ſi facias juſſionem Imperatoris, an non? MAXIMUS dixit: Domine audiam quod juſſerit pium ejus imperium, & neceſſario reſpondebo. Nam ad id quod ignotum eſt mihi, qualem reſponſionem daturus ſum? At vero TROIL. perſeverabat, aſſeverans, B Non poteſt eſſe ut dicamus aliquid, niſi primum dicas, utrum facias vel non facias juſſionem Imperatoris. Et cum vidiſſet eos inſiſtentes peramplius dilationi ſuæ, & amarius intuentes, ac aſperius reſpondentes cum omnibus qui cum eis erant, & ipſis quoque dignitatibus ſæcularibus elevatis, reſpondens abba MAX. ait: Quia non patimini dicere ſervo veſtro quæ placent domino & Imperatori noſtro, ecce dico, audiente Deo, ac ſanctis angelis, & omnibus vobis, quoniam quidquid juſſerit mihi ſuper quacumque re cum hoc ſæculo deſtruenda & corrumpenda, promte faciam. Et confeſtim ſurgens TROIL. dixit: Orate mihi, ego vadam. Hic enim nihil facit. Et multo vehementique facto tu- C multu, ac multa turbatione & confuſione, dixit eis THEOD. epiſcopus: Dicite illi reſponſa, & cognoſcite quid fateatur. Nam ſic regredi, nihilque dicere, & nihil audire, rationabile non eſt. Et tunc EPIPHANIUS Patricius ait: Hoc tibi per nos ſignificat Imperator, dicens: Quoniam totus Occidens, & qui in Oriente ſubverſiones operantur, ad te ſpectant, & omnes propter te ſimultates exagitant, nolentes convenire nobiſcum in cauſſa fidei; Deus compungi te faciat, ut communices nobiſcum in typo, qui expoſitus eſt a nobis, & eximus per nos ipſos ad Chalem, & oſculabimur te, & ſupponemus vobis manum noſtram, cumque omni honore ac gloria introducemus vos in D magnam Eccleſiam, & cum nobis ipſis ſiſtemus ubi ex more Imperatores ſtant, & faciemus pariter ſynaxim, & participabimur intemeratorum & vivificorum ſacramentorum vivifici corporis & ſanguinis Chriſti, & prædicabimus te denuo patrem noſtrum, fietque gaudium non modo amatrici Chriſti & regiæ urbi noſtræ, ſed & in toto terrarum orbe. Scimus enim certiſſime, quod te communicante ſancto huic throno, cuncti uniantur nobis, qui propter te tuumque magiſterium, ſe a communione noſtra ſciderunt.

Et converſus ad epiſcopum abba MAX. cum lacrymis ait: Domine magne, diem judicii exſpecta- E mus omnes, noſti quæ ordinata ſunt & diffinita ſupra ſancta Evangelia, & vivificam crucem, atque imaginem Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, & ſanctiſſimæ quæ illum genuit ſemper Virginis matris. Et ſummiſſo deorſum vultu, epiſcopus mitiori voce dicit ad eum: Et quid habeo facere, poſtquam aliud quid placuit? Et dixit ad eum MAX. abbas: Et quare tetigiſti ſancta Evangelia, & hi qui tecum erant, cum non ſit in vobis eorum quæ dicta ſunt exitus? Vere omnis cæli virtus hoc mihi facere minime perſuaderet. Quam enim rationem redderem, ut non dicam Deo, conſcientiæ meæ, quod ſi propter humanam gloriam, quæ ſecundum ſui rationem nullam habet ſalvandi ſubſtantiam, fidem abnegarem ejus qui fovet eam?

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 656.



Καὶ ἐπὶ τῷ λόγῳ τούτῳ ἀναστάντες, θυμοῦ A στρατηγήσαντος πᾶσιν αὐτοῖς, τιλμοῖς καὶ ὠθισμοῖς καὶ σφαιρισμοῖς παρέλυσαν αὐτὸν, ἀπὸ κεφαλῆς ἕως ὀνύχων κατακλύσαντες αὐτὸν πτύσμασιν· ὧνπερ, μέχρις ἂν ἐπλύθησαν ἅπερ ἐβέβλητο ἱμάτια, διεπνέετο ὁ βρόμος. καὶ ἀναστὰς ὁ ἐπίσκοπος εἶπεν. οὕτως οὐκ ἔδει γενέσθαι; ἀλλ' ἀκοῦσαι μόνον παρ' αὐτοῦ τὴν ἀπόκρισιν, καὶ εἰσελθεῖν ἀναγγεῖλαι τῷ δεσπότῃ ἡμῶν τῷ ἀγαθῷ. τὰ γὰρ κανονικὰ πράγματα, ἑτέρῳ διοικοῦνται τρόπῳ. καὶ μόλις πείσας αὐτοὺς ὁ ἐπίσκοπος ἡσυχάσαι, πάλιν ἐκάθισαν, καὶ μυρίαις ὕβρεσι καὶ ἀραῖς ἀνεπινοήτοις μωμώσαντες αὐτὸν, μετὰ θυμοῦ καὶ τραχύτητος εἶπεν ΕΠΙΦ. εἰπὲ, κακέσχατε φαγοπόλιε, ὡς αἱρετικοὺς ἔχων B ἡμᾶς, καὶ τὴν πόλιν ἡμῶν, καὶ τὸν βασιλέα, τούτους εἶπας τοὺς λόγους; ὄντως πλεῖόν σου χριστιανοί ἐσμεν καὶ ὀρθόδοξοι· καὶ τὸν κύριον ἡμῶν καὶ Θεὸν ὁμολογοῦμεν ἔχειν καὶ θεϊκὴν θέλησιν καὶ ἀνθρωπίνην θέλησιν, καὶ νοερὰν ψυχήν· καὶ ὅτι πᾶσα νοερὰ φύσις, πάντως ἔχει τὸ θέλειν ἐκ φύσεως, καὶ τὸ ἐνεργεῖν, ἐπειδὴ ζωῆς ἴδιον ἡ κίνησις, καὶ νοῦ ἴδιον ἡ θέλησις. καὶ θελητικὸν αὐτὸν οἴδαμεν, οὐ θεότητι μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀνθρωπότητι. ἀλλὰ καὶ τὰς δύο θελήσεις αὐτοῦ καὶ ἐνεργείας οὐκ ἀρνούμεθα.

Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἀββᾶς ΜΑΞ. εἶπεν· ἐὰν οὕτω πιστεύετε, καθὼς αἱ νοεραὶ φύσεις, καὶ ἡ τοῦ C Θεοῦ ἐκκλησία, πῶς με ἀναγκάζετε κοινωνῆσαι ἐπὶ τῷ τύπῳ, τῷ μόνην τούτων ἔχοντι ἀναίρεσιν; ΕΠΙΦ. δι' οἰκονομίαν τοῦτο γέγονεν, ἵνα μὴ βλαβῶσιν οἱ λαοὶ ταῖς τοιαύταις λεπτομερέσι φωναῖς. καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἀββᾶς ΜΑΞ. εἶπε· τοὐναντίον, πᾶς ἄνθρωπος ἁγιάζεται διὰ τῆς ἀκριβοῦς ὁμολογίας τῆς πίστεως, οὐ μὴν διὰ τῆς ἀναιρέσεως, τῆς ἐν τῷ τύπῳ κειμένης. καὶ εἶπε ΤΡΩΙΛ. καὶ ἐν τῷ παλατίῳ εἶπόν σοι, ὅτι οὐκ ἀνεῖλεν, ἀλλὰ κατασιγασθῆναι ἐκέλευσεν, ἵνα εἰρηνεύωμεν πάντες. καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἀββᾶς ΜΑΞ. εἶπεν· ἡ σιγὴ τῶν λόγων, ἀναίρεσις τῶν λόγων ἐστί. διὰ γὰρ τοῦ προφήτου λέγει τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· οὐκ εἰσὶ λαλιαὶ, οὐδὲ λόγοι, ὧν οὐχὶ ἀκούονται αἱ φωναὶ αὐτῶν. οὐκοῦν ὁ D μὴ λαλούμενος λόγος, οὐδὲ λόγος ἐστί. καὶ εἶπε ΤΡΩΙΛ. ἔχε ἐν καρδίᾳ σου, ὡς θέλεις· οὐδείς σε κωλύει. ὁ ἀββᾶς ΜΑΞ. εἶπεν· ἀλλ' οὐ περιώρισεν ὁ Θεὸς τῇ καρδίᾳ τὴν ὅλην σωτηρίαν, εἰπών· ὁ ὁμολογῶν με ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, ὁμολογήσω αὐτὸν ἔμπροσθεν τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς. καὶ ὁ θεῖος ἀπόστολος διδάσκει, λέγων· καρδίᾳ μὲν πιστεύεται εἰς δικαιοσύνην, στόματι δὲ ὁμολογεῖται εἰς σωτηρίαν. εἰ οὖν ὁ Θεὸς, καὶ οἱ τοῦ Θεοῦ προφῆται καὶ ἀπόστολοι κελεύουσιν ὁμολογεῖσθαι τὸ μυστήριον φωναῖς ἁγίων, τὸ μέγα καὶ φρικτὸν, καὶ παντὸς τοῦ κόσμου σωτήριον, οὐκ ἔστι χρεία οἱῳδήποτε τρόπῳ κατασιγασθῆναι τὴν τοῦτο κηρύττουσαν φωνὴν, ἵνα μὴ μειωθῇ τῶν σιγώντων ἡ σωτηρία.

Καὶ ἀποκριθεὶς τραχυτάτῳ λόγῳ ΕΠΙΦ. εἶπεν· E ὑπέγραψας ἐν τῷ λιβέλλῳ; καὶ εἶπεν ὁ ἀββᾶς ΜΑΞ. ναὶ, ὑπέγραψα. καὶ πῶς ἐτόλμησας, εἶπεν, ὑπογράψαι, καὶ ἀναθεματίσαι τοὺς ὁμολογοῦντας καὶ πιστεύοντας ὡς αἱ νοεραὶ φύσεις, καὶ ἡ καθολικὴ ἐκκλησία; ὄντως τῇ ἐμῇ κρίσει εἰσάγομέν σε εἰς τὴν πόλιν, καὶ ἱστῶμεν εἰς τὸν φόρον δεδεμένον, καὶ τοὺς μίμους καὶ τὰς μιμάδας, καὶ τὰς προϊσταμένας πόρνας, καὶ πάντα τὸν λαὸν φέρομεν, ἵνα ἕκαστος καὶ ἑκάστη καὶ ῥαπίσῃ καὶ ἐμπτύσῃ τὸ πρόσωπόν σου. πρὸς ταῦτα ἀποκριθεὶς ὁ ἀββᾶς ΜΑΞ. εἶπεν· ὡς εἴπατε, γένηται, ἐὰν τοὺς ὁμολογοῦντας δύο φύσεις ἐξ ὧν

A Et in sermone isto surgentes omnes furore instabiles redditi, evulsionibus & impulsionibus atque direptionibus debilitaverunt eum, a capite usque ad ungues sputis certatim madefacientes. Quorum usquequo lota sunt vestimenta, quibus circumamictus erat, fœtor longius exhalabat. Et surgens episcopus dixit: Non oportebat ita fieri, sed audire ab eo tantummodo responsionem, & ingredi, & nuntiare domino nostro bono. Canonicæ quippe res alio disponuntur modo. Et cum vix eis episcopus ut quiescerent persuasisset, rursus sederunt: & denis millibus injuriis, & maledictionibus inexcogitabilibus dehonestantibus eum, cum furore multo & asperitate, dixit EPIPHANIUS: Dic, malorum B extreme, vorax civium, quasi nos & civitatem nostram, sed & Imperatorem hæreticos habeas, hæc prosecutus es verba? Vere plus quam tu Christiani sumus atque orthodoxi, & Dominum nostrum ac Deum confitemur habere & divinam voluntatem & humanam voluntatem, & animam intellectualem: & quia omnis intellectualis natura utique habet ex natura velle ac operari, quoniam vitæ proprium motus est, & intellectus proprium voluntas: & voluntatis ejus capacitatem novimus, non secundum deitatem tantum, sed & secundum humanitatem. Quin & duas ipsius voluntates & operationes non abnegamus.

Et respondens abba MAX. dixit: Si ita creditis, C quemadmodum intellectuales naturæ, ac Dei Ecclesia, quomodo me cogitis communicare in typo qui solam eorum habet divisionem, quæ vos profitemini? Et dixit EPIPH. Ob dispensationem factum est hoc, ne lædantur populi hujuscemodi subtilioribus vocibus. Et respondens abba MAX. dixit: Econtra omnis homo sanctificatur per districtam fidei confessionem, non autem per divisionem quæ in typo est posita. Et dixit TROIL. Et in Palatio dixi tibi, quia non interemit, sed taceri jussit, ut pace fruamur omnes. Et respondens abba MAX. dixit: Silentium verborum interemtio est verborum. Per Prophetam enim dicit Spiritus sanctus: [a] *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum* D *non audiantur voces eorum*. Ergo sermo qui loquutione non prædicatur, nullatenus est. Et dixit TROIL. Habe in corde tuo ut vis, nemo te prohibet. Et dicit abba MAX. Sed non circumclusit Deus corde totam salutem, dicens: [b] *Qui non confitetur me coram hominibus, nec ego confitebor eum coram patre meo, qui est in cælis*. Et sacer Apostolus docet, dicens: [c] *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Si ergo Deus, ac Dei Prophetæ, atque Apostoli, jubent confiteri mysterium Sanctorum vocibus, quod est magnum & horrendum, atque totius mundi salutare, non est opus quoquomodo taceri vocem id prædicantem, ut non imminuatur tacentium salus.

E Et respondens asperiori verbo EPIPH. dixit: Subscripsisti in libello? Et dixit abba MAX. Etiam, subscripsi. Et quomodo, inquit, ausus es subscribere, & anathematizare confitentes atque credentes sicut intellectuales naturæ, & Ecclesia catholica? Vere judicio meo introducimus te in urbem, & sistemus te in foro vinctum, & mimos ac mimas, & prostitutas meretrices, & omnem plebem adducemus, ut unusquisque ac unaquæque & alapis cædat, & conspuat in faciem tuam. Et ad hæc respondens abba MAX. ait: Sicut dixistis fiat, si confitentes duas naturas voluntates & operationes ei

a Psalm. XVIII. 3. b Matth. X. 33. c Rom. X. 10.

ὃ κύριός ἐστι, καὶ τὰς καταλλήλας αὐτῷ δύο φυσικὰς θελήσεις καὶ ἐνεργείας, Θεῷ φύσει δι' ἀλήθειαν ὄντι καὶ ἀνθρώπῳ, ἀνεθεματίσαμεν. ἀνάγνωθι, δέσποτα, τὰ πεπραγμένα, καὶ τὸν λίβελλον, καὶ ἐὰν ὡς εἴπατε εὕρητε, ποιήσατε ὅπερ βούλεσθε. ἐγὼ γὰρ, καὶ οἱ σύνδουλοί μου ὅσοι ὑπέγραψαν, τοὺς κατὰ τὸν Ἄρειον καὶ Ἀπολινάριον μίαν θέλησιν καὶ ἐνέργειαν λέγοντας ἀνεθεματίσαμεν, καὶ μὴ ὁμολογοῦντας τὸν κύριον ἡμῶν καὶ Θεὸν καθ' ἑκάτερον τῶν ἐξ ὧν, ἐν οἷς τε καὶ ἅπερ ἐστι, φύσει νοερόν· καὶ διὰ τοῦτο κατ' ἄμφω θελητικὸν καὶ ἐνεργητικὸν τῆς ἡμῶν σωτηρίας. καὶ λέγουσιν· ἐὰν τούτῳ συνεπαχθῶμεν, οὐ τρώγομεν, οὐ πίομεν· ἀλλ' ἀναστῶμεν, καὶ ἀριστήσωμεν, καὶ εἰσέλθωμεν, εἴπωμεν ἃ ἠκούσαμεν, οὗτος γὰρ πέπρακεν ἑαυτὸν τῷ σατανᾷ. καὶ ἀναστάντες ἠρίστησαν· καὶ εἰσῆλθον μετ' ὀργῆς τῇ παραμονῇ τῆς ὑψώσεως τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ σταυροῦ.

A qui est Deus natura in veritate simul & homo, anathematizavimus. Lege, domine, gestorum seriem ac libellum; & si ut dixistis inveneritis, facite quod vultis. Ego enim, & conservi mei, & quotquot subscripserunt, eos qui secundum Arium & Apolinarium unam voluntatem & unam operationem dicunt, anathematizavimus, & non qui confitentur Dominum nostrum & Deum in utrisque ex quibus, & in quibus, & quæ est, natura intellectualem, & ideo secundum utramque cum voluntate ac operatione nostræ salutis. Et dicunt: Si cum hoc conferimus, neque manducabimus, neque bibemus. Sed surgamus & prandeamus, & ingrediamur, atque dicamus quæ audivimus. Iste quippe B venundavit se satanæ. Et cum surrexissent, prandeerunt. Et ingressi sunt cum ira, vigilia Exaltationis pretiosæ ac vivificæ crucis.

Καὶ τῇ ἑξῆς ἕωθεν ἐξῆλθε Θεοδόσιος ὁ ὕπατος πρὸς τὸν προειρημένον ἀββᾶν Μάξιμον, καὶ ἀφεῖλε πάντα ὅσα εἶχεν, εἰπὼν αὐτῷ ἐκ προσώπου τοῦ βασιλέως· ὅτι οὐκ ἠθέλησας τιμὴν, καὶ μακρυνθήσεται ἀπὸ σοῦ. καὶ ὕπαγε ὅπου ἑαυτὸν ἄξιον ἔκρινας εἶναι, ἔχων τὸ κρίμα τῶν μαθητῶν σου, τοῦ τε ἐν Μεσημβρίᾳ, καὶ τοῦ ἐν Περβέροις, τοῦ γενομένου νοταρίου τῆς μακαρίας ἡμῶν μάμμης. ἦσαν δὲ καὶ οἱ πατρίκιοι, τουτέστι Τρώϊλος καὶ Ἐπιφάνιος εἰρηκότες· ὅτι πάντως φέρομεν καὶ τοὺς δύο μαθητὰς, τόν τε ἐν Μεσημβρίᾳ καὶ τὸν ἐν Περβέροις, καὶ δοκιμάζομεν καὶ αὐτοὺς, καὶ βλέπομεν καὶ τὴν ἐπ' αὐτοῖς ἔκβασιν. πλὴν ἵνα εἰδῇς κῦρι Ἀββᾶ, ὅτι μικρὰν ἄνεσιν ἐὰν λάβωμεν ἐκ τῆς συγχύσεως τῶν ἐθνῶν, ἁρμόσασθαι ὑμῖν ἔχομεν μὰ τὴν ἁγίαν τριάδα, καὶ τὸν πάπαν τὸν νῦν ἐπαιρόμενον, καὶ πάντας τοὺς ἐκεῖσε λαλοῦντας, καὶ τοὺς λοιποὺς σου μαθητάς· καὶ πάντας ὑμᾶς χωνεύομεν ἕκαστον ἐν τῷ ἐπιτηδείῳ αὐτοῦ τόπου, ὡς ἐχωνεύθη Μαρτῖνος· καὶ λαβὼν αὐτὸν ὁ ῥηθεὶς ὕπατος Θεοδόσιος, παρέδωκεν αὐτὸν στρατιώταις, καὶ ἤγαγον αὐτὸν ἕως Σαλεμβρίας.

Et in crastinum diluculo exivit Theodosius Consul ad prædictum abbatem Maximum, & abstulit ab eo quidquid habebat, dicens ei ex persona Imperatoris: Quia noluisti honorem, prolongatus est a te, & vade ubi dignum temetipsum fore judicasti, habens quoque judicium discipulorum tuorum, tam scilicet ejus qui est Mesembriæ, quam ejus qui est Perberis, quique fuit notarius beatæ memoriæ aviæ nostræ. Dixerant autem & Patricii, Troilus videlicet & Epiphanius, quia modis omnibus adduC cemus etiam ambos discipulos tuos, id est tam eum qui est Mesembriæ, quam illum qui est Perberis, & probabimus etiam ipsos, ac videbimus & ipsorum quoque proventum. Verumtamen ut scias, domine Abba, quoniam si saltem modicam requiem sumserimus a confusione gentium, conjungi vobis habemus per sanctam Trinitatem, & Papam qui nunc est tollemus, & omnes ibidem loquentes, & reliquos discipulos tuos, & omnes vos conflabimus, unumquemque in apto sibi loco, ut conflatus est Martinus. Et sumtum eum jam dictus Theodosius Consul militibus tradidit: & duxerunt eum usque Salambriam.

Καὶ ἔμειναν ἐκεῖ δύο ἡμέρας, ἕως οὗ ἀπῆλθεν εἰς τὸ φοσσᾶτον ὁ εἷς τῶν στρατιωτῶν, καὶ εἶπεν ὅλῳ τῷ στρατῷ, ὅτι ὁ μοναχὸς βλασφημῶν τὴν Θεοτόκον ὧδε ἔρχεται, ἵνα κινήσωσι τὸν στρατὸν κατὰ τοῦ ῥηθέντος ἀββᾶ Μαξίμου, ὡς βλασφημοῦντος τὴν Θεοτόκον. καὶ μετὰ δύο ἡμέρας ἐπανελθὼν ὁ στρατιώτης, ἔλαβεν αὐτὸν ἐν τῷ φοσσάτῳ, καὶ κατανυγεὶς ὑπὸ τοῦ Θεοῦ ὁ στρατηγὸς, ἤγουν ὁ τοποτηρητὴς τοῦ στρατηγοῦ, ἔπεμψεν ἐγγὺς αὐτοῦ τοὺς προβεβηκότας τῶν βάνδων· πρεσβυτέρους τε καὶ διακόνους, καὶ τοὺς εὐλαβεῖς σιγνοφύλακας· οὓς ἰδὼν παραγενομένους ὁ ῥηθεὶς ἀββᾶς Μάξιμος, ἐγερθεὶς ἔβαλε μετάνοιαν. καὶ ἀντέβαλον κἀκεῖνοι, καὶ ἐκάθισαν, κελεύσαντες καὶ αὐτῷ καθίσαι. καί τις πάνυ γέρων τίμιος εἶπε πρὸς αὐτὸν μετὰ πολλῆς τῆς εὐλαβείας.

Et manserunt ibidem per duos dies, quousque D perrexerit ad castra unus ex militibus, & dixit cuncto exercitui, quia monachus qui blasphemat Dei genitricem huc venit. Hoc autem egerunt, ut commoverent exercitum adversus prædictum Maximum abbatem, quasi blasphemaverit Dei genitricem. Et post duos dies rediens miles ille, tulit eum in castra, & compunctus divinitus Prætor, imo loci servator Prætoris, misit ad eum primores [1] bandorum, presbyterosque ac diaconos & reverendos signorum custodes. Quos cum intuitus esset jam nominatus abba Maximus advenisse, surrexit, & [2] misit metanœam: & miserunt & illi vice reciproca, & sederunt, jubentes & ipsi sedere. Et quidam valde senex honorabilis dixit ad eum cum reE verentia.

Πάτερ, ἐπειδὴ ἐσκανδάλισαν ἡμᾶς τινες εἰς τὴν σὴν ἁγιωσύνην, ὡς οὐ λέγεις Θεοτόκον τὴν δέσποιναν ἡμῶν τὴν παναγίαν παρθένον, ὁρκίζω σε κατὰ τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου καὶ ζωοποιοῦ τριάδος, εἰπεῖν ἡμῖν τὴν ἀλήθειαν, καὶ ἀποτρίψασθαι τῶν καρδιῶν ἡμῶν τοῦτο τὸ σκάνδαλον, ἵνα μὴ βλαπτώμεθα ἀδίκως σκανδαλιζόμενοι. καὶ βαλὼν μετάνοιαν, ἀνέστη, καὶ ἐκτείνας τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν μετὰ δακρύων εἶπεν· ὁ μὴ λέγων τὴν δέσποιναν ἡμῶν, τὴν πανύμνητον καὶ παναγίαν ἄχραντον, καὶ πάσης τῇ φύσει τῇ νοερᾷ

Pater, quoniam scandalizaverunt nos quidam in sanctimoniam tuam, quod non dicas Dei genitricem dominam nostram sanctissimam Virginem, adjuro te per sanctam & consubstantialem Trinitatem, quo veritatem dicas nobis, & detergas a corde nostro scandalum hoc, ne lædamur injuste scandalizati. Et missa metanœa surrexit, & extensis in cælum manibus cum lacrymis dixit: Qui non dicit dominam nostram superlaudabilem, sanctissimam, intemeratam, & omni naturæ intellectuali

1. *H. e.* vexilliferorum. Hinc est *bandera* seu vexillum.

2. *Misit metanœam*] Μετάνοιαν ἔβαλε. H. e. *genuflexit, cernuus procubuit*.

SÆCUL. VII CIRCA ANN. CHR. 656.

σεπτὴν, φυσικὴν ἀληθῶς μητέρα τοῦ Θεοῦ γενομένην, τοῦ ποιήσαντος τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν καὶ τὴν θάλασσαν, καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς, ἔστω ἀνάθεμα καὶ κατάθεμα ἀπὸ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, τῆς ὁμοουσίου καὶ προσκυνητῆς τριάδος, καὶ πάσης ἐπουρανίου δυνάμεως, καὶ τοῦ χοροῦ τῶν ἁγίων ἀποστόλων καὶ προφητῶν, καὶ τοῦ ἀπείρου δήμου τῶν μαρτύρων, καὶ παντὸς πνεύματος ἐν δικαιοσύνῃ τετελειωμένου, νῦν, καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς ἀπείρους αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν. καὶ κλαύσαντες ηὔξαντο αὐτῷ, λέγοντες· ὁ Θεὸς ἐνδυναμώσει σε, πάτερ, καὶ ἀξιώσει σε ἀπρόσκοπον τελειῶσαι τὸν δρόμον τοῦτον. καὶ τούτων εἰρημένων, ἠθροίσθησαν πολλοὶ στρατιῶται, πολλῶν καλῶν κινηθέντων λόγων ἀκροώμενοι· καὶ θεωρήσας τις τῶν δομεστίκων τοῦ στρατηγοῦ, ὅτι πολὺς ἐπισωρεύεται στρατὸς, καὶ οἰκοδομεῖται, καὶ καταγινώσκει τῶν εἰς αὐτὸν γινομένων· τί ὑπονοήσας ὁ Θεὸς οἶδεν· ἐπέτρεψεν ἀνάρπαστον αὐτὸν γενέσθαι, καὶ βληθῆναι ἀπὸ δύο μιλίων τοῦ φοσσάτου, ἕως ἂν τὴν σύναξιν ποιήσωσι, καὶ ἔλθωσιν οἱ ὀφείλοντες ἀπαγαγεῖν αὐτὸν ἐν Περβέροις. πλὴν ὅτι θείᾳ ἀγάπῃ νικώμενοι οἱ κληρικοὶ, ἐπέζευσαν τὰ δύο μίλια, καὶ ἦλθον, καὶ ἠσπάσαντο αὐτὸν, καὶ ηὔξαντο αὐτῷ. καὶ χερσὶν ἰδίαις βαστάσαντες αὐτὸν, ἔθηκαν ἐπὶ τὸ κτῆνος, καὶ ὑπέστρεψαν μετ' εἰρήνης εἰς τοὺς τόπους αὐτῶν, καὶ αὐτὸς ἀπηνέχθη ἐν Περβέροις, ἐν τῇ συνεχούσῃ αὐτὸν φρουρᾷ.

A venerandam, naturalem veraciter matrem Dei effectam, qui fecit cælum & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt, ſit anathema, & catathema a Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, conſubſtantiali & ſuperſubſtantiali Trinitate, ac omni ſupercæleſti virtute, atque a choro ſanctorum Apoſtolorum, Prophetarum, & infinita plebe ſanctorum Martyrum, omnique ſpiritu in juſtitia conſummato, nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum, amen. Et flentes omnes oraverunt ei dicentes: Deus confortet te, pater, & dignum te faciat abſque offenſa hunc perficere curſum. Et his dictis, congregati ſunt multi milites auſcultaturi multa bona verba quæ movebantur. Et cum contemplatus eſſet quiB dam domeſticorum Prætoris, quod multus coacervaretur & ædificaretur exercitus, ac reprehenderet quæ fiebant; quid ſuſpicatus Deus ſcit; præcepit eum rapi & emitti extra caſtra duobus millibus, donec collectionem feciſſent, & veniſſent qui deberent ducere illum Perberis. Verum clerici divina moti dilectione pedites duobus illis milliariis abierunt, & venerunt, & ſalutaverunt eum, & oraverunt illi, & manibus ſuis geſtantes impoſuerunt eum ſupra jumentum, & reverſi ſunt cum pace ad loca ſua, & ipſe adductus eſt Perperis in cuſtodiam, qua continuis vexationibus tenebatur.

Καὶ τοῦτο δὲ ἰστέον, ὅτι ἐν τῷ Ῥηγίῳ ἀποτεινόμενος Τρώϊλος πρὸς τὸν ἀββᾶν Μάξιμον, εἶπεν· ὡς ὁ κονσιλιάριος Ἰωάννης ἔγραψεν αὐτῷ περὶ συμβάσεως προταθείσης αὐτοῖς, καὶ τοῦτο γενέσθαι πῶς, ἡ τῶν σῶν μαθητῶν ἀταξία διεκώλυσε: οἶμαι δὲ, ὅτι οὐκ ἔγραψεν ὁ εἰρημένος κονσιλιάριος Ἰωάννης πρὸς τὸν Τρώϊλον, ἀλλὰ πρὸς Μηνᾶν τὸν μοναχὸν, κἀκεῖνος εἶπε τοῖς τοῦ παλατίου.

Et hoc quoque ſciendum, quia in Regio præC tendebat Troilus ad abbatem Maximum dicens, quod Conſiliarius Joannes ſcripſerit ſibi de accidentibus quibuſdam, quæ ſibi conſulerent, ac placerent: licet hoc fieri interim diſcipulorum tuorum inordinatio prohibuerit. Æſtimo autem quod non ſcripſerit jam dictus Conſiliarius Joannes ad Troilum, ſed ad Mennam monachum, & ille deinceps id dixerit Palatinis.

Καὶ μετὰ ταῦτα ἤγαγον αὐτοὺς ἐν Κωνσταντινουπόλει, καὶ ἐποίησαν κατ' αὐτῶν πρᾶξιν, καὶ μετὰ τὸ ἀναθεματίσαι καὶ ἀνασκάψαι αὐτοὺς τὸν ἐν ἁγίοις Μάξιμον, καὶ τὸν μακάριον Ἀναστάσιον τὸν μαθητὴν αὐτοῦ, τόντε ἁγιώτατον πάπαν Μαρτῖνον, καὶ τὸν ἅγιον Σωφρόνιον τὸν πατριάρχην Ἱεροσολύμων, καὶ πάντας τοὺς ὀρθοδόξους καὶ σύμφρονας αὐτῶν, ἤνεγκαν καὶ τὸν ἄλλον μακάριον Ἀναστάσιον, καὶ τοῖς αὐτοῖς ἀναθέμασι καὶ ὕβρεσι χρησάμενοι καὶ ἐπ' αὐτὸν, παρέδωκαν τοῖς ἄρχουσιν, εἰπόντες οὕτως· σὺ μὲν οὖν Ἀναστάσιε, τὸ φαιὸν τῆς πανδήμου τῶν ἀναθεμάτων τῆς ἀρᾶς ἐνδυσάμενος περιβόλαιον, ἀπαλλάσσου τῆς κανονικῆς ἀκροάσεως, πρὸς ἣν ᾑρετίσω στάσιν τῆς γεέννης, ἀποφερόμενος, συνούσης ἡμῖν τῆς εὐκλεοῦς καὶ πάντα συνδιαιτησάσης τιμίας τε καὶ ἱερᾶς συγκλήτου, παραχρῆμα τὴν μεθ' ἡμᾶς παραληψομένης κρίσιν, καὶ τὰ τοῖς πολιτικοῖς δοκοῦντα νόμοις ἐπὶ σοὶ διαπραξομένης, ὡς αὐτοὶ δοκιμάσειεν, τῶν τηλικούτων σου βλασφημιῶν ἕνεκα καὶ τυραννίδων. ψῆφος γὰρ κατ' αὐτῶν τῆς παρούσης συνόδου, καὶ συνεργείᾳ τοῦ παντοδυνάμου Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ ἡμῶν Θεοῦ κανονικῶς ψηφισαμένης τὰ δέοντα καθ' ἡμῶν, Μάξιμε, Ἀναστάσιε καὶ Ἀναστάσιε, ἐπεὶ τὸ λεῖπον ὑπῆρχε πρὸς τὰ παρ' ὑμῶν λεχθέντα τε δυσσεβῶς καὶ πραχθέντα, ταῖς αὐστηραῖς τῶν νόμων καθυποβληθῆναι ποιναῖς. εἰ καὶ ἀξία ποινὴ τῶν τοιούτων ὑμῶν πλημμελημάτων καὶ βλασφημιῶν οὐχ ὕπεστι, τῷ δικαίῳ ὑμᾶς περὶ τῆς μείζονος καταλιπόντες κριτῇ, ἐν τῷ παρόντι βίῳ, καὶ ἐν τούτῳ τὴν τῶν νόμων κενοῦντες ἀκρίβειαν, κερ-

[1] Exinde adductis illis Conſtantinopolim, adverſumque eos actione habita, ac cum anathematizaſſent eſſentque exſecrati ſanctum Maximum, ejuſque diſcipulum beatum Anaſtaſium, nec non ſanctiſſimum Papam Martinum, ſanctumque Sophronium Patriarcham Hieroſolymitanum, ac oD mnes orthodoxos, quotquot denique ejuſdem ac illi ſententiæ eſſent: alterum quoque beatum Anaſtaſium adduxerunt, iiſdemque in eum diris ac contumeliis uſi, tradiderunt judicibus, ita dicentes: Sane igitur, tu Anaſtaſi, pullum populi univerſi maledictionis dirarumque indutus amictum, canonica liberatus auditione eaque extruſus, ad eam, quam delegiſti deveharis gehennæ ſtationem ac ſedem; qui nobiſcum eſt, parique conſilio cuncta moderatur prænobili ſacroque Senatu, ſtatim a nobis judicium arrepturo, ac quæ civilibus conſtituta legibus ſunt, prout viſum illi fuerit, juſta in te animadverſione facturo, ob tantas tuas illas blaſphemias rebelliſque animi molitiones. Adverſus hæc E enim ſententiam tulit præſens Synodus: cumque illa, omnipotentis Chriſti veri Dei noſtri ope, quæ par erat, adverſum vos, Maxime, Anaſtaſi Anaſtaſique, decreto ſanxerit, ſitque reliquum ad ea, quæ a vobis impie dicta geſtaque ſunt, ut ſeverioribus legum pœnis ſubjiciamini (quamquam idcirco quod nulla ejuſmodi pœna ſuppetit, quæ delictis veſtris, ac blaſphemiis condigna videri poſſit, juſto vos Judici, qui majora ſit inducturus, permittimus) in præſenti ſæculo, ceu in lucri partem, vitæ vobis uſura conceſſa, hacque ipſa leni-


1. Hæc Anaſtaſius non dedit, nec vero pertinent ad Collationem: tamen, quia conjuncta ſunt, adjicimus ex edit. Combefiſ. operum ſancti Maximi. SIRM.

θανόντων ὑμῶν τὸ ζῆν, ψηφιζόμεθα ὑμῖν, τὸν παρόντα ἡμῖν πανεύφημον ἔπαρχον, αὐτίκα παραλαμβάνοντα ὑμᾶς ἐν τῷ κατ᾽ αὐτὸν πολυαρχικῷ πραιτωρίῳ, καὶ νεύροις τὰ μετάφρενα τύπτοντα, [Μάξιμον καὶ Ἀνάστασιον καὶ Ἀναστάσιον, τὸ ὄργανον τῆς ὑμῶν Μαξίμου καὶ Ἀναστασίου καὶ Ἀναστασίου] ἀκολασίας, τουτέστι τὴν βλάσφημον ὑμῶν γλῶτταν ἔνδοθεν ἐκτεμεῖν. εἶτα δέ, καὶ τὴν διακονήσασαν τῷ βλασφήμῳ ὑμῶν λογισμῷ σκαιοτάτην δεξιὰν σιδήρῳ διατεμεῖν, περιαχθησομένων ἅμα στερήσει τῶν αὐτῶν βδελυκτῶν μερῶν, τὰ δύο καὶ δέκα τμήματα ταύτης τῆς κυρίας τῶν πόλεων περινοστήσας, ἀειφυγίᾳ τε καὶ φυλακῇ πρὸ ἐπὶ τούτοις διηνεκεῖ παραδοῦναι ὑμᾶς, πρὸς τὸ μετέπειτα ὑμᾶς καὶ εἰς τὸν ἅπαντα τῆς ζωῆς ὑμῶν χρόνον, τὰ οἰκεῖα οἰμώζειν βλάσφημα σφάλματα, τῆς ἐπινοηθείσης καθ᾽ ἡμῶν ἀρᾶς περιτραπείσης τῇ ἡμῶν κεφαλῇ. παραλαβὼν οὖν αὐτοὺς ὁ ἔπαρχος, καὶ κολάσας, ἔτεμε τὰ μέλη αὐτῶν, καὶ περιαγαγὼν ὅλην τὴν πόλιν ἐξώρισεν αὐτοὺς ἐν Λαζικῇ.

tate tantisper vacuata accurata legum disciplina ac districtione; Sancimus, ut statim assumtis, qui nobis præsto est clarissimus Præfectus, in suum amplissimi dominatus Prætorium, Maximo ac utroque Anastasio, eorum flagris dorsa cædat, vestræque Maximi amborumque Anastasiorum procacitatis organum (vestram scilicet blasphemam linguam) ab imo intus abscindat; tumque etiam, quæ blasphemæ vestræ rationi mentique ministravit, dexteram ferro auferat: ac, ubi sic exsecrandis membris mutilos pariter circumducens, urbis Augustæ regiones duodecim totas lustraverit, sempiterno exsilio, jugique præterea custodiæ tradat: ut deinceps, ac quamdiu vita superstes erit blasphemiæ plenos errores vestros lugeatis, versa scilicet in vestra capita, quam in nos maledictionem dirasque excogitastis. Tulit itaque Præfectus, aliisque excruciatis tormentis, membra amputavit: totaque urbe propudiosa circumductione traducens, Lazicem relegavit.

[1] Gloria tibi, unigenite Deus Verbum Patris, & une consubstantialis Trinitatis, qui eos qui propter te cum te pelluntur & patiuntur, verbo & opere confortas, & sapientes facis in Spiritu sancto. Eos vero qui tui, & re vera proprie semper virginis matris tuæ inimici, & veritatis calumniatores sunt, semper confundis. Gloria tibi, Trinitas sancta, increata, sempiterna, sine initio, infinita, inconvertibilis, & supersubstantialis, ac impartibilis, Deus noster. Gloria tibi, gloria tibi, gloria tibi, eadem & sola Trinitas, spes & salus universorum qui in orthodoxa fide adorant te, & serviunt tibi in veritate usque in finem. Sola intemerata & sanctissima, proprie natura, sine mendacio ac veraciter Dei mater, & post partum iterum vere virgo casta, juva.

1. Hæc Anastasius aut ipse addidit, aut ex alterius Græcis Latina fecit. SIRM.



Sæcul. VII. circa Ann. Chr. 666.

ANASTASII PRESBYTERI ET APOCRISIARII ROMÆ EPISTOLA

AD THEODOSIUM PRESBYTERUM GANGRENSEM.

Exemplar propriæ scriptionis Epistolæ sancti Patris nostri ac doctoris Anastasii Presbyteri & Apocrisiarii magni nominis senioris Romæ, novi confessoris, vel quod magis fatendum est, multum certatoris & martyris veritatis, scriptæ una cum subjacentibus testimoniis sacris, & syllogismis, quæ abscisa est ejus sancta dextera manu, admirabili prorsus ingenio, immo divina virtute & gratia, postquam passus est ipse & patres qui cum eo fuerunt in misero Byzantio, propter verbum tantummodo veritatis, & quod noluissent, vel etiam, ut verius dicatur, non potuissent eis communicare in tam publica ipsorum perfidia, & manifesta impietate, secundum sanctum & magnum in theologia Gregorium [1], qui in sermone suo, quem in se fecit, & adversus Arianos affatur: *Quasdam dimisimus bestias sanctorum corporibus, quod quidam inhumanitatem publicaverint, unum accusantes tantum, ne impietati cederent, nec communione polluerentur: quam ut venenum serpentis fugientes, non corpus lædentem, sed profunda quæque animæ offuscantem.* Missa præterea est a tertio exsilio, id est Lazico, ad Theodosium presbyterum Gangrensem, & monachum in sancta Christi nostri civitate constitutum.

SUPERSCRIPTIO.


Domino meo per omnia sanctissimo Deo honorabili patri spirituali ac magistro Theodosio presbytero, Anastasius exiguus misericordia Dei presbyter & monachus servus servorum Dei.

Memoriam justorum cum laudibus divinitus inspiratum nobis facere jubet Proverbium. Ego igitur exiguus memoriam justorum illorum, & præcipue Maximi re vera megisti, (hoc enim Maximus nomen insinuat) sermone meo in præsentiarum facere volens, & digne illius virtutem atque scientiam, sicut & pro Christo Deo gestum martyrium ejus laudare minime valens, hoc solum significare per hanc epistolam Deo honorabilibus vobis consideravi, quod & ipsi maxime nosse, prout didici, desiderastis, id est, quando beati illi in Domino dormierint. Notum igitur facio vobis, pluribus ex his quæ hic nobis illata sunt malis, silentio, ob multitudinem eorum, & sermonis fastidium, necnon & tempus incongruum, traditis: quod cum venissemus ad amicorum Christi regionem Lazorum sexto Idus Junias quintæ indictionis, statim separaverunt nos ab invicem præceptione illius, qui tunc præesse his qui illic erant forte meruerat, diripientes omnia usque ad unam acum & filum, quæcumque ad necessarias utilitates tam ex vobis, quam ex aliis Christi amicis adquisieramus. Et sacratissimum quidem illum virum, dominum ajo Maximum abbatem, neque in subjugali, neque in vehiculo sedere valentem, pro eo quod in infirmitate positus esset, cum plectentes virgulas ex eis quasi lectulum texuissent, bajulantes detulerunt, & incluserunt in castro Schemari vocitato, juxta gentem eorum qui dicuntur Alani: dominum vero Anastasium abbatem, & me peccatorem super equos impositos duxerunt; & incluserunt, illum quidem in castro Scotori dicto Apsiliæ, quæ est prope Abasgiam, me autem in altero castro, cujus nomen Buculus erat, regionis quæ Mesimiana vocabatur, in jam dictorum confinibus Alanorum: quod videlicet castrum iidem Alani captum nunc retinere noscuntur. Dein post paucos dies, sumtis tam me quam beato Anastasio a prædictis castris, illum quidem miserunt ad castrum nuncupatum Suanias, cum jam semivivus esset, tam ex multitudine tormentorum ac verberum, quæ in Byzantio sustinuimus, quam ex necessitatibus atque angustiis, quæ heic sunt nobis illata. Unde & in medio viæ, ut quidam ajunt; ut autem alii asserunt, mox ac retrusus est in castro Suaniæ, ad quod destinatus fuerat, obiit. Argumentor igitur, quod circa undecimo vel nono Kalendas Augustas dormierit in Domino. Quintodecimo namque Kalendarum Augustarum deducti sumus utrique, per jussionem tunc Principis, in id quod dicebatur Mucurisin, præsentandi in medio amici Christi exercitus, cum ille jam ut prætulimus, semivivus exsisteret, & ex tunc eum ultra non vidi. Continuo quippe destinaverunt ipsum quidem, ut dictum est, in castrum Suaniæ, me autem in castrum quod dicitur Thacyria juxta Hiberiam. Hinc igitur conjicio, quod circa undecimo Kalendas, vel nono Kalendas Augustas quintæ indictionis in Domino, sicut dictum est, obdormierit.

Porro, Christi Dei martyr, domnus videlicet abba Maximus, cum esset custodiæ mancipatus in castro superius memorato, divina sibi facta visione, advocavit quosdam ex his qui erant in castro & dixit ad eos. Tertiodecimo die Augusti mensis hujus instantis quintædecimæ [2] indictionis, feria septima assumet me Dominus: quod & factum est. Igitur tertiodecimo die prædicti Augusti mensis præteritæ quintæ indictionis secundum divinum ejus vaticinium, feria septima, præsentibus derelictis, perrexit ad Dominum. Porro, & aliud miraculum, quod divinitus in sancto ejus monumento efficitur, quodque usque in præsens, qui castrum illud, & ejus circa regionem inhabitant, intuentur & prædicant, & ad quosdam etiam principum atque magnatum pervenit, dignum est & vobis quoque sanctissimis, & per vos omnibus qui ibidem sunt san-

1. Orat. xxv, pag. 433.

2. Quintæ dictæ, *ut emendat Combefis.*



cti, per literas fieri manifeſtum, in gloriam & laudem Dei, qui facit mirabilia in ſanctis ſuis, & glorificat memoriam eorum qui ſe orthodoxe ac ſincere glorificant. Id eſt, tres lampades luciferæ per ſingulas noctes ſanctum ſancti illius martyris Maximi monumentum illuſtrant. Hæc de memorabili hoc viro, beatoque Anaſtaſio Deo honorabilibus vobis, & per vos omni ſanctæ Dei, quæ illic in recta fide degit, Eccleſiæ breviter annotavi: quatenus & vos his cognitis glorificetis Deum, qui eſt mirabilis in ſanctis ſuis.

Interea & quæ mihi peccatori & exiguo poſt hæc contigerunt, & in quibus ſim, pari modo perpaucis manifeſtabo. Cum enim feciſſem duos menſes in caſtro prædictæ Thacyriæ in infirmitate rejacens, & pauxillum quid requiem fuiſſem adeptus, rurſus miſit me tunc princeps ad partes Apſiliæ & Miſimianæ, cuſtodiæ mancipandum in caſtro Phuſtas: & ut abſolute dicam, ſeptem menſibus duxit & circumduxit me per omnes prædictas regiones nudum & diſcalciatum, & peditem, & frigore ac fame & ſiti depreſſum, volens profecto & me quoque ab hac detergere vita. Sed neſcio quid ſuper me humili prævidens Deus, qui omnia ſalubri providentia ſua producit, uſque nunc conſervavit me in hac multarum tribulationum & miſeriæ vita. Poſt aliquot itaque dies pellitur illinc prædictus princeps. Deindeque ſuccedens alius viſus eſt compati. Inter quæ duxit me juxta domum ſuam receptum a jam memorato caſtro Phuſtenſium. Et poſt annum ex diabolica operatione motus deſtinat me ad prædictum caſtrum. Sed Deus, qui remetitur his, qui aliis remetiuntur; eadem die qua me pepulit, pulſus eſt hinc, & efficitur profugus in Chriſti amatorum regione Abaſgorum. Et conſilio accepto a Chriſti amicis qui illic erant principibus, magis compatiendi, quam me minimum perſequendi, & orationem a me potius quam gemitum percipiendi, (ipſi quippe amici Chriſti principes Abaſgiæ compatiuntur humili mihi, quamquam neſcierint me) repromiſit quidem illis, quod ſi exiret inde, & reſtitueretur in principatu, omnia quæ forent ad ſolatium & refrigerium meum perficeret. Dein poſt paucos dies, neſcio unde adjutus, egreditur quidem iterum, & recipit principatum: nil tamen eorum quæ pollicitus eſt Deo, & crebro dictis Dei amicis principibus, in opus perduxit. E contrario autem manibus nequam deductus virorum, repromiſſionum quidem oblitus eſt, tolli autem me a caſtro Phuſtenſium, & maturius in Schemareos caſtrum mitti præcepit.

Factum interea eſt, cum ducerent me in jam nominatum caſtrum, ut ille iterum pelleretur, & eſſet profugus ubi & primum fuerat. Excitavit autem Deus ſpiritum ſuum in viro boni æmulatore, qui Dei habeat in ſe timorem pariter & amorem, & vere pheronymo [1] vigilantem ſecundum Deum poſſideat mentem, qui cum Deo nunc præeſt regioni, & Deum imitante condeſcenſione ſeu compaſſione motus, reduxit me a via crebro dicti Schemareos caſtri, & conſtituit me quaſi quinque [2] ſignis longius a divinitus cuſtodienda domo ſua, in loco monachos veraciter condecente, præbens neceſſarias largiſſime corporis utilitates. Pro quibus omnibus Chriſtus verus Deus, per interceſſiones, quæ illum ſecundum carnem genuit, Dei genitricis ſemperque virginis Mariæ, ac omnium Sanctorum protegat eum una cum amandis filiis ſuis, atque honorabili horum ac prorſus laudabili matre, ab omni caterva malignantium, & multitudine operantium iniquitatem, donans illis bonorum refectionem, ut ſemper omnem ſufficientiam habentes, abundent in omne opus bonum, & ſtatione faciat eos, quæ a dextris futura eſt dignos, atque divinam illam & mitem vocem expertos, quæ dicet: [a] *Venite benedicti patris mei, hereditate percipite præparatum vobis regnum ab origine mundi, quia hoſpes fui, & collegiſtis me*: & cetera, amen. Obſecro autem ſanctiſſimos vos eadem pro ipſis poſtulare in ſanctis orationibus veſtris, & maxime cum in ſanctis & colendis oraveritis. Digni quippe ſunt, quibus hæc præſtetis. Filii enim germani exſiſtunt ſanctæ Chriſti Dei noſtri Anaſtaſeos. Denique Stephanum qui in ſanctis eſt, filium videlicet beati Joannis presbyteri, qui Cimiliarcha ſanctiſſimæ illius Eccleſiæ fuit, venientem in hanc regionem, ut aſſerui, ad requiſitionem humilitatis meæ, ipſi cum omni ſtudio & gaudio ſuſceperunt, & honoraverunt, & omnem [3] ſubvectionem ad requiſitionem mei tribuerunt, tamquam homini profecto ſanctæ Chriſti Dei noſtri Anaſtaſeos. Unde & ſubſidium eorum habens, invenit me ſanctus ille Stephanus, cui faciat Dominus Deus miſericordiam in illa die juſtus judex, ſed & his qui miſerunt eum, quoniam re vera opus Evangeliſtæ fecit. Sicut enim equus ſpiritualis aſcenſorem habens, ipſum ſcilicet Deum, Deum, juxta Scripturam, quæ ait: [b] *Aſcendens ſuper equos tuos, & equitatus tuus ſanitas*, totam Lazicam, & Apſiliam, & Abaſgiam diſcurrens, ſine timore tam quæ veritatis, quam quæ ſubintroductæ novitatis erant, annuntiavit, ac multorum utilitatis atque ſalutis, & meæ ipſius quietis & conſolationis cauſſa viri eſt facta præſentia, & nequam nomen, quod veri apoſtatæ veritatis nobis impoſuerunt, & tunc diſſipatum eſt, & evidens multis veritas facta eſt.

His itaque bonis heic proprio adventu correctis, nobilis ille vir Kalendis Januariis octavæ indictionis, quæ modo præteriit, apud Chriſti amicum Abaſgiæ principem dormivit in Domino. Cui omnes, qui hunc noverunt, ut ſancto requiem exoptarunt. Quapropter oportebat quoſdam ex veſtratibus Dei amatoribus, & ſecundum ſcientiam zelum Dei habentibus, huc venire, & quæ veritatis & pro veritate ſunt teſtificari, ut & orthodoxia magis convaleſceret, & introducta novitas per amplius argueretur. Sed & ego humilis conſolatione ac refectione potirer, & venientes bonam a Chriſto Deo, pro quo etiam cauſſa eſt, mercedem perciperent: & maxime cum uſque ad Hiberiam illinc, ut didici, veniant, cujus rei gratia & huc minime veniunt. Obſecro igitur ſanctiſſimos vos, ſi poſſibile fuerit, tranſmitti mihi per quemquam fidelem virum, ex his qui ad Hiberiam veniunt, codicem eorum quæ canonice geſta ſunt a ſancta & apoſtolica Synodo, quæ per ſacram præceptionem ſancti martyris & apoſtolici ac ſummi Papæ Martini, in ſeniore Roma eſt celebrata: quatinus multo magis ſacra ſanctorum Patrum dogmata, & quæ olim & nunc exortæ ſunt hæreticorum abominationes, evidentiores heic poſitis efficiantur. Hoc enim tantummodo etiam inviti & nolentes faciunt bonum, qui Deum & nos injuſte perſequuntur; quia in diverſa loca & regiones nos exſulantes agunt,

a Matth. xxv. 34. 35. b Abac. III. 8.

1. φερωνύμως: convenienter ipſi nomine *Gregorii*, quod idem eſt ac *vigil*.

2. Notis milliarium.

3. Combefiſius legit *ſubventionem*.

SAECUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 666.

ut & sanctorum patrum orthodoxia, quam & nos praedicamus, per amplius manifestetur, & propria cacodoxia in omni loco & regione publicetur & arguatur, secundum illum sancti Dionysii [1] Athenarum episcopi & martyris veritatis affatum, quod ait: *Novit Deus malum vel bonum, id est, ut bonum; & apud eum caussae malorum virtutes sunt benefacientes.* Bonum enim veraciter est, paternam quidem orthodoxiam, ut dixi, manifestare & confirmare, haereticam vero cacodoxiam publicare ac redarguere, quum per exsilia id, & alias tribulationes gignatur. Sic enim ab initio verbum quidem dilatatum est veritatis; porro impietatis minoratum disparuit, persecutionem & exsilia, seu alia dira patientibus tam sanctis Prophetis, quam Apostolis, ceterisque magistris. Ergo si, ut flagitavi, a Deo compuncti sacrum codicem miseritis, siquidem voluerint qui hunc portaturi sunt huc venire, ad famosissimum & Deo custodiendum Patricium, & cum Deo magistrum Gregorium sponte occurrant, suscipientes ad eum palam epistolam a laudabili Patricio & Praetore Hiberiae. At vero, si fortassis huc usque venire noluerint, tribuant eum praedicto laudabili Praetori Hiberiae, qui debeat illum mittere praelato domino nostro & amplissimo Patricio & cum Deo magistro Gregorio. Quatinus hoc facientes, percipiatis qui ex ipso profecerint bonam a Christo Deo nostro mercedem.

Praeterea misi ad praesens cum hac epistola mea Deo honorabilibus vobis, & per vos sanctissimae ac orthodoxae quae illic est Ecclesiae, rotulam habentem testimonia ex dictis sancti Hippolyti episcopi portus Romani, ac martyris Christi Dei nostri: quo & per ea nosse habeatis, quam concorditer cum aliis omnibus sanctis Patribus, & ardue duas Salvatoris nostri Jesu Christi praedicet naturas, & operationes; refellat autem eos, qui unam operationem & naturam unam divinitatis & humanitatis ejus dogmatizant: ut pote convertibilitatem simul & commixtionem, confusionemque ac divisionem utriusque ipsius naturae annuntiantes.

A Quaerite sane diligenter hujuscemodi sacrum patris illius librum, secundum superscriptionem, quae testimoniis praeminet. Si enim inveneritis eum, multa & necessaria poteritis ex ipso legere testimonia super eisdem Salvatoris nostri naturis & operationibus. Hunc quippe librum Byzantii nobis antequam passi fuissemus, delatum, cum hunc totum vellemus transcribere, subito juxta consuetudinem suam insistentes adversarii latronum more rapuerunt, & non valuimus ex ipso plus quam haec octo testimonia tollere. Quod vero me in medio eorum quae dicta sunt latuit, dicere non pigritabor. Hoc plane est, quia cum evangelizatum fuisset a sanctae memoriae domno Stephano de B unitate atque concordia, quae ibidem omnium per orthodoxam confessionem ad invicem & ad Deum effecta est, spirituali ac si coram Deo dico laetitia sum repletus, & gratificos hymnos pro tali ac tanto bono misericordi Deo licet peccator retuli, & referens non cessabo, petens hanc usque in finem immobilem conservari, ad benignissimae misericordiae suae gloriam, & salutem nostram. Vosque Deo honorabiles, & omnes qui vobiscum sunt sanctos, ac per vos totam sanctam, quae illic est, Dei catholicam & apostolicam saluto Ecclesiam: postulans mei peccatoris scilicet & vincti memoriam fieri in sanctis ad Deum directis orationibus C vestris, in sanctis atque colendis locis: ac pretiosis mihique desiderandis syllabis vestris fulciendo, ac me minimum consolando, atque orando, ut dignus efficiar visione vultus vestri, quamvis sit temerarium dictu, priusquam & ipse hanc miseram & multarum tribulationum vitam excedam.

SCHOLION.

Obiit autem & ipse sanctus pater noster & martyr Anastasius, qui hanc scripsit epistolam, die Dominico, hora tertia, quinto Idus Octobrias, D cum in sancta Collecta diceret, Sancta sanctis, indictione decima.

1. De divinis nominibus.

PROLOGUS

SUBJACENTIUM

SACRORUM TESTIMONIORUM.

Testimonia sacra, & divinitus inspirata, per quae liquidius discimus, duas per unitionem inconfusam & indivisam sicut naturas, ita etiam & duas voluntates, ac duas operationes, aptas & congruentes naturis, id est divinam & humanam, non inceptam & inceptam, ut Dei simul & hominis unius & ejusdem Domini nostri Jesu Christi, corde credere ad justitiam, ore confiteri ad salutem. Non autem, sicut nothi, qui nothas nunc Ecclesias docentes & perturbantes, unam & nec unam, nec duas, & iterum unam & duas voluntates & operationes in eodem dogmatizant. Hoc enim super instabilitatem & absurditatem sensus eorum, qui hujusmodi dogmata exponunt, impium omnino & alienum immaculatae fidei nostrae Christianorum consistit. Eos enim, qui unam voluntatem & operationem, vel etiam naturam unam E deitatis & humanitatis ejus dogmatizant, inclyti institutores nostri & praeceptores repellunt & detestantur. Haereticorum quippe est hujuscemodi dogma, qui in confusione, & phantasia, & divisione oberrant. Ergo & hi, qui nunc unam tantum duarum voluntatem & operationem dogmatizant, nonne cum illis, & secundum illos, supersubstantialis Theologiae, ac in carne factae dispensationis subvertunt & diffitentur mysterium? quaternitatem quidem personarum Trinitatem astruentes, ipsum vero unum ejusdem, id est Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum, juxta quod secundum nos factus est homo, inanimalem simul & irrationalem, atque sine intellectu subscribentes, & conjecturam, & phantasiam, confusionemque ac divisionem utriusque naturae ipsius introducentes. Hi vero, qui nec voluntatem aut operationem in eo



confiteri volunt, ineffentialem & inexfiftentialem secundum utramque naturam ejus denunciant; & jam dictis hæreticis magis impios ipfi feipfos effe per propria dogmata monftrant. Porro, hi qui unam & duas voluntates & operationes in incarnata ejus difpenfatione fupra novam fabulam & figmentum hujufmodi dogmatis dogmatizant, non folum orthodoxæ ac paternæ confeffioni hæreticam A opinionem, veluti aquam vino, fecundum illud quod dicitur, mifcentes, fimul prædicare volunt: fed & tres voluntates, & tres operationes, totidem ex neceffitate etiam naturas, id eft effentias habentem eum inducunt, cum nec naturam effe fine operatione, nec rurfus operationem fine natura poffibile fit. Habent enim fe prædicta teftimonia quemadmodum fubinfertur.

ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΙΠΠΟΛΥΤΟΥ

ἐπισκόπου Πόρτου, ἤγουν τοῦ λιμένος Ῥώμης, καὶ μάρτυρος τῆς ἀληθείας, ἐκ τοῦ κατὰ Βήρωνος καὶ Ἥλικος [1] τῶν αἱρετικῶν, περὶ θεολογίας καὶ σαρκώσεως κατὰ στοιχεῖον λόγου, οὗ ἡ ἀρχὴ, ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος, κύριος σαβαὼθ ἀσιγήτῳ φωνῇ βοῶντα τὰ Σεραφὶμ τὸν Θεὸν δοξάζουσι. B

α.

Ἀπειροδυνάμῳ γὰρ θελήσει τοῦ Θεοῦ καὶ γέγονε πάντα, καὶ σώζεται τὰ γενόμενα, κατὰ τοὺς ἑαυτῶν ἐκείνως ἕκαστα συντηρούμενα λόγους, αὐτῷ τῷ κατὰ φύσιν ἀπειροδυνάμῳ Θεῷ, καὶ ποιητῇ τῶν ὅλων· τῆς θείας αὐτοῦ θελήσεως, ἣ τὰ πάντα πεποίηκέ τε καὶ κινεῖ, τοῖς ἑαυτῶν ἕκαστα φυσικοῖς διεξαγόμενα νόμοις, ἀκινήτου συνδιαμενούσης. τὸ γὰρ ἄπειρον κατ᾽ οὐδένα τρόπον, ἢ λόγον, ἐπιδέχεται κίνησιν, οὐκ ἔχον ὅποι, καὶ περὶ ὃ κινηθήσεται. τροπὴ C γὰρ τοῦ κατὰ φύσιν ἀπείρου, κινεῖσθαι μὴ πεφυκότος, ἡ κίνησις. διὸ καὶ καθ᾽ ἡμᾶς ἀληθῶς γενόμενος ἄνθρωπος χωρὶς ἁμαρτίας ὁ τοῦ Θεοῦ λόγος, ἐνεργήσας τε καὶ παθὼν ἀνθρωπίνως ὅσα τῆς φύσεώς ἐστιν ἀναμάρτητα, καὶ φυσικῆς σαρκὸς περιγραφῆς ἀνασχόμενος δι᾽ ἡμᾶς, τροπὴν οὐχ ὑπέμεινεν, μηδ᾽ ἑνὶ παντελῶς ὃς ταὐτόν ἐστι τῷ πατρὶ, γενόμενος ταὐτὸν τῇ σαρκὶ διὰ τὴν ἕνωσιν [2]. ἀλλ᾽ ὥσπερ ἦν δίχα σαρκὸς, πάσης ἔξω περιγραφῆς μεμένηκε· καὶ διὰ σαρκὸς θεϊκῶς ἐνεργήσας ἅπερ θεότητός ἐστιν. ἀμφότερα δεικνὺς ἑαυτὸν, δι᾽ ὧν ἀμφοτέρως, θεϊκῶς δή φημι καὶ ἀνθρωπίνως, D ἐνήργησε, κατ᾽ αὐτὴν τὴν ὄντως ἀληθῆ καὶ φυσικὴν ὕπαρξιν· Θεὸν ἄπειρον ὁμοῦ καὶ περίγραπτον ἄνθρωπον ὄντα τε καὶ νοούμενον, τὴν οὐσίαν ἑκατέρου τελείως τελείαν ἔχοντα, μετὰ τῆς αὐτῆς ἐνεργείας, ἤγουν φυσικῆς ἰδιότητος· ἐξ ὧν μένουσαν ἀεὶ κατὰ φύσιν δίχα τροπῆς τὴν αὐτῶν ἴσμεν διαφοράν. ἀλλ᾽ οὐχ ὥς τινές φασι, κατὰ σύγκρισιν, ἵνα μὴ τὸν αὐτὸν ἑαυτῷ κατὰ τὸ αὐτὸ, παρ᾽ ὃ δεῖ, μείζονα καὶ μείονα λέγωμεν. ὁμοφυῶν γὰρ, οὐχ ἑτεροφυῶν αἱ συγκρίσεις. Θεῷ δὲ ποιητῇ τῶν ὅλων ποιητὸν, ἀπείρῳ περατὸν, καὶ ἀπειρίᾳ πέρας, κατ᾽ οὐδένα συγκρίνεται λόγον, ἀεὶ κατὰ πάντα φυσικῶς, ἀλλ᾽ οὐ συγκριτικῶς ἀλλήλων διαφέροντα, E κἂν ἄρρητός τις καὶ ἄρρηκτος εἰς μίαν ὑπόστασιν ἀμφοτέρων γέγονεν ἕνωσις, πᾶσαν παντὸς γεννητοῦ παντελῶς διαφεύγουσα γνῶσιν. τὸ γὰρ θεῖον, ὡς ἦν πρὸ σαρκώσεως, ἔστι καὶ μετὰ σάρκωσιν, κατὰ φύσιν ἄπειρον, ἄσχετον, ἀπαθὲς, ἀσύγκριτον, ἀναλλοίωτον, ἄτρεπτον, αὐτοσθενὲς, καὶ τὸ πᾶν εἰπεῖν, ὑφεστὼς οὐσιῶδες, μόνον ἀπειροσθενὲς ἀγαθόν.

SANCTI HIPPOLYTI

Epifcopi Portus Romani & Martyris veritatis, ex fermone qui eft per elementum de Theologia & Incarnatione contra Beronem & Heliconem hæreticos, cujus initium eft, Ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος, Dominus Sabaoth inceffanti voce clamantes Seraphim Deum glorificant.

I.

Immenfæ quippe virtutis voluntate Dei facta funt omnia, & falvantur quæ facta funt, fecundum fuas ipforum opportune fingula confervata rationes, ei qui eft fecundum naturam immenfæ virtutis Deus & factor univerforum, divina voluntate, quæ omnia fecit, ac movet, fuis unaquæque naturalibus producta legibus, immobili permanente. Quod enim immenfum eft, nulla ratione vel modo recipit motum, non habens quo, & circa quod moveatur. Vertibilitas enim ejus, qui eft inexpers motionis, motus eft. Propter quod fecundum nos veraciter factum homo abfque peccato Dei Verbum, operatumque ac patiens humanitus quæcumque naturæ funt fine peccato, & naturalis carnis circumfcriptionem propter nos fuftinens, * nullam omnino propter exinanitionem viciffitudinem pertulit. Cui idipfum eft patri factum, id ipfum carni. Sed ficut erat fine carne, omni etiam excepta circumfcriptione permanfit, & per carnem deifice operans quæ Deitatis funt, utraque oftendens fe per quæ dupliciter, divine fcilicet & humane, operatum eft fecundum eamdem, quæ veraciter vera eft, & naturalis fubftantia; Deum immenfum fimul & circumfcriptum hominem exfiftentem & intellectum, utriufque perfecte perfectionem habentem, cum eadem operatione, id eft naturali proprietate, ex quibus manentem femper fecundum naturam fine convertibilitate earum differentiam fcimus. Sed non ficut quidam ajunt, fecundum comparationem, ne eumdem fibi fecundum ipfum præter quod oportet majorem ac minorem dicamus. Connaturalium quippe, & non eorum quæ alterius funt naturæ, comparationes exfiftunt. Deo enim factori omnium factorum, infinitoque finitivum, & infinitati finis fecundum nullam comparatur rationem, cum femper & per omnia naturaliter ab invicem, fed non comparative differant. Quamquam ineffabilis quædam & indirumpibilis in unam fubfiftentiam utriufque facta fit unitas, omnem penitus omnis facti fcientiam fugiens. Divinitas enim, ut erat ante incarnationem, eft & poft incarnationem, fecundum naturam infinita, incomprehenfibilis, impaffibilis, incomparabilis, inconvertibilis, per fe potens, & ut totum dicamus, fubfiftens fubftantialis, fola infinitæ virtutis bonum.

1. Ἡλικίωνος in Nicephori ms. regio & in Colbertino.

2. In ms. Nicephori ἕνωσιν.

* Mutila ibi Anaftafii verfio eft. Ita vertendum videtur: *Nulla re omnino Verbum, quod idem eft cum Patre, factum eft idem cum carne propter unionem.* Sirm.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 666.

A

Τοῦ αὐτοῦ, ἐκ τοῦ αὐτοῦ λόγου. β΄.

Γέγονεν οὖν ἀληθῶς, κατὰ τὰς γραφὰς, μὴ τραπεὶς ὁ τῶν ὅλων Θεὸς, ἄνθρωπος ἀναμάρτητος, ὡς οἶδεν αὐτὸς μόνος ὑπάρχων τεχνίτης φυσικὸς τῶν ὑπὲρ ἔννοιαν. κατ' αὐτὴν ἅμα τὴν σωτήριον σάρκωσιν, τῆς ἰδίας θεότητος ἐμποιήσας τῇ σαρκὶ τὴν ἐνέργειαν, οὐ περιγραφομένην αὐτῇ διὰ τὴν κένωσιν· οὐδ' ὥσπερ τῆς αὐτοῦ θεότητος, οὕτω καὶ αὐτῆς φυσικῶς ἐκφυομένην, ἀλλ' ἐν οἷς ἂν σαρκωθεὶς θεϊκῶς ἐνήργησε δι' αὐτῆς ἐκφαινομένην. οὐ γὰρ γέγονε φύσει θεότης, μεταβληθεῖσα τὴν φύσιν, ἡ σὰρξ γενομένη τῇ φύσει θεότητος σάρξ· ἀλλ' ἅπερ ἦν, καὶ θεότητι συμφυεῖσα μεμένηκε τὴν φύσιν καὶ τὴν ἐνέργειαν· καθὼς εἶπεν ὁ σωτήρ· τὸ μὲν πνεῦμα πρόθυμον, ἡ δὲ σὰρξ ἀσθενής. καθ' ἣν ἐνεργήσας τε καὶ παθὼν ἅπερ ἦν ἀναμαρτήτου σαρκὸς, τὴν ὑπὲρ ἡμῶν ἐπιστώσατο κένωσιν θεότητος, θαύμασι καὶ σαρκὸς παθήμασι φυσικῶς βεβαιουμένην. διὰ γὰρ τοῦτο γέγονεν ἄνθρωπος ὁ τῶν ὅλων Θεὸς, ἵνα σαρκὶ παθητῇ πάσχων, ἅπαν ἡμῶν τὸ τῷ θανάτῳ πραθὲν λυτρώσηται γένος· ἀπαθεῖ δὲ θεότητι διὰ σαρκὸς θαυματουργῶν, πρὸς τὴν ἀκήρατον αὐτοῦ καὶ μακαρίαν ἐπαναγάγῃ ζωήν· καὶ τὰ κατ' οὐρανοὺς ἅγια τάγματα τῶν νοερῶν οὐσιῶν στομώσῃ πρὸς ἀτρεψίαν τῷ μυστηρίῳ τῆς αὐτοῦ σωματώσεως, ἧς ἔργον ἡ τῶν ὅλων ἐστὶν εἰς αὐτὸν ἀνακεφαλαίωσις. μεμένηκεν οὖν καὶ σαρκωθεὶς κατὰ τὴν φύσιν Θεὸς ὑπεράπειρος, τὴν ἑαυτῷ συγγενῆ καὶ κατάλληλον ἔχων ἐνέργειαν, τῆς μὲν θεότητος οὐσιωδῶς ἐκφυομένην, διὰ δὲ τῆς αὐτοῦ πανα[γ]ίας σαρκὸς ἐν τοῖς θαύμασιν οἰκονομικῶς ἐκφαινομένην· ἵνα πιστωθῇ Θεὸς εἶναι, δι' ἀσθενοῦς φύσει σαρκὸς αὐτουργῶν τὴν τοῦ παντὸς σωτηρίαν.

Ejusdem, ex eodem sermone. II.

Factus ergo veraciter secundum scripturas, non conversus, universorum Deus, homo sine peccato, ut novit ipse solus, cum sit artifex naturalis eorum quæ sunt supra sensum; in ipsa simul salutari incarnatione deitatis suæ coaptans carni operationem, non circumscriptam ea propter evacuationem, nec sicut ex deitate sua, ita & ex ipsa naturaliter cognitam [1], sed in quibuscumque incarnatus deifice operatus est per ipsam declaratam. Non enim caro facta est per naturam deitas translata natura, facta videlicet secundum naturam deitatis caro, sed B quod erat, etiam deitati coaptata mansit, id est caro infirma, & passibilis natura & operatione, quemadmodum Salvator ait: [a] *Spiritus quidem promtus, caro autem infirma*. In qua operatus & passus quæ erant carnis absque peccato, exinanitionem pro nobis indicavit [2] divinitatis, miraculis, & carnis passionibus naturaliter roboratam. Propter hoc enim factus est homo universorum Deus, ut carne quidem passibili patiens, totum nostrum morti venditum redimeret genus: impassibili vero deitate per carnem mirabiliter operans, ad immortalem illud & beatam reduceret vitam, de qua ceciderat diabolo parens. Atque sanctos intellectualium substantiarum cæli ordines ad inconvertibilitatem myste- C rio suæ stabiliret incorporationis: cujus opus omnium est in eum recapitulatio. Mansit ergo etiam incarnatus secundum naturam Deus superimmensus, sibi cognatam & convenientem habens operationem, ex Deitate quidem substantialiter natam, per sanctissimam vero carnem in miraculis dispensatorie declaratam: ut credatur Deus esse, per infirmam natura carnem per se operans universitatis salutem.

Τοῦ αὐτοῦ, ἐκ τοῦ αὐτοῦ λόγου. γ΄.

Κἀμοὶ γὰρ, ἵνα τρανώσω παραδείγματι τὸ περὶ σωτῆρος λεχθέν· ὁ φυσικός μου λόγος συγγενής ἐστι καὶ κατάλληλος ὄντι λογικῷ τε καὶ νοερῷ τὴν ψυχήν. ἧς κατὰ φύσιν ἐστὶν αὐτοκίνητος ἐνέργειά τε καὶ πρώτη δύναμις, ἀεικίνητος, ὁ λόγος φυσικῶς αὐτῆς πηγαζόμενος· ὃν ῥηματίσας τε καὶ γραμμαῖς ἐγχαράξας, γλώσσῃ μὲν ὀργανικῶς, ὅτε χρὴ προφέρω, καὶ γράμμασι τεχνικῶς διὰ τῶν ἀνομοίων μὴ τραπέντα δεικνὺς αὐτὸν ἐξακουόμενον· οὐ γὰρ γλώσσης καὶ γραμμάτων ὁ φυσικός μου λόγος ἐστί· κἂν δι' αὐτῶν αὐτοῦ ποιοῦμαι τὴν προφοράν· ἀλλ' ἐμοῦ, τοῦ κατὰ φύσιν λαλοῦντος, καὶ δι' ἀμφοῖν αὐτὸν ὡς ἐμὸν ἐκφωνοῦντος· τῆς μὲν νοερᾶς μου ψυχῆς φυσικῶς ἀεὶ πηγαζόμενον, διὰ δὲ τῆς σωματικῆς μου γλώσσης ὀργανικῶς, ὡς ἔφην, ὅτε χρὴ προφερόμενον. ὥσπερ οὖν ἐφ' ἡμῶν, ὅσον εἰκάσαι τὸ παντελῶς ἀνείκαστον, διὰ τῆς σωματικῆς ἡμῶν γλώσσης ἀτρέπτως ἡ κατὰ φύσιν τῆς ψυχῆς λογικὴ προφέρεται δύναμις, οὕτω καὶ ἐπὶ τῆς ὑπερφυοῦς τοῦ Θεοῦ σωματώσεως. διὰ τῆς αὐτοῦ παναγίας σαρκὸς, ἐν οἷς ἂν θεϊκῶς ἐνήργησε, δίχα τροπῆς ἡ παντοκρατορικὴ, καὶ τῶν ὅλων ποιητικὴ τῆς ὅλης θεότητος ἐνέργεια διαδείκνυται, πάσης ἐκτὸς κατὰ φύσιν περιγραφῆς διαμένουσα, κἂν διὰ σαρκὸς διέλαμψε φύσει πεπερασμένης. οὐ γὰρ πέφυκε περιγράφεσθαι γενητῇ φύσει τὸ κατὰ φύσιν ἀγέννητον, κἂν συνέφυ αὐτῷ κατὰ σύλληψιν


Ejusdem, ex eodem sermone. III.

Etenim & mihi, ut paradigmate quod de Salvatore dictum est exprimam; naturalis sermo meus cognatus est & competens, cum sim rationalis & D intellectualis anima, cujus secundum naturam est a se mobilis operatio ac prima virtus, semper mobilis sermo naturaliter ex ea profluens: quem verbis prolatum, & lineis exaratum, lingua quidem organice cum oportet produco, & literis artificiose per indissimilia non exsistentem, & dissimilibus non fugientem ostendens eum subauditum. Non enim linguæ ac literarum naturalis sermo meus est, licet per eas ipsius faciamus pronunciationem: sed meus, qui secundum naturam loquor, & per utrasque illum ut meum pronuncio. Ab intellectuali quidem anima mea semper naturaliter dirivatum: per corporalem vero linguam meam organice, ut dixi, cum oportet productum. Sicut ergo in no- E bis, quantum æstimare possumus quod modis omnibus est inæstimabile, per corporalem linguam nostram inconvertibiliter, quæ secundum naturam est animæ rationabilis producitur virtus: ita & in gloriosa Dei incarnatione, per sanctissimam carnem suam in quibuscumque divine operaretur, sine convertibilitate omnipotentiva & cunctorum factiva totius deitatis operatio monstrabatur, absque omni secundum naturam circumscriptione permanens, licet per carnem fulgeret natura circumfinitam. Non enim circumscribitur factitia natura quod secundum naturam factum non est, licet cooriatur ei per conceptionem omnem sensum circumscribentem: nec

[a] Matth. XXVI. 41.

1. Cognatam.

2. Probavit, persuasit.



πάντα περιγράφουσαν νοῦν· ὅτε μίαν εἰς ταὐτὸν αὐτῷ φέρεσθαι φύσεώς ποτε καὶ φυσικῆς ἐνεργείας, ἕως ἂν ἑκάτερον τῆς ἰδίας ἐντὸς μένει φυσικῆς ἀτρεψίας. ὁμοφυῶν γὰρ μόνων ἡ ταὐτουργός ἐςι κίνησις, σημαίνουσα τὴν ἐσίαν, ἧς φυσικὴ καθέστηκε δύναμις, ἑτεροφυοῦς οὐσίας εἶναι κατὰ ὁδένα λόγον, ἢ γενέσθαι δίχα τροπῆς δυναμένης.

A etiam in eodem ipso sibi natura differtur aliquando & naturalis operatio, donec utrumque intra propriam manet naturalem inconvertibilitatem. Connaturalium enim tantum per se operans est motus, manifestans substantiam, cujus naturalem constat esse virtutem: diversæ naturæ proprietatis substantia nulla ratione esse vel fieri sine convertibilitate valente.

Τῦ αὐτῦ, ἐκ τῦ αὐτῦ λόγυ. δ'.

Τὸ γὰρ μυστήριον τῆς θείας σαρκώσεως, ἀποστόλοις τε, καὶ προφήταις, καὶ διδασκάλοις διττὴν, καὶ διάφορον ἔχον διέγνωσται τὴν ἐν πᾶσι φυσικὴν θεωρίαν· ἀνελλιποῦς ὑπάρχον θεότητος, καὶ πλήρους ἐνδεικτικὸν ἀνθρωπότητος ὄν. ἕως ἂν οὐχ εἷς κατὰ τὴν οὐσίαν γνωρίζεται λόγος μιᾶς ἐνεργείας, οὐδέποτε καθ' ὁτιοῦν ἀμφοτέρων γνωσθήσεται κίνησις. ὁ γὰρ ἀεὶ κατὰ φύσιν ὑπάρχων Θεὸς, ὑπεραπείρῳ δυνάμει γενόμενος ὡς ἠθέλησεν ἄνθρωπος ἀναμάρτητος, ὅπερ ἦ, ἔςι, μεθ' ὅσων νοεῖται Θεός· καὶ ὅπερ γέγονεν, ἔςι, μεθ' ὅσων νοεῖται καὶ γνωρίζεσθαι πέφυκεν ἄνθρωπος. ἑαυτῦ καθ' ἑκάτερον ἀεὶ μένων ἀνέκπτωτος, οἷς θεϊκῶς ὁμῦ καὶ ἀνθρωπίνως ἐνήργησε, τέλειον κατὰ τὸν ἑκατέρυ λόγον σώζων ἑαυτῦ φυσικῶς ἀναλλοίωτον.

Ejusdem, ex eodem sermone. IV.

Mysterium namque divinæ incarnationis Apostolis & Prophetis atque Doctoribus duplam ac diversam in omnibus habere naturalem theoriam di-
B noscitur, cum sit perfectæ deitatis & plenæ demonstrativum humanitatis. Quarum donec unum secundum substantiam non cognitum fuerit Verbum unius operationis, cum utriusque sit, numquam aliquando cognoscetur motus. Cum enim semper secundum naturam exsistat Deus, superinfinita virtute factus, sicut voluit, homo sine peccato, quod erat est, cum quantis cognoscitur Deus: & quod factus est, est cum quantis esse cognoscitur homo: secundum utrumque suum semper permanens sine casu, quibus divine pariter & humane operatus est, perfectionem per omnem utriusque rationem sibi naturaliter incommutabilem salvans.

Τῦ αὐτῦ, ἐκ τῦ αὐτῦ λόγυ: ε'.

Βήρων γάρ τις ἔναγχος, μεθ' ἑτέρων τινῶν, τὴν Βαλεντίνυ φαντασίαν ἀφέντες, χείρονι κακῷ κατεπάρησαν, λέγοντες· τὴν μὲν προσληφθεῖσαν τῷ Λόγῳ σάρκα γενέσθαι ταὐτουργὸν τῇ θεότητι, διὰ τὴν πρόσληψιν, τὴν θεότητα δὲ γενέσθαι ταὐτοπαθῆ τῇ σαρκὶ διὰ κένωσιν· τροπὴν ὁμοῦ, καὶ φύσιν, καὶ σύγχυσιν, καὶ τὴν εἰς ἀλλήλας ἀμφοτέρων μεταβολὴν δογματίζοντες. εἰ γὰρ προσληφθεῖσα ἡ σὰρξ γέγονε ταὐτυργὸς τῇ θεότητι, δηλονότι καὶ φύσει Θεὸς, μεθ' ὅσων φυσικῶς νοεῖται Θεός. καὶ εἰ γέγονε κενωθεῖσα τῇ σαρκὶ ταὐτοπαθὴς ἡ θεότης, δηλονότι καὶ φύσει σὰρξ, μεθ' ὅσων φυσικῶς γνωρίζεσθαι πέφυκε σάρξ. τὰ γὰρ ἀλλήλοις ὁμοεργῆ, καὶ ταὐτυργὰ, καὶ ὁμόφυλα πάντως, καὶ ταὐτοπαθῆ, διαφορὰν ὐκ ἐπιδέχεται φύσεως. καὶ φύσεων αὐτοῖς συγκεχυμένων, ἔςαι δυὰς ὁ Χριςὸς, καὶ προσώπων μεμεριςμένων τετρὰς, τὸ φρικτότατον. καὶ πῶς αὐτοῖς εἷς καὶ ὁ αὐτὸς, Θεὸς ὁμῦ φύσει καὶ ἄνθρωπος, ὁ Χριςός; ποίαν δὲ κατ' αὐτοὺς ἕξει τὴν ὕπαρξιν, μεταβολῇ θεότητος γενόμενος ἄνθρωπος, καὶ σαρκὸς μεταποιήσει Θεός; ἡ γὰρ εἰς ἀλλήλας τύτων μετάπτωσις, παντελής ἐςιν ἀμφοτέρων ἀναίρεσις. σκοπείσθω δὴ πάλιν ἡμῖν ἑτέρως ὁ λόγος.

C *Ejusdem, ex eodem sermone. V.*

Bero enim quidam nuper, & alii quidam, Valentini phantasia deserta, deteriori irretiti sunt pravitate, dicentes assumtam a Verbo carnem fuisse eadem, quæ divinitas operata est, operatam. Divinitatem vero compassibilem carni propter exinanitionem: convertibilitatem simul & commixtionem, seu confusionem, atque utriusque in invicem mutationem dogmatizantes. Si enim assumta caro facta est cooperatrix divinitati, liquet, quod & natura Deus: cum quotquot est, intelligatur Deus. Et si facta est exinanita compassibilis carni divinitas, liquet quod & natura caro: cum quot-
D quot est naturaliter, esse intelligatur caro. Ea quippe quæ mutuo sunt cooperantia, & eadem operantia, & ejusdem originis, profecto & compassibilia, naturæ non suscipientia differentiam. Et naturis sibi confusis, erit dualitas Christus; & personis separatis, fiet quaternitas: quod est nimium fugiendum. Et quomodo illis unus & idem ipse erit Deus natura simul & homo Christus? Quam etiam secundum ipsos habebit essentiam mutatione divinitatis factus homo, & carnis translatione Deus? Casus enim in alterutras, omnimoda est utrarumque peremptio. Inspiciatur itaque a nobis aliter sermo.

Τῦ αὐτῦ, ἐκ τῦ αὐτῦ λόγυ. ς'.

Εὐσεβὲς κεκύρωται δόγμα χριςιανοῖς, κατ' αὐτήν τε φύσιν, καὶ τὴν ἐνέργειαν, καὶ πᾶν ἕτερον αὐτῷ προσφυὲς, ἴσον ἑαυτῷ καὶ ταὐτὸν εἶναι τὸν Θεὸν, μηδὲν ἑαυτῷ τῶν ἑαυτῦ παντελῶς ἄνισον ἔχοντα, καὶ ἀκατάλληλον. εἰ τοίνυν κατὰ Βήρωνα, τῆς αὐτῆς αὐτῷ προσληφθεῖσα φυσικῆς ἐνεργείας γέγονεν ἡ σὰρξ, δηλονότι καὶ τῆς αὐτῆς αὐτῷ γέγονε φύσεως, μεθ' ὅσων ἡ φύσις, ἀναρχίας, ἀγεννησίας, ἀπειρίας, ἀϊδιότητος, ἀκαταληψίας, καὶ τῶν ὅσα τύτων καθ' ὑπεροχὴν ὁ θεολογικὸς ὑπερφυῶς ἱςορεῖ τῇ θεότητι λόγος· καὶ τροπὴν ἀμφότερα πέπονθεν, μηδετέρυ τὸν τῆς ἰδίας φύσεως

E *Ejusdem, ex eodem sermone. VI.*

Pium Christianis constitutum est dogma credentibus, secundum eamdem naturam ac operationem & omne aliud sibi conveniens, æqualem sibi & eumdem ipsum esse Deum, nihil omnino eorum quæ sua sunt inæquale habentem & inconveniens. Si igitur secundum Beronem assumta sibi caro ejusdem operationis effecta est, haud dubium quin & ejusdem facta est sibi naturæ, cum quotquot est natura, id est, inprincipalitate, infactione, infinitate, sempiternitate, incomprehensibilitate, & quæcumque horum secundum magnitudinem theologica amplissime in deitate ratio contemplatur: & vicissitudinem utraque passa sunt neutro naturæ suæ sub-

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 666.



οὐσιώδη λόγον ἔτι σωζόμενον ἔχοντος. ὁ γὰρ ἑτεροφυῶν εἰδὼς ταὐτουργίαν, σύγχυσιν ὁμοῦ φυσικὴν, καὶ διαίρεσιν αὐτῶν εἰσηγεῖται προσωπικήν· ἀδιαγνώστου παντελῶς, τῇ τῶν ἰδιωμάτων μεταβολῇ, τῆς φυσικῆς αὐτῶν γενομένης ὑπάρξεως.

stantialem rationem ultra salvandam habente. Qui enim eorum quæ alterius sunt naturæ sentit eamdem operationem, confusionem simul naturalem, & divisionem eorum personalem introducit: incognita prorsus, idiomatum commutatione, naturali eorum facta exsistentia.

Τοῦ αὐτοῦ, ἐκ τοῦ αὐτοῦ λόγου. ζʹ.

Εἰ δὲ τῆς αὐτῆς αὐτῷ μὴ γέγονε φύσεως, οὐδὲ τῆς αὐτῆς αὐτῷ ποτε γενήσεται φυσικῆς ἐνεργείας, ἵνα μὴ δειχθῇ τῇ φύσει τὴν ἐνέργειαν ἄνισον ἔχων, καὶ ἀκατάλληλον, καὶ τῆς αὐτοῦ δι' ὅλων τῶν ἑαυτοῦ φυσικῆς ἔξω γεγονὼς ἰσότητος, καὶ ταυτότητος· ὅπερ ἀσεβές.

Ejusdem, ex eodem sermone. VII.

Si vero ejusdem sibi non fuit naturæ, nec ejusdem sibi aliquando fiet naturalis operationis, ne appareat secundum naturam operationem inæqualem habere & inconvenientem, & suæ ipsius per omnia eorum quæ sua sunt naturalis extraneus factus æqualitatis & identitatis, quod est penitus impium.

Τοῦ αὐτοῦ, ἐκ τοῦ αὐτοῦ λόγου. ηʹ.

Εἰς ταύτην δὲ τὴν πλάνην κατήχθησαν, κακῶς πεισθέντες ἰδίαν γενέσθαι τῆς σαρκὸς τὴν δι' αὐτῆς ἐκφανθεῖσαν ἐν τοῖς θαύμασι θείαν ἐνέργειαν· ᾗ τὸ πᾶν ὁ Χριστὸς οὐσιώσας καθ' ὃ νοεῖται Θεὸς συνέχει κρατούμενον. οὐ γὰρ ἔγνωσαν, ἀδιώκτον εἶναι θείας ἐνέργειαν φύσεως ἑτεροφανοῦς οὐσίας ἰδίωμα γενέσθαι δίχα τροπῆς· οὐδὲ συνῆκαν, ὡς οὐ πάντως ἴδιόν ἐστι σαρκὸς, τὸ δι' αὐτῆς μὲν ἐκφαινόμενον, οὐκ αὐτῆς δὲ φυσικῶς ἐκφυόμενον, καίτοι σαφοῦς αὐτοῖς οὔσης, καὶ προφανοῦς τῆς ἀποδείξεως· ἐγὼ γὰρ γλώσσῃ λαλῶν, καὶ χειρὶ γράφων, μίαν καὶ τὴν αὐτὴν δι' ἀμφοῖν τῆς νοερᾶς μου ψυχῆς ἐκφαίνω διάνοιαν, ἐνέργειαν αὐτῆς ὑπάρχουσαν φυσικήν. μηδενὶ λόγῳ δείξας αὐτὴν γλώσσης, ἢ χειρὸς φυσικῶς ἐκφυομένην· μήτε μὴν γενομένην αὐτῶν, ἢ λεγομένην διάνοιαν, διὰ τὴν δι' ἀμφοῖν αὐτῆς ἔκφανσιν. γλῶσσαν γὰρ, ἢ χεῖρα διανοητικὴν συνετὸς οἶδεν οὐδείς· ὥσπερ οὐδὲ τὴν παναγίαν τοῦ Θεοῦ σάρκα, διὰ τὸ προσληφθῆναι, καὶ τὸ δι' αὐτῆς ἐκφανθῆναι τὴν θείαν ἐνέργειαν, γενομένην κατ' αὐτὸν φύσει δημιουργόν. ἀλλ' εὐσεβῶς ὁμολογεῖ πιστεύων, ὅτι διὰ τὴν ἡμῶν σωτηρίαν, καὶ τὸ δῆσαι πρὸς ἀτρεψίαν τὸ πᾶν, ὁ τῶν ὅλων δημιουργὸς ἐκ τῆς παναγίας ἀειπαρθένου Μαρίας, κατὰ σύλληψιν ἄχραντον, δίχα τροπῆς ἐνουσιώσας ἑαυτῷ ψυχὴν νοερὰν μετὰ αἰσθητικοῦ σώματος, γέγονεν ἄνθρωπος φύσει, κακίας ἀλλότριος, ὁ λόγος Θεὸς ὁ αὐτός· θεότητι μὲν τὰ θεῖα διὰ τῆς αὐτοῦ παναγίας σαρκὸς, οὐκ ὄντα φύσει τῆς σαρκὸς, ἐνεργῶν· ἀνθρωπότητι δὲ τὰ ἀνθρώπινα, οὐκ ὄντα φύσει θεότητος, ἀνοχῇ πάσχων θεότητος· μηδὲν θεῖον γυμνὸν σώματος ἐνεργήσας· μηδὲ ἀνθρώπινον ὁ αὐτὸς ἄμοιρον δράσας θεότητος. τηρῶν ἑαυτῷ καθ' ὃν ἐνήργησεν ἀμφότερα καινοπρεπῆ τρόπον, τὸ κατ' ἄμφω φυσικῶς ἀναλλοίωτον, εἰς πίστωσιν τῆς ἑαυτοῦ τελείας ἐνανθρωπήσεως, τῆς ὄντως ἀληθοῦς, καὶ μηδὲν ἐχούσης φαυλότητος. ὁ μὲν οὖν Βήρων, οὕτως ἔχων ὡς ἔφην, ἐνεργείας μονάδι τὴν θεότητα τοῦ Χριστοῦ καὶ τὴν ἀνθρωπότητα συγχέας, ὁμοῦ φυσικῶς καὶ προσωπικῶς μερίζων, καταλύει τὸν βίον· ἀγνοήσας μόνης τῆς τῶν ὁμοφυῶν προσώπων ὁμοφυοῦς ταυτότητος τὴν ταὐτουργίαν εἶναι δηλωτικήν.

Ejusdem, ex eodem sermone. VIII.

In hunc autem errorem illati sunt male credentes propriam carnis effectam divinam operationem, quæ per ipsam in miraculis manifestata est, qua totum Christus substantians secundum quod intelligitur Deus, tenet retentum. Non enim cognoverunt, impossibile esse divinæ operationem naturæ, alterius naturæ substantiæ idioma fieri absque convertibilitate: neque intellexerunt, quod non utique proprium sit carnis, quod per eam quidem ostensum est, non ex ea naturaliter ortum, præsertim cum claræ sit eis & manifestæ probationis. Ego enim lingua loquens & manu scribens, unam & eamdem per utramque intellectualis animæ meæ profero cogitationem: operationem ejus exsistentem naturalem nulla ratione ostendens eam lingua vel manu naturaliter ortam, sed nec effectam earum vel dictam cogitationem propter ejus ex utraque manifestationem. Linguam enim vel manum cogitativam sapienter novit nemo: sicut nec sanctissimam Dei carnem, pro eo quod assumta sit, & per eam divina sit operatio clara effecta, secundam naturam conditricem. Sed pie confitetur credens, quia propter salutem nostram, & ut ad inconversibilitatem ligaret universitatem, universorum conditor ex sanctissima semper Virgine Maria per conceptionem inviolabilem, sine conversibilitate substantians sibimet animam intellectualem cum sensivo corpore, natura factus est homo malitiæ alienus: totus Deus ipse, totus homo idem ipse, totus Deus pariter natura, & homo idem ipse: deitate quidem, divina per suam ipsius sanctissimam carnem, non exsistentia natura carnis, operans, humanitate vero, humana, non exsistentia natura deitatis [1]. Nil divinum nudum corpore operatur, nil humanum idem ipse privatum divinitate gerens: servans sibimet modum secundum utrumque immutabilem, per quem operatus est utraque decenti more, ad approbationem perfectæ ac veræ, nihilque habentis pravitatis inhumanationis suæ. Itaque Bero quidem sic se habens, ut dixi, operationis monade deitatem Christi & humanitatem naturaliter simul confundens, & partiens personaliter, dissolvit vitam. Ignorans solius connaturalium personarum connaturalis identitatis eamdem ipsam operationem esse significativam.

1. In græco additur *suspensione patiens divinitatis*.

SYLLOGISMI
DE SUPPOSITIS DIVINITUS
SAPIENTIBUS TESTIMONIIS,
ET ALIIS.
EJUSDEM S. ANASTASII.

Ecce nunc & sacratissimus hic & magnus Doctor, veritatisque testis fidelis, concorditer cum aliis omnibus sanctis catholicæ Dei ac apostolicæ institutoribus Ecclesiæ, duas secundum unitionem inconfusam & impartibilem quemadmodum naturas, ita etiam duas voluntates & duas operationes congruentes & convenientes naturis, divinam ut dictum est & humanam, increatam & creatam, non incœptam & cœptam, tamquam Dei simul & hominis unius ejusdem Domini nostri Jesu Christi, magna voce confitetur ac prædicat, & confiteri nobis sine prævaricatione jubet. Difficillimum autem esse, ac modis omnibus impossibile diffinit, ut unam voluntatem & operationem, aut naturam unam deitatis & humanitatis ejus confiteantur hi, qui pie vivere volunt. Propter quod & tale quid in eo dogmatizantes, tamquam impios & alienos immaculatæ nostræ Christianorum fidei abjicit & condemnat, nosque hoc facere protestatur.

De duabus enim Salvatoris nostri Christi naturis & operationibus, ut breviter pauca ex sacris illius eloquiis expediam, hæc evidenter affatur: *Utraque ostendens super quæ dupliciter, divine scilicet & humane, operatus est secundum eamdem, quæ veraciter vera est & naturalis substantia, Deum immensum simul & circumscriptum hominem exsistentem & intellectum, substantiam utriusque perfecte perfectam habentem cum operatione sua, id est naturali proprietate.* Et rursus: *Non enim facta est natura Deitas transmutata natura caro, facta natura divinitatis caro: sed quod erat etiam deitati coaptata mansit caro, infirma & passibilis natura & operatione, sicut ait Salvator;* [a] Spiritus quidem promtus, caro autem infirma. Et iterum: *Per quam operatus & patiens quæ erant carnis sine peccato, pro nobis indicavit exinanitionem deitatis miraculis & carnis passionibus naturaliter roboratam.* Et iterum: *Mysterium divinæ incarnationis Apostolis & Prophetis atque Doctoribus duplam & diversam habere dinoscitur naturalem in omnibus theoriam, indiminutæ deitatis exsistens, & plenæ demonstrativum humanitatis.* Et iterum: *Quibus divine pariter & humane operatus est, perfectionem, per omnem utriusque rationem, sibi naturaliter incommutabilem salvans.* Et iterum: *Nil divinum nudum corpore operatus, nil humanum idem ipse privatum dignitate gerens: servans sibimet modum secundum utrumque immotabilem, per quem operatus est utraque decenti more, ad approbationem perfectæ at veræ nihilque habentis pravitatis inhumanationis suæ.* De his vero qui unam deitatis & humanitatis ejus operationem, & naturam unam dogmatizant, dicit: *Non enim circumscribitur factitia natura id quod per naturam factum non est, licet cooriatur ei per conceptionem, omnem circumscribentem sensum: nec etiam in eodem ipso sibi natura differtur aliquando & naturalis operatio, donec utrumque intra propriam manet naturalem inconversibilitatem.* Et item: *Connaturalium quippe tantum est eadem ipsa operans motus, essentiam indicans, cujus naturalem constat esse virtutem, alterius naturæ proprietate substantiæ secundum nullam rationem esse vel fieri sine conversibilitate valente.* Item: *Ea quippe, quæ mutuo sunt cooperantia, & eadem operantia, & ejusdem originis, profecto & compassibilia naturæ non suscipientia differentiam, & naturis sibi confusis erit dualitas Christus, & personis separatis fiet quaternitas, quod est nimium fugiendum.* Et iterum: *Si igitur secundum Beronem assumta sibi caro ejusdem operationis effecta est, haud dubium quin & ejusdem facta est sibi naturæ, cum quotquot est natura, id est inprincipalitate, infactione, infinitate, sempiternitate, incomprehensibilitate, & quæcumque horum secundum magnitudinem theologica amplissime in deitate ratio contemplatur: & vicissitudinem utraque passa sunt, neutro naturæ suæ substantialem rationem ultra salvandam habente.* Et rursus: *Qui enim eorum quæ alterius sunt naturæ, eamdem ipsam sentit operationem, confusionem pariter naturalem, & divisionem eorum inducit personalem, incognita prorsus idiomatum translatione naturali eorum facta essentia.* Item: *Si vero ejusdem sibi non fuit naturæ, neque ejusdem sibi fiet naturalis operationis.* Et iterum: *In eumdem autem errorem illati sunt, male credentes propriam factam carnis divinam operationem, quæ in miraculis per ipsam apparuit, qua totum Christus substantians secundum quod intelligitur Deus continet retentum.* Et iterum: *Non enim cognoverunt impossibile esse divinæ operationem naturæ idioma fieri sine convertibilitate.* Et iterum: *Quarum donec unum secundum substantiam cognoscatur Verbum unius operationis, numquam aliquando eo quod utriusque fit cognoscetur motus.* Et iterum: *Itaque Bero quidem sic se habens, ut dixi, operationis unalitate deitatem Christi & humanitatem simul confundens naturaliter, & partiens personaliter, dissolvit vitam, ignorans solius connaturalium personarum connaturalis identitatis eamdem ipsam operationem esse significativam.*

His igitur ita & ab hoc quoque sacratissimo & magno Doctore ac martyre veritatis, (id ipsum autem est, si dicamus a sanctissimo, qui in eo loquitur, Spiritu) manifestius dictis, diligenter intendant qui volunt, & maxime qui communicant his, qui novitates nunc operati sunt: & sciant certissime, quia qui duas Salvatoris nostri Christi voluntates naturales, & operationes denegant & abjiciunt, & impiam ac alienam Christianici dogmatis tam sacram & orthodoxam confessionem appellant, unamque deitatis & humanitatis ejus voluntatem & operationem dogmatizant, eos qui taliter sibi consone non confitentur anathematizantes, liqui-

[a] Matth. xxvi. 4.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 666.

do, absque ullo tegente velamine sanctos Prophetas, & Apostolos, atque Doctores; vel etiam ut verius dicatur, sanctissimum Spiritum, qui illis locutus est, quinimmo & loquitur, anathematizant, & ab eo per illos traditam nobis sacram & orthodoxam confessionem abnegant & abjiciunt, atque impiam & alienam a Christiano dogmate esse asseverant, & æque ut prædictus hæreticus, quin potius ut omnes simul profani hæretici, qui in confusione & phantasia & divisione decepti sunt, solum supersubstantialis theologiæ ac incarnatæ dispensationis non abnegant & subvertunt mysterium, quaternitatem quidem personarum sanctam confitentes Trinitatem: at vero unum hujus, id est Dominum nostrum Jesum Christum, inanimatum, & sine intellectu ac sine ratione, secundum quod propter nos factus est homo, introducentes, & convertibilitatem simul & conspersionem ac mutabilitatem, confusionemque ac phantasiam & divisionem utriusque naturæ ipsius pronuntiantes, & puri per hoc hominis, vel prodigii cujusdam matrem sanctam semper virginem ac Dei genitricem matrem scribentes. Deinde vero hanc, quæ videlicet in eo ab illis dogmatizata est, unam voluntatem & unam operationem respuentes, & neque unam, neque duas, id est divinam & humanam voluntatem vel operationem in eo, vel quamdam ex omnibus confiteri volentes, non solum instabiles & tergiversatores, sed & hæreticis, qui in confusione ac phantasia & divisione erraverunt, magis impios ipsi seipsos propriis verbis & dogmatibus monstrant. Nam illi quidem vel unam, illi vero nec unam voluntatem vel operationem eum habere volunt, ac per hoc insubstantialem illum & inessentialem, minus enim est dicere sine voluntate, ac impotem, secundum utrasque naturas pronuntiant: cum juxta sacras diffinitiones & rationes corruptio, id est interemtio & inexsistentia naturæ, naturalium habitudinum & operationum atque virtutum infirmitas & defectus exsistat, & quod universaliter voluntate naturali ac substantiali operatione privatur, neque est, neque aliquid est, neque est quævis ejus essentia. Et non ipsum tantum, sed & Patrem, & Spiritum sanctum, insubstantivum astruunt, & inexsistentem. Ejusdem enim utrisque illis substantiæ, id est deitatis, & voluntatis, ac operationis Salvator exsistit, secundum quod est & dicitur natura Deus: ita ut subsequenter & dominam nostram vere sanctissimam super omnes Sanctos venerandam scilicet & laudandam, ut proprie ac non fallaciter, veraciter Dei genitricem semperque virginem, non proprie ac veraciter matrem Dei describant, sed ejus qui nullomodo secundum ipsos exsistit. Et isti quidem talibus ac tantis impietatibus capti, per sua ipsorum dogmata propalantur.

Hi vero, qui simul cum duabus voluntatibus & operationibus, quæ sanctis catholicæ institutoribus Ecclesiæ pie in Salvatore nostro Christo dicuntur, aliam unam nescio unde fingentes confiteri volunt, & anathematizant eos, qui non consone sibi unam & duas, id est tres voluntates & operationes in eo confitentur: nihilominus & isti sanctos Prophetas & Apostolos ac Doctores, quin & super hos, qui in ipsis locutus est, immo & nunc per eos affatur, sanctissimum Spiritum anathematizant, & traditam per eos nobis ab illo sanctam & immaculatam fidem novis adulterantes adinventionibus abnegant, & aliam in Salvatore Christo naturam præter divinam & humanam, extraneam quamdam [1] & omnium alienam exsistentium fingunt, cujus esse volunt a se fictam in illo unam voluntatem & operationem: quoniam omnis voluntas naturalis & substantialis operatio, naturæ profecto voluntativæ ac operativæ idiomata sunt. Et omnis operatio naturalis substantiam indicat, ex qua procedit & [2] inest: & indicativum uniuscujusque naturæ operatio & est & cognoscitur naturalis. Et omnis natura propriæ operationis substantiali ratione cognoscitur, & omnis natura convenientem sibi seque significantem habet operationem hanc ab aliis discernentem, diffinitionesque substantiarum naturales earum operationes vera ratio novit. Et ut compendiose dicatur, nec naturam sine operatione, quæ illam substantialiter characterizet, nec rursus voluntatem vel operationem [3] constat esse sine quadam substantia, id est possibile, quemadmodum divina concionantur eloquia, & ipsa rerum natura clamat. Igitur voluntatem & operationem unam præter duas circa Salvatorem Christum fingentes, [4] & necessitate etiam aliam naturam præter divinam, ut dictum est, & humanam extraneam quamdam exsistentium omnium alienam plasmantes applicant ei, [5] cujus esse jam dictam a se unam voluntatem, quæ inane figmentum fictæ cogitationis est, & germen quod ab idololatria nil penitus differt.

Deus enim simul & homo Salvator exsistens, duas tantum congruentes sibi naturas & voluntates & operationes, id est divinam & humanam habet, quemadmodum inclyti præceptores nostri ac doctores affirmant: non unam & duas, id est tres, ut adversarii dogmatizant, quo illud evidentissime gerant, quod olim a Deo per Esaiam prophetam in calumniam dicitur, id est: [a] *Caupones tui vinum aqua miscent*. Ut enim apparet, & isti verbum veritatis cauponum more adulterando, naturalem dualitatem voluntatum & operationum Salvatoris nostri Christi una voluntate ac operatione, quæ in ipso ab hæreticis, qui in confusione ac divisione seu phantasia decepti sunt, impie dogmatizata est, veluti vinum aqua miscentes, utrasque sectas confiteri compellunt: quod impium veraciter est & alienum immaculatæ fidei nostræ Christianorum. Qui ex diametro similiter ut præcessores sui etiam per hunc a veritate decidunt modum. Æquale quippe ex diametro & simile malum est cum hæretica opinione, paternam projicere ac reprobare orthodoxiam, & e diverso cum hac pariter & illam confiteri & approbare. [b] *Quæ enim participatio justitiæ & iniquitati? aut quæ societas luci ad tenebras? aut quæ conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli? qui autem consensus templo Dei cum idolis?* divinus ait Apostolus. Inquam vero & ipse: Quæ participatio, vel communicatio, aut conventio, aut pars, aut consensus paternæ orthodoxiæ ad nequam hæreticorum opinionem, ut cum altera altera prædicetur, vel etiam respuatur?

Et hoc quoque diligenter intendant, quia si quemadmodum magnus ab immortalitate cognominatus, immo vero cunctus Sanctorum chorus affir-

a Isa. I. 22. b II. Cor. VI. 14. 15. 16.

1. Et ab omnibus quæ sunt in rebus alienam fingunt. COMBEF.
2. Cui inest. ID.
3. Constare sine quadam substantia, est possibile. ID.
4. Ex necessitate. ID.
5. Cujus velint esse. ID.

Sæcul. VII. circa Ann. Chr. 666.

mat, quod pene fides Salvatoris nostri non admittat, cum hoc instabile quiddam secundum suam ipsius rationem exsistat. Quod si hoc fuerit passa, & quod huic est contrarium proculdubio sustinebit, additamentum scilicet, & quomodo manebit ulterius fides defectibus ac profectibus immutata? Dicant, inquit, nobis, qui per singulos dies fides creant, immo deos sibi diversos fingunt, quoniam cum fidei verbo mutatur atque multiplicatur a talibus id quod creditur. Ergo & adversarii fides sibi condentes diversas, absque omni contradictione secundum qualitatem & quantitatem atque immutationem dogmatum suorum, immutant simul & multiplicant id quod creditur, & quinque Christos eatenus plasmasse monstrantur. Hunc quidem unam B operationem, illum vero nec unam operationem, & alium unam voluntatem, & alterum nec unam voluntatem: porro quintum unam & duas, atque unam & duas, id est tres operationes & tres voluntates, ut ajunt, habentem. Et dicant si volunt illi ipsi, qui talia exponunt dogmata, & qui communicant eis, in quem talium ac tot Christorum a se fictorum credentes baptizati sunt vel baptizantur: aut cujus eorum corpus & sanguinem sumunt atque distribuunt? utrum ejus qui unam, an qui nec unam operationem; ejus qui unam voluntatem, an ejus qui unam & duas, & unam & duas, id est tres operationes & tres voluntates, & propterea jam ex necessitate tres etiam naturas habet? C Sed [a] *non erat vox, & non erat auditio*, quemadmodum ait propheta magnus Helias scelestos sacerdotes & pseudoprophetas confusionis redarguens. Nam quidquid horum dixerint, illinc cum impietate etiam redargutionem sermo eorum circumferet, quoniam non in verum & veraciter exsistentem Christum credunt atque baptizant, nec illius corpus & sanguinem accipiunt & distribuunt. Illum enim verum scilicet, & qui vere consistit, Christum Deum simul & hominem inclyti magistri nostri ac præceptores scientes, duas & tantum quemadmodum naturas, sic etiam & duas voluntates, & totidem operationes congruentes sibi, divinam scilicet, ut jam dictum est & comprobatum est, & D humanam, increatam & creatam, sine inceptione A & cum inceptione, in ipso confitentur & confiteri nobis præcipiunt. Non autem, ut hi nunc novitates fecerunt, unam & nec unam nec duas, & rursus unam & duas, id est tres voluntates & operationes habere illum fatentur.

Super hæc autem omnia quæ dicta sunt, & illud quoque certissime noverint, quoniam unam nec unam, neque duas, & iterum unam & duas voluntates & operationes, & omnia cum anathematibus & depositionibus, ac excommunicatione dogmatizantes, aperte sibi & alterutris repugnare probantur: & ipsi per seipsos & invicem subvertunt ac destruunt, alterna verba & dogmata, seque ipsos & alterutros, & eos qui sibi communicant, anathematizant, & ab omni sacra dignitate ac ministerio pellunt atque deponunt. Necnon a perceptione illibatæ communionis vivici corporis & sanguinis magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi sequestrant. Et hæc liquido nos, & nullo intuentes & sciente obstantes velamine, non solum propter multiformem errorem, verumetiam & propter instabilitatem & absurditatem ac reciprocationem talium virorum & dogmatum, omni custodia nosmetipsos ab illorum impietate & communione servemus, quotquot in veritate esse ac dici Christiani volumus. Alienum quippe a Christianis est, cum orthodoxia etiam impietatem suscipere, aut confiteri quidem orthodoxam fidem, communicare vero his, qui hanc per novas inventiones abnegant & adulterant. Propter quod divina nobis lex simul & apostolica jubet, eos qui aliud præter quod a Christiferis viris accepimus, docere ac introducere conati fuerint, avertere & anathematizare, non tantum si homines fuerint, sed & licet angeli fortassis e cælo descendentes exstiterint. Et si hoc fecerimus, & divinam sine prævaricatione adimpleverimus præceptionem, sacramque ac orthodoxam fidem absque adulteratione simul & innovatione possederimus & confessi fuerimus, ad vitam salvi efficiemur æternam in Christo Jesu Domino nostro: cum quo Deo & Patri, una cum sanctissimo & bono ac vivifico Spiritu, gloria, honor, imperium, & adoratio nunc & semper, & in omnia numquamque finienda sæcula sæculorum. Amen.

[a] III. Reg. xviii. 26.

POSTERIORA
S. HIPPOLYTI TESTIMONIA.


Ex Combefisii editione Operum S. Maximi. *

..... Hæc evidenter effatur. Utraque ostendens E se, eo quod dupliciter (divine scilicet & humane) operatus est, secundum eamdem quæ veraciter vera & naturalis substantia est, Deum immensum simul, & circumscriptum exsistere ac intelligi hominem; utriusque perfecte perfectam essentiam habentem, cum illius operatione, id est, naturali proprietate. Et rursus: Non enim caro facta est natura deitas, translata natura, facta videlicet secundum naturam Divinitatis caro; sed quod erat, etiam deitati coaptata, mansit, id est, caro infirma & passibilis natura & operatione, sicut ait Salvator: [a] *Spiritus quidem promtus, caro autem infirma.* Et rursus: Qua operatus & passus, quæ erant carnis ab omni peccato immunis, divinitatis pro nobis exinanitionem miraculis & carnis passionibus naturaliter confirmatam probavit. Et rursus: Mysterium divinæ Incarnationis, Apostolis & Prophetis atque Doctoribus duplam ac diversam in omnibus habere compertum est naturalem considerationem; cum perfectæ deitatis, & plenæ vim habeat ostendendæ humanitatis. Et iterum: Quibus divine pariter & humane operatus est, perfecte utroque sui rationem natura servans immutabilem. Et

[a] Matth. xxvi. 41.

* Tom. I. pag. lxxxvi.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 666.



iterum: Nihil divinum nudum corpore operatus, nihil humanum idem ipse gerens quod expers esset deitatis; qua ipsa nova decentique ratione utraque operatus est, utriusque ratione immunem se a mutatione servans, ad perfectæ suæ humanitatis, quæ plane vera sit, nihilque aut vitii aut labis admittat, fidem adstruendam.

De his vero, qui unam deitatis & humanitatis ejus operationem, & naturam dogmatizant, dicit: Non enim circumscribi natura genita comparatum est, quod secundum naturam ingenitum est, tametsi ei coaluit per conceptionem, quæ vim omnem mentis circumscribit: ac nec umquam in eamdem naturam naturalemque virtutem seu operationem vertantur, donec utrumque intra propriam naturalem inconvertibilitatem manet. Et item. Eorum enim dumtaxat, quæ ejusdem naturæ sunt, motus ejusdem virtutis ac efficaciæ est, substantiam designans, cujus est naturalis virtus, cum substantia diversæ naturæ proprietatis nulla ratione esse possit aut fieri, absque convertibilitate. Item: Etenim, quæ ejusdem inter se virtutis sunt & operationis, ejusdemque prorsus orginis ac earumdem passionum; ea naturæ distinctionem non admittunt, confusisque secum naturis, erit Christus dualitas, personisque divisis fiet quaternitas: quod omnium maxime cavendum. Et iterum: Si quidem igitur, ut auctor Bero est, assumta illi caro ejusdem ac ipse virtutis seu operationis facta est, plane etiam ejusdem facta est naturæ, cum quibus omnibus natura est, quod principii expers, quod ingenita, A quod infinita, quod sempiterna, quod incomprehensa, & si qua ejusmodi secundum excellentiam theologicus sermo eximie in deitate contemplatur: & vicissitudinem utraque passa sunt, neutro substantialem naturæ suæ rationem ultra incolumem servante. Et rursus: Qui enim eorum, quæ sunt diversæ naturæ, eamdem sentit operationem, confusionem pariter naturalem, divisionemque ipsorum inducit naturalem: ignota prorsus ac obscurata per idiomatum commutationem naturali eorum substantia exsistentiaque. Item: Si vero non ejusdem ac ille facta est naturæ, nec ejusdem umquam fiet operationis. Et iterum: In hunc autem errorem impegerunt, credentes male propriam carnis effectam B divinam operationem, quæ per ipsam in miraculis manifestata est; qua Christus, rerum hac universitate condita, secundum quod intelligitur Deus, quod ita conditum est, tenet ac conservat. Et iterum: Non enim cognoverunt, fieri non posse, ut divinæ naturæ operatio, alterius diversæque substantiæ proprietas fieret, absque convertibilitate. Et iterum: Quamdiu non unum secundum essentiam unius noscitur Verbum operationis, nulla umquam ratione fiat, ut amborum motus cognoscatur. Et iterum: Itaque Bero, qui sic habeat, ut dicebam, una operatione Christi pariter deitatem & humanitatem natura confundens ac personis dividens, vitam dissolvit; qui nempe nesciat, eam- C dem operationem, personarum, quæ ejusdem naturæ sint, identitatem dumtaxat designare.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 669.



SCHOLION, SIVE HYPOMNESTICUM,

*his qui desiderio ac zelo divino legere voluerint, breviter declarans, quæ paucis sunt * agnita, id est cum athleticis certaminibus, quot exsilia, & in quibus locis ac tempore pertulerint martyrium, diemque fide ad Deum profectionis, & exhibitionis, sanctorum & deiferorum patrum nostrorum ac magistrorum, novorum revera confessorum, & magnorum martyrum; præcipue illius, qui positam heic epistolam digito Dei scripsit, eo quod ipse quidem eorum, qui ante se defuncti sunt, Maximi scilicet & Anastasii discipuli ejus, significaverit diem, ut prælatum est: de se autem, & germanis fratribus ejus, Theodoro scilicet, ac Euprepio, nemo. Insuper & Martini sanctissimi & summi apostolici Papæ ac martyris, qui omni, quæ sub sole est, præcellit hieraticæ dignitati, atque quorumdam aliorum quorum præsens epistola mentionem non facit, nec quæcumque, ut reor, alia charta, vel homo.*

Oportet eos, qui hæc legerint exemplaria præsentis sacræ illius sacri epistolæ, Deo parentibus, qui scrutatur renes & corda, firmissime credere, quia in ea, Deo teste veritatis, ex ipsa epistola, quæ propria manu ejus, immo ut verius propter miraculi dicamus insigne, digito Dei scripta est, sancti videlicet patris & magistri nostri domni abbatis Anastasii, presbyteri & apocrisiarii senioris & opinatissimæ urbis Romæ, multumque certantis magni & novi revera martyris veritatis transcripta sunt, scripta ab eo postquam passus est, quemadmodum dictum est, in Byzantio, una cum concertatore suo & vere philosopho, immo deosopho magnopere commartyre Christi veri Dei & Salvatoris nostri Maximo, id est cum abintus abscissæ fuerint pretiosæ ipsorum ac sacræ, divinitusque veraciter mobiles linguæ ac manus, cum verberibus & tor- D mentis amarissimis, ex quibus sanguinis fluorem & pompam per totam urbem perpessi sunt, quod nec malæ umquam vitæ revera quisquam sustinuit. Et nisi solus Deus, qui ex nihilo ut essent cuncta produxit, & mortuos suscitat, ex hujuscemodi crudelitate ipsorum, & tanto sanguinis fluxu, cauterio nullomodo illis indulto, vel constipatorio aliquo abscisionibus manuum atque linguarum ad cessationem sanguinis juxta morem apposito, hos conservasset ad verecundiam adversariorum, tradidissent ex tunc desiderato a se Deo suas ipsorum sanctas revera & beatas proculdubio animas. Hæc autem omnia ob nihil aliud in eos gesserunt vere profanissimi & miserrimi apostatæ veritatis, nisi propter pessimam veraciter & solam invidiam, quam antiquus hostis dæmon in eis seminavit, quemadmodum & in similibus suis Judæis, cum

* Forte, *agitata*.

non potuissent saltem ad modicum quid resistere sapientiæ, quæ illis merito fuerat a Deo donata, (pro vera scilicet veritate, & solum pro eo quod noluissent illi communicare cum his in tam publica & sine Deo impietate ipsorum) cum ipsa sancta dextera manu sua, quæ abscissa fuerat, cujusque truncus tantum remanserat, id est sine planta & digitis inopinato argumento, cum videlicet duo sibimet parvissima ligna & tenuia colligaverit, immo, ut verius dicatur, virtute & gratia divina & invisibili expedite penitus & sine prohibitione loquebatur, quamquam ab intus ex ipso fuerit fundo rescissa, sicut Lebarnicius Patricius Lazicæ cum juramentis terribilibus enarravit nobis, dispensatione Dei in hoc ipso per semet inspector effectus, diffidens super hoc glorioso & ingenti miraculo. Quin & Theodorus protosecretarius prætorii Præfecti Constantinopolitani ante hunc enarravit mihi, & ipse cum horribilibus juramentis, cum conscius fuisset sanctarum passionum ipsorum, tamquam dominus & magister hujuscemodi rerum, glorificans & laudans ac gratias agens Deo super tali miraculo, & tam fiduciali virtute ipsorum. Quoniam sicut canis vel cervus excursu multo & siti vel caumate, ita laxaverunt & tradiderunt linguas suas ut etiam manus, quamquam brevi valde statura sanctus & infirmus esset corpore Maximus, sicuti cunctis est manifestum.

Quocirca & abundantius adversarii fauciantes sensus suos super tanta & tali alacritate Sanctorum, intrinsecus nequissimi & veraciter inhumani, ut revera feræ agrestes has abscindebant. Non solum ista sic ab eo epistola scripta, sed & aliis multis libris ac tomis studiorum ipsius. Quorum ipsi non solum inspectores divina providentia facti sumus, sed & partim in sortem gratia Dei ex eis accipere illius præceptione meruimus, & ipsis quoque simili argumento & manu, immo ut verius dictum est, digito scriptis Dei, sicut magni Moysi tempore legitur factum: providentia videlicet & cooperatione solius omnipotentis Dei, qui cum sit amator bonitatis & hominum, facit mirabilia magna in sanctis suis, & glorificat vere glorificantes se, tam indeclinabili opere, quam verbo & veritate: cum adhuc degeret in ultimo, id est tertio exsilio suo Lazicæ, in castro Thusumes nuncupato, sito supra villam Mochoes, climatis Apsiliæ termini, ad Orientem Pontici maris, apud ipsum pedem Caucasiorum montium, juxta Christi amicorum regionem Abasgorum, & gentem Alanorum, quasi signis quinque a prædio Zichachorio, id est prima domo Gregorii veri amici Christi Patricii & Magistratus ejusdem regionis Alanorum. Cujus & optimam memoriam merito facit in hujusmodi epistola, translati videlicet vi & præceptione miserorum principum, qui illic ante se usque ad se præfuerunt, in eodem tertio exsilio septies, in difficilioribus locis & tribulatione multa, in prædicto castro Thusumes dormivit in Domino, cum & ipse certamine bono certasset, orthodoxam revera fidem servasset, & cursum martyrii consummasset, mensis Octembrii die undecima, feria prima, hora tertia, cum diceretur inter sancta officia, *Sancta sanctis*, indictione decima, cum prædixisset & ipse diem sanctæ depositionis suæ quibusdam qui sibi aderant ante menses tres.

Et aliis quoque pluribus miraculis sanctissimi & omnis efficientis Spiritus cooperatione, tam ibidem, quam in duobus exsiliis suis, Trapezunti videlicet, & Mesembriæ patratis, plurimisque conversis ad veritatem & illuminatis. Qui cum con-

A versati fuissent & perdurassent in hoc sancto & beatissimo & multorum sudorum certamine, id est coronam ferente confessione ac testimonio, prædictus quidem sanctus Anastasius presbyter & apocrisiarius Romanus, a sexta indictione præteriti cycli usque ad decimam indictionem, in omnibus prædictis tribus exsiliis suis, traductionibus diversis affectus, tribulationibusque ac necessitatibus, & angustiis non mediocribus nec modicis, permansit annis viginti. Discipulis vero ejus Theodoro & Euprepio germanis & sanctis fratribus, filiis Plutini beatissimi imperatorii pistoris, id est qui super omnes pistores publicos est, eorum videlicet,
B qui annonas scholarum omnium solvunt, quod appellatur Tetransiton, divitiis pretiosis & dignitatibus diversis, divinisque virtutibus, & virginitate, quæ his omnibus major est, adornatis; per quam scilicet, ut opinor, etiam sanctis pro Christo agonibus & coronis honorari meruerunt, ut casti & mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Post primum magistri sui & nostri apud Trapezuntem exsilium multis eleemosynis & oblationibus factis, volentibus Romam confugere, protinus & ipsis in eadem persecutione prope Abydum comprehensis, propter eamdem & solam caussam, & pro eo quod noluissent cum eis contaminari tam evidente impietate in profano & penitus sine Deo imperatorio
C typo, qui ex summissione factus est eorum, qui erant Ecclesiæ Constantinopoleos, & publicatis, id est denudatis omni substantia quæ inerat sibi, & dignitatibus quas habebant: flagellaque mortalia a Præfecto suscipientibus, & Chersonem in exsilium missis, & illic vi sæpius ab invicem separatis, & in castris gentium ibidem adjacentium deputatis: junior quidem frater, qui ut vere in cunctis pheronymus, Euprepes nominatus est, completo in hujuscemodi Dei amico agone anno nono, ad Dominum abiit mense Octobrio, die vicesima sexta indictione XIV.

Alter vero, qui & prior frater, quique Dei donum merito a Domino est vocatus, perdurans ab
D eadem sexta indictione usque ad jam dictam decimam indictionem instantis cycli, id est usque ad sanctissimi patris & magistri eorum ac nostri Anastasii presbyteri, qui revera miserrimus, & orphani propter tam raritatem & inopiam verbi veritatis, & omnis spiritualis escæ, ita ut nunc etiam adimpletum sit quod a Domino de malis novissimorum temporum dicitur, non famem panis mittendam, neque sitim aquæ, sed famem audiendi verbum Domini, sicuti dictum est, sanctam in Domino requietionem, annum vicesimum agit adhuc perseverans in athleticis sudoribus & agonibus, in eodem Chersonis exsilio, jam memoratus videli-
E cet frater Theodorus, qui & propria manu multa Sanctorum opuscula dignatus est exhibere nobis, qui pergebamus illuc ad visitationem & adorationem ejus, & pretiosæ memoriæ Martini summi & vere universalis Papæ & magni martyris veritatis. Cujus & miracula nobis copiosa, quæ ibidem facta sunt, cum illatis quoque illis importabilibus, retulit, donata etiam particula sancti orarii, id est facialis, quæ sibi fuerat ab eo dimissa: & uno ex campagis ejus, id est caligis: quos nullus alius inter homines portat, nisi sanctus Papa Romanus: eo quod & ipse illic fuerit exsilio relegatus, postquam omnia dira passus est, cum abduceretur ab urbe Roma, qui seipsum tradiderat, gestiens atque desiderans admodum pro Christo subire martyrium, ut imitator & successor sancti & Apostolorum principis Petri, tam in navigio, quam in

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 669.



ipso Byzantio, ita ut palam alapis cæderetur ab inimicis Dei.

Dignum autem patre suo diabolo perpetrantes opus in eum, tam veste illum sua exuerunt, quam ferreorum gravamina vinculorum & catenarum sancto ejus collo & pretiosis reliquis membris imposuerunt. Deinde cum eisdem ferreis compedibus pompantes, per totam plateam traxerunt a Palatio usque ad prætorium Præfecti, cum vigiliæ magistro, id est primo carnificum, colligatum, & cum gladio præcedebat eum quidam, ut membratim concideret, deliberante ac præcipiente Bucoleonte detestabili Sacellario, & digne sanguinem devorantis bestiæ cognominato, tamquam qui & opera bestiali furore referta possideret, scientia & consilio Constantini Imperatoris, qui & prædictum obscenum & pessimum typum condidit, Gregorio Eunucho & Præfecto miseræ illius urbis. Quod utique jam & factum fuisset, quantum ad temerariam ejus alacritatem & propositum pertineret, nisi misericordissimi & benignissimi Dei præsidium hos inhibuisset, & non hujus robustissimam fortitudinem hostes erubuissent. Noverunt enim hoc pati frequenter etiam tyranni truces & inhumani, licet nimis immisericordes sint & crudeles, secundum eum qui operatur in illis satan: martyrio ejus forsitan invidentes, secundum similem sibi apostatam & idolorum vesaniæ deditum Julianum illum famosum, & vere sapientem in malis. Aut certe Deo meliori quadam & sibi soli nota, qui omnia nimirum ad utilitatem dispensat, immensa hunc & ineffabili providentia conservante. Cum fecisset in duobus carceribus, in excubitu scilicet & custodia Præfecti, in tribulatione multa & infirmitate gravissima dies centum octoginta; omnem vero tribulationis suæ agonem in annis tribus & ultra, sicuti ex his quæ de ipso conscripta sunt, & a Romanis militibus, & propriis ejus hominibus, qui cum eo multis tormentis affecti per diversa loca exsilium pertulere, scire potuimus. Porro dormivit, & ipse in Domino, cum unam semper & solam sanctam catholicam & apostolicam gloriosam Dei nostri Ecclesiam sacratissimis & veracibus dogmatibus synodice illustrasset, & tam sanctarum ac universalium quinque Synodorum, Nicænæ videlicet, Constantinopolitanæ, Ephesinæ prioris, Chalcedonensis, & rursus Constantinopolitanæ, sub Justiniano Imperatore, quam omnium sanctorum divinitus sapientum & probabilium patrum nostrorum, ac veracium magistrorum sacra & piissima dogmata roborasset, quemadmodum hi, qui amore pio legere voluerint, in sacris gestis sanctæ ac Apostolicæ piissimæque Synodi, quæ ab eo Romæ celebrata est, invenient; cum in omnem locum & omnem regionem transmissa sint: & ardue veritatem manifestasset ac prædicasset, & flagitia hostium relevasset, atque liquidius publicasset bono multumque sibi amabili agone agonizans, & ad desideratum Dominum, pro quo & proprium sanguinem quantum in ipso fuit effudit, in lætitia copiosa profectus mense Septembrio, die sextadecima, indictione quartadecima, qua & custodientis pietatem, copioseque certatricis, & castæ virginis ac martyris Euphemiæ honoranda memoria per annos singulos celebratur, reconditus inter tumulos Sanctorum in domo percolenda sanctissimæ intemeratæ ac semper laudandæ gratiosæ vereque semper gloriosæ dominæ nostræ, utpote quæ proprie natura & absque mendacio ac veraciter est Dei genitrix, & semper virgo Maria, quæ appellatur Blachernes, extra muros a stadio uno ipsius de cetero benedictæ urbis Chersonis. In qua sancta domo etiam jam memoratus sanctus Euprepius resquiescit, juxta eumdem perornatum ac vere magistrum, qui Evangelicam vocem opere adimplevit, qua dicitur: [a] *Pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis.*

Porro, sanctus & memorabilis ac optimus & per omnia sapiens, immo divinitus sapiens, magnusque veritatis propugnator & commartyr eorum Megistus, qui & Maximus, (hoc enim, ut antea indicavimus, dictione Latina Maximi nomen insinuat) cujus & sanctum monumentum per singulas noctes lampades exhibet a die qua dormisse dinoscitur, usque in præsens, & in perpetuum omnibus illucescens, & patefaciens confidentiam suam, quam obtinet apud Deum, sicuti præposita commendat epistola: & nos ipsi per nosmet auditores a multis illius loci principibus & habitatoribus, qui cum juramentis hujusmodi mirabile vere miraculum fiducialiter prædicabant, effecti sumus: Eorum vero, qui obtutu proprio viderant has, unus etiam ipse Comes ejusdem Chemareos castri, nomine Mistrianus exsistit, qui & vigilans cum militibus has non semel nec bis, sed & multotiens contemplatus est, & primus patenter de his omnibus prædicavit, nobis illuc pergere non valentibus propter montis illius ascensum, id est verticis Caucasiorum, quo excelsior mons super terram non est, difficultatem, & tempus hiemis, insuper & confusionem gentium quæ fit in partibus illis. Pariter & Anastasius discipulus ejus ab undecima indictione præteriti cycli per tria exsilia, Bizyes scilicet, & Perberei Thracensium regionis, atque prædictum Lazicum, in multis contritionibus & intolerabilibus necessitatibus, atque hujuscemodi athleticis certaminibus, annis decem peractis, ad regnum migravere supernum. Sanctus quidem Maximus, sicut dictum est, mense Augusto, die tertiadecima, indictione quinta, cum prædixisset ex divina revelatione suam in Domino ante dies quindecim dormitionem futuram, sicuti jam præmissum est; sanctum vero suum pro veritate in Christo Deo nostro martyrium ante non paucos annos. Discipulus vero ejus Anastasius mense Julio, die vigesima quarta, indictionis ejusdem.

Igitur missa nobis est hujusmodi sacratissima & præposita propriæ manus immo divinitus exarata epistola, una cum suppositis sibi deiloquis testimoniis & syllogismis, ab eodem ipsorum exsilio, id est Lazico, quam & habemus, & conservamus, cum eodem quo scribebat tradito sibi divinitus argumento, id est prædictis duobus exilibus fusticulis, & aliis benedictionibus ac muneribus ejus sanctisque ac venerabilibus, necnon & omnibus post Deum bonis, librorum videlicet ejus studiis, & propriæ manus compositionibus, tamquam revera sacrosanctis laudibus & reliquiis. Data vero est nobis vere minimis, Theodoro, germanis & sine dolo fratribus humilibus & peccatoribus Monachis, per Gregorium Monachum & Abbatem Monasterii sancti Joannis Baptistæ regionis Albanorum, quod appellatur Bauararu, mensis Augusti die vicesima, indictionis undecimæ, quæ præteriit nos, qui revertebamur a regione sæpe dicta Lazorum. Illuc enim profecti fueramus, licet valde infirmi & pauperes & indigni essemus, secundum consuetudinem ad visitationem eorum, non solum propter jam dictum creditum nobis pondus conscriptum, id est præceptionem sæpe memorati sancti ac summi Apostoli-

a Joan. XI. 11.

ei Papæ Romani Martini, personaliter ad eum A in eadem magni nominis urbe advenientibus, & certitudinem propriæ manus de his quæ ab eo synodice confirmata sunt, ex ipso sumentibus & audientibus Papa & alio ex his qui simul aderant. Sed & quoniam ore proprio mandaverat nobis de hoc, postquam passi sunt, cum adhuc essent Byzantii in custodia prætorii Præfecti, quæ appellatur Diomedis, ex qua & præmisimus eos in jam sæpedictum tertium eorum exsilium Lazicæ mærentes illis, & in reliquis eorum exsiliis & custodiis, laboribus & sollicitudinibus, angustiisque non mediocribus, secundum quod nobis possibile fuit, per Deos acceptas eorum preces, nobis cooperante ipso, qui eripuit nos sæpius de iniquis mani- B bus impiorum, marisque periculis ac diversis tempestatibus, ministrare de paupercula, quæ inerat nobis ex parentum benedictione sicut in Domino, ut autem verius dicamus, Dei munere, & non ex alienis, sed & reliquis nil minus eorum concertatoribus & commartyribus: & ut fieremus inspectores stigmatum ipsorum & passionum, quæ propter Christum verum Deum nostrum pertulerunt. Quin immo & auditores per nos effecti, divinitus quoque sapientis atque salvantis expertes eorum constitueremur doctrinæ, & Deo persuadibilibus & bene acceptis ipsorum orationibus frueremur, & quædam vestimentorum, quæ in passione sibi scissa sunt, propriis manibus ab eis accepta C deferremus, una cum sanctificatis pannis, pretiosoque sanguine rubricatis; qui circumpositi fuerant sanctis eorum quæ abscissæ fuerant manibus, caussa sanguinem medicinaliter restringendi. Utrosque autem complecti ac memorari, non sine consideratione, ut reor, perpendimus, pro eo quod unum & idem ipsum in certamine sanctæ revera & orthodoxæ fidei, & in vinculo pacis & caritatis dinoscantur effecti.

De cetero infinita multitudo eorum, qui in prædicta non ferenda & intolerabili persecutione diversis verberibus & tribulationibus palam & occulte marryrium inferebant, astuto ac versuto molimine, has illius aliter atque aliter, quasi non pro D fide, sed sub prætextu aliarum ingerebant occasionum atque damnorum, adeo ut hæc simplicioribus quibusque, qui facile decipiuntur, ignorantibus, soli Deo, qui occultorum est cognitor, & his qui studiosiores erant hos & quamobrem passi sint proculdubio deferentes. Pro quibus omnibus universos qui in veritate quæ revera sunt veritatis relegitis, ac si præsentes & procidentes tam cordis genu cum corporalibus genibus, quam cordis sensu cum lacrymis inclinati, & ante vestigia omnium vestrum provoluti, deprecamur & exoramus, quo primum quidem veniam in omnibus tribuatis exiguitati ac indisciplinationi nostræ, qui ad certitudinem & satisfactionem tamquam vere E fideles fideliter talia prorsus recipimus: & ne oblivio velet tantos & tales sacros agones, eo quod valde a paucis & raris hæc cum diligentia cognoscantur. Nos autem, ut dictum est, cum voluntate Dei horum ipsis visibus conscii ex parte maxima facti fuissemus, & discrimen quod ex desidis generatur metuissemus, & non ob aliud, ut coram Deo dico, nisi propter hoc, quoquomodo hæc scribere præsumsissemus, & vitam vel laudes depromere minime valuissemus, talium & tot pro pietate certaminum ac sudorum vere mirabilium, & magnorum illorum in Domino sacratissimorum virorum, propter collectaneam scilicet & rudem rusticitatem nostram, & omnimodam indisciplinationem, per quas nobis & sermonis inest inopia super omnes. Quibus sufficere arbitramur pro magnæ vitæ actibus & præconiis, si qui veritatis & studii amore legere voluerint divina illorum, & veraciter sine fastidio contra impietatem, & pro pietate labores plurimos, & conscripta, quæ & cum omni solertia & diligentia una cum his etiam quæ sunt ex adversariorum exsecrabilibus scriptis, licet humiles & veraciter viles super omnes in omnibus simus. Juxta virtutem tamen quæ inest nobis, in diversis libris ac tomis conscripsimus, & amatoribus veritatis tradidimus, in gloriam & indesinentem laudem & gratiarum actionem omnipotentis Dei & vere mirabilis in sanctis suis, ac zelum & alacritatem eorum, qui pro pietate certare voluerint, confusionemque ac inevitabile opprobrium inimicorum veritatis, & ipsius Dei universorum, instantiasque ac oppositiones illatarum sibi falsarum calumniarum, & decretorum inanium ac instabilium, & absolute omnes eorum sacratissimos ac pios agones atque sudores, qui ab eis qui ex adverso erant diverso modo sunt acti, id est a subintroducta nova & hæretica omnia recipiente adinventione [1] Heracliano, Cyro, Sergio, Pyrrho, Paullo, petritarum, & involuntativo inoperatistarum, vel ut verius dicamus novorum Epicureorum, id est penitus carentium Deo, ut ipsa rerum & ipsa contrariorum conscripta demonstrant his qui hujuscemodi discernere norunt. Quatinus hi, qui post nos studiosi & in verbo potentes fuerint, & his inventis ex his occasionem acceperint, Deo ac sanctis ejus gratiarum actiones debitas reddant. [a] *Da enim sapienti occasionem, & sapientior*, inquit, *erit*.

Secundo vero, indesinentibus orationibus & supplicationibus, cum operibus bonis ac lacrymis benignissimum natura & misericordissimum placetis Deum, ut compatiatur infirmitatibus nostris, sedetque de cetero instantem adhuc dolosam & versutam, & penitus argumentosam, atque gravissimam super omnes præcedentes paganas & hæreticas persecutiones: quippe cum sciat pulveris nostri fragilitatem, & facilem lapsum propter nimiam fraudem eorum atque nequitiam, & finis seditionis fiat, & terminus hujuscemodi atrocissimi mali, pretiosum scilicet illorum sanguinem effundentium, veluti sub impiis & Dei exsortibus Arianis, pro roseo sanguine sancti Petri Alexandrini Patriarchæ ac Martyris gestum est. Propter quod & prædicti sancti Patres nostri, & veraciter pietatis doctores, præcipueque Apostolicus & verticalis Papa noster Martinus similiter semetipsum in sacrificium pro fideli populo tradidit, in omnibus agonothetam Christum Deum nostrum, & verticem Apostolorum Petrum imitatus, & in cunctis sequutus, cujus & successor ut revera dignus effectus est: pacemque firmam & indissolubilem unitatem ubique sanctis suis donet Ecclesiis, nec permittat de reliquo usque in finem hæresim quam-

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 669.



[a] Prov. ix. 9.

1. *Heracliano, Cyro, Sergio &c.*] Nomen videtur unum ex pluribus conflatum, Heracliano-Cyro-Sergio-Pyrrho-Paullo-Petritæ: sicut Inoperativo-Inoperatistæ, id est voluntatem & operationem, humanam scilicet, adimentes Christo.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 669.

libet suscitari, tam propter multitudinem miserationum suarum, quam ob infirmitatem & mobilitatem naturæ nostræ, quæ super omnes præteritas generationes excrevit.

Tertio autem, ut immobiles usque in finem conservemur, non solum nos, sed & omnes pii, in sancta revera & orthodoxa atque immaculata nostra Christianorum sola Catholica & vera fide, remissionemque peccatorum & salutem percipiamus, qui veraciter peccatores sumus & servi omnium, qui vere orthodoxi & proprii adoratores sunt Christi veri Dei & Salvatoris nostri, qui revera glo- A rificantes se magnifice in veritate & glorificat: cuique decora est omnis gloria, honor, imperium, magnificentia, in cælo & in terra, adoratio & gratiarum actio in sensu cordis & ipsa veritate, timoreque ac tremore pariter & exsultatione, secundum propheticum eloquium, una cum immortali & miserationum amatore, compatientissimoque ac misericordiosissimo super naturam Patre, atque sanctissimo & consubstantiali, vivificoque ac omnipotente divino Spiritu, nunc & semper, & in universa & infinita sæcula sæculorum. Amen.

E X P L I C I T.




SANCTI

ANDREÆ

EPISCOPI CRETENSIS

HOMILIÆ SELECTIORES &c.



ACCEDUNT

JOANNIS THESSAL.


HOMILIA &c.

ET

EVANTII ABBATIS

EPISTOLA.

Sæcul. VII. circa Ann. Chr. 675.



ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ ΑΝΔΡΕΟΥ ΑΡΧΙΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΚΡΗΤΗΣ ΤΟΥ ΙΕΡΟΣΟΛΥΜΙΤΟΥ ΛΟΓΟΙ.

S. P. N. ANDREÆ ARCHIEPISCOPI CRETENSIS COGNOMENTO HIEROSOLYMITANI ORATIONES.

Interprete Combefisio.

ΕΓΚΩΜΙΟΝ ΕΙΣ ΤΟ ΓΕΝΕΘΛΙΟΝ τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου.

Ἀρχὴ μὲν ἡμῖν ἑορτῶν, ἡ παροῦσα πανήγυρις· πρώτη δὲ, τῶν πρὸς τὸν νόμον καὶ τὰς σκιάς· καὶ μέντοι καὶ τῶν πρὸς τὴν χάριν καὶ τὴν ἀλήθειαν εἴσοδος. ἔστι δὲ αὐτὴ, καὶ μέση καὶ τελευταία· ἀρχὴν μὲν ἔχουσα, τὴν τοῦ νόμου περαίωσιν· μεσότητα δὲ, τὴν πρὸς τὰ ἄκρα συνάφειαν· τέλος δὲ, τὴν τῆς ἀληθείας φανέρωσιν. τέλος γὰρ νόμου, Χριστός. οὐ μᾶλλον ἡμᾶς ἀπάγων τοῦ γράμματος, ὅσον ἐπανάγων ἐπὶ τὸ πνεῦμα. τοῦτο γὰρ ἡ τελείωσις, καθὰ αὐτὸς ὁ τοῦ νόμου δοτὴρ ἅπαντα συμπεράνας, ἐπὶ τὸ πνεῦμα τὸ γράμμα μετήνεγκεν, ἀνακεφαλαιώσας εἰς ἑαυτὸν τὰ πάντα, καὶ διαιτήσας νόμῳ τῇ χάριτι. καὶ τὸν μὲν ὑποζεύξας, τὴν δὲ συνάψας ἐναρμονίως· οὐ φύρας τὰ θατέρου πρὸς θάτερον ἴδια, μετοχετεύσας δὲ καὶ λίαν θεοπρεπῶς, ἐπὶ τὸ κοῦφόν τι καὶ ἐλεύθερον ὅσον δυσαχθές τε καὶ δοῦλον, καὶ ὑποχείριον. ἵνα μηκέτι ὦμεν ὑπὸ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου δεδουλωμένοι, καθώς φησιν ὁ ἀπόστολος, μηδὲ ζυγῷ δουλείας τοῦ νομικοῦ γράμματος ἐνεχώμεθα. τοῦτο γὰρ τῶν περὶ ἡμᾶς εὐεργετημάτων Χριστοῦ τὸ κεφάλαιον· τοῦτο ἡ τοῦ μυστηρίου φανέρωσις· τοῦτο ἡ κενωθεῖσα [1] φύσις, Θεὸς καὶ ἄνθρωπος, καὶ ἡ τοῦ προσλήμματος θέωσις. ἀλλὰ τῆς οὕτω λαμπρᾶς τε καὶ περιφανεστάτης Θεοῦ πρὸς ἀνθρώπους ἐπιδημίας, ἔδει τι πάντως εἶναι καὶ χαρᾶς ἐπεισόδιον, δι' οὗ τὸ μέγα τῆς σωτηρίας εἰς ἡμᾶς πρόεισι δῶρον. τὸ δέ ἐστιν ἡ παροῦσα πανήγυρις, προοίμιον ἔχουσα τῆς Θεοτόκου τὴν γέννησιν· συμπέρασμα δὲ, τῆς τοῦ λόγου πρὸς σάρκα συμπήξεως τὴν ἀπόταξιν, καθ' ἣν τὸ καινότατον ἁπάντων ἐν θαύμασιν ἄκουσμα διαπαντὸς ἐκκαλούμενον, δύσληπτον μένει καὶ δυσθεώρητον· ὅσῳ κρύπτεται φανερούμενον, καὶ ὅσῳ φανεροῦται κρυπτόμενον.

Ἐντεῦθεν ἄρα τῆς παρθενίας τὸ φῶς ὑπὲρ κεφαλῆς φέρουσα, καὶ οἷον ἐξ ἀκηράτων ἀνθέων τῶν πνευματικῶν τῆς γραφῆς λειμώνων ἐρανιζομένη τὸν στέφανον ἡ θεοχαρίτωτος αὕτη καὶ πρώτη τῶν ἑορτῶν ἡμέρα, κοινὴν τῇ κτίσει τὴν εὐφροσύνην προτίθεται. Θαρσεῖτε λέγουσα, γενέθλιος ἡ πανή-

1. Mallem κενωθεῖσα, innovata.

ENCOMIUM IN NATIVITATEM *sanctissimæ Deiparæ*.

Est nobis præsens solemnitas festorum initium: prior quidem illa, iis quæ ad legem & umbram spectant: sed & eorum janua, quæ ad gratiam & veritatem. Quin ipsa & media est & postrema: cui quidem initium sit, legis exitus: medium autem, cohærentia cum extremis: ac denique finis, veritatis manifestatio. *Finis enim legis, Christus*: qui non minus abducat a lege, quam ad spiritum provehat. In eo enim consummatio posita est, juxta quod legislator ipse, confectis omnibus ac terminatis, in spiritum literam transtulit: in seipso recapitulans omnia: ac lege gratia vivens: atque illa quidem subjugata, hæc autem concinne coaptata & juncta: non permixtis confusisque, quæ alterius propria erant cum alterius propriis, sed divine admodum commutato, si quid grave erat & servum & captivum, in id quod est leve & liberum: ut non simus jam sub elementis mundi in servitutem adacti, quemadmodum ait Apostolus: nec jugo servitutis literæ legis simus obnoxii. Hæc enim Christi in nos beneficiorum summa est: hæc sacramenti manifestatio: hæc naturæ exinanitio, Deus & homo, assumtique hominis deificatio. Enimvero ita & splendidi & quam maxime conspicui Dei ad homines adventus, omnino etiam gaudii introductorium aliquid, quo magnum in nos salutis donum procederet, esse oportuit. Id porro præsens est celebritas: cui exordium Deiparæ nativitas est; conclusio autem & terminus, Verbi cum carne destinata compactio: qua, præ miraculis omnibus, nova maxime expetita semper auditio, difficilis comprehensu occultaque manet: eo se promens ac innotescens, quo celatur: eoque delitescens, quo innotescit ac promitur.

Hinc sane, divine gravissima primaque hæc festa dies, virginitatis lumen ferens in capite, sibique, velut ex illibatis spiritualium scripturæ pratorum floribus, collecto serto, communem creatis lætitiam proponit, ita dicens: Confidite; Natalitia celebritas est, ac reformatio generis. Modo

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 675.



γυρις, καὶ τοῦ γένους ἀνάπλασις. παρθένος γὰρ
ἄρτι γεννᾶται καὶ τιθηνεῖται καὶ πλάττεται, καὶ τῷ
Θεῷ τῷ παμβασιλεῖ τῶν αἰώνων ἑτοιμάζεται μή-
τηρ. καὶ τοῦτο ἡμῖν ἐκ Δαβὶδ σὺν Δαβὶδ τὸ
πνευματικὸν συγκεκρότηκε θέατρον· ἡ μὲν, ὡς θεο-
μήτωρ τὴν ἑαυτῆς προθεῖσα θεόδοτον γέννησιν· ὁ
δὲ, τοῦ γένους τὴν εὔκλειαν παραδεικνὺς, καὶ
τὴν Θεοῦ πρὸς ἀνθρώπους καινοπρεπεστάτην συγ-
γένειαν. βαβαὶ τοῦ θαύματος. ἡ μὲν μεσιτεύει
θεότητος ὕψει καὶ σαρκὸς ταπεινότητι, καὶ γί-
νεται μήτηρ τοῦ πλάσαντος· ὁ δὲ, προφητεύει τὸ
μέλλον, ὡς ἤδη παρόν· καὶ ὅρκῳ λαμβάνει παρὰ
Θεοῦ τὴν εὐκλεᾶ τοῦ γένους ἐξ ὀσφύος διαμονὴν καὶ
συντήρησιν. πανηγυριστέον οὖν εἰκότως τὸ τῆς ἡμέρας
μυστήριον, καὶ δωροφορητέον τῇ τοῦ λόγου μητρὶ
τοὺς λόγους αὐτοὺς, ὅτι μὴ φίλον αὐτῇ τῶν ἄλλων
οὐδὲν, πλὴν λόγου καὶ τῆς ἐκ λόγων τιμῆς. ἐπεὶ
καὶ διπλοῦν ἐντεῦθεν ἡμῖν προσέσται ποιουμένοις
τὸ κέρδος· τὸ μέν τι πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἡμᾶς
ἐπανάγον, τὸ δέ τι τῆς νομικῆς ἐν γράμματι δου-
λείας καὶ πολιτείας ἀπάγον.

Πῶς, καὶ τίνα τρόπον; ὑποχωρούσης δηλαδὴ τῆς
σκιᾶς τῇ τοῦ φωτὸς παρουσίᾳ, καὶ τὴν ἐλευθερίαν
τοῦ γράμματος ἀντεισφερούσης τῆς χάριτος. ὧν ἡ
παροῦσα πανήγυρις μεθόριος ἵσταται, τὴν ἀλήθειαν
τῶν τυπικῶν συμβόλων ἀντιπαραζεύγνυσα, καὶ τὰ
νέα τῶν παλαιῶν ἀντεισφέρουσα. τοῦτο καὶ ὁ Παῦ-
λος, ἡ θεία τοῦ πνεύματος σάλπιγξ ἀνέκραγε, λέ-
γων· εἴ τις ἐν Χριστῷ καινὴ κτίσις, ἀνακαινίζεσθε.
τὰ ἀρχαῖα παρῆλθεν, ἰδοὺ γέγονε τὰ πάντα και-
νά. ἐπειδὴ γὰρ μηδὲν ἐτελείωσεν ὁ νόμος, ἐπεισ-
αγωγὴ δὲ κρείττονος ἐλπίδος, δι' ἧς ἐγγύζομεν
τῷ Θεῷ, τῆς χάριτος ἐξεφάνθη τρανῶς ἡ ἀλήθεια.
αὐτὸς ἑαυτὸν καθεὶς ὁ τοῦ νόμου δοτὴρ ἀφράστως
εἰς κένωσιν, οἰκονομικῶς ἄνθρωπος προελήλυθεν, ἵνα
πληρώσῃ τὸ λεῖπον, καὶ ἀντιδῷ τῶν χειρόνων τὰ
κρείττονα καὶ τελεώτερα. ὃ δὴ καὶ ὁ ὑψηλὸς βού-
λοιτ' ἂν Ἰωάννης, ἡ θεολόγος τοῦ λόγου βροντὴ,
διασημαίνειν σαφέστατα· ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτοῦ,
λέγων, ἡμεῖς πάντες ἐλάβομεν, καὶ χάριν ἀντὶ χά-
ριτος. αὐτοῦ γὰρ κενωθέντος, εἶτα καὶ μορφωθέντος
ὑπερφυῶς ἐξ ἡμῶν τὸ ἡμέτερον, ἡμεῖς τὸ πλῆρες ἐλά-
βομεν, καὶ τὴν ἀντιδοθεῖσαν τοῦ ληφθέντος φυράμα-
τος κατεπλουτίσθημεν θέωσιν. οὐκοῦν ἀγαλλιάσθω τὰ
σύμπαντα σήμερον, καὶ ἡ φύσις σκιρτάτω· εὐφραι-
νέσθω ὁ οὐρανὸς ἄνωθεν, καὶ αἱ νεφέλαι ῥανάτωσαν
δικαιοσύνην· σταλαξάτω τὰ ὄρη γλυκασμὸν, καὶ οἱ
βουνοὶ ἀγαλλίασιν· ὅτι ἠλέησε κύριος τὸν λαὸν αὐ-
τοῦ, ἐγείρας κέρας σωτηρίας ἡμῖν ἐν οἴκῳ Δαβὶδ
τοῦ παιδὸς αὐτοῦ, τὴν ὑπεράμωμον ταύτην παρθέ-
νον καὶ ἄνανδρον, ἐξ ἧς ὁ Χριστὸς, ἡ σωτηρία τῶν
ἐθνῶν, καὶ ἡ προσδοκία. χορευέτω πᾶσα νῦν εὐ-
γνώμων ψυχὴ, καὶ συγκαλείτω τὴν κτίσιν ἡ φύ-
σις, πρὸς καινισμὸν ἑαυτῆς καὶ ἀνάπλασιν. στεῖραι
συντόνως τρεχέτωσαν· ἡ γὰρ ἄπαις καὶ στεῖρα, τὴν
θεόπαιδα παρθένον ἐπαιδοποίησε. μητέρες σκιρτάτω-
σαν· ἡ γὰρ ἄγονος μήτηρ, τὴν ἄφθορον μητέρα καὶ
παρθένον ἀπέτεκε. παρθένοι χαιρέτωσαν· ἡ γὰρ ἄσπο-
ρος γῆ, τὸν ἐκ πατρὸς ἀρρεύστως, ἀφράστως ἀπέτεκε.
γυναῖκες κροτείτωσαν· γυνὴ γὰρ ἡ πάλαι τῆς ἁμαρ-
τίας τὴν ἀφορμὴν σχεδιάσασα, τῆς σωτηρίας ἄρτι τὴν
ἀπαρχὴν εἰσκεκόμικε. καὶ ἡ πάλαι κατάκριτος, ἐδεί-
χθη θεόκριτος· μήτηρ ἄνανδρος, ἐκλελεγμένη τῷ
πλάσαντι, καὶ τοῦ γένους ἀνόρθωσις.

Πᾶσα τοίνυν ἡ κτίσις ὑμνείτω καὶ χορευέτω, καὶ
συνεισφερέτω τι τῶν τῆς ἡμέρας ἐπάξιον. γενέσθω
μία κοινὴ σήμερον οὐρανίων καὶ ἐπιγείων πανήγυ-
ρις· καὶ συνεορταζέτω πᾶν ὅσον ἐγκόσμιόν τε καὶ
ὑπερκόσμιον σύγκριμα. σήμερον γὰρ τοῦ παντοκτί-
στου τὸ κτιστὸν ᾠκοδόμηται τέμενος· καὶ τὸ κτίσμα,

A enim Virgo nascitur, & lactatur, & fingitur, ac omnium sæculorum Regi Deo mater aptatur. Quæ nobis res, ex Davide cum Davide spiritualem indixit conventum: illam quidem, tamquam Dei matre, suam ipsius divinitus concessam proferente nativitatem: hoc autem, generis ostendente felicitatem, ac Dei cum hominibus jucundissime novam cognationem. Papæ miraculum! Illa quidem, mediam agit sublimitatis Dei, & abjectionis carnis, ac fictoris efficitur mater: hic autem, futurum vaticinatur tamquam præsens, jureque jurando, inclytam a Deo generis ex lumbis perennitatem ac conservationem accipit. Merito igitur festive celebrandum diei sacramentum, Verbique matri B dono offerenda ipsa verba: quod præter Verbum, & quem verbis exhibemus honorem, nihil habeat acceptum. Quando etiam duplex nobis ex eo lucrum accesserit: ea quidem provehens ad veritatem, ea autem a legali in litera servitute ac conversatione abducens.

Quo id modo, quave ratione? Nimirum, cedente umbra adventui lucis, gratiaque libertatem inferente pro litera: quorum solemnitas hæc confinium est, figuralibus symbolis veritatem succedaneam jungens, novaque veteribus substituens. Id quoque divina Spiritus tuba Paullus clamavit, dicens: [a] *Si qua in Christo nova creatura*, renovamini. C *Vetera transierunt: ecce facta sunt omnia nova.* [b] Quia enim *Nihil ad perfectum adduxit lex; introductio vero melioris spei, per quam proximamus ad Deum*, ideo gratiæ veritas palam eluxit: legis ipse conditor seipsum, qua nemo ratione possit dicere, exinaniendo demittens, dispensatione processit homo, impleturus quod defectus erat, deteriorumque loco meliora illaturus & perfectiora. Quod sane & sublimis Joannes, Verbi illud diviniverbium tonitru, apertissime significare voluerit, dicens: [c] *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Ipso enim exinanito, tumque nostram ex nobis mirabiliter induto formam, plenitudinem ipsi accepimus, proque assumta conspersione, divinitatis divitias adepti D sumus. Omnia igitur exsultent hodie, saliatque natura: *Lætetur cælum desuper & nubes spargant justitiam: Montes stillent dulcedinem*, & colles exsultationem: quoniam misertus est Dominus populi sui, *erecto nobis cornu salutis in domo David pueri sui*, immaculatissima ac viri nescia Virgine hac, ex qua gentium salus & exspectatio. Ducat nunc choreas grata omnis ac benevola anima: naturaque ad suæ ipsius renovationis reformationisque lætitiam, creaturam convocet. Steriles concite accurrant: nam quæ sine filiis & sterilis erat, Dei filiam virginem suscepit filiam. Saliant matres: mater enim prole carens, matrem intactam & virginem peperit. Gaudeant virgines: terra enim E non sata eum peperit, qui est sine fluxione a Patre, ratione supra quam dici potest mirabili. Plaudant mulieres: mulier enim quæ olim ansam peccati inconsultius præbuit, salutis nunc primitias intulit: quæque aliquando rea fuit, nunc ostensa est divino probata judicio: mater viri nescia, fictori electa, ac restauratio generis.

Omnia ergo creata decantent, tripudientque, ac aliquid diei lætitiæ congruum conferant. Una hodie cælestium terrestriumque sit communis celebritas, simulque agat festum quicquid in mundo, & supra mundum coalitionis est. Hodie enim omnium Creatoris creatum delubrum exstructum est: ac

a II. Cor. V. 17. b Heb. VII. 19. c Joan. I. 16.

τῷ κτίςῃ θεῖον ἐνκύλισμα καινοπρεπῶς ἑτοιμάζεται. σήμερον ἡ πρὶν ἀπογαιωθεῖσα φύσις, ἀρχὴν λαμβάνει θεώσεως· καὶ πρὸς δόξαν ὁ χνοῦς τὴν ἀνωτάτω, μετάρσιος ἀνατρέχειν ἐπείγεται. σήμερον ἐξ ἡμῶν ἀνθ' ἡμῶν ἀπαρχὴν ὁ Ἀδὰμ τῷ Θεῷ προσφέρων, τὴν Μαρίαν ἀπάρχεται, καὶ τοῦ ὅλου φυράματος ἡ μὴ φυραθεῖσα· δι' αὐτῆς ἀρτοποιεῖται, πρὸς τὴν τοῦ γένους ἀνάπλασιν. σήμερον ὁ μέγας κόλπος τῆς παρθενίας ἀνακαλύπτεται, καὶ τὸν ἄσυλον μαργαρίτην τῆς ἀφθορίας τῆς ἀληθοῦς ἡ ἐκκλησία νυμφικῶς περιτίθεται. σήμερον ἡ καθαρὰ τῶν ἀνθρώπων εὐγένεια, τῆς πρώτης θεοπλαστίας ἀπολαμβάνει τὸ χάρισμα, καὶ πρὸς ἑαυτὴν ἀντιπάνεισι· καὶ ἣν ἀπημαύρωσε τοῦ κάλλους εὐπρέπειαν ἡ τῆς κακίας δυσγένεια, ταύτην ἡ φύσις τεχθείσῃ τῇ μητρὶ τοῦ ὡραίου προσέχουσα, πλάσιν ἀρίστην τε καὶ θεοπρεπεστάτην εἰσδέχεται. καὶ γίνεται κυρίως ἡ πλάσις, ἀνάκλησις· καὶ ἡ ἀνάκλησις, θέωσις· ἡ δὲ, πρὸς τὸ ἀρχαῖον ἐξομοίωσις. σήμερον ἡ στεῖρα, μήτηρ παρ' ἐλπίδας δείκνυται· καὶ τόκου μήτηρ ἀπάτορος, ἐξ ἀγόνων λαγόνων βλαστάνουσα, τὰς γονὰς ἁγιάζει τῆς φύσεως. σήμερον ἡ εὐπρεπὴς τῆς θείας ἁλουργίδος κατεχρώσθη βαφή· καὶ τὴν βασιλικὴν ἀξίαν, ἡ πενιχρὰ τῶν ἀνθρώπων ἀμφιέννυται φύσις. σήμερον ἡ Δαυϊτικὴ προφητικῶς ἐξεβλάστησεν ὄρπηξ, ῥάβδος Ἀαρὼν ἀειθαλλὴς χρηματίσασα, καὶ ῥάβδον δυνάμεως ἡμῖν, τὸν Χριστὸν ἐξανθήσασα. σήμερον ἐξ Ἰούδα καὶ Δαβὶδ παρθένος κόρη προέρχεται, βασιλείας καὶ ἱερατείας ὑπογράφουσα πρόσωπον, τοῦ κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ, Ἀαρὼν ἱερατεύσαντος. σήμερον τὸ μυστικὸν τῆς θείας ἱερατείας ἐφοὺδ ἡ χάρις λευκάνασα, Λευϊτικῷ τυπικῶς προεξύφηνε σπέρματι· καὶ τὴν βασίλειον ἁλουργίδα, Δαυϊτικῷ ὁ Θεὸς ἐπορφύρωσεν αἵματι. καὶ συνελόντι φάναι· σήμερον ἡ τῆς φύσεως ἡμῶν ἀναμόρφωσις ἄρχεται, καὶ ὁ γηράσας κόσμος θεοειδεστάτην λαμβάνων στοιχείωσιν, δευτέρας θεοπλαστίας προοίμια δέχεται.

Ἐπειδὴ γὰρ ἡ πρώτη τῶν ἀνθρώπων διάπλασις ἐκ καθαρᾶς γῆς καὶ ἀσπίλου δεδημιούργητο, ἠφάνισε δὲ τὸ προσφυὲς ἡ φύσις ἀξίωμα, συληθεῖσα τὴν χάριν τῷ τῆς παρακοῆς ὀλισθήματι, δι' ἧς ἐξεῤῥίφημεν τοῦ ζωηροῦ χωρίου, καὶ τῆς ἐν παραδείσῳ τρυφῆς ἡ φύσις τὴν ἐπίκηρον ζωὴν ἀντηλλάξατο, κλῆρον ὥσπερ τινὰ πατρῷον εἰς ἡμᾶς καταστήσασαν, ἐξ ἧς ὁ θάνατος, καὶ ἡ ἐντεῦθεν τοῦ γένους καταφθορά· εἶτα τὴν κάτω χώραν τῆς ἄνω πάντων ἀνθελομένων, πᾶσα μὲν ἀφῄρητο σωτηρίας ἐλπὶς, ἐδεῖτο δὲ βοηθείας ἡ φύσις τῆς ἀνωτάτω. νόμος δὲ ἦν οὐδεὶς πρὸς ἰατρείαν τοῦ ἀῤῥωστήματος· οὐχ ὁ ἔμφυτος, οὐχ ὁ γραπτὸς, οὐχ ὁ τῶν προφητῶν πυρίπνους καὶ διαλλακτήριος λόγος, οὐχ ὃς τὴν ἀνθρωπίνην οἶδεν ἐπανορθοῦν φύσιν, καὶ οἷς ἂν τάχα ῥᾳδίως ἀνεκομίσθη πρὸς τὴν προτέραν εὐγένειαν. ηὐδόκησεν ἄρτι τῶν ὅλων ὁ ἀριστοτέχνης Θεὸς, οἷόν τινα παναρμόνιον καὶ νεοπαγῆ κόσμον ἄλλον ἐκπρεπῶς ἐπιδείξασθαι, καὶ τὴν ἐγκατασκήψασαν πάλαι τῆς ἁμαρτίας ἐπιφορὰν, δι' ἧς ὁ θάνατος, ἀναχαιτίσαι πως. εἶθ' οὕτως ξένην τινὰ καὶ ἀδούλωτον καὶ ὄντως ἀπαθεστάτην ἡμῖν παραδεῖξαι ζωὴν, τοῖς ἀναγεννωμένοις ἡμῖν δήπουθεν τῷ τῆς θεογενεσίας βαπτίσματι.

Πῶς οὖν ἔδει ταύτην εἰς ἡμᾶς προελθεῖν τὴν εὐεργεσίαν, μεγάλην τε οὖσαν καὶ παραδοξοτάτην, καὶ νόμοις θείοις ἐμπρέπουσαν; ἢ οὐχὶ Θεοῦ διὰ σαρκὸς ἡμῖν ἐπιφανέντος, καὶ νόμοις φύσεως ἥκοντος, καὶ τοῖς καθ' ἡμᾶς, ὡς οἶδε, λόγοις ἐμπολιτεύεσθαι καινοπρεπῶς ἐπινεύοντος; τίνα δὲ τρόπον τοῦτο εἰς πέρας ἄγοιτο ἄν, ἢ παρθένου καθαρᾶς καὶ ἀνεπάφου διακονουμένης τῷ μυστηρίῳ πρότερον, εἶτα κυοφορούσης τὸν

A creatura, nova decentique ratione, novum authori paratur hospitium. Hodie, prius terra exsul facta natura, divinitatem primo accipit: pulvisque ad supremum gloriæ apicem sublimis festivo gradu excurrit. Hodie ex nobis pro nobis Deo Adamus primitias offerens, [1] Mariam primitias facit, iisque quæ de tota conspersione nihil inquinamenti senserunt, in panem formatur, ad recreationem generis. Hodie sinus magnus virginitatis retegitur: inviolatumque veræ incorruptionis margaritum, pro conjugii legibus, Ecclesia induit. Hodie pura hominum ingenuitas, primæ a Deo creationis munus recipit, & ad seipsam revertitur: quemque speciei decorem obscuravit vitiosa ignobilitas, hunc natu- B ra natæ matri ejus qui speciosus est adhærens, optimam diviniffimamque fictionem suscipit: efficiturque fictio reparatio absoluta: reparatio autem, deificatio: illaque, in antiquum efformatio. Hodie sterilis, præter spem invenitur mater: prolisque sine patre parens, ex non genitalibus lumbis germinans, naturæ genituras sacravit. Hodie divinæ purpuræ imbutus est color, pauperculaque natura hominum divinam induit dignitatem. Hodie juxta prophetiam germinavit Davidis surculus, qui virga Aaron semper virens, nobis virgam virtutis Christum floruit. Hodie ex Juda Davideque puella virgo procedit: regni sacerdotiique ejus præ se speciem ferens, qui secundum ordinem Melchise- C dec Aaron [2] sacerdotium gessit. Hodie gratia, mysticum divini sacerdotii dealbans Ephod, Levitico typice prætexuit semini: ac Deus regiam purpuram Davidico sanguine purpuravit. Utque summa dicam: Hodie reformari incipit natura, mundusque veteratus deiformem omnino reformationem accipiens, secundæ a Deo fictionis initia suscipit.

Quia enim prima hominum formatio ex terra munda incontaminataque, authore Deo, exstiterat: natura vero, inobedientiæ lapsu, qua ex loco vitali fueramus ejecti, spoliata gratia, cogna- D tam dignitatem obliteraverat: paradisique deliciis, vitam corruptibilem, velut paternam quamdam in nos devectam hereditatem, ex qua mors, & quæ morti comes est corruptio generis, commutaverat: cumque insuper terram omnes præoptassent cælo; sublata erat omnis spes salutis, supremoque natura indigebat auxilio. Porro nulla lex erat sanandæ ægritudini, non innata non scripta, non ignem spirans sequesterque Prophetarum sermo, non siquis conducere novit instaurationi humanæ naturæ, eorumque aliquid, quibus forte ad pristinam nobilitatem facile posset postliminio reverti. Optimo tandem visum est universorum artifici, ut velut concinnissimum quemdam recensque compactum mun- E dum alium de novo exhiberet: hactenusque grassatam olim peccati luem, ex qua mors est, comprimeret: tumque novam quamdam, nec obnoxiam servituti, vereque affectionibus & vitiis vacuissimam vitam, nobis utique divinæ regenerationis baptismate regeneratis, monstraret.

Quo igitur modo par erat, ut magnum illud, & maxime novum ac mirabile Deique legibus congruentissimum beneficium in nos procederet, nisi Deo nobis per carnem apparente, ac naturæ obsequente legibus, nostrisque ut novit, rationibus, nova decentique ratione annuente vivere? Quei vero ea res ad finem deduceretur, nisi prius munda intactaque virgo ministraret mysterio, tumque,

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 675.

1. Nota Mariam sine labe conceptam.

2 *Hoc est*, pontificali & divinitus collata dignitate.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 675.

ὑπερούσιον, νόμῳ τοὺς νόμους ὑπερνικῶντι τῆς φύσεως; αὕτη δὲ τίς ἂν νοοῖτο, πλὴν μόνης ἐκείνης, τῆς πρὸ πασῶν γενεῶν ἐκλελεγμένης τῷ παγγενέτῃ τῆς φύσεως; αὕτη ἐστὶν ἡ Θεοτόκος Μαρία, τὸ θεόκλητον ὄνομα, ἧς ἐκ νηδύος μετὰ σαρκὸς ὁ ὑπέρθεος προελήλυθεν, ἣν αὐτὸς ἑαυτῷ ναοποιήσας ὑπερφυῶς ἐπήξατο, ὅτι μὴ διέφθορε τὴν νηδὺν ἡ τικοῦσα, μηδὲ σπορᾶς τὸ τεχθὲν ἐδεδέητο. Θεὸς γὰρ ἦν, εἰ καὶ σαρκικῶς γεννηθῆναι προείλετο, λοχείας ἄνευ, καὶ ὠδίνων χωρίς. ὡς ἄν, καὶ τὰ μητέρων ἡ μήτηρ ἐκφύγοι, παραδόξως ἐκτρέφουσα γάλακτι ὃν ἀνάνδρως ἐπαιδοποίησε, καὶ ἡ παρθένος ἄσπορον ἀποκυοῦσα γέννημα, μένει παρθένος ἁγνεύουσα, σῶα καὶ μετὰ τὸν τόκον τῆς παρθενίας τὰ σήμαντρα φέρουσα· ᾧ δὲ τρόπῳ καὶ Θεοτόκος εἰκότως κηρύττεται, καὶ παρθενία σεμνύνεται, καὶ γέννησις προσκυνεῖται, καὶ Θεὸς ἀνθρώποις ἑνούμενος, εἶτα σαρκὶ φανερούμενος, τῆς οἰκείας δόξης χαρίζεται τὸ ἀξίωμα. τῆς γέ τοι πρώτης ἐκείνης ἀρᾶς, εὐθὺς ἡ γυναικεία φύσις τὴν διόρθωσιν δέχεται, ὥσπερ ἐνήρξατο τῆς ἁμαρτίας, ἀπαρξαμένη τῆς σωτηρίας.

Ἧκε τοίνυν ἡμῖν ὁ λόγος ἐπ' αὐτὸ λοιπὸν τὸ κεφάλαιον· κἀντεῦθεν ἐγὼ σήμερον πανηγυριστὴς καὶ λαμπρὸς ἑστιάτωρ τῆς ἱερᾶς ταύτης πανδαισίας ὑμῖν προελήλυθα, τὴν εὐφρασίαν κοινὴν προτιθέμενος. βουληθεὶς ἔφην, τοῦ γένους ὁ λυτρωτὴς, νέαν ἀντεπιδείξασθαι τῆς προτέρας γέννησιν καὶ ἀνάπλασιν· ὥσπερ ἐκεῖ πρότερον ἐκ παρθενικῆς ἀνεπάφου γῆς, πηλὸν ἀνελόμενος, τὸν πρῶτον Ἀδὰμ ἐπλαστούργησεν, οὕτω καὶ νῦν ἐνταῦθα τὴν οἰκείαν σάρκωσιν αὐτουργῶν, ἀντ' ἄλλης, ὡς ἂν εἴποιμεν, γῆς, τὴν καθαράν τε καὶ ὑπεράμωμον ταύτην παρθένον τῆς ὅλης φύσεως ἐκλεξάμενος, τὸ καθ' ἡμᾶς ἐξ ἡμῶν ἐν αὐτῇ καινοποιήσας, νέος Ἀδὰμ ὁ πλαστουργὸς τοῦ Ἀδὰμ ἐχρημάτισεν, ἵνα τὸν παλαιὸν ὁ πρόσφατος καὶ ὑπέρχρονος ἀνασώσηται. ἀλλὰ τίς οὖσα, καὶ τίνων ἔφυ γονέων, φέρε λέγωμεν ἐπιτροχάδην, τὴν ἱστορίαν ἐπιδραμόντες εἰς δύναμιν.

Αὕτη τοίνυν, τὸ πάντων αὔχημα, θυγάτηρ μὲν ἔφυ τοῦ Δαβὶδ, σπέρμα δὲ τοῦ Ἰωακείμ· ἀπόγονος μὲν τῆς Εὔας, γέννημα δὲ τῆς Ἄννης. Ἰωακεὶμ γὰρ, ἀνὴρ πρᾶος, ἐπιεικὴς, καὶ νόμοις ἐντεθραμμένος Θεοῦ, σωφρόνως μὲν βιοὺς, Θεῷ δὲ προσκαρτερῶν, οὕτω δὲ διατελῶν, ἄπαις κατεγήρα τὸν βίον. ἀκμαζούσης τῆς φύσεως, ἀλλ' οὐκ ἐχούσης τοῦ γένους ἀντίδωρον. Ἄννα καὶ αὐτὴ φιλόθεος, σώφρων μὲν, ἀλλὰ στεῖρα· φίλανδρος, ἀλλ' ἄτεκνος· καὶ μηδὲν, ὅτι πλὴν τὸν νόμον κυρίου τιμᾶν, ἐμμελέτημα φέρουσα. αὕτη τῆς στειρώσεως περινυττομένη τοῖς κέντροις ὁσημέραι, καὶ οἷα πάσχειν τὰς ἀτεκνούσας εἰκὸς, ἐδυσφόρει, ἠνιᾶτο, ἤσχαλλε, τὴν ἀπαιδείαν οὐ φέρουσα. οὕτω δὲ λύπῃ κατεσχημένοι Ἰωακεὶμ καὶ σύνοικος, ὅτι μὴ παῖς ὑπῆν ἐκείνοις τοῦ γένους ἐπίκουρος. τέως μὲν τῆς ἐλπίδος αὐτοῖς οὐκ ἀπεσβέσθη τελείως ἡ θρυαλλίς· εὐχὴ δὲ ἦν ἀμφοτέρωθεν, παρασχεθῆναι τέκνον αὐτοῖς εἰς ἀνάστασιν σπέρματος. καὶ δὴ τὴν ἐξάκουστον Ἄνναν παραζηλοῦντες ἑκάτεροι, τῷ ἱερῷ προσανεῖχον· λιτάς τε τὸν Θεὸν ἐξεμέλισσον, δοῦναι λύσιν τῇ ἀτεκνίᾳ, καὶ καρπὸν τῇ στειρώσει. οἱ οὐ πρότερον ἀνῆκαν, πρὶν τοῦ ποθουμένου τύχωσι. καὶ δὴ καὶ τετυχήκασιν. οὐ γὰρ μεθῆκε τῆς ἐλπίδος τὸ δῶρον ὁ τοῦ δώρου δοτήρ. οὔτω γὰρ ποτνιωμένοις καὶ λιπαροῦσι τὸ θεῖον, ἐπέστη θᾶττον αὐτοῖς ἡ μὴ βραδύνουσα δύναμις· καὶ τὸν μὲν εἰς καρπογονίαν, τὴν δὲ εἰς παιδοποιΐαν ἐνεδύναμωσε· καὶ τοὺς ἐξηραμμένους τέως τῶν γεννητικῶν ὀργάνων πόρους, ἰκμάσι σπερμογονίας ἐπικοτίσας, ἐξ ἀγόνων γονίμους εἰργάσατο. καὶ δὴ λοιπὸν ἐξ ἀκάρπων τε καὶ ξηρῶν, ὡς ἐξ ἐνύγρων ξύλων καρπὸς εὐκλεὴς, ἡ παναμώμος αὕτη παρθένος ἡμῖν ἐξεβλά-

A lege supra naturæ leges, eum qui substantia superior est, in utero gestaret? Quænam autem alia virgo hæc possit intelligi, nisi quam ante omnes generationes naturæ totius creator elegit? Hæc porro Maria Dei genitrix est, a Deo illud vocatum nomen, ex cujus processit utero divinissimus ille indutus carnem, quam sibi ipse in templum novum, admirabili plane modo compegit. Neque enim illa uterum corrupit partu, neque ei, ut pareretur, semine opus fuit. Nam erat Deus, quamquam modo carnali, sine tamen coitu doloribusque nasci voluit. Ut plane mater, quæ sunt matrum nesciret, mirabiliter lactans, quem sine viro filium procreasset: virgoque, partu edita prole B sine semine, virgo casta maneret, post etiam partum integra ferens virginitatis signacula. Quo utique modo, & merito prædicatur Deipara, & virginitas honestatur, & adoratur partus: Deusque hominibus unitus, adeoque manifestatus carne, suam ipse gloriam tribuit. Siquidem statim muliebris sexus maledictionem primam corrigit, salutis factus initium, qui initium fuerat peccati.

Jam deinceps ad id quod caput est nobis devenit oratio: hincque ego hodie celebrator, splendidusque sacri hujus lautissimi epuli convivator, communem vobis apponens lætitiam prodii. Cum enim, ut dixi, generis Redemtor, novam priori nativitatem & fictionem succedaneam voluisset exC hibere; quemadmodum illic luto accepto ex illibata virgine terra primum formavit Adam: sic & heic modo, suam ipse incarnationem operatus, pro alia terra, ut ita dicam, munda hac prorsusque immaculata, de natura tota electa Virgine, novoque modo, quod est nostrum ex nobis in ea ficto, novus Adam Adæ fictor evasit; ut recens ille & antiquior sæculis, veteri, saluti esset. Quæ autem, & quibus esset orta parentibus, age, dicamus succincte, decursa ut licuerit historia.

Nata igitur est universorum gloriatio hæc, Davidis quidem filia, Joacim autem semen: & Evæ quidem gentilis, Annæ vero proles. Joacim enim D vir mitis, modestus, ac divinis innutritus legibus cum sobrie vixisset Deoque constans adhæreret, ac sic perseveraret, consenuerat orbus filiis, natura quidem vegeta, cujus tamen vigori non responderet donum generis. Sed & Anna Dei amans, sobria quidem & continens, sed sterilis: viri amans, sed carens liberis: nec aliud quam ut legi Domini honorem haberet, animo cogitans, stimulantibus per dies sterilitatis aculeis, & ut par est affici quibus non sunt proles, moleste ferebat, tristabatur, dolebat, non ferens filiorum orbitatem. Cum sic autem Joacim uxorque tristarentur, quod filius deesset, qui familiæ adesset, nondum tamen scintillam spei exstinxerant: utrinque vero, ut ad suscitandum semen filius præbe-E retur, orabant. Ambo itaque Annam illam imitati, factam voti compotem & exauditam, assidui in templo erant, Deumque votis supplicibus, ut orbitatem solveret, fructumque sterilitati concederet, provocabant. Nec prius contentionem remiserunt, quam sint facti compotes voti. Et vero evaserunt voti compotes. Non enim spei neglexit donum ipsius doni author. Sic namque quiritantibus, ac Deo supplicantibus, ocius adfuit non tarda virtus: illique ad fructus editionem, huic ad prolem suscipiendam vires addidit: hactenusque siccatis genitalium organorum meatibus, infuso fœcunditatis humore, ex non genitalibus, genitales ac fœtificos reddidit: ac jam ex infœcundis arentibusque, ceu irriguis arboribus, generosus nobis fru-

στησε. καὶ λέλυτο δὴ τὰ δεσμὰ τῆς στειρώσεως, καὶ γόνιμος ἡ ἀρχὴ παρ' ἐλπίδας ἐδείκνυτο, καὶ παιδοτόκος ἡ ἄγονος, καὶ καλλίπαις ἡ ἄτεκνος.

Ἐπειδὴ δὲ προῆλθεν ἐκ τῆς ἀγόνου μητρὸς ἡ ἐκ μήτρας τὸν στάχυν τῆς ἀφθαρσίας ἐκφύσασα, τῷ ναῷ ταύτην, τῆς ἡλικίας τὸ πρῶτον ἄγουσαν ἄνθος, οἱ τεκόντες προσαγαγόντες ἀνέθεσαν· ἧς ὁ τὴν ἐφημερίαν τότε τῆς ἱερατείας ἐπιτελῶν ἱερεὺς, τὰς παρθενικὰς ὡς εἶδε χορείας ἐπίπροσθεν προπορευομένας τε καὶ συνεφεπομένας, ἥσθη τε καὶ λίαν ἐγεγήθει, ὡς τῶν ἐν ἐλπίδι ἤδη τὰς θείας ἐναργεῖς ἐκβάσεις τεθεαμένος· καὶ οἷόν τι σεπτὸν καλλιέρημα, τὸ θεῖον ἀνάθημα τῷ Θεῷ καθιέρωσεν, εἰς αὐτὰ τὰ τῶν ἁγίων ἄδυτα τοῦτο τὸ μέγα τῆς σωτηρίας θησαύρισμα καταθέμενος· ἐν οἷς τὴν παῖδα, λόγοις οἱονεὶ θαλάμοις νυμφικοῖς ἐμβατεύουσαν, ἀμβροσίαν σιτεῖσθαι τροφὴν, ἕως ὁ τῆς μνηστείας ἐπέστη καιρὸς, ὃς πρὸ παντὸς αἰῶνος διώριστο αὐτῷ τε τῷ ἐξ αὐτῆς φῦντι δι' εὐσπλαγχνίαν ἄρρητον, καὶ τῷ πρὸ πάσης κτίσεως καὶ χρόνου καὶ διαστήματος, θεϊκῶς αὐτὸν φύσαντι, καὶ τῷ συμφυεῖ καὶ συνθρόνῳ καὶ προσκυνητῷ αὐτοῦ πνεύματι· ὧν ὡς μία θεότης, οὕτως καὶ φύσις καὶ βασιλεία μὴ μεριζομένη, μηδὲ ἀπαλλοτριουμένη, μηδέ τινί που πρὸς ἑαυτὴν διαλλάττουσα, πλὴν τῇ τῶν ἀρχικῶν ὑποστάσεων ἰδιότητι. διὰ τοῦτο χορεύων πανηγυρίζω καὶ σπένδομαι· καὶ τῇ μητρὶ τοῦ λόγου προσάγω δῶρον ἑόρτιον· ὅτι μοι τῆς εἰς τριάδα πίστεως τὸ κεφάλαιον ὁ τόκος ταύτης ἐγνώρισε. τοῦ γὰρ ἀνάρχου λόγου καὶ υἱοῦ τὴν οἰκείαν σάρκωσιν αὐτουργοῦντος, καὶ ὁ γεννήσας πατὴρ συνευδοκῶν φαίνεται, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον προσπηδοῦν, καὶ τὴν νηδὺν ἁγιάζον τῆς συλλαβούσης τὸ ἀκατάληπτον.

Ἀλλ' ὥρα νῦν τὸν Δαβὶδ ἐρωτῆσαι· τί πρὸς αὐτὸν ἐκεῖνον ὁ τῶν ὅλων διομνὺς ἔφη Θεός; ἄγε δὴ οὖν ὑμνογράφε· ἴθι προφῆτα· τίνασσε τὴν κινύραν, κίνει δὲ τὰ κρούσματα. λέγε τρανῶς, τί σοι ὤμοσε κύριος; τί μοι ὤμοσε κύριος; ἐκ καρποῦ τῆς ὀσφύος μου θήσειν ἐπὶ τὸν θρόνον μου. τοῦτό μοι ὤμοσε, καὶ οὐκ ἠθέτησεν· ὤμοσε, καὶ τοῖς ἔργοις τοὺς λόγους ἐσφράγισεν. ἅπαξ ὤμοσα, φησὶν, ἐν τῷ ἁγίῳ μου, εἰ τῷ Δαβὶδ ψεύσομαι; τὸ σπέρμα αὐτοῦ μενεῖ εἰς τὸν αἰῶνα, καὶ ὁ θρόνος αὐτοῦ, ὡς ἥλιος ἐναντίον μου, καὶ ὡς ἡ σελήνη κατηρτισμένη εἰς τὸν αἰῶνα· καὶ ὁ μάρτυς ἐν οὐρανῷ πιστός. ταῦτα ὀμωμοκὼς, ἐξεπλήρωσεν· ἀδύνατον γὰρ ψεύσασθαι Θεόν. ἰδοὺ δὴ οὖν ὁρᾶτε, κατὰ σάρκα Χριστὸς ἐμὸς υἱὸς κηρυττόμενος· καὶ κύριος ἐμὸς καὶ υἱὸς προσκυνούμενος ᾄδεται, καὶ πάντα τὰ ἔθνη αὐτῷ προσκυνεῖ. ὁρῶσι γὰρ αὐτὸν παρθενικοῖς ἐνθρονιζόμενον θρόνοις. ἰδοὺ καὶ ἡ παρθένος αὕτη, τῶν ἡμῶν ἄρτι μηρῶν ἐξέφυ· ἧς ἐκ νηδύος ὁ πρὸ αἰώνων, πρὸς τῷ τέλει τῶν αἰώνων σαρκωθεὶς προελήλυθε, καὶ τὸ τῶν αἰώνων ἀνεκαίνισε σύγκριμα. καὶ ταῦτα μὲν οὕτως. ἡμεῖς δὲ, ὁ τοῦ Θεοῦ λαὸς, δῆμος ἅγιος, σύστημα ἱερὸν, χορεύσωμεν πάτρια, τιμήσωμεν τοῦ μυστηρίου τὴν δύναμιν. ἕκαστος κατὰ τὸ δοθὲν αὐτῷ χάρισμα, συνεισφερέτω τῇ πανηγύρει ἐπάξιον δῶρον. οἱ πατέρες, τὴν εὐκληρίαν τοῦ γένους· αἱ μητέρες τὴν εὐτεκνίαν· αἱ στεῖραι, τῆς ἁμαρτίας τὸ ἄγονον· αἱ παρθένοι, τὴν διπλῆν ἀφθαρσίαν, ψυχῆς λέγω καὶ σώματος· αἱ ὑπὸ ζυγὸν, τὴν ἐπαινετὴν συμμετρίαν. εἴ τις πατὴρ ἐν ὑμῖν, μιμείσθω τὸν τῆς παρθένου πατέρα. κἂν ἄπαις ᾖ, τρυγάτω γόνιμον τὴν εὐχὴν, ἐκ φιλοθέου βίου ταύτην καρπούμενος. εἴ τις μήτηρ θηλάζουσα, συγχαιρέτω τῇ Ἄννῃ θηλαζούσῃ παιδίον κατ' εὐχὰς μετὰ στείρωσιν. εἴ τις στεῖρα καὶ ἄγονος καρπὸν εὐλογίας οὐκ ἔχου-

A ctus Virgo hæc immaculatiſſima germinavit. Sunt ſoluta ſterilitatis vincula, ac præter ſpem oratio genitalis apparuit: infœcundaque, prolis parens; ac filiis orba prolem habens.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 675.

Quoniam autem ex infœcunda matre prodierat, ex cujus vulva immortalitatis ſpica prodiit, eam parentes cum primum floreret ætatis florem, in templum ductam Deo donarium fecerunt. Is autem qui id temporis ſacerdotii peragebat vicem, ut tum præeuntium tum pone ſequentium virginum vidit tripudia, gavisus eſt, ac plurimum exſultavit, velut qui eorum quæ eſſent in ſpe, divinos jam eventus manifeſtos aſpiceret: nec aliter divinum Deo donarium, ac acceptiſſimam dignam-B que veneratione hoſtiam litavit; magno hoc ſalutis theſauro in ipſis ſanctorum penetralibus depoſito: ubi puella ſermonibus, ceu ſponſalibus inambulans thalamis, ambroſia paſceretur eſca, uſque dum veniſſet definitum ante ſæculum omne conjugii tempus; tum ipſi, qui ex ea, miſericordia inenarrabili natus eſt, tum ei qui divine ante creatum omne & tempus & ſpacium, ipſum genuit, tum cognato eademque ſede conſidente ac adorando ejus Spiritui: quorum ſicut una divinitas, ita & natura & regnum; nulla diviſione, neque abalienatione aliave differentia, excepta quam principum hypoſtaſeon proprietas facit. Propterea tripudio feſtum ago atque delibor, Verbique matri of-C fero feſtivum munus, utpote cujus mihi proles, quod fidei Trinitatis caput eſt notum fecerit. Verbo enim æterno & Filio ſuam ſibi formante & aſſumente carnem, etiam Pater qui genuit manifeſtatur, ut una complacens & probans, & Spiritus ſanctus ut affectans comeſque, ac ejus quæ incomprehenſibilem utero habuit, ſanctificans uterum.

Verum tempus modo eſt ut Davidem percunctemur, quid ad ipſum cum juramento Deus omnium dixerit. Age igitur canticorum ſcriptor: ades propheta: agita pulſaque cytharam: move muſica inſtrumenta: dic palam, quid tibi juravit Dominus? Quid mihi juravit Dominus? *ut ponat de fructu lumbi mei ſuper ſedem meam*. Hoc mi-D hi juravit, nec fecit irritum. Juravit ſermoneſque operibus obſignavit firmavitque: [a] *Semel*, inquit, *juravi in ſancto meo, ſi David mentiar? Semen ejus in æternum manebit: & thronus ejus ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum: & teſtis in cælo fidelis*. Juramenta hæc opere adimplevit. Oracula hæc confirmavit: *Impoſſibile enim eſt, mentiri Deum*. Ecce ergo videte; qui ſecundum carnem Chriſtus, meus prædicatur filius, meus Dominus & filius canitur adoratus, eumque adorant omnes gentes: vident enim virginalibus collocatum ſedibus. Ecce & virgo hæc ex meo jam prodiit nata fœmore, ex cujus alvo proceſſit indutus in fine ſæculorum carnem, qui eſt E ante ſæcula, ſæculorumque renovavit coalitionem. Et hæc quidem ita. Nos autem Dei populus plebs ſancta, ſacer conventus, tripudio celebremus paterna: vim myſterii honoremus: quiſque pro conceſſa gratia congruum ſolemnitati munus conferat. Patres, generis fœlicitatem: matres, liberorum fœcundam probitatem: ſteriles, peccati infœcunditatem: virgines, duplicem incorruptionem, animæ inquam & corporis: conjugatæ, moderationem laudabilem. Si quis in vobis pater, Virginis ſibi patrem imitandum proponat. Quamquam prole careat, vitæ Dei amantis fructum, orationem nempe, ceu fœtum ſemenque vindemiet. Siqua mater lactans, Annæ poſt ſterilitatem lactanti pro voto puellam

[a] Pſalm. LXXXVIII. 36.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 675.

σα, προσίτω πιστῶς τῷ Θεοδότῳ τῆς Ἄννης βλαστῷ, καὶ ἀποκειράσθω τὴν στείρωσιν. εἴ τις παρθένος ἁγνεύουσα, γενέσθω μήτηρ τοῦ λόγου, λόγῳ κοσμοῦσα τῆς ψυχῆς τὴν κατάστασιν. εἴ τις ὑπὸ ζυγὸν, προαγέτω κάρπωμα λογικὸν, ἐξ ὧν δι᾽ εὐχῆς εὐπορήσατο. ἐπιταυτὸ πλούσιος καὶ πένης, νεανίσκοι καὶ παρθένοι, πρεσβύται μετὰ νεωτέρων, ἱερεῖς καὶ Λευῖται, βασιλίδες καὶ ἄρχουσαι, πάντες ὁμοῦ καὶ πᾶσαι, λαμπροφορήσωμεν τῇ νεάνιδι καὶ μητρὶ τοῦ Θεοῦ καὶ προφήτιδι, ἐξ ἧς ὁ προφήτης, ὃν ἔγραψε Μωσῆς ἐπεδήμησε, Χριστὸς ὁ Θεὸς, ἡ ἀλήθεια. φθάσωμεν ταῖς προτρεχούσαις παρθένοις· εἰς αὐτὰ τὰ τῶν ἁγίων συνέλθωμεν ἅγια. ἐκεῖ γὰρ τὰ σπάργανα, μετὰ γέννησιν, μετὰ μαζὸν, μετὰ νηπίασιν εἰς ἄνθους ὥραν ἡβῶσι. παστάδος δίκην ἡτοίμασεν αὐτῇ ὁ Θεὸς τὸ θρεπτήριον, φυλάξας ἑαυτῷ τὸ σεβάσμιον. διὰ τοῦτο παρθένοι χορεύουσιν, αἱ πλησίον αὐτῆς προοδοποιοῦσαι τὰ μέλλοντα. ἔνθεν, αἱ τῆς Σιὼν θυγατέρες ὡς βασιλίδος προτρέχουσιν, εἰς ὀσμὴν τῶν μύρων αὐτῆς προεξέρχουσιν. αὐτόθεν καὶ ὁ ναὸς οὗτος τὰς ἱερὰς διαπετάσας ἀνήρπισε πύλας, ἵνα τὴν βασίλειον τοῦ παντὸς ὑποδέξηται δόξαν. τότε δὴ τότε, τὰ τῶν ἁγίων ἀνεῴγνυντο ἅγια, τὴν παναγίαν τοῦ ἁγίου μητέρα εἴσω τῶν ἀδύτων ἐγκολπωσάμενα. τροφὴ δὲ ταύτῃ πρόσφατος, καὶ τρέφει τέως ἀχειροδότως τὴν τρέφουσαν, ὁ μετ᾽ ὀλίγον τῷ ταύτης τρεφόμενος γάλακτι. καὶ γίνεται τιθηνὸς τῆς παρθένου τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, μέχρις ἀναδείξεως αὐτῆς ἐν τῷ Ἰσραήλ. ὅτε δὴ καὶ τῆς μνηστείας ὁ καιρὸς ἐπεφάνη, καὶ τὴν ἐκ Δαβὶδ, ὁ τοῦ Δαβὶδ Ἰωσὴφ ἐμνηστεύσατο, καὶ τοῦ Γαβριὴλ τὴν φωνὴν, ἀντὶ σπορᾶς εἰσεδέξατο· καὶ γέγονε κυοφόρος, οὐ πειρασθεῖσα κοίτης. καὶ γεγέννηκεν υἱὸν, ὃν οὐκ ἔσπειρε πατήρ· καὶ μεμένηκεν ἁγνὴ, μὴ συληθεῖσα τὴν νηδύν· σῶα καὶ μετὰ τὸν τόκον φυλάξαντος αὐτῇ τοῦ τεχθέντος τῆς παρθενίας τὰ σημαντρα. οὗτός ἐστι Χριστὸς Ἰησοῦς Ναζωραῖος, ὁ εἰς τὸν κόσμον ἐρχόμενος. οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς Θεὸς καὶ ζωὴ αἰώνιος. αὐτῷ ἡ δόξα, καὶ ἡ τιμὴ, καὶ ἡ προσκύνησις, σὺν τῷ πατρὶ, καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν.

congaudeat. Siqua sterilis & infœcunda fructum benedictionis non habet, concessum divinitus Annæ germen conveniat, & sterilitatem deponat. Siqua virgo casta, efficiatur Verbi mater, verbo animæ statui ornatum conferens. Siqua sub jugo, rationale sacrificium offerat de iis quæ per preces abundant. *Simul in unum dives & pauper, juvenes & virgines, senes cum junioribus*, sacerdotes & Levitæ, reginæ & fœminæ principes, universi simul universæque festive præluceamus juvenculæ, & Dei matri ac prophetissæ, ex qua advenit quem Moses scripsit Propheta, Christus Deus, Veritas. Veniamus ad templi vestibula, una curramus cum virginibus præcurrentibus, ipsa simul adeamus Sancta sanctorum. Illic enim post nativitatem, post ubera, post infantiam, panni in floris speciem decoremque pubescunt. Et Deus instar thalami educatorium paravit, sibi ipsi servato quod venerabile est & augustum. Hinc ducunt choreas quæ illi proximæ virgines, futurisque præstruunt. Hinc filiæ Sion velut reginam præcurrentes, in odorem unguentorum ejus præeunt. Hinc & illud templum sacras revolvit fores, ut regalem universi susciperet gloriam. Tunc sane, tunc temporis patuerunt Sancta sanctorum, Sancti matre sanctissima intra adyta sinu recepta. Porro recens illi alimonia est, hactenusque alit sine manu alentem, is qui brevi post lacte ejus alendus est. Fitque Spiritus sanctus nutricius Virginis usque ad ostensionem ejus in Israel. Quando scilicet apparuit conjugii tempus, ac Joseph Davidis filius ex Davide ortam in uxorem duxit, eaque seminis loco, verbum Gabrielis suscepit: concubitusque expers gestavit in utero, ac filium genuit non satum patre: mansitque casta non violato utero, post etiam partum servante ei quem peperit virginitatis signacula, Christo nimirum Jesu Nazareno, qui in mundum venit. Is est Deus verus & vita æterna, cui cum Patre & sancto Spiritu, gloria, honor, & adoratio, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ. — EJUSDEM.

Εἰς τὸν εὐαγγελισμὸν τῆς ὑπεραγίας δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου.

ΕΠέστη σήμερον ἡ πάντων χαρὰ, λύουσα τὴν πρώτην ἀράν. ἐπέστη ὁ πανταχοῦ, ἵνα τὰ πάντα πληρώσῃ χαρᾶς. ἐπέστη δὲ πῶς; οὐ δορυφόρους ἔχων, οὐ στρατιὰς ἀγγέλων συνεπαγόμενος, οὐ κομπάζων τὴν πρόοδον, ἀλλ᾽ ἡσυχῇ καὶ ἠρέμα· τοῦτο ποιῶν, ἵνα λάθῃ τὸν ἄρχοντα τοῦ σκότους, ἵνα τέχνῃ σοφίας παγιδεύσας τὸν ὄφιν, καὶ τὸν δράκοντα φενακίσας τὸν νοητὸν, τὸν Ἀσσύριον, τὸν πᾶσαν ὑφ᾽ ἑαυτὸν δουλωσάμενον τὴν ἀνθρωπίνην εὐγένειαν, ἁρπάσῃ τὸ λάφυρον· οὐκ ἀνασχομένης αὐτοῦ τῆς ἀπειρομεγέθους περὶ ἡμᾶς εὐσπλαγχνίας, τοσοῦτον ἔργον ζημιωθῆναι, τὸν ἄνθρωπον, δι᾽ ὃν οὐρανοὺς ἐκαμάρωσε, γῆν ἐστερέωσεν, ἀέρα ἐξέχεε, θάλασσαν ἥπλωσε, καὶ τὴν φαινομένην ἅπασαν ἐπικτήσατο κτίσιν. διὰ τοῦτο Θεὸς ἐπὶ γῆς, Θεὸς ἐξ οὐρανοῦ, Θεὸς ἐν ἀνθρώποις, Θεὸς ἐν γαστρὶ παρθένου φερόμενος, ὁ πανταχοῦ μὴ χωρούμενος. ἐντεῦθεν ἡ ἀνθρώπου φύσις χαρᾶς προοίμια δέχεται, καὶ ἀρχὴν λαμβάνει θεώσεως. ἐντεῦθεν τὸν ἑαυτῆς ἀποκειραμένη τῆς ἁμαρτίας πολυφάνταστον πλοῦτον, νυμφοστολεῖται τῷ κτίσαντι. ἐντεῦθεν ἡμῶν ἡ πρώτη διάπλασις, νέαν ἀνάπλασιν δέχεται· καὶ ὁ

In sanctissimæ Deiparæ dominæ nostræ annunciationem.

ADvenit hodie gaudium universorum, pristinas nobis diras diluens. Advenit qui ubique est, ut gaudio omnia impleat. Qua porro ratione advenit? Nullo certe satellitio stipatus: non secum ducens angelorum exercitum: non suam jactans expeditionem, sed quiete ac submisse: ita agens, quo lateat principem tenebrarum; quo prudenti arte illaqueato serpente Assyrioque dracone, illa nempe astutia ac genio, qui humanam omnem ingenuitatem suæ subjecerat servituti, decepto, spolia rapiat. Nimirum, non ferente immensa ejus in nos misericordia, tantum opus, hominem dico deperire, cujus gratia cælos testudinario velut opere inflexisset, terram fundasset, aerem diffudisset, explicasset mare, ac naturam omnem obtutui objectam fabricatus esset. Propterea Deus in terra, Deus e cælo, Deus inter homines, gestatus Deus Virginis utero, quem nullus usquam locus caperet. Hinc humana natura gaudii prælndia percipit, ac prima capit deitatis consortia. Hinc inani specie plurimum ludentibus ac fallacibus refectis abdicatisque suis illis peccati divitiis, Creatori ut sponsa ornatur. Hinc prima illa nostra creatio fictio-

Sæcul. VII. circa Ann. Chr. 675.



A γηράσας κόσμος τὴν ἐξ ἁμαρτίας παλαίωσιν ἀποτίθεται. ἀλλ' εὐφραινέσθω ὁ οὐρανὸς ἄνωθεν, καὶ νεφέλαι ῥανάτωσαν δικαιοσύνην, σταλαξάτω τὰ ὄρη γλυκασμὸν, καὶ οἱ βουνοὶ ἀγαλλίασιν, ὅτι ἠλέησεν ὁ Θεὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ. σήμερον γὰρ τὸ ἀποκεκρυμμένον πρὸ τῶν αἰώνων μυστήριον φανεροῦται, καὶ ἀνακεφαλαίωσιν ἐν Χριστῷ τὰ σύμπαντα δέχεται. σήμερον ἡ δημιουργὸς τῶν ὅλων ἐξουσιαρχία, τὴν προβεβουλευμένην αὐτῇ τῆς τῶν ὄντων ποιήσεως, πρὸς πέρας ἄγει βουλὴν, ἵνα τὴν καθ' ἡμῶν ἐξ ἀρχῆς προεπινοηθεῖσαν τῷ ἀρχηγῷ τῆς κακίας βουλὴν διακρούσηται. διὰ τοῦτο χορεύουσιν ἄγγελοι, συγχαίρουσιν ἄνθρωποι, καὶ ὁ σύμπας ἀνανεούμενος πρὸς ἑαυτὸν ἐπανέρχεται κόσμος. τίς νοῦς, ποία δὲ ταῦτα χωρήσει γλῶττα, μήτι γε λόγος ἐκφράσαι B δυνήσαιτο, ἢ ἀκοὴ δέξασθαι;

Εἰκότως οὖν ἡ παροῦσα πανήγυρις, φαιδρὰ καὶ γεγανυμένη συγκεκρότηται σήμερον, τὴν παγγενεστάτην τοῦ ἡμετέρου φυράματος ἑορτάζουσα πρόσληψιν. τίς οὖσα καὶ ποταπή; τῆς μὲν κτίσεως ἁπάσης εὐφρόσυνον, τοῦ δὲ γένους ἀνόρθωσις. ἡκουσμένα χαρᾶς εὐαγγέλια σήμερον· Θεοῦ φιλανθρωπίας μηνύματα· παγκοσμίου σωτηρίας χαρμόσυνα. πόθεν, καὶ παρὰ τίνος, καὶ πρὸς τίνα ἥκοντα; ἐξ οὐρανοῦ, καὶ παρὰ Θεοῦ, καὶ πρὸς παρθένον μεμνηστευμένην ἀνδρί. τίς ἡ παρθένος; τίς ὁ ἀνήρ; τίνα δὲ τούτοις ὀνόματα; τῇ μὲν, Μαρία· τῷ C δὲ, Ἰωσήφ. ἀμφότεροι δὲ ἦσαν ἐκ γένους Δαβίδ. τίνος ταῦτα διακονοῦντος, καὶ ὅθεν ἥκοντος; τοῦ ἀρχαγγέλου Γαβριὴλ ἐξ ὑψίστου ἀποσταλέντος εἰς διακονίαν τοῦ θαύματος. ἔδει γὰρ τοῦ ὑψίστου τὸν λειτουργὸν, ἐκ τῶν ὑψίστων ἐπὶ γῆς καταπτάντα, παράδοξον ἐπὶ παραδόξοις τοῖς πράγμασι διακονῆσαι μυστήριον. τί τοῦτο; τὴν τοῦ κυρίου συγκατάβασιν, τὴν ἄρρητον τῆς περὶ ἡμᾶς οἰκονομίας φανέρωσιν, τὴν ἀπ' αἰῶνος κεκαλυμμένην τῆς θείας βουλῆς καὶ προγνώσεως ἔκφανσιν καὶ βεβαίωσιν. ἀλλὰ ποῦ ταῦτα, καὶ πότε, καὶ ὅτου χάριν; εἰς Ναζαρὲτ πόλιν τῆς Γαλιλαίας, τῷ μηνὶ τῷ ἕκτῳ, καθ' ὃν Ἰωάννης συνειλήπτο, ἵνα τὸν ἐρχόμενον κηρύξῃ ἐγ- D γάστριον. ὅθεν ὁ Γαβριὴλ πρὸς τὴν ἐπίγειον παστάδα, τῶν αἰθερίων καταπτὰς ὑπερῴων, ἐπέστη τῇ Ναζαρὲτ, καὶ τῇ παρθένῳ προσελθὼν, τῆς ἀφράστου οἰκονομίας ἀψοφητὶ διηκόνει τὸ μήνυμα. τοῦτο τῆς πρὸς ἀνθρώπους θείας καταλλαγῆς τὸ μυστήριον· τοῦτο πανηγυρίζομεν σήμερον, τὴν τοῦ Θεοῦ πρὸς ἀνθρώπους συνάφειαν, τὴν τοῦ προσλήμματος θέωσιν, τὴν τῆς εἰκόνος ἡμῶν ἀναμόρφωσιν, τὴν εἰς τὸ κρεῖττον ἀλλοίωσιν, τὴν εἰς οὐρανοὺς ὕψωσιν καὶ ἀνάβασιν.

que, fictione nova recreatur, mundusque veteratus, contractam peccato vetustatem exuit. Epimvero, *Lætetur cælum desuper, & nubes spargant justitiam. Stillent montes dulcedinem, & colles exsultationem*; quoniam misertus est Dominus populi sui. Hodie enim, manifestum efficitur *sacramentum a sæculis absconditum; omniaque pariter in Christo velut capite repetuntur, ac instaurantur*. Hodie creatrix universorum, suprema authoritate decernens potentia, præconceptum olim creationis rerum consilium ad finem perducit, illud in nos a principio excogitatum malorum authori summotura consilium. Quamobrem tripudiant Angeli, congaudent homines, universusque simul mundus instauratus, ad seipsum redit. Quæ mens, vel lingua hæc possit capere? Tantum abest ut potuerit sermo eloqui, vel aures suscipere.

Merito igitur læta nobis ac exsultans præsens hodierna die solemnitas indicta est, agiturque festus conventus, humanæ conspersionis universalissimam assumtionem gaudio celebrans. Quæ vero ejusmodi ac quanta festivitas? Plane totius creaturæ lætitia, ac generis emendatio. Sunt ergo faustæ hodie nunciationes, divinæ benignitatis propensiorisque in hominum genus studii significationes, mundi totius salutis festa gaudia. Undenam vero, & a quo illa veniunt, & ad quem diriguntur? Nimirum e cælo atque [a] *a Deo; & ad virginem desponsatam viro*. Quæ illa virgo? Quis ille vir? Quæve hisce nomina? Illi quidem, *Maria*; huic vero, *Joseph*. Ac erant ambo *ex stirpe David*. Quonam hæc peraguntur ministro, & unde is venit? Nimirum, Archangelo Gabriele in stupendæ rei ministerium de altissimis misso. Decebat enim ministrum Altissimi, de altissimis in terram devolantem, inauditum illud, atque sui admiratione res admirandas cunctas longe superans, perferre sacramentum. Quodnam illud? Quo se nobis Dominus inclinavit: arcanam illam divinæ in nos dispensationis manifestationem: divini consilii ac præscientiæ occultam a sæculo declarationem ac confirmationem. Ubi autem hæc, & quando, ac cujus gratia? *In Nazaret civitate Galilææ, mense sexto a concepto Joanne*; ut venturum in utero exsistentem prædicaret. Itaque Gabriel ab cælestibus ad terrenum cubiculum devolans, supervenit Nazaret, accedensque ad Virginem, inenarrabilis dispensationis nuncio, pro sui ministerii ratione, sine strepitu defunctus est. Hoc illud est divinæ cum hominibus reconciliationis sacramentum. Hoc illud, quod festis hodie gaudiis colimus: Dei, inquam, cum hominibus affinitatem, assumtæ naturæ deificationem, nostræ imaginis reformationem, demutationem in melius, exaltationem in cælos ac ascensionem.

Διὰ τοῦτο χαρᾷ χαίρει τὰ σύμπαντα σήμερον, E καὶ πᾶσα τῶν ὑπερκοσμίων δυνάμεων ἡ νοητὴ διακόσμησις, ταῖς θείαις περὶ ἡμᾶς καταλλαγαῖς ἐπισπένδεται. φίλον γὰρ αὐταῖς πρὸς Θεὸν ἡμῶν ἐπανόρθωμα, καὶ ἡ πρὸς τὴν ἀμείνω κατάστασιν πρόοδος καὶ ἀνάβασις. καὶ γάρ εἰσι λίαν συμπαθεῖς καὶ φιλάνθρωποι, ἅτε εἰς διακονίαν ἀποστελλόμεναι τῶν μελλόντων κληρονομεῖν σωτηρίαν. τοιγαροῦν ἀγαλλιάσθω τὰ σύμπαντα σήμερον, καὶ ἡ φύσις σκιρτάτω. ὁ οὐρανὸς γὰρ ἐξανοίγεται, ἡ γῆ τὸν βασιλέα τοῦ παντὸς ἀφανῶς ὑποδέχεται· Ναζαρὲτ τὴν Ἐδὲμ μιμουμένη, τὸν τῆς Ἐδὲμ φυτουργὸν ἐγκολπάζεται. ὁ πατὴρ τῶν οἰκτιρμῶν, τὴν ἀνθρωπίνην ἐσχατιὰν, τῷ μόνῳ μόνος ἐξ αὐτοῦ γεννηθέντι μνη-

Quapropter cuncta hodie pariter gaudent gaudio, ac universi cælestium virtutum spiritales ordines, Dei ad nos conciliationi & ipsi conciliati accedunt. Jucundissima enim ipsis est nostra ad Deum cum emendatione reversio, progressioque ad meliorem statum atque provectio. Valde quippe misericordes sunt, propensiorique studio in hominum genus, velut *missi in eorum ministerium, qui sunt futuri heredes salutis*. Cuncti itaque pari exsultent gaudio, ac saliat natura. Quippe cælum totum panditur, terra universi regem clanculum suscipit: Nazaret, Edem illam imitata, ipsum qui Edem plantavit sinu complectitur. Pater ille misericordiarum, solus ipse soli nato ex ipso, ac unigenito, humanam naturam longissime a cæli princi-

[a] Luc. I. 26. 27.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 675.

στεύεται· καὶ Γαβριὴλ τῷ μυστηρίῳ διακονεῖ, καὶ τῇ παρθένῳ ὑποφωνεῖ τὸ Χαῖρε, ἵνα τὴν χαρὰν ἣν ἡ προμήτωρ ἀπώλεσεν, ἡ θυγάτηρ τοῦ Ἀδὰμ ἡ ἐκ Δαβὶδ ἀνατείλασα, δι᾽ ἑαυτῆς ἀνασώσηται. σήμερον ὁ τῆς δόξης πατὴρ εἰς οἶκτον τοῦ ἀνθρωπίνου γένους ἐλθὼν, τὴν ἐν Ἀδὰμ φθαρεῖσαν φύσιν, ἱλέῳ κατοπτεύει τῷ βλέμματι. σήμερον τῶν αὐτοῦ παναγάθων σπλάγχνων ὁ τῆς εὐσπλαγχνίας δοτὴρ ἀνακαλύπτει τὴν ἄβυσσον, καὶ διοχετεύει τῇ φύσει τὸν ἔλεον, ὡς ὕδωρ πολὺ καλύψαι θαλάσσας. ἔπρεπε γὰρ τῷ ἐξ οὗ, καὶ δι᾽ οὗ, καὶ ἐν ᾧ τὰ πάντα συνέστηκε, ἐλέῳ τῆς καθ᾽ ἡμᾶς ἀρχαίας ἀρᾶς τὴν καταδίκην ἀμείψασθαι· δόξῃ τε τῇ ἑαυτοῦ παραδοξάσαι τὴν ἀδοξήσασαν ἐν Ἀδὰμ φύσιν, καὶ ἀληθείᾳ τὴν τοῦ πατρὸς τοῦ ψεύδους ἐπίκρημνον συμβουλὴν ἀποσείσασθαι, ἧς ἔργον ἡ πρώτη παράβασις, τοῦ Ἀδαμιαίου πλάσματος τὸ παράπτωμα.

Οὗ δὴ χάριν ὁ μέγας ἐν βασιλεῦσι Δαβὶδ ὁ θεοπάτωρ προέψαλλεν· ἔλεος καὶ ἀλήθεια συνήντησαν, δικαιοσύνη καὶ εἰρήνη κατεφίλησαν. τί ταῦτα λέγων; ἢ τάχα τὸν τοῦ υἱοῦ κατ᾽ εὐδοκίαν τοῦ πατρὸς περὶ ἡμᾶς ἔλεον, καθ᾽ ὃν ἐλεήσας ἡμᾶς ὁ τοῦ ἐλέους δοτὴρ, ἐγένετο καθ᾽ ἡμᾶς δίχα μόνου τοῦ πτώματος, ἵνα λυθῇ τὸ παράπτωμα, καὶ πεσόντας ἡμᾶς ἀναστήσῃ τοῦ πτώματος, καὶ ἀναπλάσῃ τὸ πταῖσαν δίχα συντρίψεως. ἀλήθειαν δὲ, τὴν οὐ κατὰ φαντασίαν αὐτῷ γενομένην πρὸς ἀνθρώπους φανέρωσιν. οὐ γὰρ κατεσχηματισμένην, ὡς ἄν τις φαίη, τὴν ἐξ ἡμῶν ἐποιήσατο πρόσληψιν, ἀλλ᾽ ὡς ὄντως ἀληθείᾳ, φιλανθρώπως ἅμα καὶ κατὰ ἀνθρώπους, ἐκ τῆς ἀνθρώπων οὐσίας οὐσιωθεὶς ὁ ὑπερούσιος· καὶ ὅλων ἡμῶν ἐν ἑαυτῷ θεώσας τὸ πρόσλημμα, οὔτε τὴν οἰκονομίαν ἐφάντασε, καὶ τὴν ἀλήθειαν τῆς σαρκὸς ἐπιστώσατο, ἀλωβήτου μεινάσης αὐτοῦ τῆς θεότητος πάσης ἐκστατικῆς ἀλλοιώσεως. ἐπεὶ οὖν ἔλεος καὶ ἀλήθεια κατὰ τὴν προφητείαν συνήντησαν, εἰκότως ἄρα δικαιοσύνη καὶ εἰρήνη κατεφίλησαν· δικαιοσύνη μὲν, ἡ κατὰ τοῦ ἀδικήσαντος τοὺς πρωτογόνους ἐξενεχθεῖσα ψῆφος. πότε, καὶ παρὰ τίνος; σήμερον, καὶ παρὰ τοῦ ὑψίστου πατρός. καθ᾽ ἣν ἐδικαίωσεν ὁ φύσει φιλάνθρωπος ἐν ἴσῳ τοῦ ἡμετέρου σχήματος τὸν ἑαυτοῦ μονογενῆ υἱὸν ἐπιφανέντα, κατακρῖναι τὸν ἀντικείμενον. εἰρήνη δὲ, ἣν ἐξαίφνης ἡ τῶν ἀγγέλων χοροστασία, τῇ τοῦ εἰρηνάρχου υἱοῦ κατὰ σάρκα γεννήσει ὁμοφώνως ἀνύμνησεν· δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ λέγουσα, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. δόξα, ἣν ἐδοξάσθη παρὰ Χριστοῦ τὸ ἀνθρώπινον, τῶν οὐρανίων ἀψίδων ὑπεράνω γενόμενον, καὶ πάσης ὑπεραρθὲν ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας καὶ δυνάμεως, κατὰ τὸν μέγαν ἀπόστολον. εἰρήνη δὲ, ἣν αὐτὸς ἐμεσίτευσε συνάψας τοῖς ἐπὶ γῆς τὰ οὐράνια, καὶ ξένην τρίβον τῆς εἰς οὐρανοὺς ἀνόδου τοῖς ἐπὶ γῆς ἐχαρίσατο· εὐδοκία δὲ, ἣν αὐτὸς εὐδόκησεν ὁ πατὴρ, τὸν υἱὸν αὐτὸν ἀγαπητὸν ἀποστείλας πρὸς τοὺς κατακρίτους ἡμᾶς, ἵνα τὴν εὐδοκηθεῖσαν ἐν αὐτῷ παρὰ τοῦ πατρὸς σωτηρίαν, ὡς ὁμοθελὴς τοῦ πατρὸς, εἰς ἡμᾶς ἐκπληρώσῃ. τοῦτο ὃ νῦν πανηγυρίζομεν· τοῦτο σήμερον καὶ Γαβριὴλ ἐγχειρίζεται τὸ ἐπίταγμα, καὶ μεσιτεύει θεότητι καὶ ἀνθρωπότητι, καὶ πάσης καταλλαγῆς ὅμηρα τῇ παρθένῳ πρῶτος εὐαγγελίζεται.

A patu summotam, & a terris citimam, sponsam tradit; ac Gabriel sacramenti ministrum agens, [a] *Ave* illud submurmurat Virgini, quo gaudium a prima parente amissum, ipsa per se, orta ex David filia Adæ, incolume restituat. Hodie gloriæ pater misertus humani generis, naturam in Adamo corruptam, propitiis adspicit oculis. Hodie viscerum misericordiæ largitor, suorum misericordiæ optimorum viscerum revelat abyssum, ac velut aquam multam ut operiat maria, misericordiam in naturam derivat. Decebat quippe, ut is, *ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia constant,* veteris noxæ nostræ condemnationem misericordia B commutaret, suæque ipsius gloriæ accessione naturam gloriosam redderet, quæ in Adamo gloriam amisisset; ac patris mendacii præceps in ruinam consilium illud, cujus opus prima sit transgressio, figmenti inquam Adæ hominisque prolapsio, depelleret.

Hinc plane Rex magnus Dei parens David olim cecinit: [b] *Misericordia & veritas occurrerunt invicem: justitia & pax osculatæ sunt.* Quid his aliud volens, quam utique Filii in nos secundum beneplacitum Patris misericordiam, qua misericordiæ largitor similis nobis factus est, peccato dumtaxat excepto; quo solveretur delictum, lapsosque a casu ipse erigeret, atque vas prolapsione confra- C ctum, ab omni immune contritione novum fingeret? Veritatem autem, ipsius ad homines manifestationem non inani visione factam dicens. Non enim velut figuram ac simulatam, ut quis dixerit, a nobis carnem assumsit: sed plane veritate, tum singulari in hominum genus studio ac misericordia, tum qualis vere hominum est, ascita sibi substantia, qui major substantia est, omniumque nostrum assumtam naturam deitatis consortio in seipso donans, neque œconomiam visione gessit, & carnis veritatem adstruxit, ejus interim deitate ab omni [1] velut statu movente mutatione illæsa. Quoniam igitur juxta Prophetæ oraculum: *Misericordia & veritas occurrerunt invicem*, merito sane *Justitia &* D *pax osculatæ sunt*. Justitia quidem, nempe prolata in eum qui primos parentes deceptor læsisset, sententia. Quando, & a quonam? Hodie, & a Patre altissimo. Juxta quam, qui natura benignus est & misericors juste decrevit, ut Filius suus unigenitus, in eadem nobiscum naturæ forma apparens, adversarium condemnaret. Pax autem; quam subito chorus angelorum pro Filii Principis pacis nativitate in carne, una de cælo celebravit voce, dicens: [c] *Gloria in Altissimis Deo; & in terra pax; in hominibus bona voluntas*. Gloria, quam a Christo genus humanum est consecutum, quod evectum sit supra cælorum orbes, ac supra omnem E principatum, & potestatem, & virtutem, ut habet magnus Apostolus, elatum. Pax; quam ipse sequester & medius conciliavit, arcta quadam necessitudine terrenis jungens cælestia, quaque novam quamdam viam redeundi in cælos, positis in terra hominibus donavit. Bona demum voluntas, qua Pater ipse, dilectum Filium suum ad nos reos beneplacito misit; quo is, velut una Patri voluntate, quam Pater salutem beneplacitam in eo habuisset probassetque, in nobis expleret. Hoc illud est quod nunc diei festo conventu celebramus. Hoc & Gabriel hodie creditum mandatum exsequitur; mediusque Dei & hominum, totius reconciliationis pignora primus Virgini fauste annunciat.

a Luc. I. 28. b Psalm. LXXXIV. 11. c Luc. II. 14.

1. *Hoc est*, in pejus mutante. V. Cyrill. Alex. in c. 3. Habac.

A Τῶν γὰρ οἰκτιρμῶν ὁ πατὴρ, οἰκτείρας τὸ γένος ἡμῶν, ἤδη τῷ τῆς ἁμαρτίας καταφθαρὲν ὀλισθήματι, ἐμνήσθη τῶν ἔργων τῶν χειρῶν αὐτοῦ, καὶ μὴ φέρων εἰς τέλος ἡμᾶς ἀπολλυμένους ὁρᾷν, πρῶτον μὲν τὸν ἐν γράμματι νόμον πλαξὶ λιθίναις ἐγγεγραμμένον ταῖς Μωσέως χερσὶν ἐνεχείρισεν. ὡς δὲ μηδὲν ὁ νόμος ὁ γραπτὸς ἐτελείωσε, πνευματοφόρους ἄνδρας ἀπέστειλε, τοὺς διορατικοὺς λέγω προφήτας, πάσας παραδεικνύοντας τὰς ὁδοὺς Θεοῦ τὰς εὐθείας. ὡς δὲ βύοντες τὰς αἰσθήσεις οἱ πρὸς οὓς ἀπεστάλησαν, οὐδὲν ἧττον ὁμοίως διέκειντο, οὐδ᾽ οὕτως ἡμῶν τὸ πλάσμα περιεῖδεν ὁ πλάστης· ἀλλ᾽ ἐκ τῶν ὑπεραγάθων αὐτοῦ καὶ παναμώμων κόλπων, τὸν ὁμόθρονον αὐτοῦ καὶ ἰσοσθενῆ καὶ ἰσάγαθον ἐξαναστήσας υἱὸν, ἐξαπέστειλεν εἰς τοὺς B ἀναξίους ἡμᾶς, εἰς οὓς τὰ τέλη τῶν αἰώνων κατήντησε· κρείνας μᾶλλον τὴν τῶν προσκεκρουκότων σωτηρίαν ἐργάσασθαι, ἢ τοιοῦτον καὶ τοσοῦτον τῆς εἰς τὸ πλάσμα περιιδεῖν ἐργασίας κατόρθωμα. ἑνὶ τοίνυν τῶν πρωτίστων ἀγγέλων διακονῆσαι τῷ μυστηρίῳ θεσπίσας, τοιάδε, οἶμαι, τῷ τῆς οἰκείας μεγαλειότητος διεκελεύσατο νεύματι. δεῦρο, λέγων, ἄπιθι Γαβριὴλ εἰς Ναζαρὲτ, πόλιν τῆς Γαλιλαίας, ἐν ᾗ κόρη παρθένος οἰκίζεται, μεμνηστευμένη ἀνδρὶ, ᾧ ὄνομα Ἰωσήφ. Μαρία τῇ παρθένῳ τὸ ὄνομα. εἰς Ναζαρὲτ, φησί; διὰ τί; ἵνα τὸ τῆς παρθενίας θεοχαρίτωτον κάλλος, καθάπερ ῥόδον ἐξ ἠκανθωμένης χώρας ὁ παντοκράτωρ ἐκλέξηται· καὶ διὰ τὴν προφητείαν· ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται. C τίς; ὁ τῷ Ναθαναὴλ ὕστερον υἱὸς Θεοῦ καὶ βασιλεὺς τοῦ Ἰσραὴλ κηρυττόμενος. ἀμέλει τοι, καὶ εἴθισται Γαβριὴλ ἐν τοῖς περὶ Θεοῦ μυστηρίοις διακονεῖν, ὡς ἐν τῷ Δανιὴλ ἔγνωμεν.

Ἄπιθι τοίνυν εἰς Ναζαρὲτ πόλιν τῆς Γαλιλαίας· καὶ τῇδε φθάσας, τοῦτο δὴ τοῦτο πρῶτον πρόσειπε τῇ παρθένῳ, τὸ τῆς χαρᾶς εὐαγγέλιον, ὃ προαπώλεσεν Εὔα· καὶ μὴ δὴ θορυβήσῃς αὐτῆς τὴν ψυχήν. χαρᾶς γὰρ, οὐ λύπης τὸ μήνυμα· θυμηδίας, οὐκ ἀθυμίας ὁ ἀσπασμός. ποία γὰρ ἦν καὶ ἔσται ταύτης χαριεστέρα χαρὰ τῷ ἀνθρωπίνῳ γένει, τοῦ κοινωνὸν γενέσθαι θείας φύσεως, καὶ τῇ πρὸς αὐτὸν συναφείᾳ, ἓν μετ᾽ αὐτοῦ γενέσθαι κατὰ τὸν τῆς ἑνώσεως, εἴτ᾽ οὖν ὑποστάσεως λόγον; τί δὲ θαυμασιώτερον, D τοῦ βλέπειν Θεοῦ συγκατάβασιν, μέχρι καὶ τῆς ἐν μήτρᾳ γυναικὸς κυοφορίας φθάνουσαν; ὢ παραδόξων πραγμάτων. Θεὸς ἐν μορίοις γυναικὸς, ὁ τὸν οὐρανὸν θρόνον ἔχων, καὶ ὑποπόδιον τὴν γῆν. Θεὸς ἐγγάστριος, ὁ ὑπερουράνιος, καὶ τῆς πατρικῆς ἀϊδιότητος σύνθρονος. καὶ τί τούτου παραδοξότερον, ἀνθρωπόμορφον ὁρᾶσθαι Θεὸν, μὴ ἐκστάντα τῆς οἰκείας θεότητος; τήν τε ἀνθρωπίνην φύσιν ὁρᾷν ὅλην συνημμένην τῷ πλάσαντι, ἵνα ὅλος ὁ ἄνθρωπος θεωθῇ, ὁ πρῶτος πεσὼν ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν; τί οὖν ὁ Γαβριήλ; ὡς τούτων ἤκουσε, καὶ τὸ κελευσθὲν ἔγνω, θείᾳ μὲν ψήφῳ κεκυρωμένον, τῆς αὐτοῦ δὲ κρεῖττον ὑπάρχον δυνάμεως, φόβου καὶ χαρᾶς μεθόριος ἵστατο, μηδὲ τὸ θαρρεῖν αὐτόθεν ἔχων E ἐπίδηλον, καὶ ἀντιλέγειν ἀσφαλὲς οὐχ ἡγούμενος. τῷ θείῳ μέντοι παρομαρτήσας κελεύσματι, κατέπτη πρὸς τὴν παρθένον, καὶ τὴν Ναζαρὲτ καταλαβὼν, ἐπέστη τῷ δωματίῳ· εἶτα σύννους τις γενόμενος, καὶ καθ᾽ ἑαυτὸν ὥσπερ διαπορῶν, τοῖς λογισμοῖς διεσχίζετο, τοιάδε, οἶμαι, πρὸς ἑαυτὸν λογιζόμενος· πόθεν ἀπάρξωμαι διακονεῖν τῷ Θεοῦ τῷ βουλεύματι; δρομαῖος εἰσέλθω τῷ θαλάμῳ; ἀλλὰ πτοήσω τὴν ψυχὴν τῆς παρθένου. σχολαιότερον ἐπιβῶ; ἀλλ᾽ ὡς τὴν εἴσοδον κλέψας τῇ κόρῃ κριθήσομαι. θυροκρουστήσω; καὶ πῶς; οὐ γὰρ ἴδιον ἀγγέλοις τοῦτο, οὐδέ τι τῶν κρατούντων ἢ κρατουμένων εἴργειν δύναται τὸ ἀσώματον. προανοίξω τὴν πύλην; ἀλλὰ καὶ συγ-

Pater siquidem misericordiarum misertus humani generis, quod jam prolapsione in peccatum periisset, recordatus operum manuum suarum, nec ferens ut in finem pereuntes videret; primum quidem tabulis lapideis inscriptam legem in manus Moysi tradidit. Postquam vero *lex scripta nihil ad perfectum deduxisset ac consummasset*, viros misit divino spiritu afflatos: perspicaces, inquam, ac videntes Prophetas, qui Dei vias rectas omnes docerent. Verum cum illis, ad quos missi erant, obturatis sensibus suis, nihil melius affecti essent, nec sic tamen, fictionem nostram plastes ille despexit; sed ex benignissimo sanctissimoque sinu suo, ejusdem secum majestatis & potentiæ & bonitatis Filium suum suscitans, ad indignos nos misit, *in quos fines sæculorum devenerunt*: satius fore existimans, ut eorum qui offendissent operaretur salutem, quam ut tale ac tantum creationis specimen, opusque suum despiceret. Uni ergo ex præcipuis angelis, quem sacramenti hujus ministerio præfecisset, talia ut puto, majestatis suæ nutu mandavit. Heus, inquiens, vade Gabriel Nazaret in civitatem Galilææ, in qua puella virgo habitat desponsata viro, cui nomen est Joseph: virgini autem nomen est, Maria. Nazaret, inquit? Curnam? Quo gravissimum Deo virginitatis decus, velut rosam e spinoso loco sibi omnipotens deligeret: ob etiam prophetiam [a] *Quoniam Nazaræus vocabitur.* Quis ille? Quem postea Nathanael Dei Filium & Regem Israel esset prædicaturus. Ceterum, & id moris Gabrieli est, ut divinis sacramentis vicariam ponat operam, quemadmodum novimus ex Daniele.

Abi igitur Nazaret civitatem Galilææ, quo cum cito perveneris, illud primum quod Eva amiserat fausti gaudii, salutaturus Virgini nuncia, ac vide ne animum ejus turbaveris. Gaudii enim, non tristitiæ annunciatio est: voluptatis, non mœroris animi salutatio. Quodnam enim vel fuit, vel umquam illo majus futurum sit gaudium humano generi, ut divinæ naturæ particeps efficiatur, utque unum cum Deo, necessitudine ad ipsum, secundum unionis, adeoque subsistentiæ rationem evaserit? Quid vero dignum magis admiratione, quam ut Deus se nobis ad usque fœminæ prægnantis uterum inclinaverit? O res inauditas! Deus in membris fœminæ; *cui cælum sedes est, terra autem scabellum pedum*. Deus in utero, qui cælo altior est, quique Patri coæternus assidet. Quid vero sit magis novum, quam ut Deus humana forma conspicuus videatur oculis, nec quicquam tamen de propria ei deitate decedat; sicque humana natura suo cernatur fictori conserta, ut totus homo, qui primus corruerat sub peccatum, divinitatem induat? Quid igitur Gabriel? Ut hæc audivit, ac cognovit mandatum divina quidem sententia firmatum, sed quod ejus superaret virtutem, medius inter metum gaudiumque stetit: velut plane cui non illico audere palam suppeteret, nec tutum satis contradicere existimaret. Nihilominus tamen divinæ obsequens jussioni, ad virginem devolat. Cumque pervenisset Nazaret, domunculæ institit: tumque meditabundo similis, ac velut secum hæsitans, cogitationibus distrahebatur, talia puto, apud se animo volvens. Undenam Dei consilium exsequi aggrediar? Velocine cursu ad thalamum contendam? At terrebro virginis animum. Morosius ingrediar? Verum ceu furtim ingressus puellæ judicabor. Pulsabone igitur fores? Sed quomodo? Nec enim illud angelis consuetum est, nec quicquam eorum quæ vel tenent vel tenentur, prohibere potest quod incorporeum est. Portamne prius aperiam? Sed & illa

[a] Matth. II. 23.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 675.

κεκλεισμένης εἴσω γίνεσθαί με δυνατόν. καλέσω ταύτην ἐξ ὀνόματος; ἀλλὰ ταράξω τὴν νεάνιδα. τοῦτο οὖν δράσω. πρὸς τὸ τοῦ πέμψαντος βούλημα τὴν ὁρμὴν ἀπευθυνῶ· σκοπὸς γὰρ αὐτῷ τὸ ἀνθρώπινον σῶσαι. τὸ δέ γε βούλημα εἰ καὶ παράδοξόν πως, ἀλλ᾽ εὐσπλαγχνίας μεστὸν, καταλλαγῆς σύμβολον. πῶς οὖν ἄρα προσέλθω τῇ παρθένῳ; τί πρῶτον αὐτῇ διαλέξωμαι; τὸ τῆς χαρᾶς εὐαγγέλιον, ἢ τοῦ κυρίου μου τὴν ἐνοίκησιν; τοῦ πνεύματος τὴν ἐπέλευσιν, ἢ τοῦ ὑψίστου τὴν ἐπισκίασιν; χαιρετίσω τοιγαροῦν τὴν παρθένον, καταμηνύσω τὸ θαῦμα, προσπληκτάσω, ἀσπάσομαι, ὑποφωνήσω τὸ Χαῖρε. καλὸν ἐπεισόδιον πρὸς παῤῥησίαν ὁ ἀσπασμός. ὁμηρευέτω μοι τῆς πρὸς αὐτὴν ὁμιλίας τὸ χαῖρε. αὕτη γὰρ μόνον ἡ τοῦ χαῖρε φωνὴ, πρὸς τῷ μηδένα φόβον ἐμποιῆσαι τῇ κόρῃ, καὶ προδιομαλίσει αὐτῇ τὴν τῆς ψυχῆς κατάστασιν. ἀπὸ χαρᾶς οὖν ἄρξομαι, τὰ τῆς χαρᾶς αὐτῇ προαγγέλλων μηνύματα. πρέπει γὰρ οὕτω τὴν βασιλίδα χαρᾶς εὐαγγελίοις ἀσπάζεσθαι. χαροποιὸς γὰρ ὁ τρόπος, εὐφρόσυνος ὁ καιρὸς, θυμηδίας τὸ κέλευσμα, σωτηρίας τὸ βούλημα, καὶ χαρᾶς ἀκαταλήπτου προοίμιον.

Ταῦτα δὴ τότε στήσας καθ᾽ ἑαυτὸν ὁ ἀρχάγγελος, ἐπέστη τῇ παστάδι, καὶ προφθάσας τὸν θάλαμον, καθ᾽ ὃν ἡ παρθένος ᾠκίζετο, ἡσυχῇ τῇ θύρᾳ προσήγγισε, καὶ γενόμενος ἔνδον, πρᾳείᾳ τῇ φωνῇ τῇ παρθένῳ προσεῖπε· Χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ κύριος μετὰ σοῦ. ὁ πρὸ σοῦ, μετὰ σοῦ σήμερον, καὶ μετ᾽ ὀλίγον, ἐκ σοῦ· τὸ μὲν ἀϊδίως, τὸ δὲ χρονικῶς. βαβαὶ τῆς ἀμετρήτου φιλανθρωπίας. βαβαὶ τῆς χρηστότητος. οὐκ ἠρκέσθη τῆς χαρᾶς τῷ μηνύματι, εἰ μὴ καὶ τὸν τῆς χαρᾶς αὐτουργὸν ἀνηγόρευε, τῷ τῆς παρθένου κυήματι. τὸ γάρ· ὁ κύριος μετὰ σοῦ, αὐτὸν παρεῖναι τὸν βασιλέα προδήλως μηνύει, ὅλον ἐν αὐτῇ σωματούμενον, καὶ τῆς οἰκείας δόξης οὐκ ἐξιστάμενον.

Χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ κύριος μετὰ σοῦ. χαίροις τὸ τῆς χαρᾶς ὄργανον, δι᾽ οὗ τὸ τῆς ἀρᾶς ἐλύθη κατάκριμα, καὶ τὸ τῆς χαρᾶς ἀντεισήχθη δικαίωμα. χαῖρε ἀληθῶς εὐλογημένη· χαῖρε λελαμπρυσμένη· χαῖρε κεκαλλωπισμένον τῆς θείας δόξης ἀνάκτορον· χαίροις ἱερότευκτον τοῦ βασιλέως παλάτιον· χαῖρε νυμφὼν, ἐν ᾧ Χριστὸς ἐνυμφεύσατο τὴν ἀνθρωπότητα· χαίροις ἐκλεγομένη Θεῷ πρὸ γεννήσεων· χαίροις τὸ θεῖον πρὸς ἀνθρώπους διαλλακτήριον· χαίροις θησαυρὲ τῆς ἀκηράτου ζωῆς· χαίροις οὐρανὲ, τοῦ ἡλίους τῆς δόξης ὑπερουράνιον οἴκημα. χαίροις Θεοῦ τοῦ μηδαμοῦ χωρητοῦ, ἐν σοὶ δὲ μόνῃ χωρητοῦ, χωρίον εὐρύχωρον. χαίροις γῆ ἁγία παρθενικὴ, ἐξ ἧς ὁ νέος Ἀδὰμ ἀῤῥήτῳ θεοπλαστίᾳ ἐχρημάτισε, ἵνα τὸν παλαιὸν ἀνασώσηται. χαίροις ζύμη ἁγία θεοπλὴς, ἐξ ἧς ὅλον τοῦ ἀνθρωπίνου γένους ἀνεζυμώθη τὸ φύραμα, καὶ ἐξ ἑνὸς σώματος Χριστοῦ ἀρτοποιηθὲν, εἰς ἓν συνῆλθε τὸ παράδοξον σύγκραμα. χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ κύριος μετὰ σοῦ· ὁ εἰπών· γενηθήτω φῶς· γενηθήτω στερέωμα, καὶ τὰ καθεξῆς ἅπαντα τῆς αὐτοῦ δημιουργικῆς μεγαλειότητος ἔργα. χαίροις τῆς ἀκαταλήπτου χαρᾶς γεννήτειρα· χαίροις ἡ νέα τῆς δόξης κιβωτὸς, ἐν ᾗ ἀναπέπαυται τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ καταπτάν· κιβωτὸς, ἐν ᾗ τὸ ἁγίασμα τῆς καινοπρεποῦς δόξης, ὁ κατὰ φύσιν ἅγιος, ἐν τῷ παρθενικῷ τῆς φύσεως ἐργαστηρίῳ, τῷ τῆς ἐνσαρκώσεως λόγῳ παραδόξως ἑαυτῷ συνέπηξεν· οὐχ ὅπερ ἦν μεταβαλών· ἄτρεπτος γάρ· ἀλλ᾽ ὃ οὐκ ἦν προσλαβών· φιλάνθρωπος γάρ. χαῖρε στάμνος χρυσῆ, τὸν τὸ μάννα γλυκάναντα φέρουσα, καὶ μέλι ἐκ πέτρας Ἰσραὴλ τῷ ἀγνώμονι σχεδιάσαντα. χαίροις ἡ Σεραφικὴ τοῦ μυστικοῦ

A clausa ingredi possum. Vocabo ex nomine? At juvenculæ terrorem injiciam. Hoc ergo faciam. Ad mittentis consilium impetum moderabor, quippe habet propositum ut salvet humanum genus. Quod sane consilium, etsi novum quodammodo videri possit, plenum tamen misericordiæ est, reconliationis symbolum. Quo igitur modo adibo virginem? Quid primum sermonis cum ea conferam? Dicam faustum gaudii nuncium, an inhabitationem Domini mei? Spiritum sanctum supervenientem, an obumbrantem Altissimum? Salvere igitur jubebo virginem, annunciabo miraculum, accedam propius, salutabo, submurmurabo [a] *Ave*. Commodus mihi liberioris sermonis ingressus fuerit salutatio. B Præeat *Ave*, ceu obses & pignus quoddam futuri colloquii. Hæc quippe una vox, non modo nihil puellæ incusserit metus, sed & animum ejus præmolliverit. Incipiam itaque a gaudio ei annuncians gaudii insignia. Decet enim sic lætis præconiis reginam salutari. Quippe lætus est animus, jucundum tempus, mandatum delectabile, salutis consilium, ac immensi gaudii initium.

Ubi Arcangelus hæc secum animo statuisset, cubiculo institit. Cumque ad thalamum virginis pervenisset, tacite ad portam accessit, ingressusque leni blandaque voce virginem compellavit, dicens: [b] *Ave gratiosa, Dominus tecum*. Qui te antiquior est, tecum hodie est, paullo post futu- C rus ex te: alterum quidem, æternitate; alterum, tempore. Papæ, immensam humanitatem & clementiam! Papæ, bonitatem illam! Non habuit satis ut gaudii significationem ederet, nisi & virginis partu ipsum gaudii authorem prædicaret. Illud siquidem, *Dominus tecum*, ipsum adesse regem clare significat; qui totus in ea corpus induerit, nec propria gloria quicquam excederet.

Ave gratiosa, Dominus tecum. Ave sis gaudii organum, per quod soluta est dirarum condemnatio, ejusque loco inducta gaudii justificatio. Ave vere benedicta, ave illustris, ave magnificum divinæ gloriæ templum: ave sis molitionis sacræ Regis palatium: ave thalame, in quo Christus D humanam sibi naturam desponsavit: ave Deo electa antequam aliqua nascerentur: ave sis divina cum hominibus reconciliatio: ave sis thesaure vitæ immortalis: ave sis cælum, cælo altius solis gloriæ domicilium: ave sis Dei qui nusquam capi possit, at possit in te sola, bene capax locus: ave sis sancta virginalis terra, ex qua novus ille Adam, ineffabili a Deo fictione, veteri recuperando novus Adam factus est: ave sis fermentum sacrum Deo perfectum, quo tota massa humani generis conspersa, ac quo ex uno Christi corpore in panes formata, in unam coivit novam concretionem. *Ave gratiosa, Dominus tecum*. Ille inquam qui dixit: *Fiat lux*; *Fiat firmamentum*, ac reliqua E deinceps creantis magnificentiæ ejus opera. Ave sis incomprehensibilis gaudii parens: ave sis nova gloriæ arca, in qua Dei Spiritus descendens requievit. Arca, inquam, in qua is qui per naturam sanctus est, novæ gloriæ sanctificationem sibi ipse in virginali naturæ officina, sacramento incarnationis, admirabili ratione compegit: non mutato abjectoque quod esset; ut qui immutabilis sit; sed assumto quod non erat, tamquam studio in humanum genus propensiori. Ave aurea urna eum ferens, qui manna dulce fecit, quique mel e petra ingrato Israeli subitario velut apparatu elicuit. Ave sis Seraphica forceps carbonis mystici: ave sis per-

a Luc. I. 28. *b* Ibid.

ἄνθρακος λαβίς· χαίροις τὸ νοερὸν τῆς διορατικῆς προγνώσεως κάτοπτρον, δι᾽ οὗ τὴν περὶ ἡμᾶς ἀπειροδύναμον τοῦ Θεοῦ συγκατάβασιν, οἱ κλεινοὶ τοῦ πνεύματος ὑποφῆται μυστικῶς ἐφαντάσθησαν. χαίροις διόπτρα προβλεπτική, δι᾽ ἧς τὸν ἐρχόμενον ἄνωθεν μετὰ δόξης ἀνίσχοντα ἥλιον τῆς δικαιοσύνης, οἱ τῷ ἀμειδεῖ σκιαζόμενοι τῆς ἁμαρτίας σκότει δεξάμενοι, κατακράτως περιελάμφθησαν. χαῖρε τὸ πάντων προφητῶν καὶ πατριαρχῶν ἐγκαλλώπισμα, καὶ τῶν [1] ἐξιχνιάστων τοῦ Θεοῦ προγνώσεων ἀψευδέστατον κήρυγμα.

Εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶ, καὶ εὐλογημένος ὁ καρπὸς τῆς κοιλίας σου. καὶ εἰκότως εὐλογημένη. εὐλόγησε γάρ σε ὁ Θεὸς τὸ αὐτοῦ σκήνωμα, ὅτε τὸν ὑπερπλήρη τῆς πατρικῆς δόξης ἄνθρωπον Χριστὸν Ἰησοῦν, τὸν αὐτὸν καὶ Θεὸν, ἐν τελειότητι τῶν ἐξ ὧν καὶ ἐν αἷς συνέστηκε φύσεων, ἀπεριλήπτως ἐκυοφόρησας. εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν, ἡ τὸν οὐράνιον θησαυρὸν, ἐν ᾧ πάντες εἰσὶν οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως ἀπόκρυφοι, ἐν τῷ ἀσύλῳ τῆς παρθενίας σου ταμιείῳ, ἀστενοχωρήτως χωρήσασα. σὺ ἀληθῶς εὐλογημένη, ἧς ἡ κοιλία θημωνία ἅλωνος· ὅτι καρπὸν εὐλογίας, τὸν στάχυν τῆς ἀφθαρσίας Χριστὸν, ἀσπερμάντως, ἀγεωργήτως ἐτελεσφόρησας, πολύχουν ἄμητον, μυριοπλάσιον, χιλιάδας εὐθυμουμένων τῷ γεωργῷ τῆς ἡμῶν σωτηρίας προσάξασα. σὺ ἀληθῶς εὐλογημένη, ἡ μόνη πασῶν μητέρων προετοιμασθεῖσα μήτηρ τοῦ κτίστου σου, καὶ τὰ μητέρων λαθοῦσα. ὅτι μὴ τῆς παρθενίας τῆς σῆς τὸ ἐξαίρετον μητρῴαις ὠδῖσι διέφθορε, τοῦ παρθενικοῦ σου βλαστοῦ τὰ τῆς ἁγνείας σου ἄσυλα συντηρήσαντος σήμαντρα. σὺ ὄντως εὐλογημένη, ἡ μόνη ἀνάνδρως κυοφορήσασα τὸν τοὺς οὐρανοὺς ἐκτανύσαντα, καὶ τὴν γῆν τῆς παρθενίας σου ξενοπρεπῶς οὐρανώσαντα. εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν, ἡ μόνη τὴν εὐλογίαν κληρωσαμένη, ἣν εἰς τὰ ἔθνη διὰ τοῦ Ἀβραὰμ ὁ Θεὸς ἐπηγγείλατο. σὺ ἀληθῶς εὐλογημένη, ὡς μόνη τοῦ εὐλογητοῦ παιδὸς Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν χρηματίσασα μήτηρ· δι᾽ ἧς κράζει τὰ ἔθνη· εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου. καὶ, εὐλογητὸν τὸ ὄνομα τῆς δόξης αὐτοῦ εἰς τὸν αἰῶνα· καὶ πληρωθήσεται τῆς δόξης αὐτοῦ πᾶσα ἡ γῆ· γένοιτο, γένοιτο.

Εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν, ἣν μακαρίζουσι γενεαὶ, δοξάζουσι βασιλεῖς· ἣν προσκυνοῦσι δυνάσται· ἧς πρόσωπον λιτανεύουσιν [οἱ πλούσιοι] τοῦ λαοῦ· καὶ παρθένοι ὀπίσω αὐτῆς ἑπόμεναί τε καὶ προεξέρχουσαι [2], εἰς ναὸν βασιλέως συνελαύνουσιν. εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν· ἣν Ἠσαΐας ἰδὼν προφητικοῖς ὄμμασι, προφῆτιδα καὶ παρθένον ὠνόμασε, πλίνθον τε αὖ, καὶ [3] τόπον, καὶ ὅρασιν, καὶ κεφαλίδα βιβλίου, καὶ ταύτην ἐσφραγισμένην ἀναφανδὸν ἐκάλει. εὐλογημένη σὺ ἀληθῶς, ἣν Ἰεζεκιὴλ .... ἀνατολὴν προηγόρευσε, πύλην τε συγκεκλεισμένην, ὑπὸ μόνου δὲ διοδευομένην Θεοῦ, καὶ πάλιν συγκεκλεισμένην. σὺ μόνη ἀληθῶς εὐλογημένη· ἣν ὄρος ἑώρα μέγα Δανιὴλ, ὁ τῶν ἐπιθυμιῶν ἀνήρ· καὶ ὄρος κατάσκιον Ἀμβακοὺμ ὁ θαυμάσιος· ὄρος τε Θεοῦ, καὶ ὄρος πῖον, ὄρος τετυρωμένον, ὄρος ὃ εὐδόκησεν ὁ Θεὸς κατοικεῖν ἐν αὐτῷ, ὁ προπάτωρ σου καὶ βασιλεὺς προφητικῶς ἐμελῴδησε. εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν· ἣν Ζαχαρίας ὁ θεοπτικώτατος, λυχνίαν χρυσῆν ἑώρα, [ἑπτὰ λύχνοις, καὶ] ἑπτὰ ἐπαρυστρίσι καταγλαϊζομένην, εἴτ᾽ οὖν τοῖς ἑπτὰ τοῦ θείου πνεύματος περιλαμπομένην χαρίσμασι. σὺ ἀληθῶς εὐλογημένη, ὁ νοητὸς τοῦ ζωηροῦ ξύλου τῆς σωτηρίας παράδεισος, ἡ αὐτὸν τῆς Ἐδὲμ τὸν φυτουργὸν ἔνδον ἔχουσα Χριστὸν, τυπικῶς ἐν σοὶ θεωρούμενον· ὃς ἀρ-

A spicacis acutiorisque præscientiæ speculum, quo inclyti spiritu Prophetæ ac Interpretes, Dei ad nos infinitiæ virtutis demissionem mystice secretiusque ceu imaginati perceperunt. Ave sis dioptra perspectiva, qua ii qui in tristi peccatorum umbra tenebris obsiti essent, venientem ortum de cælo cum gloria suscipientes justitiæ solem, mirabiliter illustrati sunt. Ave Prophetarum omnium Patriarcharumque gloriatio, nec non imperverstigabilium Dei præscientiarum ac decretorum verissima prædicatio.

[a] *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Ac vere quidem benedicta. Nam benedixit te Deus suum tabernaculum, quando pa-
B terna gloria eximie plenum, hominem Christum Jesum eumdemque Deum, ex quibus, ac in quibus perfectus constat naturis, incomprehensa ratione utero gestasti. *Benedicta tu inter mulieres*, quæ cælestem thesaurum, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*, in tuæ virginitatis inviolato velut promtuario libere complexa es. Vere tu benedicta, cujus [b] *venter acervus areæ*, quoniam fructum benedictionis Christum immortalitatis spicam, sine semine ac nullo hominum excolente, messe copiosa & innumerabili ac multis lætantium millibus humanæ salutis colono adductis, absolutum fructum produxisti. Tu vere benedicta, quæ sola matrum creatori tuo mater præparata,
C quæ sunt matrum nescivisti. Haud enim ex mia illa tua virginitas materno partu violata est, virginali germine tuo integra conservante tuæ castitatis signacula. Revera benedicta tu, quæ sola sine viro eum utero concepisti, qui expandit cælos, ac mirabili ratione tuæ virginitatis terram cælum fecit. *Benedicta tu in mulieribus*, quæ sola benedictionem velut hereditate es consecuta, quam Deus per Abraham gentibus promiserat. Vere tu benedicta, ut quæ sola benedicti pueri Jesu Christi ac salvatoris nostri fueris mater, per quam Gentes clamant: *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Et: *Benedictum nomen gloriæ ejus in æternum: & replebitur gloria ejus omnis terra: fit, fiat.*

D

Benedicta tu in mulieribus: quam *generationes beatam dicunt*; quam reges glorificant; quam adorant principes; *cujus vultum divites plebis deprecantur: virginesque post eam*, qua sequentes qua præeuntes, *in templum Regis* una contendunt. *Benedicta tu in mulieribus*: quam Isaias videns propheticis oculis, *Prophetissam, & Virginem* appellavit: *laterem* item, & *hortum*, *visionemque*, & *libri capitulum*, idque *sigillo consignatum* perspicue vocavit. Vere benedicta tu: quam Ezechiel *Orientem* prænunciavit, & *portam clausam, per quam Deus solus transeat, & quæ iterum clausa maneat*. Sola tu vere benedicta: quam *montem magnum*,
E *vir desideriorum* Daniel vidit, Habacucque ille admirabilis *montem umbrosum*: quam præterea avus tuus David, *montem Dei, montem pinguem, montem coagulatum, montem in quo beneplacitum sit Deo habitare in eo*, prophetice decantavit. *Benedicta tu in mulieribus*: quam Zacharias in divinis perspicacissimus vidit *aureum candelabrum, lucernis septem, & septem infusoriis* splendidum, nempe septem divini Spiritus charismatibus undique collustratum. Vere tu benedicta, vitalis ligni salutis paradise spiritalis, quæ ipsum Edenis satorem Christum in te velut figuratum expressumque intus ha-

a Luc. I. 28. b Cant. VII. 2.

1. Lege ἀνεξιχ. 2. Lege ρχόμεναι. 3. Lege κῆπον. COMB.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 675.

ῥήτῳ δυνάμει ποταμοῦ δίκην, [1] τοῦ ζωοτόκου σου μήτρας ἐκπορδάμενος, τέταρσιν ἀρχαῖς διὰ τοῦ εὐαγγελίου τῆς οἰκουμένης καταρδεύει τὸ πρόσωπον: εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶ, καὶ εὐλογημένος ὁ καρπὸς τῆς κοιλίας σου· καρπὸς, ἐξ οὗ φαγὼν Ἀδὰμ ὁ πρωτόπλαστος, ἤμεσε τὴν ἀρχαίαν κατάποσιν, δι' ἧς τὸ τῆς ἀπάτης εἰσεδέξατο δέλεαρ. καρπὸς, ἐξ οὗ πηγάζει γλυκασμὸς τῆς πικρᾶς τοῦ ξύλου γεύσεως, ἀποκαθαίρων τὴν ἀνθρωπότητα. ὁ πηγὰς ποταμηφόρους ἐν ἐρήμῳ λιμνάσας τῷ Ἰσραὴλ ἀλητεύοντι, καὶ τὴν Μεῤῥὰν γλυκάνας, καὶ ἄρτον ἐπομβρήσας, ξένην τροφὴν καὶ ἀνήροτον. εὐλογημένος ὁ καρπὸς, ὁ τὰ ἀτεκνοῦντα ὕδατα καὶ πικρὰ, δι' Ἐλισσαίου πότιμα δείξας καὶ γόνιμα τῇ προσχύσει τοῦ ἁλός. εὐλογημένος ὁ καρπὸς, ὁ ἐξ ἀκηράτου βλαστοῦ τῆς παρθενικῆς νηδύος, οἷα πέπειρος ὑπερφυῶς περκάσας ἐξεκύπευσε βότρυς. εὐλογημένος ὁ καρπὸς, ἐξ οὗ πηγαὶ βρύουσιν ὕδατος ἀλλομένου εἰς ζωὴν αἰώνιον. καρπὸς, ἐξ οὗ ζωηρὸς ἄρτος, τὸ κυριακὸν ἀναφέρεται σῶμα· καὶ ἀθανασίας κρατὴρ, σωτήριον ἀναδείκνυται πόμα. εὐλογημένος ὁ καρπὸς, ὃν ἁγιάζει πᾶσα γλῶσσα ἐπουρανίων, καὶ ἐπιγείων, καὶ καταχθονίων, τῷ τριπλασιασμῷ τῆς ἐν τριάδι ἁγιαστικῆς θεότητος, ἐν τῷ ταυτῷ τῆς οὐσίας αὐτὸν συνεισφέρουσα, τῇ δὲ τῶν ἐναρχικῶν ὑποστάσεων ἰδιότητι προσωπικῶς ἀφορίζουσα. εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶ, καὶ εὐλογημένος ὁ καρπὸς τῆς κοιλίας σου.

Ἡ δέ, φησιν, ἐπὶ τῷ λόγῳ διεταράχθη, καὶ διελογίζετο ἐν ἑαυτῇ λέγουσα, ποταπὸς εἴη ὁ ἀσπασμὸς οὗτος. διεταράχθη, φησὶν, οὐκ ἀπιστίᾳ τινὶ βληθεῖσα τὸν νοῦν· ἄπαγε· εὐλαβείᾳ δὲ μᾶλλον τῇ πρὸς τὸ ξένον τοῦ ἐπιφθέγματος· δόξασα δῆθεν κληδονισμὸν τὸ φαινόμενον. οὐδ' ὅπερ πρότερον Ζαχαρίας ἐν τοῖς ἀδύτοις ἀπιστήσας, ὑπέστη· δι' ὃν ἐκ τῶν γεννητικῶν ἐπὶ τὰ φωνητικὰ ὄργανα ἐπιτιμίαν ἐδέξατο, καὶ ἀφωνίᾳ τὴν ἀτεκνίαν ἠλλάξατο· ἀλλ' οἷα παντὸς καθαρεύουσα μώμου, καὶ τῆς οἱασοῦν πρὸς ἄνδρα ἐπιμιξίας, εἴτουν συνηθείας ἐλευθεριάζουσα, καὶ τῇ τῶν οὐρανίων ἀκλινεῖ θεωρίᾳ τὸν νοῦν ἐθίσασα προσηλοῦν, τὸν ἐκ τοῦ ἀσπασμοῦ γενόμενον αὐτῇ κατὰ ψυχὴν εἰσεδέξατο τάραχον. καὶ γὰρ ἦν, αὐτὴν, ὡς τὸ εἰκὸς ἀπαῤῥησίαστον οὖσαν, ἐνδοιάσαι μὲν παραχρῆμα, λογισμῷ δὲ πρότερον βεβηκότι τὸ λεχθὲν ἀνακρίνασαν, μὴ πρὸς τὸ τυχὸν ὡς ἄν τις φαίη, μηδ' ἀπερισκέπτως τὴν ἀκοὴν ὑποσχεῖν τῷ λαλοῦντι. ὅθεν σοφῶς ἄγαν ὁ εὐαγγελιστὴς ἐπεσημήνατο, εἰπών· ἡ δὲ διελογίζετο. τῷ κριτηρίῳ τῆς καθαρᾶς ὡσανεὶ διανοίας τὸ λογισθὲν βασανίζουσα, τῷ μὴ ἀκρίτως τὸ ῥηθὲν παραδέξασθαι. ποταπὸς λέγουσα εἴη ὁ ἀσπασμὸς οὗτος. εἰκὸς γὰρ αὐτὴν εὐγενῆ τε οὖσαν καὶ θυγατέρα Δαβὶδ, μηδὲ τῶν ἐν γραφαῖς ἀμοιρεῖν ἐνθείων διηγημάτων· ὡς παραπέμψαι τὸν νοῦν αὐτίκα πρὸς τὸ τῆς προμήτερος πτῶμα, τὸ ἐκ τῆς ἀπάτης ἐνθυμηθεῖσαν ὀλίσθημα, καὶ ὅσα τοιουτότροπα τοῖς παλαιοῖς προϊστόρηται. οὐκ ἀπεικὸς οὖν αὐτὴν διαλογιζομένην ὁ εὐαγγελιστὴς συνεγράψατο. ἀλλ' ἵνα καὶ τὸ ἀγχίνουν ὅσον προσῆν αὐτῇ παραδείξῃ, καὶ τὸ τῆς γνώσεως ἀῤῥεπές τε καὶ πάγιον τέθεικεν, ὡσανεὶ καὶ τὸ ἀῤῥέμβαστον. τῆς γὰρ τοῦ καλοῦ κρίσεως μήπω δοκιμασθείσης τῇ παρεξετάσει τῆς τοῦ λογισμοῦ διασκέψεως, οὐ δεῖ συγκατατίθεσθαι τὴν πρόσρησιν.

Πλὴν ὅτι τῆς ψυχῆς τὸν τάραχον καταστεῖλαι σπουδάζουσα, λόγον μὲν οὐ προήκατο· μόνῳ δὲ

A beas; Christum inquam, qui ineffabili virtute, instar fluminis, ex fœcunda vulva tua egressus, quatuor velut initiis orbis terræ faciem fluentis Evangelii irriget. *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui*. Fructus inquam, de quo comedens Adam protoplastus, veterem illam sorbitionem qua deceptionis escam admisisset, evomuit. Fructus, unde amari gustus ligni illius dulcoratio depurgandæ humanæ naturæ ceu fonte manat. Fructus inquam, qui fontes in flumina stagnantes erranti Israel in deserto eduxit, aquasque Mara dulces reddidit, ac panes, novum alimenti genus, nec terra aratro scissa paratum pluit. Benedictus fructus ille, steriles & amaras aquas per B Elisæum potabiles & fœcundas salis inspersione effecit. Bendictus fructus, qui ex incorrupto virginalis uteri germine, ceu jam maturus, eximie nigricans botrus effloruit. Benedictus, ex quo scaturiunt fontes *aquæ salientis in vitam æternam*. Fructus ex quo vitalis ille panis, corpus inquam Dominicum producitur, immortalitatisque calix, salutaris potio exhibetur. Benedictus fructus, quem sanctum omnis lingua celebrat *cælestium, terrestrium & infernorum*, trina unitate sanctificantis in Trinitate Deitatis una ei tribuendo identitatem essentiæ, hypostaseon autem uno imperio dominantium proprietate, personaliter distinguendo. C *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui*.

[a] *Illa autem*, inquit, *turbata est in sermone, & cogitabat qualis tandem esset illa salutatio*. Turbata est, inquit. Non incredulitate aliqua animum feriente atque pulsante, absit; sed cautione magis ob novitatem acclamationis, tamquam visio malum utique videretur omen: ac neque ei quod Zachariæ, accideret, ubi prius in templi penetralibus incredulus fuisset, cum pœna a genitalibus translata organis ad vocalia, elingui silentio sterilitatem pristinam commutavit. Immo velut omni culpa vacans, atque ab omni viri congressione & consuetudine libera, ac cælestium rerum immotæ contemplationi solita defigere animum, D incussam a salutatione turbationem ejusmodi mente suscepit. Par enim erat, decebatque, ut velut meticulosior ac quasi responsionis inops confestim quidem dubia hæret; tumque accedente prius ratione, sermonem discernens ac judicans, non temere, ut sic dicam, leviusque ac inconsideratius aures loquenti accommodaret. Quamobrem sapienter admodum annotavit Evangelista, dicens: *Illa autem cogitabat*: pro mundæ mentis velut tribunali probans ac examinans quod cogitaret, ut ne quod diceretur sibi temere arriperet. *Qualis* inquiens *esset ista salutatio*. Nam fit vero simile, cum esse ingenua, ac Davidis filia, haud fuisse ignaram eorum quæ scri- E pturis sacris enarrata habentur: ut cogitationes suas statim converterit ad primæ parentis lapsum, secum animo volvens deceptionis casum, ac reliqua hujus generis veterum historiarum monumentis prodita. Non immerito igitur Evangelista cogitabundam scripsit: sed eo posuit, ut & sagacitatem quantam haberet, & stabilem ac firmam scientiam nihilque velut vagam & errantem, ostenderet. Nondum enim honesti judicio ad rationis & judicii metam probato, haud conveniebat ceu ratam salutationem habere.

Ceterum quia eam animi turbationem supprimere studebat, minime quidem locuta est; sed solo

[a] Luc. I. 29.

1. Scribe τῆς.

Sæcul. VII. circa Ann. Chr. 675.

τῷ σχήματι μικρὸν ὅσον ὑπενδοιάσασα, διεδείκνυ τῆς ψυχῆς τὴν κατάστασιν, τὸ τοῦ ἤθους εὐσταθὲς, ἀντὶ φωνῆς ὑποστήσασα. ποταπὸς εἴη ὁ ἀσπασμὸς οὗτος λέγουσα. μὴ μόνη γυναικῶν ἐγὼ καινοτομήσω τὴν φύσιν; μὴ μόνον ἐμὲ δυνατὸν κυοφορῆσαι καρπὸν μὴ συνελθοῦσαν ἀνδρί; ποταπὸς εἴη ὁ ἀσπασμὸς οὗτος. τίς ὁ τὴν ἐπαγγελίαν, καὶ πόθεν εἰσελθὼν εἰσκεκόμικε ταύτην; ἄνθρωπον λογίσομαι τὸν φθεγγόμενον; ἀλλ' ὡς ἀσώματος φαίνεται. ἄγγελον αὐτὸν νομίσω; ἀλλ' ὡς ἄνθρωπος φθέγγεται. τί τὸ ὁρώμενον ἀγνοῶ, καὶ πρὸς τὸ λαλούμενον ἀπορῶ. τί οὖν ὁ Γαβριήλ; ὡς μόνον ᾔσθετο τῆς κόρης τὸν τάραχον, πρὸς μηδὲν ὅλως διανοηθεὶς, αὐτίκα φωνὴν ἐπαφίησι, καί φησι· μὴ φοβοῦ Μαριάμ· εὗρες γὰρ χάριν παρὰ τῷ Θεῷ. (B) πρότερον αὐτῆς τὸν φόβον διέστειλεν, εἶθ' οὕτως πρὸς τὸ θαῤῥεῖν διανέστησε. μὴ φοβοῦ, λέγων, εὗρες γὰρ χάριν παρὰ τῷ Θεῷ, ἣν ἀπώλεσεν Εὔα. χάριν εἰπὼν, ἔλυσε τὸ τῆς γνώμης ἀμφίβολον, καὶ τὸ δόξαν εἶναι τέως [1] ἀμφίβολον. διὰ τῆς ἐπαγωγῆς τοῦ, εὗρες χάριν παρὰ τῷ Θεῷ, πιθανῶς ἐξεκρούσατο τῆς παρθένου τὸν φόβον. μὴ φοβοῦ Μαριάμ. οὐκ ἀπατηλὸς ὁ τρόπος· οὐ πλανῆσαί σε ἥκω· οὐ πάλιν συρίζων ὄφις λαλεῖ· οὐκ ἀπὸ γῆς φωνῶ σοι. ἐκ τῶν ὑψίστων ἦλθόν σοι κομίζων τὸ εὐαγγέλιον· καὶ οὐχ ἁπλῶς εὐαγγέλιον, ἀλλὰ χαρᾶς εὐαγγέλιον. μὴ φοβοῦ Μαριάμ· οὐ χλεύης ὁ ἀσπασμὸς, οὐ λύπης τὸ μήνυμα.

(C) Ὁ κύριος μετὰ σοῦ. ὁ τῆς χαρᾶς ἁπάσης δοτὴρ, καὶ παντὸς τοῦ κόσμου σωτήρ. μετὰ σοῦ, ὁ τῶν πατρικῶν κόλπων μὴ χωρισθεὶς, ἐν δὲ τῇ μήτρᾳ τῇ σῇ συλληφθείς. κεχαριτωμένην σε εἶπον, ἵνα τὴν χαρὰν τοῦ ἐν σοὶ μυστηρίου μηνύσω. κεχαριτωμένην σε εἶπον, ὡς αὐτὴν ὅλην τὴν χαρὰν δεξαμένην ἐν μήτρᾳ σου, καὶ στολὴν ὄντως χαριτωθεῖσαν τῇ τῶν θείων χαρισμάτων λαμπρότητι. ὁ κύριος μετὰ σοῦ προσεφώνησα, ἵνα τὴν ἐξουσίαν τοῦ προδραμόντος ἐν σοὶ καταμηνύσω. κύριος γὰρ καὶ Θεὸς ἐξουσιαστὴς, ἄρχων εἰρήνης αὐτός ἐστι, καὶ τοῦ μέλλοντος αἰῶνος πατὴρ, καί σου τῆς παρθένου υἱὸς, καὶ πάντων σωτήρ. (D) ὁ κύριος μετὰ σοῦ· ἡ χάρις καὶ ἡ ἀλήθεια μετὰ σοῦ. κύριος μὲν τοῦ νόμου, τῆς δὲ χάριτος πατὴρ, καὶ τῆς ἀληθείας πηγή. μὴ φοβοῦ Μαριάμ· ὁ κύριος μετὰ σοῦ. ὁ πάσης κυρείας ἐξουσιάρχης· ὁ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων υἱὸς, ὁ ἀνάρχως ἐξ αὐτοῦ γεννηθεὶς, καὶ ἐν χρόνῳ ἐκ σοῦ σαρκωθείς· ὁ ἄνω ὅλος σὺν αὐτῷ ἐγκόλπιος, κάτω ὅλος μετὰ σοῦ ἐγγάστριος. αὐτός ἐστι μετὰ σοῦ, καὶ ἐν σοί. προφθάσας γὰρ εἰσεπήδησε, καὶ τὴν σὴν ὑπέδυ νηδὺν, καὶ γέγονεν ἐν σοὶ χωρητὸς, ὁ κατὰ φύσιν ἀχώρητος. μὴ φοβοῦ Μαριάμ· εὗρες γὰρ χάριν παρὰ τῷ Θεῷ. χάριν, ἣν οὐκ ἐδέξατο Σάῤῥα, ἣν οὐκ ἔγνω Ῥεβέκκα, καὶ Ῥαχὴλ οὐκ ἐγνώρισεν. εὗρες χάριν, (E) ἧς ἡ ἐξάκουστος οὐκ ἠξίωται Ἄννα, οὔτε Φενάννα, ἡ ταύτης ἀντίθετος. ὅσον, αἱ μὲν ἐξ ἀτέκνων μητέρες πεφήνασι, συναποβαλοῦσαι τῇ παρθενίᾳ τὴν στείρωσιν· σὺ δὲ μετὰ τοῦ εἶναι μήτηρ, καὶ τὸ παρθενεύειν ἀναφαίρετον ἕξεις. μὴ τοίνυν φοβοῦ· εὗρες γὰρ χάριν παρὰ τῷ Θεῷ. χάριν, ἣν οὐδεὶς εὗρε τῶν ἀπ' αἰῶνος, ὡς σύ. καὶ τίς ἂν γένοιτο χάρις τοιαύτη παρὰ Θεοῦ τὸ ἐξαίρετον ἔχουσα;

Εὗρες τοίνυν χάριν παρὰ τῷ Θεῷ· καὶ ἰδοὺ συλλήψῃ ἐν γαστρὶ, καὶ τέξῃ υἱὸν, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰησοῦν. βαβαὶ τοῦ θαύματος. πρώ-

λου, ὅ, τί ποτ' ἐστὶν, ἀλλ' ὅσον καὶ ὅπως τοῖς μετέχουσιν ἐφικτὸν, χωρητὸν γίνεται· καὶ τοῦτο δι' ἄκραν ἀγαθότητα ταῖς ἀπειροδώροις ἐλλάμψεσιν, ὁδεῦον ἐπὶ πάντα καὶ προχεόμενον. ἀπόδειξις δὲ τῶν λεγομένων αὐτὸ ἂν εἴη τὸ μακάριον πάθος ἐκεῖνο καὶ πολυύμνητον, ὅπερ ἐπὶ τοῦ ὄρους πεπόνθασιν οἱ ἀπόστολοι, ἡνίκα τὸ ἀπρόσιτον καὶ ἄχρονον φῶς τὴν οἰκείαν σάρκα μεταμορφῶσαν, τῷ ὑπερβάλλοντι τῆς οἰκείας φωτοβλυσίας ὑπερουσίως ἐλάμπρυνε.

Τὴν γὰρ ἀκτῖνα τῆς ἀμώμου σαρκὸς ἐκείνης φέρειν οὐ δυνηθέντες, ἣ ἐκ τῆς τοῦ λόγου θεότητος, ὃς τῇ σαρκὶ καθ' ὑπόστασιν ἥνωτο, διὰ ταύτης ὑπὲρ φύσιν ἐπήγαζε, πίπτουσιν ἐπὶ πρόσωπον. ὢ τοῦ θαύματος· κατ' ἔκστασιν πλεωτάτην τῆς φύσεως, ὕπνῳ βαρεῖ καὶ φόβῳ κρατούμενοι, μύσαντες τὰς αἰσθήσεις, πᾶσαν νοερὰν κίνησιν καὶ ἀντίληψιν παντελῶς ἑαυτῶν ἀποπαύσαντες, οὕτω κατὰ τὸν θεῖον ἐκεῖνον καὶ ὑπέρφωτον καὶ ἀόρατον γνόφον, τῷ Θεῷ συνεγένοντο· τῷ μηδ' ὅλως ὁρᾷν, τὸ ὄντως ὁρᾷν εἰσδεχόμενοι, καὶ τῷ πάσχειν ἀγνώστως, τὴν καθ' ὑπεροχὴν γνῶσιν πορίζόμενοι, καὶ τὴν πάσης νοερᾶς ἐπιστασίας ὑψηλοτέραν ἐγρήγορσιν ὑπομυσταγωγούμενοι. καὶ γίνεται παραδόξως ἐπὶ παραδόξου τοῦ πράγματος, ὕπνος ἡ ἐγρήγορσις· μᾶλλον δὲ ὁ ὕπνος ἐγρήγορσις, τῇδε ἐρημίᾳ τῶν γνωστικῶν ἀντιλήψεων τὴν ὑπὲρ φύσιν τὴν γνῶσιν πιστούμενος. ὢ τίς ἄν μοι δοίη λόγον τοσοῦτον, ὁπόσον καὶ βούλομαι; τίς ὁ κατ' ἀξίαν συνεπαρθῆναι τῷ μυστηρίῳ δυνάμενος; ποία νοερὰ κίνησις πρὸς τοῦτο βλέψασα μόνον, τέλεον εὐθὺς οὐκ ἀποσβέννυται, παραχωροῦσα τῷ ἀνεφίκτῳ τοῦ θαύματος; τοῦτο καὶ Δαβὶδ πόῤῥωθεν οἶμαι προκατανοήσας τῷ πνεύματι, τὸ βασιλικὸν καὶ προφητικὸν ὄργανον, ἐνθέῳ στόματι πρὸς τὸν τῶν ὅλων Θεὸν ἐξεβόησε λέγων· Θαβὼρ καὶ Ἑρμὼν ἐν τῷ ὀνόματί σου ἀγαλλιάσονται. καὶ ὅτι μὲν ἀγαλλιάσονται προηγόρευσε. τί δὲ καὶ οἷον καὶ ὅσον δι' ἀκριβείας ἔσται τῆς μεταμορφώσεως τὸ μυστήριον, δι' ὃ καὶ ἀγαλλιάσονται δήπου Θαβὼρ καὶ Ἑρμὼν, ὡς ἄῤῥητόν τε καὶ ἀνεπινόητον σιγῇ τετίμηκεν, εἰς καιρὸν τοῖς ἀξίοις διὰ τῆς πείρας αὐτῆς, εἰ θέμις ἐστὶ, γνωσθησόμενον.

Ἐνταῦθα δὲ τοῦ λόγου γενομένου, καὶ τὰ λεγόμενα τῷ Πέτρῳ καλῶς ἔχειν δοκεῖ μοι διαψηλαφήσαντι φανερῶσαι τῷ λόγῳ, ἃ καὶ μὴ ἔχων ὅ, τι καὶ εἴποι, τῷ πνεύματι γενόμενος κάτοχος, ὑπὸ περιχαρείας ἐφθέγξατο. τῇ γὰρ γεγενημένῃ φωτοφανείᾳ καὶ θεοπτίᾳ τὴν ψυχὴν ὑπὲρ φύσιν ὁ Πέτρος ἡδόμενος καὶ θελγόμενος, καὶ ὅλος ἔνθους γενόμενος, ἀφερμηνεύειν δὲ τῷ λόγῳ τὸ πάθος ἀδυνατῶν, καὶ πάλιν διαῤῥυῆναι σιγῇ τὴν χάριν οὐ καρτερῶν, οὐκ ἀφροσύνης οὐδὲ ἠλιθιότητος, ὡς ἄν τινες ὑπολάβοιεν, ἀποφθέγγεται ῥήματα· ἀλλὰ τῆς ἀῤῥήτου μυσταγωγίας ἐκείνης καὶ θεουργίας γεννήματα καὶ βλαστήματα, ποιεῖται τὰ ῥήματα. τί δὲ καὶ φθέγγεται; κύριε καλὸν ἡμᾶς, φησιν, ὧδε εἶναι. τίνος ἕνεκεν Πέτρε; ἵνα τῆς πολυταράχου διοχλήσεως τῶν ἀνθρώπων ἀπηλλαγμένοι, καὶ ψυχὴν καὶ αἴσθησιν τῇ διαστάσει τῶν ὄχλων, τῶν ὅπως ποτὲ κινουμένων ἢ λεγομένων κεκαθαρμένοι, τῆς σῆς ἀφράστου θεοφανείας ἀνένδοτον ἐνταῦθα τὴν ἀπόλαυσιν ἔχοιμεν, δέσποτα. τούτου δὲ τί ἂν βέλτιον εἴη; τί δὲ ποθεινότερον ἢ ἐρασμιώτερον τοῖς γε νοῦν ἔχουσιν; ὥστε οὖν εἰ θέλεις, κύριε, ποιήσωμεν ὧδε τρεῖς σκηνὰς, σοὶ μίαν, καὶ Μωσεῖ μίαν, καὶ Ἠλίᾳ μίαν. καλὸν γὰρ καὶ τὸ πλάτησαν γράμμα τοῦ νόμου, ὃ διὰ τοῦ Μωσέως σημαίνεται· καὶ τὸν ζῶντα νόμον τῆς φύσεως, τὸν διὰ τοῦ ζῶντος προφήτου δηλούμενον, ἐν-

A pi poteſt; ſed quantum & quomodo iis qui participes ſunt, conceſſum ſit: idque cum ex ipſa ſua ſummi boni ratione, immenſæ largitionis illuſtrationibus per omnia eat, ac ſe diffundat. Probarit autem quæ dicimus ipſa illa beata multumque laudabilis Apoſtolorum in monte affectio, quando lux illa inacceſſibilis & antiquior tempore, ſuam ipſius transfiguratam carnem, exſuperanti proprii luminis diffuſione ac velut ſcaturigine, eximie illuſtravit.

Sæcul. VII. circa Ann. Chr. 675.

Cum enim incontaminatæ carnis illius radium, ex Verbi hypoſtatice eidem uniti divinitate per ipſam admirabiliter manantem ferre non poſſent, [a] *cadunt in faciem*. O miraculum! Nimirum per-
B fectiſſimo a natura exceſſu, ſomno gravi & metu occupante claudentes ſenſus, atque ab omni prorſus intellectuali motu ac perceptione ceſſantes, ita in divina illa & luminoſiſſima ac inviſibili caligine cum Deo congreſſi ſunt, qui nihil jam penitus videntes, id quod vere videre eſt, admitterent; patienteſque ignota quadam ratione, excellentem adipiſcerentur ſcientiam, omnique intellectuali inſpectione ſublimiorem vigiliam arcane adiſcerent. Ac mirabiliter accidit in rei miraculo, ut vigilia ſomnus fieret; atque adeo, ut ſomnus vigilia, cui ceſſatione a ſciendi perceptionibus, ſcientia ſupra naturam ac divinior crederetur. O
C quis dederit vim tantam orationis, quantam & cupio! Quis digne ſatis valeat coaſſurgere ſacramento? Quis intelligentiæ motus vel eo tantum adſpiciens, non omnino ſtatim exſtinguatur, cedens miraculo quod nequeat ſatis percipi? Hoc puto & David jam olim ſpiritu præcogitans, regale illud ac propheticum organum; Deo afflato ore, ad univerſorum Deum exclamavit, dicens: [b] *Thabor & Hermon in nomine tuo exſultabunt*. Sane vero, prædixit fore ut exſultent: quid vero, & quale, & quantum accurate omnino futurum eſſet Transfigurationis ſacramentum, cujus cauſſa eſſet futura ejuſmodi montium exſultatio, velut arcanum & incogitabile ſilentio honoravit, quod op-
D portuno tempore ipſo experimento iis qui digni forent, ſi ita liceat dicere, eſſet cogneſcendum.

Hucuſque vero provecta oratione, operæ pretium duxi, ut & Petro prolata verba, quamquam is abundatiori gaudio tentus ſpiritu, non haberet quid diceret, velut palpando explicarem. Illa enim luminis apparitione Deique viſione ſupra modum gaviſus Petrus ac delinitus, totuſque numine afflatus, nec valens ſermone explicare animi affectionem, ac neque rurſum ut ſilentio gratia diffflueret ſuſtinens; non ſtulta ſtolidaque, ut quis forte fuerit ſuſpicatus, protulit verba: quin vero talia loquitur, quæ arcanæ illius initiationis divinæque operationis proles eſſent atque germina.
E Quidnam autem pronunciat? [c] *Domine*, inquit, *bonum eſt nos heic eſſe*. Quorſum, Petre? Nempe ut plena turbatione hominum interpellatione ac moleſtia liberati, animumque & ſenſum, ſeparatione a turbis, quorumcumque motuum verborumque colluvie mundati, ineffabili tua illa divina apparitione, heic loci irremiſſe fruamur, o Domine. Hoc autem quid melius ſit? Quid vero, dum quis ſenſum habeat, deſiderabilius aut amabilius? Quamobrem: [d] *Domine ſi vis, faciamus heic tria tabernacula, tibi unum, & Moſi unum, & Eliæ unum*. Præſtat enim ut & mortua legis litera quæ per Moſem deſignatur, atque viva lex naturæ quam vivens propheta ſignificat, heic tecum ſedem ha-

[a] Matth. XVII. 6. [b] Pſalm. LXXXVIII. 13. [c] Matth. XVII. 4. [d] Ibid.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 675.



ταῦθα παρὰ σοὶ κατασκηνῶσαι, τὸν ἐνανθρωπήσαντα λόγον, καὶ ἐν ἀνθρώποις σκηνώσαντα, τὴν ὄντως ἀνάπαυσιν, τὸν ζωῆς καὶ θανάτου κύριον, ᾧ πάντες ζῶσιν οἱ ἅγιοι, κἂν τῇ διακρίσει τῶν συμπληρούντων μερῶν τὸ ἀνθρώπινον σύγκριμα, τὸν φυσικὸν πεπόνθασι θάνατον· τὸν βασιλέα τῶν ὅλων, καὶ συνοχέα, καὶ αἴτιον. ἵνα τῷ ἀπροσίτῳ τῆς σῆς φωτοχυσίας καταλαμπόμενοι καὶ αὐτοὶ, σὲ τὸν ἐν αὐτοῖς κατοικήσαντα καὶ ἐμπεριπατήσαντα λόγον, φανερὸν τῷ κόσμῳ ποιήσωσιν· τὴν μὲν προτέραν ἑαυτῶν ζωὴν ἀποθέμενοι, μόνην δὲ τὴν σὴν τὴν τῷ πνεύματι τῷ σῷ, καὶ τῷ θείῳ πυρὶ συνισταμένην κατὰ τὴν εὐαγγελικὴν ἀπόφασιν, εἰσδεξάμενοι χάριν, τὴν ὑψηλήν τε καὶ ἄϋλον, τὴν οὐ παλαιοῦσαν, οὔτε γηρῶσαν, ἢ φθίνουσαν· ἀλλ' ἀεὶ τῇ ζέσει τοῦ πνεύματος, ἐπὶ τὸ μεῖζόν τι καὶ θειότερον προϊοῦσαν καὶ ὑψουμένην, διὰ τὴν ἀπειρίαν τῆς χάριτος.

Ἀλλὰ καὶ τῆς νεφέλης εἴσω χωρήσωμεν, καὶ τίς ὁ τῆς νεφέλης λόγος σκοπήσωμεν· ἵνα καὶ τοὺς ὀφθέντας ἐν τῇ νεφέλῃ καὶ συλλαλοῦντας τῷ Ἰησοῦ κατὰ τὸν ἐν βάθει κρυπτόμενον νοῦν, ὅση δύναμις ἀνιχνεύσαντες, μὴ πόῤῥω τῆς δι' αὐτῶν δηλουμένης θεωρίας γενώμεθα. νεφέλη τοιγαροῦν ἐστι φωτεινὴ κατὰ τὸν ἡμέτερον λόγον, ἐξ ἧς καὶ τοῦ πατρὸς ἡ φωνὴ πρόεισι, τίς καὶ πόθεν ὁ μεταμορφούμενος διαπρυσίως κηρύττουσα, ἡ ἐπὶ τὸν Ἰορδάνην μικρὸν ἔμπροσθεν καταπτᾶσα περιστερά· τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ κατιὸν ἄνωθεν ἐν εἴδει περιστερᾶς, καὶ μένον ἐπ' αὐτὸν ἐκεῖνον τὸν βαπτιζόμενον, καὶ βαπτίζοντα, κατὰ τὴν μαρτυρίαν Ἰωάννου, ἐν πνεύματι καὶ πυρί· ἐν ᾧ καὶ τὴν μονὴν, εἰ οὕτω χρὴ φάναι, κατὰ τὴν ἐν ἀλλήλαις τῶν ὑποστάσεων ἵδρυσιν, ἀδιάστατον ἔχει. ταῦτα δὲ περὶ τῆς νεφέλης νοεῖν ἐναγόμεθα, τὸν μέγαν ἀπόστολον καὶ περὶ ταῦτα διδάσκαλον ἔχοντες, ὃς Κορινθίοις ἐπιστέλλων· οὐ θέλω, φησὶν, ὑμᾶς ἀγνοεῖν, ἀδελφοὶ, ὅτι οἱ πατέρες ἡμῶν πάντες ὑπὸ τὴν νεφέλην ἦσαν, καὶ πάντες διὰ τῆς θαλάσσης διῆλθον, καὶ πάντες εἰς τὸν Μωϋσῆν ἐβαπτίσθησαν ἐν τῇ νεφέλῃ καὶ ἐν τῇ θαλάσσῃ. τῇ μὲν νεφέλῃ τὸ πνεῦμα, τῇ δὲ θαλάσσῃ τὸ ὕδωρ τυπῶν, ἐξ ὧν καὶ δι' ὧν ἡ πηγὴ βαπτίσματος· μᾶλλον δὲ τῆς θεογενεσίας τὸ μέγα δῶρον καὶ κάλλιστον. καὶ γὰρ οὐκ ἔστιν ἄλλως, ἢ ἐν τῷ υἱῷ τὸν πατέρα, ἢ ἐν τῷ πατρὶ τὸν υἱὸν ἐνοπτρίζεσθαι, ὅτι μὴ ἐν τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ· ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται μὲν, υἱῷ δὲ κατ' οὐσίαν ἐμφιλοχωρεῖ καὶ ἀναπαύεται, ὡς ὁμοούσιον, καὶ ὁμόθρονον, καὶ ὁμότιμον.

Κἀνταῦθα τοίνυν, καὶ ἐν τῷ Ἰορδάνῃ τὸ αὐτὸ τῆς τριάδος φανεροῦται μυστήριον, τῷ ὑπερηνωμένῳ καὶ πάντῃ μοναδικῷ τῆς ὑπερανάρχου θεότητος συνεχόμενόν τε καὶ ἐκφαινόμενον διὰ τῶν αὐτῶν ῥημάτων· προσθήσω δὲ, ὅτι καὶ πραγμάτων, τῷ γε θείως σκοποῦντι καὶ πᾶσαν ὑπεραναβεβηκότι τὴν κτίσιν, τῇ ὁδηγίᾳ τοῦ πνεύματος. τοῦτο ἐστι δι' ὃ τῇ νεφέλῃ περιλαμφθέντες, καὶ τῷ φωτὶ τοῦ προσώπου κυρίου πᾶσαν ὀπτικὴν ἐνέργειαν ἀφαιρεθέντες οἱ προκριθέντες τῶν ἀποστόλων, τῆς ἐπὶ τοῦ ὄρους μεταμορφώσεως ἐπόπται τε γενέσθαι καὶ μάρτυρες ἀξιωθέντες, ἔξω πάντων ἐγένοντο τῶν ὁρωμένων, ἔτι δὲ καὶ ἑαυτῶν, ἵνα τὸ πάσης [1] θειόσεώς τε καὶ ἀφαιρέσεως ἐκβεβηκὸς καθ' ὑπεροχὴν ὑπερούσιον, τῇ ἐκφάνσει τοῦ λόγου, καὶ τῇ ἐπισκιάσει τοῦ πνεύματος, καὶ τῇ ἄνωθεν ἐκ τῆς νεφέλης φερομένῃ φωνῇ τοῦ γεννήτορος, δι' ἀβλεψίας καὶ ἀγνωσίας παιδευθῶσι μυστήριον. ὑπὸ ταύτῃ γίνονται τῇ νεφέλῃ Μωσῆς καὶ Ἠλίας, καὶ τῷ Ἰησοῦ συλλαλοῦντες ὡρῶντο, καὶ τὴν ἔξοδον αὐτοῦ τὴν διὰ σταυροῦ προμηνύουσι. ὧν ὁ μὲν τὸν γραπτὸν, ὡς

1. Forte θέσεως

A beant, qui Verbum es factum homo, & quod in hominibus habitavit: qui vere refectio; qui Dominus vitæ & mortis, cui vivunt Sancti omnes quamquam partibus, quibus humana completur ac constituitur coalitio, mutuum discretis, naturalem obierint mortem: qui Rex es universorum, omniaque contines, & efficis. Ut & ipsi inaccesso tuo illo fuso lumine illustrati, te Verbum quod in eis habites & inambules, mundo faciant notum, sua ipsorum priori vita deposita, tua autem sola gratia illa, in tuo posita Spiritu divinoque igni, juxta quod Evangelio decernitur, admissa. Vita inquam sublimi & aliena a materia, vita immortali, B vita non senescente aut defectibili: sed quæ semper, spiritus fervore ad ampliora diviniora-que, ex immensitate gratiæ promoveat atque assurgat.

Sed & intra nubem procedamus, videamusque quidnam illa sensi habeat; ut eos qui apparuerunt in nube, & colloquebantur cum Jesu, juxta imo latentem profundo intelligentiam, quantum licuerit vestigio inquirentes, non longe simus a veritate illis significata. Est itaque meo sensu nubes lucida, ex qua procedit vox illa paterna, clare prædicans quisnam ac unde sit qui transfiguratur, columba illa haud ita pridem advolans ad Jordanem: C nempe Spiritus Sanctus, Spiritus qui cælo descendit columbæ specie, manetque super illum ipsum qui baptizatur, *baptizatque*, juxta Joannis testimonium, *in spiritu & igni*: in quo & continuam, si ita liceat loqui, mansionem habet, pro illa personarum in se invicem velut firma sede & incessione. Ad hunc autem de nube sensum, magni Apostoli doctrina subvehit, ita de his scribentis ad Corinthios: [a] *Nolo vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt, in nube, & in mari.* Nube quidem ceu typo repræsentans Spiritum, mari autem aquam, ex quibus & a quibus fons est baptismatis; D vel potius divinæ nativitatis magnum illud & pulcherrimum donum. Neque enim alia ratione potest, vel Pater in Filio, vel Filius in Patre velut in speculo elucere, quam qua in Spiritu sancto, qui a Patre procedit, lubensque in Filio manet & requiescit, tamquam ejusdem essentiæ, atque æquali sede, & honore.

Tum heic ergo, tum in Jordane idem declaratur Trinitatis mysterium, quod maxima omninoque singularissima unitate intemeratissimæ deitatis consistit, iisdemque verbis manifestatur. Addiderim vero & rebus iisdem, si quis divina quadam ratione consideret, omnemque transscendat creatu- E ram, Spiritu duce. Eam ob rem eximii præcipuique Apostoli, ii digni habiti, qui transfigurationis in monte inspectores essent & testes, intercipiente nube, ac luce a Dominico vultu micante visum omnem adimente, omnibus sub adspectum cadentibus excesserunt: ad hæc vero & seipsis; ut Verbi occultiore doctrina, & obumbratione Spiritus, ac Genitoris voce de cælo missa, velut cæcitate & ignoratione, id tanti sacramentum discerent, quod totius positionis & negationis eminentem substantiæ perfectionem supra modum excederet. Sub hac nube veniunt Moses & Elias, ac visi sunt colloquentes cum Jesu, prænuntiantque ejus futurum excessum per crucem. Quorum ut dixi,

a I. Cor. X. 1. 2.

ἔγγραφον εἰπών, ὁ δὲ τὸν φυσικὸν νόμον δηλοῖ. ἵν᾽ ὁ δι᾽ ἀμφοτέρων πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, ἀποστολικῶς εἰπεῖν, ἀναγινωσκόμενος λόγος, τοῦ μὲν ποιητὴς, τοῦ δὲ πληρωτὴς γνωρισθῇ· καὶ τῷ μὲν τέλος ἑαυτὸν ἐπιθῇ τὸ μακάριον, τὸν δὲ παλαιωθέντα ἤδη καὶ διαῤῥυέντα τοῖς λογικοῖς ὑπὸ τῆς ἀλογίας, καινοποιήσῃ τῷ πνεύματι. καὶ ἀμφοτέρους ἐφ᾽ ἑαυτὸν συναγαγὼν, δείξειεν ἐν ἑαυτῷ μηδὲν καθ᾽ ὁτιοῦν ἀλλήλους ἑαυτοὺς διαφέροντας. οἳ καὶ ἀφανεῖς γίνονται, τῷ ἡλίῳ τοῦ εὐαγγελίου κρυπτόμενοι, μᾶλλον δὲ φωτιζόμενοι καὶ πρὸς ὕψος αἰρόμενοι. καὶ ἵν᾽ εἴπω τὸ μεῖζον, πρὸς αὐτὸν ἐκεῖνον τὸν ἥλιον εἰς ἓν ἀθροιζόμενοι, περιχωροῦντες τῷ κρείττονι, ὁλικῶς ἑνικώμενοι. καὶ μακάριος, ὃς τῇ ἀφῇ τοῦ λόγου τοῦ σαρκὶ παχυνθέντος, καὶ ὑπὸ τὴν καθ᾽ ἡμᾶς αἴσθησιν δι᾽ ἡμᾶς γενομένου, τῶν μυστικῶς φανέντων τὴν γνῶσιν δεξάμενος, μὴ καθυβρίσῃ τὴν χάριν, ἀνάξιον ἑαυτὸν ἀποφήνας τοῦ πνεύματος. ἀλλ᾽ αὐτὸν δὴ μονώτατον νόμον ἡγεῖτο· καὶ μὴ μόνον ἡγεῖτο, ἀλλὰ καὶ ἑαυτὸν ποιεῖτο τῇ ἐλλάμψει τοῦ πνεύματος, τὸν νόμῳ θείῳ καὶ ἀνθρωπίνῳ καινοπρεπῶς ἡμῖν πολιτευσάμενον. ἡμῖν γὰρ, οἷς καὶ γέγονεν ἄνθρωπος, πεπολίτευται. ὃς καὶ εἰς τὸν βίον δῶρον, τὴν ὑπερκόσμιον πολιτείαν εἰσήνεγκεν. ὃ καὶ δεξάμενος τῶν ἀνθρώπων ὁ βίος, πολύγονος ἐν τοῖς τοῦ πνεύματος ἀναδέδεικται, τὴν ἐξ ἁμαρτίας ἐγγενομένην αὐτῷ στείρωσιν ἀποθέμενος. διὸ δὴ λοιπὸν καὶ μετ᾽ ἀγγέλων χορεύουσιν οἱ ἄνθρωποι, κοινῇ τὸν Θεὸν ὑμνοῦντες καὶ λέγοντες· δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία.

Ἔχεις οὖν, ἀγαπητὲ, τοῦ μυστηρίου τὸν λόγον, εἰ καὶ πολὺ τῆς ἐλπίδος λειπόμενον, ἀλλά γε τῆς δυνάμεως τῆς ἡμετέρας οὐκ ἐνδεέστερον. τὸν δὲ ὑψηλότερόν τε καὶ μυστικώτερον, παρ᾽ αὐτοῦ ἂν ἐπιζητοίης τοῦ λόγου, τοῦ διὰ σὲ καὶ σάρκα φορέσαντος, καὶ σταυρὸν ὑπομείναντος· ὃν καὶ λαβὼν, παρὰ σαυτῷ τηροίης κατὰ πᾶσαν σπουδὴν, ἀνέκφραστόν τε καὶ ἄῤῥητον, τῷ λόγῳ πειθόμενος. ἕως ἂν αὐτὸς ὁ σαρκὶ παθὼν κύριος ἐν σοὶ νικήσας τὸν θάνατον, ἐκ νεκρῶν ἀναστῇ. καὶ ἀναστήσας τε τὸν νεκρωθέντα ὑπὸ τῆς ἁμαρτίας, θεουργήσῃ τῷ πνεύματι. καιρὸς γὰρ, ὡς Σολομῶντι καὶ τῇ ἀληθείᾳ δοκεῖ, παντὶ πράγματι. ταῦτα τοίνυν εἰδὼς, ἄνθρωπε, μηδαμῶς σαυτὸν ἀνάξιον ἀπελέγξῃς τῆς χάριτος, μηδὲ διὰ τῆς κατὰ τὸν βίον ῥᾳστώνης, ζημιωθῇς τὰ οὐράνιά τε καὶ ἀστασίαστα. ἀλλὰ ῥᾳθυμίαν ἅπασαν τῆς ψυχῆς παρωσάμενος, καὶ τὴν πρὸς τὰ ὑλικὰ προσπάθειαν ἀποτιναξάμενος, γενοῦ καθαρῶς ὅλος δι᾽ ὅλου τῶν κρειττόνων καὶ οὐρανίων. καὶ τὴν ἐν πνεύματι πρὸς τὸν λόγον δέχου συμβίωσιν τὴν καθαρὰν καὶ μακαρίαν, καὶ ἧς ἔργον ἡ θέωσις, καὶ τῶν ἀῤῥήτων ἀγαθῶν ἀπόλαυσις. ἵνα δειχθῇ καὶ ἐν σοὶ, διὰ μὲν τῶν ἀρετῶν ἡ ὄντως ἀρετὴ μορφουμένη καὶ τυπουμένη, τῇ δὲ ἀπλανεῖ θεωρίᾳ τῶν ὄντων, ἡ ἀλήθεια τρανῶς ἀποκαλυπτομένη· καὶ διὰ σοφίας ἡ σοφία γνωσθῇ, ἐν ᾗ τὰ πάντα συνέστηκεν, ὡς αἰτία τῶν πάντων, ὡς συνοχὴ τῶν γεγονότων ὑμνουμένη καὶ τιμωμένη. καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν, δοξασθῇ Θεὸς ἐν σοὶ, δι᾽ ἀμφοτέρων, ἀρετῆς τε καὶ θεωρίας· ὁ ἐν τριάδι θεωρούμενός τε καὶ προσκυνούμενος, τὸ ἀρετῆς καὶ θεωρίας κυριώτατόν τε καὶ ἀκραιφνέστατον τέλος, οὗ εἵνεκα πάντα τὰ ἄλλα, αὐτὸ δὲ οὐδενὸς εἵνεκα.

Μεγάλα τοίνυν ἐστὶν, ἄνθρωπε, τὰ δεδωρημένα σοι, καὶ τὰ ἔτι δοθήσεσθαι μέλλοντα πρὸς

A ille quidem scriptam legem, hic autem naturalem indicat. Adeo ut Verbum, quod *multifariam multisque modis* legitur, ut Apostoli verbis loquar, alterius quidem cognosceretur author, alterius vero consummator: atque alteri quidem beatum se ipsum finem adjungeret, alteram jam veteratam & diffluentem appetitu alieno a ratione hominibus ratione præditis, spiritu renovaret ac instauraret: ambasque in seipso cogens, nihil plane differre a se mutuo in sua ipsius persona ostenderet. Et vero disparent occultante sole Evangelii: seu potius ipso illuminante in sublime assurgant; atque ut dicam quod est amplius, in ipsomet illo sole in unum collectæ, potiori velut immeant, ac omni- B no vincuntur. Plane vero beatus qui contactu Verbi carne crassati, ac propter nos id facti quod sensibus subjiceretur, percepta sensu spiritali visorum scientia non habuerit contumeliæ gratiam, quo se ipsum Spiritu indignum reddat. Immo legem se maxime unam putaverit: nec tantum putaverit, sed & illucente Spiritu eum sese reddiderit, qui nova decentique ratione, divino humanoque jure nobis vixit. Nobis siquidem, quibus & factus est homo, vitam instituit: qui etiam singulari dono cælestem vitæ rationem in vitam invexit. Qua suscepta, deposita quæ ex peccato inolevisset sterilitate in iis quæ spiritus sunt, humana vita fœcunda evasit. Quocirca jam deinceps C choros ducunt homines cum Angelis, Deum pariter laudantes, atque dicentes: [a] *Gloria in altissimis Deo; & in terra pax; in hominibus bona voluntas.*

Habes ergo, dilecte, sacramenti rationem ac sensum expositum. Quamquam vero ea longe ab exspectatione deficiat, nihil tamen minus habet facultate nostra. Sublimiorem ac magis spiritalem, ab ipso Verbo & divina Ratione, quæ tui etiam caussa carnem induit, ac sustinuit mortem, requisieris: atque acceptam, velut ineffabilem & arcanam omni studio apud te custodieris, morem gerens Verbo, donec ipse Dominus carne passus, ac in te superata morte, resurrexerit a mortuis, te- D que suscitatum qui mortificatus fueras peccato, in spiritu divinitate induat. Ut enim videtur Salomoni & veritati placet, *Omnia tempus habent*. Ne vero homo, qui hæc noveris, ipse te gratia indignum ostenderis: neque ita segniter institueris vitam, ut cælestia illa & pacata amiseris. Quin omni ab animo depulsa ignavia, vitiosaque affectione ad terrena decussa, totum te ex toto pure melioribus dedas atque cælestibus, vitæque cum Verbo in spiritu rationem ineas; mundam illam & beatam, cujus opus deificatio sit, inenarrabiliumque bonorum perceptio. Quo & in te virtutum studio vera illa virtus formata atque expressa perspiciatur: vera autem rerum contemplatione perspicue E monstretur revelata veritas: ex sapientia vero illa innotescat Sapientia, in qua ut omnium caussa, *constant omnia*; laudanda illa & honoranda, ut quæ creanda conservet & contineat. Atque ut verbo dicam, in te Deus utroque glorificetur, actione inquam & contemplatione, quem nimirum in Trinitate contemplamur & adoramus: finis ille virtutis contemplationisque absolutissimus ac verissimus, cujus gratia sunt omnia alia, ipse autem nullius gratia.

Sunt itaque magna, o homo, quæ accepisti collata dona, quæque adhuc recurrenti ad Deum sunt

a Luc. II. 14.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 675.

Θεὸν ἀνατρέχοντι, καὶ πάντα νοῦν καὶ λόγον νικᾷ τὰ περὶ σὲ τοῦ Θεοῦ μυστήρια. διὸ μὴ ἀναπέσῃς τῇ ῥαθυμίᾳ κρατούμενος, μηδὲ σεαυτὸν ἀγνοήσῃς, μηδὲ τὴν δωρεὰν ἀθετήσῃς. ἀλλὰ τὴν κλῆσιν αἰδέσθητι, καὶ μὴ φανῇς ἀγνώμων εὐεργετούμενος, μηδὲ δυσχεράνῃς προῖκα τὴν σωτηρίαν εὑράμενος. κατάλιπε τῇ γῇ τὰ τῆς γῆς. τί γάρ σοι, καὶ τῇ γῇ; ἔα τοὺς νεκροὺς θάπτειν τοὺς ἑαυτῶν νεκρούς, ὁ λόγος διακελεύεται. νεκρὸν δὲ προδήλως ἅπαν τὸ φθειρόμενον καὶ λυόμενον, καὶ νεκροῖ τοὺς περιέποντας. διὸ καὶ νεκροὶ νεκροὺς θάπτουσιν, οἱ διὰ τὴν πρὸς τὰ φθειρόμενα σχέσιν τῆς ὄντως ζωῆς στερούμενοι, καὶ μισθὸν τοῦτον τῆς πρὸς τὰ λυόμενα διαθέσεως κομιζόμενοι, τὸ νεκροὶ γενέσθαι ὀνομάζεσθαι. οὗ τί ἂν ἀθλιώτερον γένοιτο; πάντων οὖν ἀπογυμνωθεὶς τῶν ὅσα ῥεῖ καὶ παρέρχεται, μᾶλλον δὲ κατὰ γνώμην αὐτὸς ἅπαντα παρωσάμενος, ὅσα τῷ βίῳ τούτῳ καὶ τῷ σαρκίῳ συναποσβέννυται, ἀμεταστραπτὶ παρομάρτει τῷ λόγῳ, τῷ διὰ σὲ κενωθέντι, καὶ μορφωθέντι τὸ ἀλλότριον, καὶ ὅλον σε φέροντι μετὰ τῶν σῶν, ἵν᾽ ἐν ἑαυτῷ δαπανήσῃ τὰ ἐν σοὶ χείρονα, καί σε τελείως ἐλευθερώσῃ τῆς ἁμαρτίας. συνόδευσον τῷ Χριστῷ διὰ σὲ τὸν κόσμον ὁδεύοντι, καὶ μὴ ἀπολειφθῇς, μηδὲ στῇς τοῦ δρόμου τινί που κρατηθεὶς τὴν διάνοιαν· ἀλλὰ καὶ εἰς οὐρανοὺς ἀνιόντι συνάνελθε. ἐκεῖ σου τὴν ψυχὴν καὶ τὸν βίον μετοίκισον. καλόν σοι τὸ μετὰ Θεοῦ γενέσθαι· ἔνθα τῶν ἁγίων ἐστὶν ἡ πανήγυρις, ἔνθα τῶν ἑορταζόντων ἦχος ὑπέρλαμπρος. ἐπὶ πᾶσι δὲ τὴν καλὴν ἅμιλλαν ἁμιλλώμενος, φόβον ἔχε καὶ πόθον· ἵνα τῷ μὲν βοηθῇ, καὶ μὴ καταπίπτοις πρὸς ἔπαρσιν, τῷ μεγέθει καὶ κάλλει τῶν ἀρετῶν φιλοτιμούμενος· τῷ δὲ πυρπολούμενος ἀνάγῃ, καὶ μὴ καθυβρίζοις κόρῳ τινὶ τὴν πρὸς τὸ ὄντως καλὸν πρόοδόν τε καὶ ἄνοδον. ἀλλ᾽ ἀνένδοτόν τε καὶ ἀκηλίδωτον εἰς ἀεὶ τηροίης τὸν θεῖον δὴ τοῦτον καὶ ὑπερκόσμιον ἔρωτα. τὸ γὰρ ἐραστὸν ἐφ᾽ ὅπερ ὁ πόθος σοι τείνεται, ἄναρχόν τε καὶ ἀτελεύτητον· καὶ τοῦτο ὅρος αὐτῷ· τὸ, πάντῃ ἀόριστόν τε καὶ ἄπειρον. οὗ καὶ νῦν τῆς αὔρας ἀεὶ ἐπιτεινομένης ἀξιωθείημεν· καὶ ἡνίκα τῶν ἐντεῦθεν μεταβαίημεν, αὐτῷ καθαρῶς τῷ ποθουμένῳ συνανακραθείημεν. χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, δι᾽ οὗ καὶ μεθ᾽ οὗ τῷ πατρὶ, καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι δόξα, τιμὴ, κράτος, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν.

A conferenda: ac plane ſuperant omnem ſenſum & rationem Dei circa te ſacramenta. Quare ne ignavia ſuperante concideris, neve teipſum ignoraveris, aut donum ſpreveris. Reverere vocationem, neque beneficio affectus ingratus videaris: vel gratis inventa ſalute, moleſte habueris. Derelinque terræ quæ ſunt terrena: quid enim tibi, & terræ? Jubet verbum, [a] *ſinas mortuos, ſepelire mortuos ſuos*. Palam vero eſt mortuum eſſe, quicquid eſt corruptioni obnoxium & diſſolvitur, quodque eos occidat qui fovent ac curant. Atque ideo mortui ſepeliunt mortuos, qui affectione ad res obnoxias corruptioni illius veræ vitæ jacturam faciunt, B idque mercedis ex ejuſmodi affectione ad peritura reportant, ut nominentur facti mortui: quo quid infecilius eſſe poſſit? Omnibus ergo nudatus, quotquot diffluunt & tranſeunt; immo depulſis rejectiſque animi propoſito iis omnibus quæ ſimul cum ſæculo hoc, carniſque vaſculo exſtinguuntur, Verbo te comitem indiviſum, ut neque adſpicias retro, adjungas. Verbo inquam, quod tui cauſſa ſe exinanivit, ac alienam induit formam; quodque totum te cum tuis geſtat, ut in ſeipſo tua vitia malaque abſumat, ac perfecte a peccato abſolvat & liberet. Chriſto tui cauſſa iter in mundo facienti, eſto itineris comes: ac ne defeceris, neve aliquo detinente animum, a curſu deſtiteris. Quin C & una cum aſcendente in cælos, illuc animam tuam vitæque rationem transferens, pariter aſcende. Bonum tibi eſt eſſe cum Deo, & ut cælum tibi ſit domicilium: ubi Sanctorum omnium lætus conventus; ubi ſonus epulantium præmagnificus. Poſtremo autem, bonum certamen certans, metum habe & deſiderium: ut altero quidem juveris, ut ne virtutum magnitudine & decore glorians, in elationem corrueris: altero autem velut incendente, ſubveharis; nulloque tædio victus, proceſſum aſcenſumque in illud vere bonum, probro affeceris; ſed ſemper irremiſſum & ſine macula amorem hunc divinum & cæleſtem ſervaveris. Res quippe amata, in quam deſiderio ferris, ſine prin- D cipio eſt & immortalis. Cui ea definitio eſt, ut omnino indefinita & immenſa ſit: cujus & modo jugem ſemper mereamur auram ac ſuavem ſpiritum. Ac ubi migraverimus ab humanis, ipſi pure pleneque deſiderato commiſceamur: gratia & benignitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem, & cum quo ſit Patri ac Spiritui ſancto gloria, honor, poteſtas, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

[a] Matth. VIII. 22.

A

ΛΟΓΟΣ ΕΙΣ ΤΟΝ τετραήμερον Λάζαρον.

ΛΑζαρος τὸν παρόντα συγκεκρότηκε σύλλογον. καὶ βούλεται τῆς αὐτοῦ ἀναβιώσεως ἑτοιμάσαι δεῖπνον, ἐπάξιον τοῖς ἐρασταῖς τῶν καλῶν καὶ φιλοθεάμοσι. μᾶλλον δὲ ἤδη προητοίμαστο· καὶ πρὸς εὐωχίαν πάντας καλεῖ, τοὺς ὅσοι πάθη τὰ ἑαυτῶν τοῖς Χριστοῦ πάθεσι μιμητικῶς παρελαύνουσι. ποιεῖ δὲ τοῦτο πῶς; τὸ παραδόξως ἐπ᾽ αὐτῷ πραχθὲν προϊσχόμενος εἰς ἑστίασιν θαῦμα. τοῦτο δὲ ἡλίκον ἐστὶ, κατὰ πόδας λέξεται. φέρε τοίνυν τῆς εὐαγγελικῆς ἄρτι πυκτῆς μετὰ χεῖρας λαβόμενοι, καὶ τῇ ἐποπτείᾳ τοῦ λόγου τὴν ἐν βάθει κειμένην φλέβα φιλοπόνως ἀναστομώσαντες, τοῦ θαύματος ἐφαψώμεθα, τῆς ἐντεῦθεν ποταμηδὸν προχεομένης διδασκαλίας τοὺς ῥύακας τοῖς βουλομένοις ἀφθόνως ἐνδιδόντες ἀρύεσθαι. παρίτω τοίνυν εἰς μέσον ἡμῶν ὁ θεοπτικώτατος Ἰωάννης, ὁ τῶν ἀποκρύφων αὐτόπτης καὶ τῶν ἀρρήτων ὑφηγητὴς, ὁ ἐπὶ τοῦ στήθους ἀναπεσὼν τῆς πάντων ζωῆς, καὶ τὴν ἑαυτοῦ καρδίαν οἱονεὶ σπόγγον τῇ ζωηρρύτῳ πηγῇ παραθεὶς, καὶ πλήρης ἔκ τινος αὐτορρύτου γενόμενος διαδόσεως τῶν ἐγκειμένων τῇ τοῦ κυρίου καρδίᾳ ζωηρῶν μυστηρίων. ὃς κατ᾽ αὐτὴν τοῦ δεσποτικοῦ πάθους γενόμενος τὴν ἀρχὴν, μόνος τῶν ἄλλων ἰδίως συγγράφει τὸ κατὰ τὸν Λάζαρον θαῦμα, καί φησιν.

Ἦν τις ἀσθενῶν Λάζαρος ἀπὸ Βηθανίας, ἐκ τῆς κώμης Μαρίας καὶ Μάρθας τῆς ἀδελφῆς αὐτῆς. ἀπέστειλαν οὖν αἱ ἀδελφαὶ αὐτοῦ πρὸς τὸν Ἰησοῦν, λέγουσαι· κύριε, ἴδε ὃν φιλεῖς, ἀσθενεῖ. ἀκούσας δὲ ὁ Ἰησοῦς, εἶπεν· αὕτη ἡ ἀσθένεια οὐκ ἔστι πρὸς θάνατον, ἀλλ᾽ ὑπὲρ τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ, ἵνα δοξασθῇ ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ δι᾽ αὐτῆς. τὸ μὲν οὖν ἀσθενῆσαι Λάζαρον, κοινὸν τῆς ἀνθρωπίνης ἀῤῥώστημα φύσεως. ἐκ γὰρ πηλοῦ καὶ γῆς συνεστῶσα κατὰ τὸ ὁρατὸν αὐτῆς μέρος, πολλὰ τὰ κατὰ φύσιν ἔχει συμπτώματα τήν τε τῆς ψυχῆς ἐπιθολοῦντα κατάστασιν, καὶ τῷ ἐφολκίῳ τοῦ σώματος ἐπιβρίθοντα. τὸ δὲ μὴ πρὸς θάνατον συμβῆναι φάναι ταύτην αὐτῷ, ἀλλ᾽ ὑπὲρ τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ, ὡς ἂν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ δοξασθῇ δι᾽ αὐτῆς, ἔχει τι τάχα τῶν ἀπορρήτων, καὶ πρὸς τὸ ἐμφανὲς ἀχθῆναι δεδεημένων, διὰ τῆς ἀκολούθου συνεξετάσεως, ὥς ἐστιν ὁρᾶν ἐν τοῖς προάγουσιν.

Ὁποίαν γὰρ ἐντεῦθεν ἑαυτῷ προσγενέσθαι δόξαν φησὶν ὁ Χριστὸς, πλὴν τοῦ σταυροῦ; δόξα γὰρ Χριστοῦ ὁ σταυρὸς, καὶ τοῦτο σκοπὸς ἦν αὐτῷ προεπινοηθεὶς τῶν αἰώνων. ἔμελλον γὰρ οἱ Ἰουδαῖοι θαύματος αὐτουργὸν γεγονότα τοιούτου, σταυρῷ προσηλοῦν, αἰσχύνης καταφρονήσαντα, ὥς φησιν ὁ θεοφάντωρ, διὰ τὴν ἐξ αὐτοῦ δόξαν. οἱ γὰρ τῇ συχνῇ τῶν θαυμάτων μεγαλουργίᾳ μείναντες ἀδυσώπητοι, ἤ που ἂν μαλαχθεῖεν τὸ ἴσον θαῦμα θεώμενοι; εἰ γὰρ καὶ τὸ νεκρὸν ἀναβιῶναι τετραήμερον, καὶ σεσηπότα προϊέναι τοῦ μνήματος, οὐ τὸ τυχὸν ἦν θαῦμα, οὐδὲ τῶν ἄλλων ἔλαττον, ὧν ἑωράκεισαν· ἀλλ᾽ ἐκείνους οὐκ ἐδυσώπει τὸ μεγαλούργημα, ἢ ὅτι μόνον ὕλην τῇ σφῶν βασκανίᾳ παρείχετο. δόξαν οὖν ταύτην λέγει σαφῶς, τὴν διὰ σταυροῦ προσγινομένην αὐτῷ, τὸν ὑπὲρ ἡμῶν ἑλομένῳ θάνατον ὑπελθεῖν. εἰ γάρ τοι καὶ πρὸ παντὸς αἰῶνος τὴν πατρικὴν εἶχεν δόξαν ὡς Θεὸς καὶ Θεοῦ υἱὸς συνουσιώμενος αὐτῷ, ἀλλὰ καὶ τῆς παναγίας αὐτοῦ σαρκὸς τὸ μακάριον πάθος δόξαν ἡγεῖται, παγκοσμίου σωτηρίας γενόμενον αἴτιον.

Ἀλλ᾽ ἐπὶ τὴν ὁδὸν ἔλθωμεν, ἣν ἡ ἀληθινὴ τῆς ζωῆς ὁδὸς παρέδειξεν ὁ Χριστὸς, εἰπών· μείζονα ταύτης ἀγάπην οὐδεὶς ἔχει, ἵνα τις τὴν ψυχὴν αὐτοῦ θῇ ὑπὲρ τῶν φίλων αὐτοῦ. ᾔδει γὰρ προϊόντος

ORATIO IN LAZARUM quatriduanum.

LAzarus præsentem indixit conventum: ac suæ ipsius resurrectionis cœnam, dignam iis qui res pulcras & spectacula amant, vult instruere. Potius vero jam instruxit: omnesque ad convivium evocat, quotquot suas ipsi passiones Christi passionibus imitatione adjungunt. Qua id porro ratione facit? Nempe quod in ipso gestum est singulare miraculum, in epulum proponens. Quam porro illud sit magnum, statim dicetur. Age igitur nunc accepto præ manibus libro Evangeliorum, B sermonisque inspectione, venæ in imo positæ laxato operosius ore, miraculum attingamus, atque inde largius manantia doctrinæ fluenta, ut qui velint affatim hauriant, deducamus. In medium ergo divine oculatissimus Joannes procedat: nimirum, qui ipse occultorum inspector fuit & arcana enarravit: qui supra pectus ejus qui omnium est vita recubuit: quique cor suum ad instar spongiæ vitali admovit fonti, ac ultronea quadam derivatione reconditorum in Domini pectore vitalium sacramentorum replevit. Is solus ubi ad initium dominicæ passionis venit, gestum in Lazaro mysterium peculiariter conscribit, aitque:

[a] *Erat quidam languens Lazarus a Bethania,* C *de castello Mariæ & Marthæ sororis ejus. Miserunt ergo sorores ejus ad eum, dicentes: Domine, ecce quem amas, infirmatur. Audiens autem Jesus, dixit: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.* Equidem quod Lazarus infirmaretur, communis naturæ humanæ ægritudo fuit. Cum enim quod hominis subjectum oculis est, ex luto terraque constitutum sit, multis ipse suapte natura excipitur casibus morbisque, quibus & animi perturbetur status, & degravetur navicula corporis. Quod vero dicatur ea infirmitas non ad mortem, sed pro gloria Dei, ut Dei Filius glorificetur per eam: quidpiam forte habuerit arcanum, ac tale, ut consequenti conquisitione fuerit declarandum, ut proces- D su videre licet.

Quam enim sibi inde Christus ait accessisse gloriam, præter eam quæ est crucis? Christi enim gloria crux est: eratque is ei ante sæcula præcogitatus scopus ac finis. Nam erat futurum, ut Judæi tanti miraculi patratorem cruci affigerent, qui ut divine ait Apostolus, propter gloriam quæ ex ea est, contemturus esset confusionem. Num fors enim, quos crebra ejus miracula edita non flexissent, visum istud miraculi flexurum erat? Quamquam enim etiam mortui quatriduani suscitatio, taboque defluentis e monumento processio, non vulgare miraculum erat, nec quicquam visis aliis E habebat minus. At non flectebat operis magnitudo, nec aliud quam materiam fomitemque invidiæ ministrabat. Hanc ergo clare gloriam dicit, quæ ei ex cruce, quam pro nobis voluit subire, accessit. Nam licet ante omne sæculum paternam ut Deus ac Filius Dei, communi cum eo substantia, haberet gloriam, suæ tamen etiam sacratissimæ carnis beatam passionem gloriam ducit, velut mundi totius salutis caussam.

Verum ad viam redeamus, quam nobis vera vitæ via Christus monstravit, dicens: [b] *Majorem hac caritatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Noverat enim fore,

a Joan. XI. 1-4. b Joan. XV. 13.

τοῦ θαύματος, Ἰουδαίους μὲν ἀνασείειν τοὺς ὄχλους, καὶ θορυβεῖν μέλλοντας, Καϊάφαν δὲ μανησόμενον, ἑαυτὸν δὲ τὸν διὰ σταυροῦ πεισόμενον θάνατον. ὅτι δὲ φίλος ὁ Λάζαρος, τὸ πρᾶγμα δηλοῖ. ἠγάπα γάρ, φησιν, ὁ Ἰησοῦς τὴν Μάρθαν καὶ τὴν ἀδελφὴν αὐτῆς, καὶ τὸν Λάζαρον. καὶ τίς οὕτω μακάριος, ὡς ἀγαπηθῆναι ὑπὸ Χριστοῦ τῆς αὐτοαγάπης; τί καὶ θαυμαστὸν, εἰ καὶ γυναῖκες ἀῤῥενωθεῖσαι τὸ φρόνημα, παρὰ τοῦ πάντας καλέσαι πρὸς ἑαυτὸν ἐλθόντος ἠγαπῶντο; τοσοῦτον δὲ τὸ περιὸν τῆς πρὸς αὐτοὺς ἀγάπης, ὡς καὶ τὸ θαῦμα τὸ εἰς τὸν σύγγονον, τῶν ἄλλων ὑπερεξᾶραι θαυμάτων τῇ μεγαλοφυΐᾳ τοῦ δράματος. ὡς οὖν ἤκουσεν ὅτι ἀσθενεῖ, τότε μέν, φησιν, ἔμεινεν ἐν ᾧ ἦν τόπῳ δύο ἡμέρας. τίνος ἕνεκα; προῄδει γὰρ ὡς πάντως τεθνήξεται. καὶ περιελεῖν θέλων τῶν θηρατῶν τὰς ὑποψίας, πῶς τὴν ὁρμὴν ἀναβάλλεται, ἵν᾽ ἀποπνεύσας ταφῇ, καὶ μὴ ἀπειροκαλία τις νομισθῇ τὸ μετὰ τὴν ἀκοὴν εὐθὺς ὁρμῆσαι πρὸς τὴν τοῦ θαύματος ἔνδειξιν. ἔπειτα μετὰ τοῦτο, λέγει τοῖς μαθηταῖς· ἄγωμεν εἰς τὴν Ἰουδαίαν πάλιν. εὐτολμία δὲ τοῦτο θεοπρεπὴς, καὶ τὸ παθεῖν ἑλέσθαι προθυμουμένης ψυχῆς, καὶ πρὸς πέρας ἄγειν τὸ τῆς οἰκονομίας μυστήριον. λέγουσιν αὐτῷ οἱ μαθηταί· ῥαββὶ, νῦν ἐζήτουν σε οἱ Ἰουδαῖοι λιθάσαι, καὶ πάλιν ὑπάγεις ἐκεῖ; μικροψυχίας τὰ ῥήματα, καὶ μᾶλλον ἀγνοίας, οὐ γὰρ ᾔδεσαν τὸ πραγματευόμενον, ἐπεὶ οὐκ ἂν ἐδυσχέραινον· οὐκ ἂν τοιαύταις ἐχρῶντο φωναῖς, τὸ ἄναλκι τοῦ νοῦ δηλούσαις καὶ ἄνανδρον. ἅμα δὲ καὶ περὶ τὴν πίστιν ἔτι τὸ ἀπαγὲς ἔχοντες, εἰκότως ἐδεδοίκεσαν. ὅθεν εὔλογα λέγειν ἐδόκουν· νῦν ἐζήτουν σε Ἰουδαῖοι λιθάσαι, καὶ πάλιν ὑπάγεις ἐκεῖ; ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς· οὐχὶ δώδεκα ὧραί εἰσι τῆς ἡμέρας; ἐάν τις περιπατῇ ἐν τῇ ἡμέρᾳ οὐ προσκόπτει, ὅτι τὸ φῶς τοῦ κόσμου τούτου βλέπει. ἐὰν δέ τις περιπατῇ τῇ νυκτὶ προσκόπτει, ὅτι τὸ φῶς οὐκ ἔστιν ἐν αὐτῷ. αἴνιγμα τοῦτο τῆς κατὰ τὸ πάθος ὥρας, μικρὸν ἔπω μελλούσης ἐφίστασθαι.

Νοήσεις δὲ ἡμέραν, τὴν χάριν καὶ τὴν ἀλήθειαν, αἷς ὁ τὴν εὐαγγελικὴν ὁδεύων ὁδὸν ἐλλαμπούμενος, οὐ προσκόπτει τῷ λίθῳ τοῦ Ἰουδαϊκοῦ προσκόμματος· ὅτι τὸ φῶς τοῦ κόσμου τούτου βλέπει. κόσμου δὲ φῶς, ὁ Χριστὸς, ὁ εἰπών· ἐγὼ φῶς εἰς τὸν κόσμον ἐλήλυθα· καὶ, ἐγώ εἰμι τὸ φῶς τοῦ κόσμου. νοήσεις δὲ φῶς, καὶ τὸ εὐαγγελικὸν κήρυγμα, καὶ τὴν διὰ τοῦ βαπτίσματος ἀναγέννησιν, καὶ τὴν ἐν ἤθει σεμνῷ διαγωγήν· ὡς τό, οὕτως λαμψάτω τὸ φῶς ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων. νύκτα δὲ, τὴν νομικὴν ἀβλεψίαν· καθ᾽ ἣν ὁ τὴν ἐν τύποις ὁδεύων ὁδὸν, καὶ μόνῃ τῇ τοῦ γράμματος προσανέχων σκιᾷ, προσπταίει τῷ Χριστῷ πέτρᾳ σκανδάλου τῷ δι᾽ ἀπιστίαν ἀμβλυωποῦντι κειμένῳ. προσκρούει δὲ πῶς; ὡς τὸ φῶς οὐκ ἔχων ἐν ἑαυτῷ τῆς χάριτος· ᾧ τὸ σκιῶδες ἠλάθη σκότος, ἢ διεκόπη, τῇ λαμπηδόνι τοῦ πνεύματος διαυγασθέντος τοῦ γράμματος. ἡμέρας δὲ νοήσεις τάχα καὶ τὸ τοῦ θαύματος ἐναργὲς, ἡλίου δίκην τὰς ἀλαμπεῖς καρδίας, καὶ πᾶσαν ἄρδην αὐτίκα τὴν Ἰουδαίαν περιαυγάσαν. οὐ γὰρ ὡς ἐν τοῖς ἄλλοις, μηδενὶ ἐξειπεῖν τὸ θαῦμα παρήγγειλεν, ὅτι μὴ κρύβδην ἐξειργάσατο. νύκτα δὲ καὶ τὴν τῶν Ἰουδαίων νοήσεις ἀκολούθως ἀχλὺν, καθ᾽ ἣν τῆς ψυχῆς τὰς κόρας ἀπετυφλώθησαν, δύο ταῦτα νοσήσαντες, ἀγνωσίαν καὶ πήρωσιν· οὐ γὰρ ἔγνωσαν, φησιν, οὐδὲ συνῆκαν, ἐν σκότει διαπορεύονται. μὴ ὅτι τὸ φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ φαῖνον βλέπειν οὐ βουλη-

A ut miraculi progressu Judæi quidem concitarent & conturbarent plebem, Caiphas autem insania ferretur, utque ipse cruce sustineret mortem. Porro, quod Lazarus amicus esset, res palam facit. [a] *Diligebat enim*, inquit, *Jesus Martham, & sororem ejus, & Lazarum*. Quis vero usque adeo beatus, ut a Christo diligatur, qui ipsa & subsistens dilectio est? Quid autem mirum, ut mulieres virili proposito & sensu animi is diligeret, qui venerat ut ad se omnes vocaret? Tanta vero ejus in eos dilectionis excellentia fuit, ut etiam exhibitum in fratrem miraculum, operis magnitudine & præstantia reliquis miraculis superextulerit. [b] *Ut ergo audivit quia infirmabatur, tunc quidem*, in- B quit, *mansit in eodem loco duobus diebus*. Quamobrem mansit? Nempe moriturum omnino præviderat; volensque venantibus & captantibus suspiciones auferre, se interim cohibet & cunctatur, quo ille, exhalato spiritu, tradatur sepulturæ, utque ne præter decorum rusticiusve haberetur, quod ad primam statim auditionem ad miraculi exhibitionem proruisset. [c] *Deinde post hæc, dicit discipulis suis: Eamus in Judæam iterum*. Divina hæc audentia est, & animi ad obeundam passionem, & sacramentum salutis humanæ ad finem deducendum alacris. [d] *Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc quærebant te Judæi lapidare, & iterum vadis illuc?* Sunt verba hæc pusilli animi, ac C præcipue nescii. Non enim noverant quid rei ageretur. Haud quippe moleste tulissent: haudquaquam tales usurpassent voces, quibus imbellem animum effœminatumque ostenderent. Ad hæc vero, fide nondum firma, non immerito timuerunt. Unde sibi congrue videbantur dicere: [e] *Nunc quærebant te Judæi lapidare: & iterum vadis illuc? Respondit Jesus: Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit: quia lucem hujus mundi videt. Si autem ambulaverit in nocte, offendit: quia lux non est in eo*. Obscure significat tempus passionis, quod modicum aliquantulum debebat ingruere.

Diem porro, gratiam cogitaveris & veritatem, D quibus collustratus qui evangelicum tenet iter, non offendit lapide Judaicæ offensionis, *quia lucem hujus mundi videt*. Lux autem mundi, Christus est, qui ait: *Ego lux in mundum veni*. Et: *Ego sum lux mundi*. Etiam prædicationem evangelicam, lucem acceperis: nec non quæ est ex baptismo regenerationem: ac etiam honestis moribus decoram conversationem, ut est illud: [f] *Sic luceat lux vestra coram hominibus*. Noctem autem, legalem cæcitatem intellige: qua qui figurarum graditur via, solique attendit literæ, in Christum, offendit, positum petram offensionis ei, qui per infidelitatem cæcutit. At quei offendit? velut qui non habeat in seipso lucem gratiæ, qua pulsis disjectis- E que densis tenebris, spiritus splendore litera illustratur. Forte vero dies etiam videatur miraculi evidentia, quod statim solis instar tenebrosa corda, totamque penitus Judæam circumfulsit. Non enim, sicut in aliis, ne cui miraculum referretur injunxit; nam neque in occulto patraverat. Noctem autem etiam Judæis offusam caliginem consequenter acceperis, qua cæcatæ sunt pupillæ animi duplici hoc laborantes morbo, ignorantia & cæcitate: [g] *Nescierunt enim*, inquit, *neque intellexerunt, in tenebris ambulant*. Qui non modo non vellent videre *lucem in tenebris lucentem*, sed ne-

a Joan. XI. 5. b Ibid. ℣. 6. c Ibid. ℣. 7. d Ibid. ℣. 8. e Ibid. ℣℣. 8. 9. 10. f Matth. V. 16. g Psalm. LXXXI. 5.

θέντες; ἀλλ' οὐδ', εἰ μή τι ἄλλο, τῶν γε σημείων αἰδεσθέντες τὰ πλήθη. οἳ δικαίως νυκτὶ ὡμοιώθησαν, καὶ οἷς λίθος προσκόμματος καὶ πέτρα σκανδάλου εἰκότως γίνεται Χριστὸς ἀπειθήσασι.

Ταῦτα εἶπε, φησι, καὶ μετὰ ταῦτα, λέγει· Λάζαρος ὁ φίλος ἡμῶν κεκοίμηται. μετ' ἐπικρύψεως μὲν δοκεῖ πως εἰρῆσθαι τοῖς μαθηταῖς τὸ λεχθέν· ἔκφανσις δὲ τοῦ σημαινομένου τούτου σαφής. διὸ καὶ τὴν αἰτίαν τῆς ἐπ' αὐτὸν πορείας ἀντεπιφέρων, φησίν· ἀλλὰ πορεύομαι, ἵνα ἐξυπνίσω αὐτόν. οὐ κομπάζων δὲ τοῦτό φησιν· οὐ γὰρ ἂν οὕτως ἀμυδρὰν ἠφίει φωνὴν, ὡς μηδ' αὐτοὺς συνιέναι τοὺς μαθητὰς τὸν λόγον. οὐ γὰρ ἔφη, πορεύομαι ζωώσων ἢ ἀναστήσων αὐτὸν ἐκ νεκρῶν· ἀλλ' ἐξυπνίσων. ὅπερ ἦν ἀγριὸν πέως εἰς ὑποψίαν. εἶπον οὖν οἱ μαθηταί· κύριε, εἰ κεκοίμηται, σωθήσεται. τὴν ἐκ τοῦ ὕπνου καραδοκοῦντες ἐγρήγορσιν. εἰρήκει δὲ ὁ Ἰησοῦς περὶ τοῦ θανάτου αὐτοῦ· ἐκεῖνοι δὲ ἔδοξαν, ὅτι περὶ κοιμήσεως λέγει τοῦ ὕπνου. ὁρᾷς, ἀφιλοκόμπου διδασκαλίας φωνὴν, ὡς καὶ τοὺς πυθομένους μὴ δυνηθῆναι συνιδεῖν τὸ λεχθὲν τῇ μετριολογίᾳ τῆς φράσεως; ὅθεν, οὐδὲ ἐπέπληξεν, ὡς πολλάκις ἐφάνη ποιῶν, μὴ συνιέντας ἃ ἐλάλει αὐτοῖς, καὶ τὴν αὐτῶν νωθείαν ἐπανορθούμενος. ὅμως ἀναρριπίσας τὸ τῆς ἀσαφείας προκάλυμμα, σαφέστατα τὸ πρᾶγμα δηλοῖ ὁ Χριστὸς, καί φησι παρρησίᾳ· Λάζαρος ἀπέθανεν. οὕτως ἠγνόουν τὸ λεγόμενον· καὶ τοσούτῳ πλέον, ὅσῳ καὶ παρηλλαγμένως τὴν ἀνθυποφορὰν ἐποιοῦντο τοῦ λόγου. μάλα γοῦν ἀπρεπῶς ὁ κύριος θριαμβεύων τὸ πρᾶγμα, παραυτὸ ἐπιφέρει· Λάζαρος ἀπέθανεν. ὡσανεὶ τοῦτο λέγων. γνῶτε, φησι, διὰ τῆς ἐκφάνσεως τὸ γενησόμενον· πορεύομαι γὰρ ἵνα ἐξυπνίσω αὐτόν.. καὶ τοῦτο ἀφιλοκόμπως. οὐ γὰρ φιλοτιμούμενος ὡς ἄν τις φαίη, οὔτε ἀδυναμίας, ἢ ἀγνοίας ἀποφαινόμενος ῥήματα· ἀλλ' ὁμοῦ πάντα, τὸ σοφὸν, καὶ προγνωστικὸν, καὶ δυνατὸν ὑποφαίνων, ἃ καὶ προσῆν αὐτῷ κατὰ φύσιν. ὡς γὰρ ἤδη παρόντων τῶν ἐσομένων, προὔλεγε τὰς ἐκβάσεις.

Λάζαρος ἀπέθανε· καὶ χαίρω δι' ὑμᾶς, ὅτι οὐκ ἤμην ἐκεῖ·. ἀλλ' ἄγωμεν πρὸς αὐτόν. ὁρᾷς, πῶς μεταλλάζει τῷ λόγῳ; καὶ τῇ κατὰ μέρος ἐκφάνσει τοῦ προκειμένου σκοποῦ, τὴν ὁρμὴν ἐπιτείνει πρὸς τὴν τοῦ θαύματος ἔνδειξιν; οὐ γὰρ παρέζευξεν ὡς ἐν τῷ, κεκοίμηται, κἀνταῦθα, πορεύομαι ἵνα ἀναστήσω αὐτόν· ἀλλὰ σιωπήσας, χαίρω, φησὶ, δι' ὑμᾶς, ἵνα πιστεύσητε, ὅτι οὐκ ἦν ἐκεῖ. οὐ γὰρ ἂν παρόντος ἐμοῦ τυχὸν, κατὰ τὸ ἀνθρώπινον δηλονότι, κατίσχυεν ὁ θάνατος. ἀλλ' ἄγωμεν πρὸς αὐτόν. τίνος ἕνεκεν; ἵνα πιστεύσητε καὶ νεκροὺς δύνασθαί με δεσποτικῶς ἀνιστᾷν. Λάζαρος ἀπέθανεν. ὅτι μὲν ἀσαφῶς κεκοιμῆσθαι προὔλεγε, τοῦτον φίλον ἐκάλει, συσκιάζων τῇ τοῦ φίλου προσηγορίᾳ τὸν θάνατον· ὅτι δὲ παρρησίᾳ τεθνᾶναί φησιν αὐτὸν, τὸ, φίλος ἀποσιωπᾷ· τῷ μὴ νομισθῆναι περιπαθῶς αὐτοῦ περιέχεσθαι. οὐ γὰρ οἰκονομίας μόνον, ἀλλὰ καὶ αὐθεντίας ἔνδειξις ἦν· τῆς μὲν τὰ ἀνθρώπινα, καὶ ὅσα τῆς φυσικῆς ἀσθενείας τῷ προσλήμματι παραχωρούσης· τῆς δὲ τὰ θεῖα, καὶ ὅσα τῆς θεϊκῆς ἐξουσίας τῷ προσλήμματι [1] περιπτύσης· χαίρω οὖν, φησι, δι' ὑμᾶς, ἵνα πιστεύσητε, ὅτι οὐκ ἤμην ἐκεῖ. βλέπεις πανταχοῦ τὴν πίστιν αὐτοῖς κατασπείροντα; τῷ μὴ δόξαι τάχα προσποιητῶς ἐσχηματίσθαι τὸν θάνατον· ἤτοι μὴ δοῦναι χώραν τυχὸν τῷ θανάτῳ περιγενέσθαι τοῦ φίλου, ἢ ἐξελάσαι τὴν νόσον, ἢ ἀναρρῶσαι τὸν κείμενον. ταῦτα γὰρ ἂν συνέβη, φησὶ, παρόντος ἐμοῦ.

Ἀνθρωπινώτερον δέ πως εἶναι δοκεῖ τὸ, οὐκ ἤμην

A que, fin minus aliud quicquam, multitudinem fignorum revererentur: ideoque jure nocti affimilati funt, & quibus incredulis merito Chriftus lapis offenfionis & petra fcandali factus fit.

[a] *Hæc* inquit *ait*, *& poft hæc dixit difcipulis fuis*: *Lazarus amicus nofter dormit*. Videtur quidem quod dictum eft, obfcurius dictum; clara tamen eft expofitio & doctrina rei quæ fignificatur. Unde etiam cauffam eundi ad eum ex adverfo inferens, ait: [b] *Sed vado ut a fomno excitem eum*. Hoc porro ait non jactabundus. Num enim ita obfcure locutus effet, ut neque ipfi difcipuli fermonem intelligerent? Nam non dixit: Vado ut ad B vitam revocem, vel ut a mortuis refufcitem: fed, *Ut excitem a fomno*: quod adhuc erat rudius ad fufpicionem. [c] *Dicunt ergo difcipuli*: *Domine*, *fi dormit*, *falvus erit*: exfpectantes excitationem a fomno. [d] *Dixerat autem Jefus*, *de morte ejus*: *illi autem putaverunt*, *quod de dormitione fomni diceret*. Vides doctrinæ alienæ a faftu vocem, ut neque qui audirent, præ locutionis humilitate poffent percipere? Unde nec increpavit, ut non raro vifus eft facere, cum dicta ad ipfos minus perciperent, ac corrigens caftigansque eorum tarditatem. Verum excuffo obfcuritatis velamine, rem Chriftus clare aperit, & [e] *Ait manifefte*: *Lazarus mortuus eft*. Ita quod dicebatur nefciebant: C ac eo amplius, quo etiam abfone ac peregrine per objectionem fermonis excipiebant. Admodum ergo congrue rem Chriftus traducens infert, dicens: *Lazarus mortuus eft*. Quafi dicat: fcitote inquit ex interpretatione & doctrina quod eft futurum, [f] *Vado enim ut a fomno excitem eum*. Et hoc fine jactantia & faftu: non enim glorians ut ita dicam, ac fibi placens, neque impotentiæ verba locutus aut ignorantiæ; fed in omnibus fimul & fapientiam & præfcientiam & potentiam oftendens, quæ etiam per naturam illi aderant. Velut futura præfentia jam effent, eventus prædicebat.

[g] *Lazarus mortuus eft*: *& gaudeo propter vos*, D *quoniam non eram ibi*: *fed eamus ad eum*. Vides ut modefte loquatur, ac particulari expofitione propofiti finis, ad miraculi exhibitionem defiderium vehementius intendat? Non enim ficut cum ait, *Dormire*; ita hoc loco adjuxit, *Vado ut excitem eum*: fed eo fuppreffo, *Gaudeo*, inquit, *propter vos*, *ut credatis*, *quoniam non eram ibi*. Forfan enim me præfente, qua fcilicet fum homo, mors non prævaluiffet. *Sed eamus ad eum*. Quare? Ut credatis, quod etiam mortuos pro arbitratu & ex imperio excitare poffim. *Lazarus mortuus eft*. Cum quidem obfcurius *Dormire* prædiceret, amicum illum vocabat: cum autem ait manifefte mortuum, tacet eam vocem: ut ne putaretur, ve- E hementiori affectu illi implicatus. Non enim fola difpenfatio erat exhibenda, fed & authoritas: illa quidquid humanum eft & infirmitatis permittente carni, ifta eidem tribuente divina & quidquid eft poteftatis divinæ. *Gaudeo* itaque inquit *propter vos*, *ut credatis*, *quoniam non eram ibi*. Vides, ut ubique in eis fidei jaciat femina? Ut ne forte mors videretur fimulate conficta. Ne fcilicet forfan non daret locum morti ut amicum incefferet: aut expelleret morbum: aut priftinum robur jacenti afferet. Utique enim, inquit, me præfente hæc accidiffent.

Porro videtur illud, *Non eram ibi*, *fed eamus*

[a] Joan. xi. 11. [b] Ibid. [c] Ibid. ℣. 12. [d] Ibid. ℣. 13. [e] Ibid. ℣. 14. [f] Ibid. ℣. 11. [g] Ibid. ℣℣. 14. 15.

1. Forte περιπτυσσούσης.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 675.

ἐκεῖ, ἀλλ' ἄγωμεν πρὸς αὐτόν. κατὰ γὰρ τὸ φαινόμενον οὐ παρῆν. σῶμα γὰρ τὸ τριχῇ διαστατὸν, ἐν περιγραφῇ πέφυκε, καὶ τὴν εἰς τόπον ἐκ τόπου μετάβασιν δέχεται. τοῦτο γὰρ φύσις αὐτῷ· κἂν ὅτι τῇ πρὸς τὸ θεῖον ἑνώσει τὸ ὑπερφυὲς κατεπλούτησε, τῆς φυσικῆς ἀπώλεσεν οὐδὲν ἰδιότητος. κατὰ δὲ τὸ νοούμενον, τίς αὐτοῦ παντελῶς ἀπολέλειπται τόπος; ἢ ποῖος οὐκ ἔχει τόπος αὐτόν; ἢ τίνι χωρητικός ἐστι τόπῳ; χαίρω τοίνυν δι' ὑμᾶς, ἵνα πιστεύσητε, ὅτι οὐκ ἤμην ἐκεῖ. τί λέγεις; οὐκ ἦς ἐκεῖ, ὁ πανταχοῦ παρὼν, καὶ τὰ πάντα πληρῶν τῇ θεότητι; οὐκ ἦς ἐκεῖ; ναί, φησι, ἤμην. ἀλλ' οὐ κατὰ τὸ σῶμα, κατὰ δὲ τὸ θεϊκὸν τῆς δόξης ἀξίωμα. ἀλλὰ ἄγωμεν πρὸς αὐτόν. καιρός ἐστι πληρῶσαι τὰ θεσμὰ τῆς φιλίας· καιρὸς δεῖξαι τὴν αὐθεντίαν τοῦ κράτους· καιρὸς πεδῆσαι λόγῳ τὸν θάνατον, φωνῇ δὲ λῦσαι τοῦ τεθνεῶτος τὰ σπάργανα.

Εἶπεν οὖν Θωμᾶς ὁ λεγόμενος Δίδυμος τοῖς μαθηταῖς· ἄγωμεν καὶ ἡμεῖς, ἵνα ἀποθάνωμεν μετ' αὐτοῦ. πρόθυμος ἡ φωνὴ, καὶ δύο τινῶν ἐνδεικτικὴ διαθέσεων· διαπύρου τε φίλτρου, ἅτε καὶ τοὺς ἄλλους ἐπὶ τὸν σὺν τῷ διδασκάλῳ θάνατον χωρεῖν προτροπάδην διανιστῶσα· δειλίας τε ἀνάνδρου, ὡς τὸ μήπω παρὸν ὑποτοπάζεσθαι. ἀλλ' οὐκ ἂν εἰς τοσοῦτον ἀνανδρείας ἤλασεν, ἄπαγε, ὁ διὰ τῆς κατ' αὐτὸν ἀπιστίας ἡμᾶς στομώσας τοῖς τῆς πίστεως ἄνθραξιν. εὐτολμίας οὖν, οὐκ ἀνανδρείας δεδόσθω τὰ ῥήματα. εἰκὸς γὰρ αὐτὸν ἀναζέσαντα καὶ περιπαθέστερον συστραφέντα, παθεῖν τι τῆς πρὸς τὸν διδάσκαλον εὐνοίας ἄξιον. εἰ γὰρ τῶν σημείων τὴν χάριν, φησὶ, καὶ τἄλλα, οἷς τῶν πολλῶν διαφέρομεν, εἰλήφαμεν παρ' αὐτοῦ, τί ἂν πεισόμεθα, εἰ πρὸς τὸ παθεῖν ἐπειγόμενον καταλείψαιμεν τὸν εἰς τοῦτο δόξης ἡμᾶς ἀναγαγόντα, ὡς καὶ ὄρη δύνασθαι μεθιστᾷν, καὶ ἃ τούτων μείζονα δρᾷν; οὐκοῦν συνεψώμεθα, ὡς ἂν καὶ ζήσαιμεν ζῶντι, καὶ θνήσκοντι συντεθναίημεν. προθυμίας ὁ λόγος· εὐτολμίας ἡ γνώμη. ἄγωμεν καὶ ἡμεῖς, ἵνα ἀποθάνωμεν μετ' αὐτοῦ. τί λέγεις; οὔπω προδιδόμενον εἶδες, καὶ θανεῖν ἀπαγγέλλῃ; ζητῶ τὸ δεῖπνον. ποῦ ὁ νιπτήρ; ποῦ δὲ ἡ σπεῖρα, μεθ' ἧς ὁ προδότης ἐπέρχεται φιλικῷ τῷ προσχήματι προδώσων τὸν εὐεργέτην; οἱ ὄχλοι δὲ ποῦ; αἱ δᾷδες, τὰ ξύλα, αἱ μάχαιραι, μεθ' ὧν ὡς ἐπὶ λῃστὴν ἐξῄεσαν; οὔπω τὸ φίλημα, ἡ ἐπὶ Καϊάφαν κατάκρισις, ἡ ἐπὶ βήματος Πιλάτου παράστασις, οἱ ἐμπαιγμοὶ, τὸ κόκκινον ἔνδυμα, ὁ ἀκάνθινος στέφανος, ὁ κάλαμος, τὰ ῥαπίσματα, τὰ ἐμπτύσματα, αἱ φραγελλώσεις, αἱ μάστιγες. οὔπω Πιλάτος νιπτόμενος ὕδατι καὶ μολυνόμενος αἵματι. οὔπω σταυρὸς, οὔπω ἧλοι· καὶ λέγεις, ἄγωμεν καὶ ἡμεῖς, ἵνα ἀποθάνωμεν μετ' αὐτοῦ; ναί, φησιν. ὡς παρόντα προβλέπω τὰ μέλλοντα. ἀναστήσει γὰρ, οἶδα, τὸν Λάζαρον. ἀνάψει τῶν Ἰουδαίων τὸν φθόνον. καὶ τηνικάδε ταῦτα συμβήσεται. ἄγωμεν καὶ ἡμεῖς, ἵνα ἀποθάνωμεν μετ' αὐτοῦ. οὐ τὸ ἑαυτοῦ λέγει μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν συνόμων διεγείρει τὸ φρόνημα.

Καὶ ταῦτα μὲν, οὕτως. νεκρὸς δὲ ἤδη ὄζων ὁ Λάζαρος ἦν. καὶ Ἰησοῦς παρῆν ὁ Χριστὸς καὶ Θεὸς, καὶ τὸ ζῆν παρεχόμενος. ἔδει γὰρ συντριβῆναι τὸ σκεῦος, εἶθ' οὕτω παρεῖναι τὸν κεραμέα. ἐχρῆν τὸν οἶκον ἐμπωθῆναι, καὶ τηνικαῦτα παρεῖναι τὸν οἰκοδόμον. ἄγε δὴ τοιγαροῦν τῷ Χριστῷ, καὶ Θεῷ καὶ λόγῳ σήμερον ἐπὶ τὴν Βηθανίαν ἀνάγοντι, τὸν ἡμέτερον καὶ ἡμεῖς συνανάξωμεν λόγον. τί γάρ φησι τὸ Εὐαγγέλιον; ἐλθὼν οὖν ὁ Ἰησοῦς. ποῦ καὶ πόθεν πα-

A *ad eum:* paullo humilius & secundum hominem: Quod enim erat oculis subjectum, præsens non erat. Corpus enim tripliciter divisibile & distentum, circumscriptum est, suscipitque ut a loco in locum migret. Hæc enim illi natura est, ut etiam unione ad Deum, quod naturam superat diviti accessione adeptum, nihil ejus amiserit quod ei a natura proprium est. Quod autem ad id spectat quod intellectu percipitur, quis locus omnino cui ille desit? aut qualis eum non habet locus? quove loco capi potest? *Gaudeo igitur propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi.* Quid dicis? Non eras ibi, qui ubique ades, & imples omnia deitate? Non eras ibi? Maxime, inquit, eram: at B non quod spectat ad corpus, sed quod ad majestatis divinæ gloriam. *Sed eamus ad eum.* Tempus est ut impleamus leges amicitiæ: tempus ut dominii authoritatem probemus: tempus ut mortem sermone compediamus, utque voce defuncti solvamus fascias.

[a] *Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos: Eamus & nos, ut moriamur cum eo.* Promta vox, ac duos quosdam affectus nata significare, tum nimirum accensam vim amoris, velut quæ etiam alios, ut cursu concito ad moriendum cum magistro properarent, excitaret: tum mollem ignaviam ac effœminatum timorem, ut quod non adhuc imminebat conjectaret. Verum absit, C ut qui sua nos infidelitate, fidei carbonibus duravit firmavitque, ad tantam timiditatem ignaviamque devenerit. Demus ergo fuisse, non ignaviæ verba, sed audentiæ. Par enim est, excitato fervore propensioreque affectu contortis visceribus, dignum aliquid sua illa benevolentia in magistrum sensisse. Nam inquit, qui ab eo signorum gratiam accepimus, qua præcellimus multos, quid non debuerimus ferre, si properantem ad passionem deseruerimus? Eum inquam qui ad tantum nos gloriæ provexit apicem, ut montes etiam possimus transferre, ac majora his facere. Ergo eamus comites, ut vel convivamus viventi, vel morienti commoriamur. Sermo alacer, animus audax & be- D ne fidens! *Eamus & nos, ut moriamur cum eo.* Quid ais? Non vidisti traditum, & mortem annuncias? Quæro cœnam. Ubi pelvis? Ubi vero cohors cum qua proditor simulato amici habitu, beneficum traditurus accedit? Ubi vero turbæ, faces, ligna, gladii, cum quibus velut ad latronem exierunt? Non est adhuc osculum, comprehensio, adductio ad Annam, damnatio apud Caipham, præsentatio pro tribunali Pilati, ludibria, coccineum indumentum, corona spinea, calamus, colaphi, sputa, flagellationes, verbera. Nondum Pilatus abluitur aqua, & cruore polluitur. Nondum est crux, nondum clavi, aisque, *Eamus & nos, ut moriamur cum eo?* Sane, inquit. Futu- E ra quasi jam essent, prospicio. Nam scio, resuscitabit Lazarum: Judæorum accendet invidiam, eaque interim evenient. *Eamus & nos, ut moriamur cum eo.* Non solum explicat quid ipse habeat animi, sed idem etiam in sociis provocat.

Et hæc quidem ita. Jam autem mortuus Lazarus fœtebat: aderatque Jesus, Christus & Deus, qui etiam vitam præberet. Prius enim vas conterendum erat, ac tum figulus præsto esse debebat. Oportebat ut domus dejiceretur, ac tum adesset ædificator. Age igitur, Christo ascendente hodie in Bethaniam, & ipsi pariter sermonem provehamus. Quid enim habet Evangelium? [b] *Venit itaque Jesus.* Quo?

[a] Joan. xi. 16. [b] Ibid. ℣. 17.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 675.

ραγενόμενος; εἰς Βηθανίαν. οὗ καὶ τὴν ὁρμὴν εἶχεν, ἐξ οὗ διέτριβε τόπου πέραν τοῦ Ἰορδάνου. καὶ ποῦ οὐκ ἔστι Χριστός; ἢ τίς ἀπολείψεται τόπος αὐτοῦ; ἀλλὰ κατὰ τὸ ἀνθρώπινον τοῦτο ληπτέον, οὐ κατὰ τὸ θεϊκόν. Θεὸς γὰρ ἀόριστόν τι πρᾶγμα καὶ ἀπερίδρακτον, περιγραφῇ μηδεμιᾷ συγκλειόμενον. ἐλθὼν οὖν ὁ Ἰησοῦς, εὗρεν αὐτὸν τέσσαρας ἡμέρας ἤδη ἔχοντα ἐν τῷ μνημείῳ. καὶ τοῦτο λίαν σοφῶς. ἵνα γὰρ διαλυθέντων ὡσανεὶ τῶν στοιχείων, καὶ καινοπρεπεστέρα τις νομισθῇ τοῦ θαύματος ἡ ἐπίδειξις, ἀνίσχει τὴν ὁρμήν. καὶ γὰρ ἦν ἐν τοσαύταις ἡμέραις διαφθαρῆναι τὸν ἐν σοροῖς γενόμενον κάτοχον. εὗρε τοίνυν αὐτὸν τέσσαρας ἡμέρας ἤδη ἔχοντα ἐν τῷ μνημείῳ. ἵν᾽ ὁ τριήμερος ἀνιστάμενος, προεγείρῃ τὸν τετραήμερον· καὶ μάθωσιν οἱ ἀγνώμονες Ἰουδαῖοι, τὸν ἤδη μυδῶντα θεώμενοι καὶ ἰχώρων βρύοντα λόγῳ τοῦ μνήματος ἐξαλλόμενον. εὗρεν αὐτὸν τέσσαρας ἡμέρας ἤδη ἔχοντα ἐν τῷ μνημείῳ. ὅσῳ γὰρ τῆς ταφῆς ὁ χρόνος παρέτρεχε, τοσούτῳ πλέον ἡ τοῦ Χριστοῦ ἐπεθαυμάζετο δύναμις. ἦν δὲ ἡ Βηθανία ἐγγὺς Ἱεροσολύμων, ὡς ἀπὸ σταδίων δεκαπέντε· διὰ τοῦτο πλεῖστοι πρὸς παραμυθίαν ἐξῄεσαν Μαρίας καὶ Μάρθας. πολλοὶ γάρ, φησι, τῶν Ἰουδαίων ἐληλύθησαν πρὸς Μάρθαν καὶ τὴν Μαρίαν, ἵνα παραμυθήσωνται αὐτὰς περὶ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτῶν. καὶ εἰκότως. ἐγγὺς γὰρ οὔσης τῆς πόλεως, εἰκὸς ἦν πλείους πρὸς αὐτὰς ἐξιέναι, δυοῖν θάτερον· ἢ τῇ περὶ τὸν βίον σεμνότητι τοῖν γυναίοιν ἐφηδομένους· καὶ γὰρ ἦν ὁ βίος αὐτῶν λαμπρός, καὶ κατ᾽ ἀρετὴν ἐξέχων· ἢ διὰ τὸ τῆς λύπης ἐπαγωγόν, ὀδύνης ὑπάρχον μεστόν. πλὴν ὅτι τὸ πλῆθος τῶν συνειλεγμένων προσεμαρτύρει τῷ θαύματι, καὶ οὐκ ἀλυσιτελὴς ἦν ἡ τούτων συνάθροισις.

Ἡ οὖν Μάρθα ὡς ἤκουσεν ὅτι Ἰησοῦς ἔρχεται, ὑπήντησεν αὐτῷ, ἡ δὲ Μαρία ἐν τῷ οἴκῳ ἐκαθέζετο. οὐ γὰρ ἔγνω Μαρία ὅτι Ἰησοῦς ἥκει· οὐ γὰρ ἂν ἐπέμεινε γνοῦσα· καὶ γνοῦσαν δέ, εἰκὸς ἦν αὐτὴν δι᾽ εὐλάβειαν οἴκοι καθῆσθαι, τὰς τῶν παρατυχόντων δεχομένην ψυχαγωγίας. θερμοτέρα δέ πως ἡ Μάρθα καὶ ἁπλουστέρα, τὸ ἦθος ἀνεπίπλαστον ἔχουσα· διὸ καὶ προϋπήντησεν αὐτῷ, ἵνα καὶ τῆς οὐσίας δείξῃ τὸ μέγεθος, καὶ τοῦ φίλου προαπαγγείλῃ τὸν θάνατον. ὡς ἀγνοοῦντι δὲ δῆθεν ἀπήγγελλεν· εἰ καὶ ὡμολόγει δυνατὸν εἶναι τὸ μὴ τεθνάναι Λάζαρον παρόντος αὐτοῦ. εἰ ἦς γὰρ ὧδε, φησίν, οὐκ ἂν ἀπέθανεν ὁ ἀδελφός μου. καὶ νῦν οἶδα, ὅτι ὅσα ἂν αἰτήσῃ τὸν Θεόν, δώσει σοι ὁ Θεός. εἶδες πίστιν; εἶδες ἀδίστακτον γνώμην; δυσὶ τρόποις Θεὸν αὐτὸν καὶ ζωογόνον παρίστησιν· εἰ καὶ σφάλλεταί πως δι᾽ ἁπλότητα φύσεως· εἰ ἦς γὰρ ὧδε, φησι· τί λέγεις Μάρθα; ἐσφαλμένος ὁ λόγος. καὶ γὰρ ἦν, καὶ παρῆν, καὶ πάρεστι πανταχοῦ. ἀλλ᾽ ἵνα τὸ θαῦμα παραταθῇ, μικρὸν ἀνέσχε, τῷ θανάτῳ χώραν διδοὺς ὁ πάντα πληρῶν τῇ θεότητι. εἰ ἦς ὧδε, οὐκ ἂν ἀπέθανέ μου ὁ ἀδελφός. ὁρᾷς, ὅπως καὶ Θεὸν αὐτὸν πεπίστευκεν ὄντα, καὶ θάνατον ἐπισχεῖν, καὶ νεκροὺς κατ᾽ ἐξουσίαν ἐγείρειν δυνάμενον; οἶδα γὰρ ὡς εἰ παρὼν ἦσθα, φησιν, οὐκ ἂν ἴσχυσε θάνατος· οὐκ ἂν ἀπέσβη τοῦ γένους ἡ θρυαλλίς· ἀργοὶ δ᾽ ἂν καὶ οἱ τῆς ζωῆς ὅροι διέμειναν, εἰ σύ γε ἦσθα παρών, ὁ ζωῆς μέτρα πᾶσιν ὁροθετῶν. καὶ νῦν οἶδα, φησιν, ὅτι ὅσα ἂν αἰτήσῃ τὸν Θεόν, δώσει σοι ὁ Θεός. πρὸς γὰρ τὸ φαινόμενον ἔβλεπε. πλὴν, ὅρα κἀνταῦθα μὴ ἀγνοοῦσαν αὐτὴν τἀληθές. ἐμφι-

A aut unde profectus? In Bethaniam: quo etiam contendebat, ab eo loco ubi morabatur trans Jordanem. At ubinam gentium Christus abest? quisve locus eo carebit? Verum est id accipiendum juxta id quod est humanum: non juxta quod divinum est. Deus siquidem res quædam est indefinita, quam non possumus complecti, quæque nulla claudatur circumscriptione. [a] *Venit itaque Jesus: & invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem.* Et hoc sapienti admodum consilio. Ut enim velut jam dissolutis elementis, insolentior haberetur miraculi exhibitio, profectionem tardavit. Etenim poterat computruisse tanto dierum spacio, qui inter cadaverum cumulos detentus fuerat in

B conditorio. *Invenit ergo quatuor jam dies habentem eum in monumento.* Ut nimirum qui triduanus esset resurrecturus, ante suscitaret quatriduanum: nossentque scelesti Judæi, qui jam tabo defluentem & sanie scaturientem verbo viderent exsilire de monumento. *Invenit eum jam quatuor dies habentem in monumento.* Quo enim tempus sepulturæ productius fuerat, eo virtus Christi majorem admirationem habebat. [b] *Erat autem Bethania juxta Jerosolymam, quasi stadiis quindecim.* Idcirco plures ut Mariam & Martham consolarentur exierant. [c] *Multi enim*, inquit, *ex Judæis, venerant ad Martham & Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo.* Id quidem merito. Nam

C cum civitas prope esset, par erat ut ad eas plures exirent, alterutro ex his fine: aut quia honesta utriusque fœminæ vita delectarentur; erat enim illa clara, & virtute præcellens; vel propter tristem casum plenumque dolore. Ad hoc: collecta multitudo attestabatur miraculo, nec tantus conventus frustra erat.

[d] *Martha ergo ut audivit quia Jesus venit, occurrit illi: Maria autem domi sedebat.* Non enim Maria sciverat adventum Jesu: nec utique mansisset, eo cognito. Erat vero congruum, ut reverentiæ caussa, etiam cognito illo, adventantium salutationes, verbaque consolationis susceptura domi sederet. Martha autem velut calentior erat ac

D simplicior, nihilque fucatis moribus, ideoque, *Occurrit illi*: ut & substantiæ ostentaret magnitudinem, & mortem amici annunciaret. Annunciabat utique, velut ei qui nesciret, quamquam fatebatur potuisse non mori Lazarum, eo præsente. [e] *Si enim*, inquit, *fuisses heic, frater meus non fuisset mortuus. Sed & nunc scio, quia quæcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus.* Vidistin' fidem? Vidistin' animum non hæsitantem? Duobus modis Deum ipsum & authorem vitæ adstruit. Quamquam nonnihil natura simplicior erret. *Si enim*, inquit, *fuisses heic.* Quid dicis Martha? fallitur sermo. Erat etenim, & præsens erat: nec deest usquam. Sed ad miraculi amplitudinem, paul-

E lulum spectavit, morti concedens locum, qui divinitate omnia replet. *Si fuisses heic, frater meus non fuisset mortuus.* Viden' ut etiam Deum crediderit, qui & compescere mortem, & mortuos per authoritatem excitare posset? Scio enim inquit fore, ut si fuisses præsens, haudquaquam mors prævaluisset, haudquaquam esset exstinta lucerna generis. Plane etiam vitæ termini otiosi fuissent, modo tu adfuisses qui vitæ terminos universis constituis. *Sed & nunc scio*, inquit, *quia quæcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus.* Ad id enim respiciebat quod erat oculis subjectum. Ceterum hoc etiam loco vide veritatis non nesciam. Erat

[a] Joan. xi. 17. [b] Ibid. ℣. 18. [c] Ibid. ℣. 19. [d] Ibid. ℣. 20. [e] Ibid. ℣. 21. 22.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 675.

λόσοφος γὰρ ἡ γυνὴ, κἂν ἀδρανὴς ἡ γνώμη. πεπεισμένη γοῦν ὡς εἰ παρῆν οὐκ ἂν ἐπεθνήκει Λάζαρος, οὐδὲ πρὸς τὸ μέλλον ἀμφέβαλλε. διὰ τοῦτο καὶ προϋπήντα, καὶ τὴν δευτέραν ἐπήγαγε φωνὴν, εἰποῦσα· καὶ νῦν οἶδα, ὅτι ὅσα ἂν αἰτήσῃ τὸν Θεὸν, δώσει σοι ὁ Θεός. εἰ ἦς ὧδε, οὐκ ἂν ἀπέθανέ μου ὁ ἀδελφός. οὐ γὰρ ἐπεὶ τῷ θανάτῳ ὑπόκεινται ἄνθρωποι, διὰ τοῦτο τέθνηκέ, φησιν· ἀλλ' ὅτι αὐτὸς οὐκ ἦσθα παρὼν, ὁ τοῦ θανάτου νικητής. ἰσχυρὰ μὲν ἡ πίστις, κἂν ἀσθενὴς ὁ λόγος. ἠρέμα δέ πως καὶ ὑπομέμφετο, ὅτι μὴ παρῆν, ὅτι αὐτῷ κατεμήνυσαν λέγουσαι· ἴδε, ὃν φιλεῖς ἀσθενεῖ.

Λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς· ἀναστήσεται ὁ ἀδελφός σου. περιχαρείας ὁ λόγος, καὶ διπλῆν ἔχων τὴν θεραπείαν, οὐ μόνον τὸ σφάλμα διορθούμενος, ἀλλὰ καὶ τὸ σφοδρὸν τῆς λύπης κατακοιμίζων. ἀναστήσεται ὁ ἀδελφός σου. διὰ τὸ ἀφιλόκομπον οὐκ εἶπεν· ἐγὼ ἐγερῶ τὸν ἀδελφόν σου, ἀλλ' ἀναστήσεται ὁ ἀδελφός σου, ἀορίστως τὸ, ἀναστήσεται, φήσας· γυμνάζων αὐτῆς τὸ τῆς πίστεως δόκιμον. διὸ κἀκείνη φησίν· οἶδα, ὅτι ἀναστήσεται ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ. εἰ ἐκείνῃ πιστεύεις, φησὶ, μηδὲ περὶ ταύτης ἀμφίβαλλε· ὁ γὰρ ταύτην κἀκείνην ποιῶν, ἐγώ εἰμι. ἀναστήσεται ὁ ἀδελφός σου. τοῦτο ἅμα καὶ διελέγχων αὐτὴν ἔφασκεν εἰποῦσαν· οἶδα ὅτι ὅσα ἂν αἰτήσῃ τὸν Θεὸν, δώσει σοι ὁ Θεός. ἀναστήσεται ὁ ἀδελφός σου. τὸ δεσποτικὸν αὐτῇ δεικνὺς κατ' ἐξουσίαν ἀξίωμα, ὡς ἂν μάθοι μὴ προπετῶς ἐν τοῖς περὶ Θεοῦ λόγοις ἐκφέρεσθαι.

Φησὶν οὖν· ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, κἂν ἀποθάνῃ, ζήσεται· καὶ πᾶς ὁ ζῶν καὶ πιστεύων εἰς ἐμὲ, θάνατον οὐ μὴ ἴδῃ εἰς τὸν αἰῶνα. πιστεύεις τούτῳ; τοῦτο δὲ, τοιοῦτόν ἐστιν· εἰ γὰρ καὶ πάντως τεθναίη, φησὶν, ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, τὸν φυσικὸν δηλονότι θάνατον, ἀλλ' οὐ κατ' ἐπικράτειαν, οἷα τοὺς ἀπιστοῦντας εἰκός. πιστεύεις τούτῳ; οὕτω σοφῶς ἄγαν καὶ πιθανῶς πρὸς τὴν ἀμφ' αὐτὸν μετάγει πίστιν τοῦ γυναίου τὴν διάνοιαν, ὡς δείκνυσιν ἡ ἀπόκρισις· τί γάρ φησιν ἐκείνη; ναὶ κύριε· ἐγὼ πεπίστευκα, ὅτι σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ εἰς τὸν κόσμον ἐρχόμενος. εἶδες τοῦ λόγου τὸ ἰσχυρόν; εἶδες, εἰς οἵαν αὐτὴν ἐπεσπάσατο πίστιν; ὡς καὶ δογμάτων ἀκριβείας ἐφάψασθαι, τὴν πρὸ μικροῦ σφαλλομένην δι' ἁπλότητα. ὅσα γὰρ ἐπὶ Χριστοῦ διομολογεῖν ἔδει, περιφραστικῶς ἐν βραχεῖ διηγόρευσε. ναὶ γάρ· ἐγὼ πεπίστευκά, φησιν, ὅτι σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ εἰς τὸν κόσμον ἐρχόμενος, ἀριδήλως κηρύξασα· κατὰ ταυτόν τι ἅμα τὸν τῆς θεολογίας, καὶ τῆς οἰκονομίας περιληπτικῶς συνεπέρανε λόγον.

Καὶ τοῦτό, φησιν, εἰποῦσα, ἀπῆλθε καὶ ἐφώνησε τὴν ἀδελφὴν αὐτῆς, λάθρα εἰποῦσα· ὁ διδάσκαλος πάρεστι, καὶ φωνεῖ σε. ἐκείνη ὡς ἤκουσεν, ἠγέρθη ταχὺ, καὶ ἤρχετο πρὸς αὐτόν· κατὰ τὸ ἴσον τῆς λύπης τοῦ ἀδελφοῦ τὴν χαρὰν δεξαμένη. ὡς γὰρ μόνον ἤκουσεν ὅτι Ἰησοῦς ἥκει, αὐτίκα τὸ μὲν πένθος ἀπέθετο, τῆς δὲ πίστεως τὸ ζέον παρέδειξε. πρεπόντως οὖν καὶ ἡ Μάρθα χρῆται, οὐ δημηγοροῦσα Χριστοῦ τὴν ὑπόσχεσιν· ἑώρα γὰρ τοὺς παρόντας ὄχλους, οἳ παρεκάθηντο τὴν Μαρίαν παραμυθούμενοι, ἐξ ὧν ἦσαν οἱ διεφθόνουν θαυματουργοῦντι Χριστῷ. ὁ διδάσκαλος πάρεστι, καὶ φωνεῖ σε, ἐκ τοῦ παρεῖναί, φησι, τὸ τελούμενον σκόπει. οὐ παραμυθούμενος ἥκει, οὐ ψυχαγωγήσων. ἢ γὰρ ἂν, καὶ πρὸ τούτου ἀφῖκτο. ζωώσων ἥκει, ἀναστήσων τὸν σύγγονον. ἡ δὲ, μόνον ὡς ἤκουσεν, ἠγέρθη ταχὺ, καὶ ἤρχετο πρὸς αὐτόν. οὐκ ἐρωτήσασα, ἢ πρὸς μικρὸν ἀναμείνασα· ἀλλ' ὡς ἄνπερ τὸν ἀδελ-

A enim mulier quamquam imbecillo & hebeti, philosophico tamen animo. Cum ergo haberet persuasum fore, ut Lazarus non moreretur si ipse adfuisset, neque de futuro dubia fuit. Propterea quoque occurrit, & alteram adjunxit vocem, dicens: *Et nunc scio, quia quæcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus. Si fuisses heic, non fuisset mortuus frater meus.* Non enim inquit ea est caussa ut sit mortuus, quia homines morti subjaceant, sed quia victor ipse mortis non adfuisti. Robusta quidem fides, tametsi ratio debilis. Quin & sensim accusare videtur, quod nunciantibus ipsis, *Ecce quem amas infirmatur*, non statim advenerit.


B [a] *Dicit ei Jesus: Resurget fratres tuus.* Jucundus sermo, & duplex ad curam: qui non tantum errorem corrigat, verum etiam acriorem tristitiam sedet & leniat. *Resurget frater tuus.* Ad jactantiæ fugiendam speciem non dixit: Ego fratrem tuum suscitabo: sed, *Resurget frater tuus.* Indefinite verbo *resurget*, seu *suscitabitur*, usus: exercens, quod ejus fidei probatum erat. Unde & illa ait: [b] *Scio quia resurget in novissimo die.* Si credis fore, ut in illo resurgat, neque de isto dubia fueris: qui enim hunc facio illumque, idem ipse sum. *Resurget frater tuus.* Simul etiam hoc dixit, ad illud ejus coarguendum: *Scio quæcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus. Resurget frater* C *tuus.* Dominii dignitatem per authoritatem significans, ut noverit non esse in iis quæ dicimus de Deo præcipitandam sententiam.

Ait ergo: [c] *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet: & omnis qui vivit, & credit in me, non videbit mortem in æternum. Credis hoc?* Quod ait hujusmodi est. Tametsi inquit, qui credit in me omnino mortuus fuerit, quod nimirum spectat ad mortem naturalem: non sic tamen ut illa teneat sub ditione, & dominatur ut par est in incredulis. *Credis hoc?* Sic sapienter, & tanta suasione, in fidem quæ est de ipso transfert mulieris animum quemadmodum responsio ostendit. Quid enim illa? [d] *Utique Domine: Ego credidi quia* D *tu es Christus Filius Dei, qui in mundum venis.* Vidistin' sermonis efficaciam? Vidistin' in quam eam pertraxit fidem? Sic nimirum, ut quæ paullo superius ex simplicitate errabat, accurata etiam dogmata attigerit. Quidquid enim de Christo oportebat confiteri brevi circumlocutione differuit. Nam dicendo, *Utique, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei qui in mundum venis:* clare in unum pariter & Theologiæ ac Trinitatis, & Œconomiæ ac Incarnationis doctrinam complexione conclusit.

[e] *Et cum*, inquit, *hoc dixisset, abiit, & vocavit sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te. Illa ut audivit, surrexit cito, & venit ad eum.* Gaudio perfunditur pro modo conce-E ptæ de morte fratris tristitiæ. Ut enim tantum audivit venisse Jesum, confestim quidem deposuit luctum, fidei vero fervorem exhibuit. Sed & Martha decenter agit, non publicata Christi promissione. Videbat enim circumassidentem Mariæ consolantem turbam, in qua essent qui Christo miracula edenti inviderent. *Magister adest, & vocat te.* Ex præsentia, inquit, pensa quod peragitur. Non venit ut consoletur: non ut deliniat animos. Alioqui prius etiam advenisset. Venit ut vitam restituat, ut fratrem resuscitet. *Illa autem ut solum audivit, surrexit cito, & venit ad eum.* Nihil interrogat, nec vel minimum cunctatur: sed quasi vivum fratrem ha-

a Joan. xi. 23. b Ibid. ℣. 24. c Ibid. ℣℣. 25. 26. d Ibid. ℣. 27. e Ibid. ℣℣. 28. 29.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 675.



φὸν ἐν χερσὶν ἔχουσα ζῶντα, δρομαίως ἀνίσταται, καὶ πρὸς τὴν ζωὴν ἀνεπήδα, μικρὰ ἢ οὐδὲν τῶν συμπαρόντων φροντίσασα. οὔπω δὲ Ἰησοῦς ἐληλύθει εἰς τὴν κώμην, ἀλλ' ἔτι ἦν ἐν τῷ τόπῳ, ὅπου ὑπήντησεν αὐτῷ ἡ Μάρθα. τοσοῦτον ἔσπευσεν, ὡς ἐπ' αὐτοῦ φθάσαι τοῦ τόπου τὸν κύριον· σχολαιότερον γὰρ ἐπορεύετο διὰ τὴν δύσεριν τῶν Ἰουδαίων ὑπόνοιαν, τοῦ μὴ δόξαι καταπιτρέχειν τῷ θαύματι, ἀλλ' ὡς ἐκ προτροπῆς τῶν γυναίων καλούμενος. ἐπεὶ μηδὲ παρεῖναι βεβούλητο, εἰ μὴ προτραπεὶς ἐκλήθη, τῷ μὴ προσποίησιν νομισθῆναι τὸ πρᾶγμα. ὡς οὖν εἶδον τὴν Μαρίαν οἱ περὶ αὐτὴν Ἰουδαῖοι ταχέως μὲν ἀναστᾶσαν, δρομαίως δὲ τῆς οἰκίας ἐκβᾶσαν, δόξαντες ὡσανεὶ πρὸς τὸ μνημεῖον σπεύδειν αὐτήν, ἵνα τυχὸν σπαράξῃ, καὶ κωκυτοῖς τὸν σύγγονον ἀποδύρηται, συνεξῆλθον αὐτῇ, κωλύειν ὥσπερ βουλόμενοι τῆς ἐπὶ τῷ ἀδελφῷ θρηνῳδίας. τὸ δὲ ἦν ἔργον οἰκονομίας συμπαρεῖναι κἀκείνους, ἵν' ἐπ' ὄψεσιν αὐτῶν τὸ θαῦμα πραχθὲν, μὴ ἀμάρτυρον ᾖ.

Ἡ οὖν Μαρία, ὡς ἦλθεν ὅπου ἦν ὁ Ἰησοῦς, ἰδοῦσα αὐτὸν, ἔπεσεν αὐτοῦ πρὸς τοὺς πόδας, λέγουσα· κύριε, εἰ ἦς ὧδε, οὐκ ἂν ἀπέθανέ μου ὁ ἀδελφός. ἴσον ἔχουσα τῇ ἀδελφῇ τὸ φρόνημα, τοῖς ὁμοίοις αὐτῆς συμφέρεται ῥήμασι. σκόπει οὖν ὅσα ἐν μικρῷ τότε ἡ Μαρία ποιεῖ. προστρέχει ὡς Θεῷ, προσπίπτει, παῤῥησιάζεται, δείκνυσιν ὅτι τέθνηκε Λάζαρος· οὐ ταῦτα δὲ μόνον, ἀλλ' ὅτι καὶ πρόωρος ὁ θάνατος γέγονεν, ἀπόντος αὐτοῦ. τότε γὰρ τυχὸν λέγει παραγεγονέναι, ὅτε μὴ τὴν θεραπείαν ὁ καιρὸς ἐπεδέχετο, συγκλεισθεῖσαν ὡσανεὶ τῷ θανάτῳ. καὶ γὰρ ὑπολαβεῖν ἐστιν ἐντεῦθεν, ὡς καὶ Θεὸν αὐτὸν ᾔδει, καὶ ὡς Θεῷ διελέγετο, εἰ καὶ ὁ λόγος ἔσκαζε τῷ εἰπεῖν, εἰ εἴης ὧδε. ὁ οὖν Ἰησοῦς ὡς εἶδεν αὐτὴν κλαίουσαν, καὶ τοὺς συνεληλυθότας αὐτῇ Ἰουδαίους κλαίοντας, ἐνεβριμήσατο τῷ πνεύματι· καὶ [1] ἐσπάραξεν ἑαυτὸν, καὶ εἶπε· ποῦ τεθείκατε αὐτόν; οὐκ εἶπεν, ἄγωμεν ὅπου τὸ μνῆμά ἐστιν· ἵνα μὴ νομισθῇ κατεπισπεύδων τῷ θαύματι. ποῦ τεθείκατε αὐτόν; ὑμᾶς, φησιν, ἐρωτῶ, οὓς μάρτυρας ἔχειν τοῦ θαύματος βούλομαι. αὐτοὶ προσδραμόντες τὸν τάφον ὑποδείξατε. ποῦ τεθείκατε αὐτόν; προσποιοῦμαι τὴν ἄγνοιαν ἵνα ὑμῶν ἐλέγξω τὴν ἄνοιαν. ποῦ τεθείκατε αὐτόν; οὐκ ἀγνοῶν, ἀλλ' ἐπιτείνων πρὸς τὸ θαῦμα τοὺς παρόντας ἠρώτα. πῶς γὰρ ἠγνόει ποῦ τέθαπτο Λάζαρος, ὁ τὸν πατέρα οὕτως εἰδὼς, ὡς αὐτὸς οἶδεν ἑαυτὸν ὁ πατήρ; ἐν ᾧ πάντες εἰσὶν οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως ἀπόκρυφοι. πλὴν εἰ μὴ τὸ ἀνθρώπινον ἐπεδείκνυτο, τυπῶν ἐν ἑαυτῷ τὸ ἡμέτερον; ἡμῶν γὰρ ἡ ἄγνοια, καὶ τὰ ἐκ ταύτης κινήματα, οὐ τοῦ πάντα εἰδότος πρὶν γενέσεως αὐτῶν. εἰ γὰρ καὶ τὰ τῆς φύσεως ἅπαντα τῆς ἡμετέρας ἐφ' ἑαυτὸν ἐνεδείξατο πάθη, ὅσα προδήλως τῆς ἁμαρτίας τὸν μῶμον ἐκπέφευγεν· ἀλλ' οὐχὶ καὶ τὰς ἐκ παραλόγου ὁρμῆς, ἤτοι παρατροπῆς, ἐπισαχθείσας αὐτῇ κηλῖδας προσήκατο· ἄπαγε· ὁ ἀκηλίδωτος καὶ ἀνάλωτος πάθεσιν· ὁ μὴ κατ' ἔκστασιν τῆς ἀτρέπτου θεότητος ὅλην ἡμῶν τὴν φύσιν ἀναλαβών. εἰ μή τις ἂν φαίη τῷ κατ' οἰκείωσιν λόγῳ ταῦτα εἰλῆφθαι, τοῦ κατ' οὐσίαν πόῤῥω διῳκισμένου λόγου. ποῦ τεθείκατε αὐτόν; οὐκ ἀγνοοῦντος ἡ πεῦσις. ὡς δέδεικται δή που. ἢ πῶς ἂν ἐκ πολλοῦ διαστήματος ἔφη, κεκοίμηται Λάζαρος; ποῦ τεθείκατε αὐτόν; διὰ τοῦτο πυνθάνομαί, φησιν, ἵνα τὸ θαῦμα πιστώσωμαι. πολλοὺς γὰρ εἰκὸς ἦν ὑπὸ περιχαρείας προτρέχοντας, δεικνύναι ποῦ τέθειται.

Λέγουσιν αὐτῷ· ἔρχου, καὶ ἴδε. ἐδάκρυσεν ὁ Ἰη-

A beret in manibus, surgit concite, & ad vitam, prosilit, parum aut nihil pariter collectos curans. [a] *Nondum enim venerat Jesus in castellum: sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha.* Usque adeo festinaverat, ut in ipso loco anteverterit Dominum. Morosius enim incedebat ob Judæorum contentiosam æstimationem: ut ne videretur ipse ad miraculum procurrere, sed quasi mulierum rogatu accedere. Nam neque venire voluerat, nisi earum accitus obsecratione, ut ne res simulatio putaretur. Ut autem Judæi, qui erant cum Maria, viderunt cito surrexisse, ac domo concitam exisse, existimantes velut ad monumentum properare, ut se forsan unguibus laceraret, ululatuque
B deploraret fratrem, una egressi sunt, velut ab eo fratris luctu prohibituri. Divina vero providentia res gerebatur, ut & illi adessent, quo sub eorum obtutibus editum miraculum haudquaquam testes desideraret.

[b] *Maria ergo cum venisset ubi erat Jesus, videns eum, cecidit ad pedes ejus, & dicit ei: Domine, si fuisses heic, non esset mortuus frater meus.* Eodem cum sorore sensu, iisdem ac ipsa verbis congreditur. Vide igitur quam tunc in modico multa fecerit. Occurrit ut Deo, accidit, agit fiducia, ostendit mortuum Lazarum: nec id solum, verum etiam quod mors immatura absente eo contigerit. Tunc enim forte ait advenisse, cum jam
C tempus, velut morte præcludente, curationem non reciperet. Ex iis namque conjectura est, agnovisse ut Deum, ac velut Deo locutam esse tametsi oratio in eo claudicaret, quod dicebat: *Si fuisses heic.* [c] *Jesus ergo ut vidit eam plorantem, & Judæos, qui venerant cum ea, infremuit spiritu, & turbavit seipsum, & dixit: Ubi posuistis eum?* Non dixit, Eamus ubi est sepulcrum, ut ne se miraculo festinantius putaretur ingerere. *Ubi posuistis eum?* Vos inquit, percontor, quos volo testes miraculi. Vos ipsi accurrentes sepulcrum ostendite. Simulo ignorantiam, ut coarguam vestram inscitiam. *Ubi posuistis eum?* Non quia nesciret sciscitabatur, sed ut præsentes intentos miraculo face-
D ret. Quomodo enim nesciebat ubi Lazarus fuisset sepultus, qui Patrem ita novit, sicut Pater novit seipsum: *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi?* nisi quia exhibebat quod est hominis, in seipso nostra repræsentans. Nostra enim est ignorantia & qui ab ea sunt motus, non ejus qui novit omnia priusquam fiant. Quamquam enim omnes nostræ naturæ affectiones, si quæ tamen palam peccati noxam fugerunt, in seipso ostenderit, haud tamen ipse in quem non cadit macula, quique superior est quam ut possit vinci affectionibus, adventitias naturæ sordes ex appetitu alieno a ratione, seu ex pravitate animi & defectione, admisit: absit: is, inquam, qui nullo ab
E immutabili deitate excessu, totam naturam nostram assumsit. Nisi quis forte ea dixerit accipi, qua sibi ratione nostra asciscit, Verbo quod spectat ad substantiam, seorsim longius posito. *Ubi posuistis eum?* Non est nescientis percontatio, ut plane ostensum fuit. Aut qua ratione sic spatiis locorum divisus, potuisset dicere, *Lazarus dormit? Ubi posuistis eum?* Propterea inquit percontor, ut miraculum adstruam. Par enim est plures ex abundanti lætitia festinos accurrisse, ut locum ostenderent.

[d] *Dicunt ei: Veni, & vide. Lacrymatus est Je-*

[a] Joan. xi. 30. [b] Ibid. ℣. 32. [c] Ibid. ℣℣. 33. 34. [d] Ibid. ℣℣. 34. 35.

1. Lege ἐτάραξεν.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 675.

σοῦς. ἐδάκρυσεν ὡς ἄνθρωπος· οὐ τὸν Λάζαρον, ἀλλὰ τοὺς Ἰουδαίους. τὸν μὲν γὰρ ἀναστήσων ἀφῖκτο, καὶ περιττὸν ἦν δακρῦσαι τὸν ἀναστήσεσθαι μέλλοντα. Ἰουδαίους δὲ εἰκότως ἐδάκρυσε, τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν καὶ μετὰ τὸ θαῦμα προθεωρῶν. ἐδάκρυσεν ὁ Ἰησοῦς· ὑπόγραμμον ἡμῖν καὶ τύπον καὶ μέτρα διδοὺς, εἰς ὅσον δέοι τοῖς οἰχομένοις ἐπιδακρύειν. ἐδάκρυσε τὴν τῆς φύσεως ἡμῶν φθορὰν, καὶ τῆς εἰκόνος τὸ ἄκαλλον εἶδος, ἁποῖον τῷ θανάτῳ καθίσταται. ἔλεγον οὖν οἱ Ἰουδαῖοι, ἴδε πῶς ἐφίλει αὐτόν. ὅρα κἀνταῦθα τὸν φθόνον, καὶ τὸ τῆς γνώμης μάχιμον. ἴδε πῶς ἐφίλει αὐτόν. φιλούμενος ἐφίλει. καὶ εἰκότως. ἐγὼ γὰρ, φησι, τοὺς ἐμὲ φιλοῦντας, ἀγαπῶ. ἴδε πῶς ἐφίλει αὐτόν· ἔστι πως καὶ θαυμαζόντων ὁ λόγος, ἀλλὰ καὶ βασκαινόντων. ὥς τινας λέγειν· οὐκ ἠδύνατο οὗτος ὁ ἀνοίξας τοὺς ὀφθαλμοὺς τοῦ τυφλοῦ, ποιῆσαι ἵνα μὴ καὶ οὗτος ἀποθάνῃ; καὶ εἰ ἤνοιξε τοὺς ὀφθαλμοὺς τοῦ τυφλοῦ, τί ποτε αὐτῷ διαπιστοῦντες τότε βλασφήμοις λόγοις ἐβάλλετε; τί τοσαύταις ἐνείρατε τὸν εὖ παθόντα πλοκαῖς, κρίνοντες, ἀνακρίνοντες, τίς καὶ πόθεν, καὶ ποταπὸς, καὶ τί ποιήσας ἀνέῳξέ σου τοὺς ὀφθαλμούς; τέως μὲν ὁμολογεῖτε νῦν, εἰ καὶ ἄκοντες, ἀνεῳγότας τοὺς ὀφθαλμοὺς τοῦ τυφλοῦ. δέον ἀπ᾽ ἐκείνου καὶ τοῦτο θαυμάζειν. ὑμεῖς δὲ κἀκεῖνο καὶ τοῦτο κακίζετε· ἔργον γὰρ τοῦτο Ἰουδαϊκῆς προαιρέσεως. πότε γὰρ οὐ παρωργίσατε Χριστόν; πότε οὐκ ἠπειθήσατε τοιαῦτα καὶ τοσαῦτα τεθεάμενοι τεράστια;

Ὁ Ἰησοῦς οὖν πάλιν ἐμβριμησάμενος ἔρχεται εἰς τὸ μνημεῖον· ἦν δὲ σπήλαιον· ἡ σκοτεινὴ τῶν Ἰουδαίων καρδία. καὶ λίθος ἐπέκειτο ἐπάνω· τῆς ἀπιστίας τὸ σκληρὸν καὶ ἀντίτυπον. λέγει ὁ Ἰησοῦς· ἄρατε τὸν λίθον. τὸν βαρὺν τῆς ἀπειθείας ἀποκυλίσατε λίθον, ἵνα τὸ θνησιμαῖον ἀναγάγω τοῦ γράμματος. ἄρατε τὸν λίθον· τὸν δυσβάστακτον τοῦ νόμου ζυγὸν, ἵνα τὸν ζωοποιὸν τῆς χάριτος ἀναλάβητε λόγον. ἄρατε τὸν λίθον· τὸν ὡς κάλυμμα κείμενον καὶ βαροῦντα τὸν νοῦν. ἠδυνάμην αὐτὸς ἐγὼ τὸν λίθον ἀποκυλίσαι, ἀλλ᾽ ἵνα καὶ τῆς δυσωδίας ἀντιλάβοιτε· οὗ δὴ χάριν ὑμῖν ἐπιτρέπω τὸν λίθον ἐξᾶραι τοῦ μνήματος. ἄρατε τὸν λίθον· ἵνα ὑμεῖς μαρτυρήσητε, ὅτι καὶ τοῦ τάφου τὸν λίθον ἐξεκυλίσατε. ἄρατε τὸν λίθον· ὑμεῖς οἱ Ἰουδαῖοι, οὐχ οἱ μαθηταί μου, ἵνα μὴ αὔριον εἴπητε ὡς ἐπὶ τοῦ τυφλοῦ· ἆρα οὗτός ἐστιν; ἆρα ἐκεῖνος; ἵνα μὴ εἴπητε ὅτι ἄλλον ἀντ᾽ ἄλλου ἤγειρα. ἄρατε τὸν λίθον, εἰ τοῦ θαύματος ἰδεῖν τὸ μέγεθος βούλεσθε. λέγει αὐτῷ ἡ ἀδελφὴ τοῦ τετελευτηκότος Μάρθα· κύριε ἤδη ὄζει, τεταρταῖος γάρ ἐστιν. ἡμέρας γὰρ εἶχε τέσσαρας ἐν τῷ μνήματι, ἐν αἷς ἦν διεφθάρθαι τὸν τεθνεῶτα. ἤδη ὄζει, τεταρταῖος γάρ ἐστιν. ἀπιστίας καὶ δισταγμοῦ τὸ ῥῆμα. πλὴν ἐν τοῖς μεγίστοις θαύμασιν ἀπιστία προτρέχειν εἴθισται. ἤδη ὄζει. ἐπαρθέντος τοῦ λίθου τῆς ὀσμῆς αἰσθομένη, τοῦτο εἶπεν ἡ Μάρθα. καὶ τὸ μὲν ῥῆμα διαπιστούσης ἦν· συνεβάλλετο γοῦν ὅμως τῷ θαύματι, ὅσῳ καὶ μᾶλλον ἐφαίνετο διαλυθὲν τὸ σῶμα. κύριε ἤδη ὄζει. μὴ πλησιάσῃς, φησὶν, ἵνα μὴ ἀηδισθῇς. ἤδη ὄζει. μύρον ὑπάρχων εὐῶδες, μὴ προσεγγίσῃς τῷ ὄζοντι. κύριε ἤδη ὄζει. ἐπιτείνει τὸ θαῦμα τῆς γυναικὸς τὸ ῥῆμα. λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς· οὐκ εἶπόν σοι, ὅτι ἐὰν πιστεύσῃς, ὄψει τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ; τοῦτο, οἱονεί πως ὀνειδίζων αὐτὴν ἔφη. εὔδηλον γὰρ ὡς οὐ πάμπαν ἀμφιβολίας ἀπήλλακτο, δι᾽ ὧν ἐσφαλμένας ἐποιεῖτο τὰς ἀποκρίσεις.

A *fus*. Ut homo lacrymatus est, non Lazarum sed Judæos. Advenerat siquidem ut illum suscitaret: ac erat supervacaneum, ut eum lacrymis prosequeretur, qui debebat resurgere. Merito autem Judæos lacrymis prosecutus est, quorum etiam post miraculum futuram infidelitatem prospiceret. *Lacrymatus est Jesus*. Exemplum nobis formamque tradens ac modum, ad cujus rationem illacrymandum sit mortuis. Lacrymatus est naturæ corruptionem ac videns quam imago deformetur morte. [a] *Dixerunt ergo Judæi*. Et heic vide invidiam, & pervicacem animum. *Ecce quomodo amabat eum*! Qui amabatur, amabat. Plane merito: [b] *Ego enim*, inquit, *diligentes me diligo*. *Ecce quomodo amabat* B *eum*! Videtur & admirantium sermo, sed & invidorum: ita ut aliqui dicerent: [c] *Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci, facere ut hic non moreretur*? Atqui si cæci aperuit oculos, cur tunc ei negata fide blasphemis eum impetistis sermonibus? Cur eum qui acceperat beneficium tam multis inseruistis quæstionum nexibus, semel & iterum judicantes & exquirentes, quis, & cujas, & qualis, & quid faciens aperuit tibi oculos? Nunc interim quamquam inviti, agnoscitis aperuisse oculos cæci. Ceterum cum illud miraculum huic deberet admirationem conciliare, vos potius utrumque vituperatis. Hoc Judaicus animus habet operis. C Quando enim non exacerbastis Christum? quando tot tantisque visis prodigiis non inobsequentes fuistis?

[d] *Jesus ergo rursum fremens, venit ad monumentum. Erat autem spelunca*: nempe cor tenebricosum Judæorum: *& lapis superpositus erat ei*. Infidelitatis durities & resistentia. [e] *Ait Jesus: Tollite lapidem*. Revolvite gravem inobedientiæ lapidem, ut quod litera habet letale subveham, ac faciam spirituale. *Tollite lapidem*: jugum legis portatu difficile, ut recipiatis vivificum verbum gratiæ. *Tollite lapidem*: eum utique qui velut impositum velamen gravat animum. Potuissem ego revolvere lapidem: verum ut ipsi quoque percipiatis D fœtorem, idcirco jubeo, ut vos tollatis. *Tollite lapidem*: ut ipsi testes sitis, vestra ipsa opera revoluti lapidis sepulcri. *Tollite lapidem*: vos Judæi, non discipuli mei, ut ne velut in cæco postridie dixeritis: Numquid hic, Numquid ille? ut ne alium pro alio suscitatum caussemini. *Tollite lapidem*: si miraculi magnitudinem spectare vultis. [f] *Dicit ei Martha soror ejus qui mortuus fuerat, Domine, jam fœtet: quatriduanus est enim*. Habebat enim quatuor dies in monumento, in quibus poterat mortuus computruisse. *Jam fœtet: quatriduanus est enim*. Verbum est non credentis & dubitantis. Ceterum consuevit infidelitas maximis præcurrere miraculis. *Jam fœtet*. Hoc dixit Martha, cum sub- E lato lapide odorem sensisset. Et quidem quod dicebat, non credentis erat: conferebat tamen ad miraculum, quanto etiam corporis resolutio magis innotescebat. *Domine jam fœtet*. Ne propius, inquit, accesseris, ne molestiam sentias, ac stomacho movearis. *Jam fœtet*. Ne qui suaveolens unguentum es, fœtenti appropinquaveris. *Domine jam fœtet*. Magnificat miraculum verbum mulieris. Dicit ei Jesus: [g] *Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei*? Hoc dixit, velut ei quodammodo exprobrans. Clarum enim est, ex falsis quas dabat responsionibus, non fuisse ab omni dubietate liberam.

a Joan. xi. 36. b Prov. viii. 17. c Joan. xi. 37. d Ibid. ℣. 38. e Ibid. ℣. 39. f Ibid.
g Ibid. ℣. 40.

A Ὁ δὲ Ἰησοῦς ἦρε τοὺς ὀφθαλμοὺς εἰς οὐρανὸν, καὶ εἶπε· πάτερ, εὐχαριστῶ σοι ὅτι ἤκουσάς μου· ἐγὼ δὲ ᾔδειν ὅτι πάντοτέ μου ἀκούσεις· ἀλλὰ διὰ τὸν ὄχλον τὸν περιεστῶτα εἶπον· ἵνα πιστεύσωσιν ὅτι σύ με ἀπέστειλας. ἄνω ἤρετο ὄμμα, ὅθεν πρὸς ἡμᾶς καταβέβηκεν. εὐχαριστεῖ δὲ τῷ πατρὶ, οὐχ ὡς λαβών τι παρ' αὐτοῦ· οὐ γὰρ ᾔτησεν. εὐχαριστῶ σοι γάρ, φησιν, ὅτι ἤκουσάς μου· καὶ μὴν οὐδαμοῦ ᾔτησεν, οὐδαμοῦ ἐδεήθη. περιττὸν οὖν ὥσπερ κατὰ τὸ ἀκόλουθον εἶναι δοκεῖ τό, ὅτι ἤκουσάς μου. ἀλλὰ διὰ τοὺς Ἰουδαίους ταῦτα λαλεῖ, δεικνὺς ὅτι ἄνωθεν ἦλθε, καὶ ὅτι υἱός ἐστι τοῦ Θεοῦ, καὶ Θεὸς, καὶ ὅτι πάντα γνώμῃ τοῦ πατρὸς ποιεῖ, ὡς τῆς αὐτῆς ὑπάρχων αὐτῷ καὶ γνώμης καὶ φύσεως· καὶ ὅτι ἄνθρωπος ὢν, ἀνθρωπινώτερόν πως ἐλάλει, τῷ μὴ φαντάσαι τὴν οἰκονομίαν. ταῦτα εἰπὼν, φωνῇ μεγάλῃ ἐκραύγασε· Λάζαρε δεῦρο ἔξω. καὶ εὐθέως ἐξῆλθεν ὁ τεθνηκὼς δεδεμένος τὰς χεῖρας καὶ τοὺς πόδας κειρίαις, καὶ ἡ ὄψις αὐτοῦ, σουδαρίῳ περιεδέδετο. οὐκ εὔχεται νῦν, οὐδὲ λέγει, πάτερ ἔγειρον αὐτόν. τῶν γὰρ ὑπὸ χεῖρα ταῦτα, καὶ τῶν δευτέρων. ἀλλὰ κράζει, καὶ οὐχ ἁπλῶς κράζει, ἀλλὰ φωνῇ μεγάλῃ. τίνος χάριν; ἵνα καὶ τὴν μέλλουσαν δείξῃ σάλπιγγα μεγάλῃ συγκαλοῦσαν φωνῇ τοὺς ἐν μνήμασι. Λάζαρε δεῦρο ἔξω. δεσποτικὴ ἡ φωνὴ, βασιλικὸν τὸ κέλευσμα, ἐξουσίας τὸ πρόσταγμα. δεῦρο ἔξω. ἀποθέμενος τὴν φθορὰν, ἀνάλαβε τὴν δι' ἀφθαρσίας δοράν. Λάζαρε δεῦρο ἔξω. γνώτωσαν οἱ Ἰουδαῖοι, ὅτι ἔρχεται ὥρα, ὅτε τῆς φωνῆς τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου οἱ ἐν τοῖς μνημείοις ἀκούσονται· καὶ οἱ ἀκούσαντες, ζήσονται. δεῦρο ἔξω. ἦρται ὁ λίθος, τὸ πρόσκομμα· βάδιζε πρὸς μὲ τὸν καλοῦντά σε. δεῦρο ἔξω. ὡς μὲν φίλος σοι προσφωνῶ, ὡς δὲ δεσπότης ἐπιτάσσω. δεῦρο ἔξω. μάθωσιν Ἰουδαῖοι, ὅτι τεταρταῖον ἐγείρων ἐκ μνήματος, πολλῷ γε μᾶλλον αὐτὸς τριήμερος ἀναστήσομαι, εἴ γε θανάτου γεύσομαι. Λάζαρε δεῦρο ἔξω. περιβεβλημένος τὰ σπάργανα ἔξελθε, καὶ τὰ ἐντάφια περικείμενος, ἵνα μὴ προσποιητόν σε νεκρὸν Ἰουδαῖοι νομίσωσιν. ἴδωσιν χεῖρας δεδεμένας καὶ πόδας, καὶ ὄψεις κεκαλυμμένας, καὶ μὴ ἀπιστήσειαν Ἰουδαῖοι τῷ θαύματι. δεῦρο ἔξω. πιστώσεταί σου τὴν ἀναβίωσιν ἡ δυσωδία τοῦ σώματος. λύσωσιν αὐτοὶ τὰ περικείμενα σπάργανα, καὶ ἐπιγνῶσιν ὃν ἐν τῷ τάφῳ κατέκλεισαν. δεῦρο ἔξω. ζωώθητι, καὶ ψυχώθητι, καὶ βηματίσας τῆς λάρνακος ἔξιθι. δίδαξον πῶς ἐν ῥιπῇ πᾶν τὸ πλάσμα ψυχοῦται, τὴν καινὴν τῶν νεκρῶν ἀνάστασιν τῆς φωνῆς ἀποπληρούσης τῆς σάλπιγγος. δεῦρο ἔξω. ἡ πνοὴ ἐν ῥισίν· αἱ φλέβες αἵματος πλήρεις· ἡ φωνὴ ἐπὶ φάρυγγος· ἐν ὠσὶν ὁ λόγος· ἐν ὀφθαλμοῖς τὸ ὁρᾶν· ἐπὶ χώρας ἡ ὄσφρησις· ἡ βάδισις κατὰ φύσιν· καὶ πᾶν τὸ σκῆνος ἐμψυχωθὲν ἐξωργάνωτο. δεῦρο ἔξω. ἀπόθου τὰ σπάργανα, καὶ ἀνύμνει τὰ θαύματα· ἀπόθου τῆς δυσωδίας τὴν ἀηδίαν, καὶ προσκύνει τῆς ἐξουσίας τὴν αὐθεντίαν. ἐγώ σοι ἐπιτάσσω δεῦρο ἔξω, ὁ εἰπὼν, γενηθήτω φῶς, γενηθήτω στερέωμα. ἐγώ σοι παρακελεύομαι, δεῦρο ἔξω. ἵνα ἴδῃς με ὑπὸ μαθητοῦ προδιδόμενον, καὶ Ἰουδαίοις ἀπεμπολούμενον, Πιλάτου κρινόμενον βήματι, καὶ πρὸς τὸ πάθος ἐθελοντὶ ἀπαγόμενον· ἵνα ἴδῃς Ἰουδαίων θρασύτητα, κἀμοῦ τὴν πραότητα. δεῦρο ἔξω. ἵνα ἴδῃς μετὰ λῃστῶν με σταυρούμενον, ὄξος καὶ χολὴν ποτιζόμενον, καὶ λόγχῃ τὴν πλευρὰν τυπτόμενον· ἵνα ἴδῃς ἐν ἡμέρᾳ μέσῃ τὸ φῶς τυραννούμενον, καὶ νύκτα τὸν ἥλιον συσκιάζουσαν, Ἰουδαίους βλασφημοῦντας, καὶ λῃστὴν θεολογοῦντα. Λάζαρε δεῦρο ἔξω. καὶ εὐθέως ἐξῆλθεν ὁ τεθνηκὼς, δεδεμένος τὰς χεῖρας καὶ τοὺς πόδας κειρίαις, καὶ ἡ ὄψις αὐτοῦ σουδαρίῳ περιεδέδετο. διὰ τὸ ἄπιστον τῶν Ἰουδαίων. εἰ γὰρ μὴ

[a] *Jesus autem elevatis in cælum oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis: sed propter populum qui circumstat dixi, ut credant quia tu me misisti.* Elevavit sursum oculos, unde ad nos descendit: agit vero Patri gratias, non quasi aliquid acceperit ab ipso. Nam non poposcit. *Gratias enim tibi ago*, inquit, *quoniam audisti me.* Atqui nusquam petiit, nusquam rogavit. Consequenter ergo videtur illud, *Quoniam audisti me*, supervacaneum. Enimvero ea loquitur propter Judæos, ostendens venisse de cælo, ac Dei se filium, & Deum omniaque ex sententia patris, velut cui una cum eo & sententia sit & natura, peragere: B ac demum, velut qui homo esset, paullo se loquutum humilius & secundum hominem, ut ne Incarnatio inani specie constare videretur. [b] *Hæc cum dixisset, voce magna clamavit: Lazare veni foras. Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus institis: & facies illius sudario erat ligata.* Non heic precatur, nec dicit: Pater, suscita eum. Hæc enim sunt subditorum, & eorum qui secundi sunt: sed clamat: nec clamat solum, sed magna voce. Cujus gratia? Ut etiam designet futuram tubam, cujus magna vox convocatura est positos in monumentis. *Lazare veni foras.* Vox Domini est, regia jussio, potestatis imperium. *Veni foras.* Corruptione deposita C pellem resume per incorruptionem. *Lazare veni foras.* Sciant Judæi [c] *venisse jam horam, quando mortui qui sunt in monumentis audient vocem filii Dei: & qui audierint, vivent. Veni foras.* Sublatus est lapis offensionis: ad me perge qui te voco. *Veni foras.* Ut quidem amicus, ad me advoco; ut autem Dominus, præcipio. *Veni foras.* Noverint Judæi fore, ut qui suscito quatriduanum e monumento, potiori jure resurgam ipse triduanus, siquidem mortem gustavero. *Lazare veni foras.* Exi fasciis involutus, ac indutus sepulcralia, ut ne te Judæi fictum mortuum existimaverint. Videant ligatas manus, & pedes, ac faciem obtectam, nec miraculo fidem detrahant. D *Veni foras.* Adstruet tuam resurrectionem corporis maleolentia. Solverint ipsi pannos circumpositos, noverintque eum quem in tumulo clauserant. *Veni foras.* Vivificare, animare: ac gradiens exi feretro. Doce quomodo figmentum totum in ictu oculi sit animandum, communem mortuorum resurrectionem conficiente voce tubæ. *Veni foras.* Est spiritus in naribus: venæ plenæ sunt sanguine: vox in gutture: in auribus sermo: in oculis visio: olfactus in conceptaculis: gressus secundum naturam: totumque tabernaculum vivificante anima, in sua organa formatum est. *Veni foras.* Depone fascias, & decanta miracula: depone maleolentiæ insuavitatem, & adora potestatis autho- E ritatem. Ego tibi præcipio *Veni foras*, qui dixi *Fiat lux, Fiat firmamentum.* Ego tibi jubeo, *Veni foras.* Ut me a discipulo videris traditum, & Judæis venditum: ut pro tribunali Pilati judicatum, sponteque ad passionem abductum. Ut videris Judæorum effrænem audaciam, & meam mansuetudinem. *Veni foras.* Ut videris cum latronibus affixum cruci: felle & aceto potatum, ac lancea latus percussum: ut lucem videris vim meridie passam, nocturnisque solem offusum tenebris, Judæos blasphemantes, & latronem edisserentem divina. *Lazare veni foras. Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus manus institis: & facies illius sudario erat ligata.* Ob infidelitatem Ju-

a Joan. XI. 41. 42. b Ibid. ✝✝. 43. 44. c Joan. V. 28.

περιέκειτο τὰ ἐπιτάφια σπάργανα, εἰκὸς ἦν ἐκείνους εἰπεῖν, ὅτι οὐ τέθνήκει, ἀλλ' ἐν σχήματι νεκροῦ δῆθεν ὑπεισῆλθε τῷ μνήματι. διὰ τοῦτο δεδεμένος κειρίαις καὶ ὄζων καὶ συγκεκαλυμμένος τὰς ὄψεις σὺν τοῖς ποσὶν, ἐξήλλατο, ἵνα μηδεὶς ἀφορμῆς τρόπος δοθῇ.

Ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς· λύσατε αὐτὸν, καὶ ἄφετε ὑπάγειν. πρὸς τὸ μὴ ἔχειν τι τοὺς ἀγνώμονας λέγειν, αὐτοὺς ἐκείνους λῦσαι προστάττει τὸν Λάζαρον. ὡσανεὶ λέγων· χερσὶν οἰκείαις ὑμεῖς αὐτὸν λύσατε, ἵνα μάρτυρες ἦτε τοῦ θαύματος. λύσατε αὐτὸν, καὶ ἄφετε ὑπάγειν. ἐπειδὴ τοῦ ἀναστῆναι, τὸ δεδεμένον ἐξελθεῖν οὐκ ἔλαττον. ἵνα μὴ φαντασία τις νομισθῇ τὸ τελούμενον. λύσατε, φησὶν αὐτόν. ἵνα καὶ ὄψει καὶ ἀφῇ δι' ἀκριβείας γνοίητε, ὅτι αὐτὸς ἦν. καὶ ἄφετε ὑπάγειν. ἴδωμεν εἰ κατισχύει θάνατος, μὴ βουληθέντος ἐμοῦ. ἄφετε ὑπάγειν. οὐ γὰρ δεῖται χειραγωγοῦ νεαρὰν ἄρτι τὴν ζωὴν εἰληχὼς, καὶ βαδίζειν ὀρθὰ διδαχθεὶς, ὁ πρὸ ὀλίγου φθαρείς. λύσατε αὐτὸν, καὶ ἄφετε ὑπάγειν. δεῖγμά, φησιν, γενέσθω τῆς κοινῆς ἀναστάσεως, ὅτε τῆς φθορᾶς εἰς ἀφθαρσίαν χωρούσης, ἅπαντες ἐκ γῆς χώματος ἀναστήσονται.

Πολλοὶ οὖν ἐλθόντες πρὸς τὴν Μαρίαν, καὶ θεασάμενοι ἃ ἐποίησεν ὁ Ἰησοῦς, ἐπίστευσαν εἰς αὐτόν. καὶ μακάριος, ὃς τὴν καλὴν ταύτην ἐμπορίαν, τὴν πίστιν ἐπραγματεύσατο. ὃς μὴ ἐξῆλθε τῆς Βηθανίας κενὸς, ἀπραγμάτευτος· λέγω δὴ τῆς νηστείας. ὃς τὰ λαμπρὰ καὶ τίμια ταύτης δι' ἐγκρατείας καὶ ἀτυφίας ἐκτήσατο. ὃς τῷ Χριστῷ πιστεύσας καλῶς, τοὺς καλοὺς μαργαρίτας τῶν αὐτοῦ διδαγμάτων ὠνήσατο, πίστιν δεδωκὼς, καὶ λαβὼν ἐπίγνωσιν. μακάριος ὃς ἀξίαν ἑαυτῷ τοῦ γάμου στολὴν τῆς πρὸς Θεὸν συναφείας δι' ἀπαθείας ἐξύφηνεν, ἵνα καθαρῶς δυνηθῇ τὸ θυόμενον πάσχα φαγεῖν, καὶ μετὰ δόξης ὑπαντῆσαι τῷ δεσπότῃ ἐκ Βηθανίας ἐπανιόντι, καὶ ὑφαπλῶσαι αὐτοῦ τοῖς ἴχνεσι τὰ λευκὰ τοῦ συνειδότος ἱμάτια, ἵν' εἰπεῖν δυνηθῇ· ἐν ἐμοὶ κύριε, ἐν ἐμοὶ βηματίσει ὁ πούς τοῦ κτήνους, οὗ ἐπιβέβηκας· αὕτη ἐστὶν ἡ παναγία σάρξ, ἣν ὑπὲρ ἡμῶν ὑπερουσίως ἠμπέσχετο. τίς οὕτω φρόνιμος πραγματευτὴς, ὃς τὴν ἑαυτοῦ σωτηρίαν ἐπραγματεύσατο καθ' ὃν εἴρηται τρόπον; ὡς ὄφελον καὶ ὑμεῖς ὁ Χριστοῦ λαὸς, ἡ νέα κληροδοσία, ταύτην ἐνεπορεύσασθε ταῖς προαγούσαις τῶν νηστειῶν ἡμέραις. ἀρίστη γὰρ ἡ ἐξ αὐτῶν πραγματεία τοῖς εἰδόσι καλῶς ἀναστρέφεσθαι. ἐκεῖ χρυσὸς εὔροιζος, ἡ ἐγκράτεια· μαργαρῖται, τὰ δάκρυα· λίθοι διαυγεῖς, τῶν ἀρετῶν αἱ πράξεις· ἄργυρος, ἡ ἁγνεία· ἐσθὴς καθαρὰ, τῶν ἠθῶν ἡ σεμνότης· ἀρώματα, τοῦ κυρίου τὰ ῥήματα· ἐκεῖ κόσμος περιαυχένιος, ἡ ταπείνωσις τὴν ὑποταγὴν ὑπογράφουσα· ἐνώτια δὲ καὶ ἐμπλόκια καὶ διάχρυσα περιδέῤῥαια, τὰ πολυτελῆ τῶν ἐντολῶν κατορθώματα.

Καὶ τί ἂν ὑμῖν τὰ καθέκαστον ὑπογράφοιμι τῶν τῆς νηστείας πολυτελῶν χαρισμάτων, αὐτῆς ἡμᾶς διδασκούσης τῆς φύσεως, πᾶν τὸ ἐξ αὐτῆς προϊόμενον, εἰς καλὸν τῷ κεκτημένῳ γινόμενον; τίς οὖν ἐστιν ὃς ἐξῆλθε ταύτην καλῶς τὴν πανήγυριν; τίς ὡμοιώθη τῇ Μάρθᾳ; τίς τὴν Μαρίαν ἐζήλωσε; τίς τοὺς καλοὺς κατ' ἐκείνας τὰς ἀδελφὰς Λαζάρου; τίς τοὺς καλοὺς κατ' ἐκείνας ἠγόρασε μαργαρίτας, τὰ δάκρυα, καὶ προσήγαγε ταῦτα Χριστῷ; τὴν οἰκείαν ἀποκλαυσάμενος ψυχὴν νεκρωθεῖσαν, ὡς ἐκεῖναι τὸν Λάζαρον; τίς τὸν τίμιον ἐνεπορεύσατο λίθον Χριστὸν τὸν ἀκρογωνιαῖον, τὸν ἀποκυλισθῆναι κελεύσαντα τὸν λίθον, ἵν' ἐγείρῃ τὸν Λάζαρον; τίς οὕτω ψυχὴ θεοφιλὴς τὰ κάλλιστα τῶν ἀρωμάτων ὠνήσατο, ἶριν καὶ ἄμωμον καὶ κινάμωμον, ἵνα τὸ εὐῶδες ἐπισκευάσασα μῦρον, δειπνοῦντα μυρίσῃ τὸν κύριον; τίς

A dæorum. Nisi enim fuisset obvolutus sepulcralibus pannis, verisimile est dicturos, non fuisse mortuum, sed quod ementito mortui habitu, subingressus esset in monumentum. Propterea exsilivit vinctus institis, & fœtens, facieque ac pedibus tectis, ut ne qua prorsus daretur occasio.

[a] *Dixit autem eis Jesus: solvite eum, & sinite abire.* Ut ne quid maligni possint opponere, jubet ut ipsi solvant Lazarum. Quasi dicat: vestris ipsi manibus solvite, ut sitis testes miraculi. *Solvite eum, & sinite abire.* Quando non minus est, ligatum exiisse, quam resurrexisse. Ut ne qua illusio & inanis species existimaretur quod fuit factum, *Eum*, inquit, *solvite*. Ut & visu & tactu,

B certo eum fuisse noveritis. *Et sinite abire.* Videamus, num quidquam mors prævaleat me nolente. *Sinite abire.* Non enim qui non ita pridem corruptus erat, habet opus duce, accepta modo vita juvene, & doctus recte incedere. *Solvite eum, & sinite abire.* Communem, inquit, resurrectionem exemplo exhibeat, quando transeunte corruptione in incorruptionem, omnes resurgent de terræ pulvere.

[b] *Multi ergo ex Judæis qui venerant ad Mariam, & viderant quæ fecit Jesus, crediderunt in eum.* Porro beatus qui bonas has merces, fidem, inquam, mercatus est. Qui non vacuus, nihilque negotiatus Bethania, dico autem jejunio exivit.

C Qui sibi per continentiam & modestiam comparavit quæ jejunii splendida sunt & pretiosa. Qui Christo bene credens, bonas doctrinæ ipsius margaritas coemit, data fide & agnitione accepta. Beatus qui nuptiis quibus copulamur Deo, congruam sibi stolam affectionum vacuitate contexuit, ut munde immolatum pascha possit edere, ac cum gloria revertenti a Bethania Domino occurrere, ejusque vestigiis candida conscientiæ vestimenta explicata substernere, ut dicere possit: in me Domine, in me gressum ponat pes jumenti cui incedisti, nempe sanctissima caro, quam pro nobis Dei Filius supra naturam induit. Quis ita prudens solersque negotiator, ut suam ipsius salutem, quo-

D modo dictum fuit, sit negotiatus? Qua vos utinam ratione, populus Christi, nova hereditas, actis jam diebus jejuniorum, eam negotiati sitis! Optima enim ex illis negotiatio, si quis probe noverit conversari. Aurum illic probe sonans, continentia: margariti, lacrymæ: pellucidi lapilli, studiosæ actiones: argentum, castitas: munda vestis, morum honestas: aromata, verba Dominica. Illic mundus collaris, humilitas quæ obedientiam præscribat ac doceat: inaures autem & vittæ crinium ac plicaturæ aureaque monilia, splendida virtutum facinora.

Quid vero, sigillatim describo magnifica jejunii munera, cum ipsa doceamini natura, quidquid ab

E eo est in ejus cedere bonum, qui possidet? Quis ergo hanc solemnitatem congrue celebravit? Quis se velut Martha gessit? Quis Mariam est æmulatus, sorores illas Lazari? Quis sicut illæ, bonas margaritas, lacrymas emit ac obtulit Christo, sic deplorata sua anima, quemadmodum illæ Lazarum deplorarunt? Quis pretiosum illum Lapidem angularem Christum, qui Lazarum suscitaturus lapidem jussit revolvi, pretio comparavit? Quæ anima sic Dei amans, optima quæque emit aromata, iridem, & amomum, & cinamomon ungulamque & nardum, & calamum, ut inde suaveolenti unguento parato, cœnantem ungat Dominum? Quis

a Joan. XI. 44.

b Ibid. V. 45.

A οὕτω στᾶσα παρὰ τοὺς πόδας αὐτοῦ, τῆς ἀψαύστου κεφαλῆς κατακένωσεν· εἶτα τοὺς πόδας τῷ μύρῳ καὶ τοῖς δάκρυσιν ἔβρεξε; τίς ἐκείνης τῆς προσηνοῦς αὐτήκοος γέγονε φωνῆς, ἀφέωνται λεγούσης αἱ ἁμαρτίαι σου; τίς οὕτω ψυχὴ μυροπώλος καὶ συνδακρυς, ὡς μυρίσαι Χριστὸν τὸ ἀκένωτον μύρον;

Ἀλλ' ἐρεῖ τις τάχα τούτων ἀκούων, ἰδοὺ μιμοῦμαι τὴν πόρνην, καὶ προσφέρω, εἰ καὶ μὴ μύρον, ἀλλὰ δάκρυα. ποῦ τὸ δεῖπνον; ποῦ ὁ Χριστός; ποῦ τὰ δι' ὧν ἡ ἄφεσις τῶν ἐγκλημάτων δίδοται; ποῦ; δεῦρό, σοι δείξω σαφῶς. ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ· ἐν τῷ ταμείῳ σου. τί λέγω ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ; ἐν τῇ καρδίᾳ σου· ἐκεῖ ὁ Χριστός ἐστιν· ἐκεῖ αὐτῷ κατακένωσον τὸ μύρον· ἐκεῖ τὰ δάκρυα. ἀλλ' οὐκ ἔχω μύρον, φησιν, οὐκ ἀλάβαστρον. οὐκ ἔχεις μύρον; ναὶ B ἔχεις μύρον, τὴν χάριν, ἀλάβαστρον τὴν καρδίαν, δάκρυα τὴν ἐξομολόγησιν, τρίχας τοὺς λεπτοὺς στεναγμούς. ταῦτα προσένεγκε, ταῦτα καθιέρωσον, καὶ λήψῃ τὴν ἄφεσιν. πανταχοῦ ἐστιν ὁ Χριστός. πανταχοῦ καλούμενος πάρεστι. μόνον μὴ παρέστω Ἰούδας· μόνον ὀρθῶς καλείσθω· μόνον ἄδολον τὸ δεῖπνον ἔστω. γενοῦ Σίμων, εἰ βούλει· κάλεσον τὸν δεσπότην. ἀλλὰ μὴ διστάσῃς ὡς Φαρισαῖος. κάλει τὸν πανταχοῦ παρόντα· ἀλλὰ μὴ συγκαλέσῃς τὸν Ἰούδαν. γενοῦ Λάζαρος εἰ βούλει, τῷ κόσμῳ νεκρώμενος, ὄζων τοῖς μώλωψι, τὴν σιωπὴν ὡς λίθον ἐπὶ στόματος ἔχων. μᾶλλον δὲ φίλος γενοῦ πρότερον τοῦ δεσπότου. ἔχεις καὶ αὐτὸς ἀδελφάς, τὴν ψυχὴν εἶτα τὴν σάρκα. φιλιώθητι τῷ Χριστῷ, ἵν' ὅταν κοι- C μηθῇς, πέμψωσι πρὸς Ἰησοῦν, ὡς Μαρία καὶ Μάρθα, ἡ μὲν τῷ λόγῳ, ἡ δὲ τῇ πράξει λέγουσαι· κύριε, ἴδε ὃν φιλεῖς, ἀσθενεῖ. ἵν' ὅταν τελέως ἀπονεκρωθῇς κόσμῳ, καὶ τοῖς ἐν κόσμῳ, φθάσας ὁ Χριστὸς ἀναστήσῃ σε, λέξῃ τε πρὸς τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ· λύσατε αὐτὸν, καὶ ἄφετε ὑπάγειν. λύσατε· πόθεν; ἐκ τῶν δεσμῶν τῆς ἁμαρτίας. ὑπάγειν δὲ ποῦ; εἰς τοὺς κόλπους τοῦ Ἀβραάμ, εἰς τὰς σκηνὰς τὰς αἰωνίους, εἰς τὴν τῆς θείας λήξεως ἀγήρω μακαριότητα. ἧς γένοιτο πάντας ἡμᾶς ἐπιτυχεῖν, χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ πάντας ἡμᾶς εἰς τὴν αὐτοῦ καλοῦντος ἐπίγνωσιν, Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ ἡμῶν· μεθ' οὗ τῷ πατρὶ ἡ δόξα, ἅμα τῷ ἁγίῳ πνεύματι εἰς τὸν αἰῶνα, ἀμήν. D

A ita stans secus illius pedes, intacto adeffudit capiti, ac tum pedes unguento & lacrymis rigavit? Quis clementem illam & blandam vocem, *Remittuntur tibi peccata*, suis ipse auribus audivit? Quis adeo unguentarius animus, & lacrymabilis, ut Christum, unguentum illud inexhaustum, unxerit?

At dicet forte ad hæc quispiam. Ecce meretricem imitor: & quamquam non unguentum, at lacrymas offero. Cedo tu, ubi cœna? ubi Christus? ubi quibus est condonatio criminum? Ubi? Adesdum, tibi clare ostendo. In Ecclesia. In tuo cubiculo. Quid dico in Ecclesia? In ipso tuo corde. Est illic Christus. Tu illic ei unguentum effunde. Sint illic lacrymæ. At, inquit, unguen- B tum non habeo, non alabastrum. Non habes unguentum? Plane habes unguentum: nempe gratiam; cor alabastrum; lacrymas, confessionem, capillos, minuta suspiria. Hæc offer, hæc sacrifica, & accipies veniam. Christus ubique est. Adest ubique vocatus: modo non adsit Judas: modo recte vocetur: modo sit cœna absque dolo. Si lubet, esto Simon. Invita Dominum. Ne tamen dubitaveris sicut Pharisæus. Voca eum, qui adest ubique: at ne simul Judam vocaveris. Esto si vis Lazarus, qui mundo sis mortificatus; qui tabo fœteas; qui in ore silentium, ceu lapidem habeas. Magis autem prius Domini amicus esto. Habes & tu sorores, primum animam, ac tum carnem. C Fac Christo amicas, ut cum mortuus fueris, mittant ad Jesum, sicut Maria & Martha, illa sermone hæc opere dicentes: *Domine, ecce quem amas infirmatur*. Ut cum fueris perfecte mortificatus mundo, & iis quæ sunt in mundo, adveniens Christus resuscitet te, dicat vero ad angelos suos: *Solvite, & sinite abire. Solvite.* Unde? A peccati vinculis. Quo autem *Abire*? Ad Abrahæ sinus: ad æterna tabernacula: ad divinæ quietis nesciam senii beatitudinem. Quam nos omnes utinam consequamur, ejus gratia & humanitate, qui omnes nos ad suam ipsius vocat agnitionem, Christi veri Dei nostri: cum quo Patri gloria, una cum Spiritu sancto in seculum. Amen.

ΛΟΓΟΣ ΕΙΣ ΤΑ
βαΐα.

Χθὲς ἡμᾶς μετὰ τοῦ δεσπότου Λάζαρος ἑστιάσατο, τὸ καθ' ἑαυτὸν ἡμῖν προθεὶς εἰς ἑστίασιν θαῦμα· σήμερον αὐτὸς ὁ Θεὸς καὶ λόγος τὸν ἡμέτερον ἑστιᾷ λόγον ὑμῖν τοῖς φιλεόρτοις καὶ φιλοκάλοις, τοῖς ἀφ' ἱκανοῦ μὲν ἠγωνικόσι τῷ ἄχθει τῶν συμφορῶν, ἐπιρρωσθεῖσι δὲ σήμερον ὑπὸ περιχαρείας τῆς δεσποτικῆς πα- E νηγύρεως. καὶ μάλα εἰκότως. εἰ γὰρ αὐτὸς οἷα Θεὸς ἐπιστὰς, τὸν ἤδη μυδῶντα καὶ σεσηπότα τῶν ᾅδου μυχῶν ἀνεζώγρησεν, ἦ που καὶ νῦν τοῦ γηράσαντος ἐν ἡμῖν λόγου νευρώσας τὸ ἄτονον, σφριγῶντα δείξει πρὸς τὴν ἐγηγερμένην ἑστίασιν. προσέσται γὰρ εἰκότως αὐτῷ νεανικόν τι καὶ θαρσαλέον, [1] ἀνασκιρτήσαντα τῶν φωνητικῶν ὀργάνων ἀποπηδῆσαι, πρὸς αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ καὶ λόγου καλούμενον, ὡς ἐκ τάφου τὸν Λάζαρον· ἵν' ὁ χθὲς ἡμᾶς θρέψας τῷ κατ' ἐκεῖνον θαύματι, θρέψῃ καὶ σήμερον ὁ αὐτὸς ἁβρότερον καὶ δαψιλέστερον, τῶν αὐτοῦ παθημάτων λόγους τιθέμενος.

1. Forte ἀνασκιρτήσαντι.

ORATIO IN RAMOS
palmarum.

NOS heri cum Domino Lazarus, miraculi in ipso exhibiti dapibus propositis, laute habuit: vobis hodie festi honestique amantibus, Deus ipse ac Sermo sermonem nostrum quo epulemini apponit. Vobis inquam, qui a sat multo tempore, cum molestia calamitatum certamen habuistis, nunc E autem dominicæ festivitatis abundantiori gaudio vires resumsistis. Ac plane merito. Nam cum ipse, velut nimirum Deus, fœtentem jam putremque illum ex inferni penetralibus ceu prædam adventu revocaverit, forte & modo senilis in nobis sermonis remissam vim roborans, luxuriantem vegetumque, ut excitatus alacrisque ceu convivio excipiat, fecerit. Sane utique juvenile aliquid audaciusculumque habuerit, ut Deo ipso & Sermone vocante, quomodo vocavit e tumulo Lazarum, a vocalibus organis velut saliens prodeat: ut qui nos heri pavit Lazari illo miraculo, ipse hodie, suarum ipsius passionum sermones adstruens, lautius splendidiusque pascat.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 675.



Ἀλλὰ πρὶν τῶν νοερῶν ὠδίνων ἐκραγῆναι τὸν λόγον, πυνθάνεσθαι βούλομαι τοὺς παρόντας, τίς ἡ τοσαύτη συνάθροισις; τίς ἡ λαμπρότης; τί τῶν συνειλεγμένων τὸ σύνταγμα; τίς ὁ ἦχος; τίς ἡ χορεία τῶν εὐφημούντων; πανταχοῦ πλήθη, πανταχοῦ παῖδες· οἱ μὲν κλάδους, οἱ δὲ βαΐα κατέχοντες. οὔπω πάλη, καὶ πρὸς ἀγῶνας ὁ δρόμος. οὔπω νίκη, καὶ μετὰ χεῖρας τὰ ἔπαθλα. πρὸ τῆς προόδου τὰ αἴσια. πρὸ τῆς εὐφημίας οἱ στέφανοι. ἐπὶ γλώσσης ὁ ὕμνος. ἐπὶ στόματος ἡ ᾠδή· τῶν μὲν εὐλογούντων, τῶν δὲ ἀνευφημούντων· ἄλλων ἐπισειόντων τοὺς κλάδους· ἑτέρων ταῖς ὁδοῖς ὑφαπλούντων τὰ ἔπιπλα· καὶ πάντων ἁπλῶς τὰς ἑαυτῶν καταστρωννύντων καρδίας. τίνι, καὶ πόθεν ἥκοντι, καὶ ποῖ τρέχοντι; ἢ τάχα τῷ νικητῇ τοῦ θανάτου, ἄρτι τότε τὸν Λάζαρον ἐκφωνήσαντι, καὶ τῇ Ἱερουσαλὴμ πρὸς τὸ παθεῖν ἐπιβήσεσθαι σπεύδοντι; ἅτου δὴ χάριν; ἵνα πάθει τῷ ἑαυτοῦ τὰ ἡμῶν ἐκδαπανήσῃ πάθη, ὃς τοῦ παθεῖν ἐστιν ὑψηλότερος. ἢ τόδε πότερον τῶν χορευόντων ὁ ἦχος, ἢ τῶν φονώντων ὁ κρότος εἰς τοσοῦτον ἦρε κραυγῆς τὴν πανήγυριν; ἀλλ' ἡ μὲν τῶν χορευόντων ἠχὴ, λαμπρά τίς ἐστι καὶ θυμήρης. ἐπινίκιος γὰρ, καὶ πολὺ τὸ χαρίεν ἔχουσα. ὁ δὲ τῶν ἐπιμαινομένων βόμβος, ὡς λίαν τραχύς τις καὶ ἀκαλλὴς, τὴν ἀηδίαν αὐτόθεν ἔχων ἐπίδηλον, ὡς φθόνου μεστὸς καὶ φόνου σημαντικός.

Τούτων δὲ, οἱ μὲν ἐκ Βηθανίας, οἱ δὲ πρὸς τῷ ὄρει κατηντηκότι τῶν ἐλαιῶν τῷ δεσπότῃ προσήεσαν· ἄλλοι πρὸς τῇ πόλει σχεδὸν πλησιάσαντι· ἕτεροι τῶν πυλῶν εἴσω γεγονότι, καὶ τῷ ἱερῷ προσβαλόντι συνήντησαν, καὶ παμμέγιστος ὄχλος, ἑσμός τε νηπίων συῤῥαγεὶς, τοὺς ἐπινικίους ὕμνους εὐφήμως ἀνέκραγον· ὡσαννὰ λέγοντες, εὐλογητὸς ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου βασιλεὺς τοῦ Ἰσραήλ. ὥστε τῷ ἀσυνήθει τούτῳ θεάματι, καὶ τῷ συνεχεῖ τῆς ὑμνήσεως, πᾶσαν αὐτίκα συγχυθεῖσαν τὴν πόλιν, εἰς πολλὰς τότε σχισθῆναι δόξας περὶ αὐτοῦ. τῶν μὲν, τίς ἐστιν οὗτος; λεγόντων· τῶν δὲ υἱὸν ἀποκαλούντων Δαβίδ. καὶ τῶν μὲν ὡς προφητικὰς προαγόντων προῤῥήσεις, τῶν δὲ ἀθετούντων, τῶν δὲ συνομολογούντων· ἄλλων συνηγορούντων, καὶ πάντων ἁπλῶς ὡς φθάσας ἔφην, εἰς μυρίας ἐξελκομένων δόξας καὶ φαντασίας. καὶ γὰρ ἦν σημεῖον ἀντιλεγόμενον, ὑπὸ προφήτου νομοδόχου κεκηρυγμένον. καὶ τί θαυμαστὸν, εἰ πάλιν Ἱερουσαλὴμ ἐκταράσσεται, καὶ τὰ Ἰουδαίων ἐπικλονεῖται συστήματα δοξαζομένου Θεοῦ, ὅπου καὶ μικρῷ πρότερον γεννηθέντος αὐτοῦ, Μάγους ἐξ ἀνατολῶν ἀφῖχθαι δορυφόρους Ἡρώδης πυθόμενος ἐταράχθη, καὶ πᾶσα Ἱεροσόλυμα μετ' αὐτοῦ;

Σκόπει δὲ ὁ φιλότης, πῶς συγγενῆ καὶ καταλλήλως ἔχει τὰ πράγματα. ἐκεῖ Βηθλεὲμ, ἐνταῦθα Βηθανία. τότε Μαρία καὶ Σαλώμη, νῦν δὲ Μαρία καὶ Μάρθα. ἐκεῖ Χριστὸς ἐσπαργανωμένος, ἐνταῦθα Λάζαρος κειρίαις ἐνειλημμένος. ἐκεῖ φάτνη, καὶ ὧδε τάφος. εἶδες τόπων καὶ προσώπων ἐμφέρειαν; εἶδες πραγμάτων συνδρομήν; ἀλλ' ἐν Βηθλεὲμ γεννηθέντος Χριστοῦ, Ἡρώδης ἐθρυλλεῖτο καὶ Ἱερουσαλὴμ συνεχεῖτο· ἐν Βηθανίᾳ δὲ, θαυματουργοῦντος αὐτοῦ καὶ Λάζαρον ἐγείραντος, Ἱερουσαλὴμ ἐταράττετο, καὶ Φαρισαῖοι τοὺς ὄχλους ἀνέσειον. ἐκεῖ ποιμένες ἐθαύμαζον, ὧδε ἱερεῖς [1] ἐπετωθάζον. ἐκεῖ Μάγοι δορυφοροῦντες προσέπιπτον, ἐνταῦθα δῆμοι θεομαχοῦντες προσέκρουον. ἐκεῖ Χριστοῦ προθυόμενοι παῖδες ἠλάλαζον οἱονεὶ ἐπιτάφια κλαίοντες,

A Enimvero priusquam spiritali partu sermo erumpat, percontari velim præsentem coronam: Quisnam hic tantus cœtus? quis splendor? quis ordo in unum collectorum? quis sonus? quod tripudium faustis illis ominibus prosequentium? Ubique turbæ, ubique pueri; quorum alii ramos, alii spatulas e palmis teneant. Nondum est pugna, & ad prælia curritur: nondum victoria, habenturque in manibus victoriæ præmia. Ante expeditionem, omina: ante famam, coronæ. In lingua canticum, carmen in ore; aliis quidem benedicentibus, aliis læte acclamantibus; quibusdam quatientibus ramos; nonnullis aulæa in viis explicantibus; B universis denique sua ipsorum corda sternentibus. Cuinam vero, & unde reverenti, ac quo properanti? Num utique victori mortis, eique qui nuper Lazarum e sepulcro vocasset, ac Jerosolymam ad passionem ascendere festinaret? Cujus id gratia? Ut sua ipsius passione, qui ipse sublimior est quam ut patiatur, passiones nostras morbosque ac vitia absumserit. Utrum vero aut chorearum sonus, aut plausus homicidarum in tantum clamoris concionem extulit? Enimvero, sonus quidem ducentium choros, splendidum quid habet, & quod placeat animo: nam est victoriæ canticum, multamque gratiam habet. At furentium strepitus, tamquam valde durus informisque, vel inde molestum se exC hibet, quod sit plenus livore, ac cædem significet.

Ex hac turba quidam venerunt ex Bethania; quidam Domino obviam processerunt ad montem Oliveti: alii cum jam fere urbi propinquasset, occurrerunt; alii cum esset intra portas, & ad templum pergeret. Plane quam maxima turba, commissumque infantium examen, victoriæ cantica fauste acclamabant, dicentes: [a] *Hosanna; Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel.* Quare insueto hoc spectaculo, continuaque laudatione, tota statim confusa est civitas, in multas de ipso sub id tempus scissa sententias: dicentibus aliis; *Quis est hic?* aliis vocantibus filium David. Ac D aliis quidem ceu propheticas prædictiones proferentibus, aliis spernentibus: aliis confitentibus, aliis patrocinantibus; omnibusque absolute, ut modo dicebam, in innumeras opiniones & sententias scissim abeuntibus. Quippe enim erat signum, cui fore contradicendum a Propheta legis susceptore fuisset prædicatum. Quid autem mirum, ut iterum Jerusalem turbata sit, ac Judæorum commoti cœtus Deo glorificato, cum & paullo ante eodem nato, ubi Herodes venisse ab oriente Magos velut satellitio futuros audivisset, *turbatus sit, & omnis Jerosolyma cum eo?*

E Perspice vero, o dilecte, ut res modo assimili habeant. Illic Bethlehem, heic Bethania. Id temporis Maria & Salome, nunc Maria & Martha. Illic Christus pannis involutus, heic Lazarus involutus institis. Illic præsepe, heic autem sepulcrum. Vidistin' locorum personarumque exactam similitudinem? Vidistin' concursum rerum? Ceterum Christo in Bethlehem nato, turbatus est Herodes, & confusa Jerusalem: eodem autem ipso in Bethania miracula edente ac suscitato Lazaro, Jerusalem turbata est, Pharisæique concitarunt turbas. Illic mirabantur pastores, heic sacerdotes irrident. Illic Magi stipantes accidebant, heic populi Deum oppugnantes offendebant. Illic pueri ante Christum occisi ejulabant, heic populi Deum op-

[a] Joan. XII. 13.

1. Forte ἐπετώθαζον, obloquebantur.



ὧδε παῖδες Χριστοῦ προεξάρχοντες, πλὴν ἐπεισόδια μέλποντες· οὐ μέλος σειρήνιον, ἀλλ᾽ ᾠδὴν ἐπινίκιον· ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβὶδ ἀνακράζοντες, ὑπὸ καθηγητῇ τῷ πνεύματι διδασκόμενοι. καὶ ἀπόχρη τῶν καταλλήλων συγκρίσεων, εἰς δέον ἐληλεγμένης τῆς Ἰουδαίων φρενοβλαβίας· τότε μὲν ἡνίκα Χριστὸς ἐφανεροῦτο σαρκούμενος, νῦν δὲ ὅταν ἀφημεῖται σταυρούμενος. ἡμῖν δὲ καιρὸς ἤδη τῶν τῆς ἑορτῆς μυστηρίων ἐφάψασθαι, καὶ τῆς γείτονος ἡμέρας τὸν μυστικὸν ἀνακαλύψαι πλοῦτον ὑμῖν, εἴ πως τὸν ἐν αὐτῷ κρυπτόμενον θησαυρὸν κατὰ βραχὺ φανερούμενον, σὺν δαψιλείᾳ πορίζοισθε.

Ἀλλά μοι δεῦρο, συναναβάντες ἐπὶ τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν, Χριστῷ συναντήσωμεν ἐκ Βηθανίας ἐπανιόντι σήμερον, καὶ πρὸς τὸ σεπτὸν ἐκεῖνο καὶ μακάριον ἐθελουσίως χωροῦντι πάθος, ἵνα πέρας ἐπιθῇ τῷ μυστηρίῳ τῆς ἡμῶν σωτηρίας. ἔρχεται τοίνυν τὴν ἐπὶ τὴν Ἱερουσαλὴμ πορείαν στελλόμενος ἐθελοντὶ, ὁ δι᾽ ἡμᾶς κατελθὼν ἄνωθεν, ἵνα ἡμᾶς ἑαυτῷ συνυψώσῃ κάτω κειμένους, ὡς ἡ ἐκφαντορία, ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς, καὶ ἐξουσίας, καὶ δυνάμεως, καὶ παντὸς ὀνόματος ὀνομαζομένου. ἔρχεται δὲ, οὐ φαντασιῶν οὐδὲ κομπάζων· οὐκ ἐρίσει, φησὶν, οὐδὲ κραυγάσει, οὐδὲ ἀκούσει τις τὴν φωνὴν αὐτοῦ· ἀλλὰ πρᾶος καὶ ταπεινὸς, εὐτελῆ τὴν εἴσοδον ἐνδεικνύμενος. τί γὰρ εὐτελέστερον ὄνου, τί δὲ ταπεινότερον ὑποζυγίου; αὐτὸς δὲ οὐκ ἀπῃσχύνθη πλούσιος ὢν, καὶ νώτοις χερουβικοῖς ἐποχούμενος, πῶλον ὡς θρόνον ἐπικαθίσαι. προφητικὴν γὰρ ἐπλήρου φωνὴν, πολλῷ πρότερον προρρηθεῖσαν ἐν πνεύματι· εἴπατε, φησὶ, τῇ θυγατρὶ Σιών. ἰδοὺ ὁ βασιλεύς σου ἔρχεταί σοι πραῢς, καὶ ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ πῶλον υἱὸν ὑποζυγίου. ἆρά σοι ταύτης ποτὲ μείζων ἐφανερώθη ταπείνωσις, τῶν ἐπὶ δόξης θαυμαζομένων; ἔστι δὲ ταύτης ἆρα τῆς ταπεινώσεως ἐν ἀνθρώποις εὐτελεστέρα; οὐκ ἔφριξας ἀκούων εἴ τις ἂν [1] εἴη, τὸν ἐπὶ τοῖς Σεραφὶμ ἐνθρονιζόμενον, ἐπὶ πῶλον ὀχούμενον; ἀλλὰ δεῦρο καὶ τὴν ἑρμηνείαν διδάχθητι, καὶ τὴν οἰκονομίαν πιστώθητι, ἵνα συνεὶς τοῦ μυστηρίου τὴν δύναμιν, προσκυνήσῃς τοῦ κυρίου τὴν πρόγνωσιν.

Ἔμελλε τὴν ἡμῶν ἀλογίαν περιελεῖν, ὁ τοῦ κόσμου τὴν ἁμαρτίαν ἄρας· ὁ μηδὲ φάτνης ἀλόγων τὴν ἐν σπαργάνοις ἀπαξιώσας κατάκλησιν. ἐτύπου δὲ χρησίμως καὶ τῶν ἐθνῶν τὴν κλῆσιν, ἄρτι προσδεχομένων αὐτὸν, ἅτε δὴ τοῦ Ἰσραὴλ πεφηνότα παράκλησιν, καὶ φῶς σωτηρίας καραδοκούμενον εἰς ἐθνῶν ἀποκάλυψιν. ἀφ᾽ ὧν ὅσοι τὸν ἑαυτῶν ὑπέκυψαν αὐχένα, καὶ τὸν ἐλθόντα δεξάμενοι, καὶ ὅλον ἑαυτοῖς τὸν δεσπότην ἐπιβιβάσαντες· οὗτοι προδήλως τὴν τέως κρυπτομένην ἀλήθειαν, ἐν ἑαυτοῖς ἐκφαίνειν φιλοτιμότερον ἔσπευδον, εἴ πως ὁ λόγος αὐτοῖς ἐπιβὰς, τῆς κτηνώδιας ἀπαλλάξει τῆς ἔμπροσθεν. ἱμάτια δὲ νοήσεις ἀγαπητὲ, τὰ μὲν διὰ τῶν ὄχλων ὑποστρωθέντα τῷ λόγῳ, τὰ διὰ τῆς ἀγνοίας ἐπισκοτοῦντα τὸν νοῦν προκαλύμματα· οἷς τὸ Ἰουδαϊκὸν εἰκότως χαρακτηρίζεται κάλυμμα, ὃ ἐπὶ τὴν καρδίαν αὐτῶν κεῖται μὴ ἀνακαλυπτόμενον, ὅτι ἐν Χριστῷ καταργεῖται. ἡνίκα γὰρ, φησὶν ὁ θεσπέσιος Παῦλος, Μωϋσῆς ἀναγινώσκεται, κάλυμμα ἐπὶ τὴν καρδίαν αὐτῶν κεῖται. ἐπειδὰν δ᾽ ἂν ἐπιστρέψῃ πρὸς κύριον, περιαιρεῖται τὸ κάλυμμα. ὅπερ οἶμαι κἀκείνους τότε εἰκὸς ἑαυτῶν περιελόντας ὑποστρῶσαι τῷ λόγῳ, διὰ τῆς ἐπὶ τοῦ κτήνους συμ-

pugnantes offendebant. Illic pueri ante Christum occisi ejulabant, velut flerent feralia; heic pueri præeunt Christo, sic tamen ut pro ingressus triumpho modulate canant: non Sirenarum illud melos, sed carmen pro victoria, clamantes: *Hosanna filio David*; ipso nimirum Spiritu præceptoris partes implente. Porro sufficiunt congruæ ejusmodi comparationes, convicta abunde Judæorum vesania, tunc quidem cum Christus manifestus fieret, ac modo cum cruci affigendus faustis illis ominibus exciperetur. Cæterum operæ pretium est, ut jam festi sacramenta attigerimus, proximæque diei spirituales divitias vobis revelemus, si quo modo latentem in eis thesaurum sensim manifestandum large affluenterque comparaveritis.


Enimvero ad me venite, pariterque ascendentes ad montem olivarum, Christo hodie ex Bethania revertenti, atque ad venerabilem illam beatamque passionem, sua ipsi sponte, ut nostræ salutis sacramento finem imponat, procedenti occurramus. Venit itaque iter sponte versus Jerusalem faciens, qui e cælis nostri caussa descendit, ut nos in infimis jacentes una secum exaltaret, ut scriptura exponit, *supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & omne nomen quod nominatur*. Venit autem, non velut gloriam aucupans, fastuque & pompa: [a] *Non contendet*, inquit, *neque clamabit, neque aliquis audiet vocem ejus*; sed erit mansuetus & humilis, vili habitu & apparatu adornato ingressu. Quid enim vilius asino? quid vero humilius subjugali? Enimvero, qui dives erat, quique dorsis Cherubicis inequitat, pullo ceu throno insidere non erubuit. Quippe implebat propheticam vocem, longe prius in spiritu prædictam: [b] *Dicite*, inquit, *filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, & sedens super pullum filium subjugalis*. Num rogo hac umquam major visa est humilitas, eorum qui præ gloria admirationi habentur? Ullane apud homines hac humilitate abjectior? Non horruisti audiens, quisquis sis, ut qui sedet super Seraphim, pullo veheretur? Enimvero ades sis, & interpretationem docere, certamque dispensationis accipe fidem, ut sacramenti virtute perspecta, Domini præscientiam adores.

Futurum erat, ut *qui tollit peccatum mundi*; qui inquam neque præsepi brutorum reclinari dedignatus est, brutam a nobis affectionem auferret. Apte vero figurabat etiam Gentium vocationem, quæ jam ipsum exspectarent: ut qui nimirum jam apparuisset *consolatio Israel*, exspectatumque salutis *lumen ad revelationem Gentium*. E quibus quotquot suam incurvaverunt cervicem, venientemque susceperunt, totumque sibi ipsis Dominum imposuerunt; ii palam veritatem hactenus occultam in seipsis manifestare ambitiosius contenderunt, si quo modo eis Verbum insidens, antiqua bruta affectione liberaverit. Porro vestes, dilecte, acceperis, quas quidem turbæ substraverunt Verbo, velamina illa, quæ mentem per ignorantiam offuscarent. Quibus merito figuratur Judæorum illud velamen, quod impositum eorum cordibus non revelatur, eo quod in Christo fit evacuandum: nam inquit admirabilis Paullus: [c] *Cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum. Cum autem fuerit conversus ad Dominum, auferetur velamen*. Quod & illos tunc merito arbitror a se [illegible] ablatum substravisse Verbo, symbolica jumenti conscensione,

[a] Isa. XLII. 2. [b] Zach. IX. 9. [c] II. Cor. III. 15. 16.

1. Forte δὲ, vel ἄνε.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 675.



βολικῆς ἐπιβάσεως, τῆς κτηνώδους αὐτῶν ἀλογίας A τὴν ἄγνοιαν περιαίροντι. τὰ δὲ διὰ τῶν μαθητῶν ἐπιτεθέντα τῷ πώλῳ ἱμάτια, τὰς διὰ τοῦ πνεύματος ὑπ' αὐτῶν ἐναργῶς οἶμαι προσιούσας δυνάμεις ἐπισημαίνονται. ὅσαι δῆλον τῆς αἰσχύνης τὴν γύμνωσιν ἡμῶν τῶν ἐξ ἐθνῶν περιστέλλουσαι, τὴν εἰς Χριστὸν ἡμῖν ἐξυφαίνουσι γνῶσιν, ἢ ὅλον αὐτὸν ἡμᾶς ἐνδιδύσκουσιν, ἵν' ὦμεν Θεὸν ἀγαλματοφοροῦντες, καὶ ὅλον ἐν ἡμῖν αὐτὸν φέροντες, δι' ὅλου φορούμενόν τε καὶ στολιζόμενον. ὅπερ οὐκ ἂν εἰς ἡμᾶς ἐπ' ἔργον ἀχθείη, μὴ οὐχὶ πάντα προελομένους ὑπὲρ Χριστοῦ καὶ πείσεσθαι καὶ φέρειν, ὅσα καὶ Χριστὸς ὑπὲρ ἡμῶν ἀνθ' ἡμῶν ὑπὸ τῶν ἠγνοηκότων αὐτοῦ τὸ μεγαλεῖον τοῦ μυστηρίου πέπονθεν.

Ἄγε δὴ καὶ πρὸς τὸ παθεῖν ἐπειγομένῳ συντρέ- B χωμεν, καὶ τοὺς ἀπηντηκότας μιμώμεθα, μὴ κλάδους ἐλαίας ἢ ἔπιπλα, μὴ βάϊα καταστρωννύντες αὐτοῦ τῇ ὁδῷ, ἀλλ' ἡμᾶς αὐτοὺς ὑποστρωννύντες ὡς ἐφικτὸν, ψυχῆς ταπεινότητι καὶ γνώμης ὀρθότητι, ἵν' ἥκοντα τὸν λόγον δεξώμεθα, καὶ χωρηθῇ Θεὸς ἐν ἡμῖν ὁ μηδαμοῦ χωρούμενος. χαίρει γὰρ οὕτω πρᾶος ἡμῖν γενόμενος, ὁ πρᾶος καὶ ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ δυσμῶν τῆς ἡμετέρας ἐσχατιᾶς, ἥκειν τε καὶ ὁμιλεῖν, καὶ πρὸς ἑαυτὸν ἀνάγειν ἢ ἐπανάγειν, τῷ λόγῳ τῆς συμφυΐας. ὃς εἰ καὶ τῇ ἀπαρχῇ τοῦ ἡμετέρου φυράματος ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ τὸν οὐρανὸν τοῦ οὐρανοῦ κατ' ἀνατολὰς λέγεται, τῆς οἰκείας, οἶμαι, δόξης καὶ θεότητος· ἀλλ' οὐκ ἀνήσει φιλάνθρωπος ὢν, πρὶν ἀπὸ δόξης C εἰς δόξαν τὴν ἀνθρώπου φύσιν χαμόθεν ἄρας, ἑαυτῷ συναποδείξῃ μετάρσιον. οὕτως ὑποστρωτέον ἡμᾶς ἑαυτοὺς τῷ Χριστῷ, μὴ χιτῶνας ἢ κλάδους ἀψύχους, καὶ φυτῶν ὄρπηκας, ὕλην μαραινομένην, καὶ εἰς ὥρας ὀλίγας τὸ τερπνὸν τῆς ὄψεως ἔχουσαν· ἀλλ' αὐτοῦ τὴν χάριν, ἢ ὅλον αὐτὸν ἐνδυσάμενοι· ὅσοι γὰρ εἰς Χριστὸν βεβαπτίσμεθα [Χριστὸν ἐνδύσασθε.] χιτώνων δίκην ἑαυτοὺς ὑφαπλώσωμεν. ὡς δὲ φοινικοῖ τὴν ἁμαρτίαν πρότερον, τῇ ῥύψει δὲ τοῦ σωτηρίου βαπτίσματος ὕστερον εἰς ἐρίου λευκότητα φθάσαντες, μὴ τὰ ἐκ φοινίκων βάϊα, τὰ δὲ τῆς νίκης βραβεῖα τῷ νικητῇ τοῦ θανάτου προσάγωμεν. εἴπωμεν καὶ ἡμεῖς σήμε- D ρον μετὰ τῶν παίδων τὴν ἱερὰν ἐκείνην φωνὴν, τοὺς νοητοὺς τῆς ψυχῆς ἐπισείοντες κλάδους· εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου, βασιλεὺς τοῦ Ἰσραήλ.

Ποῦ, καὶ πόθεν ἐρχόμενος; πρὸς ἡμᾶς, καὶ παρὰ τοῦ πατρός· πρὸς τοὺς γηΐνους, ἐκ τῶν ὑψίστων· ἐπὶ τὸν σταυρὸν, ἐκ τοῦ κατὰ τὸν Λάζαρον θαύματος. ταῦτα τῆς εὐδοκίας, ἐκεῖνα τῆς ἐξουσίας. πηνίκα, καὶ διὰ τί; ἐν τῷ πληρώματι τῶν καιρῶν, καὶ διὰ τὴν ἡμῶν σωτηρίαν. ἅπαξ γὰρ ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων, τὸν ὑπὲρ ἀνθρώπων ἑκουσίως εἵλετο θάνατον, ἵνα σώσῃ τὸν ἄνθρωπον, ὁ δι' ὑπερβολὴν φιλανθρωπίας γενόμε- E νος ἄνθρωπος. ἔσχατον γὰρ τῶν ἐπὶ γῆς αὐτοῦ διατριβῶν γέγονεν ὁ σταυρός. εἰ τοίνυν οὕτως, καθὼς ὁ λόγος τρέχων ἀπέδειξε, τῷ Χριστῷ σήμερον ὑπαντήσαντες, ἑαυτοὺς ὑφαπλώσωμεν, δυνησόμεθα καὶ αὐτοὶ διαπαντὸς ὑπὲρ ἡμῶν ἀθύτως θυόμενον [θύεται γὰρ ἐν ἀντιτύποις ὑπὲρ ἡμῶν συμβόλοις ἱεροθυτούμενος] ὅλον αὐτὸν ἐν ἡμῖν ὑποδέξασθαι, καὶ οὐσιωδῶς εἰσοικίσασθαι· ὡς ἄρτον μὲν ἐσθιόμενον, ὡς ἀμνὸν δὲ νοούμενον. κἀκείνων τὰ ἴσα παθεῖν, ὧν ἐν εὐαγγελίοις ἡ θεολόγος ἐπεμνήσθη βροντή.

Φησὶ γάρ· τῇ ἐπαύριον· δῆλον δὲ μετὰ τὴν ἐπὶ Λαζάρῳ παραδειχθεῖσαν ὑπ' αὐτοῦ θεουργίαν· ὅ-

brutam ac velut jumenti ab eis ignorantiam auferenti. Quas autem vestes discipuli pullo imposuerunt, aperte existimo eas significare virtutes, quæ per Spiritum ab illis accedunt; quotquot nimirum nostram, qui sumus ex gentibus, turpitudinis nuditatem contegentes, cognitionem nobis in Christum texunt, ut Deum velut in imagine gestemus, totumque portemus in nobis, quem prorsus induerimus. Quod sane haudquaquam in nobis fuerit opere impletum, quamdiu non sit animo constitutum, ut omnia pro Christo patiamur atque feramus, quæcumque & Christus pro nobis ac vice nostrum ab iis passus est, qui sacramenti ejus majestatem nescierunt.

Age itaque, una etiam cum festinante ad passionem curramus, eosque imitemur qui obviam processerunt. Non ita ut ramos olivæ aulæaque & suppellectilia, utve spatulas e palmis ei sternamus in via: sed ut nos ipsi quantum possumus humiliato animo, rectaque mente & proposito substernamus, ut suscipiamus Verbum illud veniens, capiaturque nobis Deus, qui nusquam capi potest. Gaudet enim, quod se ita nobis exhibuerit mansuetum, qui est mansuetus, *ascenditque super occasum* infimæ nostræ vilitatis, ut veniret ac nobiscum consuetudinem haberet; suaque ad nos cognatione, ad se ipse subveheret & reduceret. Qui licet conspersionis nostræ primitiis ac delibatione illa, [a] *super cælum cæli ad orientem ascendisse* dicitur, propriæ arbitror gloriæ ac deitatis: haud tamen dimissurus est, qua est in humanum genus propensione, donec humanam naturam a gloria in gloriam ab infimis terræ elevans, una secum sublimem effecerit. Sic ipsi nos Christo substraverimus, non tunicas aut ramos inanimes, fruticumque stramina, cito virorem amittentem materiam, & ad paucas horas oculos recreantem; verum ejus gratiam, seu ipsum totum induti: *Quotquot* enim *in Christo baptizati estis, Christum induistis*: ejus nos pedibus tunicarum instar strati, explicemus. Velut autem qui prius peccato coccinei, detergente salutari baptismo, postmodum ad lanæ candorem pervenerimus, ne jam spatulas e palmis, sed victoriæ præmia victori mortis offeramus. Dicamus & nos in dies singulos sacram illam vocem cum pueris, quatientes spiritales animæ ramos: *Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel.*

Quonam & unde veniens? Ad nos, atque a Patre: ab altissimis, ad terrenos: ad crucem, a Lazari miraculo. Sunt hæc beneplaciti & bonæ voluntatis, illa potentiæ. Quando venit, & cujus gratia? In temporum plenitudine, & propter nostram salutem. *Semel* enim *in consummatione sæculorum* ultro mortem pro hominibus elegit, ut hominem salvum faceret, qui exsuperanti clementia esset factus homo. Crux siquidem ejus in terra stadiorum supremum fuit. Dum sic ergo, qua ratione cursim sermo ostendit, Christo hodie occurrentes nos ipsi substraverimus; totum ipsum qui jugiter nostri caussa sine immolatione immolatur: (immolatur enim pro nobis in figuralibus symbolis sacrificatus) in nobis suscipere, ac substantialiter ceu domo locare poterimus: ipsum inquam, qui tamquam panis quidem manducatur, sed intelligitur ut agnus. Idemque nobis, atque iis quorum in Evangeliis meminit Theologiæ illud tonitru, acciderit.

Ait enim: [b] *In crastinum* (plane a narrata ab ipso divino illo in suscitatione Lazari opere) *tur-*

a Psalm. LXVII. 34. b Joan. XII. 12.

χλος πολὺς ὁ ἐλθὼν εἰς τὴν ἑορτὴν, ἀκούσαντες ὅτι Ἰησοῦς ἔρχεται εἰς Ἱεροσόλυμα, ἔλαβον τὰ βαΐα τῶν φοινίκων, καὶ ἐξῆλθον εἰς ἀπάντησιν αὐτῷ, καὶ ἔκραγον λέγοντες· ὡσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίστοις· εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου, βασιλεὺς Ἰσραήλ. βαβαὶ τῆς ὑμνήσεως. βαβαὶ τῆς συμφωνίας. αὕτη τοῦ πνεύματος ἡ φωνή· αὕτη τῆς ἄνω σοφίας διδαχὴ, οὐ τῆς κάτω παιδείας ὑπογραφή· [1] ἢ γὰρ ἂν καὶ διαφωνία τις ἐνομίζετο, τῆς ἐναρμονίου πρὸς τοσαύτης πλήθους ἀποσχιζομένης φωνῆς, οὐκ ἔστιν αὕτη, ἀλλ' ἢ προφητείας, οὐ [2] καθαροστομίας ἢ συμφωνίας. εἰς γὰρ ἑνὸς λόγου συμπλήρωσιν πνευματωθέντες οἱ ὄχλοι, μίαν ὁμόφωνον τῆς θεολογίας ᾠδὴν ἀνεκρούσαντο, οὐκ ἄλλος ἄλλην ἐπαφιέντες φωνὴν, ἀλλ' ἴσην ἴσοις τοῖς φθόγγοις τὴν εὐφημίαν ἐπιβοώμενοι· ὡσαννὰ, λέγοντες, εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου, βασιλεὺς τοῦ Ἰσραήλ. ὡσανεὶ ἔλεγον, ὅπερ Ναθαναὴλ πρότερον Φιλίππῳ τὸν Χριστὸν αὐτῷ [3] δείξαντος, οὐ προφητεύων, ἀλλὰ ἀληθεύων· ῥαββὶ, σὺ εἶ ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ· σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τοῦ Ἰσραήλ.

Εἶδες ὅσα τὸ πνεῦμα δίδωσιν; εἶδες οἷα νηπίοις χαρίζεται νομοθετῶν καὶ διδάσκων ἃ μὴ μεμαθήκασι; ὅρα καὶ ἰδιώτας ἄνδρας κρείττονος ἢ κατὰ ῥήτορας ἀξιουμένους γνώσεως, γέροντας δὲ τοῖς ἐπὶ σοφίᾳ καὶ πολυμαθίᾳ μεγάλα φρονοῦντας, ἀπείρους αἴφνης ἐλεγχομένους, καὶ νόμων ἀμοιροῦντας Μωϋσέως. ἦλθον τοίνυν αὐτὸν ἐκεῖνον διερωτᾷν. ἀνθ' ὅτου πρὸς τοσοῦτον τυφλώσεως ἤλασαν, ὥστε μηδὲ νηπίων ἴσα σωφρονεῖν δύνασθαι, μηδὲ ἀνδρῶν ἀμαθῶν ὁμοίως διαβλέψαι τῆς ἀληθείας τὸ φῶς; εἴπατε γὰρ, ὦ νωθεῖς, πόθεν ἡ τοιαύτη σοφία βρέφεσι, μήπω διαρθροῦν τὴν γλῶσσαν δεδιδαγμένοις κεχάρισται; πόθεν τοῖς ὄχλοις τὰ τῆς θεολογίας ἐνεσπάρη μυστήρια; μετὰ τῶν ἀγγέλων τὰ τῶν ἀγγέλων ἀνύμνησαν· μετὰ τῶν Χερουβὶμ ἐδόξασαν· μετὰ τῶν Σεραφὶμ ᾔνεσαν, οὐ πυρίνοις, πηλίνοις δὲ χείλεσι τὸν φοβερὸν ἐκεῖνον ὕμνον προσανατείναντες τῷ δι' ἡμᾶς ἄνωθεν πρὸς ἡμᾶς ἐλθόντι, τὸν ὑπὲρ ἡμῶν ἀνθ' ἡμῶν ὑποστήσεσθαι θάνατον. τί δὲ καὶ ἔλεγον; ὡσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίστοις· εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου. βλέπεις οὐρανωθέντας τοὺς γηγενεῖς καὶ τὰ ἴσα τοῖς Σεραφὶμ θεολογοῦντας; καὶ τί γὰρ παραδοξότερον τοῦ τὴν ἔμφρικτον ἐκείνην ἐκφαντορίαν ἐπὶ γῆς ᾆσαι τοὺς ἀμαθεῖς μετὰ τῆς ἄνω χορείας, ἵνα καὶ ἀγγέλοις ἐπὶ γῆς περιχορεύωσιν ἄνθρωποι; τί δὲ σχετλιώτερον τοῦ κωφεύσαι πρὸς ταῦτα, καὶ πρὸς τὸ μὴ μεταθέσθαι τὴν ἀβλεψίαν, προσλαβεῖν καὶ τὴν τύφλωσιν; καὶ ὃ τούτου χαλεπώτερον, πρὸς τοσοῦτον ἀναισχυντίας φθάσαι, ὡς καὶ ἀποστομίζειν τολμᾷν τοὺς οὕτω ταῦτα θείως καὶ σεραφικῶς ἐξυμνήσαντας; ἰδόντες γὰρ, φησιν, οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ γραμματεῖς, τὰ θαυμάσια ἃ ἐποίει ὁ Ἰησοῦς, καὶ τοὺς παῖδας κράζοντας· ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβὶδ, ἠγανάκτησαν, καὶ εἶπον αὐτῷ· ἀκούεις τί οὗτοι λέγουσιν; ὁ δὲ Ἰησοῦς λέγει αὐτοῖς· ναί. οὐδέποτε ἀνέγνωτε, ἐκ στόματος νηπίων καὶ θηλαζόντων κατηρτίσω αἶνον; ὑμεῖς δὲ οὐδὲ νηπίων, φησὶν, εὔνοιαν ἐπεδείξασθε, μήτιγε ἀνδρῶν ἐχεφρόνων. οὐδὲ εἰ μή τι ἄλλο, τὴν γε πολιὰν αἰδεσθέντες τὴν ἑαυτῶν, τοὺς ἐν πνεύματι λαλοῦντας ᾐσχύνθητε.

Καὶ καταλιπὼν αὐτοὺς, φησιν, ἐξῆλθεν ἔξω τῆς πόλεως εἰς Βηθανίαν, καὶ ηὐλίσθη ἐκεῖ. ἐπειδὴ

A ba multa, quæ venerat ad diem festum, cum audissent quia venit Jesus Jerosolymam, acceperunt ramos palmarum, & processerunt obviam ei, & clamabant dicentes: Hosanna in altissimis, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel. Papæ laudationem! Papæ symphoniam! Hæc vox, vox Spiritus est. Doctrina est supernæ sapientiæ, non humanæ eruditionis rudimentum. Nam etsi alioqui dissonantia quædam videbatur, concinna illa voce in tantam scissa multitudinem; haud tamen aliud est quam prophetæ, non effrænis omnino oris, aut conspirationis. Ad unum enim complendum sermonem divino Spiritu actæ turbæ, unum theologiæ canticum voce consona præluserunt; non alio B aliam emittente vocem, sed ut omnes pariter æqualibus vocibus fauste acclamarent, dicentes: *Hosanna; Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel*. Velut dicerent, quod prius Nathanael Philippo, ubi ei ostendisset Christum non prophetans, sed vera enuncians: [a] *Rabbi, tu es Filius Dei: tu es Rex Israel.*

Vidistin' quanta Spiritus tribuat? Vidistin' quanta largiatur pueris, legislatorem agens ac docens quæ non didicissent? Vide & idiotas viros majori, quam oratoria possit parari, scientia donatos; senes autem, qui præ sapientia multaque erudi- C tione altum sapiebant, insipientes de repente ostensos & qui legis Mosaicæ expertes essent. Eum itaque ipsum interrogaturi adierunt. Quorsum ad tantam devenerunt cæcitatem, ut neque sicut pueri saperent, neque velut viri rudes literarum, veritatis lumen dispicerent? Nam dicite, o hebetes & tardi, unde tanta hæc sapientia concessa infantibus necdum scientibus in verba formare linguam? Unde turbis insita theologiæ sacramenta? Cum angelis decantarunt angelorum cantica, glorificaverunt cum Cherubim, cum Seraphim laudaverunt, non igneis sed luteis labiis terribile illud canticum ei submittentes, qui ad nos de cælis pro nobis ac nostri loco mortem subiturus venit. Quid enim- D vero loquebantur? [b] *Hosanna in altissimis: Benedictus qui venit in nomine Domini*. Vides ut terrigenæ cælestes evaserint, nec impares Seraphim divina eloquantur? Nam quid magis novum & mirabile, quam ut literarum rudes una cum cælesti choro, hanc in terra terribilem enunciationem ac sententiam canant, ut & homines mixtim angelis tripudient? Quid autem miserabilius, quam ut ad ista velut sine sensu manserint, ac nedum aperuerint oculos ad videndum, sed & cæcitatem asciverint? Quodque adhuc gravius est, eo proruperint inpudentiæ, ut vel sic divine ac seraphice laudantibus os obstruere præsumserint? Ait enim: [c] *Videntes autem principes sacerdotum & Scribæ,* E *mirabilia quæ faciebat* Jesus, *& pueros clamantes: Hosanna Filio David: indignati sunt, & dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Jesus autem dixit eis: Utique. Numquam legistis, quia Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem?* Vos autem inquit, neque infantium, tantum abest ut sensatorum virorum exhibuistis benevolentiam: ac neque vel ipsam vestram reveriti canitiem, iis qui loquerentur in Spiritu, habuistis reverentiam.

[d] *Et relictis illis*, inquit, *abiit foras extra civitatem in Bethaniam, ibique mansit*. Quia enim au-

[a] Joan. I. 49. [b] Matth. xxi. 9. [c] Ibid. ℣. 15. [d] Ibid. ℣. 17.

1. Forte εἰ. 2. Forte ἀκρατοστομίας. 3. Forte δείξαντι.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 675.



γὰρ ἀκούοντες νηπίων στόμασιν, ὡς ἐν ὑψίστοις, ἐπὶ γῆς τὸν ὕψιστον ἀνυμνούμενον, τὰ ὦτα καὶ τὴν καρδίαν ἔβυσαν τοῦ μὴ ἀκοῦσαι μηδὲ συνιέναι τὰ περὶ αὐτοῦ γεγραμμένα, διὰ τοῦτο καταλιπὼν αὐτοὺς, ἐξῆλθεν ἔξω τῆς πόλεως· ἵνα γένηται ὅπερ Ἡσαΐας φησί· καὶ ἐπλήσθη ὁ οἶκος αὐτῶν καπνοῦ. οἶκον λέγει αὐτῶν ἀληθῶς τὴν συναγωγήν. ἧς, ἀφ' οὗπερ τὸ φῶς ὁ Χριστὸς καταλιπὼν αὐτοὺς ἐξελήλυθεν, ἀπεσβέσθη μὲν τὸ φῶς, ἐπλήσθη δὲ καπνοῦ, τοῦ ἐπιπροσθοῦντος τῷ τῆς ψυχῆς ὀπτικῷ σκότος. τοῦτο γὰρ καπνὸς τοῖς κατὰ νοῦν τυφλώττουσι γίνεται. καπνὸς δὲ, ὀργῆς ἀμυντήριον ὥς φησιν ὁ ψάλλων· ἀνέβη καπνὸς ἐν ὀργῇ αὐτοῦ. ἐξῆλθε δὲ ποῦ; εἰς τὴν Βηθανίαν· ἥ τις τροπικῶς οἶκος ὑπακοῆς ἐκλαμβάνεται. ἐπειδὴ γὰρ Ἰουδαῖοι πηρωθέντες τὸν νοῦν, ἀπετυφλώθησαν, καταλιπὼν αὐτοὺς, εἰς τὸν τῆς ὑπακοῆς ἐξελήλυθεν οἶκον· ἐν ᾧπερ ἡμεῖς τὰ ἔθνη πως ἐπιχωριάζοντες, ἔξω τῶν ἀστικῶν τῆς ἀληθῆς γνώσεως νοημάτων, ἀλῆταί τινες τότε καὶ ἀπόλιδες ἦμεν, μήπω τῆς ἁγίας καὶ θεοστιβῆς γῆς πολῖται γενόμενοι. λέγω δὴ τῆς νέας Ἱερουσαλὴμ, ἧς ὅρασις εἰρήνης ἡ εἴσοδος τοῖς εἰσπορευομένοις διὰ τοῦ βαπτίσματος γίνεται. καθαιρόμενοι γὰρ τῷ λουτρῷ τῆς ἀναγεννήσεως τὰς ψυχικὰς κηλῖδας, οὐκέτι τὰς ἐξ αὐτῶν ἁμαρτίας ἀντιμαχομένας ἡμῖν ἔχομεν· ἀλλὰ τῇ κατὰ νοῦν θεωρίᾳ πρὸς τὸν τῆς εἰρήνης ἀποβλέποντες Χριστὸν, Ἱεροσολυμῖται κυρίως καὶ γινόμεθα καὶ λεγόμεθα.

Καὶ Ἰουδαίων μὲν παῖδες, ὅσοι τῷ φωτὶ τοῦ Χριστοῦ διαυγασθῆναι τὸν νοῦν μὴ τεθελήκασιν, οἰμωζέτωσαν καὶ θρηνείτωσαν, πληρούμενοι καπνοῦ καὶ δακρύων. ταῦτα γὰρ συμβαίνειν φιλεῖ τοῖς αἰσθητῶς τῷ καπνῷ πλησιάζουσιν. ἡμεῖς δὲ, ὅσοι τῷ φωτὶ καταυγασθέντες τὴν ἐξ ἁμαρτίας ἐπεισαχθεῖσαν ἀμβλυωπίαν ἀποβεβλήκαμεν, ἴωμεν προθύμως ἐπὶ τὴν συνάντησιν. ἐξέλθωμεν Σόδομα, φύγωμεν τὰ Γομμόρρας ἀπόρρητα, εἰς τὸ ὄρος σωθῶμεν, εἰς Σηγὼρ τῷ ἡλίῳ δυομένῳ συγκαταδύσωμεν. γενέσθω ἡμῖν Σηγὼρ ἡ τοῦ κυρίου ταπείνωσις, καθ' ἣν ἀπειρομεγέθης ὢν τῇ θεότητι, σμικρότατος τῆς καθ' ἡμᾶς ἐν μεθέξει γέγονεν ἀνθρωπότητος, καὶ θρόνον ἔχων τὰ Χερουβὶμ, ἐπὶ πῶλον υἱὸν ὑποζυγίου κεκάθηκεν, ὁ τοῖς Σεραφὶμ ἀθεώρητος. μὴ οὖν τι τῆς προθυμίας ἡμᾶς ἐπιστῇ, τῶν ὅσα κλέπτει τὴν αἴσθησιν· μὴ νύμφη νεόνυμφος, μὴ ἀγρὸς νεώνητος, μὴ Φαρισαίων φόβος, μὴ γραμματέων αἰδὼς, μὴ Καϊάφα θυμός. μή τι μικρὸν ἢ μέγα τὴν τοιαύτην ἡμῖν ἐπικοπτέτω τῆς εὐσεβείας ὁρμὴν, ἀλλ' ὡς Χριστοῦ φίλοι καὶ μύσται καὶ ὀπαδοὶ, Χριστῷ συναντήσωμεν. καλὸν τῷ Χριστῷ συναντῆσαι, καὶ πρὸς τῷ παθεῖν ἐπειγομένῳ συνέψεσθαι. τερπνὸν ἰδεῖν βασιλέα πρᾶον, ὡς ἐπὶ μικρᾶς στιβάδος, πώλῳ ἐνθρονιζόμενον, καὶ τῶν ὑπηκόων ὑπερθανεῖν προαιρούμενον. πιπτέτω τύφος καὶ πᾶς ἐπάρσεως ὄγκος Θεὸν σαρκὶ ταπεινούμενον βλέπων, καὶ πρὸς τὸ παθεῖν ἐπειγόμενον. εἶδεν ᾅδης ἐρωτῶντα· ποῦ τεθείκατε Λάζαρον; καὶ νομίσας ἄνθρωπον εἶναι τὸν ἐρωτῶντα ψιλὸν, προσέκοψε τῇ θεότητι· καὶ πτήξας τὴν φωνὴν τοῦ κελεύσαντος, ὃν πρὸ μικροῦ τυραννικῶς ἀπεσύλησεν, αὐθωρὸν κελευσθεὶς ἀκουσίως ἐξέμεσεν. οὐ γὰρ ἔσθενε πρὸς δεσποτικὴν ἀντιστῆναι φωνήν. ὡς γὰρ μόνον ἐκραύγασεν ὁ διαρπάσας αὐτοῦ τὰ σκῦλα, καταλιπὼν ἐκεῖνος τὸ λάφυρον, πρὸς τὸ ἔσχατον ἐχώρει πέταυρον, οὐκ ἔχων ὅποι τῷ φόβῳ βληθεὶς, ἀποκρύπτοιτο.

Εἶδες οἷα δύναται τὸ ὕψος τῆς ταπεινώσεως; οὐκοῦν ταπεινωθῶμεν, πτωχεύσωμεν, ἵνα πλουτήσω-

A dientes ex infantium ore, velut in altissimis, celebrari cantico in terra Altissimum, aures corque obturaverunt, ut ne audirent vel intelligerent quæ scripta de eo essent. Idcirco *relictis illis*, *abiit foras extra civitatem*: ut quod ait Isaias, accideret: [a] *Et domus eorum repleta est fumo*. Vere domum eorum Synagogam dicit: cujus quidem lumen, ex quo lumen illud Christus iis relictis abiit, extinctum est, & est repleta fumo; qui nimirum obducat tenebras animi oculo. Hoc enim est fumus cæcis mente. Porro fumus est velut iræ præsidium, dicente Psalte: [b] *Ascendit fumus in ira eis*. Quo autem abiit? *In Bethaniam*; quæ moraliter exponitur obedientiæ domus. Quia enim Judæi men- B tis sensibus læsis cæcati erant, illis relictis abiit in domum obedientiæ; in qua hactenus nos Gentes, foris extra veræ scientiæ velut civica sensa morantes, tamquam errones quidam & sine civitate id temporis eramus, necdum sanctæ illius & divini tramitis terræ cives effecti; novæ inquam illius Jerusalem, cujus introitus pacis visio est iis, qui per sacrum baptisma in eam ingrediuntur. Mundatis enim lavacro regenerationis animæ sordibus, haudquaquam ultra inde nobis infesta peccata habemus. Quin mentis contemplatione in Christum, Pacificum illum, respicientes, Hierosolymitæ proprie & efficimur & dicimur.

C At Judæi quidem, quotquot Christi lumine illustrari animo noluerunt, lugeant ac lamententur, fumo & lacrymis pleni. Sic enim iis solet accidere, qui fumo sensibili propiores accedunt. Nos autem, quotquot eo lumine irradiante, inductum peccato ægri visus depulimus vitium, alacres in occursum eamus. Exeamus Sodomis, Gomorrhæ nefanda fugiamus, saluti in monte consulamus. Sole occidente una in Segor occidamus. Sit nobis Segor humilitas Domini; qua immensum magnus deitate, nostræ particeps humanæ naturæ, minimus effectus est, atque Cherubico insidens throno, ipse Seraphim inadspectabilis, super pullum sedit filium subjugalis. Ne quid ergo eorum quæ furantur ac D subtrahunt sensum, alacritatem nostram minuerit: Non uxor quam nuper duxerimus, non ager emtus de novo, non metus Pharisæorum, non Scribarum reverentia, non ira Caiphæ. Ne quid parvum magnumve excitatiorem hunc pietatis cursum hebetaverit: sed ut Christi amici, discipulique ac sectatores, Christo pariter occurramus. Bonum est ut iisdem de Christo studiis occurramus, atque ad passionem properanti simul comites simus. Jucundum, videre Regem mansuetum velut exiguo ferculo, sic pullo insidentem, suaque ipsum sponte pro iis qui morem gerunt, mori eligentem. Concidat fastus omnisque elationis tumor, ubi Deus carne humilis factus, festinusque ad passionem con- E spicitur. Vidit infernus percontantem, [c] *Ubi posuistis Lazarum?* putansque hominem nudum qui percontaretur, in Deitatem offendit, jubentisque consternatus voce, quem paullo ante vi tyrannica fuerat deprædatus, ipsa hora jussus invitus evomuit. Non enim resistere poterat voci Dominicæ. Mox enim ut ejus clamorem emisit qui ipsius diripuit spolia, relicta ille præda, ad ultimum [1] petaurum secessit, non habens ubi timore percussus latebras quæreret.

Vidisti quantum humilitatis sublimitas valeat? Ergo humilitatem sectemur, amplectamur pauper-

a Isa. VI. 4. b Psalm. XVII. 9. c Joan. XI. 34.

1. Πέταυρον, imum, ultimus recessus.

μεν. γευσώμεθα σταυροῦ, ἵνα ζωῆς γλυκασμοῦ ἀπολαύσωμεν. εἴπωμεν καὶ ἡμεῖς τῷ Χριστῷ, εἴπωμεν· εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου, βασιλεὺς τοῦ Ἰσραήλ. ἐπισείσωμεν αὐτῷ καθάπερ βάϊα τὰ ἐπὶ τὸν σταυρὸν ἐξιτήρια. εὐφημήσωμεν οὐ κλάδοις αὐτὸν ἐλαιῶν, ἀλλὰ τοῖς τῆς ἐλεημοσύνης τῆς εἰς ἀλλήλους αὐχήμασιν. ὑποστρώσωμεν αὐτοῦ τοῖς ποσὶν ὡς ἱμάτια, τὰ τῆς καρδίας ἐνθύμια, ἵν᾽ ἐν ἡμῖν βηματίσας, ὅλος ἐντὸς ἡμῶν γένηται, δείξῃ τε ὅλους ἡμᾶς ἐν αὐτῷ, καὶ ὅλον αὐτὸν ἐν ἡμῖν. εἴπωμεν τῇ Σιὼν τὸ προφητικὸν ἐπιφώνημα· θάρσει θύγατερ Σιών, μὴ φοβοῦ· ἰδοὺ ὁ βασιλεύς σου ἔρχεταί σοι πραῢς, καὶ ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ πῶλον ὄνου υἱὸν ὑποζυγίου. ἔρχεται ὁ πανταχοῦ παρὼν καὶ τὰ πάντα πληρῶν, ἵνα τὴν διὰ πάντων ἐν σοὶ σωτηρίαν ἐργάσηται. ἔρχεται ὁ μὴ δικαίους ἐλθὼν καλέσαι, ἀλλὰ ἁμαρτωλοὺς εἰς μετάνοιαν, ἵνα τοὺς τῆς ἁμαρτίας ἀλήτας ἀνακαλέσηται. μὴ φοβοῦ τοίνυν· ὁ Θεὸς ἐν μέσῳ σου, καὶ οὐ σαλευθήσῃ. δέχου χερσὶν ὑπτίοις τὸν ἐπὶ τῶν χειρῶν αὐτοῦ τὰ τείχη σου διαζωγραφήσαντα. δέχου τὸν ἐπὶ τὰς παλάμας αὐτοῦ τοὺς θεμελίους σου κρηπιδώσαντα. δέχου τὸν πάντα ἐφ᾽ ἑαυτὸν ἀναδεξάμενον τὰ ἡμέτερα, τῆς ἁμαρτίας χωρὶς, ἵνα ἐνδαπανήσῃ τοῖς ἑαυτοῦ τὰ ἡμέτερα. εὐφραίνου μῆτερ πόλις Σιών· μὴ φοβοῦ. ἑόρταζε τὰς ἑορτάς σου· ὑπὲρ ἐλέους δόξαζε τὸν ἐν σοὶ πρὸς ἡμᾶς ἐληλυθότα. χαῖρε καὶ αὐτὴ σφόδρα θύγατερ Ἱερουσαλήμ· ἀνύμνησον, σκίρτησον. φωτίζου, φωτίζου· μετὰ Ἡσαΐου τῆς ἱερᾶς ἐπιφωνοῦμέν σοι σάλπιγγος· ἥκει γάρ σοι τὸ φῶς, καὶ ἡ δόξα τοῦ κυρίου ἐπὶ σὲ ἀνατέταλκε.

Ποῖον φῶς; ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον. φῶς τὸ ἀΐδιον, φῶς τὸ ἄχρονον καὶ χρόνῳ παραδειχθὲν, φῶς τὸ σαρκὶ φανερούμενον καὶ φύσει κρυπτόμενον. φῶς τοὺς ποιμένας περιαστράψαν, καὶ μάγους ὁδηγῆσαν. φῶς ὃ ἐν τῷ κόσμῳ ἦν ἀπ᾽ ἀρχῆς, καὶ ὁ κόσμος δι᾽ αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ ὁ κόσμος αὐτὸ οὐκ ἔγνω. φῶς τὸ εἰς τὰ ἴδια ἐλθὸν, καὶ οἱ ἴδιοι αὐτὸ οὐ παρέλαβον. δόξα κυρίου· ποία; ὁ σταυρὸς δηλονότι, ἐν ᾧπερ ἐδοξάσθη ὁ Χριστὸς, τὸ τῆς πατρικῆς δόξης ἀπαύγασμα, καθὼς αὐτὸς πρὸς τῷ πάθει γεγονὼς, φησι· νῦν ἐδοξάσθη ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, καὶ ὁ Θεὸς ἐδοξάσθη ἐν αὐτῷ, καὶ εὐθέως δοξάσει αὐτόν. δόξαν ἐνταῦθα λέγων, τὴν ἐπὶ τὸν σταυρὸν ὕψωσιν. δόξα γὰρ Χριστοῦ ὁ σταυρὸς, καὶ ὕψος αὐτοῦ δηλαδή. φησὶ γάρ· ὅταν ἐγὼ ὑψωθῶ, τότε [2] πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν. οὐκοῦν ὀκνείτω μηδεὶς, μηδὲ ἀναδυέτω συνοδεῦσαι Χριστῷ, τὴν προφητοκτόνον Ἱερουσαλὴμ εἰσοδεύοντι. οὐ ταύτην λέγω τὴν νέαν καὶ καθ᾽ ἡμᾶς, καὶ τῆς ἄνω κατοικίας ἀντίτυπον· ἀλλὰ τὴν ἐκτόποις ἀνοσιουργίαις καταγηράσασαν πόλιν. αὕτη προφητικῶν αἱμάτων ὀφειλέτης, ἐκείνη δεσποτικῶν ὑπηρέτης θαυμάτων. αὕτη βεβήλοις ποσὶ συμπατουμένη, ἐκείνη ποσὶ δεσποτικοῖς προσκυνουμένη. αὕτη θυσιῶν ἐναίμων ἀπόζουσα, ἐκείνη δεσποτικῆς θυσίας μυρίζουσα.

Ταύτῃ τοίνυν ἐπιβαίνοντι τῷ Χριστῷ συνεισέλθωμεν· μετὰ τῶν ὄχλων προδράμωμεν· μετὰ τῶν εὐφημούντων ἀνευφημήσωμεν· μετὰ τῶν νηπίων ὑμνήσωμεν. ὡς κλάδοις, τοῖς καλοῖς ὑπαντήσωμεν ἔργοις. ὡς βαΐοις, τοῖς σεμνοῖς εἰσδεξώμεθα βίοις. Ἰουδαῖοι μαινέσθωσαν· Ἄννας καὶ Καϊά-

A tatem ut efficiamur divites. Gustemus crucem ut vitæ consequamur dulcedinem. Dicamus & nos Christo, dicamus: *Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel*. Intendamus in eum ceu ramos palmarum, [1] supremos in cruce sermones. Fauste prosequamur non olivarum ramis, sed eleemosynæ in nos invicem gloriationibus. Substernamus vestimentorum instar ejus pedibus cordis desideria, ut gressum in nobis ponens totus intra nos fiat, totosque nos in se ipse, seque in nobis totum exhibeat. Dicamus Sioni eam Prophetæ acclamationem: Confide filia Sion, ne timueris: [a] *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, ac sedens supra pullum, filium subjugalis*. Venit, qui est B in omni loco præsens, & implet omnia, ut omnium in te operetur salutem. Venit is, *qui non venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam*, ut peccato errones revocet. Ne ergo timueris. Est *Deus in medio tui, nec commoveberis*. Suscipe eum supinis manibus qui tua mœnia in suis ipse manibus depinxit. Eum suscipe, qui fundamenta tua, in suis palmis fundavit. Eum suscipe qui in se nostra omnia, uno demto peccato, suis ipse nostra absumturus recepit. Lætare mater civitas Sion: ne timeas: *Celebra festivitates tuas*. Eum glorifica super misericordia, qui ad nos venit in te. Sed & ipsa gaude vehementer filia Jerusalem, decanta, tripudia. [b] *Illuminare, illuminare* (in C hunc acclamamus modum cum Isaia, sacra illa tuba) *quia venit tibi lumen, & gloria Domini super te orta est*.

Quodnam illud lumen? Nempe, [c] *quod illuminat omnem hominem venientem in mundum*. Lumen inquam sempiternum, lumen sine tempore & in tempore exhibitum, lumen carne manifestatum & natura occultum, lumen quod circumfulsit pastores, & Magis dux viæ fuit. Lumen quod erat in mundo a principio, per quod factus est mundus, nec mundus ipsum cognovit. Lumen quod venit in propria, & sui illud non receperunt. *Gloria Domini*; quænam illa? Utique crux, in qua Christus glorificatus est: ille inquam paterD næ gloriæ splendor, quemadmodum ipse cum passio immineret, dixit: [d] *Nunc glorificatus est filius hominis: & Deus glorificatus est in eo: & continuo glorificabit eum*. Gloriam hoc loco appellans suam ipsius in cruce exaltationem. Crux enim Christi gloria est, ejusque utique exaltatio. Quippe ait: [e] *Ego cum exaltatus fuero, omnes traham ad meipsum*. Nemo itaque negligat, nemo profectionem una cum Christo detrectet ingrediente in Jerusalem illam occidentem Prophetas. Non hanc novam & nostram, quæ cælestis demorationis figuram præferat, sed eam civitatem, quæ immanibus consenuisset sceleribus. Altera rea est sanguinis Prophetarum, altera administra miraculorum E Domini. Altera profanis pedibus calcatur, altera propter dominicos pedes adoratur. Altera redolet cruenta sacrificia, altera Dominici sacrificii fragrantiam spirat.

Cum Christo igitur ad illam ascendente pariter ingrediamur. Præcurramus cum turbis, cum iis qui fauste acclamant acclamemus. Laudemus cantico cum infantibus. Tamquam ramis arborum, obviam procedamus bonis operibus. Tamquam palmarum spatulis, vitæ rationibus suscipiamus honeste compositis. Judæi insaniant: An-

a Zach. IX. 9. b Isa. LX. 1. c Joan. I. 9. d Joan. XIII. 31. e Joan. XII. 32.

1. Ἐξιτήριος λόγος, *Suidæ sunt* extrema verba ad expeditionem vel mortem abeuntium. *Vid* Suicerum p. 1140.

2. *Sic & alii Codd. legunt. Vid.* Vetstenium.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 675.



φας ῥηγνύσθωσαν· Φαρισαῖοι διαπριέσθωσαν, εἰ δὲ βούλοιντο, καὶ διαῤῥηγνύτωσαν, μὴ τὰ ἱμάτια, τὰ δὲ τοῦ σώματος αἰσθητήρια, περὶ ὧν ὁ θεῖος ψάλλει Δαβίδ. διεσχίσθησαν, καὶ οὐ κατενύγησαν. εἴπωσιν αὐτοὶ πρὸς τοὺς οἰκείους τὴν δόξαν κυρίου θεώμενοι, καὶ τὴν περὶ αὐτοῦ παρὰ τῶν ὄχλων εὐφημίαν οὐ φέροντες· θεωρεῖτε, ὅτι οὐκ ὠφελεῖτε οὐδέν; ἴδε ὁ κόσμος ὅλος ὀπίσω αὐτοῦ ἀπῆλθεν. αὐτοὶ τὴν ἑαυτῶν ἀβελτηρίαν εἰπάτωσαν. αὐτοὶ τὴν οἰκείαν ἀστοχίαν θρυλλείτωσαν· θεωρεῖτε λέγοντες, ὅτι οὐκ ὠφελεῖτε οὐδέν; φεῦ τῆς ἀναλγησίας· φεῦ τῆς πωρώσεως. ἀδιδάκτοις θεολογίαις ὁρῶσιν αὐτὸν εὐφημούμενον, καὶ μύοντες τοὺς ὀφθαλμοὺς, ἑκουσίως τυφλώττουσι. θεωρεῖτέ φησιν, ὅτι οὐκ ὠφελεῖτε οὐδέν; οὐ πρὸς τοὺς ὄχλους, τοῦτό φησι, τοὺς ὅσοι δι' ἐπιγνώσεως ἔλαβον αὐτὸν, καὶ τῆς αὐτοῦ κατὰ χάριν ἐν μετουσίᾳ γεγόνασι πίστεως· ἀλλὰ πρὸς ἑαυτοὺς καὶ τοὺς ὁμοίως ἔχοντας αὐτοῖς τὸ φρόνημα λαοπλάνους ἀρχιερεῖς, οἳ τοὺς ὄχλους ἀνέπειθον, καὶ οἷον ἐπιστομίζειν ἀναιδῶς ἐπεχείρουν. καὶ γὰρ δὴ προσαπειλοῦντες παρήγγειλαν, ἵνα ὅστις αὐτὸν καλέσει Χριστὸν, ἀποσυνάγωγος γένηται. θεωρεῖτέ φησιν, ὅτι οὐκ ὠφελεῖτε οὐδέν; τοῦτο ὥσπερ μεμφομένων ἐστὶ τοὺς ἀρχιερεῖς, ὅτι μὴ πολὺ πρότερον ἀπεκτείνασιν, ἢ ὅτε τὸν Λάζαρον ἤγειρεν. εἰ γὰρ τοῦτ' ἐγεγόνει τυχὸν, οὐκ ἂν εἰς τοῦτο τάξεως Ἰουδαίας ἤχθη τὰ πράγματα. καὶ πῶς ἂν ἐπληροῦντο αἱ φωναὶ τῶν προφητῶν; καὶ μὴν πολλάκις βουληθέντες βάλλειν ἐπ' αὐτὸν τὰς χεῖρας, οὐ τετολμήκατε. οὔπω γὰρ ἥκει ἡ ὥρα αὐτοῦ. θεωρεῖτέ φησιν, ὅτι οὐκ ὠφελεῖτε οὐδέν; ἴδε, ὁ κόσμος ὅλος ὀπίσω αὐτοῦ ἀπῆλθε. καὶ εἰ ὁ κόσμος ὅλος ὀπίσω τοῦ φωτὸς ἀπῆλθε, τί μὴ καὶ ὑμεῖς τὸ σκότος τῆς ἀγνοίας ἀφέμενοι, ὀπίσω τοῦ φωτὸς ἀποτρέχετε; τί μὴ τῷ φαίνοντι τῆς δικαιοσύνης ἡλίῳ συντρέχετε, τὴν ἐν γράμματι καὶ τύποις σκιὰν παρατρέχοντες; τί μὴ τὸ κάλυμμα τῆς ἀβλεψίας διάραντες, πρὸς τὸ τῆς ἀληθείας ἐπείγεσθε φῶς; ἴδε, φησὶν, ὁ κόσμος ὅλος ὀπίσω αὐτοῦ ἀπῆλθε. τί δέ; οὐκ ἐκ τοῦ κόσμου ὑμεῖς; καὶ τί δῆτα; τοῦ κόσμου παντὸς ἑαυτοὺς ἀποῤῥηγνύντες, οὐ παύεσθε τῆς ζάλης, καὶ τῷ κόσμῳ συντρέχετε πρὸς τὸ τοῦ κόσμου σωτήριον, ἵνα μὴ σὺν τῷ κόσμῳ κατακριθῆτε; κόσμῳ ποίῳ; τῷ μὴ ἐπιγνόντι τὸν ποιήσαντα αὐτὸν, μηδὲ συνιέντι τὸν ὑπὸ τῶν προφητῶν καὶ πάσης ἁπλῶς θεοπνεύστου γραφῆς προκεκηρυγμένον, ὅς ἐστιν ἡ προσδοκία τῶν ἐθνῶν, καὶ τοῦ Ἰσραὴλ ἡ παράκλησις. θεωρεῖτε ὅτι οὐκ ὠφελεῖτε οὐδέν; ἴδε, ὁ κόσμος ὅλος ὀπίσω αὐτοῦ ἀπῆλθε. καὶ εἰ οὐκ ὠφελοῦσιν οὐδὲν, μάτην ὑμῖν τὰ τῆς ἀπονοίας, εἰς κενὸν ὁ ζῆλος, ἀσυντελὴς ἡ ὁρμή. εἰ δὲ ὁ κόσμος ὅλος ὀπίσω αὐτοῦ ἀπῆλθε, τί μὴ καὶ ὑμεῖς τῷ κόσμῳ στοιχοῦντες συντρέχετε; εἰ μή που μὴ ἐκ τοῦ κόσμου τὴν γένεσιν ἔχειν φατὲ, μηδὲ τῆς περὶ τὸν κόσμον εἰληχέναι προνοίας, ἀλλ' ἐξ ἄλλης τυχὸν αἰτίας καὶ φύσεως, λεληθότως μὲν ὑπογραφούσης τὸ αὐτόματον, φανερῶς δὲ συνεισαγούσης τὸ ἄθεον;

Ἀλλ' οὗτοι μὲν μαινέσθωσαν, τοῖς ἑαυτῶν βλασφήμοις λόγοις λιθολευστόμενοι, καὶ τῆς σφῶν κακίας, βάλλοντες καὶ βαλλόμενοι. τοιαῦτα γὰρ τὰ τῶν τοιούτων ἐπίχειρα. ἡμεῖς δὲ τὸ τοῦ Χριστοῦ ποίμνιον, οὓς ὁ πατὴρ ἡγίασε, καὶ ὁ υἱὸς συνεκάλεσε, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπεσφράγισε διὰ τοῦ θείου λουτροῦ τοῦ βαπτίσματος, δεῦρο τὰς Ἰουδαϊκὰς ἀποσεισάμενοι πλάνας καὶ δόξας, πρὸς τὴν μονογενῆ τῆς ἐκκλησίας ἀπλανῶς ἀναδράμωμεν πίστιν, τὴν ὄντως ἀσφαλῆ καὶ δραστήριον· πιστεύοντες εἰς τὸν ἐρχόμενον, ὅς ἐστι Χριστὸς, ἡ χάρις καὶ ἡ ἀλήθεια, δι' οὗ τε τὸν πατέρα ἐγνώκαμεν, καὶ τὴν πρὸς αὐτὸν προσαγωγὴν ἐσχήκαμεν, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. οὕτω γὰρ πεφωτισμένοι τὸν νοῦν, καὶ τὸν πό-

A nas & Caiphas rumpantur: Pharisæi diffecentur; ac si velint, etiam dirumpant, non vestimenta, sed ipsos corporis sensus. In quos nimirum canit admirabilis David: [a] *Perrupti sunt, nec compuncti.* Dicant illi ad suos, videntes gloriam Domini, nec turbarum in eum acclamationes ferentes: [b] *Videtis quia nihil proficitis? Ecce mundus totus post eum abiit.* Dicant ipsimet suam stultitiam: ipsi publicent ut spe sua & opinione frustrentur, dicendo: *Videtis quia nihil proficitis?* Pro vesaniam! Pro stoliditatem! Pro cæcitatem! Vident divinis præconiis instinctu celebratum, claudentesque oculos sponte cæcantur. *Videtis*, inquit, *quia nihil proficitis?* Non hoc dicit ad turbas, ad eos B inquam, qui agnoscentes suscepissent, ejusque fidei per gratiam participes effecti fuissent; sed ad semetipsos, eosque qui pariter saperent, seductores plebis pontifices, qui turbas sollicitarent, eisque velut os obstruere impudenter tentarent. Jam enim comminati fuerant, ut si quis eum vocaret Christum extra synagogam fieret. *Videtis*, inquit, *quia nihil proficitis?* Est ea vox velut vituperantium pontifices, quod non diu antea occidissent, priusquam Lazarum suscitasset. Si enim ita factum esset, non eo forsan res Judææ essent redactæ. Quei enimvero ita implerentur Prophetarum voces? Atqui cum sæpe voluissetis mittere in eum manus, C non estis ausi: *Nondum enim venerat hora ejus. Videtis*, inquit, *quia nihil proficitis? Ecce mundus totus post eum abiit.* Atqui si mundus totus abiit post lucem, quidni & ipsi, abjectis ignorantiæ tenebris, post lucem abire contenditis? Quidni omissa umbra, in scriptura & figuris posita, una curritis cum illucente sole justitiæ? Quidni amoto cæcitatis velamine, ad lumen veritatis properatis? *Ecce*, inquit, *mundus totus post eum abiit.* Quid ita? Numquid & vos non estis de mundo? Quorsum vero, toto vos mundo abrumpentes, non desinitis æstu jactari? Vel cum mundo currite ad mundi Salutare illud, ut ne cum mundo damnemini. Cum quo mundo? Utique cum eo qui non D agnovit authorem suum, nec eum intellexit, qui ante a prophetis, omnique prorsus divinitus inspirata scriptura prædicatus fuit; eum, inquam, qui est exspectatio Gentium, & consolatio Israel. *Videtis quia nihil proficitis? Ecce mundus totus post eum abiit.* Enimvero, siquidem nihil proficiunt, frustra cedit vobis insania, inanis est æmulatio, inutilis impetus. Quod si mundus totus post eum abiit, quidni & ipsi qui mundi vestigiis ingredimini, pariter cucureritis? Nisi vos utique negatis ex mundo ortos, ac providentiæ qua mundus regitur subjectos, forsque vero aliam vobis caussam naturamque asciscitis, qua quidem clanculum ceu prima delineatione adumbretur casus, palam vero ad- E struatur impietas?

Verum insaniant illi suis ipsorum blasphemis verbis ceu lapidibus cæsi, ac malitia sua & vulnerantes & vulnerati. Ejusmodi enim sunt talium conamina. Nos autem Christi grex, quos Pater sanctificavit, Filiusque pariter vocavit, ac Spiritus sanctus divino lavacro baptismi signavit; agite, Judaicis erroribus opinionibusque depulsis, ad unigenam Ecclesiæ fidem veritate curramus, plane illam tutam ac efficacem; credentes in eum qui venturus est, nempe in Christum, qui est gratia & veritas: per quem cognovimus Patrem, & ad eum habuimus accessum, recepimusque Spiritum sanctum. Sic enim animo illuminati, nostrum

a Psalm. xxxiv. 16. b Joan. xii. 19.

θον ἀεὶ τὸν πρὸς αὐτὸν ἐπιτείνοντες, δυνησόμεθα A πανταχοῦ καὶ ἀεὶ συνεῖναι αὐτῷ καὶ συνέπεσθαι. καὶ ὅποι χωρεῖν ὁ ἀχώρητος βούλοιτο, τὸ πρὸς αὐτὸν ἀδιάστατον ἔχειν, πείσεσθαί τι σὺν αὐτῷ προθύμως, καὶ δι' αὐτὸν, ὅσα καὶ δέοι παθεῖν. κἂν ἐκ νεκρῶν ἀναστῇ, συναναστῆναι καὶ συνδοξασθῆναι καὶ συμβασιλεῦσαι βασιλείαν τὴν ἀσάλευτον καὶ ἀτελεύτητον. οὗτος ὁ μισθός· οὗτος ὁ πλοῦτος, ὃν μετὰ Χριστοῦ συναυλία χαρίζεται. αὕτη παρὰ Χριστοῦ τοῖς αὐτῷ κολλωμένοις ἡ ἀμοιβή. τοιαῦτα τοῖς αὐτῷ μαθητευομένοις ὁ Χριστὸς φιλοτιμεῖσθαι βούλεται. οὐδὲν δὲ οἷον καὶ ἡμᾶς ἥδυσμά τι προσθεῖναι τοῖς εἰρημένοις, πρὸς τὴν τῶν ἁπλουστέρων ἀσφάλειαν; προσέσται γὰρ ἴσως αὐτοῖς ἀπώνασθαί τι τῶν καλῶν, καὶ πρὸς πόθον δριμύτερον ἐνάγειν αὐτῶν τὴν διάνοιαν τῆς εἰς Χριστὸν ἀγαπήσεως. B

Δεῦρο οὖν μοι τὴν ἀκοὴν ἐπιτείνας ἀγαπητὲ, τὴν ἠθικὴν τοῦ λόγου διδάχθητι δύναμιν. ἔξεστι γάρ σοι φιλοπόνως ἐπιθυμοῦντι, τὰ Χριστοῦ μιμητικῶς ἀναδέξασθαι πάθη, καὶ διὰ πασῶν ὁδεῦσαι τῶν Χριστοῦ μνήσεων τι καὶ πράξεων, αἷς δηλαδὴ τὰ ἐν ἡμῖν ἐνεκάθηρεν αἴσχη, καὶ τοὺς προσγινομένους σπίλους ἡμῖν ἐκ τῆς ἁμαρτίας, τοῖς ὑπὲρ ἡμῶν αὐτοῦ κατηνάλωσε πάθεσι. βούλει τοίνυν, ἀγαπητὲ, φαιδρῶς ἑορτάσαι, καὶ λαμπροῖς τοῖς ἤθεσι συναντῆσαι καὶ συναφθῆναι Χριστῷ, πρὸς τὸ πάθος ἐπειγομένῳ; λαβὲ σεαυτῷ νοητὴν εἰκόνα, τὴν ἐν καρδίᾳ τυπουμένην μυστικῶς θεωρίαν, καὶ ἀναζωγράφει μοι τῶν τότε πραγμάτων ἀνατύπωσιν. ἡγοῦ συμπαρεῖναι Χριστῷ, τὴν ἐπὶ Βηθανίαν τρίβον ὁ- C δεύοντι. συνάφθητι τῷ δήμῳ τῶν μαθητῶν. ἐννόησον ὅπως ἐπέστη τοῦ οἰχουμένου τῷ μνήματι. δόξον καὶ τὸν Λάζαρον ὁρᾷν, καὶ τὰς Λαζάρου ποτνιωμένας ἀδελφάς· κἀκεῖνα πάντα συλλήβδην ὁρᾷν, ἃ καὶ πέπρακται, εἶτα ἐντεῦθεν, ἕπου Χριστῷ, καὶ παρομάρτει τῷ νικητῇ, τὰ τῆς νίκης ἐπισείων αὐτῷ μετὰ τοῦ πλήθους σύμβολα. γενοῦ τῶν ἀγόντων εἷς, καὶ τῶν ἀκολουθούντων σύνδρομος. ἀντὶ βαΐων τὸν κατ' ἀρετὴν ἐπιδείκνυσο βίον· κλάδους ἐλαιῶν τὰς σὰς ἀπέργασαι χεῖρας ἐκτεινομένας πρὸς ἔλεον. ἱμάτια, μὴ τὰ τῆς σαρκὸς ὑποστρώσῃς, ὡσανεὶ περιβόλαια, τῷ τὸν οὐρανὸν τοῖς νέφεσι συγκαλύπτοντι· ἀλλ' ὅλον σεαυτὸν ὅλῳ διὰ σὲ σαρκωθέντι κατὰ πίστιν ἐνείρας, ὅλον σαυτὸν χιτῶνος ἔν- D δυσαι τρόπον, καὶ ὅλον ὑποδέχου πρὸς σὲ διὰ σὲ ἥκοντα, καὶ παθεῖν ἐπειγόμενον. γενοῦ πῶλος εἰ βούλει, τὸ πωλικὸν ἐν γηραιῷ τῷ φρονήματι ἐνδεικνύμενος πρόθυμον. βάστασον Χριστὸν ἐπὶ τὴν Ἱερουσαλὴμ ἀφικόμενον.

Ἀλλ' ἐρεῖς τάχα· πῶς γένωμαι πῶλος, λογικὸς γεγονώς; ναί· γενήσῃ βουλόμενος. οὐκ ἤκουσας τοῦ Δαβὶδ ψάλλοντος· κτηνώδης ἐγενήθην παρὰ σοί; μίμησαι τὸν πῶλον· μᾶλλον δὲ, πῶλος γενοῦ τῇ κατὰ γνώμην ἁπλότητι. καὶ καθ' ὃν τρόπον ἐκεῖνος τοῖς ἀπεσταλμένοις εἰς Βεθφαγὴ λῦσαί τε καὶ ἀγαγεῖν αὐτὸν εἵπετο, μηδὲν μηδαμῶς ἀντειπὼν, πλὴν τοῦ κλιθῆναι τοῖς ἄγουσιν, οὕτω καὶ αὐτὸς. τῷ παιδοτριβοῦντί σε τὴν κατὰ Χριστὸν ἑλέσθαι ταπείνωσιν ὑποτάγηθι, E πρὸς μηδὲν ἀνθιστάμενος, καὶ πῶλος ὄντως ἔσῃ Χριστοῦ, πάσης κτηνώδους ἀλογίας ἀπηλλαγμένος. οὐκ ἐπὶ γῆς βαδίζων τοῦ γηΐνου φρονήματος. οὐ φόρτῳ καμπτόμενος, τῷ ἄχθει τῶν παραλόγων παθῶν ὡσανεὶ βαρυνόμενος· ἀλλ' ἐπὶ χιτώνων τῶν πρακτικῶν ἔργων ἐπιπορευόμενος, καὶ τῶν τῆς σαρκὸς ἡδονῶν ἐπάνω φερόμενος· πρὸς δὲ, καὶ τῆς κενῆς ἁπάσης δόξης συμπατῶν τὸ διάκενον φύσημα. οὕτω τις πῶλος γίνεται Χριστοῦ. οὕτως ὄχημα τοῦ θρόνου ἔχοντος τὰ Χερουβὶμ πληρωθήσεται. ὁμοιώθητι τοῖς παισὶ τῶν Ἑβραίων. νηπίασον τῇ κακίᾳ. μετάθες τῆς τριχὸς τὴν λευκότητα εἰς νηπίου πρᾳότητα. οὐδὲν ὄφελος

A ſemper ad eum deſiderium intendentes, poterimus ubique ac ſemper cum eo eſſe & aſſectari, eique quem nullus capiat locus, quocumque locorum velit concedere, indiviſe adhærere, alacrique conſtantia cum ipſo pati & propter ipſum, ſi qua ſit patiendum. Ac vel ſi a mortuis reſurrexerit, una reſurgere, & conglorificari, & conregnare, immobili illo regno & immortali. Eſt ea merces, hæ divitiæ, quas Chriſti conſuetudo præbet. Ita Chriſtus retribuit ſibi adhærentibus. Tali in diſcipulos magnificentia utitur. Nihilne vero & ipſi, condimenti inſtar adjicere poterimus dictis ad ſimpliciorum cautelam? Forte enim licuerit aliquam a bonis utilitatem conſequi, animoque acriori caritatis B in Chriſtum deſiderio ſubvehi.

Ades igitur mihi, dilecte, intenta commodata aure, vimque moralem ſermonis edocere. Quippe licet ſtudio cupienti, ut Chriſti paſſiones imitatus ſuſcipias, omneſque Chriſti ſacras inſtitutiones & actiones, quibus nimirum noſtras deformitates mundavit, atque a peccato nobis adnatas maculas ſuis ipſe pro nobis paſſionibus abſumſit, percurras. Vis itaque, dilecte, diem feſtum lætus celebrare, ſplendideque ſplendidis moribus Chriſto ad paſſionem contendenti obviam procedere, eique adhærere? Tibi in teipſo intelligibilem imaginem aſſume, nempe deformatam myſtica ratione in corde contemplationem, mihique rerum tunc geſtarum C ſpeciem depinge. Tibi finge animo una adeſſe Chriſtum qui Bethaniam verſus iter agat. Adjungere diſcipulorum populo. Cogita ut ad defuncti monumentum advenerit. Exiſtima oculis ipſis videre Lazarum, flenteſque ſorores Lazari, ac demum geſta illic omnia coram adſpicere. Tum inde Chriſtum ſequere, eſtoque victori comes, una cum turba prætendens victoriæ ſymbola. Eſto unus eorum qui honore ducunt, parique curſu cum iis contende qui comites ſequuntur. Palmarum ſpatulas, vitam e ratione virtutis inſtitutam oſtendas. Ramos tibi olivarum, extentas manus ad miſerendum efficias. Ne ei carnalia veſtimenta, ceu operimenta ſubſtraveris, *qui cælum nubibus operit*: ſed totum teipſum D toti propter te incarnato fide aptans, totum ipſum veſtis inſtar indue, totumque ad te propter te venientem, atque ad paſſionem feſtinantem ſuſcipe. Si vis, efficere pullus, juvenilem pulli alacritatem in ſenili ſenſu exhibens. Porta Chriſtum euntem in Jeruſalem.

Fortaſſe vero quæſieris: Quei fiam pullus, qui ſim rationalis? Plane efficieris, modo volueris. Non audiſti canentem Davidem: a *Ut jumentum factus ſum apud te?* Imitare pullum; quin efficere pullus mentis ſimplicitate. Ac quemadmodum ille miſſos in Bethphage qui ſe ſolverent & adducerent, ſecutus eſt, nec contradixit omnino, ſed tantum ductoribus inclinavit: ita & tu. Erudienti E ut Chriſti humilitatem amplectaris, teipſum ſubjice, in nullo reſiſtens, eriſque revera pullus Chriſti, ab omni bruta jumenti affectione liber. Non ſuper terram ſenſus terreni gradiens: non incurvus onere, velut irrationalium affectionum gravante onere; ſed qui ſuper veſtes moralium operum inambules, ac ſupra carnis voluptates feraris, ad hæcque, inanis gloriæ inanem faſtum conculces. Sic quis Chriſti pullus evadit. Sic quis illius vehiculum eſt efficiendus, cui ſedes ſunt Cherubim. Similis eſto pueris Hebræorum. Parvulus eſto malitia. Muta canitiem in infantis manſuetudinem. Nihil juvat canities, ſi deſit ſimplicitas. Simul ac-

a Pſalm. LXXII. 23.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 675.



πολιᾶς, μὴ προσούσης ἁπλότητος, συνδράμε τῷ πλήθει· μετὰ τῶν ὄχλων πρὸ τῶν ὄχλων τῷ δεσπότῃ συνόδευσον, ἀνάλαβε στόμα προφητικόν. χόρευσον, ὕμνησον, δόξασον τὸν ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν ἀναγαγόντα σε. γενοῦ Σιὼν, τοῦ θεωρητικοῦ λέγω σκοπευτήριον βίου. γενοῦ Ἱεροσολυμαία ψυχὴ, πόλις ὄντως Θεοῦ, πόλις δεδοξασμένη, ἵνα ὑποδέξῃ Χριστὸν ἐνδημοῦντά σοι. ἰδοὺ γὰρ ἔρχεταί σοι πρᾳῢς καὶ σώσων, ἀλλ' οὐ κομπάζων τὴν εὐεργεσίαν. ἀναπέτασον τῶν χειλέων τὰς πύλας. μετὰ τῶν παίδων ὕμνησον, ὡσαννὰ λέγων· εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου, βασιλεὺς τοῦ Ἰσραήλ. ποίησον τὴν καρδίαν σου ἀνώγεων ἐστρωμένον, ἵνα ὑποδέξῃ Χριστὸν παρὰ σοὶ τὸ δεῖπνον ἐκεῖνον φαγεῖν· οὐ τὸ ἐπὶ Λαζάρου, ἀλλὰ τὸ μυστικὸν, καὶ τοῦ νοητοῦ θύματος ἐκτυποῦν τὴν εἰκόνα. τοῦτο μυστήριον, ἐκεῖνο δακρύων γέμει. ἐκεῖ γυνὴ μυρίζουσα, ὧδε Χριστὸς ὑπὲρ ἡμῶν ἑαυτὸν ἁγιάζων. ἐκεῖ γυνὴ μεγάλας ἁμαρτίας μικροῖς ἀποκαθαίρουσα δάκρυσιν, ἐνθάδε Χριστὸς τῶν μαθητῶν ἀπονίπτων τοὺς πόδας, πρὸς ἔνδειξιν τῆς ὑψηλῆς ταπεινώσεως. ὧδε Χριστὸς τοῦ ἄρτου καὶ τοῦ καινοῦ ποτηρίου τὴν ἀκένωτον χαριζόμενος μέθεξιν, ἐκεῖ Ἰούδας ἀναπείθων τοῦ μύρου τὴν πρόχυσιν, καὶ τοῦ ἀμυνοῦ τὴν πρᾶσιν [1] ταμιουλκῶν.

Ἀλλ' ὅρα μὴ τῷ Χριστῷ συνδειπνῶν, τῷ Ἰούδᾳ συναπαχθῇς, ἐπὶ τὴν τοῦ μύρου σε τιμὴν ἐπισύροντι, μηδὲ τῶν πτωχῶν δῆθεν φροντίζειν πέως οὐ καλῶς συμβουλεύοντι συμπεισθῇς· οὐ γὰρ μέλει τούτων αὐτῷ. ψεύστης ἐστὶ καὶ φιλάργυρος, καὶ κλέπτειν οἰόμενος τὴν τῶν ὁρώντων ὑπόνοιαν, ὡς τὰ ἐν τῷ γλωσσοκόμῳ βαλλόμενα. διὰ τοῦτο τὴν περὶ τοὺς πτωχοὺς προσποιεῖται συμπάθειαν, πλεονεξίας ἐν φιλοπτωχείας προσχήματι ὑποκρινόμενος πρόσωπον. ἂν εἴπῃ, τίς ἡ τοσαύτη τοῦ μύρου ἀπώλεια; ἠδύνατο γὰρ τοῦτο πραθῆναι πολλοῦ καὶ δοθῆναι πτωχοῖς. ἀποπήδησον, μᾶλλον δὲ καταγέλασον αὐτοῦ, ἐπὶ τὸν τοῦ δι' ἡμᾶς πτωχεύσαντος ἐνταφιασμὸν ἀπαιωρήσας σου τὴν διάνοιαν. εἰ δὲ τὸ δεῖπνον τὸ μυστικὸν ἐσθίεις, μὴ σὺν Χριστῷ χαλάσῃς ἐν τῷ τρυβλίῳ τὴν χεῖρα, μηδὲ προπετὴς γένῃ, τοῦ διδασκάλου καταφρονῶν. ἂν ἀκούσῃς· εἷς ἐξ ὑμῶν παραδώσει με· μὴ ἐπιπηδήσῃς, μὴ συνθρασυνθῇς. μετὰ τῶν ταπεινῶν ταπεινώθητι. μετὰ τῶν σιγώντων, σιωπὴν ἄσκει. ἂν δὲ ἐρωτηθῇς, πρᾴως ἀποκρίνου τῷ πάντα γινώσκοντι. καὶ μηδὲν πλέον ἢ καλῶς ἔχει τῶν ἄλλων ὑπερφρονήσῃς, μὴ καὶ αὐτὸς ἀκούσῃς, σὺ εἶπας· καὶ ὅ φησιν ἡ γραφή· ἔλεγξέ σε τὸ σὸν στόμα, καὶ μὴ ἐγώ· τὰ δὲ χείλη σου, κατεμαρτυρήσαισάν σου. πρὸς δὲ τὰ ἑξῆς ὁ λόγος ἴτω.

πτος Ἄννα φαιδρὰ, καὶ γεγανυμένη τῇ τῆς ψυχῆς καταστάσει διαπρυσίως βοᾷ· συγχάρητέ μοι λέγουσα, βλαστὸν ἐπαγγελίας ἐξ ἀκάρπου τεκούσῃ γαστρὸς, καὶ καρπὸν εὐλογίας κατ' εὐχὰς ἐκτρεφούσῃ μαζῷ. ἐξεδυσάμην τὸ στειρώσεως, καὶ τῆς εὐτεκνίας τὸ φαιδρὸν ἠμφιασάμην προκάλυμμα. συγχαιρέτω μοι σήμερον ἡ ἐξάκουστος Ἄννα, ἡ τῆς Φενίνας ἀντίθετος, καὶ τῷ κατ' αὐτὴν ὑποδείγματι τὸ περὶ ἐμὲ παράδοξον ἐπικροτείτω θαῦμα. χορευέτω καὶ Σάῤῥα πρεσβυτικῶς ἀνασκιρτῶσα, καὶ τὴν ἐμὴν ὑπογράφουσα μετὰ στείρωσιν κύησιν. ὑποφωνείτωσαν ἅμα στεῖραι, καὶ ἄγονοι τὴν ἐπ' ἐμοὶ θαυμαστωθεῖσαν οὐρανόθεν ἐπίσκεψιν. εἰπάτω δὴ καὶ πᾶσα μήτηρ, καὶ γόνιμος, εὐλογητὸς ὁ δοὺς εὐχὴν τοῖς εὐχομένοις, καὶ διανοίξας πόρους ἀγόνου μήτρας, καὶ βλαστὸν ἐξ ἀκάρπου γονῆς χαρισάμενος τὴν ὑπερθαύμαστον αὐτοῦ κατὰ σάρκα μητέρα. ἧς ἡ νηδὺς οὐρανὸς, ἐν ᾧ ἐσκήνωσεν ὁ μηδαμοῦ χωρητός.


Συνῳδὰ δὲ τούτοις καὶ ἡμεῖς αὐτῇ τῇ καλουμένῃ στείρᾳ ποτὲ, νῦν δὲ μητρὶ γενομένῃ τοῦ παρθενικοῦ θαλάμου, τὴν εὐφημίαν προσάξωμεν. εἴπωμεν μετὰ τῆς γραφῆς πρὸς αὐτὴν, εἴπωμεν· ὡς μακάριος ὁ οἶκος Δαυΐδ, ἐξ οὗ προελήλυθας· καὶ ἡ νηδὺς, ἐν ᾗ κιβωτὸν ἁγιάσματος Θεὸς ἐτεκτόνευσε, τὴν αὐτὸν ἀσπόρως κυήσασαν. οὕτως σὺ μακαρία, καὶ τρισμακαρία, ἡ θεομακάριστον βρέφος ἐγκυμονήσασα, Μαρίαν τὸ πολυτίμητον ὄνομα, ἐξ ἧς ὁ Χριστὸς τὸ τῆς ζωῆς ἐχρημάτισεν ἄνθος, ἧς καὶ ἡ πρόοδος ἔνδοξος, καὶ ἡ ὠδὶν ὑπερκόσμιος. συγχαίρομέν σοι καὶ ἡμεῖς ὦ πανολβία. τὴν γὰρ πάντων ἡμῶν ἐλπίδα θεοδώρητον ἐπαγγελίας ἀπεκύησας γέννημα. μακαρία εἶ ἀληθῶς, καὶ μακάριος ὁ καρπὸς τῆς κοιλίας σου. μακαρίζονται διὰ σοῦ καὶ γυναῖκες ἀποβαλοῦσαι τὸ ἄγονον, καὶ γενόμεναι μετὰ στείρωσιν γόνιμοι. γλῶσσα δὲ πιστῶν μεγαλύνει σου τὸν βλαστὸν, καὶ λόγος ἅπας εὐφρόσυνος αἰνεῖ σου τὸν τοκετόν. ἄξιον γὰρ ὄντως, καὶ διαφερόντως ἐπάξιον εὐφημεῖσθαι τὴν ἐκ θείας ἐπιφροσύνης ἀξιωθεῖσαν χρησμοῦ, καὶ τοιοῦτον, καὶ τοσοῦτον ἡμῖν ἀποτικοῦσαν καρπὸν, ἐξ οὗ ὁ γλυκὺς Ἰησοῦς προελήλυθεν, ὅλος ὢν γλυκασμὸς, καὶ ὅλος ἐπιθυμία, καὶ τῶν ὀρεκτῶν ἁπάντων ἔσχατον ὀρεκτόν. οὗ εἴπωμεν, ὑπὸ τὴν σκιὰν αὐτοῦ ζησόμεθα, καὶ ὑπὸ ταῖς αὐτοῦ διαναπαυσόμεθα πτέρυξιν. οὗτός ἐστιν ἀληθῶς ὁ διὰ νόμου, καὶ προφητῶν κηρυττόμενος, Χριστὸς Ἰησοῦς ὁ Θεὸς, ἡ χάρις, καὶ ἡ ἀλήθεια. ὃς ἦλθεν ἁμαρτωλοὺς σῶσαι, καὶ πάντας ἀνακαλέσασθαι πρὸς τὴν ἀρχαίαν εὐγένειαν. αὐτῷ ἡ δόξα, καὶ ἡ τιμὴ, καὶ ἡ προσκύνησις παρὰ πάντων ἡμῶν ἀναφέρεται, σὺν τῷ ἀνάρχῳ πατρὶ, καὶ τῷ ζωοποιῷ αὐτοῦ πνεύματι, ἀπὸ τοῦ νῦν, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν.

A munere Anna, lætitia geſtiente animo magnis vocibus ut ab omnibus audiatur, exclamat, congratulamini mihi, inquiens, quæ promiſſionis germen ex alvo ſterili procreavi, & benedictionis fructum, ut in votis erat, papillis meis enutrivi. Triſtem exui ſterilitatis veſtem, lætumque accepi fecunditatis indumentum. Congratuletur mihi hodie celebris illa Anna, Phenennæ æmula; & incredibile miraculum, quod mihi quoque exemplo conſimili obtigit, plauſibus proſequatur. Choreas ducat & Sara ſeniliter exſiliens, meoque conceptui amota ſterilitate ſubſcribat. Adſint ſimul & reliquæ ſteriles, quæ liberos non pepererunt, mecumque divinæ beneficentiæ munus exaltent; quo mirum in modum B viſitare me Dominus dignatus eſt. Dicat & mater omnis, quæ filios peperit; benedictus, qui petita dedit petentibus, ſterilíſque ventris aperuit januam, fructumque ex infecundo ſemine largitus eſt, ſuam ſcilicet ipſius ſecundum carnem præcellentiſſimam matrem; cujus profecto uterus cælum factus eſt, quandoquidem, qui nullo loco excipi poteſt, is in eo contubernium habuit.

Conſonas itaque hiſce laudes & nos perſolvamus ei, quæ ſterilis olim vocabatur, nunc autem virginei thalami mater effecta eſt. Dicamus ad C eam una cum ſacris paginis, dicamus; Quam felix domus Davidis, ex qua provenisti! Quam felix venter tuus, in quo ſanctificationis arcam fabricatus eſt Deus! illam videlicet, quæ ſine ſemine ipſum conciperet. Vere quidem beata es, ac ter beata, quæ divinis muneribus cumulatam puellam genuiſti, Mariam inquam, magnum illud nomen, omni laude, omnique honore proſequendum; ex qua Chriſtus vitæ flos erupit; cujus & incrementum glorioſum, & præclariſſimum puerperium. Gratulamur tibi & nos, o beatiſſima. Noſtram ſiquidem omnium ſpem divinitus datam, promiſſamque prolem edidiſti. Beata profecto es, ventriſque tui beatus fructus. Per te mulieres, D quæ numquam genuerunt, prolem concipiunt, fecundæque poſt diuturnam ſterilitatem fiunt. Fidelium lingua germen tuum extollit, omniſque ſermo exſultantibus animis partum tuum collaudat. Nam dignum eſt, maximeque dignum fauſtis eam vocibus celebrare, quæ divinæ providentiæ conſilio digna habita eſt cæleſtis oraculi reſponſione; quæ talem, tantumque nobis protulit fructum, ex quo dulcis Jeſus exortus eſt, omni dulcedine dulcior, totus deſiderabilis, omniumque deſiderabilium ultimum deſiderabile. Sub ejus umbra nos fore victuros, ejuſque ſub alis mortem obituros ſtatuamus. Ipſe procul dubio eſt, quem lex, & prophetæ prædicarunt, Chriſtus Jeſus, qui Deus eſt, Gratia eſt, Veritas eſt; quique peccatores ſalvos E facere venit, omneſque ad priſtinam generis nobilitatem revocare. Ipſi gloria, & honor, & cultus a nobis omnibus defertur, cum Patre, qui principium non novit, ejuſque Spiritu, qui vitam elargitur, nunc, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Τ Ε Λ Ο Σ.

SÆCUL. VII.
CIRCA
ANN. CHR.
680.



Ι Ω Α Ν Ν Ο Υ

ΑΡΧΙΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΗΣ,

ΕΙΣ ΤΑΣ ΜΥΡΟΦΟΡΟΥΣ ΓΥΝΑΙΚΑΣ·

Καὶ ὅτι οὐδεμία διαφωνία, οὐδὲ ἐναντίωσις ἐν τοῖς Εὐαγγελισταῖς, πρὸς τῆς ἀναστάσεως τοῦ κυρίου ἡμῶν Ιησοῦ Χριστοῦ ἱστορίαν καθήκει.

J O A N N I S

ARCHIEPISCOPI THESSALONICENSIS

IN MULIERES FERENTES UNGUENTA;

Et quod nulla sit in sacris Evangelistis dissensio ac contrarietas, quod ad resurrectionis Domini nostri Jesu Christi historiam spectat.

ΚΑθὼς ἐνεχώρει διεσαφίσαμεν τῇ φιλοχρίστῳ ὑμῶν ἀκοῇ τὰ πρὸ τοῦ πάθους τοῦ δεσποτικοῦ γεγενημένα, συνείραντες τὰ διαφόρως εἰρημένα τοῖς θεοσυμφύτοις Εὐαγγελισταῖς, ὡς ἂν εὐσύνοπτα εἴη· πόσα τε δεῖπνα πρὸ τοῦ πάσχα, καὶ τῆς προδοσίας γεγενῆσθαι ἱστόρησαν· τίνα τε τὰ προσαγαγόντα γυναῖκα τῷ σωτῆρι τὸ μῦρον· καὶ πόσα· ὡς ἐντεῦθεν τὸν λόγον, ἐπὶ τὸ σωτήριον πάθος τοῦ κυρίου καὶ Θεοῦ ἡμῶν Ιησοῦ τὴν ὁρμὴν ἔχειν. ἀλλὰ τοῦτο συντόμως διαδραμεῖν ἐβουλόμην, τοῦ μὴ λύπας συναγμοτόκους ὑμῖν ἐνεργάσασθαι. οἶδα γὰρ ὡς διατρίβοντός μου τῷ λόγῳ περὶ τὰ τότε γενόμενα, λυπηθήσεσθε· οὐ διὰ τὸν παθόντα Θεὸν ἐν σαρκί· θέλων γὰρ δι' ἡμᾶς ταῦτα ὑπέμεινεν· ἀλλὰ διὰ τοὺς ἑαυτοὺς ἀποκτείναντας. ἐλεεῖτε γὰρ καὶ τοὺς ἐχθροὺς ἀπολλυμένους, ὡς μαθηταὶ τοῦ Χριστοῦ. καὶ γὰρ αὐτὸς ἰδὼν τὴν πόλιν ἐδάκρυσε, προβλέπων τὴν ἑλκυσθεῖσαν ἰδίαις αὐτῶν χερσὶ ἐπ' αὐτοὺς συμφορὰν, ὅτε τὰ ἀργύρια τῷ προδότῃ συναναισχυντοῦντες ὑπέσχοντο. ὅτε τὰς χεῖρας ἐπέβαλον ἐπὶ τὴν ζωὴν, καὶ μακροῖς σχοινίοις τὸν αἰώνιον θάνατον ἐπεσπάσαντο. ὅτε τοῦ φθόνου τὸ μέγεθος, καὶ τὰς θεοπαρόχους ἠνάγκασεν αὐτοὺς εὐεργεσίας ἀπώσασθαι. ὅτε καὶ δολίως ἠρώτων αὐτόν· εἰ σὺ εἶ ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, εἰπὲ ἡμῖν. ἵνα καὶ ὁμολογήσαντα τὴν ἀλήθειαν, ὡς βλάσφημον κατακρίνωσι· καὶ μὴ ὁμολογήσαντος, ἀπολογίαν ἕξουσιν, ὡς αὐτοῦ μὴ φανερῶσαι θελήσαντος. διὰ τοῦτο βλέπων τὰς καρδίας αὐτῶν ὡς Θεὸς, εἶπεν αὐτοῖς ὁ δεσπότης· ἐγώ εἰμι. ὁ δὲ ἀρχιερεὺς διέρρηξε τὰ ἱμάτια αὐτοῦ· τίνος χάριν; ὦ τρισκατάρατε. διότι τὴν ἀλήθειαν ἤκουσας; τί οὖν ἠρώτας καὶ μεθ' ὅρκου, εἰ τ' ἀληθὲς ἀκούειν οὐκ ἤθελες; ἀλλ' ὡς εἶπον, ὁ φθόνος γεννᾷ τὸν θυμὸν, ὃς τυφλοῖ τὴν καρδίαν, ὡς πείθειν καὶ τῶν συμφερόντων καταφρονεῖν. ὡς δὲ τὸ σπουδαζόμενον ἤνυσαν, καὶ κατέκριναν τὸν ἀναμάρτητον, οἱ κρίναντες ἀδικίαν εἰς τραῦμα, καὶ μώλωπα αὐτῶν, καὶ παρέδωκαν τῷ Πιλάτῳ, ἐρωτηθέντες παρ' αὐτοῦ· τίνα κατηγορίαν φέρετε κατὰ τοῦ ἀνθρώπου τούτου; ἀπεκρίθησαν. εἰ μὴ ἦν οὗτος κακοποιὸς, οὐκ ἄν σοι παρεδώκαμεν αὐτόν· οὕτω γὰρ Ιωάννης ἱστορεῖ. λέγει αὐτοῖς ὁ Πιλᾶτος· λάβετε αὐτὸν ὑμεῖς, καὶ κατὰ τὸν νόμον κρίνατε αὐτόν.

Διὰ τοῦτο δὲ προστέθεικα τουτὶ τὸ ῥητὸν, ἵνα

A CHristi amanti ac religiosæ concioni vestræ, declaravimus, quam fieri poterat dilucide ea, quæ Dominicam præcesserunt passionem, conferentes varie dicta, divine consertis ac concordibus Evangelistis, quo ea perspicua fierent. Quot nimirum cœnas narraverint ante Pascha ac proditionem exhibitas; quæ item mulieres Salvatori unguentum adhibuerint, ac quot numero; ut deinceps oratio ad salutarem Domini ac Dei nostri Jesu passionem contendat. Ceterum illam paucis velim transcurrere, ne vestris animis male vos habentes tristitias ingeram. Scio enim fore, ut illi me argumento ac rebus id temporis gestis sermone immorante, contristemini: non quia Deus sit passus in carne: (quippe vo- B lens, nostri caussa ea sustinuit:) sed propter eos, qui se ipsi interemerunt. Nam etiam hostium pereuntium miseremini, tamquam Christi discipuli: siquidem ipse etiam [a] *videns civitatem flevit*: calamitatem prospiciens, quam sibi suis illi manibus asciverunt, cum pari cum proditore imprudentia, ei se pecuniam daturos promiserunt: cum manus injecerunt in vitam, longisque funiculis æternam sibi mortem attraxerunt: quando immensus livor etiam subministrata Dei largitate beneficia compulit repellere, quando eum dolo interrogabant: [b] *Si tu es Filius Dei, dic nobis*; ut & confitentem veritatem tamquam blasphemum damnarent; non confitente autem, noluisse ipsum manifestare excusan- C do prætexerent. Quamobrem Dominus, qui eorum corda, velut Deus inspiceret, ait eis: [c] *Ego sum. Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua*. Cujusnam gratia scindis, o ter devote? Num quia audisti veritatem? Cur ergo interrogabas, idque cum adjuratione, siquidem audire veritatem nolebas? Verum, ut dixi, livor iram gignit, qua cæcatur cor, ut & ad eorum quæ sunt utilia, contemtum adducat. Porro ut id perfecerunt, in quod studio incumbebant, ac innocentem damnarunt, judicantes iniquitatem in vulnus & livorem suum, ac Pilato tradiderunt: percontante illo: [d] *Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?* responderunt: [e] *Nisi esset malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Sic enim Joannes narrat: [f] *Dixit eis Pilatus: Accipite eum vos, & secundum legem judicate eum.*

Propterea addidi hocce verbum, ut ne quis le-

a Luc. xix. 41. b Matth. xxvi. 63. c Ibid. ꝟꝟ. 64. 65. d Joan. xviii. 29. e Ibid. ꝟ. 30. f Ibid. ꝟ. 31.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 680.



μὴ προσκόπτοι τις ἀναγινώσκων. τινὰ γὰρ τῶν
εὐαγγελίων ἔχει· καὶ κατὰ τὸν νόμον ὑμῶν κρίνα-
τε αὐτόν. ἔδοξε δέ τισι, μηδὲν διαφέρειν τὸ εἰ-
πεῖν· καὶ κατὰ τὸν νόμον κρίνατε αὐτόν· τοῦ εἰ-
πεῖν, καὶ κατὰ τὸν νόμον ὑμῶν κρίνατε αὐτόν. πάμ-
πολυ δὲ τὸ διάφορον. τὸ μὲν γάρ· λάβετε αὐτὸν ὑ-
μεῖς, καὶ κατὰ τὸν νόμον κρίνατε αὐτόν· τῶν Ρω-
μαίων νόμον δηλοῖ. αὐτὸς γὰρ ἐκράτει καὶ τότε με-
τὰ τῶν ἄλλων ἐθνῶν, καὶ τῶν Ἰουδαίων. τὸ δὲ, καὶ
κατὰ τὸν νόμον ὑμῶν κρίνατε αὐτὸν, τὸν Μωσέως
αἰνίττεται νόμον. καὶ τί ἄτοπόν, φησιν, εἴ τε κατὰ
τὸν Ρωμαίων νόμον, εἴ τε κατὰ Ἑβραίων εἶπεν αὐ-
τοῖς κρῖναι; δίκαιοι γὰρ καὶ ἑκάτεροι. ὡς μὲν πρὸς
Πιλᾶτον, ἄτοπον οὐδέν· πρὸς δὲ τὴν ἐκείνων ἀ-
πόκρισιν, ψευδὲς εὑρίσκεται θάτερον. ποῖον δὴ
τοῦτο; τὸ εἰπεῖν· καὶ κατὰ τὸν νόμον ὑμῶν κρί-
νατε αὐτόν· τί γὰρ ἀπεκρίθησαν Πιλάτῳ οἱ Ἰου-
δαῖοι; εἶπον, ὅτι ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐ-
δένα. δῆλον οὖν, ὅτι πρὸς τὸν Ρωμαίων νόμον
ἀπεκρίθησαν, μὴ ἐξεῖναι αὐτοῖς ἀποκτεῖναι. οὐδὲ
γὰρ εἶχον ξίφους ἐξουσίαν, μὴ ὄντες ἄρχοντες ὀρ-
δινάριοι· ἐπεὶ κατὰ τὸν νόμον Μωσέως [1] ἀπολο-
γεῖται, ὡς εἶχον ἐξουσίαν καὶ λιθοβολεῖν, καὶ ἑτέ-
ραις θανάτων ἰδέαις ὑποβάλλειν τοὺς ἡμαρτηκότας ἄ-
ξια πληγῆς. καὶ ταῦτα μὲν περὶ τοῦ τόπου. ἐπι-
στρέψω δὲ τὸν λόγον ἀχαλινώτως ὁρμῶντα τῇ καλ-
λονῇ τῶν διηγημάτων, πρὸς τὸ προκείμενον. πε-
ρὶ γὰρ τῆς τῶν εὐαγγελιστῶν εἰς τὴν ἀνάστασιν ἱ-
στορίας εἰπεῖν μοι σκοπός. ἐπειδὴ γὰρ οἱ τέσσα-
ρες ἀλλοίως ταύτην ἐξέδωκαν, ἔδοξεν ἐν ὀφθαλ-
μοῖς ἀφρόνων, διαφωνίαν εἶναι τὰ γεγραμμέ-
να, καὶ ψεῦδος λοιπόν· οἱ δὲ ἅγιοι ἡμῶν πα-
τέρες βραχεῖ λόγῳ διέλυσαν τὴν ἐκείνων ἄνοιαν,
ἕκαστον τῶν εὐαγγελιστῶν εἰρηκότες ἰδίαν ἄφι-
ξιν γυναικῶν τε καὶ ἀποστόλων, ἐπὶ τὸ θεῖον
μνημεῖον γεγενημένην ἀνιστορῆσαι κατὰ διαφό-
ρους καιρούς· καὶ μηδένα αὐτῶν τῆς ἄλλου ἐξ-
ηγήσεως ἐπιμνησθῆναι· οὕτω τοῦ παναγίου πνεύ-
ματος τοῦ δι' αὐτῶν λαλοῦντος οἰκονομήσαν-
τος, ἵνα καὶ τῶν τότε γενομένων μηδὲν παρ-
οφθῇ, καὶ τῷ μὴ περὶ τῶν αὐτῶν διειλη-
φέναι πάντας, ἐκφύγωσι τοῦ συνδυασμοῦ τὴν ὑπό-
νοιαν.

Ἀλλ' ἐπεὶ κἂν διαφόρους δῶμεν τοὺς καιροὺς, καὶ
τὰς ἐπὶ τὸ μνῆμα τῶν γυναικῶν ἀφίξεις, ὡς οἱ
πατέρες εἰρήκασιν, ὅμως ἀναρμοστίαν καὶ ἀσυμβα-
σίαν τῶν γεγραμμένων εἰρῆσθαι παρὰ τῶν γυναικῶν,
κατηγοροῦσί τινες, ὑπὸ δαίμονος ἐνηχούμενοι· φέ-
ρε, τῇ ἐπιπνοίᾳ τοῦ [2] πνεύματος Χριστοῦ, τὰ
περὶ τούτων καθάπερ χωροῦμεν διασαφήσωμεν. οἶ-
δα γὰρ ἐν Θεῷ, ὡς ἁρμοζομένων τῶν διαφόρων
καιρῶν, καὶ τῆς τῶν προσώπων ἐπιστασίας, οὐ
προσκόψομεν πρὸς τὰ ῥήματα. τὰ μὲν οὖν τοῦ
πάθους τοῦ δεσποτικοῦ διὰ τὴν προρρηθεῖσαν αἰτίαν
συντόμως διήλθομεν. ἐλέγομεν δὲ, ὡς παρεδό-
θη ὁ κύριος Πιλάτῳ· εἶτα σταυρωθεὶς, ἐπλή-
ρωσε κατὰ τὸ ἀνθρώπινον, ἐτάφη τε, καὶ λίθος
ἐπετέθη μέγας τῷ μνήματι· καὶ αὐτὸς σφραγισθεὶς
ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων, καὶ φυλαττόμενος ὑπὸ στρατιω-
τῶν. πότε ταῦτα; τῇ ἑσπέρᾳ τῆς παρασκευῆς.
σάββατον γὰρ ἐπέφωσκε. πολλαὶ δὲ χρησταὶ, καὶ
κάλλισται γυναῖκες συναναβᾶσαι αὐτῷ ἐκ τῆς Γαλι-
λαίας, εἶδον τὰ γεγονότα, καὶ τὸ μνημεῖον, καὶ
τὴν θέσιν τοῦ σώματος. καὶ τὸ μὲν σάββατον
ὡς γέγραπται, ἡσύχασαν κατὰ τὴν ἐντολήν. ἠ-
γόρασαν δὲ ἀρώματα καὶ μῦρα, ἵνα ἐλθοῦσαι, ἀ-
λείψωσιν αὐτόν· ἐντεῦθεν πρόσχες, ἀγαπητὲ,
τὴν ἁρμονίαν τοῦ πράγματος. ἡτοίμασαν Μαρία ἡ
Μαγδαληνὴ, Ἰωάννα, καὶ Σαλώμη, καὶ αἱ λοιπαὶ

A gens offenderit. Quidam enim Evangelici codices habent: *Et secundum legem vestram judicate eum*. Quidam autem nihil interesse putant; sive dicatur, *Et secundum legem judicate eum*; sive, *Et secundum legem vestram judicate eum*. Quamquam ea quamplurimum differunt. Illud siquidem; *Accipite eum vos, & secundum legem judicate eum*; Romanorum legem significat. Hæc enim cum apud alias nationes, tum apud Judæos tunc obtinebat. Istud autem, *Et secundum legem vestram judicate eum*, innuit Moysis legem. Quid vero, inquit, absonum, sive secundum Romanorum legem, sive secundum Hebræorum judicandum dixerit? quippe lex utraque justa erat. Quod quidem ad Pilatum spectat,
B nihil absurdum: quod vero ad eorum responsionem, falsum invenitur alterum. Quodnam illud? Hoc nimirum; *Et secundum legem vestram judicate eum*. Quid enim Judæi Pilato responderunt? [a] *Nobis non licet interficere quemquam*. Liquet ergo respondisse, non licere eis interficere, spectata Romanorum lege. Non enim habebant potestatem gladii, cum non essent ordinarii magistratus. Nam spectata Moysis lege, constans est habuisse potestatem lapidandi, ac aliis mortis generibus subjiciendi eos, qui digna morte peccassent. Et hæc quidem quod spectat ad loci illius declarationem. Porro, orationis filum in narrationum speciem impetu incitatum, in id convertam quod propositum est. Quippe est constitu-
C tum, ut traditam ab Evangelistis Dominicæ resurrectionis historiam enarrem. Quia enim alio alioque modo eam quatuor Evangelistæ ediderunt, visum est insipientium oculis, dissona esse quæ scripta essent, atque adeo fide nutare, ac falsa esse. Sancti autem patres nostri, paucis verbis totam illorum dissolverunt amentiam; dicendo, singulos Evangelistas, proprium quemdam narrasse mulierum Apostolorumque ad monumentum diversis temporibus adventum; nec illorum quemquam eorum mentionem fecisse, quæ alter narrasset ita Spiritu sancto, qui per eos loquebatur, provide disponente; ut & nihil eorum quæ tunc gesta essent, neglectum esset, quodque non omnes de iisdem tractas-
D sent, conspirationis suspicionem evaderent.

Quia enimvero, tametsi diversa admittimus tempora ac sæpius mulieres monumentum petiisse concedimus, quemadmodum dixerunt patres quidam; nihilominus, insonante eis dæmone, inconsonantiam ac incohærentiam reprehendunt eorum, quæ a mulieribus dicta, conscripta sunt; age, Christi Spiritu afflante, declaremus huc spectantia, prout capimus. Novi enim Deo auspice fore, ut si modo diversa tempora, personarumque visitatio congruant, minime in verbis offendamus. Idcirco igitur paucis percurrimus gesta in Dominica passione. Dicebamus autem, ut Dominus fuerit traditus Pilato; utque deinde affixus cruci, ratione humanitatis
E mortuus sit; nec non ut sepultus, ac magnus lapis monumento appositus, isque a Judæis sigillis munitus, militibus etiam custodientibus. Quando hæc? Nimirum vespera Parasceves. [b] *Sabbatum enim illucescebat*. Multæ autem probæ ac optimæ mulieres, quæ simul ascenderant cum eo de Galilæa, viderunt quæ gesta erant & monumentum, & positionem corporis. [c] *Et sabbato quidem*, sicut scriptum est, *siluerunt secundum mandatum*. Emerunt autem aromata & unguenta, ut venientes, ungerent eum. Hinc tu, dilecte, attende rei cohærentiam. Maria Magdalene, Joanna, & Salome, mulieresque reliquæ, sabbato paraverunt un-

a Joan. XVIII. 31. b Luc. XXIII. 54. c Ibid. ℣. 56.

1 Γρ. ὡμολόγηται.

2. Savilius παναγίου πνεύματος.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 680.



γυναῖκες τὰ μῦρα τῷ σαββάτῳ, ἵνα λοιπὸν τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων ἐλθοῦσαι, ἥ τις ἐστὶν ἡ κυριακή, ἀλείψωσιν αὐτόν. ἀλλὰ Μαρία ἡ τοῦ Ἰακώβου, ἥ τις ἦν ἡ Θεοτόκος· οὕτω γὰρ ἐχρημάτιζε τότε, ὡς μητρυιὰ τοῦ Ἰακώβου τοῦ λεγομένου ἀδελφοῦ τοῦ κυρίου· οὐκ ἐβάστασεν ἀπὸ τῆς ὀδύνης πᾶσαν τὴν μετὰ τὸ σάββατον νύκτα καρτερεῖσθαι· ἀλλ' εὐθὺς ὀψίας σαββάτων, ἦλθεν εἰς τὸ μνημεῖον. τουτέστι βραχὺ μετὰ τὸ σάββατον. ἀμέλει τινὰ τῶν εὐαγγελίων, ὀψὲ σαββάτων ἔχουσιν· ὡς εἰώθαμεν λέγειν, ὀψὲ τῆς ὥρας, καὶ ὀψὲ τοῦ καιροῦ. οὐδὲ γὰρ τῇ ἑσπέρᾳ εὐθὺς τοῦ σαββάτου, ἀλλ' ὀψίας, ἤτοι ὀψὲ σαββάτων. σημαίνει δὲ, τὸ μεσονύκτιον, ἢ καὶ ἔτι βραχύ· τότε γὰρ ἀνέστη κύριος. καὶ πόθεν μοι φῇς; ἐκ τοῦ δεῖν αὐτὸν κατὰ τὴν ἐπαγγελίαν αὐτοῦ, τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστῆναι· τουτέστι τῇ ἁγίᾳ κυριακῇ. αὕτη γὰρ τρίτη ἡμέρα σὺν τῇ παρασκευῇ, ἐν ᾗ ἐσταυρώθη· ἡ δὲ κυριακὴ, ἀπὸ ἑβδόμης ὥρας τῆς νυκτὸς ἄρχεται, καὶ λήγει εἰς τὴν ἕκτην ὥραν τῆς ἑξῆς νυκτός. καὶ οὕτω πᾶσαν ἡμέραν ἀριθμῶν οὐ προσκόψεις τῇ κοσμοποιΐᾳ λεγούσῃ· καὶ ἐγένετο ἑσπέρα, καὶ ἐγένετο πρωῒ ἡμέρα μία. ἡνίκα γὰρ τὸ μέσον τῆς νυκτὸς παρέλθῃ, ὁ ἥλιος ὑποτρέχων τὴν γῆν, εὐθὺς φωτίζει λαμπρῶς τὰ πρὸς ἀνατολὰς μέρη, κἂν ἡμῖν τοῦτο μὴ φαίνηται· καὶ ποιεῖ τὸ λεγόμενον πρωῒ, κατὰ τοὺς ἐκεῖσε οἰκοῦντας. οὕτω γὰρ καὶ τὰ παρ' ἡμῖν πρωϊνὰ, ἄλλοις ἄλλαις καὶ ἄλλαις ὥραις πρὸς τὸν ἐγγυσμὸν τοῦ ἡλίου δείκνυται, καὶ οὐ πᾶσιν ὁμοίως κατὰ ταὐτόν.

Μετὰ γοῦν τὸ μεσονύκτιον ἐπιφωσκούσης κυριακῆς, ἠγέρθη ὁ κύριος ἐκ νεκρῶν, τουτέστι τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ κατὰ τὰς γραφάς· [τὴν δὲ ὥραν αὐτὴν τῆς ἐγέρσεως, οὐδεὶς τῶν εὐαγγελιστῶν ἱστόρησεν. οὐδὲ γὰρ ἐγνώσθη. πάντες γὰρ ἐγηγερμένον αὐτὸν ἀνεγράψαντο.] ἡ οὖν ἁγία παρθένος καὶ Θεοτόκος, ὀδυνωμένη μᾶλλον ἁπάντων, σύνδρομον αὐτῇ περὶ τὴν σπουδὴν εὑροῦσα μόνην Μαρίαν τὴν Μαγδαληνὴν, σπουδαιοτάτη δὲ αὕτη ἡ γυνή· ἀμέλει καὶ παρὰ τοῖς τέτρασι τῶν εὐαγγελιστῶν μνημονεύεται· ἦλθεν εὐθὺς μετὰ τὸ μεσονύκτιον, ἤγουν ὀψίας σαββάτων, εἰς τὸ μνημεῖον. οὐ μετὰ ἀρωμάτων· οὐ γὰρ ἐπεδέχετο ὁ καιρὸς, ἀλλὰ μόνον θεωρῆσαι τὸν τάφον. αὕτη πρώτη ἄφιξις τῶν τιμίων, καὶ ἱερῶν γυναικῶν, ἣν ἱστορεῖ Ματθαῖος ὁ εὐαγγελιστής. εἶτα ἐλθουσῶν αὐτῶν εἰς τὸ μνημεῖον, γίνεται ἄφνω ὁ σεισμός. ὅτε ὁ ἄγγελος ἀποκυλίει τὸν λίθον ἐκ τοῦ μνημείου, καὶ κάθηται ἐπάνω αὐτοῦ. ὁ δὲ κύριος ἤδη ἦν ἐγερθείς. οὐ γὰρ εἶπεν ὁ εὐαγγελιστής, ὅτι ἀποκυλισθέντος τοῦ λίθου, τότε ὁ σωτὴρ ἐξῆλθεν ἐκ τοῦ τάφου· ἀλλ' ὅτι ἀπεκύλισε τὸν λίθον ὁ ἄγγελος, καὶ ἐκάθητο ἐπάνω αὐτοῦ. ὁ γὰρ κύριος ἀφθαρσίᾳ λοιπὸν τὸ οἰκεῖον σῶμα ὡς Θεὸς διαλαμπρύνας, καὶ ὄντος τοῦ λίθου εἰς τὸ μνημεῖον, ἐξῆλθεν· ὥσπερ καὶ τῇ ἑσπέρᾳ εὐθὺ τῆς κυριακῆς αὐτῆς, τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, εἰσῆλθε πρὸς τοὺς μαθητάς. αἱ δὲ δύο γυναῖκες αὗται, ἤγουν ἡ ἁγία παρθένος καὶ Θεοτόκος, καὶ Μαρία ἡ Μαγδαληνὴ, πορευόμεναι μετὰ φόβου, καὶ χαρᾶς μεγάλης ἀπαγγεῖλαι τοῖς ἀποστόλοις, ὅτι ἠγέρθη ὁ κύριος καθὼς εἶπεν αὐταῖς ὁ ἄγγελος, καὶ ὅπως εἰς τὴν Γαλιλαίαν ἀπέλθωσι, καὶ ἐκεῖ αὐτὸν ὄψονται· αὐτοὶ ἀπήντησαν τῷ κυρίῳ Ἰησοῦ τῷ σεσαρκωμένῳ λόγῳ τοῦ Θεοῦ. καὶ εἰπόντος αὐταῖς, χαίρετε, πεσοῦσαι ἐκράτησαν αὐτοῦ τοὺς πόδας, καὶ προσεκύνησαν αὐτῷ. ὁ δὲ κύριος, οὐκ ἐπετίμησεν αὐταῖς ἁψαμέναις αὐτοῦ· ἐν πρώτοις γὰρ αὐτὸν ἐθεάσαντο· ἀλλὰ

A guenta, ut deinceps venientes una sabbatorum, quæ est dies Dominica, ungerent eum. Cæterum Maria Jacobi; ipsa nimirum Deipara, sic enim tunc vocabatur, tamquam noverca Jacobi, qui est dictus frater Domini; urgente doloris vi, haud tulit, ut totam se noctem a sabbato contineret, sed statim [a] *sera tandem a sabbato hora venit* ad monumentum. Hoc est, tarde a sabbato. Sane Evangelici quidam codices habent, *Sero sabbatorum*, ea phrasi, qua consuevimus dicere, *sero horæ*, *sero temporis*. Non enim ipsa statim vespera sabbati, sed sera tandem hora a sabbato, seu *sero sabbatorum*. Porro autem designat mediam noctem, aut etiam plusculum a media deflexam: tunc enim Dominus resur- B rexit. Unde vero id, ais? Ex eo scilicet, quod justa promissionem suam, tertia die resurrecturus esset; hoc est, sacro die dominico. Hæc quippe dies tertia est, computata parasceves die, in qua crucifixus est. Atqui dominica dies, a septima incipit hora noctis, desinitque hora sexta noctis sequentis. Sic vero omnem numerans diem, non offendes, cum in mundi creati historia leges: [b] *Et factum est vespere, & factum est mane, dies unus.* Mox enim ac præteriit media nox, clare sol cursum suum sub terra peragens, partes ad Orientem positas primum illustrat, quamquam nobis minus C appareat: facitque, quod vocant diluculum, quod spectat ad eos, qui eas incolunt oras. Sic enim apud nos quoque diluculum, aliis aliisque horis, pro majori accessu ad solem, non eodem similiter omnibus momento illucescit.

Post mediam itaque noctem surrexit a mortuis Dominus, hoc est, die tertia, secundum scripturas. Ipsam autem diserte resurrectionis horam, nullus Evangelista narravit. Neque enim fuit cognita. Omnes siquidem jam factam resurrectionem scripserunt. Sacra igitur Virgo ac Deipara universis gravius dolens, sola Maria Magdalena sedulæ illius operæ inventa socia: (fuit vero hæc quoque mulier quam maxime sedula; certe alii tres D Evangelistæ illius meminere:) *Venit* statim post medium noctis; hoc est, *sero tandem a sabbato, ad monumentum*: non cum aromatibus; necdum enim ferebat tempus; sed dumtaxat, [c] *videre sepulcrum*. Hic primus est nobilium sacrarumque mulierum adventus, quem Matthæus describit. Ubi autem postmodum ingressæ essent in monumentum, fit repente terræ motus; quando [d] *Angelus revolvit lapidem a monumento, & sedit super eum*. Porro Dominus jam surrexerat. Non enim ait Evangelista, tunc Dominum exisse de sepulcro, cum lapis fuisset revolutus; sed quod *Angelus revolverit lapidem, & sederit super eum*. Dominus siquidem, cum deinceps, divina qua pollebat po- E testate corpus suum immortalitatis dotibus clarificasset, egressus est cum adhuc etiam ad monumentum lapis consisteret: quemadmodum etiam vespera statim diei ejusdem dominicæ, clausis januis ad discipulos ingressus est. Cum porro duæ istæ mulieres; sancta nimirum Virgo & Deipara, ac Maria Magdalena; cum timore & gaudio magno apostolis nunciatum irent, Dominum surrexisse, juxta quod eis dixerat Angelus; & ut irent in Galilæam, ibi eum visuri; & ibi, ipsum Dominum Jesum Dei Verbum incarnatum obviam factum habent, ac dicente illo; [e] *Avete*, procidentes *tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum*. Ceterum Dominus haudquaquam tangentes increpavit, ut quæ tum primum eam viderent: secus

[a] Matth. xxviii. 1. [b] Gen. I. 5. [c] Matth. xxviii. 1. [d] Ibid. ℣. 2. [e] Ibid. ℣. 9.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 680.

τοὐναντίον, καὶ ἀνεκτήσατο, εἰπών· μὴ φοβεῖσθε· ἀλλ' ὑπάγετε, εἴπατε τοῖς ἀδελφοῖς μου, ἵνα ἀπέλθωσιν εἰς τὴν Γαλιλαίαν, καὶ ἐκεῖ με ὄψονται.

Μέχρι τούτου τὰ τοῦ Ματθαίου περὶ τῶν γυναικῶν. ἀπελθοῦσαι οὖν ἐκεῖναι πρὸς τοὺς μαθητὰς, ἀπήγγειλαν αὐτοῖς, καὶ πᾶσι τοῖς μετ' αὐτῶν τὰ τοῦ ἀγγέλου ῥήματα, καὶ τὰ τοῦ κυρίου· καὶ ὡς εἶδον αὐτόν. καὶ οὐ μόνον τοῦτο, ἀλλ' ὅτι καὶ ἐκράτησαν τοὺς πόδας αὐτοῦ. οἱ δὲ ἅγιοι μαθηταὶ ἀπὸ τῆς ἀφάτου θλίψεως τῆς ἐκ τοῦ σταυροῦ, οὐδὲ ἀκοῦσαι αὐτῶν ἠνέσχοντο. καὶ περὶ μὲν τῆς Μαγδαληνῆς, οὐδὲ λόγον οἶμαι ἀφῆκαν· περὶ δὲ τῆς μητρὸς τοῦ κυρίου, ἐπειδὴ ἐτίμων καὶ αἰδοῦντο αὐτὴν, ἔφασαν καθ' ἑαυτοὺς, ὡς ἡ ὑπερβολὴ τῆς θλίψεως τὸν νοῦν αὐτῆς ἐκταράξασα, καὶ τὴν ὅρασιν, καὶ τὴν ἀκοὴν, καὶ τὴν ἀφὴν αὐτῆς ἐξηπάτησεν. ἐκείνη δὲ ἡ καθαρὰ καὶ λελαμπρυσμένη ψυχὴ τῆς παρθένου, πεπεισμένη ἀκριβῶς οἷς εἶδε καὶ ἐψηλάφησεν, ἔμεινεν ἐφ' ἑαυτῇ, μηδὲν μᾶλλον πρὸς τοὺς μαθητὰς πλέον φιλονεικήσασα· μηκέτι δὲ ἀπελθοῦσα εἰς τὸ μνημεῖον, ἀνενδοιάστως τοῖς ὁραθεῖσιν αὐτῇ πεποιθυῖα. ἡ δὲ Μαγδαληνὴ Μαρία, πρῶτον μᾶλλον τοῖς ἀποστόλοις πειθομένη ἤπερ ἑαυτῇ, μικρὰ δέ πως καὶ τῇ μιᾷ ὁράσει μὴ πεπιστευκυῖα, ἀλλὰ πεφαντασιῶσθαι νομίσασα, λαμβάνει σὺν αὐτῇ Ἰωάνναν τινὰ, καὶ Μαρίαν ἄλλην, καὶ ἑτέρας γυναῖκας μετὰ ἀρωμάτων, καὶ ἀπέρχεται πάλιν αὐτῇ τῇ νυκτὶ, ὄρθρου δὲ ὄντος ἔτι βαθέος· τουτέστι πρὸ πολλοῦ τοῦ διαφαύσματος· ἄρτι ὑπὲρ γῆν τοῦ ὄρθρου, ἤγουν τοῦ ἑωσφόρου μόλις φανέντος, καὶ εἰσέρχεται σὺν ταῖς μετ' αὐτῆς εἰς τὸ μνημεῖον. ὁ γὰρ λίθος ἤδη ἀποκεκύλιστο. καὶ τὸ μὲν σῶμα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ οὐχ εὗρον. πῶς γάρ; ἐν ὅσῳ δὲ διαποροῦσι πρὸς ἑαυτὰς, ἰδοὺ ἐπέστησαν αὐταῖς δύο ἄνδρες· ἦσαν δὲ ἄρα ἄγγελοι· ἐν ἐσθήσεσιν ἀπαστραπτούσαις. ἐκείνων δὲ φοβηθεισῶν, οἱ ἄγγελοι οὐ μόνον ὅτι τὸν φόβον αὐτῶν οὐκ ἀνεκτήσαντο, ἀλλὰ καὶ ἐπιπληκτικῶς λέγουσιν αὐταῖς· τί ζητεῖτε τὸν ζῶντα μετὰ τῶν νεκρῶν; οὐκ ἔστιν ὧδε· ἀλλ' ἠγέρθη.

Εὐλογητὸς ὁ Θεός. συνιεῖς ἀγαπητὲ πῶς δηλοῦται, μὴ εἶναι πρώτην κάθοδον ταύτην τῆς τῶν γυναικῶν ἐπὶ τὸ μνημεῖον ἐλεύσεως; ἄτοπον γὰρ ἦν, μηδὲν θεασαμένων τῶν γυναικῶν, μηδὲ ἀκουσασῶν τι περὶ τῆς τοῦ κυρίου ἐγέρσεως, ἐπιπλῆξαι αὐταῖς τοὺς ἀγγέλους, λέγοντας· τί ζητεῖτε τὸν ζῶντα μετὰ τῶν νεκρῶν; ἀλλὰ δῆλον, ὡς προακουσάντων αὐτῶν πάντων παρὰ τῶν αὐτοψεὶ θεωρησασῶν τὸν κύριον, καὶ ἀκουσασῶν, καὶ παρὰ τοῦ ἀγγέλου, καὶ παρ' αὐτοῦ τὴν πρὸς τοὺς μαθητὰς ἀπόκρισιν, καὶ μὴ πιστευσάντων· τούτου χάριν ἐπιτιμῶσιν αὐταῖς ἀρτίως οἱ ἄγγελοι· ἦσαν γὰρ καὶ ἄνδρες τινὲς σὺν ταῖς προρρηθείσαις γυναιξὶν ἐν τῇ δευτέρᾳ ταύτῃ καθόδῳ. τίς ταῦτα λέγων; Λουκᾶς ὁ εὐαγγελιστής. τῇ μιᾷ γάρ φησι τῶν σαββάτων, ὄρθρου βαθέος, ἦλθον γυναῖκες εἰς τὸ μνημεῖον, φέρουσαι ἃ ἡτοίμασαν ἀρώματα, καί τινες σὺν αὐταῖς. εἶτα οὐ μόνον ὅτι ἐπέπληξαν αὐτοῖς οἱ ἄγγελοι, ἀλλὰ καὶ ὠνείδισαν λέγοντες· μνήσθητε ὡς ἐλάλησεν ὑμῖν ἔτι ὢν ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ, λέγων· ὅτι δεῖ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου παραδοθῆναι εἰς χεῖρας ἀνθρώπων ἁμαρτωλῶν, καὶ σταυρωθῆναι, καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστῆναι; καὶ ἐμνήσθησαν, φησι, τῶν ῥημάτων αὐτοῦ. εἶτα πάλιν ἀπελθόντες καὶ οὗτοι, ἄνδρες τε καὶ γυναῖκες σὺν τῇ Μαγδαληνῇ Μαρίᾳ, ἀπήγγειλαν τοῖς μαθηταῖς· τῆς μὲν Μαγδαληνῆς, δεύτερον τὸ μνῆμα θεωρησάσης, τῶν δὲ ἄλλων, ἅπαξ. ἐφάνησαν δέ, φησι, τοῖς μαθηταῖς ὡσεὶ λῆρος τὰ ῥήματα αὐτῶν, καὶ ἠπίστουν αὐταῖς· εἰ δέ τις δια-

A vero, etiam recreavit, dicens: [a] *Nolite timere: Ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam. Ibi me videbunt.*

Hactenus quam Matthæus de mulieribus narrationem instituit. Illæ ergo cum venissent ad discipulos, annunciaverunt eis omnibusque simul collectis verba Angeli, nec non Domini; & ut ipsum vidissent, nec id tantum, sed ut etiam ejus tenuissent pedes. Verum sacrati discipuli præ immensa a cruce afflictione ne quidem sustinuerunt audire: ac quidem quod spectat ad Magdalenam, ne verbum puto emiserunt: quod vero ad matrem Domini, quod eam honore ac reverentia prosequerentur, apud semetipsos dixerunt, exsuperanti af- B flictione turbata mente, visu pariter audituque ac tactu fuisse delusam. Ceterum pura illa ac magnifica Virginis anima, iis quæ vidisset palpassetque omnino persuasa, apud semetipsam mansit; nihil ultra contentiosius cum discipulis disputans. Nec vero amplius ad monumentum reversa est, citra omnem hæsitationem credens, ex iis quæ vidisset. Maria autem Magdalena, cum primum quidem magis Apostolis, quam sibi ipsa credidisset; postmodum vero neque una se visione abunde certiorem factam, sed inani magis spectro delusam putaret; secum assumit Joannam quamdam, ac Mariam aliam, aliasque mulieres, cum aromatibus, abitque rursum ipsa nocte, valde adhuc diluculo, C diu antequam dilucesceret, vix tum primum crepusculo apparente super terram; hoc est, stella matutina; ac una cum sociabus intrat in monumentum: lapis siquidem jam revolutus erat. Ac corpus quidem Jesu non invenerunt. Quei enim? Dum autem ancipiti essent animo, ac secum dubitarent: [b] *Ecce duo viri adstiterunt illis.* Duo utique Angeli *vestibus fulgurantibus*. Dum vero timerent, nedum adhuc Angeli earum timorem minime solati sunt, ut etiam increpationis specie, austeriusque ad eas dixerint: [c] *Quid quæritis viventem cum mortuis? Non est heic; sed surrexit.*

Benedictus Deus. Intelligis, dilecte, ut ostendatur non tunc primum descendentes mulieres ve- D nisse ad monumentum? Absurdum enim erat, cum nihil illæ adhuc de dominica resurrectione vidissent, audivissentque, ut sic eas Angeli increparent, dicentes: *Quid quæritis viventem cum mortuis?* Sed liquido, increpant velut eos qui jam prius omnes ab illis audivissent, quæ ipsæ oculis vidissent Dominum, audivissentque cum ab Angelo, tum ab ipso Domino illam ad discipulos responsionem, nec credidissent. Propterea siquidem eos modo Angeli perstringunt atque increpant. Siquidem etiam viri quidam cum præfatis mulieribus, in secundo hoc ad monumentum descensu, erant. Quis hoc dicit? Lucas nimirum Evangelista: [d] *Una* enim inquit, *sabbatorum, valde di-* E *luculo, venerunt mulieres ad monumentum, portantes quæ paraverant aromata, & quidam cum eis.* Tum vero, non tantum ait Angelos eos increpasse, verum etiam exprobrasse, dicentes: [e] *Recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset, dicens: Quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere? Et recordati sunt*, inquit, *verborum ejus.* Deinde iterum reversi hi, viri pariter ac mulieres cum Maria Magdalena, annunciaverunt discipulis, cum jam Magdalena secundo vidisset monumentum, reliqui autem prima tantum vice. [f] *Visa sunt autem illis*, inquit, *sicut deliramenta verba eorum; & non crediderunt*

a Matth. xxviii. 10. b Luc. xxiv. 4. c Ibid. ℣℣. 5. 6. d Luc. xxiv. 1. e Ibid. ℣℣. 6-8. f Ibid. ℣. 11

πορήσοι, τίνος χάριν ȣ̓κ ἐμνήσθη ὁ εὐαγγελιστὴς ὀνομαστὶ τῶν ἀνδρῶν τῶν ἀπελθόντων σὺν ταῖς γυναιξὶ τῇ δευτέρᾳ καθόδῳ· ὑπονοῶ, ὅτι ȣ̓κ ἦσαν τῶν ἐπισήμων, ἀλλ᾽ ἢ δοῦλοι τῶν γυναικῶν, ἤ τινες τῶν ὑπὸ χεῖρα. ἀμέλει, τοῦ Πέτρου διεγερθέντος, ἐν τῷ δεύτερον λοιπὸν ἀκοῦσαι ϗ παρὰ πλειόνων ὅτι ἀνέστη ὁ κύριος, καὶ ἀπελθόντος εὐθὺς μόνου εἰς τὸ μνημεῖον, ϗ ὁ εὐαγγελιστὴς ῥητῶς ἐμνήσθη, ϗ τὴν προσηγορίαν ἐνέθηκεν, οὕτως εἰπών· ὁ δὲ Πέτρος ἀναστὰς, ἔδραμεν ἐπὶ τὸ μνημεῖον· ϗ παρακύψας, βλέπει τὰ ὀθόνια κείμενα μόνα, ϗ ἀπῆλθε πρὸς ἑαυτὸν θαυμάζων τὸ γεγονός. ϗ σημείωσαι ἀγαπητὲ, ὡς ἐν πρώτοις ἀπελθὼν ἄρτι καὶ μόνος, οὐκ ἐτόλμησεν εἰσελθεῖν εἰς τὸ μνημεῖον· ἀλλὰ παρέκυψε μόνον καὶ εἶδε τὰ ὀθόνια· ἐπεὶ, οὐδὲ τὸν πάντα τόπον ἀκριβῶς εἶδε. μέλλω γὰρ κατωτέρω περὶ τούτου ἀκριβῶς ὑπομιμνήσκειν σε.

Ταῦτα Λουκᾶς ὁ εὐαγγελιστὴς, τὴν δευτέραν ἄφιξιν τῶν γυναικῶν ἀναγράψας λέγει. εἶτα μετὰ τοῦτο, τί; τὸ πνεῦμα Μαρίας τῆς Μαγδαληνῆς ἀνεφλέγετο, διότι ȣ̓κ ἐπίστευσαν οὐδὲ νῦν οἱ μαθηταὶ, οὔτε αὐτῇ, οὔτε ταῖς σὺν αὐτῇ, ἀλλ᾽ ὡσεὶ λῆρον ἔσχον τὰ ῥήματα αὐτῶν. ϗ ἀναστᾶσα μόνη πρωΐας γενομένης, τουτέστιν αὐγαζούσης τῆς ἡμέρας, ϗ τοῦ ὄρθρου λοιπὸν ἐξαφανισθέντος, σκοτίας δὲ ἔτι οὔσης, εἰς τὸ μνημεῖον ἔρχεται τοῦτο ἤδη τρίτον, καὶ βλέπει τὸν λίθον ἠρμένον ἀπὸ τῆς θύρας τοῦ μνημείου. τρέχει οὖν, ϗ ἔρχεται πρὸς τὸν Πέτρον καὶ Ἰωάννην. καὶ βλέπε σύνεσιν γυναικός. ἐθλίβετο κατὰ ψυχὴν, ὅτι σὺν τῇ θεοτόκῳ ἀνήγγειλε τοῖς μαθηταῖς τῇ πρώτῃ καθόδῳ περὶ τῆς ἐγέρσεως τοῦ κυρίου, ϗ ȣ̓κ ἐπιστεύθη. καὶ πάλιν ὄρθρου βαθέος μετὰ τῶν ἄλλων γυναικῶν ϗ ἀνδρῶν, καὶ τότε ὡσεὶ λῆρος ἐφάνη τὰ ῥήματα αὐτῆς. ἐθλίβετο δὲ, οὐχ ὡς ἀπιστηθεῖσα μόνον, ἀλλ᾽ ὅτι οὐδὲ διανέστη τις ἐξ αὐτῶν τοῦ ἀπελθεῖν εἰς τὸ μνημεῖον, ϗ θεωρῆσαι· ἀλλ᾽ εἴτε διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων, εἴτε διὰ τὴν πολλὴν ϗ ἄφατον θλίψιν, ἐκάθηντο σχεδὸν ἅπαντες ὡσεὶ νεκροὶ, μόνου τοῦ Πέτρου μόλις διεγερθέντος τῇ δευτέρᾳ τῶν γυναικῶν ἀπαγγελίᾳ, ϗ ἀπελθόντος ϗ παρακύψαντος μόνον εἰς τὸ μνημεῖον· ἐπεὶ μηδὲ τολμήσαντος εἰσελθεῖν αὐτόθι, ὡς εἴπομεν.

Διά τοι τοίνυν ταῦτα ἡ Μαγδαληνὴ τῷ πνεύματι ζέουσα, καὶ πλήρης οὖσα θείου φρονήματος, ἀπῆλθε πάλιν ὡς εἴρηται, πρωῒ τῇ τρίτῃ καθόδῳ μόνη· καὶ εὑροῦσα τὸν λίθον ἠρμένον ἐκ τοῦ μνημείου, καὶ ὑποστρέψασα πρὸς τοὺς μαθητὰς, ἐβουλεύσατο ἐν ἑαυτῇ ταῦτα· ὅτι ἐὰν εἴπω τοῖς πᾶσι, πάλιν κραυγὴν ἐγερῶ, καὶ μαινομένης ὑπόνοιαν κατ᾽ ἐμαυτῆς. εἰ γὰρ μετ᾽ ἄλλων ἀπαγγείλασα ȣ̓κ ἐπιστεύθην, πῶς μόνη πιστευθήσομαι; μᾶλλον τοῖς ἐξέχουσιν αὐτῶν καὶ θερμοτέροις λαλήσω, Πέτρῳ καὶ Ἰωάννῃ. ἀλλὰ καὶ οὗτοι προήκουσαν περὶ τῆς ἀναστάσεως τοῦ κυρίου· καὶ ὑπὸ τῆς πολλῆς ἀπιστίας διὰ τὸ θαῦμα τοῦ πράγματος, ὡς οὐδὲν ἀκηκοότες γεγόνασι. πῶς οὖν διεγείρω αὐτοὺς εἰς τὸ κἂν ὅλως ἐλθεῖν εἰς τὸ μνημεῖον, καὶ θεωρῆσαι τὸ γεγονός; εὗρον, ὃ πράξω. οὐ λέγω αὐτοῖς, ὅτι ἀνέστη ὁ κύριος· ἐπεὶ πάλιν τοῖς αὐτοῖς ἐμπεσοῦμαι· ἀλλὰ πιθανωτάτην καὶ εὔπιστον ἀπαγγελίαν ἐρῶ αὐτοῖς. ἔρχεται οὖν ἡ Μαγδαληνὴ ὡς εἴρηται, πρὸς Πέτρον καὶ Ἰωάννην, ϗ λέγει αὐτοῖς· ἦραν τὸν κύριον ἐκ τοῦ μνημείου, καὶ οὐκ οἴδαμεν ποῦ ἔθηκαν αὐτόν. ὡσανεὶ ἔλεγε· ἀκούσατέ μου δοῦλοι τοῦ Θεοῦ. εἴτε ἠγέρθη ὁ κύριος ἐκ τῶν νεκρῶν, εἴτε ϗ μὴ, ȣ̓κ οἶδα τί ὑμῖν εἰπεῖν. ἓν δὲ λέγω ὑμῖν ἀκριβῶς, ὅτι τὸ σῶμα αὐτοῦ οὐκ ἔστιν ἐν τῷ μνημείῳ. σπουδὴ οὖν ὑμῖν ὀφείλει γενέσθαι, ἵνα

A *illis*. Quod si quis quærat, quamobrem Evangelista nullam ex nomine mentionem fecerit virorum, qui secunda hac vice mulieribus comites ad sepulcrum ierunt; existimo hoc ideo esse, quod non essent insignes aliqui, sed vel famuli mulierum, vel quidam servi. Sane sacer idem Evangelista diserte meminit Petri, ut secundo deinceps, & a pluribus audiens Dominum resurrexisse, surrexerit, confestimque solus ad monumentum abierit; ac inseruit nomen, ita dicens: [a] *Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum, & procumbens, vidit linteamina sola posita, & abiit secum mirans quod factum fuerat*. Nota vero, dilecte, ut nunc primum solusque abiens, non sit ausus intrare in
B monumentum: sed levius tantum incumbens inspexerit, ac linteamina viderit; non enim accurate locum totum lustravit. De his enim accuratius in sequentibus admonebo.

Hactenus Lucas Evangelista secundum scripsit mulierum ad monumentum accessum. Quid tum vero? Deflagrabat Mariæ Magdalenæ spiritus, quod neque modo discipuli vel ei credidissent, vel ejus sociis, sed eorum verba habuissent sicut deliramenta. Sola itaque, mane facto, surgens, hoc est, die inclarescente, ac cum jam diluculum evanuisset, [b] *venit ad monumentum, cum adhuc tenebræ essent*; hac jam tertia vice; *videtque lapidem sub-*
C *latum ab ostio monumenti*. Currit ergo, & vadit ad Petrum & Joannem. Vide vero fœminæ prudentiam. Dolebat animo, quod primo descensu una cum Deipara annunciasset discipulis Dominicam resurrectionem, nec fidem meruisset: quod item valde diluculo una cum mulieribus virisque, tumque etiam ejus verba visa fuissent sicut deliria. Moleste autem ferebat, non tantum quia non ei habuissent fidem, sed & quod neque eorum quisquam surgens, videndi caussa ad monumentum ivisset; sed vel propter metum Judæorum, vel propter afflictionis immensam vim, omnes velut fere mortui sederent; cum vix tandem Petrus altero mulierum provocatus nuncio, surrexisset, ac le-
D vius tantum in monumentum inspexisset; quippe non ausus intrare, ut illic diximus.

Quamobrem Magdalena fervens spiritu, ac divino plena sensu, abiit iterum, uti dictum est, sola mane jam tertio ad monumentum adventu: cumque invenisset sublatum lapidem a monumento, ac reversa esset ad discipulos, hæc apud se cogitabat. Siquidem universis dixero, rursum excitabo clamorem, mihique insaniæ opinionem conciscam. Cum enim una cum aliis dicens non meruerim fidem, quei sola obtinere possim? Potius iis loquar qui ceteris eminent, ac ferventiores sunt, Petro scilicet atque Joanni. Enimvero etiam hi jam ante audierunt de dominica resurrectione, sicque a multa infidelitate, propter rei admirationem affecti fuerunt, velut nihil audivissent. Qua
E ergo ratione eos provocabo, ut vel saltem ad monumentum proficiscantur, ac quod gestum est videant? Inveni quid faciam. Non dicam Dominum resurrexisse: alioqui in eadem incommoda incidam: longe vero probabilissimum aliquid & promtum ad fidem in nunciis perferam. Abit itaque Magdalena, sicut dictum est, ad Petrum & Joannem, & dicit illis: [c] *Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus ubi posuerunt eum*. Quasi diceret: Audite me servi Dei. Sive Dominus surrexit a mortuis, sive non; nescio quid dicam vobis: unum porro vobis certa fide dico: Non amplius esse ejus corpus in monumento. Proinde ve-

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 680.

a Luc. xxiv. 12. b Joan. xx. 1. c Ibid. ℣. 2.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 680.



γνῶμεν τίς ὁ ἐπάρας αὐτὸ, καὶ ποῦ τέθεικεν. εἶδες σοφίαν γυναικός; εἰ μὴ γὰρ οὕτως εἴπομεν [1] αὐτὴν βεβουλεῦσθαι, ἀτόποις περιπεσούμεθα. πῶς γὰρ ἡ ψηλαφήσασα τοὺς πόδας αὐτοῦ μετὰ τῆς ἁγίας Θεοτόκου Μαρίας, καὶ παρὰ τῶν ἀγγέλων δεύτερον ἀκούσασα ὅτι ἠγέρθη, πάλιν ὡς περὶ νεκροῦ νῦν διηγεῖται, ὅτι ἦραν τὸν κύριόν μου ἐκ τοῦ μνημείου, καὶ οὐκ οἶδα ποῦ τεθείκασιν αὐτόν; ἀλλὰ δῆλον ὡς τεχνικὴ ἦν ἡ [2] ἀπαγγελία αὕτη καὶ σοφή. ἀμέλει καὶ ἔπεισεν εὐθύς. οὐδὲ γὰρ ἦν μέγα τὸ κλαπῆναι τὸ σῶμα ἐκ τοῦ μνημείου.

Ὥρμησαν οὖν εὐθὺς οἱ δύο ἐπὶ τὸ μνημεῖον. συνηκολούθησε δὲ αὐτοῖς καὶ ἡ θαυμαστὴ ἐκείνη γυνή. εἶτα εἰσῆλθον οἱ δύο μαθηταὶ εἰς τὸ μνημεῖον, καὶ εἶδον τά τε ὀθόνια κείμενα, καὶ τὸ σουδάριον, ὃ ἦν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ, χωρὶς ἐντετυλιγμένον, τὸ δὲ σῶμα, οὐδαμοῦ. τότε οὖν φησιν εἰσῆλθον, καὶ εἶδον, καὶ ἐπίστευσαν, ὅτι ἦραν τὸν κύριον ἐκ τοῦ μνημείου. καὶ γὰρ πρὸ τούτου ἦν ἀπελθὼν ἐκεῖ μόνος ὁ Πέτρος· ἀλλὰ διὰ τὸν φόβον, καὶ τὸ ἔτι εἶναι ἀκροσκοτίαν, τηλαυγῶς τὸν τόπον οὐκ ἐθεώρησεν, ὡς νῦν πρωΐας γενομένης. εἶδον οὖν τότε ἀμφότεροι καὶ ἐπίστευσαν, ὅτι ἤρθη τὸ σῶμα ὡς εἶπεν ἡ Μαγδαληνή. οὐδὲ γὰρ ὅτι ἠγέρθη ἐπίστευσαν. πόθεν μοι τοῦτο παριστᾷς; αὐτὸς ἐπιφέρει ὁ εὐαγγελιστής, μετὰ τὸ εἰσελθεῖν τὸν Πέτρον εἰς τὸ μνημεῖον, οὕτω λέγων· τότε οὖν εἰσῆλθε καὶ ὁ ἄλλος μαθητὴς ὁ ἐλθὼν πρῶτος εἰς τὸ μνημεῖον· περὶ ἑαυτοῦ λέγει· καὶ εἶδε, καὶ ἐπίστευσε· οὐδέπω γὰρ ᾔδεισαν τὴν γραφήν, ὅτι δεῖ αὐτὸν ἐκ νεκρῶν ἀναστῆναι. ἀπῆλθον οὖν πάλιν πρὸς ἑαυτοὺς οἱ μαθηταί. ἀπῆλθον δὲ, πῶς; μηδὲν περὶ τῆς ἀναστάσεως πιστεύσαντες. ἀμέλει, καὶ τὴν τηλικαύτην Μαρίαν, καίτοι τοσαῦτα θεωρήσασαν καὶ ἀκούσασαν, εἰς ἐνδοιασμὸν ἔβαλον· ἀπὸ ἄκρας εὐλαβείας ταῦτα λογισαμένην· ὅτι μέχρι μὲν τοῦ νῦν ἐδόκουν τί ποτε ἀσφαλὲς φρονεῖν, τῶν ἀποστόλων μὴ θεασαμένων τὸ μνημεῖον, καὶ ἀπιστούντων τῇ ἀναστάσει· ἀφ' οὗ δὲ ἀρτίως καὶ θεωρήσαντες μὴ ὂν ἐνταῦθα τὸ σῶμα, ἔτι τῇ αὐτῇ γνώμῃ κρατοῦνται, δῆλον ὡς ἐγὼ γυνὴ οὖσα φαντάζομαι, καὶ οὐδὲν ἀκριβὲς οὔτε ἀκούω, οὔτε βλέπω· ἀλλ' ἐκεῖνοι θεόθεν πεφωτισμένοι, ἀπλανεῖς διαμένουσι, καὶ οὐκ εὐχερῶς ἀπατῶνται, ὡς γυναῖκες ἡμεῖς. [[3] ἄλλως δὲ καὶ τῶν φυλάκων ἐπιφθασάντων καὶ ἀρξαμένων μετὰ τῶν ἀρχιερέων τὴν συκοφαντίαν ὑφαίνειν κατὰ τῆς ἀναστάσεως· οὕτω γὰρ ἱστορεῖ Ματθαῖος, ὅτι ἰδού τινες τῆς κουστωδίας ἐλθόντες εἰς τὴν πόλιν, ἀπήγγειλαν τοῖς ἀρχιερεῦσιν ἅπαντα τὰ γινόμενα. καὶ μετ' ὀλίγα· καὶ διεφημίσθη ὁ λόγος οὗτος παρὰ Ἰουδαίοις μέχρις τῆς σήμερον. αἰσθομένη πάντως τοιούτου τινὸς ὑποψιθυριζομένου, πέπονθέ τι καὶ ἀνθρώπινον, καὶ τοὺς τῆς ἀμφιβολίας παρεδέξατο λογισμούς.]

Ταύτῃ τοίνυν τῇ γνώμῃ διασεισθεῖσα Μαρία ἡ Μαγδαληνή, ἐπέμεινε κλαίουσα πρὸς τὸ μνημεῖον· καὶ ἀναχωρησάντων Πέτρου καὶ Ἰωάννου, εἶτα παρακύπτει πάλιν εἰς τὸ μνημεῖον, καὶ βλέπει καθημένους δύο ἀγγέλους ἐν λευκοῖς· καὶ ἐρωτηθεῖσα παρ' αὐτῶν· γύναι, τί κλαίεις; ἀπεκρίθη· ὅτι ἦραν τὸν κύριόν μου, καὶ οὐκ οἶδα ποῦ τεθείκασιν αὐτόν. εἶτα καὶ στραφεῖσα ἐν τῷ τοὺς ἀγγέλους ἀναστῆναι τοῦ ἐλθόντος ἐκεῖσε τοῦ κυρίου, καὶ ἰδοῦσα αὐτὸν, οὐκ ἐγνώρισεν. διὰ τί; ἐν ἀφθάρ-

A strum sit, ut curetis scire quis illud sustulerit, ac ubi posuerit. Vidistin' mulieris prudentiam? Nisi enim id eam consilii habuisse dixerimus, in absona prolabemur. Quomodo enim, quæ pedes ejus cum sacra Deipara Maria contrectaverat, jamque secundo ab Angelis resurrexisse audierat, nunc iterum tamquam de mortuo loquens, ait: *Tulerunt Dominum meum de monumento, & nescio ubi posuerunt eum*? Nonne liquet, compositum ex arte nuncium esse, ac captiosum? Certe etiam statim suasit. Neque enim magnum erat, ut corpus furto sublatum esset de monumento.

Profecti itaque sunt statim duo illi ad monumentum; iisque ipsis admirabilis illa mulier comes B accessit. Posthac introierunt duo discipuli in monumentum, videruntque, cum [a] *linteamina posita*, tum *sudarium quod fuerat super caput ejus, seorsim involutum*: corpus autem nusquam invenerunt. Tunc ergo, inquit, [b] *introierunt, & viderunt, & crediderunt*; nempe quod Dominum tulissent de monumento. Prius siquidem solum Petrus eo abierat. Propter nihilominus metum, & quia essent adhuc profundæ tenebræ, non ita perspicue fuerat locum contemplatus, uti modo, postquam jam mane increbuerat. Tunc itaque vident ambo & crediderunt, nimirum fuisse sublatum corpus, uti Magdalena dixerat. Neque enim crediderunt resurrexisse. Unde mihi hoc adstruis? C Ipse Evangelista subjungit, ita loquens postquam Petrus ingressus esset in monumentum: [c] *Tunc ergo introivit & ille alius discipulus, qui venerat primus ad monumentum.* Loquitur is de seipso: *& vidit, & credidit*: [d] *nondum enim sciebant scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere. Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos.* Quo modo abierunt? Nulla resurrectionis fide. Denique adeo quoque egregiam Mariam, tametsi tanta vidisset, audissetque, in dubietatem impulerunt; ita secum ob summam modestiam cogitantem: Hactenus quidem, videbar tutum aliquid sapere, cum necdum Apostoli monumentum vidissent: quando autem, ubi etiam modo viderunt corpus abesse, D in eadem sententia sunt, liquet me, quæ sim fœmina, inani specie deludi, nihilque vere, vel audire, vel aspicere: illi enimvero cælitus illuminati, immunes manent ab errore, nec facile decipiuntur, uti nos fœminæ. Præterea vero, cum jam custodes venissent, ac una cum pontificibus calumniam adversus resurrectionem texere cœpissent; sic enim Matthæus narrat: [e] *Et ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, & nunciaverunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant*: Et post pauca: [f] *Et divulgatum est verbum istud apud Judæos, usque in hodiernum diem*: cum, inquam, aliquid omnino ejusmodi susurratum esset, passa est humanum quid, dubiasque cogitationes E admisit.

Hac igitur existimatione concussa Maria Magdalena, mansit plorans ad monumentum. Cum jam vero Petrus ac Joannes recessissent, inclinans se rursum inspexit in monumentum, videtque duos Angelos sedentes in albis: quibus rogantibus; [g] *Mulier, quid ploras? Respondit: Quia tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum.* Deinde conversa, dum interim veniente illuc Domino Angeli assurrexissent, eum videns, non cognovit. Jam enim deinceps a resurrectione, immortali corpore

a Joan. xx. 6. 7. b Ibid. ṽ. 8. c Ibid. d Ibid. ṽṽ. 9. 10. e Matth. xxviii. 11. f Ibid. ṽ. 15. g Joan. xx. 13.

1. Savilius αὐτῇ· 2. Sav. ἀπολογία. 3. Desunt hæc apud Sav.


τῷ γὰρ ἤδη λοιπὸν σώματι ὁ κύριος μετὰ τὴν ἀνά- A στασιν, καὶ οὐκ ἐγνωρίζετο εἰ μὴ παρ' οἷς ἤθελε, καὶ ὅτε ἐβούλετο. εἶτα καὶ παρ' αὐτοῦ ἐρωτηθεῖσα· γύναι, τί κλαίεις; τίνα ζητεῖς; ἀπεκρίθη ὅμοια τοῖς πρὸς τοὺς ἀγγέλους. νομίσασα γὰρ αὐτὸν ὑπάρχειν τὸν προεστηκότα τοῦ κήπου, ἐν ᾧ ἦν τὸ μνημεῖον, λέγει αὐτῷ· κύριε, εἰ σὺ ἐβάστασας αὐτὸν, εἰπέ μοι ποῦ τέθεικας αὐτὸν, κἀγὼ αὐτὸν ἀρῶ. ταύτην τὴν ἀπόκρισιν καὶ τὴν πρὸς τοὺς ἀγγέλους, οὐκέτι μετὰ μελέτης τινὸς καὶ ὑποκρίσεως ἡ Μαγδαληνὴ ἐποιήσατο, καθάπερ καὶ πρὸς τοὺς μαθητάς. ἐκείνοις μὲν γὰρ ὑπεκρίνετο τὴν ἀγνοοῦσαν, εἰς τὸ διεγεῖραι αὐτοὺς πάντως ἐλθεῖν εἰς τὸ μνημεῖον· ἐπειδὴ δὲ ἦλθον καὶ εἶδον μὴ ὂν ἐκεῖ τὸ σῶμα, καὶ οὐδὲ οὕτως ἐπίστευσαν τῇ ἀναστάσει, λοιπὸν καὶ αὐτὴ ἐτράπη τὴν γνώμην· B καὶ τοῦτο ὡς λίαν εὐλαβὴς παθοῦσα, καὶ τὴν ἀκριβῆ γνῶσιν δοκιμάσασα μᾶλλον ἔχειν τοὺς ἀποστόλους, ἤπερ αὐτήν. τοῖς δὲ ἀγγέλοις, καὶ τῷ δεσπότῃ μετατραπεῖσα λοιπὸν, [[1] ἐπεὶ καὶ παρὰ τῶν στρατιωτῶν, ὡς εἴρηται συκοφαντουμένην ἑώρα τὴν τοῦ κυρίου ἀνάστασιν.] καὶ ἀληθῶς πεπεισμένη, ὡς ἀρθέντος ὑπό τινων τοῦ σώματος ἐκ τοῦ μνημείου, οὕτως ἀπεκρίθη. ἀμέλει ὁ Ἰησοῦς θεωρήσας τὴν καρδίαν αὐτῆς ὡς Θεὸς, ἐπιπληκτικῶς [2] ἐνέκραξεν αὐτῇ· Μαρία· τῆς δὲ λοιπὸν ἐπιγνούσης τὴν φωνὴν αὐτοῦ· δεύτερον γὰρ αὐτῇ ὤφθη τοῦτο· καὶ πεσούσης ὁμοίως τῇ πρώτῃ καθόδῳ πρὸς τοὺς πόδας αὐτοῦ, οὐκέτι εὐμενῶς αὐτῇ προσηνέχθη ὡς τότε· ἀλλὰ καὶ ἀπώσατο, εἰπών· μή μου ἅπτου. καὶ μὴν τὸ πρῶτον ἠτόνησαν καταφιλῆσαι τοὺς C τιμίους καὶ ἀχράντους αὐτοῦ τοὺς πόδας αἱ δύο γυναῖκες· καὶ οὐδὲν τοιοῦτον ἤκουσαν παρ' αὐτοῦ. ὁρᾷς οὖν ὅτι ὡς ἀληθῶς ἀπιστήσασαν αὐτὴν ἀπωθεῖται ὁ σωτὴρ λέγων, μή μου ἅπτου; τότε γὰρ πρώτη κάθοδος ἦν τῆς ἐπιφανείας τοῦ κυρίου· καὶ συνεχώρησεν αὐταῖς ἅπτεσθαι, καὶ καταφιλεῖν ἀφειδῶς τοὺς πόδας αὐτοῦ, ἵνα ὑπὲρ τὴν ὅρασιν, καὶ τὴν ἀκοὴν, τῇ ἁφῇ μᾶλλον πιστωθῶσιν, ὅτι ὁ σταυρωθεὶς, καὶ ταφεὶς ἀνέστη. διὰ γὰρ τοῦτο, καὶ ἀπωθεῖται νῦν ἡ Μαγδαληνὴ παρ' αὐτοῦ, ὡς μετὰ τοσαύτην πίστωσιν μετατραπεῖσα, καὶ ἀκούει· μή μου ἅπτου· οὔπω γὰρ ἀναβέβηκα πρὸς τὸν πατέρα μου· διὰ τούτων τῶν ῥημάτων, καὶ ἐπιτιμᾷ ὡς ἀπιστησάσῃ, καὶ διεγείρει τὸν νοῦν αὐτῆς, ὑπομιμνήσκων τοῦ οὐρανίου πατρὸς, καὶ D πείθων μὴ νομίζειν αὐτὸν εἶναι τοῦτο μόνον τὸ ὁρώμενον, ἄνθρωπον ἐκ νεκρῶν ἐγερθέντα, ἀλλὰ καὶ Θεὸν ὄντως, ὡς υἱὸν Θεοῦ ἀληθινὸν δι' ἡμᾶς ἐνανθρωπήσαντα. εἰπὲ γάρ φησι τοῖς ἀδελφοῖς μου· ἀναβαίνω πρὸς τὸν πατέρα μου καὶ πατέρα ὑμῶν, καὶ Θεόν μου καὶ Θεὸν ὑμῶν. ταῦτα ἀκούσασα καὶ θεωρήσασα ἡ Μαγδαληνὴ, ἔρχεται πρὸς τοὺς μαθητὰς πάντας· καὶ οὐκέτι λέγει, ἦραν τὸν κύριόν μου ἐκ τοῦ μνημείου, ἀλλὰ μετὰ πολλῆς παῤῥησίας καὶ πεποιθήσεως ἦλθε λέγουσα, ὅτι ἑώρακε τὸν κύριον, καὶ ταῦτα εἶπεν αὐτῇ.

Μέχρι τούτου καὶ οὗτος ὁ εὐαγγελιστὴς τὴν τρίτην κάθοδον τῶν εἰς τὸ μνῆμα ἀφίξεων ἐξηγήσατο, γενομένην πρωῒ, ἔτι σκοτίας οὔσης, εἰς τὸ E μνημεῖον. ἔστι δὲ οὗτος, Ἰωάννης ὁ θεολόγος ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς, διὰ πολλὰ, δικαίᾳ κρίσει καὶ θεοπρεπεῖ. λείπεται δὲ ἡ τετάρτη πρὸς τὸ μνημεῖον ἄφιξις τῶν γυναικῶν, ἣν ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος ᾠκονομήθη Μάρκον ἀναγράψαι τὸν εὐαγγελιστήν. καὶ πόθεν μοι φῂς τετάρτην εἶναι τὴν ὑπὸ Μάρκου ἱστορηθεῖσαν; ὁ καιρὸς δηλοῖ· μόνος γὰρ τὰς γυναῖκας ἀπελθεῖν γράφει ἀνατείλαντος ἤδη τοῦ ἡλίου. τί γὰρ καὶ λέγει; Μαρία, φησὶν, ἡ Μαγδαληνή· οἱ τέσσαρες γὰρ αὐτῆς ἐμνήσθησαν,

exſiſtens, non niſi a quibus, ac quando vellet poterat cognoſci. Tum etiam percontante illo; *Mulier, quid ploras? Quem quæris?* eadem atque Angelis reſponſa dedit. Exiſtimans enim horti illius, in quo monumentum erat præfectum eſſe; [a] *dicit illi, domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi ubi poſuiſti eum, & ego eum tollam.* Hanc atque Angelis datam reſponſionem, nullo Magdalena fuco, quæſitave dedit ſimulatione, uti etiam ad diſcipulos habuerat. Ad eos quippe neſcientem ſimulabat, ut omnino petere monumentum induceret: at poſtquam perrexiſſent, ac neque, videntes abeſſe corpus, ſurrexiſſe Dominum crediſſent, ipſa quoque randem de ſententia deceſſit; hoc paſſa tamquam valde modeſta, ac velut Apoſtolos, accuratius quam pro ſua exſilitate, res noſſe exiſtimans. Sic vero Angelis, ac Domino tandem, mutata ſententia, ubi etiam a militibus vidiſſet reſurrectionem paſſam calumniam, ac vere perſuaſum haberet fuiſſe corpus quorumdam opera de monumento ſublatum, reſpondit. Denique Jeſus, qui divina ſcientia ejus cor perſpectum haberet, increpationis ſpecie inclamavit, dicens: [b] *Maria!* ipſa jam porro vocem agnoſcente. Jam enim ſecundo ejuſmodi ei viſio obtigerat: ac velut primo acceſſu ad ejus proruente pedes, haud ei tamen Dominus ſimili lenitate ac prius congreſſus eſt; quin etiam repulit dicens: [c] *Noli me tangere.* Atqui prima tum vice, defixæ in oſcula amplexatæ ſunt pretioſos ac intemeratos pedes ambæ fœminæ, nec ejuſmodi aliquid ab eo audierunt. Vides itaque, ut velut re vera incredulam Salvator ſubmoverit, dicens: *Noli me tangere.* Tunc enim ſe primum Dominus veniens oſtendebat, permiſitque ut profuſe tangerent ac deoſcularentur ejus pedes, ut majori ſupra viſum auditumque fide, a tactu firmarentur, reſurrexiſſe illum, qui cruci affixus ac ſepultus fuiſſet. Idcirco enim etiam modo, ab eo Magdalena repellitur, quod poſt tantam fidem, converſa in contrarium eſſet, auditque: [d] *Noli me tangere: nondum enim aſcendi ad patrem meum.* Quibus verbis, & increpat velut incredulam, ejuſque ſurrigit animum, in memoriam revocans cæleſtem Patrem, ac ſuadens, ut ne id tantum eum putaverit, quod oculis conſpicuum eſſet; nimirum hominem a mortuis ſuſcitatum; ſed & Deum, tamquam Dei verum Filium, hominum cauſſa hominem factum. [e] *Dic* enim, inquit, *fratribus meis: Aſcendo ad patrem meum, & patrem veſtrum; Deum meum & Deum veſtrum.* Hæc ubi Magdalena audiſſet, vidiſſetque, abit ad omnes diſcipulos, nec ultra dicit: *Tulerunt Dominum meum de monumento;* ſed cum multa fiducia certaque perſuaſione, venit dicens: [f] *Quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi.*

Hactenus hic quoque Evangeliſta, tertium enarravit piarum mulierum, [g] *cum adhuc tenebræ eſſent*, ad monumentum deſcenſum: Joannes, inquam, Theologus, *quem* multis ex cauſſis, juſto Jeſus, ac quale Deum deceat, *diligebat* judicio. Supereſt nobis quartus mulierum ad monumentum acceſſus, quem provida Dei diſpoſitione Marcus nobis Evangeliſta conſcripſit. Unde vero, ac quo mihi argumento quartum eis, quem Marcus deſcribit acceſſum? Nimirum, tempus oſtendit: ſolus enim ſcribit abiiſſe Marias, [h] *orto jam ſole.* Quid enim ait? [i] *Maria*, inquit, *Magdalena:* (Omnes enim quatuor Evangeliſtæ illius memine-

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 680.



a Joan. xx. 15. b Ibid. ℣. 16. c Ibid. ℣. 17. d Ibid. e Ibid. f Ibid. ℣. 18.
g Joan. xx. 1. h Marc. xvi. 2. i Ibid. ℣℣. 1. 2.

1 Deſunt in Savilio. 2. Sav. ἐπέκραξεν.

SÆCUL. VII. CIRCA ANN. CHR. 680.



Marinæ feræ in visceribus palmas Jonas decussatim extendens, salutarem passionem sapienter præ-
B figurabat. Iccirco triduanus egressus supernam resurrectionem ad vivum expressit carne crucifixi Christi Dei, & triduana resurrectione mundum illuminantis.

Senio incurvus & morbo confectus surgat Jacob manus decussans, quo virtutem indicet vivificæ crucis. Vetustatem enim legalis adumbrantis literæ nova scriptura exaravit, qui in ea confixus est carne Deus, & animabus exitialem morbum erroris sustulit.

Juvenilibus imponens palmas divinus Israel decussatim capitibus, ostendebat antiquioris gloriæ populum legis cultorem. Cum is in suspicionem venisset quod erravisset, non immutavit vivificum
C typum: Eminebit enim populus Christi Dei recens compactus, clamabat, cruce munitus.

Demens præceptum tyranni impii populos commovit, spirans minarum & blasphemiæ Deo invisæ. Nihilominus tres pueros non perculit ira feralis, non ignis crepitans: sed tamquam resonanti vicissim rorifera in aura, degentes in igne, psallebant: Superlaudabilis patrum & noster Deus, benedictus es.

Lignum degustans primus inter homines, ad corruptionem transiit. Amissione enim vitæ ignominiosissima damnatus, toto generi, ut quis illud suo in corpore portans, veluti pestis, morbum participavit. At reperientes terrigenæ postliminium cru-
D cis in ligno, clamamus: Superlaudabilis patrum & noster Deus benedictus es.

Solvit mandatum Dei inobedientia, & lignum attulerat mortem hominibus, quod importune usurpatum fuerat. Ad securitatem autem pretiosæ vitæ inde lignum prohibetur, quod nocte insidiarum in doloribus morituri benignitas aperuit clamantis: Superlaudabilis patrum & noster Deus, benedictus es.

Virgæ tenet summum Joseph qui futura videt, Israelis regni robur quomodo coaptabit inclita crux præostendens. Ea enim est regibus triumphalis gloriatio, & lumen iis, qui fide clamant: Superlaudabilis patrum & noster Deus benedictus es.

Benedicite pueri numero pares Trinitati: opifi-
E cem Patrem Deum laudate; condescendens Verbum quodque ignem in rorem mutavit; & superexaltate omnibus vitam præbentem Spiritum sanctum in sæcula.

Exaltato ligno asperso sanguine incarnati Verbi Dei, laudate virtutes cælorum hominum revocationem festo celebrantes. Populi adorate Christi crucem, per quam mundo fit resurrectio in sæcula.

Terrigenæ qui manibus dispensatores estis gratiæ, crucem in qua stetit Christus Deus exaltate ut sacerdotes decet, lanceamque Dei Verbi corpus quæ

1. Anth. σαρκὶ pro Χριστῷ. 2. Anth. ἀνορθοῦται. 3. Anth. ζωοφόρου. 4. Anth. οὕτως. 5. Anth. τῷ ξύλον. 6. Anth. νυκτιλόχου .... εὐγνωμοσύνη κράζοντος. 7. Anth. γάρ ἐστι. 8. Anth. ἔστη.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 725.



ἔθνη πάντα τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ δοξάζοντες εἰς τοὺς αἰῶνας.

ΟΙ τῇ θείᾳ ψήφῳ προκριθέντες ἀγάλλεσθε. χριστιανῶν πιστοὶ βασιλεῖς καυχᾶσθε, [1] τὸ τροπαιοφόρον ὅπλον λαχόντες θεόθεν, σταυρὸν τὸν τίμιον. ἐν τούτῳ γὰρ φῦλα πολέμων θράσος [2] ἐπιζημιοῦντες, σκεδάννυνται εἰς τοὺς αἰῶνας.

ΜΥστικὸς εἶ θεοτόκε παράδεισος ἀγεωργήτως βλαστήσασα Χριστὸν, ὑφ' οὗ τὸ τοῦ σταυροῦ ζωηφόρον ἐν γῇ πεφυτούργηται δένδρον. [3] δι' οὗ νῦν ὑψουμένου, προσκυνοῦντες αὐτὸν, σὲ μεγαλύνομεν.

ΑΓαλλέσθω τὰ δρυμοῦ ξύλα σύμπαντα· ἁγιασθείσης τῆς φύσεως αὐτῶν, ὑφ' οὗπερ ἐξ ἀρχῆς ἐφυτεύθη Χριστοῦ ταθέντος ἐν ξύλῳ· δι' οὗ νῦν ὑψουμένου, προσκυνοῦντες αὐτὸν, σὲ μεγαλύνομεν.

ΙΕρὸν ἠγέρθη κέρας θεόφροσι τῆς κεφαλῆς τῶν ἁπάντων, ὁ σταυρός· ἐν ᾧ ἁμαρτωλῶν νοουμένων συνθλῶνται τὰ κέρατα πάντα· δι' οὗ νῦν ὑψουμένου προσκυνοῦμεν [4] Χριστὸν, καὶ μεγαλύνομεν.

[5] Ο διὰ βρώσεως τοῦ ξύλου τῷ γένει προσγενόμενος θάνατος, διὰ σταυροῦ κατήργηται σήμερον. τῆς γὰρ προμήτορος ἡ παγγενὴς κατάρα διαλέλυται τῷ βλαστῷ τῆς ἁγνῆς θεομήτορος, ἣν πᾶσαι αἱ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν μεγαλύνουσι.

Μὴ τὴν πικρίαν τὴν τοῦ ξύλου ἐάσας ἀναιρέσιμον κύριε, διὰ σταυροῦ τελείως ἐξήλειψας. ὅθεν καὶ ξύλον ἔλυσέ ποτε πικρίαν ὑδάτων Μεῤῥᾶς, προτυποῦν τοῦ σταυροῦ τὴν ἐνέργειαν, ἣν πᾶσαι αἱ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν μεγαλύνουσι.

Αδιαλείπτως [6] βαπτομένου τῷ ζόφῳ τοῦ προπάτορος κύριε, διὰ σταυροῦ ἀνύψωσας σήμερον. ὡς γὰρ τῇ πλάνῃ ἄγαν ἀκρατῶς ἡ φύσις προκατηνέχθη, [7] παγκλεῶς ἡμᾶς πάλιν ἀνώρθωσε τὸ φῶς τὸ τοῦ σταυροῦ [8], ὃν οἱ πιστοὶ μεγαλύνομεν.

Ινα τὸν τύπον ὑποδείξῃς τῷ κόσμῳ προσκυνούμενον κύριε [9] τοῦ σταυροῦ ἐν πᾶσιν ὡς ἔνδοξον, ἐν οὐρανῷ ἐμόρφωσας φωτὶ ἀπλέτῳ [10] ἠγλαϊσμένῳ βασιλεῖ πανοπλίαν ἀήττητον. διό σε αἱ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν μεγαλύνουσι.

A transverberavit. Videant gentes omnes salutare Dei glorificantes in sæcula.

Qui divino suffragio prælati estis, exsultate: Christianorum fideles reges gloriamini, triumphale telum divinitus consequuti, venerandam scilicet crucem. Per hanc enim gentes bellorum animositatem requirentes, disperduntur in sæcula.

Mysticus es Deipara paradisus sine cultu germinans Christum, a quo crucis vivificum in terra plantatum est lignum: quo nunc exaltato, venerantes illum te magnificamus.

Exsultent ligna silvæ universa, sanctificata natura eorum a quo ab initio plantata fuerunt Christo distento in ligno: quo nunc exaltato, venarantes illum, te magnificamus. B

Sacrum erectum est cornu religiosis Capitis universorum, Crux: in quo peccatorum spiritualium confringantur cornua omnia: quo nunc exaltato adoramus Christum, te magnificantes.

Quæ per esum ligni generi contigit mors, per crucem evacuata est hodie. Progenitricis enim universalis maledictio dissoluta est germine purissimæ Deiparæ, quam omnes virtutes cælorum magnificant.

Qui non reliquisti inabrogatum amarorem ligni, Domine per crucem perfecte sustulisti. Quare & lignum solvit aliquando amaritudinem aquarum Marrha, præfigurans crucis efficaciam, quam omnes virtutes cælorum magnificant. C

Indesinenter obrutos caligine progenitoris, Domine, per crucem exaltasti hodie. Ut enim errore nimis intemperanter natura abrepta est, *sic* integre nos iterum erexit lumen crucis, quam fideles magnificamus.

Ut typum ostenderes mundo adorabilem Domine, crucis in omnibus tamquam gloriosum, in cælo efformasti immenso lumine illustrato regi armaturam invictam. Idcirco te virtutes cælorum magnificant.

Ν'.

D

ΕΙΣ ΤΗΝ ΥΠΑΠΑΝΤΗΝ,

Ητοι εἰς τὴν κατὰ σάρκα προσαγωγὴν τοῦ κυρίου καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ιησοῦ Χριστοῦ.

Η ΑΚΡΟΣΤΙΧΙΣ.

[11] Χριστὸν γεγηθὼς πρέσβυς ἀγκαλίζεται.

ΧΕρσον ἀβυσσοτόκον πέδον ἥλιος ἐπεπόλευσέ ποτε, ὡσεὶ τεῖχος γὰρ ἐπάγη ἑκατέρωθεν ὕδωρ λαῷ πεζοποντοποροῦντι, καὶ θεαρέστως μέλποντι· ᾄσωμεν τῷ κυρίῳ, ἐνδόξως γὰρ δεδόξασται.

ΡΑνάτωσαν ὕδωρ νεφέλαι, ἥλιος ἐν νεφέλῃ γὰρ κούφῃ ἐποχούμενος ἐπέστη ἀκηράτοις ὠλέναις Χριστὸς ἐν τῷ ναῷ ὡς βρέφος. διὸ πιστοὶ βοήσωμεν· ᾄσωμεν τῷ κυρίῳ, ἐνδόξως γὰρ δεδόξασται.

ΙΣχύσατε χεῖρες Συμεὼν τῷ γήρᾳ ἀνειμέναι, καὶ κνῆμαι παρειμέναι δὲ πρεσβύτου εὐθυβόλως κινεῖσθε Χριστοῦ πρὸς ὑπαντὴν, χορείαν σὺν ἀσωμάτοις [12] στήσαντες· ᾄσωμεν τῷ κυρίῳ, ἐνδόξως γὰρ δεδόξασται.

XIII.

IN OCCURSUM,

Sive in præsentationem secundum carnem Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi.

Acrostichis.

Christum lætabundus senex in ulnis accipit.

ARidum effectum solum in quo gignuntur abyssi, sol quondam permeavit; tamquam murus enim compacta est utrinque aqua populo pedibus per mare iter facienti, Deoque placite modulanti: Cantemus Domino, gloriose enim glorificatus est. E

Rorent aquam nebulæ; sol enim in nube levi invectus adstitit puris ulnis Christus in templo tamquam puer. Quare fideles clamemus: Cantemus Domino, gloriose enim glorificatus est.

Roboramini manus Simeonis senio remissæ, & crura debilia senis recta movemini Christi in occursum, choream cum incorporeis componentes: Cantemus Domino gloriose enim glorificatus est.

1. Anth. τῷ τροπαιοφόρῳ ὅπλῳ.
2. Anth. ἐπιζητοῦντα.
3. Anth. διὸ νῦν. Sic & infra.
4. Anth. προσκυνοῦντες αὐτὸν, σὲ μεγαλύνομεν.
5. Hæc videntur temere inserta. Occurrunt in Anth. pag. 73.
6. Anth. βαπτομένους.
7. Anth. παγκλήρως.
8. Anth. σταυροῦ σου.
9. Anth. τὸν τοῦ.
10. Anth. ἠγλαϊσμένον.
11. Hanc acrostichem ex initiis versuum omissam huc revocavimus.
12. Anth. στήσατε.

Σ Υνέσει ταθέντες οὐρανοὶ εὐφράνθητε, ἀγάλλου δὲ ἡ γῆ. ὑπερθέων γὰρ ἐκ κόλπων ὁ τεχνίτης φοιτήσας Χριστὸς, ὑπὸ μητρὸς παρθένου Θεῷ πατρὶ προσάγεται νήπιος, ὁ πρὸ πάντων· ἐνδόξως γὰρ δεδόξασθαι. A

Intellectu distenti cæli lætamini, exsultetque terra: divino etenim ex sinu opifex adveniens Christus, a matre virgine Deo patri offertur infans, qui ante omnia exstitit: Gloriose enim glorificatus est.

Τ Ο' στερέωμα τῶν ἐπὶ σοὶ πεποιθότων, στερέωσον κύριε τὴν ἐκκλησίαν, ἣν [1] ἐκτίσω τῷ τιμίῳ σου αἵματι.

O robur in te confidentium! robora Domine ecclesiam, quam acquisivisti pretioso sanguine tuo.

Ο πρωτότοκος ἐκ τοῦ πατρὸς πρὸ αἰώνων, πρωτότοκος νήπιος κόρης ἀφθόρου τῷ Αδὰμ χεῖρα προτείνων ἐπέφανε.

Primogenitus ex Patre ante sæcula, primogenitus infans puellæ incorruptæ homini manum porrigens apparuit.

Ν Ηπιόφρονα τὸν γεγονότα ἀπάτῃ πρωτόπλαστον, ἔμπαλιν ἐπανορθώσων Θεὸς λόγος [2] νηπιάζων ἐπέφανε.

Puerilia sapientem effectum seductione progenitorem, rursus sanaturus Deus Verbum puerascens apparuit.

Γ Ης ἀπόγονον [3] παλινδρομήσασα ταύτην θεότητος σύμμορφον φύσιν ὁ πλάστης ὡς ἀτρέπτως νηπιάσας ἀνέδειξεν. B

Terræ prolem pristina repetentem hanc divinitatis conformem naturam conditor immutabiliter puerascens ostendit.

Ε Κάλυψεν οὐρανοὺς ἡ ἀρετή σου Χριστέ. τῆς κιβωτοῦ γὰρ προελθὼν τοῦ ἁγιάσματός σου τῆς ἀφθόρου μητρὸς, ἐν τῷ ναῷ τῆς δόξης σου ὤφθης ὡς βρέφος ἀγκαλοφορούμενος· καὶ ἐπλήσθη τὰ πάντα τῆς σῆς αἰνέσεως.

Operuit cælos virtus tua Christe. Ex arca enim prodiens sanctificationis tuæ intemeratæ matris, in templo gloriæ tuæ visus es ut parvulus in ulnis portatus: & omnia repleta sunt laudatione tua.

Γ Ηθόμενος Συμεὼν, τῶν ἀπορρήτων μύστα, ἡ θεοτόκος ἐβόα, ὃν ὑφ' ἁγίου πάλαι κεχρημάτισαι πνεύματος, νηπιάσαντα λόγον Χριστὸν ἐναγκαλίζου, κράζων αὐτῷ· ἐπλήσθη τὰ πάντα τῆς σῆς αἰνέσεως.

Lætabunde Simeon arcanorum antistes, Dei genitrix clamabat, quem olim per Spiritum sanctum vaticinatus es, puellum Verbum Christum in ulnas recipe, vociferans ad eum: Repleta sunt omnia laudatione tua.

Η Ν ἤλπισας Συμεὼν ἡλικιώτην βρεφῶν χαίρων, ὑπόδεξαι Χριστὸν, τοῦ Ισραὴλ τοῦ θείου τὴν παράκλησιν, τοῦ νόμου ποιητὴν καὶ δεσπότην, πληροῦντα νόμου τάξιν, κράζων αὐτῷ· ἐπλήσθη τὰ πάντα τῆς σῆς αἰνέσεως. C

Quam sperasti o Simeon tuo tempore victuram, infantibus gaudens suscipe Christum, Israelis Dei consolationem, legis factorem & dominum, adimplentem legis dispositionem, vociferans ad illum: Repleta sunt omnia laudatione tua.

Θ Εώμενος Συμεὼν λόγον τὸν ἄναρχον μετὰ σαρκὸς, ὡς ἐν θρόνῳ χερουβικῷ παρθένῳ ἐποχούμενον, τὸν αἴτιον τοῦ εἶναι τὰ πάντα ὡς βρέφος, ἐκπλαγεὶς ἐβόα αὐτῷ· ἐπλήσθη τὰ πάντα τῆς σῆς αἰνέσεως.

Intuitus Simeon Verbum æternum cum carne, a virgine, tamquam a cherubico throno gestatum, auctorem exstandi omnia tamquam puerulum, obstupescens clamabat ad eum: Repleta sunt omnia laudatione tua.

Ω Σ ἴδεν Ησαΐας συμβολικῶς ἐν θρόνῳ ἐπηρμένῳ Θεὸν ὑπ' ἀγγέλων δόξης δορυφορούμενον· ὢ τάλας ἐβόα ἐγώ· πρὸ γὰρ εἶδον σωματούμενον Θεὸν, φωτὸς ἀνεσπέρου καὶ εἰρήνης δεσπόζοντα.

Ut vidit Isaias symbolice in throno elevato Deum ab angelis gloriæ circumstipatum: O me miserum! clamabat, prævidi enim corpore indutum Deum, luminis inoccidui pacisque dominatorem.

Σ Υνεὶς ὁ θεῖος πρέσβυς τὴν προφανεῖσαν πάλαι τῷ προφήτῃ δόξαν, χερσὶ λόγον βλέπων μητρὸς κρατούμενον· ὢ χαίροις ἐβόα σεμνὴ, ὡς γὰρ θρόνος περιέχεις τὸν Θεὸν, φωτὸς ἀνεσπέρου καὶ εἰρήνης δεσπόζοντα. D

Intelligens divinus senex præmonstratam olim prophetæ gloriam, manibus Verbum videns matris gestatum; O gaudeas, clamabat, veneranda! veluti thronus enim complecteris Deum, luminis inoccidui pacisque dominatorem.

Π Ροκύψας ὁ πρεσβύτης, καὶ τῶν ἰχνῶν ἐνθέως ἐφαψάμενος τῆς ἀπειρογάμου καὶ θεομήτορος· πῦρ ἔφη βαστάζεις ἁγνή. βρέφος φρίττω ἀγκαλίσασθαι Θεὸν, φωτὸς ἀνεσπέρου καὶ εἰρήνης δεσπόζοντα.

Inclinatus senex, & vestigia Deo inspirante contingens Dei genitricis & virum nescientis: Ignem ait bajulas o immaculata! Infantem pavesco in ulnas accipere Deum, luminis inoccidui pacisque dominatorem.

Ρ Ύπτεται Ησαΐας τοῦ σεραφὶμ τὸν ἄνθρακα δεξάμενος· ὁ πρέσβυς ἐβόα τῇ θεομήτορι· σὺ ὥσπερ λαβίδι χερσὶ λαμπρυνεῖς με ἐπιδοῦσα ὃν φέρεις, φωτὸς ἀνεσπέρου καὶ εἰρήνης δεσπόζοντα.

Mundatur Isaias Seraphin carbonem suscipiens. Senex clamabat Dei matri: Tu tamquam forceps manibus illustrabis me tradens quem bajulas, luminis inoccidui pacisque dominatorem.

Ε Βόησέ σοι ἰδὼν ὁ πρέσβυς τοῖς ὀφθαλμοῖς τὸ σωτήριον, ὃ λαοῖς ἐπέστη ἐκ Θεοῦ· Χριστὲ σὺ Θεός μου. E

Clamavit ad te videns senex oculis Salutare, quod populis adstitit ex Deo: Christe tu es Deus meus.

Σ Ιὼν σὺ λίθος ἐναπετέθης τοῖς ἀπειθοῦσι προσκόμματος, καὶ σκανδάλου· πέτρα ἀρραγὴς, πιστῶν σωτηρία.

In Sion tu lapis positus es incredulis offensionis & scandali: petra infracta, fidelium salus.

Β Εβαίως φέρων τὸν χαρακτῆρα τοῦ πρὸ αἰώνων σε φύσαντος, τὴν βροτῶν δι' οἶκτον νῦν ἀσθένειαν περιέθου.

Firmiter ferens characterem ejus qui te ante sæcula genuit, humanam ex misericordia nunc circumdatus es infirmitatem.

Υ Ιὸν ὑψίστου, υἱὸν παρθένου, Θεὸν παιδίον γενόμενον προσκυνήσαντά με νῦν ἀπόλυσον ἐν εἰρήνῃ.

Filium excelsi, filium Virginis, Deum puellum effectum veneratum jam me nunc dimitte in pace.

Σ Ε' τὸν ἐν πυρὶ δροσίσαντα παῖδας θεολογήσαντας, καὶ παρθένῳ [4] ἀκηράτως ἐνοικήσαντα

Te qui in igne irrorasti pueros de divinis loquutos, in Virgineque immaculate inhabitasti,

1. Anth. ἐκτήσω.
2. Anth. νηπιάσας.
3. Anth. παλινδρομήσασαν.
4. Anth. ἀκηράτῳ.

SÆC. VIII. CIRCA ANN. CHR. 725.

Θεὸν λόγον ὑμνοῦμεν, εὐσεβῶς μελῳδοῦντες· εὐλογητὸς [1] εἶ ὁ Θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν.

Ἀδὰμ ἐμφανίσων ἄπειμι εἰς ᾅδου διατρίβοντι, καὶ τῇ Εὔᾳ προσκομίσων εὐαγγέλια, Συμεὼν ἀνεβόα σὺν προφήταις χορεύων· εὐλογητὸς εἶ ὁ Θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν.

Γένος χοϊκὸν ῥυσάμενος Θεὸς, ἕως τοῦ ᾅδου ἥξει, αἰχμαλώτοις δὲ παρέξει πᾶσιν ἄφεσιν, καὶ ἀνάβλεψιν πηροῖς, ὡς ἀλλήλοις βοῆσαι· εὐλογητὸς εἶ ὁ Θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν.

Καὶ σοῦ τὴν καρδίαν ἄφθορε, ῥομφαία διελεύσεται, Συμεὼν τῇ Θεοτόκῳ προηγόρευσεν, ἐν σταυρῷ [2] καθορώσης σὸν υἱὸν, ᾧ βοῶμεν· εὐλογητὸς εἶ ὁ Θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν.

Ἀστέκτῳ πυρὶ ἑνωθέντες οἱ θεοσεβείας προεστῶτες νεανίαι, τῇ φλογὶ δὲ μὴ λωβηθέντες, θεῖον ὕμνον ἔμελπον· εὐλογεῖτε πάντα τὰ [3] ἔργα κυρίου τὸν κύριον.

Λαὸς Ἰσραὴλ τὴν σὴν δόξαν τὸν Ἐμμανουὴλ ὁρῶν παιδίον ἐκ παρθένου, πρὸ προσώπου τῆς θείας κιβωτοῦ νῦν χόρευε· εὐλογεῖτε πάντα τὰ ἔργα κυρίου τὸν κύριον.

Ἰδοὺ Συμεὼν ἀνεβόα· τὸ ἀντιλεγόμενον σημεῖον οὗτος ἔσται Θεὸς, ὢν καὶ παιδίον. τούτῳ πίστει [4] μέλψωμεν· εὐλογεῖτε πάντα τὰ ἔργα κυρίου τὸν κύριον.

Ζωὴ πεφυκὼς οὗτος, ἔσται πτῶσις ἀπειθοῦσι νηπιάσας Θεὸς λόγος, ὡς ἀνάστασις πᾶσι [5] τοῖς ἐν πίστει μέλπουσιν· εὐλογεῖτε πάντα τὰ ἔργα κυρίου τὸν κύριον.

Ἐν νόμῳ, σκιᾷ καὶ γράμματι, τύπον κατίδωμεν οἱ πιστοί· πᾶν ἄρσεν τὸ τὴν μήτραν διανοῖγον, ἅγιον Θεῷ. διὸ πρωτότοκον λόγον πατρὸς ἀνάρχου υἱὸν, πρωτοτοκούμενον μητρὶ ἀπειράνδρως, μεγαλύνωμεν.

Τοῖς πρὶν νεογνῶν τρυγόνων ζεῦγος δυάς τε τῶν νεοσσῶν, ἀνθ' ὧν ὁ θεῖος πρέσβυς, καὶ σώφρων Ἄννα προφῆτις τῷ ἐκ παρθένου τεχθέντι, καὶ οἰῷ γόνῳ πατρὸς ἐν τῷ ναῷ προσιόντι, [6] λειτουργοῦσι μεγαλύνοντες.

Ἀπέδωκάς μοι ἐβόα Συμεὼν τοῦ σωτηρίου σου Χριστὲ ἀγαλλίασιν. ἀπόλαβέ σου τὸν λάτριν τῇ σκιᾷ κεκμηκότα, νέον τῆς χάριτος ἱεροκήρυκα, μύστην, ἐν αἰνέσει [7] μεγαλύνοντα.

Ἱεροπρεπῶς ἀνθωμολογεῖτο Ἄννα ὑποφητεύουσα, ἡ σώφρων καὶ ὁσία, καὶ [8] πρέσβειρα τῷ δεσπότῃ ἐν τῷ ναῷ διαῤῥήδην· τὴν Θεοτόκον δὲ ἀνακηρύττουσα πᾶσι τοῖς παροῦσιν, ἐμεγάλυνεν. [9]

Deum Verbum laudamus, religiose canentes: Benedictus es Deus patrum nostrorum.

Adæ declaraturus abeo in inferis degenti, & Evæ allaturus bonum nuncium, clamabat Simeon cum prophetis choreas agens: Benedictus es Deus patrum nostrorum.

Genus terrenum liberans Deus usque ad infernos veniet, captivis vero præbebit omnibus emissionem, & visum cæcis, ut invicem clament: Benedictus es Deus patrum nostrorum.

Tuum vero cor, o immaculata, gladius pertransibit, Simon Deiparæ vaticinatus est, in cruce cum cernes filium tuum, cui clamamus: Benedictus es Deus patrum nostrorum.

Intolerando igni appliciti pietatis moderatores pueri, a flamma vero non læsi, divinum hymnum canebant: Benedicite omnia opera Domini Dominum.

Popule Israel tuam gloriam, Emmanuelem, cernens infantem ex virgine, ante faciem divinæ arcæ nunc choreas age: Benedicite omnia opera Domini Dominum.

Ecce Simeon clamabat: Signum cui contradicetur iste erit Deus, qui & infans est. Huic fide cantemus: Benedicite omnia opera Domini Dominum.

Vita cum sit iste, ruina futurus est incredulis puer natus Deus Verbum, quippe resurrectio omnibus qui in fide canunt: Benedicite omnia opera Domini Dominum.

In lege, umbra & litera typum cernamus fideles: Omne masculum adaperiens vulvam, Sanctum Deo. Quare primogenitum Verbum patris æterni filium, primogenitum factum matri virginaliter, magnificemus.

Priscis recens natis par turturum duove pulli erant; pro quibus divinus senex & prudens Anna prophetissa nato ex virgine, & unico filio Patris templum subeunti ministrant magnificantes.

Reddidisti mihi, clamabat Simeon, salutaris tui Christe lætitiam: recipe tuum cultorem umbra quidem defatigatum, sed novellum gratiæ caduceatorem, mysteriorum conscium, in laude magnificantem.

Religiose gratias agebat Anna vaticinio respondens, sapiens illa & sancta anus, Domino in templo manifeste: Deiparam vero prædicans omnibus præsentibus, magnificabat.

1. Anth. deest εἶ heic & infra.
2. Anth. καθορῶσα.
3. Anth. ἔργα τὸν κύριον, καὶ ὑπερυψοῦτε εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας, sic & infra.
4. Anth. addit πάντες.
5. Ibid. add. ἀνθρώποις.
6. Anth. λειτουργοῦντες ἐμεγάλυνον.
7. Anth. μεγαλύνωμεν.
8. Anth. πρεσβυρά.
9. Notat heic rubrica Anthologii, odas has modulatos fuisse monachos Cryptæ Ferratæ.

[1] ΚΟΣΜΑ ΜΟΝΑΧΟΥ ΩΔΑΙ ΑΛΛΑΙ.

α.

Ὁ πρὶν ἐκ μὴ ὄντων παραγαγὼν τὴν σύμπασαν κτίσιν, καὶ γινώσκων τῶν καρδιῶν ταμεῖα, προλέγεις ὡς δεσπότης τοῖς μαθηταῖς τοῦ Λαζάρου τὴν κοίμησιν.

Τὸν ἄνθρωπον φύσει οὐσιωθεὶς Χριστὲ ἐκ παρθένου, τοῦ Λαζάρου σὺ τὴν ταφὴν μαθεῖν ἐπηρώτας ὡς ἄνθρωπος, οὐκ ἀγνοῶν ὡς Θεὸς ὅπου ἔκειτο.

Πιστούμενος λόγε τὴν σαυτοῦ ἀνάστασιν ὄντως, ὡς ἐξ

COSMÆ MONACHI ALIÆ ODÆ.

I.

Qui prius ex non exstantibus produxisti universam creaturam, & nosti cordium secreta, prædicis tamquam Dominus discipuli Lazari dormitionem.

Hominem natura substantialiter indute Christe ex virgine, tu Lazari sepulcrum addiscere interrogabas ut homo, non ignorans ut Deus ubi jaceret.

Confirmaturum o Verbum tui resurrectionem ve-

1. Has Odas invenimus in Triodio edito Romæ an. 1738. ad fidem veterum MSS. pag. 435. seqq. Quæ tamen alium Cosmam auctorem habere facile crediderim, præsertim quæ longioribus constant strophis.

ὕπνου τὸν προσφιλῆ ἀνέστησας ἤδη ὀδωδότα, τὸν τεταρταῖον νεκρὸν ἐκ τοῦ μνήματος.

Τάξεις σε ἀγγέλων καὶ τῶν βροτῶν, ἀνύμφευτε μήτηρ, ἀνυμνοῦσιν ἀνελλιπῶς· τὸν κτίστην γὰρ τούτων ὥσπερ βρέφος, ἐν ταῖς ἀγκάλαις σου ἐβάστασας.

Ὑγρὰν διοδεύσας ὡσεὶ ξηρὰν, καὶ τὴν αἰγυπτίαν μοχθηρίαν διαφυγὼν ὁ Ἰσραηλίτης ἀνεβόα, τῷ λυτρωτῇ καὶ Θεῷ ἡμῶν ᾄσωμεν.

β'.

Ἐπιστὰς σὺ τῷ τάφῳ, θαυματουργὲ κύριε, ἐν τῇ Βηθανίᾳ Λαζάρου, τοῦτον ἐδάκρυσας νόμῳ τῆς φύσεως πιστοποιῶν σου τὴν σάρκα, Ἰησοῦ ὁ Θεός μου, ἥνπερ προσείληφας.

Τῆς Μαρίας τὸ πένθος σὺ παραυθὺς ἔπαυσας σῶτερ, καὶ τῆς Μάρθας δεικνύων τὸ αὐτεξούσιον. σὺ γὰρ ἀνάστασις, καὶ σὺ ζωὴ, ὥσπερ ἔφης, ἀλήθεια πέλεις γὰρ καὶ πάντων κύριος.

Εἰλημμένον κειρίαις τὸν προσφιλῆ κύριε, ᾅδου ἐκ νεκάδων καὶ ζόφου τοῦτον ἀφήρπασας, σὺ ἐν τῷ λόγῳ σου τῷ παντοσθενεῖ τοῦ θανάτου διαῤῥήξας κλεῖθρά τε καὶ βασίλεια.

Ἐνοικήσας παρθένῳ σωματικῶς κύριε, ὤφθης τοῖς ἀνθρώποις ὡς ἔπρεπε θεαθῆναί σε, ἣν καὶ ἀνέδειξας ὡς ἀληθῆ θεοτόκον, καὶ πιστῶν βοήθειαν, μόνε φιλάνθρωπε.

Οὐρανίας ἀψῖδος ὀροφουργὲ κύριε, καὶ τῆς ἐκκλησίας δομῆτορ, σύ με στερέωσον ἐν τῇ ἀγάπῃ τῇ σῇ, τῶν ἐφετῶν ἡ ἀκρότης, τῶν πιστῶν τὸ στήριγμα, μόνε φιλάνθρωπε.

Συμπαρέστησαν Χριστῷ αἱ τοῦ Λαζάρου ἀδελφαὶ, καὶ δακρύουσαι πικρῶς καὶ ὀλολύζουσαι αὐτῷ ἔφησαν· κύριε τέθνηκε Λάζαρος· αὐτὸς δὲ ὡς Θεὸς οὐκ ἀγνοῶν τὴν ταφὴν, ἠρώτα πρὸς αὐτὰς, ποῦ τεθήκατε; καὶ προσελθὼν τῷ τάφῳ, προσεφώνει τὸν τετραήμερον Λάζαρον. εὐθὺς ἀνέστη, καὶ προσεκύνει τὸν αὐτὸν ἀναστήσαντα.

Προγινώσκων τὰ πάντα ὡς ποιητὴς, ἐν Βηθανίᾳ προεῖπας τοῖς μαθηταῖς· ὁ φίλος ἡμῶν Λάζαρος κεκοίμηται σήμερον· καὶ εἰδὼς ἠρώτας φησὶ, ποῦ τεθήκατε; καὶ τῷ πατρὶ προσηύξω δακρύσας ὡς ἄνθρωπος. ὅθεν καὶ φωνήσας, ὃν ἐφίλεις ἐξ ᾅδου ἀνέστησας κύριε τετραήμερον Λάζαρον. διατοῦτο βοῶμέν σοι· πρόσδεξαι Χριστὲ ὁ Θεὸς τῶν τολμώντων προσφέρειν τὴν αἴνεσιν, καὶ καταξίωσον πάντας τῆς δόξης σου.

γ'.

Σὺ ὡς ποιμὴν ἥρπασας σῶτερ τὸν ἄνθρωπον, τὸν φθαρέντα ἤδη τετραήμερον, δημιουργὲ [1] λύκου ἐκ δεινοῦ ὄντως καὶ παμφάγου. ὡς δυνατὸς τε καὶ κύριος ἐν τούτῳ προδεικνύων τὴν παγκόσμιον δόξαν τῆς σῆς νῦν τριημέρου ἐγέρσεως.

Σὲ τὴν ζωὴν βλέπουσαι αἱ περὶ Μάρθαν Χριστὲ, ἀνεβόων· εἰ ἦς ὧδε κύριε, ὁ φωτισμὸς πάντων καὶ ζωὴ, ὅλως οὐ τεθνήκει, νεκρὸς οὐκ ὤφθη ὁ Λάζαρος. ζωὴ δὲ τῶν θανόντων σὺ φιλάνθρωπε πέλων, εἰς χαρὰν μετατρέπεις τὸ πένθος αὐτῶν.

Σὲ τὴν πηγὴν φρίττουσι κύριε ἄβυσσοι· σοὶ δουλεύει ἡ ὑγρὰ ἡ σύμπασα· σὲ πυλωροὶ τρέμουσι Χριστὲ, ᾅδου δὲ τὰ κλεῖθρα τῷ κράτει σου διαλύονται, Λαζάρου ἀναστάντος ἐκ νεκρῶν τῇ φωνῇ σου, παντοδύναμε σῶτερ φιλάνθρωπε.

Σὺ τῶν πιστῶν καύχημα πέλεις ἀνύμφευτε· σὺ προστάτις· σὺ καὶ καταφύγιον χριστιανῶν, τεῖχος καὶ λιμήν. πρὸς γὰρ τὸν υἱόν σου ἐντεύξεις φέρεις πανάμωμε, καὶ σώζεις ἐκ κινδύνων

A raciter, tamquam ex somno amicum excitasti jam fœtentem, quatriduanum mortuum ex sepulcro.

Ordines te angelorum & hominum, o sponsi nescia mater, laudant indesinenter: creatorem enim eorum ut puellum in ulnis tuis portasti.

In aquis pertransiens veluti in arido, Ægyptiamque improbitatem effugiens Israelita, clamabat: Redemtori nostro & Deo cantemus.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 725.

II.

Adstans tu sepulcro, admirabilium patrator Domine, Lazari in Bethania, hunc flevisti B lege naturæ comprobans carnem tuam, Jesu Deus mi, quam assumsisti.

Mariæ luctum tu confestim tranquillasti Salvator, Marthæ simul ostendens arbitrium: Tu enim resurrectio, & tu vita, ut dixisti: Veritas es enim & omnium Dominus.

Obvolutum fasciis amicum Domine, inferni ex mortuis & caligine hunc rapuisti, tu in verbo tuo omnipotenti mortis disrumpens claustra & regna.

Qui in virgine inhabitasti corporaliter Domine, visus es hominibus ut congruebat cerni te: eam porro demonstrasti ut veram Deiparam & fidelium auxilium, o sole misericors.

C Cælestis fornicis concamerator Domine, & ecclesiæ ædificator, tu me [r]obora in caritate tua, qui es desideriorum vertex, fidelium firmamentum, o sole misericors.

Coadstiterunt Christo Lazari sorores, & flentes amare & ejulantes dixerunt ei: Domine mortuus est Lazarus. Ipse vero ut Deus non ignorans sepulcrum, interrogabat eas, ubi posuistis? & accedens ad monumentum, vocabat quatriduanum Lazarum. Statim surrexit, & adorabat eum qui se resuscitavit.

Prænoscens omnia tamquam auctor, in Bethania prædixeras discipulis: Amicus noster Lazarus dormivit hodie. Et sciens interrogabas: Ubi posuistis? D & ad patrem orasti illacrymans ut homo. Quare & clamans, quem diligebas ex inferis resuscitasti Domine quatriduanum Lazarum. Idcirco clamemus ad te: Suscipe Christe Deus, audentium offerre laudationem, & dignos fac omnes gloria tua.

III.

Tu tamquam pastor rapuisti, o Salvator, hominem tabidum jam quatriduanum, Conditor, de lacu malo revera & omnium voraci: utque potens & Dominus in hoc præostendens immensam gloriam tuæ nunc triduanæ resurrectionis.

E Te qui vita es contuita Martha, clamabat: Si fuisses heic Domine, o illuminatio omnium & vita, prorsus non fuisset mortuus, defunctus non fuisset visus Lazarus. At tu o misericors, qui vita es mortuorum, in gaudium vertis luctum jus.

Te fontem timent, Domine, abyssi: Tibi servit aqua universa: Te janitores expavescunt Christe, infernique claustra potentia tua dissolvuntur, Lazaro resurgente ex mortuis voce tua, o omnipotens Salvator misericors.

Tu fidelium gloriatio es, o viri nescia; tu patrona: tu etiam refugium Christianorum, murus & portus. Ad filium tuum namque supplicationes adfers, o immaculatissima, & salvas ex periculis

1. Forte λάκκου.

SÆC. VIII. CIRCA ANN. CHR. 725.

τοὺς ἐν πίστει καὶ πόθῳ Θεοτόκον ἁγνὴν σε γινώσκοντας.

Σύ μου ἰσχὺς κύριε, σύ μου καὶ δύναμις· σὺ Θεός μου, σύ μου ἀγαλλίαμα· ὁ πατρικοὺς κόλπους μὴ λιπὼν, καὶ τὴν ἡμετέραν πτωχείαν ἐπισκεψάμενος. διὸ σὺν τῷ προφήτῃ Ἀμβακοὺμ σοι κραυγάζω· τῇ δυνάμει σου δόξα φιλάνθρωπε.

A eos qui in fide & affectu Deiparam immaculatam te recognoscunt.

Tu es fortitudo mea Domine, tu & virtus mea; tu Deus meus, tu mea exsultatio: qui paternum sinum non deseruisti, & nostram miseriam visitasti. Quare cum propheta Abacuc ad te clamo: Virtuti tuæ gloria, o misericors.

δ'.

Τῷ πατρὶ νέμων δόξαν, ὥσπερ οὐκ ἀντίθεος ἦσθα εὐχόμενος, τὸν περιεστῶτα σὺ πιστούμενος ὄχλον μακρόθυμε, τὴν εὐχαριστίαν τῷ σῷ πατρὶ προσαναφέρων, τῇ κελεύσει ἐγείρων τὸν Λάζαρον.

Ὢ φωνῆς θεοφθόγγου, θείας τε δυνάμεως, σῶτερ, τοῦ κράτους σου· δι' ἧς ᾅδου πύλας τοῦ παμφάγου θανάτου συνέτριψας. ἀλλ' ἐξάρπασόν με, ὥσπερ τὸν πρὶν, ἐκ τῶν παθῶν μου, τετραήμερον φίλον σου Λάζαρον.

Ἱκεσίαις Λαζάρου, Μάρθας καὶ Μαρίας τε, ἡμᾶς ἀξίωσον θεατὰς γενέσθαι τοῦ σταυροῦ, καὶ τοῦ πάθους σου κύριε, καὶ τῆς λαμποφόρου τῶν ἡμερῶν καὶ βασιλίδος ἀναστάσεως τῆς σῆς φιλάνθρωπε.

Μητρικὴν παῤῥησίαν τὴν πρὸς τὸν υἱόν σου κεκτημένη πάναγνε, συγγενοῦς προνοίας τῆς ἡμῶν μὴ παρίδης δεόμεθα· ὅτι σε καὶ μόνην χριστιανοὶ πρὸς τὸν δεσπότην ἱλασμὸν εὐμενῆ προβαλλόμεθα.

Ἵνα τί με ἀπώσω ἀπὸ τοῦ προσώπου σου τὸ φῶς τὸ ἄδυτον, καὶ ἐκάλυψέ με τὸ ἀλλότριον σκότος, τὸν δείλαιον; ἀλλ' ἐπίστρεψόν με, καὶ πρὸς τὸ φῶς τῶν ἐντολῶν σου τὰς ὁδούς μου κατεύθυνον δέομαι.

IV.

Patri dans gloriam, tamquam non contrarius Deo orabas, circumstantem tu confirmans turbam, o longaminis, gratiarum actionem patri tuo reddens, jussu resuscitans Lazarum.

B O vox divinitus sonans divinæque virtutis, imperii tui, Salvator! per quam inferorum portas voracissimæ mortis confregisti. Sed eripe me ex passionibus meis, ut olim quatriduanum amicum tuum Lazarum.

Supplicationibus Lazari, Marthæ & Mariæ dignos nos fac, qui simus spectatores crucis & passionis tuæ Domine, atque illuminatricis temporum & regalis resurrectionis tuæ, o misericors.

Maternam loquendi libertatem ad filium tuum obtinens, o immaculatissima, connatæ providentiæ nostræ ne curam abjicias, precamur: te enim & C solam Christiani apud Dominum propitiationem benignam offerimus.

Ut quid me repulisti a facie tua, o lumen inocciduum, & operuerunt me alienæ tenebræ miserabilem? Sed converte me, & ad lumen mandatorum tuorum vias meas dirige, deprecor.

έ.

Τὸν Ἰωνᾶν ἐν τῷ κήτει κύριε μονώτατον κατῴκησας, ἐμὲ δὲ τὸν πεπεδημένον ἐν ἄρκυσι τοῦ ἐχθροῦ, ὡς ἐκ φθορᾶς ἐκεῖνον, διάσωσον.

Ἀγάπη σε εἰς Βηθανίαν κύριε ἀπήγαγε πρὸς Λάζαρον, καὶ τοῦτον ἤδη ὀδωδότα ἀνέστησας ὡς Θεὸς, καὶ ἐκ δεσμῶν τοῦ ᾅδου διέσωσας.

Ἡ Μάρθα μὲν ἀπεγνώκει Λάζαρον, ὡς ἤδη τετραήμερον· Χριστὸς δὲ τὸν διαφθαρέντα ἀνέστησεν ὡς Θεὸς, καὶ εἰς ζωὴν μετήγαγε ῥήματι.

V.

Jonam in ceto Domine omnium unicum collocasti, me vero vinctum retibus inimici, tamquam ex corruptione illum, libera.

Caritas te in Bethaniam Domine duxit ad Lazarum, & hunc jam fœtentem resuscitasti tamquam D Deus; atque a vinculis inferi exemisti.

Martha quidem deploratum habebat Lazarum ut jam quatriduanum: at Christus corruptum resuscitavit ut Deus, & ad vitam revocavit verbo.

ς'.

Παῖδες Ἑβραίων ἐν καμίνῳ κατεπάτησαν τὴν φλόγα θαρσαλέως, καὶ εἰς δρόσον τὸ πῦρ μετέβαλον βοῶντες· εὐλογητὸς εἶ κύριε ὁ Θεὸς εἰς τοὺς αἰῶνας.

Δακρύσας ὡς ἄνθρωπος οἰκτίρμον, ἐξανέστησας ὡς Θεὸς τὸν ἐν τάφῳ· καὶ τοῦ ᾅδου λυθεὶς ὁ Λάζαρος ἐβόα· εὐλογητὸς εἶ κύριε ὁ Θεὸς εἰς τοὺς αἰῶνας.

Ἐξῆλθε κειρίαις δεδεμένος, χάους ᾅδου τε καὶ ζόφου ἀποδράσας τοῦ δεσπότου τῷ λόγῳ ὁ Λάζαρος, κραυγάζων· εὐλογητὸς εἶ κύριε ὁ Θεὸς εἰς τοὺς αἰῶνας.

VI.

Pueri Hebræorum in fornace conculcarunt flammam animose, atque in rorem ignem verterunt, clamantes: Benedictus es Domine Deus in sæcula.

Illacrymatus tamquam homo, o misericors, resuscitasti tamquam Deus sepultum: atque ab inferis liberatus Lazarus clamabat: Benedictus es Do- E mine Deus in sæcula.

Exiit fasciis revinctus, chaumque inferni & tenebras aufugiens Domini verbo Lazarus, clamans: Benedictus es Domine Deus in sæcula.

ζ'.

Μουσικῶν ὀργάνων συμφωνούντων, καὶ λαῶν ἀπείρων προσκυνούντων εἰκόνι τῇ ἐνδεχρᾷ, τρεῖς παῖδες μὴ πεισθέντες, τὸν κύριον ἀνύμνουν καὶ ἐδοξολόγουν εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας.

Ὡς ποιμὴν τὸν ἄρνα κατιχνεύσας, καὶ ἐκ λύκου δεινοῦ ὀλετῆρος ἁρπάσας ὁ ἐπικρατὴς φθαρέντα ἐκαινούργεις βοῶντά σοι· ὑμνεῖτε καὶ ὑπερυψοῦτε εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας.

VII.

Musicis organis consonantibus, & populis infinitis adorantibus statuam miserabilem; tres pueri non obtemperantes, Dominum laudabant & glorificabant in omnia sæcula.

Tamquam pastor agnum vestigiis sequutus, atque ex lupo crudeli pernicioso rapiens qui omnipotens es, corruptum renovas clamantem ad te: Laudate & superexaltate in omnia sæcula.

Ὡς βροτὸς τὸν τάφον ἐπεζήτεις ; τὸν νεκρὸν ὡς πλάστης ἀναστήσας προστάγματι δεσποτικῷ· ὃν ᾅδης καταπλαγῇ βοῶντά σοι· ὑμνεῖτε καὶ ὑπερυψοῦτε εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας.

A Ut homo ſepulcrum requirebas, mortuum ut conditor reſuſcitans juſſu dominico: quem infernus reformidat clamantem ad te. Laudate & ſuperexaltate in omnia ſæcula.

η'.

ΤΗν ἁγνὴν ἐνδόξως τιμήσωμεν λαοὶ Θεοτόκον· τὴν τὸ θεῖον πῦρ ἐν γαστρὶ ἀφλέκτως συλλαβοῦσαν, ὕμνοις ἀσιγήτοις μεγαλύνωμεν.

Οἱ λαοὶ ἰδόντες βαδίζοντα νεκρὸν τεταρταῖον, ἐκπλαγέντες τῷ θαύματι ἀνεβόων τῷ λυτρωτῇ, Θεόν σε ἐν ὕμνοις μεγαλύνοντες.

Προπιστῶν τὴν ἔνδοξον ἔγερσιν τὴν σὴν ὦ σωτήρ μου, νεκρὸν τετραήμερον ἐκ τοῦ ᾅδου ἐλευθεροῖς τὸν Λάζαρον. ἐν ὕμνοις μεγαλύνω σε.

VIII.

IMmaculatam glorioſe honoremus o populi Deiparam; quæ divinum ignem in utero quin combureretur concepit, hymnis perpetuis magnificemus.

Populi videntes ambulantem mortuum quatriduanum, perculſi admiratione clamabant Redemtori, te Deum in hymnis magnificantes.

B In anteceſſum confirmans glorioſam reſurrectionem tuam, o Salvator mi, mortuum quatriduanum ex inferis liberas Lazarum. In hymnis magnfico te.

θ'.

[1] Ὁ ἀναβαλλόμενος φῶς ὡς ἱμάτιον, δι' ἡμᾶς καθ' ἡμᾶς γενέσθαι κατηξίωσε. ῥεῖθρα περιβάλλεται σήμερον τὰ Ἰορδάνεια· οὐκ αὐτὸς τούτων πρὸς κάθαρσιν δεόμενος, ἀλλ' ἡμῖν ἐν ἑαυτῷ οἰκονομῶν τὴν ἀναγέννησιν. ὢ τοῦ θαύματος· δίχα πυρὸς ἀναχωνεύει, καὶ ἀναπλάττει ἄνευ συντρίψεως, καὶ σώζει τοὺς εἰς αὐτὸν φωτιζομένους Χριστὸς ὁ Θεός, καὶ σωτὴρ τῶν ψυχῶν ἡμῶν.

Σὲ τὸν ἐν πνεύματι καὶ πυρὶ καθαίροντα τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου καθορῶν ὁ βαπτιστὴς ἐρχόμενον πρὸς αὐτόν, δειλιῶν καὶ τρέμων ἐβόα λέγων· οὐ τολμῶ κρατῆσαι τὴν κορυφήν σου τὴν ἄχραντον. σύ με ἁγίασον δέσποτα τῇ θείᾳ ἐπιφανείᾳ σου, μόνε φιλάνθρωπε.

Δεῦτε μιμησώμεθα τὰς φρονίμας παρθένους. δεῦτε ὑπαντήσωμεν τῷ φανέντι δεσπότῃ, ὅτι προῆλθεν ὡς νυμφίος πρὸς τὸν Ἰωάννην. ὁ Ἰορδάνης ἰδών σε ἔπτηξε καὶ ἔμεινεν. ὁ Ἰωάννης ἐβόα· οὐ τολμῶ κρατῆσαι κορυφῆς ἀθανάτου. τὸ πνεῦμα κατήρχετο ἐν εἴδει περιστερᾶς ἁγιάσαι τὰ ὕδατα. καὶ φωνὴ οὐρανόθεν· οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου, ὁ ἐλθὼν εἰς τὸν κόσμον. σῶσαι γένος ἀνθρώπων. κύριε δόξα σοι.

Βαπτίζεται Χριστὸς καὶ ἄνεισιν ἐκ τοῦ ὕδατος. συναναφέρει γὰρ ἑαυτῷ τὸν κόσμον, καὶ ὁρᾷ σχιζομένους τοὺς οὐρανούς, οὓς ὁ Ἀδὰμ ἔκλεισεν ἑαυτῷ καὶ τοῖς μετ' αὐτοῦ, καὶ τὸ πνεῦμα μαρτυρεῖ τῇ θεότητι· τῷ ὁμοίῳ γὰρ προστρέχει, καὶ φωνὴ ἐξ οὐρανοῦ· ἐκεῖθεν γὰρ ὁ μαρτυρούμενος σωτὴρ τῶν ψυχῶν ἡμῶν.

Ἔτρεμεν ἡ χεὶρ τοῦ βαπτιστοῦ ὅτι τῆς ἀχράντου κορυφῆς ἥψατο. ἐστράφη ὁ Ἰορδάνης ποταμὸς εἰς τὰ ὀπίσω, μὴ τολμῶν λειτουργῆσαί σοι. ὁ γὰρ αἰδεσθεὶς Ἰησοῦν τὸν τοῦ Ναυῆ, πῶς τὸν ποιητὴν αὐτοῦ δειλιᾶσαι οὐκ εἶχεν; ἀλλὰ πᾶσαν ἐκπληρώσας οἰκονομίαν σωτὴρ ἡμῶν, ἵνα σώσῃς τὸν κόσμον τῇ ἐπιφανείᾳ σου, μόνε φιλάνθρωπε.

IX.

QUi induitur lumine ſicut veſtimento, propter nos ſecundum nos fieri dignatus eſt. Fluenta ſubit Jordanica hodie; non ipſe indigens illis ad purificationem, ſed nobis in ſeipſo adminiſtrans regenerationem. O prodigium! Sine igne refundit, & refingit ſine ſubactione, & ſolidat qui in ipſo illuminantur (*baptiſmo*) Chriſtus Deus & ſalvator C animarum noſtrarum.

Te in ſpiritu & igne purgantem peccatum mundi videns Baptiſta accedentem ad ſe, timens & & tremens clamabat dicens: Non audeo contrectare caput tuum immaculatum. Tu me ſanctifica Domine, divina apparitione tua, o ſole miſericors.

Agitedum imitemur prudentes Virgines. Agite occurramus apparenti Domino, quoniam proceſſit tamquam ſponſus ad Joannem. Jordanis videns te timuit & ſtetit. Joannes clamabat: Non audeo contrectare caput immortale. Spiritus deſcendit in ſpecie columbæ ut ſanctificaret aquas; & vox cælitus: Hic eſt filius meus, qui venit in mundum ſalvum D facere genus humanum. Gloria tibi Domine.

Baptizatur Chriſtus, & aſcendit ex aqua: ſimul enim ſecum reducit mundum, videtque apertos cælos, quos Adam clauſerat ſibi & poſteris ſuis, & Spiritus teſtificatur divinitati: ſimili enim ſupervenit, & vox de cælo; inde enim qui teſtimonium accipit, eſt Salvator animarum noſtrarum.

Tremebat manus Baptiſtæ, quando immaculatum caput tetigit: Jordanis fluvius converſus eſt retrorſum, non audens miniſtrare tibi. Qui enim veritus eſt Jeſum Nave, quomodo factorem ſuum timere non debebat? Sed omnem impleviſti œconomiam Salvator noſter, ut ſalves mundum apparitione tua, o ſole miſericors.

ι'.

[2] ΚΑτακόσμησον τὸν νυμφῶνά σου Σιών, καὶ ὑπόδεξαι τὸν βασιλέα Χριστόν. ἄσπασαι τὴν Μαριὰμ τὴν ἐπουράνιον πύλην· αὕτη γὰρ θρόνος χερουβικὸς ἀνεδείχθη. αὕτη βαστάζει τὸν βασιλέα τῆς δόξης· νεφέλη φωτὸς ὑπάρχει ἡ παρθένος, φέρουσα ἐν σαρκὶ υἱὸν πρὸ ἑωσφόρου. ὃν λαβὼν Συμεὼν ἐν ἀγκάλαις αὐτοῦ ἐκήρυξε λαοῖς, δεσπότην αὐτὸν εἶναι ζωῆς καὶ θανάτου, καὶ σωτῆρα τοῦ κόσμου.

E

X.

ADorna thalamum tuum Sion, & ſuſcipe regem Chriſtum. Amplectere Mariam cæleſtem januam. Hæc enim thronus Cherubicus conſtituta eſt. Hæc portat regem gloriæ: nubes luminis eſt virgo, portans in carne filium qui eſt ante Luciferum, quem accipiens Simeon in ulnis ſuis prædicavit populis, eum dominum eſſe vitæ & mortis, & ſalvatorem mundi.

1. Hæc invenimus in Anthologio menſe Januario pag. 73.

2. Anth. Ibid. pag. 190.

Sæc. VIII. CIRCA ANN. CHR. 725.



A

ιά

[1] ΠΡὸ τῦ ςαυροῦ σου κύριε, ὄρ⊕ οὐρανὸν ἐμι-
μεῖτο, νεφέλη ὡς σκιωὴ ἐφηπλῦτο, σοῦ με-
ταμορφυμένυ. ὑπὸ πατρὸς δὲ μαρτυρυμένου, παρλῶ ὁ
Πέτρος σωὶ Ιακώβῳ ϗ Ιωάννῃ, ὡς μέλλοντες σωεῖ-
ναί σοι καὶ ἐν τῷ καιρῷ τῆς παραδόσεώς σου, ἵνα
θεωρήσαντες τὰ θαυμάσιά σῦ· ἃ προσκωῆσαι ἡμᾶς
ἐν εἰρήνῃ καταξίωσον διὰ τὸ μέγα σῦ ἔλεος.

Πρὸ τοῦ ςαυροῦ σῦ κύριε παραλαβὼν τοὺς μαθη-
τὰς εἰς ὄρ⊕ ὑψηλὸν, μετεμορφώθης ἔμπροσθεν
αὐτῶν, ἀκτῖσι δωάμεως καταυγάζων αὐτούς. ἐν-
θεν φιλανθρωπίᾳ, ἐκεῖθεν ἐξουσίᾳ δεῖξαι βουλό-
μεν⊕ τῆς ἀναςάσεως τλὼ λαμπρότητα. ἧς καὶ ἡ-
μᾶς ὁ Θεὸς ἐν εἰρήνῃ καταξίωσον, ὡς ἐλεήμων καὶ
φιλάνθρωπ⊕.

Εἰς ὄρ⊕ ὑψηλὸν μεταμορφωθεὶς ὁ σωτὴρ, τοὺς
κορυφαίους ἔχων τῶν μαθητῶν ἐνδόξως ἐξέλαμψεν,
δηλῶν ὅτι οἱ τῷ ὕψει τῶν ἀρετῶν διαπρέψαντες,
καὶ τῆς ἐνθέου δόξης ἀξιωθήσονται. συλλαλοῦντες
δὲ τῷ Χριστῷ Μωϋσῆς καὶ Ηλίας ἐδείκνυον, ὅτι
ζώντων καὶ νεκρῶν κυριεύει, καὶ ὁ πάλαι διὰ νό-
μου καὶ προφητῶν λαλήσας ὑπῆρχε Θεὸς, ᾧ καὶ
φωνὴ τοῦ πατρὸς ἐκ νεφέλης φωτινῆς ἐμαρτύρει λέ-
γουσα· αὐτοῦ ἀκούετε, τοῦ διὰ ςαυροῦ τὸν ᾅδlω
σκυλεύσαντ⊕, καὶ νεκροῖς δωρουμένου ζωlὼ τlὼ
αἰώνιον.

Ορ⊕ τό ποτε ζοφῶδες καὶ καπνῶδες, νιῦ τί-
μιον καὶ ἅγιόν ἐστιν, ἐν, ᾧ οἱ πόδες σου ἔστησαν
κύριε. πρὸ αἰώνων γὰρ κεκαλυμμένον μυστήριον
ἐπ' ἐσχάτων ἐφανέρωσεν ἡ φρικτή σου μεταμόρφω-
σις Πέτρῳ, Ιωάννῃ καὶ Ιακώβῳ, οἵ τινες τlὼ ἀκτῖ-
να τοῦ προσώπου σου μὴ φέροντες, καὶ τlὼ λαμ-
πρότητα τῶν χιτώνων σου, ἐπὶ πρόσωπον εἰς γlῶ
κατεβαρωύοντο· οἱ καὶ τῇ ἐκστάσει σωεχόμενοι,
ἐθαύμαζον βλέποντες Μωϋσlῶ καὶ Ηλίαν συλλα-
λοῦντάς σοι τὰ μέλλοντα συμβαίνειν σοι· καὶ φω-
νὴ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐμαρτύρει λέγουσα· ὗτός ἐςιν ὁ
ὑιός μου ὁ ἀγαπητὸς ἐν ᾧ εὐδόκησα, αὐτῦ ἀκύετε,
ὅςις καὶ δωρεῖται τῷ κόσμῳ τὸ μέγα ἔλεος.

XI.

ANte crucem tuam Domine, mons cælum imitabatur, nubes ut tabernaculum explicabatur, te transfigurato. A patre autem teſtimonium accipienti aderat Petrus cum Jacobo & Joanne, utpote qui tecum futuri erant etiam in tempore proditionis tuæ, ut conſpicerent mirabilia tua: quæ adorare nos in pace digneris propter magnam miſericordiam tuam.

Ante crucem tuam Domine aſſumtis diſcipulis, in montem excelſum, transfiguratus es ante eos, B radiis potentiæ illuminans eos; benignitate ſimul & poteſtate oſtendere volens reſurrectionis fulgorem: qua & nos, o Deus, in pace dignare, tamquam miſericors & benignus.

In monte excelſo transfiguratus Salvator, principes habens diſcipulorum glorioſe reſplenduit, indicans eos qui celſitudine virtutum conſpicui ſunt, etiam divina gloria dignatum iri. Colloquentes autem cum Chiſto Moyſes & Elias oſtenderunt, eum vivorum ac mortuorum dominari, illumque eſſe Deum, qui olim per Legem & Prophetas loquebatur: cui & vox Patris ex nube lucida teſtimonium perhibebat dicens: Ipſum audite, qui per C crucem infernum exſpoliavit, & mortuis largitus eſt vitam ſempiternam.

Mons quondam obſcurus & fumidus, nunc glorioſus eſt & ſanctus, in quo ſteterunt pedes tui Domine. Ante ſæcula enim occultatum myſterium noviſſimis temporibus manifeſtavit reverenda tua transfiguratio Petro, Joanni & Jacobo, qui radios vultus tui haudquaquam ferentes, & fulgorem veſtimentorum tuorum, proni in terram proruerunt: qui & ſtupore perculſi, admirabantur videntes Moyſem & Eliam colloquentes tecum quæ eventura erant tibi: & vox a patre teſtificabatur dicens: Hic eſt filius meus dilectus in quo complacui, ipſum audite, qui & largitur mundo magnam miſericordiam.

1. Hæc ex Anthol. menſe Auguſto pag. 158.

VENERABILIS BEDÆ EPISTOLA

AD EGBERTUM ANTISTITEM.

I. Dilectissimo [1] ac Reverendissimo Antistiti Ecberto, Beda famulus Christi salutem. Memini te hesterno dixisse anno, cum tecum aliquot diebus legendi gratia in monasterio tuo demorarer, quod hoc etiam anno velles, cum in eumdem devenires locum, me quoque ob commune legendi studium ad tuum accipere colloquium. Quod si ita, Deo volente, posset impleri, non opus esset tibi hæc per literas scripta dirigere; cum possem liberius ore ad os loquens quæque velim sive necessaria ducerem, secreta tibi allocutione suggerere. Verum quia hoc ne fieret, superveniens (ut nosti) corporis mei valetudo prohibuit, agere tamen quod potui, erga dilectionem tuam fraternæ devotionis intuitu curavi, mittendo videlicet per litteras quod corporaliter veniendo per collocutionem nequiveram. Precorque te per Dominum, ne harum apices literarum arrogantiæ supercilium esse suspiceris, sed obsequium potius humilitatis ac pietatis veraciter esse cognoscas.

II. Exhortor itaque tuam dilectissime in Christo antistes, sanctitatem, ut gradum sacrosanctum quem tibi Auctor graduum & spiritualium largitor charismatum committere dignatus est, sacrosancta operatione & doctrina confirmare memineris. Neutra enim hæc virtus sine altera rite potest impleri: si aut is qui bene vivit docendi officium negligit, aut recte docens antistes rectam exercere operationem contemnit. Qui autem utrumque veraciter agit, profecto talis servus adventum Domini sui gratulabundus exspectat, sperans se citius auditurum: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.* Si quis vero, quod absit! gradu episcopatus accepto, nec seipsum a malis actibus bene vivendo, nec subditam sibi plebem castigando, vel admonendo corrigere curat: quid huic veniente Domino, hora qua non sperat, eventurum sit, Evangelica manifeste sententia declarat, qua dicitur: *Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.*


III. Ante omnia sane tuæ sanctæ paternitati suadeo, ut ab otiosis te confabulationibus, obtrectationibus, cæterisque linguæ indomitæ contagiis, pontificali dignitate coerceas: divinis autem eloquiis ac meditationibus scripturarum linguam simul & mentem occupes, & maxime lagendis beati Paulli Apostoli epistolis ad Timotheum & Titum, sed & verbis sanctissimi papæ Gregorii, quibus de vita simul & vitiis Rectorum, sive in libro Regulæ Pastoralis, seu in homiliis Evangelii multum curiose disseruit: ut sit sermo tuus semper sapientiæ sale conditus, eminentior vulgari locutione, ac divino auditui dignior elucescat. Sicut enim indecens est, si vasa altaris sacrosancta vulgaribus umquam usibus ac vilibus profanentur officiis; ita perversum omni modo ac miserum est, si is qui ad consecranda in altari dominica sacramenta ordinatus est, nunc quidem eisdem conficiendis sacramentis Domino famulaturus assistat, nunc egressus ecclesiam ipso ore, eisque manibus quibus paullo ante sacra tractaverat, repente frivola loqui vel agere Dominum offensurus incipiat.

IV. Ad custodiendam vero linguæ vel operis munditiam, cum lectione divina, etiam societas eorum qui Christo fideli devotione famulentur plurimum juvat. Ut si quando vel lingua lascivire vel operatio prava mihi subrepere cœperit, mox sociorum fidelium manu, ne cadere valeam, sustenter. Quod cum omnibus Dei famulis sibimet ita prospicere ultissimum sit, quanto magis illi gradui qui non suimet tantummodo curam agere, sed etiam erga commissam sibi Ecclesiam necesse habet studium salutis impendere, juxta illum qui dicit: *Præter ea quæ extrinsecus sunt instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* Quod non ita loquor, quasi te aliter facere sciam; sed quia de quibusdam episcopis fama vulgatum est, quod ita ipsi Christo serviant, ut nullos secum alicujus religionis aut continentiæ viros habeant: sed potius illos qui risui, jocis, fabulis, commessationibus & ebrietatibus, cæterisque vitæ remissioribus illecebris subjugantur, & qui magis quotidie ventrem dapibus, quam mentem sacrificiis cælestibus pascant. Quos tua sancta authoritate, si alicubi repereris, velim corrigas, moneasque illos tales suæ conversationis diurnæ sive nocturnæ testes habere, qui & actione Deo digna, & exhortatione congrua prodesse populis ac spirituale ipsorum antistitum opus juvare sufficiant. Lege enim Actus Apostolorum, & videbis, referente beato Luca, quales secum comites apostoli Paullus & Barnabas habuerint, quid etiam ipsi, ubicumque devenissent, operis egerint. Statim namque ut civitates vel Synagogas ingressi sunt, verbum Dei prædicare, & per omnia disseminare curabant. Quod etiam te, dilectissimum mihi caput, sagaciter cupiam, ubicumque potes implere. In hoc consecratus es, ut verbum evangelizes virtute multa, præbente tibi auxilium ipso rege virtutum Domino nostro Jesu Christo. Quod ita rite perficies si ubicumque perveneris, mox collectis ad te ejusdem loci incolis, verbum illis exhortationis exhibueris, simul & exemplum vivendi una cum omnibus qui tecum venerint, quasi cælestis militiæ ductor ostenderis.

V. Et quia latiora sunt spatia locorum, quæ ad gubernacula tuæ diœcesis pertinent, quam ut solus per omnia discurrere, & in singulis viculis atque agellis verbum Dei prædicare, etiam anni totius emenso curriculo, sufficias; necessarium satis est, ut plures tibi sacri operis adjutores ascisca, presbyteros videlicet ordinando, atque instituendo doctores, qui in singulis viculis prædicando Dei verbo,

1. Ecbertus hic vel Egbertus Archiepiscopus fuit Eboracensis, anno Domini 732. Wilfrido defuncto suffectus. De eo videsis Guil. Malbersbur. de gestis Pontif. Anglorum lib. III.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 735.



& consecrando mysteriis cælestibus, ac maxime peragendis sacris baptismatis officiis, ubi opportunitas ingruerit, insistant. In qua videlicet prædicatione populis exhibenda, hoc præ ceteris omni instantia procurandum arbitror, ut fidem catholicam quæ Apostolorum symbolo continetur, & Dominicam orationem, quam sancti Evangelii nos scriptura edocet, omnium qui ad tuum regimen pertinent, memoriæ radicitus infigere cures. Et quidem omnes qui latinam linguam lectionis usu didicerunt, etiam hæc optime didicisse certissimum est: sed idiotas, hoc est, eos qui propriæ tantum linguæ notitiam habent, hæc ipsa sua lingua dicere, ac sedulo decantare facito. Quod non solum de laicis, id est, in populari adhuc vita constitutis, verum etiam de B clericis sive monachis qui latinæ sunt linguæ expertes fieri oportet. Sic enim fit, ut cœtus omnis fidelium quomodo fidelis esse, qua se firmitate credendi contra immundorum spirituum certamina munire atque armare debeat, discat. Fit ut chorus omnis Deo supplicantium quid maxime a Divina clementia quæri oporteat, agnoscat. Propter quod & ipse multis sæpe sacerdotibus idiotis hæc utraque, & symbolum videlicet, & Dominicam orationem in linguam Anglorum translatam obtuli. Nam sanctus antistes Ambrosius hoc de fide loquens admonet, ut verba symboli matutinis semper horis fideles quique decantent, & hoc se, quasi antidoto spirituali, contra diaboli venena quæ illis interdiu vel noctu, astu C maligno, objicere posset, præmuniant. Orationem vero Dominicam sæpius cantari ipsa etiam nos consuetudo sedulæ deprecationis ac genuum flexionis docuit.

VI. Quod si hæc ut suggerimus in regendis pascendisque Christi ovibus tua Pastoralis auctoritas perfecerit, dici non potest quantum tibi supernæ mercedis apud pastorem pastorum in futuro præparaveris. Quanto enim rariora hujus sacratissimi operis in Episcopis nostræ gentis exempla reperis, tanto altiora singularis meriti recipies; utpote qui populum Dei, per crebram symboli vel orationis sacræ decantationem, ad intellectum, amorem, spem, D fidem, & inquisitionem eorumdem quæ decantantur, cælestium donorum, paterna pietate ac solicitudine provocatum accenderis. Sicut e contrario si commissum tibi a Domino negotium minus diligenter compleveris, pro retentione talenti, cum servo nequam & pigro partem es recepturus in futuro: maxime si temporalia ab illis commoda requirere atque accipere præsumseris, quibus nulla cælestis beneficii dona rependere probaveris. Cum enim Dominus mittens ad evangelizandum dixisset: *Euntes autem prædicate dicentes, quia appropinquat regnum cælorum*: paullo post adjunxit, dicens: [a] *Gratis accepistis, gratis date. Nolite possidere aurum, neque argentum*. Si ergo illos gratis Evange- E lium prædicare jussit, neque aurum vel argentum, vel aliquid pecuniæ temporalis ab eis, quibus prædicabant accipere permisit: quid rogo illis qui his contraria gerunt, periculi immineat?

VII. Attende quid gravissimi sceleris illi commiserint, qui & terrena ab auditoribus suis lucra diligentissime requirere, & pro eorum salute æterna, nihil omnino prædicando vel exhortando vel increpando, laboris impendere contendunt. Sollicite atque intentione curiosa, Antistes dilectissime, per- A pende. Audivimus enim, fama est, quia multæ villæ atque viculi nostræ gentis in montibus sint inaccessis, ac saltibus dumosis positi, ubi numquam multis transeuntibus annis sit visus antistes, qui ibidem aliquid ministerii aut gratiæ cælestis exhibuerit: quorum tamen ne unus quidem a tributis antistiti reddendis esse possit immunis; nec solum talibus locis desit antistes qui manus impositione baptizatos confirmet, verum & omnis doctor qui eos vel fidei veritatem vel discretionem bonæ ac malæ actionis edoceat, absit. Sicque fit, ut episcoporum quidam non solum gratis evangelizent, vel manus fidelibus imponant; verum etiam, quod gravius est, accepta ab auditoribus suis pecunia quam Dominus prohibuit, opus verbi quod Dominus jussit exercere contemnant: quum Deo dilectus pontifex Samuel, longe aliter fecisse omni populo teste legatur. [b] *Itaque conversatus*, inquit, *coram vobis ab adolescentia mea usque ad diem hanc, ecce præsto sum. Loquimini de me coram Domino, & coram christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim, an asinum: si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus accepi. Et contemnam illud hodie, restituamque vobis. Et dixerunt: Non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicujus quippiam*. Cujus innocentiæ ac justitiæ merito, inter primos populi Dei duces & sacerdotes annumerari, atque in precibus suis superno auditu atque alloquio dignus existere meruit, dicente Psalmographo: [c] *Moses & Aaron in sacerdotibus ejus, & Samuel inter eos qui invocant nomen ejus usque loquebatur ad eos*.

VIII. Si autem aliquid utilitatis fidelibus conferre manus impositionem, qua Spiritus Sanctus accipitur, credimus & confitemur: constat e contrario, quod hæc ipsa utilitas eis quibus manus impositio defuerit, abest. Cujus nimirum privatio boni ad quos amplius, quam ad ipsos respicit antistites, qui illorum se promittunt esse præsules, quibus spiritualis officium præsulatus exhibere aut negligunt aut nequeunt? Cujus totius facinoris nulla magis quam avaritia caussa est. Contra quam disputans Apostolus, in quo Christus loquebatur, ajebat: *Radix omnium malorum cupiditas est*. Et rursum: *Neque avari*, inquit, *regnum Dei possidebunt*. Quum enim antistes dictante amore pecuniæ majorem populi partem, quam ulla ratione per totum anni spatium paragrare prædicando, aut circuire valuerit, in nomen sui præsulatus assumserit: satis exitiale & sibimet ipsi, & illis quibus falso præsulis nomine prælatus est, comprobatur concinnare periculum.

IX. Hæc tuæ sanctitati, dilectissime antistes, paucis de calamitate qua nostra gens miserrime laborat, insinuans obsecro sedulus, ut hæc quæ perversissime agi conspicis quantum vales ad rectam vitæ normam revocare contendas. Habes enim, ut credo protissimum tam justi laboris adjutorem regem videlicet [1] Ceolulfum, qui & pro insita sibi dilectione religionis, quicquid ad regulam pietatis pertinet, firma protinus intentione adjuvare curabit, & maxime illa, quæ tu quum sis propinquus illius amantissimus, bona cœperis, ipse ut perficiantur opitulari curabit. Quapropter velim solerter illum admoneas, ut in diebus vestris statum nostræ gentis ecclesiasticum in melius quam hactenus fuerat, instaurare curetis. Quod non

a Matth. X. 8. *b* I. Reg. XII. 2. 3. 4. *c* Psalm. XCVIII. 6.

1. Regnavit ab anno 731. ad 737. Intra quod tempus epistola omnino scripta est.

lio magis, ut mihi videtur poteſt ordine perfici, quam ſi plures noſtræ genti conſecrentur antiſtites, exemplumque ſequamini legislatoris, qui quum ſolus jurgia ac pondus Iſraeliticæ plebis ſuſtinere non poſſet, elegit ſibi divino adjutus conſilio, & conſecravit ſeptuaginta ſeniores, quorum cura atque auxilio impoſitum ſibi onus ferre levius poſſet. Quis enim non videat quanto ſit melius tam enorme pondus eccleſiaſtici regiminis in plures, qui hoc diſpertitum facilius ferant, dividi, quam unum ſub faſce quem portare non poſſit opprimi? Nam & ſanctus papa Gregorius, quum de fide noſtræ gentis quæ adhuc futura & conſervanda erat in Chriſto, ad beatiſſimum archiepiſcopum Auguſtinum miſſis literis diſputaret, duodecim in ea epiſcopos, poſtquam ad fidem venerunt, ordinandos eſſe decrevit. [1] In quibus, Eburacenſis antiſtes, accepto a ſede Apoſtolica pallio, metropolitanus eſſe debebat. Quem profecto numerum Epiſcoporum velim modo tua ſancta paternitas, patrocinante præſidio piiſſimi ac Deo dilecti regis præfati, ſolerter implere contendat, quatenus abundante numero magiſtrorum, perfectius Eccleſia Chriſti in his quæ ad cultum ſacræ religionis pertinent, inſtituatur. Et quidem novimus quia per incuriam regum præcedentium, donationeſque ſtultiſſimas factum eſt, ut non facile locus vacans, ubi ſedes epiſcopalis nova fieri debeat, inveniri valeat.

X. Quapropter commodum duxerim, habito majori concilio & conſenſu, edicto proſpiciatur locus aliquis monaſteriorum, ubi ſedes fiat epiſcopalis. Et ne forte abbas vel monachi huic decreto contraire ac reſiſtere tentaverint, detur illis licentia, ut de ſuis ipſi eligant eum qui epiſcopus ordinetur, & adjacentium locorum quotquot ad eamdem diœceſim pertineant, una cum ipſo monaſterio curam gerat epiſcopalem. Aut ſi forte in ipſo monaſterio qui eiſcopus ordinari debeat inveniri nequeat, in ipſorum tamen juxta ſtatuta ſanorum pendeat examine, qui de ſua diœceſi ordinetur antiſtes. Quod ſi hoc, ita ut ſuggerimus, Domino adjuvante, perfeceris, facillime, ut arbitramur, hoc obtinebis, ut juxta decreta ſedis Apoſtolicæ, Eboracenſis Eccleſia Metropolitanum poſſit habere pontificem. Ac ſi opus eſſe viſum fuerit, ut tali monaſterio, cauſſa epiſcopatus ſuſcipiendi, amplius aliquid locorum ac poſſeſſionum augeri debeat, ſunt innumera, ſtilo ſtultiſſimo, ut novimus omnes, in monaſteriorum aſcripta vocabulum, ſed nihil prorſus monaſticæ converſationis habentia. E quibus aliqua velim de luxuria ad caſtitatem, de vanitate ad veritatem, de intemperantia ventris & gulæ ad continentiam & pietatem cordis ſynodica auctoritate transferantur, atque in adjutorium ſedis epiſcopalis quæ nuper ordinari debeat, aſſumantur.

XI. Et quia hujuſmodi maxima & plura ſunt loca, quæ, ut vulgo dici ſolet, neque Deo neque hominibus utilia ſunt, quia videlicet neque regularis ſecundum Deum ibidem vita ſervatur, neque illa milites ſive comites ſecularium poteſtatum qui gentem noſtram a barbaris defendunt, poſſident: ſi quis in eiſdem ipſis locis pro neceſſitate temporum ſedem epiſcopatus conſtituerit; non culpam prævaricationis incurrere, ſed opus virtutis magis agere

A probabitur. Quomodo enim in peccatum reputari poteſt, ſi injuſta principum judicia recto meliorum principum examine corrigantur? ac mendax ſtilus ſcribarum iniquorum diſcreta prudentium ſacerdotum ſententia deleatur, ac redigatur in nihilum; juxta exemplum ſacræ hiſtoriæ, quæ tempora regum Judæ a David & Salomone ad uſque ultimum Zedechiam deſcribens, nonnullos quidem in eis religioſos, ſed plures reprobos exſtitiſſe deſignat, vicibuſque alternantibus, nunc impios bonorum qui ante ſe fuerant facta reprobare, nunc e contra juſtos impiorum qui ſe præceſſerant geſta nociva, prout dignum erat, juvante ſe Dei ſpiritu, per prophetas ſanctos ac ſacerdotes omni inſtantia cor-
B rexiſſe, juxta illud beati Eſaiæ præcipientis ac dicentis: [a] *Diſſolve obligationes violentarum commutationum. Dimitte confractos in remiſſionem, & omnem conſcriptionem iniquam diſrumpe.* Quo exemplo, tuam quoque ſanctitatem decet cum religioſo rege, noſtræ gentis irreligioſa & iniqua priorum geſta atque ſcripta convellere, & ea quæ provinciæ noſtræ, ſive ſecundum Deum, ſive ſecundum ſæculum, ſint utilia, proſpicere. Ne noſtris temporibus vel religione ceſſante, amor timorque interni deſeratur inſpectoris, vel rareſcente copia militiæ ſecularis, abſint qui fines noſtros a barbarica incurſione tueantur. Quod enim turpe eſt dicere, tot ſub nomine monaſteriorum loca, hi qui monachi-
C cæ vitæ prorſus ſunt expertes in ſuam ditionem acceperunt, ſicut ipſi melius noſtis, ut omnino deſit locus, ubi filii nobilium aut emeritorum militum poſſeſſionem accipere poſſint, ideoque vacantes ac ſine conjugio, exacto tempore pubertatus, nullo continentiæ propoſito perdurent, atque hanc ob rem vel patriam ſuam, pro qua militare debuerant, trans mare abeuntes relinquant, vel majore ſcelere atque impudentia, qui propoſitum caſtitatis non habent, luxuriæ ac fornicationi deſerviant, neque ab ipſis ſacratis Deo virginibus abſtineant.

XII. At alii graviore adhuc flagitio, quum ſint ipſi laici & nullius vitæ regularis, vel uſu exerci-
D tii, amore præditi, data regibus pecunia, emunt ſibi ſub prætextu conſtruendorum monaſteriorum territoria, in quibus ſuæ liberius vacent libidini, & hæc inſuper in jus ſibi hereditarium, regalibus edictis faciunt aſcribi, ipſas quoque litteras privilegiorum ſuorum, quaſi veraciter Deo dignas, pontificum, abbatum & poteſtatum ſeculi obtinent ſubſcriptione confirmari. Sicque uſurpatis ſibi agellulis, ſive vicis, liberi exinde a divino ſimul & humano ſervitio, ſuis tantum inibi deſideriis laici monachis imperantes deſerviunt. Immo in monachos ibi congregant, ſed quoſcumque ob culpam inobedientiæ veris expulſos monaſteriis, alicubi forte oberrantes invenerint, aut evocare monaſteriis ipſi valuerint,
E vel certe quos ipſi de ſuis ſatellitibus ad ſuſcipiendam tonſuram promiſſa ſibi obedientia monachica invitare quiverint. Horum diſtortis cohortibus, ſuas quas inſtruxere cellas implent, multumque informi atque inaudito ſpectaculo, iidem ipſi viri modo conjugis ac liberorum procreandorum curam gerunt, modo exſurgentes de cubilibus quid intra ſepta monaſteriorum geri debeat, ſedula intentione pertractant. Quin enim ſuis conjugibus ſimili imprudentia conſtruendis, ut ipſi ajunt, monaſteriis loca

a Iſa. LVIII, 6.

1. Paullinum, *primum Eboracenſem antiſtitem pallium ab Honorio I. ſuſcepiſſe*, ſed, *Roveceſtriæ* (ſive Roffæ ubi obiit) *reliquiſſe*, tradit Malmesburienſis, lib. III. de Geſtis Pontificum Anglorum. Addit etiam Paullini ſucceſſores *ſimplici Epiſcopi vocabulo contentos nihil altius anhelaſſe*, ſed Egbertum demum pallium, *appellatione*, recuperaſſe. Hoc accidit anno Domini 735. ad quem annum in Faſtis Savilianis, præſulatus ejus initium refertur.

SÆC. VIII. CIRCA ANN. CHR. 735.

conquirunt, quæ pari ſtultitia cum ſint laicæ, famularum ſe Chriſti permittunt eſſe rectrices. Quibus apte convenit illud vulgi proverbium, quia veſpæ favos quidem facere cum poſſint, non tamen in his mella, ſed potius venena theſaurizent.

XIII. Sic per annos circiter triginta, hoc eſt, ex quo [1] Alfred rex humanis rebus ablatus eſt, provincia noſtra veſano illo errore dementata eſt, ut nullus pene exinde præfectorum exſtiterit, qui non hujuſmodi ſibi monaſterium in diebus ſuæ præfecturæ comparaverit, ſuamque ſimul conjugem pari reatu nocivi mercatus aſtrinxerit: ac prævalente peſſima conſuetudine miniſtri quoque regis ac famuli idem facere ſategerint. Atque ita, ordine perverſo, innumeri ſint inventi, qui ſe abbates pariter & præfectos ſive miniſtros aut famulos regis appellant, qui etſi aliquid vitæ monaſterialis ediſcere laici non experiendo ſed audiendo potuerint, a perſona illa tamen ac profeſſione quæ hanc docere debeat, ſunt funditus exſortes. Et quidem tales repente, ut noſti, tonſuram pro ſuo libitu accipiunt, ſuo examine de laicis non monachi, ſed abbates efficiuntur. Sed quia præfatæ virtutis nec notitiam probantur habere nec ſtudium, quid his aliud quam evangelica convenit maledictio illa, qua dicitur: *Cæcus ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt?* Quæ nimirum cæcitas poſſet aliquando terminari, ac regulari diſciplina cohiberi, & de finibus ſanctæ Eccleſiæ cunctis, pontificali ac ſynodica auctoritate procul expelli, ſi non ipſi pontifices magis hujuſmodi ſceleribus opem ferre atque aſtipulari probarentur. Qui non ſolum hujuſmodi decreta injuſta juſtis infringere decretis non curant, verum ſuis potius ſubſcriptionibus, ut præfati ſumus, confirmare ſatagunt. Eadem ipſi [2] philargyria dictante, ad confirmandum male ſcripta, qua emtores ad comparandum hujuſmodi monaſteria, coacti.

XIV. Multa quidem adhuc tibi poſſem de his & hujuſmodi prævaricatoribus quibus noſtra provincia miſerrime vexatur, his intimare literis, ſi non teipſum noſcem hæc eadem certiſſime cognoviſſe. Nam neque hæc ita ſcripſi, quaſi te ea quæ antea neſcires eſſem docturus, ſed ut te amica exhortatione commonerem, ea quæ optime noveras errata, diligenti prout vales inſtantia corrigere.

XV. Etiam jamque te multum deprecor atque obteſtor in Domino, ut commiſſum tibi gregem, ſedulus ab irruentium luporum improbitate tuearis. Teque non mercenarium, ſed paſtorem conſtitutum eſſe memineris, qui amorem ſummi paſtoris, ſolerti ovium ipſius paſtione demonſtres, proque eiſdem ovibus, ſi ita res popoſcerit, cum beato Apoſtolorum principe, animam ponere paratus ſis.

XVI. Precor ſollicite præcaveas, ne cum idem princeps Apoſtolorum, cæterique fidelium gregum duces, in die judicii maximum ſuæ paſtoralis curæ fructum Chriſto obtulerint, tuarum aliqua pars ovium inter hædos, ad ſiniſtram judicis ſecerni, atque in æternum cum maledictione mereatur ire ſupplicium. Quin potius ipſe tunc eorum numero merearis aſcribi, de quibus ait Eſaias: *Minimus* A *erit in mille, & parvulus in gentem fortiſſimam.* Tui namque eſt officii diligentiſſime proſpicere, quid in ſingulis monaſteriis tuæ parochiæ recti, quid perverſi geratur. Ne vel abbas regularum inſcius aut contemtor, vel abbatiſſa minus digna famulorum famularumve Chriſti præponatur examini, nec rurſum proviſioni ſpiritualium magiſtrorum contemtrix, & indiſciplinata contumacium auditorum turba reſultet: maxime quia (ſicut vulgo fertur,) dicere eſtis ſoliti, quod non ad regum curam, non ad aliquorum ſæculi principum cauſſam, ſed ad veſtrum tantummodo antiſtitum inquiſitionem atque examen, quid in ſingulis monaſteriis agatur pertineat, niſi forte in monaſteriis quilibet in ipſos principes pec- B caſſe comprobetur. Tui, inquam, eſt officii procurare ne in locis Deo conſecratis diabolus ſibi regnum uſurpet, ne pro pace diſcordia, pro pietate jurgia, pro ſobrietate ebrietas, pro caritate & caſtitate, fornicationes & homicidia ſibi ſedem vendicent. Ne apud te inveniantur aliqui, de quibus merito queratur ac dicatur: [a] *Vidi impios ſepultos, qui cum adviverent, in loco ſancto erant, & laudabantur in civitate, quaſi juſtorum operum.*

XVII. Eorum quoque qui in populari adhuc vita continentur, ſollicitam te neceſſe eſt curam gerere, ut ſicut in primordio hujus epiſtolæ præmonuimus, ſufficientes eis doctores vitæ ſalutaris adhibere me- C mineris, & hoc eis inter alia diſcere facias, quibus operibus maxime Deo placere, a quibus ſe debeant, qui Deo placere deſiderant, abſtinere peccatis, qua cordis ſinceritate in Deum credere, qua divinam clementiam ſupplicantes debeant devotione precari, quam frequenti diligentia ſignaculo ſe Dominicæ crucis, ſuaque omnia adverſum continuas immundorum ſpirituum inſidias neceſſe habeant munire; quam ſalutare ſit omni Chriſtianorum generi quotidiana Dominici corporis ac ſanguinis perceptio, juxta quod Eccleſiam Chriſti per Italiam, Galliam, Africam, Græciam, ac totum orientem ſolerter agere noſti. Quod videlicet genus religionis, ac Deo devotæ ſanctificationis tam longe a D cunctis pene noſtræ provinciæ laicis per incuriam docentium quaſi prope peregrinum abeſt, ut hi qui inter illos religioſiores eſſe videntur non niſi in Natali Domini, & Epiphania, & Paſcha, ſacroſanctis myſteriis communicare præſumant, cum ſint innumeri innocentes & caſtiſſimæ converſationis pueri ac puellæ, juvenes & virgines, ſenes & anus, qui abſque ullo ſcrupulo controverſiæ, omni die Dominico, ſive etiam in Natalitiis ſanctorum Apoſtolorum, ſive Martyrum, quomodo ipſe in ſancta Romana & Apoſtolica Eccleſia fieri vidiſti, myſteriis cæleſtibus communicare valeant. Ipſi etiam conjugati, ſi quis ſibi menſuram continentiæ oſtendat, & virtutem caſtitatis inſinuet, idem & licen- E ter poſſint, & libenter facere velint.


XVIII. Hæc tibi, ſanctiſſime antiſtes, & tuæ dilectionis intuitu, & generalis gratia utilitatis, breviter adnotare ſtudui, multum deſiderans, multumque exhortans, ut gentem noſtram a vetuſtis abſtrahere cures erroribus, & ad certiorem & directiorem vitæ callem reducere ſatagas. Et ſi ſunt aliqui cujuslibet gradus ſive ordinis viri, qui tua

a Eccl. VIII. 10.

1. Alfredus rex Nordan-Humbrorum, quem ipſemet Beda, in Breviario ſuo, ad finem Hiſtoriæ Gentis Anglorum, obiiſſe aſſerit anno Domini 705. cui ſi addamus annos 30. ſatis clare conſtat hanc epiſtolam a Beda paullo ante obitum conſcriptam fuiſſe. Atque hinc (ſicut ex aliis hujus Epiſtolæ locis) Balæi error manifeſtus detegitur, qui hanc Epiſtolam ad Egbertum Lindisfarnenſem Epiſcopum conſcriptam aſſerit: Cum Egbertus ille obierit anno Domini 721.

2. Φιλαργυρία, avaritia.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 735.



bona cœpta retinere atque impedire conentur, tu tamen propositum sanctæ virtutis, supernæ memor retributionis, ad firmum usque finem perducere contendas. Scio namque nonnullos huic nostræ exhortationi multum contradicturos, & maxime eos qui seipsos illis facinoribus a quibus te prohibemus, esse sentiunt irretitos. Sed meminisse te decet apostolicæ responsionis: *Quia obedire oportet Deo magis quam hominibus*. Mandatum quippe est Dei: *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam*. Et *nisi quis renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*. Traditio autem moderna est quorumdam, qui se Dei famulos esse profitentur, possessa non vendere, iterum & comparare non habita. Qua ergo fronte audet quisquam ad servitium Domini accessurus, vel eas quas in sæculari vita habuerat retentare, vel sub prætextu vitæ sanctioris, illas quas non habuerat congregare divitias, cum & apostolica sit notissima censura, quæ Ananiam & Sapphiram hoc facere molientes, non ullo pœnitentiæ vel satisfactionis remedio corrigere, sed ipsa statim mortis ultricis acceleravit damnatione punire? Et quidem illi non aliena colligere, sed sua incongrue retinere maluerunt. Unde manifeste patet, quam longe abstiterit animus Apostolorum a suscipiendis pecuniarum acquisitionibus, qui sub illa proprie regula Domino serviebant: *Beati pauperes, quia vestrum est regnum cælorum*. Et e contra, partis sinistræ proposito nihilominus instituebantur exemplo: *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram*. An forte errasse, ac mendacium scripsisse putamus Apostolum, quum nos admonens dicebat: *Fratres, nolite errare*, statimque subtexuit: *Neque avari, neque ebriosi, neque rapaces regnum Dei possidebunt*. Et iterum: [a] *Hoc autem scitote, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, aut rapax, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei*. Quum ergo Apostolus avaritiam & rapacitatem idololatriam manifeste cognominet, quomodo putandum est errasse eos, qui vel subscriptioni avari mercatus, rege licet imperante, manum subtraxerint, vel ad radendas inutiles scripturas ac subscriptiones, eorum manum apposuerint?

XIX. Et quidem miranda est temeritas stultorum, vel potius deflenda miseria cæcorum, qui cum sine ullo respectu superni timoris, ea quotidie quæ apostoli ac prophetæ, afflatu Sancti Spiritus scripserunt, rescindere, ac nihili pendere probantur; illud e contra, quod ipsi vel similes ipsorum instinctu avaritiæ vel luxuriæ scripserunt, quasi sanctum ac divinitus cautum eradere atque emendare formidant: in morem, ni fallor, ethnicorum, qui contemto veri Dei cultu, ea quæ ipsi sibi de corde suo finxerunt ac fecerunt, numina venerantur, timent, colunt, adorant & obsecrant; Dominica illa insectatione dignissimi, qua Pharisæos cum

A suas [1] deuteroses legi Dei præponerent, redarguit, dicens: [b] *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* Qui si etiam chartas protulerint in defensionem concupiscentiarum suarum adscriptas, ac nobilium personarum subscriptione confirmatas; Tu numquam precor Dominicæ sanctionis obliviscaris, qua dicitur: *Omnis plantatio quam non plantavit pater meus cælestis eradicabatur*. Et certe a te discere vellem, dilectissime antistes, Domino protestante ac dicente: *Quia lata porta & spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam: cum angusta porta & arcta via* (sit) *quæ ducit ad vitam, & pauci sint qui inveniant eam*: quid de
B eorum vita vel salute æterna confidas, qui toto vitæ suæ tempore per latam portam & spatiosam incedere viam noscuntur, & ne in minimis quidem rebus voluptati suæ vel corporis vel animi, caussa supernæ retributionis, obsistere vel repugnare curabant? Nisi forte per eleemosynas, quas inter concupiscentias quotidianas ac delicias pauperibus dare videbantur, criminibus absolvi posse credendi sunt, quum manus ipsa & conscientia quæ munus offerat Deo, munda ac a peccatis esse debeat absoluta, aut certe per mysteria sacrosanctæ oblationis, quibus ipsi dum viverent indigni exstiterant, per alios jam mortui redimi posse sperandi sunt. An forte permodica illis culpa videtur con-
C cupiscentiæ? De qua & paullo latius disputem. Hæc virum prophetiæ spiritu pleníssimum a sorte sanctorum fecit extorrem: Acham communione anathematis polluit ac perdidit: Saul regni infulis nudavit: Giezi prophetiæ meritis privavit, ac perpetuæ lepræ peste cum suo semine fœdavit: Judam Iscariotem de apostolatus gloria deposuit: Annaniam & Sapphiram, de quibus prædiximus, monachorum collegio indignos corporis morte mulctavit. Et ut ad superiora veniamus; hæc angelos cælo dejecit, & protoplastos a paradiso perpetuæ voluptatis expulit. Et si nosse vis, hic est ille triceps inferorum canis, cui fabulæ Cerberi nomen indiderunt, a cujus rabidis dentibus nos prohibens Joannes apo-
D stolus, ait: *Carissimi, nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas patris in eo. Quoniam omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum & superbia vitæ, quæ non est ex patre, sed ex mundo est*. Hæc contra virus avaritiæ breviter sunt dicta. Ceterum si de ebrietate, commessatione, luxuria, & ceteris hujusmodi contagionibus pari ratione tractare voluerimus, epistolæ modus in immensum extenderetur.

XX. Gratia te summi pastoris ad pastionem ovium suarum salutiferam perpetuo conservet incolumnem, dilectissime in Christo antistes. Scripta Non. Novembr. Indictione tertia. [1]

a Eph. V, 5. b Matth. xv. 3.

1. Δευτερώσεις, repetitiones legis, *h. e.* traditiones.

1. *H. e.* anno 735.

Sæc. VIII.
CIRCA
Ann. Chr.
73[?]



ECBERTI
EBORACENSIS
DIALOGUS.

Incipit succinctus Dialogus Ecclesiasticæ Institutionis, [1] *a Domno Ecgberhto Archiepiscopo Eburacæ civitatis compositus.*

PRima fronte præsentis paginæ, tuam venerabilem petimus sanctitatem, ut ea quæ sacrorum apicum attestatione ad pontificalem providentiam a nobis directa sunt, grato animo cum caritate suspicias, (caritas enim ædificat) & si qua in eis acceptione videntur digna, fraternitatis tuæ chirographo firmentur; si qua vero minus apte prolata noscuntur, tu quasi subtilissimus interpres utiliora interserere non dedigneris: & post informationem eorum quæ ad te missa sunt verborum, beatitudinis tuæ consilia nobis litterarum characteribus insinuare cupimus; quatenus vicissim membranis discurrentibus, unum atque id ipsum sentiamus vinculis caritatis innexi. Ut autem fraternitas tua certius de supradictis judicare possit; proponimus utraque simul, consulta videlicet & responsa.

I. Interrogatio. *Si necessitas coegerit; in quantum valet juramentum episcopi, presbyteri, vel diaconi, sive monachi.*

Responsio. Ordines supradicti secundum gradus promotionis habeant potestatem protestandi. Presbyter secundum numerum CXX. tributariorum; Diaconus vero juxta numerum LX. [2] manentium; Monachus vero secundum numerum XXX. tributariorum. Sed hoc in criminali caussa. Ceterum si de terminis agrorum oritur altercatio; Presbytero liceat juramenti sui adtestatione terram videlicet unius tributarii in jus transferre Ecclesiæ. Duobus quoque Diaconis id ipsum conceditur. Testificatio vero trium Monachorum in id ipsum sufficiat.

II. Interrog. *Presbyter, Diaconus, si possunt testes fieri verborum novissimorum, quæ a morientibus fiunt de rebus suis?*

Resp. Adsumat etiam secum unum vel duos, ut *in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.* Ne forte sub prætextu avaritiæ propinqui defunctorum his contradicant, quæ ab Ecclesiasticis dicuntur, solo Presbytero vel Diacono perhibente testimonium.

III. Interrog. *Presbyter, Diaconus, sive Monachus, si in nefandis accusantur facinoribus, nullo exsistente evidenti argumento; qua ratione si inculpabiles sunt, possunt expiari.*

Resp. Dum constat fidele testimonium esse in ore duorum vel trium testium; nos ne forte videamur angusto judicio eum qui sine peccato est opprimere, & facta testium difficultate obruatur innocentia: liceat accusato sub Regula constituto cuilibet ex his tribus gradibus, Presbyteri scilicet, Diaconi, vel Monachi, testes producere ad purificandum se. Sat enim satis est, exinde duos vel tres quos poterit secum educere ad defensionem sui. Cui vero desunt excusatores, vel propter terrorem accusantium, ipse solus sibi sufficiat in defensione innocentiæ suæ, quem nec visus testium nec filii procreati produnt culpabilem. Inhonestum est enim ut aut per negligentiam sacerdotum iniquitas cumuletur, aut per inopiam [3] jurium opprimatur puritas. Pro idcirco sancimus, eum cui crimen impingitur, ut ponat super caput suum crucem Domini, & testetur per viventem in sæcula, cujus patibulum est crux, sese immunem esse a peccato hujusmodi: & sic omnia dimittenda sunt judicio Dei.

IV. Interrog. *Presbyter vel Diaconus, si examinati corrupti inveniuntur, qua vigilantia pastorum prævavendum est, ne ab officio quidem remoti in alia Diœcesi prætentent ministrare, ac per hoc nonnulli scandalizentur?*

Resp. Presbyter vel Diaconus, si clarescentibus culpis a proprio Episcopo [4] electus, in ecclesia alia ministrare pertentaverit; mox ut cognitum fuerit, ab Episcopo cujus est Diœcesis expellatur: & sic per omnes sedes Ecclesiarum numquam stabilis, semper vagus & profugus versetur, donec longa afflictione humiliatus redeat ad sustinenda jura Ecclesiastica.

V. Interrog. *Quid habemus de sacris ministeriis, quæ ante damnationem Presbyter corruptus peregit, vel quæ postea damnatus inconsulte usurpavit?*

Resp. Ministeria vero quæ, usurpato nomine Sacerdotis, non dicatus ignorante populo peregit, minime credimus abjicienda. Nam male bonis ministrando ipse sibi reus, aliis non nocuit. Scienti autem caussas minime detersas, & qui tamen particeps factus est damnati, quomodo tribuitur ei perfectio quæ in dante non erat, quam ipse accipere potest damnationem, utique qui per quod habuit per prava officia dedit, ut ejus particeps similem sortiatur excommunicationis sententiam. Sed hoc de Baptismo accipi fas non est, quod iterari non debeat. Reliqua vero ministeria per indignum data, minus firma videntur.

VI. Interrog. *Presbyter, Diaconus, sine nutu Prioris sui transiliens in alia, si liceat diœcesi ministrare?*

1. *Beda in Breviario*: Anno ab incarnatione Domini 732. Ecgbertus pro Wilfrido Eboraci Episcopus factus.

2. Manens, *est incola Mansi, quæ fuit certa terræ portio.*
3. Forte *virium*.
4. *Ejectus*.

Resp. Desertorem vero propriæ Ecclesiæ interdictum habemus in alia ministrare: ministrantem vero taliter a suo submoveri officio, donec reconcilietur Ecclesiæ suæ.

VII. Interrog. *Si quis cujuscumque dignitatis transfugam clericum vel monachum ausu improbo sub se habere præsumserit; quid de his, carissimi, decernitis?*

Resp. Quisquis vero fratrum contra interdicta venerabilium Canonum transfugam clericum vel monachum sine litteris pacificis susceperit, & conventus in hac obstinatione perduraverit; reddat quod statutum est: xxx. quidem siclos, xv. vero episcopo loci, xv. abbati, cujus monachum sine nutu prioris sui susceperat; & fugitivum dimittat, aut amplius excommunicatus periclitetur. Quicumque vero ex laicis qui monasteriis præesse noscuntur, taliter aliquem ad se minime pertinentem susceperit; reddat debitum Statutum: regi quidem x. siclos, x. vero abbati, cujus domesticum sine consensu Ecclesiæ susceperat, & desertorem relinquat: aut tantam adhuc reddat pecuniam, quantam & ante dedisse cognoscitur. Jam postea excommunicetur usque ad satisfactionem: quatenus obstinati quique qui Deum minime timentes censuram excommunicationis omnino spernunt, saltem amissione rerum suarum ex parte damnati, minime præsumant statutis contraria. Hæc autem definitio maneat erga monasteria virginum, quæ sub regula esse probantur.

VIII. Interrog. *Si quis monachorum sacrilega se contagione miscuerit, vindicta quidem sceleris si pertinet ad laicos, qui sunt eorum propinqui nunc persequamini.*

Resp. De his qui intra Ecclesiam in gravibus vel in levibus commissis delinquunt, nihil vindictæ pertinet ad eos qui foris sunt. Maxime cum Apostolus dicat, omnes caussas Ecclesiæ debere apud sacerdotes dijudicari. Si qui vero Ecclesiastici crimen aliquod inter laicos perpetraverint, homicidium, vel fornicationem, vel furtum agentes: hos placuit a secularibus in quos peccaverunt omnimodo occupari; nisi animo fuerit Ecclesiæ pro talibus satisfacere. Laici vero qui sacrilega se contagione miscuerint velatis, non eodem modo quo lex publica fornicarios puniri percensuit, sed duplicata xxx. siclorum pecunia; hoc est, LX. argenteos volumus dare Ecclesiæ adulterantes: quia graves caussæ graviores & acriores quærunt curas.

IX. Interrog. *Si permittendum est Presbyteris, sive peregrinis, sive nostri generis, passim ministrare absque conscientia episcopi loci, in cujus diœcesi interim demorantur; maxime sub laicis, nusquam stabiles, nec loco nec auctoritate pontificali primitus fundatis?*

Resp. Presbyteros peregrinos, vel absolute ordinatos, sine litteris commendatitiis circumeuntes provincias; nusquam eos ministrare patimur, vel sacramenta tradere, absque conscientia episcopi loci. Quæ vero necessaria sunt, placuit eos administrare. Ad ministeria tamen sacrorum tales nolumus admitti, sine grandi discretione.

X. Interrog. *Si quis frater vel soror aliqua ad se pertinentia, ut æstimat, non ita repetit, ut judicantibus Ecclesiarum præsulibus ei pacifice restituantur, sed contemto proprio Episcopo irrationabiliter rerum properat obtinere ea, quæ sibi juste vel injuste vindicat: quid ad hæc dicitis?*

Resp. Quicumque frater vel soror rem aliquam ad se (ut æstimat) pertinentem non ita repetit, ut judicantibus Ecclesiarum sacerdotibus, sed per exteras potestates, vim faciens obtineat; etiam hoc quod violentus evicit omnino perdat, aut ab Ecclesia expellatur. Nec tamen Ecclesiæ suæ præjudicium imponimus. Sed post obitum anathematizati integris omnibus in statu suo manentibus partibusque in medio collocatis, quid antiquitas aut veritas habeat diligenter requiratur; & sic dimittendus est judicio episcoporum.

XI. Interrog. *Quid ad hæc dicitis? Quoniam quidem nonnulli propria habentes monasteria, ita ea inconsulte disponunt, ut post obitum illorum, duo simul utriusque sexus unum possideant monasterium, aut æquali sorte dividant, si inter se non convenerint.*

Resp. Venerabilis congregatio unum ex duobus eligat quem sibi præesse desiderat: & hic cum consilio episcopi loci constituatur abbas. Eo vero defuncto qui prælatus est, iste secundus qui connumeratus est initio heres, accipiat regimen totius monasterii, quod ante non ex toto sed ex parte sibi concessum gaudebat: si tamen dignus inveniatur, suo episcopo judicante. Quod si aliter factum fuerit, hujusmodi votum inefficax atque irritum judicetur: sitque faciens, vel consentiens, accipiensque anathema.

XII. Interrog. *Quod si quis ex laicis clericum vel monachum occiderit, utrum pretium sanguinis secundum legem natalium parentum propinquis ejus reddendum sit, an ampliori pecunia senioribus suis satisfaciendum sit, vestra unanimitas sanciat.*

Resp. Quicumque vero ex laicis occiderit episcopum, presbyterum vel diaconum, aut monachum, agat pœnitentiam secundum gradus pœnitentiæ constitutos; & reddat pretium Ecclesiæ suæ; pro episcopo secundum universalis Concilii, pro presbytero octingentos siclos, pro diacono sexingentos, pro monacho vero quadringentos argenteos: nisi aut dignitas natalium, vel nobilitas generis majus reposcat pretium. Non enim justum est, ut servitium sanctæ professionis in meliore gradu perdat, quod exterior vita sub laico habitu habuisse jure parentum dinoscitur. Cui vero non est substantia ut redimat se a perpetrato homicidio, regi dimittendus est ad puniendum: ne interfectores servorum Dei se putent impune posse peccare. Hæc vero vindicta quam de homicidiis presbyterorum percensuimus; [1] maneat erga abbates qui sunt sine ordine: nisi aliquem ex his Synodale Collegium altiori consilio aut superiorem aut inferiorem judicaverit.

XIII. Interrog. *Quod si ex convenientia amborum legitimum dissolvitur conjugium, propter infirmitatem viri vel uxoris: si liceat sano incontinenti secundum inire connubium, infirmo consensum*

1. De hac re vide supra Bedæ Epistolam ad Egbertum. De Abbatibus Laicis, olim apud Wallos, vide Giraldum Barrium, Cambrensem vulgo dictum, lib. II. cap. 4. Itinerarii Cambriæ.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 736.

præbente, & promittente sese continentiam in perpetuo servaturum: vestra sanctitas quid de hoc judicat?

Resp. Nemo contra Evangelium, nemo contra Apostolum sine vindicta facit: idcirco consensum minime præbemus adulteris. Onera tamen quæ sine periculo portari non possunt nemini imponimus: ea vero quæ Dei sunt mandata confidenter indicimus. Quem autem infirmitas implendi præpedit, uno profecto multum reservamus judicio Dei. Igitur ne forte videamur silentio fovere adulteros, aut diabolus qui decipit adulteros de adulteris exsultet ultoribus, audi: *Quod Deus conjunxit homo non separet;* & item: *Qui potest capere capiat.* Sæpe namque temporum permutatione, necessitas legem frangit. Quid enim fecit David quando esuriit? Et tamen sine peccato est. Ergo in ambiguis non est ferenda sententia. Sed consilia necesse est periclitari pro salute aliorum; hac conditione interposita, ut ei qui se continentiæ devovit nullo modo concedatur secundas inire nuptias, vivente priore.

XIV. Interrog. *Quid ad hæc dicimus? si quis de laicis clericum vel monachum obnoxium esse pronunciat pro caussis aliquibus, jam pridem sub laico habitu perpetratis, sed necdum finitis: sive quia minime prævaluit, sive quod ante dissimulanda tacuit usque nunc, & modo Ecclesiæ molestus & importunus insistit.*

Resp. Quisquis vero sæcularis servitium sanctæ professionis subire desiderat; si interrogatus respondeat; conditionis servilis sese non esse obnoxium, nec homicidium palam perpetrasse inemendatum, neque res alieni juris modo sub se habere dicat: iste profecto nemini quicquam debeat, nisi Deo, cujus est servus, propter offensam peccati. Quod si fefellit Ecclesiam Dei, & crimen suum dolose celaverit: placuit Ecclesiam habere potestatem dimittendi eum, vel satisfacere pro eo si voluerit. Eos vero qui tales inveniuntur ab Ecclesiæ limine, per vim volumus abstrahi, neque a die conventionis tempus Ecclesiæ concedi reos deinceps ad occultandos; sed ut Deo agatur reverentia, absque ulla læsione veriusque relinquendi sunt: quod Ecclesia domus propitiationis est, non spelunca latronum. Lege dedicationem Templi Salomonis. Res vero si quas Ecclesiæ obtulerat, eas sacerdos reddat, ut habeat unde se redimat.

XV. Interrog. *Pro quibus criminibus nullus sacerdos potest fieri; vel pro quibus jam pridem ordinatus deponitur?*

Resp. Hujusmodi tunc ordinatio episcopi, presbiteri vel diaconi, rata esse dicetur; si nullo gravi facinore probatur infectus; si secundam non habuit uxorem, nec a marito relictam; si pœnitentiam publicam non gessit, nec ulla corporis parte vitiatus apparet; si servilis aut ex origine non est conditionis obnoxius; si curiæ probatur nexibus absolutus; si adsecutus est litteras: hunc elegimus ad sacerdotium promoveri. Pro his vero criminibus nullum licet ordinari, sed promotos quosque dicimus deponendos. Idola scilicet adorantes; per aruspices & divinos atque incantatores captivos se diabolo tradentes, fidem suam falso testimonio expugnantes; homicidiis vel fornicationibus contaminatos; furta perpetrantes; sacrum veritatis nomen A perjurii temeritate violantes. Eos tamen nisi per pœnitentiam publicam non oportet admitti ad promerendam communionis gratiam; non ad recuperandum pristinæ dignitatis honorem. Alienum est enim ab Ecclesia pœnitentes sacrosancta ministrare, qui dudum vasa fuerant vitiorum.

XVI. Interrog. De Jejunio quatuor Temporum. *Legitima jejunia mensis primi, quarti, septimi, & decimi utrum initio ipsorum mensium, an aliter celebranda sint; & quo auctore, aut quomodo, aut pro quibus caussis instituta; consona sententia exponite: ut uniformiter ab omnibus celebrentur,* [1] *per universas dilectionis vestræ sedes, & Anglorum Ecclesias.* B

Resp. Quia igitur Mundus quatuor plagis continetur, Orientis, Occidentis, Meridiei, & Aquilonis; & homo quatuor elementis constat, id est igne, aere, aqua & terra; & intentior sensus ex quatuor continetur virtutibus, prudentia, temperantia, fortitudine atque justitia; & quatuor flumina Paradisi ad irrigandam universam terram, in typo quatuor Evangeliorum profluunt; & quatuor temporibus annus, vere, æstate, autumno & hieme convertitur; & ex omni parte quadratus numerus perfectus dignoscitur; idcirco autem quatuor temporum jejunia veteres patres instituerunt, C secundum Dei legem, & nunc in novo Testamento sancti viri atque apostolici doctores.

I. De primo mense Dominus ait ad Moysem: *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni.* Et iterum Dominus ad Moysem: *Observate mensem novarum frugum, quando egressi estis de terra Ægypti, legitimum in generationibus vestris.* Quod jejunium sancti Patres in prima hebdomada mensis primi statuerunt, quarta & sexta feria, & sabbato, exceptis diebus quadragesimalibus. Nos autem in Ecclesia Anglorum idem primi mensis jejunium, (ut noster didascalus Beatus Gregorius, D in suo Antiphonario & Missali libro, per pædagogum nostrum beatum Augustinum transmisit ordinatum & rescriptum) indifferenter de prima hebdomada Quadragesimæ servamus.

II. Secundum jejunium quarti mensis a veteri lege exortum est, quando lex data est Moysi in monte Sinai; & præceptum est a Domino ut sit populus paratus ad audiendam vocem in diem tertium, & ne adpropinquent uxoribus suis. Et iterum Dominus ad Moysem: *Tolletis de cunctis frugibus vestris primitias, & offeretis ea Domino Deo vestro.* Quod & in novo Testamento constitutum E est, juxta id quod Dominus ait: *Non possunt filii sponsi jejunare quamdiu cum illis est sponsus,* & reliqua. Quod juxta congruentiam temporum post ascensionem Domini ad cælos, præsentia corporali subtracta, tunc indictum est jejunium quarti mensis, secundo sabbato. Hoc autem jejunium idem beatus Gregorius per præfatum legatum, in Antiphonario suo & Missali, in plena hebdomada post Pentecosten, Anglorum Ecclesiæ celebrandum destinavit. Quod non solum nostra testantur Antiphonaria; sed & ipsa quæ cum Missalibus suis conspeximus apud Apostolorum Petri & Paulli limina.

III. Tertium jejunium septimi mensis, a Domino per Moysem præcipitur dicentem: *Loquere filiis Israel, & dices ad eos; Decimus dies mensis se-*

1. Hinc constat hoc opusculum dicatum fuisse Archiepiscopo alicui Cantuariensi.

ptimi vocabitur sanctus, humiliabitis animas vestras in jejunio. Omnis anima quæ afflicta non fuerit die hoc, peribit de populo suo. Idcirco autem in Ecclesia hoc jejunium celebratur secundum antiquam consuetudinem, vel quia decrescunt dies, & nox augetur: quia ad defectum solis & noctis augmentum vita nostra deficere adveniente morte ostenditur; quæ mors in judicio Dei & resurrectione reparabitur ad vitam. Et si vitæ nostræ terminus, defectione dierum exprimitur, mortisque adventus in augmento noctis; necessarium duximus, ut ob memoriam & recordationem tanti mysterii, omni anno humiliemus animas nostras, ut filios Israel hoc in tempore fecisse legimus, in jejunio & afflictione, non solum a cibis, sed ab omnibus vitiorum contagiis, attendentes sermonem Evangelii; *Ambulate dum lucem habetis, ut non tenebræ vos comprehendant, veniet autem nox quando nemo potest operari.* Hoc Anglorum Ecclesia in plena hebdomada ante æquinoctium, neglecta tertiæ hebdomadæ computatione, solet celebrare.

IV. Quartum jejunium mense Novembrio, a veteribus colebatur, juxta præceptum Domini ad Jeremiam dicentis: *Tolle volumen libri, & scribe in eo omnia verba quæ locutus sum, adversus Israel & Judam. Et factum est in mense nono prædicaverunt jejunium in conspectu Domini omni populo in Jerusalem.* Hac ergo auctoritate divinarum scripturarum, Ecclesia catholica morem obtinet, & jejunium atque observationem mense celebrat decimo, sabbato quarto, propter advenientem venerabilem solemnitatem Domini nostri Jesu Christi. Ubi ante plures dies & continentia carnis & jejunia exhibenda sunt, ut unusquisque fidelis præparet se ad communionem corporis & sanguinis Christi, cum devotione sumendam. Quod & gens Anglorum semper in plena hebdomada ante natale Domini consuevit, non solum quarta & sexta feria, & sabbato, sed & juges XII. dies in jejuniis, & vigiliis, & orationibus, & eleemosynarum largitionibus, & in monasteriis, & in plebibus, ante natale Domini quasi legitimum jejunium exercuisse perhibetur. Nam hæc (Deo gratias) a temporibus Vitaliani Papæ & Theodori Dorobernensis Archiepiscopi inolevit in Ecclesia Anglorum consuetudo, & quasi legitima tenebatur, ut non solum clerici in monasteriis, sed etiam laici cum conjugibus & familiis suis ad confessores suos pervenirent, & se fletibus ex carnalis concupiscentiæ consortio his duodecim diebus cum eleemosynarum largitione mundarent; quatenus puriores Dominicæ communionis perceptionem in Natale Domini perciperent. Præter hæc namque constituta jejunia, quarta & sexta feria propter passionem Christi, & sabbato, propter quod ipso die jacuit in sepulcro, plerique jejunaverunt.[1]

SÆC. VIII. CIRCA ANN. CHR. 736.

1. Ceterum consule Berardum in Canones Gratiani, & præsertim part. III. cap. 30.



Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 740.

ΙΩΑΝΝΟΥ ΕΥΛΑΒΕΣΤΑΤΟΥ

ΤΟΥ ΙΕΡΟΣΟΛΥΜΙΤΟΥ ΜΟΝΑΧΟΥ

ΔΙΗΓΗΣΙΣ.

JOANNIS

HIEROSOLYMITANI

REVERENTISSIMI MONACHI

NARRATIO.

A Βούλομαι ἐγὼ ὁ μέτριος καὶ πάντων ἔσχατος ἀποδεῖξαι μετὰ πάσης ἀληθείας ἐπὶ τῆς παρούσης ταύτης ἁγίας ὑμῶν καὶ ἱερᾶς συνόδου, ὅπως καὶ πότε καὶ ὅθεν ἔσχε τὴν ἀρχὴν ἡ κακίστη καὶ θεοστυγὴς αὕτη τῶν χριστιανῶν, μᾶλλον δ' εἰπεῖν ἀληθεστέρων [1] κατηγόρων καὶ εἰκονομάχων αἵρεσις. συντομίᾳ δὲ χρήσασθαι λόγου προαιρούμενος, διὰ χάρτου ἔκρινα καλῶς ποιήσασθαι τὴν ἐξήγησιν, ὡς ἂν μηδέν με τῆς ἀληθείας λάθῃ.

Τοῦ τῶν ἀθέων Ἀράβων τεθνηκότος τυράννου ἤτοι Συμβούλου· Σελεϊμὰν δὲ ἦν αὐτῷ τὸ ὄνομα, διεδέξατο τοῦτον Οὔμαρος: ὃς ἐπιβὰς τῆς ἀρχῆς, εὐθὺς μεταστειλάμενος ἀπέστρεψε τὸν ἀνάσκαφον Μασαλμὰν ἀπὸ τῆς γῆς ταύτης, πολέμιον ὄντα δυσμενῆ· ὃς τῇ τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ χάριτι, καὶ τῆς αὐτὸν τεκούσης ἁγίας Θεοτόκου, μετ' αἰσχύνης πολλῆς καὶ ἀπωλείας τοῦ οἰκείου τῶν Σαρακηνῶν στρατεύματος ὑπέστρεψεν εἰς Συρίαν, ἀνύσας ὧν ἤλπιζεν οὐδέν. τελευτήσαντος δὲ Οὐμάρου, τοῦτον διαδέχεται Ἐζίδος, ἀνὴρ κοῦφός τις καὶ ἀπαράφορος. ἦν δέ τις ἐν Τιβεριάδι προηγέτης τῶν παρανόμων Ἑβραίων φαρμακομάντις, δαιμόνων ψυχοβλαβῶν ὄργανον, ἐπονομαζόμενος Σεραντάπηχος, δυσμενὴς ἐχθρὸς τῆς ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ. ὃς μεμαθηκὼς τὴν τοῦ κρατοῦντος Ἐζίδου κουφότητα, καὶ δὴ τούτῳ προσελθὼν ὁ παμπόνηρος οὗτος Ἑβραῖος, ἐπεχείρει μαντεύεσθαί τινα καὶ προλέγειν αὐτῷ. ὡς οὖν ἐκ τούτων ἀπαράδεκτος ἐγεγόνει καὶ εὐπαρρησίαστος τῷ τυράννῳ· θέλω, ἔφη, Πρωτοσύμβουλε, εὐνοίᾳ τῇ πρὸς σὲ διακείμενος, ὑποθέσθαι σοι τρόπον τινὰ εὐχερῶς καὶ ῥᾳδίως ἀρεσθησόμενον, δι' οὗ σοι προστεθήσεται ζωῆς μῆκος, καὶ διαμείνῃς χρόνους τριάκοντα ἐν τῇδε σου ἀρχῇ, εἴγε εἰς ἔργον ἀγάγῃς τοὺς λόγους μου: ὁ δὲ ἄφρων ἐκεῖνος τύραννος, ὁ κεκουφωθεὶς τὸν νοῦν ἐφέσει μακροβιώσεως· ἦν γὰρ φιλοτρυφητὴς καὶ ἀκόλαστος, ἀπεκρίνατο· ὅτιγε ὅσα ἂν ὑποθῇς μοι ἑτοίμως ποιῶ, καὶ ἐὰν τύχω πρακτέου, μεγίσταις ἀμείψομαι τιμαῖς. ὁ δὲ φαρμακομάντις Ἑβραῖός φησι πρὸς αὐτόν· κέλευσον ἀθέως πάσης ἄτερ ἀναβολῆς καὶ ὑπερθέσεως, γράψαι κατὰ πᾶσαν σου τὴν ἀρχὴν ἐγκύκλιον τὴν ἐπιστολήν, ὥστε πᾶσαν εἰκονικὴν διαζωγράφησιν, εἴτε ἐν σανίσιν, εἴτε διὰ μουσίων ἐν τοίχοις, εἴτε ἐν σκεύεσιν ἱεροῖς καὶ ἐνδυταῖς θυσιαστηρίων, καὶ ὅσα τοιαῦτα εὑρίσκεται ἐν πάσαις ταῖς τῶν χριστιανῶν ἐκκλησίαις, ἀφανίσαι, καὶ τελέως καταλῦσαι· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ

Volo tenuis ego omniumque extremus, omni veritate, ſub veſtræ hujus ac ſacræ Synodi præſentia demonſtrare, quomodo & quando quave occaſione ortum habuerit peſſima hæc & Deo exoſa Chriſtianorum, vel ut verius dicam, ipſos criminantium atque Iconomachorum hæreſis. Cumque mihi propoſitum ſit ut brevitati ſtudeam, operæ pretium putavi, ne quid me veritatis fugiat; ex charta ac ſcripto narrationem facere.

Mortuo impiorum Arabum tyranno ſeu Symbulo, cui nomen Seleiman, Umar ejus ſucceſſor [2] effectus eſt. Hic mox arrepto principatu, accerſitum Maſalmanum everſorem infenſiſſimum hoſtem ab hac regione avertit. Hic, magni Dei & Salvatoris noſtri gratia, ejuſque parentis ſanctæ Dei genitricis, ingenti probro, ſuique Saracenorum exercitus clade ac interitu, nullo peracto eorum quæ ſperaverat, in Syriam reverſus eſt. Mortuo autem Umare, ſuccedit [3] Ezidus, homo levis, inops animi, nec ſatis ſani capitis. Erat vero Tiberiade ſceleſtiſſimorum Hebræorum præſes quidam veneficus vates, in perniciem animarum exitioſorum dæmonum organum, & cognomento Serantapechus, Eccleſiæ Dei hoſtis infenſiſſimus. Is dominatoris Ezidi levitate cognita, ipſumque adeo nequiſſimus ille adiens, quædam ei vaticinari ac prædicere tentabat. Cum hinc igitur tyranno obrepens ejus ſibi gratiam quæſiiſſet, aureſque ipſius faciles reddidiſſet: Volo, inquit, [4] Protoſymbule, qua in te affectus benevolentia ſum, modum quemdam facile placiturum nihilque gravem docere, quo tibi adjicietur longitudo vitæ, annoſque triginta integros principatu rerum potieris, ſi modo ſermones meos compleveris. Ad hæc demens ille tyrannus longioris vitæ deſiderio mente captus, (quippe libidinoſus homo ac laſcivus) facturum ſe quidquid præceperit, reſpondit. Ac ſiquidem, inquit, rei compos exſtitere, honoribus maximis juſta mercede cumulabo. Ad quem veneficus vates Hebræus: jube ſtatim nulla interpoſita mora, in omnes tuæ ditionis oras ac loca communibus deſtinatis litteris, pictas omnes imagines, ſive in tabellis, ſive muſivo opere in parietibus, ſive in vaſis ſacris altariumque pallis; ac quæcumque talia occurrerint in omnibus Chriſtianorum eccleſiis aboleri, penituſque diſperdi. Sed & quæcumque ad orna-

1. Χριστιανοκατηγόρων.
2. Anno Chriſti 717. Solimanum excepit Homar ſecundus, & tres annos regnavit.
3. Anno 720. alias *Geſid* vel *Izid*.
4. Symbulos, Protoſymbulos, & Buleuta, h. e. *Conciliarius*, *Senator*; accipi videntur pro *Calipho*.

ὅσα ἐν ταῖς ἀγοραῖς τῶν πόλεων κατὰ κόσμον εἰσὶ A καὶ εὐπρέπειαν οἱαδήποτε ὁμοιότητι· σατανικῷ δὲ κακουργήματι κινούμενος ὁ ψευδομάντις προσέθηκε, πᾶν ὁμοίωμα ἂν ὑφόρατον· δεῖξαι τὴν πρὸς ἡμᾶς ἔχθραν μηχανώμενος.

Ὁ δὲ ἀλιτήριος τύραννος τούτῳ κουφότητι πεισθεὶς, ἀποστείλας καθεῖλεν ἀπὸ πάσης ἐπαρχίας τῆς ὑπ' αὐτὸν τὰς ἁγίας εἰκόνας καὶ λοιπὰ ὁμοιώματα. καὶ τούτῳ τῷ τρόπῳ ἀπεκόσμησε τὰς ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ διὰ τοῦ φαρμάκου ἑβραίου ἀφειδῶς, τὰς ὑπὸ τὴν ἐξουσίαν αὐτοῦ, πρὰ τοῦ φθάσαι ἐν τῇ γῇ ταύτῃ τὸ κακόν. φεύγοντας δὲ τοὺς θεοφιλεστάτους χριστιανοὺς τοῦ μὴ ταῖς οἰκείαις χερσὶ καταστρέψαι τὰς ἁγίας εἰκόνας, Ἑβραίους θεοστυγεῖς καὶ οἰκτροὺς Ἄραβας ἠγγάρευον οἱ εἰς τοῦτο B ἀποσταλέντες Ἀμηραῖοι, καὶ οὕτως τὰς σεπτὰς εἰκόνας, καὶ τοὺς οἴκους τῶν ἐκκλησιῶν πῆ μὲν κατέχριον, πῆ δὲ κατέξεον.


Τούτων ἀκηκοὼς ὁ ψευδεπίσκοπος Νακολίας καὶ οἱ κατ' αὐτὸν, ἐμιμήσαντο τοὺς παρανόμους Ἰουδαίους καὶ τοὺς ἀσεβεῖς Ἄραβας, καὶ ἐνύβρισαν τὰς ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ.

Ἄξιον δὲ κρίνω ταῖς ἱεραῖς ὑμῶν ἀκοαῖς καὶ οἷον ἐδέξατο τέλος ὁ δείλαιος ἐκεῖνος καὶ φαρμακὸς ἑβραῖος. ὡς γὰρ τοῦτο δράσας ὁ Πρωτοσύμβουλος Ἐζίδος οὐ πλείω τῶν δύο ἥμισυ χρόνων βιώσας ἀπέθανε, ἀπῆλθεν εἰς τὸ αἰώνιον πῦρ. καὶ αἱ μὲν εἰκόνες ἐν τῇ ἀρχαίᾳ ἱδρύσει καὶ τιμῇ κατέστησαν· ὁ δὲ τούτου υἱὸς Οὐ- C λίδος τοὔνομα, ἀγανακτήσας, ὡς φονέα τοῦ ἰδίου πατρὸς τὸν φάρμακον αἰσχίστῳ θανάτῳ ἀναιρεθῆναι ἐκέλευσε, ἄξια τὰ ἐπίχειρα τῆς ψευδομαντείας αὐτοῦ κομισάμενον.

1. Alias *Ischam* vel *Isa*.

A tum in foro publice in urbibus una similitudine posita exstarent. Satanica vero malignitate motus falsus vates, adjecit: Quicquid demum simulacrorum suspectum exosumque exstaret: suum in nos odium studens declarare.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 740.



Miser vero tyrannus mentis levitate se illi dicto audientem præbens, fidemque ipsi habens, mittens, in subjecta sibi omni ditione sacras imagines ac reliqua simulacra abstulit. Inque eum modum per veneficum Hebræum, nulla cujusquam ratione, per omnes suas urbes ac loca, ecclesias Dei ornatu spoliavit, priusquam malum ad has oras perveniret. Cumque religiosissimi homines Christiani suis ipsi manibus evertere sacras imagines re- B fugerent, Deo exosos Hebræos vilesque Arabas angariabant, qui in hoc missi erant Ameræi, sicque incendebant sacras Imagines, domosque ecclesiarum ac parietes qua oblinebant, qua corradebant.

Hæc ut audivit pseudoepiscopus Nacoliæ ac sodales, sceleratos Judæos impiosque Arabas æmulati, ipsi quoque gravi injuria Dei Ecclesias affecerunt.

Dignum vero etiam arbitror vestris sacris auribus insinuare, & quem finem miserabilis ille ac veneficus Hebræus nactus sit. Cum enim Ezidus hoc perpetrato, haud plures duobus cum dimidio annos vitæ superstes diem obiisset, atque in ignem æternum abiisset, Imaginesque antiquo more ere- C ctæ pristinum honorem recepissent; indignatus ejus filius [1] Ulidus nomine, veneficum tamquam qui patrem ipsius sustulisset, turpissima morte interfici præcepit, dignis falsi sui vaticinii stipendiis donatum.

Sæc. VIII.
circa
Ann. Chr.
745.

[1] ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ

ΙΩΑΝΝΟΥ

ΤΟΥ ΔΑΜΑΣΚΗΝΟΥ

[2] Διάλεξις Σαρακηνοῦ καὶ Χριστιανοῦ.

S. JOANNIS

DAMASCENI

Diſputatio * Saraceni & Chriſtiani.

[3] ἘΡωτηθεὶς ὁ Χριστιανὸς παρὰ ΣΑΡΑΚΗΝΟΥ, A τίνα λέγεις αἴτιον καλοῦ καὶ κακοῦ; ἀπορία [4] ὁ ΧΡΙΣΤΙΑΝΟΣ εἶπεν· πάντων τῶν ἀγαθῶν οὐδένα φαμὲν αἴτιον εἶναι εἰ μὴ τὸν Θεόν, κακοῦ δὲ οὔ· καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ΣΑΡ. εἶπεν. τίνα λέγεις αἴτιον εἶναι τῶν κακῶν; ὁ ΧΡΙΣ. τὸν ἀπὸ γνώμης ὄντα διάβολον δηλονότι, καὶ ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους. ὁ ΣΑΡ. χάριν τίνος; ὁ ΧΡ. διὰ τὸ αὐτεξούσιον. ὁ ΣΑΡ. τί οὖν; αὐτεξούσιος εἶ, καὶ ὅσα θέλεις δύνασαι ποιεῖν; ὁ ΧΡ. ἐκ δύο μόνων, ἐν ἄλλῳ οὐ πέπλασμαι ὑπὸ Θεοῦ αὐτεξούσιος. ὁ ΣΑΡ. ποῖα ταῦτα; ὁ ΧΡ. τὰ [5] κακὰ μὲν πράττων οὐ φοβοῦμαι τὸν νόμον, ἀλλὰ καὶ τιμῶμαι, καὶ ἐλεοῦμαι ὑπὸ τοῦ Θεοῦ. ὁμοίως καὶ ὁ διάβολος. πρῶτος ἄνθρωπος αὐτεξούσιος πέπλασται ὑπὸ τοῦ Θεοῦ καὶ ἡμάρτησεν, καὶ ὁ Θεὸς B τῆς ἰδίας τάξεως ἐξέωσεν αὐτόν. ἀλλ' ἴσως καὶ λέγεις μοι ἀντιλέγων· ποῖά εἰσιν ἃ λέγεις μοι καλὰ καὶ κακά; [6] ἰδοὺ ἥλιος, σελήνη καὶ ἀστέρες καλοί εἰσιν· ποίησον ἓν ἐκ τούτων· [7] οὐ τούτου χάριν προλέγω σοι κατὰ [8] τῶν ἀνθρώπων ἐργάζομαι καλὰ καὶ κακά. καλὸν μέν, οἷόν ἐστι δοξολογία Θεοῦ καὶ προσευχή· κακὰ δέ, πορνία, κλεψία· ἐπεὶ ὡς λέγεις σὺ καλὰ καὶ κακὰ ἐκ Θεοῦ εἶναι; ἀρεθήσεται ὁ Θεὸς κατὰ σὲ ἄδικος, ὅπερ οὐκ ἔστιν. ἐπεὶ γὰρ ὁ Θεὸς προσέταξεν, ὡς σὺ λέγεις τὸν πόρνον πορνεύειν, καὶ τὸν κλέπτην κλέπτειν, καὶ τὸν ἀνδροφόνον ἀνδροφονεῖν, ἄξιοί εἰσιν τιμῆς· τὸ γὰρ θέλημα τοῦ Θεοῦ ἐποίησαν. εὑρεθήσονται καὶ οἱ νομοθέται σου ψευδεῖς, καὶ τὰ βιβλία σου ψευ- C δεπίγραφα, ἐπειδὴ προστάττουσι τὸν πόρνον καὶ τὸν κλέπτειν δέρεσθαι ποιήσαντας τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ, καὶ τὸν ἀνδροφόνον ἀποκτανθῆναι, ὃν ἔδει τιμηθῆναι, ἐπειδὴ τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ ἐποίησεν. ὁ δὲ ΣΑΡΑΚ. τίς φησι, πλάττει τὰ βρέφη ἐν κοιλίαις τῶν γυναικῶν; τοῦτο γὰρ προβάλλονται οἱ Σαρακηνοὶ πρὸς ἡμᾶς πρόβλημα δεινότατον, θέλοντες ἀποδεῖξαι τὸν Θεὸν αἴτιον τοῦ κακοῦ. εἰ γὰρ ἀποκριθεὶς λέγω, ὅτι ὁ Θεὸς πλάττει τὰ βρέφη ἐν κοιλίαις γυναικῶν, ἐρεῖ ὁ Σαρακηνός· ἰδοὺ ὁ Θεὸς συνεργός ἐστι τῷ πόρνῳ, καὶ τῷ μοιχῷ. ὁ ΧΡΙΣ. πρὸς ταῦτα ἀποκρίνεται· οὐδαμῶς εὑρίσκω μετὰ τὴν πρώτην ἑβδομάδα τῆς κοσμοποιΐας τὴν γραφὴν λέγουσαν πλάττειν τὸν Θεὸν ἢ κτίζειν τι. [9] εἰ δὲ ἀμφιβάλλῃ D περὶ τούτου, δείξῃ [σοι] κτίσμα ἢ πλάσμα οἱονδηποτοῦν μετὰ τὴν πρώτην ἑβδομάδα γιγνόμενον ὑπὸ τοῦ

A INterrogatus Chriſtianus a Saraceno; Quem ais cauſſam eſſe boni malive? Christianus reſpondit: Omnium bonorum neminem dicimus eſſe cauſſam præter quam Deum, mali vero non item. Et reſpondens Saracenus ait: Quem dicis cauſſam eſſe malorum? Chr. Eum ſcilicet qui ex ſententia ſua diabolus eſt, ac nos etiam homines. Sar. Cujus rei gratia? Chr. Propter liberum arbitrium. Sar. Quid ergo? Liberine es arbitrii, & quæcumque vis agere vales? Chr. Ex duobus ſolis, in alio formatus non fui a Deo liber arbitrio. Sar. Quæ ſunt hæc? Chr. Bona agens non timeo legem, quin potius & mercedem & miſericordiam a Deo conſequor: haud aliter etiam diabolus (*fuiſſet conſequutus.*) B Primus homo liberi arbitrii formatus eſt a Deo, & peccavit; Deus vero de proprio ſtatu deturbavit eum. At fortaſſe etiam dicas mihi objiciendo: Quænam ſunt quæ mihi loqueris bona & mala? Ecce Sol, luna & ſtellæ bonæ ſunt: fac unum ex his. Non propterea prædixi tibi adverſus homines, operor bona & mala. Bona ſunt igitur Dei glorificatio & oratio: mala autem ſunt fornicatio, furtum. Quandoquidem quomodo ais tu mala bonaque ex Deo eſſe? Invenietur Deus ſecundum te injuſtus: quod utique non eſt. Quoniam enim Deus præcepit, ut tu inquis, fornicatorem fornicari & furem furari & homicidam cædem facere, mercede digni ſunt hujuſmodi, voluntatem C enim Dei fecerunt. Invenientur quoque legislatores tui mendaces, & libri tui falſi, quandoquidem mandant fornicatorem & furem excoriari, qui tamen Dei voluntatem fecerunt: homicidam quoque interfici, quem præmio cumulari oportebat, quippe qui voluntatem Dei fecerit. Sar. ait, quis format infantes in uteris mulierum? iſtuc porro objiciunt Saraceni adverſus nos tamquam argumentum inviĉtiſſimum, quo oſtendere nituntur, Deum mali eſſe auĉtorem. Si enim reſpondens dicas, Deum eſſe qui format infantes in uteris mulierum, regeret Saracenus: Ergo Deus cooperatur cum fornicatore & mœcho. Christ. igitur ad hæc reſpondet: Nullo modo invenio poſt primam hebdomadam D qua mundus faĉtus eſt, ſcripturam aſſerentem, quod formet Deus vel creet quidquam. Quod ſi ille non acquieſcat circa hoc, oſtendat (*Chriſtianus*) creaturam vel figmentum quodcumque poſt

1. Hunc primum verſum de noſtro adſcripſimus græce & latine.
2. Ex Cod. MS. Bibl. Vindobon.
3. Vide Lequienium n. 7. p. 467.
4. Forte ἀπόκρισις, reſponſio.
5. Καλά.
6. Lequien. καὶ ὁ ΣΑΡ. Et Sar.
7. ΧΡΙΣ. Lequien.
8. Τὸ ἀνθρώπινον. Id.
9. Lequienius: εἰ δὲ ἀπορεῖς πρὸς τοῦτο, δεῖξον πλάσμα ἢ κτίσιν οἱαντιναοῦν. Sin vero de hoc dubitas, oſtende figmentum aut creaturam ullam.

* Noſtram heic adjecimus interpretationem.

Sæc. VIII. CIRCA ANN. CHR. 745.

Θεῦ· ὐδαμῶς τοῦτο [1] ὑποδεῖξαι. πάντα γὰρ τὰ ὁρατὰ κτίσματα τὴν πρώτην ἑβδομάδα γεγόνασιν. ἔπλασεν γὰρ ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον τὴν πρώτην ἑβδομάδα, καὶ προσέταξεν αὐτὸν γεννᾶν καὶ γεννᾶσθαι, εἰπών· αὐξάνεσθε καὶ πληθύνεσθε καὶ πληρώσατε τὴν γῆν. καὶ ἐπειδὴ ἔμψυχος ἦν ὁ ἄνθρωπος ἔμψυχον σπέρμα ἔχων, ἐν τῇ ἰδίᾳ γυναικὶ σπορὰ ἀνεφύει· ὥστε ἄνθρωπος ἄνθρωπον γεννᾷ, καθάπερ ἡ γραφὴ λέγει· Ἀδὰμ γὰρ ἐγέννησε τὸν Σὴθ, καὶ ὁ Σὴθ ἐγέννησε τὸν Ἐνὼς, καὶ Ἐνὼς ἐγέννησε τὸν Καϊνὰν, καὶ Καϊνὰν ἐγέννησε τὸν Μαλαλεὴλ, καὶ Μαλαλεὴλ ἐγέννησε τὸν Ἐνώχ. καὶ οὐκ εἶπεν, ὁ Θεὸς ἔπλασε τὸν Σὴθ, ἢ τὸν Ἐνὼς ἢ ἄλλον τινά. καὶ ἐντεῦθεν γινώσκομεν, ὅτι μονώτατος πέπλασται ὁ Ἀδὰμ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, οἵ τε μετ' ἐκεῖνον γεννῶνται καὶ γεννῶσιν ἕως B τοῦ παρόντος. καὶ οὕτως χάριτι τοῦ Θεοῦ ὁ κόσμος συνίσταται. ἐπειδὴ καὶ πᾶσα βοτάνη καὶ φυτὸν προστάξει τοῦ Θεοῦ ἀπὸ τότε γεννᾷ καὶ γεννᾶται. ἔφη γὰρ ὁ Θεός· βλαστησάτω ἡ γῆ βοτάνην χόρτου. κατὰ τὸ πρόσταγμα αὐτοῦ ἐβλάστησεν ἕκαστον δένδρον, [2] εἶδος βοτάνης καὶ φυτοῦ ἐν ἑαυτῷ ἔχει σπερματικὴν δύναμιν. ἡ σπορὰ δὲ παντὸς φυτοῦ καὶ βοτάνης ἔμψυχός ἐστιν, ἥτις ἐν τῇ γῇ πάλιν ἐφ' ἑαυτῆς πίπτουσα, ἢ καὶ ὑπὸ ἄλλου σπειρομένη, βλαστάνει· μὴ πλαττομένη ὑπό τινος, ἀλλὰ τῷ πρώτῳ προστάγματι τοῦ Θεοῦ [3] ὑπακούσαντος. ἰδοὺ ἐγὼ, κατὰ πρώην ἔφην, αὐτεξούσιος ὢν ἐν οἷς μόνοις προεῖπα, ὅπου ἐὰν σπείρω, κἂν εἰς ἰδίαν γυναῖκα, κἂν εἰς ἀλλοτρίαν τῇ ἐξουσίᾳ μου χρώμενος, ἀναβλαστάνει καὶ C γίνεται τῷ πρώτῳ προστάγματι τοῦ Θεοῦ ὑπακούουσα. οὐχ ὅτι καὶ νῦν καθ' ἑκάστην ἡμέραν πλάττει ὁ Θεὸς καὶ ἐργάζεται· ἐπειδὴ ἐν τῇ πρώτῃ ἑβδομάδι ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν καὶ τὸν σύμπαντα κόσμον ἓξ ἡμέραις, καὶ τῇ ἑβδόμῃ κατέπαυσεν ἀπὸ πάντων τῶν ἔργων αὐτοῦ, ὧν ἤρξατο ποιεῖν, καθὼς καὶ ἡ γραφὴ μαρτυρεῖ μοι. ὁ δὲ ΣΑΡΑΚΗΝΟΣ. φησὶν, ὁ Θεὸς πρὸς Ἱερεμίαν· πρὸ τοῦ μὲν πλάσαι σε ἐκ κοιλίας ἐπίσταμαί σε, καὶ ἐκ μήτρας ἡγίακά σε. [4] ὁ ΧΡΙΣ. παντὸς ἀνδρὸς ἐκ κοιλίας ἔπλασεν ὁ Θεὸς τὴν ἔμψυχον καὶ σπερματικὴν δύναμιν ἀπὸ Ἀδὰμ καὶ καθεξῆς. Ἀδὰμ γὰρ ἐν κοιλίᾳ ἔχων, τὸν Σὴθ ἐγέννησεν ὡς προεῖπον, καὶ Σὴθ τὸν Ἐνὼς, καὶ ἕκαστος ἄνθρωπος προέχων D ἐν τῇ κοιλίᾳ αὐτοῦ υἱὸν, καὶ ὁ υἱὸς ἐγέννησε [5] καὶ ναὶ (Sic) μέχρι τοῦ παρόντος. τὸ δὲ, ἐκ μήτρας ἡγίακά σε· νόησον τὴν ὄντως γεννῶσαν τὰ τέκνα τοῦ Θεοῦ, κατὰ τὴν μαρτυρίαν τοῦ ἁγίου Εὐαγγελίου. ὅσοι γὰρ ἔλαβον αὐτὸν, φησιν, ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα Θεοῦ γενέσθαι, τοῖς πιστεύουσιν εἰς αὐτόν φησιν, οἳ οὐκ ἐξ αἱμάτων, οὐδὲ ἐκ θελήματος ἀνδρὸς, ἀλλ' ἐκ Θεοῦ ἐγεννήθησαν διὰ τοῦ βαπτίσματος. ὁ δὲ ἐναντίος, καὶ ἦν πρὸ Χριστοῦ βάπτισμα; ὁ γὰρ Ἱερεμίας πρὸ Χριστοῦ γεννᾶται. ὁ ΧΡΙΣ. ἦν, κατὰ τὴν μαρτυρίαν τοῦ ἁγίου ἀποστόλου φάσκοντος· ὅτι οἱ μὲν διὰ νεφέλης, οἱ δὲ διὰ θαλάσσης ἐβαπτίσθησαν. καὶ ὁ κύριος ἐν εὐαγγελίοις φησίν· ἐὰν μή τις γεννηθῇ δι' ὕδατος καὶ πνεύματος, οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. ὥστε ὁ Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ E Ἰακὼβ, καὶ οἱ λοιποὶ πρὸ Χριστοῦ ἅγιοι εἰσερχόμενοι εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, εἰ μὴ προεβαπτίσθησαν, οὐκ ἂν ἐσώζοντο. μαρτυρεῖ δὲ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, λέγον· ἀπηλλοτριώθησαν οἱ ἁμαρτωλοὶ ἀπὸ μήτρας, τοῦτ' ἔστι τῆς τοῦ βαπτίσματος. χάριτι τούτου ὁμολογοῦμεν, ὅτι πάντες οἱ

A primam hebdomadam a Deo esse nullatenus ostendi. Omnes enim visibiles creaturæ prima hebdomada exstiterunt. Formavit enim Deus hominem prima hebdomada, eique mandavit, ut gigneret & gigneretur, inquiens: [a] *Crescite & multiplicamini, & replete terram*. Et quoniam animalis erat homo animale semen habens, in propria uxore sementis germinabat. Quamobrem homo hominem gignit, ut Scriptura dicit. [b] *Adam enim genuit Seth, & Seth genuit Enos, & Enos genuit Kainan, & Kainan genuit Malaleel & Malaleel genuit Javet, Javet autem genuit Enoch*. Porro non dixit: Et Deus formavit Seth vel Enos, vel alium quempiam. Hinc agnoscimus unum prorsus formatum fuisse Adam a B Deo: qui vero post illum sunt, generantur & generant usque in præsens tempus, atque hoc modo ex Dei beneficio Mundus conservatur. Quinimmo etiam omnis herba & planta jussu Dei ex eo tempore generat & generatur. Ait enim Deus: [c] *Germinet terra herbam fœni*, atque juxta præceptum ejus germinavit omnem arborem, & species quælibet herbæ vel plantæ, in semet ipsa habet vim sementinam. Sementis porro cujusvis plantæ vel herbæ animalis est; quæ rursus in terram per se decidens, vel etiam ab alio sata germinat, non formata a quoquam, sed primæ Dei jussioni morem gerens. Ecce ego, quemadmodum antea dixeram, libero præditus arbitrio in iis dumtaxat quæ præfa- C tus sum; ubicumque seminem, sive in propriam uxorem sive in alienam meo usus arbitrio, succrescit & germinat per obedientiam primæ Dei jussioni. Non quod vel nunc quotidie formet Deus & operetur; quoniam in prima hebdomada [d] *fecit Deus cælum & terram universumque mundum sex diebus, septima vero requievit ab omnibus operibus suis quæ adgressus est facere*, quemadmodum quoque scriptura mihi testatur. SAR. Ait Deus ad Jeremiam: [e] *Antequam formarem te ex utero novi te, & ex matrice sanctificavi te*. CHR. Cujuslibet hominis ex utero formavit Deus animalem ac sementinam virtutem ab Adamo atque deinceps. Adam enim in ventre habens Sethum genuit, ut præfatus D sum, Sethus vero Enosum. Et quivis homo cum ante habeat in ventre filium suum gignit, filiusque etiam usque in præsens tempus. Illud vero; *Ex matrice sanctificavi te*: In eo cogita illam quæ revera generat filios Dei, juxta sancti evangelii testimonium. [f] *Quotquot* enim *receperunt eum*, inquit, *dedit eis potestatem filios Dei fieri. Qui credunt in eum*, iuquit; *qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* per baptismum. ADVERSARIUS. Ergone ante Christum erat baptisma? Jeremias enim ante Christum natus est. CHR. Erat utique juxta testimonium sancti Apostoli dicentis alios per nubem, alios vero per mare fuisse baptizatos. Et Dominus in Evangeliis E ait: [g] *Nisi quis nascatur ex aqua & spiritu, non ingredietur regnum cælorum*. Adeoque Abraham & Isaac & Jacob ceterique ante Christum sancti, qui ingressi sunt regnum cælorum, nisi baptizati fuissent, non utique salutem fuissent consequuti. Testatur id vero Spiritus sanctus inquiens: [h] *Abalienati sunt peccatores a vulva*, hoc est a baptismate. Quomobrem confitemur, omnes eos qui vel

a Gen. I. 28. *b* Gen. V. 3. seqq. *c* Gen. I. 11. *d* Gen. II. 1. 2. *e* Jerem. I. 5. *f* Joan. I. 12. 13. *g* Joan. III. 5. *h* Psalm. LVII. 4.

1. Lequienius: ἀλλὰ δὴ ἀποδειχθῆναι τοῦτο οὐ δύναται. At enim demonstrari istud nequit.
2. Leq. ὁμοίως δὲ καὶ βοτάνη καὶ φυτὸν ἐξ ἑαυτοῦ. Similiter & herba & planta ex seipsa.
3. Forte ὑπακούσασα.
4. Leq. πάντως ἦν ἐν μήτρᾳ ἔπλασεν. ΧΡ. Ἔμψυχον καὶ σπερματικὴν δύναμιν Ἀδὰμ ἐν τῇ κοιλίᾳ ἔχων. Omnino igitur in matrice formavit. CHR. Animalem & sementinam virtutem Adamus in ventre habens.
5. Voculis καὶ ναὶ nihil respondet in Lequienio.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 745.

σωθέντες καὶ οἱ σωζόμενοι διὰ βαπτίσματος ἐσώθησαν καὶ σώζονται χάριτι Θεοῦ. ὁ ΣΑΡΑΚΗΝΟΣ ἠρώτα, λέγων· τὸν χριστιανὸν τὸν ποιοῦντα τὸ θέλημα αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ, καλὸν εἶναι λέγεις ἢ κακόν; γνοὺς δὲ τὴν πανουργίαν αὐτοῦ ὁ ΧΡΙΣΤΙΑΝΟΣ ἔφη· ὃ θέλεις εἰπεῖν ἐπίσταμαι. ὁ ΣΑΡ. φανέρωσόν μοι αὐτό. ὁ ΧΡ. εἰπεῖν θέλεις πρὸς ἐμὲ, ὅτι ὁ Χριστὸς θέλων ἔπαθεν, ἢ μὴ θέλων; καὶ ἐάν σοι εἴπω, θέλων ἔπαθεν, ἵνα μοι εἴπῃς, ἄπελθε προσκύνησον τοὺς Ιουδαίους, ἐπειδὴ τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ ἐποίησαν. ὁ ΣΑΡ. οὕτως φησί σοι ἤθελον εἰπεῖν· εἴ ἐστί σοι λόγος, ἀποκρίθητί μοι. ὁ ΧΡΙΣ. σὺ λέγεις θέλημα εἶναι, ἐγὼ λέγω ἀνοχὴν καὶ μακροθυμίαν. ὁ ΣΑΡ. πόθεν δύνῃ τοῦτο παραστῆσαι; ὁ ΧΡΙΣ. διὰ πραγμάτων ἔφη πρὸς Σαρακηνόν. καθημένου ἐμοῦ καὶ σοῦ, ἢ ἱσταμένου, δύναταί τις ἐξ ἡμῶν ἄνευ τῆς ἐξουσίας καὶ δεσποτίας τοῦ Θεοῦ ἀναστῆναι ἢ κινηθῆναι; καὶ ὁ ΣΑΡ. οὔ. ὁ ΧΡΙΣ. τοῦ Θεοῦ εἰπόντος, μὴ κλέψῃς, μὴ πορνεύσῃς, μὴ φονεύσῃς, οὐ θέλει ἵνα κλέψωμεν καὶ πορνεύσωμεν καὶ φονεύσωμεν. ὁ ΣΑΡ. οὐχί. εἰ γὰρ ἤθελεν, οὐκ ἂν εἶπεν, μὴ κλέψῃς, μὴ πορνεύσῃς, μὴ φονεύσῃς. ὁ ΧΡΙΣ. δόξα τῷ Θεῷ, ὅτι σὺ ὡμολόγησας λέγων ἃ θέλω εἰπεῖν. ἰδοὺ συνέθου μοι, ὅτι οὐδεὶς ἐξ ἡμῶν ἄνευ τοῦ Θεοῦ δύναται ἀναστῆναι ἢ κινηθῆναι. καὶ ὅτι οὐ θέλει ὁ Θεὸς ἵνα κλέψωμεν ἢ πορνεύσωμεν. ἐὰν ἄρτι ἀναστὰς ἀπέλθω, καὶ κλέψω ἢ πορνεύσω· τί αὐτὸ λέγεις; θέλημα Θεοῦ, ἢ συγχώρησιν καὶ ἀνοχὴν καὶ μακροθυμίαν; ὁ ΣΑΡ. νοήσας καὶ θαυμάσας ἔφη· ἀληθῶς οὕτως ἔχει. ὁ ΧΡΙΣ. νόησον καὶ τοῦτο, ὅτι δυνάμενος Θεοῦ πατάξαι, ἀνεχώρησεν πρὸς τὸν σταυρόν. τοῦτ᾽ ἔστιν, ἐμακροθύμησεν ἐπὶ τὴν ἁμαρτίαν. ἀλλ᾽ ὅταν θέλῃ [ἵνα] μετανοήσω, ἀποδίδωσί μοι καθάπερ καὶ τοῖς Ιουδαίοις ἐποίησεν. μετὰ γὰρ [ἔτη] ὀλίγα ἀνέστησεν κατ᾽ αὐτῶν τὸν Τίτον καὶ Οὐεσπασιανὸν καὶ τοὺς Ἕλληνας, καὶ καθεῖλεν τὰ φρυάγματα αὐτῶν.

Ἐὰν ἐρωτηθῇς παρὰ Σαρακηνοῦ λέγοντος· τί λέγεις εἶναι τὸν Χριστόν; εἰπὲ αὐτῷ, Λόγον Θεοῦ. μηδὲν ἐν τούτῳ νομίζων ἁμαρτάνειν, ἐπειδὴ καὶ λόγος λέγεται παρὰ τῇ γραφῇ, καὶ σοφία καὶ βραχίων, καὶ δύναμις Θεοῦ, καὶ ἄλλα πολλὰ τοιαῦτα, πολυώνυμος γάρ ἐστιν. καὶ σὺ ἀντερώτησον αὐτὸν λέγων· τί λέγεται παρὰ τῇ γραφῇ ὁ Χριστός; ἴσως κἂν θελήσῃ ἐρωτῆσαί σε ὁ Σαρακηνὸς ἄλλο τι, μὴ ἀποκρίνου αὐτῷ, ἕως ἂν λύσει τὸ ἐρώτημά σου. ἀνάγκῃ ποίᾳ ἀποκριθήσεταί σοι λέγων· παρὰ τῇ γραφῇ μου πνεῦμα καὶ λόγος Θεοῦ λέγεται ὁ Χριστός. καὶ τότε εἰπὲ αὐτῷ σὺ πάλιν· τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ καὶ ὁ λόγος, παρὰ τῇ γραφῇ σου ἄκτιστα λέγονται ἢ κτιστά; καὶ ἐπὰν εἴπῃ ὅτι ἄκτιστά εἰσιν, εἰπὲ αὐτῷ· καὶ τίς ἔκτισε τὸ πνεῦμα καὶ τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ; καὶ ἐὰν ἐξ ἀπορίας εἴπῃ σοι, ὅτι ὁ Θεὸς αὐτὰ ἔκτισεν, εἰπέ· ἰδοὺ εἰ ἔλεγον ἐγὼ πρὸς σὲ τοῦτο, ἔλεγες ἂν πρὸς μὲ, ὅτι ἠφάνισας τὴν μαρτυρίαν σου· καὶ τοῦ λοιποῦ οὐ [1] πιστεύεσε ὅσα ἂν εἴπῃς· ὅμως οὖν καὶ τοῦτο ἐρωτῶ σε, πρὸ τοῦ κτίσαι ὁ Θεὸς τὸν λόγον καὶ τὸ πνεῦμα, οὐκ εἶχεν πνεῦμα οὐδὲ λόγον; καὶ φεύξεται ἀπὸ σοῦ μὴ ἔχων τί ἀποκριθῆναι. αἱρετικοὶ γάρ εἰσιν οἱ τοιοῦτοι κατὰ Σαρακηνοὺς, καὶ πάνυ βδελυκτοὶ καὶ ἀπόβλητοι. [2] καὶ ἐὰν αὐτὸν θέλῃς δημοσιεῦσαι τοῖς λοιποῖς Σαρακηνοῖς φοβηθήσεταί σε πολύ· καὶ ἐὰν ἐρωτήσῃ σε ὁ Σαρακηνὸς λέγων· τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ κτιστά εἰσιν ἢ ἄκτιστα; τοῦτο γὰρ προβάλλονται πρὸς ἡμᾶς ἐρώτημα δεινότατον θέλοντες ἀποδεῖξαι κτιστὸν εἶναι τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, ὅπερ οὐκ ἔστιν. εἰ δὲ εἴπῃς· κτιστά εἰσιν. λέγει σοι, ὅτι ἰδοὺ ταῦτα πάντα λόγια τοῦ Θεοῦ ὑπάρχοντα, ἄκτιστα μέν εἰσι, Θεοὶ δὲ οὐκ εἰσίν. ἰδοὺ σὺ ὡμολόγη-

hi Sermones Dei cum sint, increati quidem sunt,

A salvati sunt vel salvantur, per baptismum salvati sunt & salvantur Dei gratia. Sar. interrogavit dicens: Christianum qui facit voluntatem ipsiusmet Dei, bonumne esse ais vel malum? Agnoscens autem vafritiem ejus Christianus inquit: Quid tibi velis scio. Sar. indica illud mihi. Chr. Dicere vis ad me; Christus voluntate passus est, an non? Quod si tibi dixero, voluntate passus est; mihi repones: Abi ergo adora Judæos quoniam voluntatem Dei tui fecerunt. Sar. Hoc utique tibi dicere volebam; atque si hiscere potis es, responde mihi. Chr. Tu ais voluntatem esse, ego dico tolerantiam & longanimitatem. Sar. Unde vales hoc demonstrare? Chr. Ex rebus ait ad Saracenum. B Sedente me vel te, aut etiam stante, potest quis ex nobis sine potestate & arbitrio Dei surgere aut moveri? Sar. Haudquaquam. Chr. Dicente Deo: Non furaberis, non fornicaberis, non occides; sane non vult ut furemur, fornicemur aut occidamus. Sar. Non utique. Si enim istuc voluisset, haud edixisset, Non fureris, non forniceris, non occidas. Christian. Sit gloria Deo, quia tu convenis mecum ea dicens, quæ dicere volo. Ergo convenit tibi mecum, quod nostrum nemo absque Deo potest surgere aut moveri, quodque non vult Deus, ut furemur aut fornicemur. Si ergo jam surgens abeam, atque furer vel fornicer: quid istuc appel- C las? Deine voluntatem vel indulgentiam, & tollerantiam atque longanimitatem? Saracenus vim persentiscens admiratus ait: Reipsa sic se habet. Chr. Cogita & hoc, quod cum posset Deus percutere, ad crucem contendit: hoc est longanimitate usus est erga peccatum. At quando vult ut me pœniteat, reddit mihi; quo modo egit etiam erga Judæos. Post aliquantum enim excitavit contra illos Titum & Vespasianum & Græcos, & dejecit petulantiam eorum.

Si interrogeris a Saraceno dicente; Quem ais esse Christum? Responde illi, Verbum Dei. Nihil in hoc aberrare arbitror, quoniam & Verbum dicitur a Scriptura, & Sapientia & Brachium & Virtus D Dei, & alia id genus multa. Multinomius enim est. Tu vero vicissim interroga eum dicens; Quid vocatur a Scriptura Christus? Fortasse etiamsi velit interrogare te Saracenus de aliqua alia re; ne respondeas illi antequam solverit postulatum tuum. Qua necessitate coactus respondebit tibi dicens: A Scriptura mea Spiritus & Verbum Dei dicitur Christus. Et tunc dic illi tu quoque: Spiritus Dei & Verbum a Scriptura tua increata dicuntur, an vero creata? Ac ubi responderit creata esse, dic ei: Ecquis creavit Dei Spiritum & Verbum? Quod si ad incitas redactus dixerit tibi, Deum illa creasse; regere: En si dixissem ego tibi rem hujusmodi, respondisses profecto mihi: E medio sustulisti Te- E stimonium tuum, ac porro haud confirmaveris quæcumque dixeris. Nihilominus & istud te interrogo: Antequam crearet Deus Verbum & Spiritum, non habebat Spiritum neque Verbum? atque declinabit a te, non habens quid respondeat. Hæretici enim sunt qui hoc affirmant apud Saracenos, maximeque sunt abominabiles & propudiosi: & si huncce volueris traducere apud reliquos Saracenos, timebit te admodum. Quodsi interrogaverit te Saracenus inquiens: Sermones Dei creati sunt an increati? Solent enim nobis objicere hanc interrogationem vehementissimam, volentes ostendere creatum esse Verbum Dei, quod sane non est. Quod si dixeris creatos, regerit contra te, quod ecce omnes Dii vero non sunt. Ecce tu confessus es, Verbum

1. Forte πιστεύεται vel πιστευθήσεται.

2. Apud Lequien. num. II. pag. 466. c.

σας, ὅτι ὁ Χριστὸς λόγος ὢν τοῦ Θεοῦ, οὐκ ἔστι Θεός. διὸ μηδὲ κτιστὰ μηδὲ ἄκτιστα ὁ Χριστιανὸς ἀποκριθεὶς αὐτῷ λέγει· ἐγὼ ἕνα μόνον λόγον τοῦ Θεοῦ ἐν ὑποστάσει ὁμολογῶ ἄκτιστον ὄντα, καθάπερ καὶ σὺ ὡμολόγησας· τὴν δὲ ἅπασαν γραφήν μου, οὐ λέγω λόγια, ἀλλὰ ῥήματα Θεοῦ. καὶ ἐὰν εἴπῃ ὁ Σαρακηνός· καὶ πῶς λέγει ὁ Δαβίδ· λόγια κυρίου, λόγια ἁγνά· καὶ οὐχὶ, τὰ ῥήματα κυρίου, ῥήματα ἁγνά; εἰπὲ αὐτῷ· ὁ προφήτης τροπολογικῶς ἐλάλησεν, καὶ οὐ κυριολογικῶς. καὶ ἐάν σοι εἴπῃ· τί ἐστιν τροπολογία καὶ κυριολογία; εἰπὲ αὐτῷ· κυριολογία μέν ἐστιν, βεβαία ἀπόδειξις πράγματος, τροπολογία δέ ἐστιν ἀβέβαιος ἀπόδειξις. καὶ ἐάν σοι εἴπῃ ὁ Σαρακηνός· ἐνδέχεται προφήτην εἰπεῖν ἀβέβαιον ἀπόδειξιν; εἰπὲ αὐτῷ εὐθέως· ἐπὶ τοῖς προφήταις τὰ ἄψυχα πρόσωπα ποιεῖν, καὶ ὀφθαλμοὺς καὶ στόματα θεάσῃ αὐτοῖς· ὥστε ἡ θάλασσα εἶδεν, ἢ ἔφυγεν. ἰδοὺ καὶ θάλασσα ὀφθαλμοὺς οὐκ ἔχει, οὐ γάρ ἐστιν ἔμψυχος. καὶ πάλιν ὁ αὐτὸς προφήτης ὡς ἔμψυχον αὐτὴν διαλέγεται· τί σοί ἐστι θάλασσα ὅτι ἔφυγες, καὶ τὰ ἑξῆς. καὶ ἡ μάχαιρα φάγεται κρέα λέγει ἡ γραφή. τὸ γὰρ φαγεῖν ἐπὶ στόματος [1] λέγει τρώγοντος καὶ πίνοντος, ἡ δὲ μάχαιρα τέμνεται μὲν, οὐ καταπίνει δέ. οὕτως καὶ τὰ ῥήματα τροπολογήσας ἐλάλησε λόγους, ἅπερ οὐκ εἰσὶν λόγια, ἀλλὰ ῥήματα. καὶ ἐάν σοι εἴπῃ πῶς κατῆλθεν ὁ Θεὸς εἰς κοιλίαν γυναικός; εἰπὲ αὐτῷ· χρησώμεθα τῇ γραφῇ σου, καὶ τῇ γραφῇ μου. ἡ γραφή σου λέγει, ὅτι ἐκάθηρεν ὁ Θεὸς τὴν παρθένον Μαρίαν ὑπὲρ πᾶσαν σάρκα γυναικείαν, καὶ κατέβη τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ καὶ ὁ λόγος ἐν αὐτῇ. καὶ τὸ εὐαγγέλιόν μου λέγει, πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σὲ, καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι. ἰδοὺ μία φωνὴ ἀμφοτέρων τῶν λέξεων, καὶ ἓν νόημα. γινώσκω δὲ καὶ τοῦτο, ὡς πρὸς τὴν ἡμετέραν ἰδιότητα λέγει ἡ γραφὴ κατάβασιν Θεοῦ καὶ ἀνάβασιν, τροπολογικῶς καὶ οὐ κυριολογικῶς. κυρίως γὰρ κατάβασις καὶ ἀνάβασις ἐπὶ σωμάτων λέγεται κατὰ φιλοσόφους, ὁ δὲ Θεὸς τὰ πάντα περιέχει, καὶ οὐ περιέχεται ὑπό τινος τόπου. ἔφη γάρ τις τῶν προφητῶν· τίς ἐμέτρησε τῇ χειρὶ αὐτοῦ τὴν θάλασσαν, καὶ τοὺς οὐρανοὺς σπιθαμῇ, πᾶσαν τὴν γῆν δρακί; καὶ ὅλως πάντα τὰ ὕδατα ὑπὸ χειρῶν εἰσιν τοῦ Θεοῦ. [[2] καὶ ὁ οὐρανὸς δρακὶ] πῶς ἐνδέχεται αὐτὸς ἰδίᾳ χειρὶ τῇ κατεχούσῃ τὰ πάντα καταβῆναι καὶ ἀναβῆναι; ἐὰν καὶ ἐρωτήσῃ σε ὁ Σαρακηνὸς λέγων· καὶ εἰ Θεὸς ἦν ὁ Χριστὸς, καὶ ἔφαγεν καὶ ἔπιεν, καὶ ὕπνωσεν, καὶ τὰ ἑξῆς; εἰπὲ αὐτῷ, ὅτι ὁ προαιώνιος λόγος τοῦ Θεοῦ, ὁ κτίσας τὰ σύμπαντα, καθὼς λέγει ἡ γραφή μου, καὶ ἡ γραφή σου, αὐτὸς ἐκ τῆς σαρκὸς τῆς ἁγίας παρθένου Μαρίας ἄνθρωπος γενόμενος τέλειος, ἔννους καὶ ἔμψυχος· ἐκεῖνος ἔφαγεν καὶ ἔπιεν καὶ ὕπνωσεν, ὁ δὲ λόγος τοῦ Θεοῦ οὐκ ἔφαγεν οὐδὲ ἔπιεν οὐδὲ ὕπνωσεν οὐδὲ ἐσταυρώθη, καὶ τὰ ἑξῆς. γίνωσκε δὲ, ὅτι ὁ Χριστὸς διπλοῦς μὲν λέγεται ταῖς φύσεσιν, εἷς δὲ τῇ ὑποστάσει. εἷς γὰρ ὁ προαιώνιος λόγος τοῦ Θεοῦ, καὶ μετὰ τὴν πρόληψιν τῆς σαρκὸς ὑποστατικῶς καὶ οὐ φυσικῶς· οὐ γὰρ προσετέθη τῇ τριάδι τέταρτον πρόσωπον μετὰ τὴν ἄρρητον ἕνωσιν τῆς σαρκός. ὁ Σαρακηνός [3] ὅτι ἣν λέγετε θεϊκὸν ἀπέθανεν ἢ ζῇ; εἰπὲ αὐτῷ· οὐκ ἀπέθανεν, θαῤῥῶν τῇ γραφικῇ ἀποδείξει. λέγει γὰρ ἡ γραφὴ περὶ τούτου· ἦλθεν [4] ἐπ' αὐτὴν ὁ φυσικὸς

A Dei cum sit Christus, Deum tamen non esse. Quamobrem, neque creatos neque increatos Christianus respondens illi appellat, (*dicens*:) Ego unum solum Verbum Dei in hypostasi confiteor quod sit increatum, quemadmodum & tu confiteris; hanc totam Scripturam meam non dico Sermones, sed dictiones Dei. Quod si dixerit Saracenus: Quomodo ergo ait David: [a] *Sermones Domini, sermones puri*; & non Dictiones Domini, Dictiones puræ? Dic ei: Vates figurate loquutus est, at non proprie. Quod si tibi dixerit, Quid est figurata propriave loquutio? Tu regeras illi: Propria loquutio, est certa demonstratio rei, figurata vero loquutio est minus certa rei demonstratio. B Quod si opponat tibi Saracenus: Fierine potest ut propheta enunciet minus certam rei demonstrationem? Dic ei statim: In prophetis inanimata personas fieri, oculosque & ora eis tribui videris. Quapropter *Mare vidit & fugit*. Attamen mare oculos non habet, neque enim animal est. Rursus idem propheta velut animantem illud alloquitur: *Quid tibi est mare quia fugisti* & quæ sequuntur. Quin etiam *Gladius devorabit carnes* dicit Scriptura. At enim *devorare* de ore dicitur quod comedit ac bibit, gladius vero cædit quidem, non tamen deglutit. Sic & dictiones figurata locutione usus Sermones vocavit, tametsi non sint Sermones sed dictiones. C Sin autem sciscitatus fuerit; Quomodo descendit Deus in uterum mulieris? Respondeto illi: Adhibeamus scripturam tuam & meam. Scriptura tua dicit: * *Purgavit Deus virginem Mariam supra omnem muliebrem carnem, descenditque Spiritus Dei & Verbum in eam*. Evangelium vero meum dicit: [b] *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*. En idem utrinque verborum sonus & sensus. Adverto & istud, quod nempe secundum proprietatem nostram dicat Scriptura ascensionem Dei & descensionem, figurate nimirum at non proprie. Proprie enim descensus & ascensus juxta Philosophos de corporibus pronunciatur; Deus autem universa comprehendit, sed non D comprehenditur ab ullo loco. Ait namque quidam prophetarum: [c] *Quis mensus est manu sua mare, & cælos palmo, pugillo terram universam?* Et omnino aquæ universæ sub manu Dei sunt..... Quei fieri potest ut is manu sua continente universa, descendat vel ascendat? Et si interrogaverit te Saracenus dicens: Siquidem Deus erat Christus, qua ratione comedit & bibit & dormivit &c. Dic ei: Æternum Verbum Dei, quod creavit omnia, ut ait Scriptura mea & tua, ipsummet ex carne sanctæ virginis Mariæ factus homo perfectus, ratione & anima præditus, is est qui comedit bibitque ac dormivit. At Verbum Dei nec comedit nec bibit nec dormivit, nec cruci affixum est &c. E Adverte autem Christum duplicem dici quod ad naturas attinet, unum vero hypostasi. Unus enim est æternum Verbum Dei etiam post assumtam carnem, hypostasi tamen non natura. Neque enim adjecta est Trinitati quarta quædam persona post ineffabilem unitionem carnis. SARACEN. Quod divinum dicitis, mortuumne est an vivit? Responde illi non fuisse mortuum fretus scripturali demonstratione. Ait enim de hoc Scriptura: (Venit ad ipsam na-

[a] Psalm. XI. 7. [b] Luc. I. 35. [c] Isa. XL. 12.

1. Λέγεται. 2. Hæc oscitanter inserta; 3. Οὐ ἂν λέγῃ τί. In Lequienio ὃν λέγετε Θεὸν, ἀπέθανε. Quem dicitis Deum, mortuusne est. 4. Locus corruptissimus, & qui in Lequienio deest.

* Confer Guadagnolum Apolog. pag. 277. Immo totam passim consule Apologiam.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 745.



τῶν ἀνθρώπων θάνατος μνήμην καθάρξας ἢ χειρωσάμενος πρὸς ἐν ἡμῖν ἄπαγε. ἄλλως φέρε εἰπεῖν. ὁ πρῶτος ἄνθρωπος ὕπνωσεν, καὶ τὴν πλευρὰν ἀφῃρέθη.

Ὁ ΣΑΡΑΚΗΝΟΣ. [1] ἰδοὺ πέπληγμαι ἔν τινι τόπῳ τῆς σαρκός μου, καὶ πληγεῖσα ἡ σὰρξ μώλωπα ἀπετέλεσεν, καὶ ἐν τῷ μώλωπι ἐγένετο σκώληξ. τίς αὐτὸν ἔπλασεν; ὁ ΧΡΙΣ. λέγει τὸ καὶ προείπομεν· μετὰ τὴν πρώτην ἑβδομάδα τῆς κοσμοποιΐας, οὐχ εὑρίσκομεν οἱονδηποτοῦν πρᾶγμα πλάσαντα τὸν Θεὸν, ἢ πλάττοντα· ἀλλὰ τῷ προστάγματι τοῦ Θεοῦ προσετάγη ἐν τῇ πρώτῃ ἑβδομάδι, καὶ ἐγένοντο τὰ γινόμενα. μετὰ τοῖς [2] προστάγμασι κατεκρίθη καὶ ἀκάνθας καὶ τριβόλους [3]. τότε δὲ καὶ ἡ σὰρξ ἡμῶν κριθεῖσα, μέχρι τῆς σήμερον φθεῖρας καὶ σκώληκας [4] ἀναπλεῖ· ὁ Σαρακηνὸς ἐρωτᾷ τὸν Χριστιανόν· λοιπὸν [5] τίς ἐστι παρὰ σοὶ μείζων, ὁ ἁγιάζων ἢ ὁ ἁγιαζόμενος; γνοὺς δὲ ὁ Χριστιανὸς τὴν ἔνοπλον αὐτοῦ ἐρώτησιν, εἶπεν· ὃ θέλεις εἰπεῖν γινώσκω. ὁ ΣΑΡ. καὶ ἐὰν οἶδας δεῖξόν μοι. ὁ ΧΡΙΣ. εἶπεν· ἐάν σοι εἴπω ὅτι ὁ ἁγιάζων μείζων τοῦ ἁγιαζομένου, ἐρεῖς μοι, ἄπελθέ φησι προσκύνησον τὸν βαπτιστὴν Ἰωάννην, ὡς βαπτίσαντα καὶ ἁγιάσαντα τὸν Χριστόν σου· ὁ δὲ ΣΑΡΑΚΗΝΟΣ οὕτως φησί σοι ἤθελον εἰπεῖν. αἰνιγματωδῶς ἔφη ὁ [6] Χριστὸς πρὸς τὸν Σαρακηνόν· ἀπερχομένου σου ἐν τῷ βαλανείῳ μετὰ τοῦ δούλου σου λούσασθαι, καὶ λουόμενος ὑπ᾽ αὐτοῦ καὶ καθαιρόμενος, τίνα ἔχεις εἰπεῖν μείζονα; ἐκεῖνον τὸν οἰκτρὸν δοῦλον καὶ ἀργυρώνητον, ἢ [7] σὺ ὁ καθαρθεὶς ὑπ᾽ αὐτοῦ; οὕτως οὖν καὶ αὐτὸς δεσπότης ὢν, ὑπὸ τοῦ δούλου ἐκαθήρετο. ἐμαυτὸν λέγεις μείζονα τὸν κτησάμενον, ἢ ἐκεῖνον τὸν ὑπὲρ ἐμοῦ κτηθέντα, εἶπεν ὁ Σαρακηνὸς πρὸς τὸν Χριστιανόν. ὁ δὲ ἀπεκρίθη εὐχαριστήσας πρότερον τὸν Θεὸν, καὶ εἶπεν πρὸς τὸν Σαρακηνόν· οὕτως μοι νόει καὶ τὸν Ἰωάννην δοῦλον, καὶ οἰκέτην ὑπουργήσαντα τῷ Χριστῷ ἐν τῷ Ἰορδάνῃ, ἐν ᾧ βαπτισθεὶς ὁ σωτήρ μου, τῶν ἐκεῖσε ἐμφωλευόντων πονηρῶν δαιμόνων τὰς κεφαλὰς συνέτριψεν. ὁ δὲ Σαρακηνὸς σφόδρα θαυμάσας, καὶ ἀπορήσας, καὶ τί ἀποκριθῆναι μὴ ἔχων τῷ Χριστιανῷ, ἀνεχώρησεν μηκέτι προσβάλλων αὐτῷ.

A turalis hominum mors memoriam laceſſens vel ſubigens ad in nobis apage. Aliter ut ita dicam *) Primus homo dormivit, & coſta ab eo capta eſt.

Saracenus. Ecce plagam accepi certo quodam loco carnis meæ, plagaque affecta caro vibicem contraxit, & in vibice vermis enatus eſt. Quis eum formavit? Chr. dicit quod & præfati ſumus. Poſt priorem hebdomadam creationis mundi, non reperimus ullam rem formaſſe aut formare Deum. Sed mandato Dei præceptum eſt in prima illa hebdomada, fueruntque quæ ſunt. Deinde juſſionibus damnata eſt terra (*germinare*) & ſpinas & tribulos. B Tunc etiam caro noſtra damnata, uſque in præſentem diem pediculos & vermes gignit. Sar. interrogat Chriſtianum: Ceterum vero quis apud te major eſt, qui ſanctificat an qui ſanctificatur? Agnoſcens vero Chr. hoſtilem ejus interrogationem ait: Quod tibi vis intelligo. Sar. Si quidem noſti, indica mihi. Chr. inquit: Si tibi dixero ſanctificantem eſſe ſanctificato majorem, regeres adverſum me; Abi, adora baptiſtam Joannem, quippe qui baptizavit ſanctificavitque Chriſtum tuum. Sar. Iſtuc ſane volebam tibi dicere. Ænigmatice ait Christianus ad Saracenum. Proficiſcente te ad balneum cum ſervo tuo ut laveris, lavatoque ab ipſo & purgato, quem majorem dixeris? Num miC ſerum illum & emtitium ſervum, vel te ab illo purgatum? Haud aliter ergo, & ipſe cum Dominus eſſet a ſervo purgatus eſt. Mene vocas majorem qui emi, an illum a me emtum, ait Saracenus ad Chriſtianum? Hic vero reſpondit, gratiiſque prius Deo actis inquit ad Saracenum: Similiter cogita tu mihi & Joannem ſervum atque famulum miniſtrantem Chriſto in Jordane, in quo baptizatus Soſpitator meus latentium ibi in luſtris malorum dæmonum capita confregit. Saracenus autem vehementer admiratus, quidque reſponderet non habens Chriſtiano, abiit, non amplium cum illo congreſſus.

1. Lequienius num. vi.
2. Lequien. *μετὰ δὲ τὴν παράβασιν κατεκ.* Poſt tranſgreſſionem vero &c.
3. *Ἀνατέλλειν* Leq. & mox *κατακριθεῖσα*.
4. *Ἀνατέλλει*.
5. Lequien. num. viii. pag. 469.
6. *Χριστιανός*.
7. Lequien. *σαυτὸν τὸν καθαρθέντα*.

* S. Andreas Cretenſis Orat. in Dormit. S. Mariæ §. v. initio de morte Deiparæ habet: *μέχρις αὐτῆς ὁ φυσικὸς τῶν ἀνθρώπων ἐχώρησε θάνατος, οὐ μὴν καθείρξας, ὡς ἐν ἡμῖν, ἢ χειρωσάμενος, ἄπαγε.* Hinc locus omnimode emendatur, explicaturque quid ſit *ſcripturalis demonſtratio*. Præterea liquet orationem illam Cretenſi tributam, ante ſcriptionem hujus dialogi ſatis tritam magnæque auctoritatis fuiſſe, cum Scripturalis audiret demonſtratio.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 756.

INCIPIT LIBELLUS ABBATIS PIRMINII, DE SINGULIS LIBRIS CANONICIS SCARAPSUS.[1]

FRatres cariſſimi, Spiritus ſanctus per prophetas, ſacerdotes & Levitas & omnes doctores Eccleſiæ catholicæ admonet dicens: *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & adnuntia populo meo peccata eorum.* Et iterum: *Si non adnuntiaveris iniquo iniquitatem ſuam, ipſe in peccatis ſuis morietur, ſanguinem ejus de manu tua requiram.* Et Dominus in Evangelio ait: *Euntes in mundo univerſo, prædicate Evangelium.* Et vos fratres, qui ad Eccleſiam convenitis, Dominus per prophetam dicit: *Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos.* Et iterum: *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Et Dominus in Evangelio: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego vos reficiam, dicit Dominus.* Petimus ergo cariſſimi, caritatem veſtram, ut quæ pro ſalute veſtra dicuntur, attentius audiatis. Longus quidem pro divinis ſcripturis ordo digeritur, ſed velut aliquanculum in memoria teneatis pauca vobis de pluribus commendamus.

Cum *feciſſet* Dominus *in principio cælum & terram*, & in illa cæleſti habitatione fecit ſpiritales creaturas, id eſt angelos: e quibus unus qui primus omnium archangelus fuerat factus, videns ſe in tanta gloria præfulgentem, non dedit honorem Deo creatori ſuo, ſed ſimilem ſe illi dixit; & pro hac ſuperbia cum aliis pluribus angelis qui illi conſenſerunt, de illa cæleſti ſede in aere iſto, qui eſt ſub cælo, dejectus eſt, & perdita luce gloriæ ſuæ factus eſt diabolus. Similiter & illi angeli qui conſentientes illi fuerunt, cum ipſo de cælo projecti ſunt, perdito ſplendore gloriæ ſuæ facti ſunt dæmones. Reliqui autem qui ſubditi fuerunt Deo, in ſuæ claritatis gloria in conſpectu Domini perſeverarunt, & ipſi dicuntur angeli ſancti.

Poſt iſtam ruinam angelorum, *formavit Deus hominem de limo terræ*, ut ſi præceptum Domini ſervaſſet, in loco illo cæleſti ſine morte ſuccederet, unde angeli illi refugi ceciderunt: ſi autem præteriiſſet Dei præceptum, morte morietur. Videns autem diabolus quia propterea factus fuerat homo, ut in loco illius unde ipſe cecidit, in regno Dei ſuccederet; invidia ductus, ſuaſit hominem ut mandata Dei tranſiret. *Præceperat autem Deus homini dicens: De omni ligno paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Ex quo ligno contra præceptum Dei tulit homo de fructibus illius ſuadente diabulo, & comedit: pro qua offenſa jactatus eſt homo de paradiſo in exſilio mundi iſtius, ubi multos labores & dolores pateretur.

Fuit autem primus homo dictus Adam, & mulier ejus dicta eſt Eva, quod creavit: ex iſtis duobus omne genus hominum propagatum eſt. Qui obliti creatorem ſuum Deum multa ſcelera facientes irritaverunt Deum, ad iracundiam provocantes eum. Pro qua re immiſit Deus diluvium, & A perdidit omnes, excepto uno juſto nomine Noe cum ſuis tribus filiis, & uxores eorum pro reparando humano genere reſervavit. A primo ergo homine Adam uſque ad diluvium tranſierunt anni duo millia CCXLII. Poſt diluvium, iterum recuperatum eſt genus humanum per filios Noe: & cum cœpiſſet multitudo ſuccreſcens mundum implere, obliviſcentes iterum homines creatorem mundi Deum, cœperunt colere creaturas, & multa alia mala opera facere, quæ dinumerare longum eſt.

Cum vidiſſet Deus tantam malitiam hominum, dedit per famulum ſuum Moyſem legem in duas tabulas lapideas digito Dei ſcriptas. In prima tabula: *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus unus* B *eſt. Non adſumes nomen Dei tui in vano. Memento ut diem ſabbati ſanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua; ſeptimus autem dies, ſabbatum eſt Domini Dei tui, non facies omne opus in eo.* In ſecunda tabula: *Honora patrem tuum & matrem tuam. Non mœchaberis. Non occides. Non furtum facies. Non falſum teſtimonium dices. Non concupiſces uxorem proximi tui.* Et iterum: *Non concupiſces rem proximi tui.* Etiam lege accepta, homines in ipſa prævaricati, & poſtmodum ad idola & culturas dæmonum reverſi, in multis criminibus & peccatis detenti erraverunt.


Iterum cum vidiſſet Deus tantam ſtultitiam & duritiam humanam, quia hominem quem creavit C non vult perdere, miſit prophetas ſuos monens eos per Spiritum ſanctum, ut de culturis idolorum vel prævaricatione legis ad cultum divinum vel præcepta Dei reverterentur. Sed nec ipſa lex, quæ per Moyſem data fuit, nec ipſi prophetæ eos de originalibus peccatis, quæ de Adam traxerant, liberare potuerunt; quia omnis anima peccatorum & juſtorum exeuntes de corpore ad infernum deſcendebant[2] propter ipſa originalia peccata, quæ de Adam traxerant, pro eo quod in paradiſo primus homo tranſgreſſus eſt mandatum Dei.

Sed quando vidit Deus quod totus mundus perиret, miſertus eſt humano generi: *Miſit filium ſuum natum ex muliere, factum ſub lege, ut eos* D *qui ſub lege erant redimeret.* Deſcendere dignatus eſt Filius Dei de ſinu Patris, hoc eſt Verbum in utero ſanctæ Mariæ ſemper virginis. In tanta humilitate venit, ut per humilitatem vinceret diabolum mortis auctorem, & liberaret humanum genus per crucem ſuæ paſſionis. Qui cum Patre fulgebat in cælo, in terra pannis involutus in præſepio jacebat. Ille Ægypto fugatus, in corpore circumciſus: ille a Joanne quaſi triginta annorum in Jordane fluvio baptizatus, & prædicavit in Judæis & gentibus omnia mala opera vel diabolica derelinquere, & pœnitentiam agere, & baptiſmum accipere, vel præcepta ſua, quod ſunt quatuor Evangelia & reliqua ſacra ſcriptura, cuſtodire. Et elegit duodecim diſcipulos ſuos, ut quicquid in univerſo mundo prædicarent, omnes crederent in no-

1. H. e. *collectio*. *Scaro* enim barbaræ latinitati ſonat *milites cogere*.

2. Hæc cum congrua diſtinctione accipienda. Quo nempe ſenſu dicimus, ante Chriſtum cælorum januas clauſas fuiſſe propter Adæ peccatum. Vide infra §. *Poſt hæc*.

Sæc. VIII.
circa
Ann. Chr.
756.



mine Patris & Filii & Spiritus sancti, & baptizarent in remissione omnium peccatorum. Et isti sunt Apostoli: Petrus, Andreas, Jacobus, Joannes, Philippus, Thomas, Bartholomæus, Matthæus, Simon Zelotes, Judas Jacobi, Jacobus Alphæi; & sic illis Dominus docuit orare. [a] *Pater noster qui in cælis, sanctificetur nomen tuum. Veniat regnum tuum. Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: & ne inducas nos in tentationem: sed libera nos a malo.* Et ipse Christus filius Dei de aqua vinum fecit, & de quinque panibus & duobus piscibus quinque millia populi satiavit, & super mare pedibus ambulavit, & leprosos mundavit, & dæmonia ejecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui, & paralyticos sanavit, & cæcos inluminavit, & omnem infirmitatem & languorem in populo sanavit. Et ipse Dominus jejunavit XL. diebus & XL. noctibus, & postea esuriit; & accedens diabolus dixit ei: *Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Respondens Christus dixit ei: *Non in pane solo vivit homo, sed in omne verbo Dei.* Et dixit ei diabolus: *Si filius Dei es, mitte te deorsum.* Dicit illi Jesus: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Et ostendit illi diabolus omnia regna mundi & gloriam eorum, & dixit illi: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Tunc dixit ei: *Vade retro satanas; scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Tunc reliquit eum diabolus: & ecce accesserunt angeli, & ministrabant ei.* Heic ostenditur quod unus diabolus tentavit Adam & Christum, & de eadem caussa tentavit eos. Adam tentavit in gula cum dixit: [b] *Cur præcepit vobis Deus ne comederetis de hoc ligno?* Vanam gloriam suggessit, quando dixit: *Scientes bonum & malum.* Et sic tentat omnem, si potest, hominem vincere, in gula cadit, in fornicatione, in luxuria, in immunditia, in impudicitia: & si in his cadit homo, suggerit illi vanam gloriam, unde nascitur jactantia, elatio, superbia; & si in his non peccat homo, suggerit cupiditatem, inde nascuntur inimicitiæ, contentiones, iræ, discordia, furta, homicidia, zeli. Et propterea corripiamus arma Christi, & vincamus inimicum, sicut noster magister docuit Christus, & illum risit.

Post hæc cum duodecim discipulis suis venit ad cœnam quinta feria, quæ vocatur Jovis, & cœna Domini, & uno ex ipsis duodecim discipulis suis, qui vocabatur Judas Schariotis, immisit diabolus per invidiam cordi sicut Judæorum, ut Christum filium Dei ipsis Judæis consentientibus, pro triginta argenteis in ipsa nocte traderet ad crucifigendum. Et ille voluntarie, non invitus, pro nostra salute venit ad passionem: ille pro nobis opprobria sustinuit, ille inrisiones, ille sputa, ille alapas, ille flagella, ille spineam coronam: ut feria, quæ dicitur die Veneris, in crastino de cœna, hora sexta a Judæis suspensus in cruce; & in ipsa die [c] *tenebræ factæ sunt super universam terram a septima hora usque ad horam nonam: & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum qui dormierant resurrexerunt, & exeuntes de monumentis post resurrectionem, venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis.* Ipse Dominus pro nobis in cruce clavis confixus, aceto potatus, lancea perforatus, & in ipsa hora nona emisit spiritum; & emanavit de latere ejus sanguis & aqua. Quid per sanguinem nisi redemtio? Quid per aquam, nisi baptismi sacramentum significaretur? Deinde corpus Christi jacuit in sepulcro; & dum illud sacrum corpus in sepulcro jaceret, anima Christi descendit ad infernum. Inde eripuit Adam primum hominem, & omnes Patriarchas & Prophetas & justos, qui propter originalia peccata ibidem detinebatur. Unde Dominus dicit: [d] *Ero mors tua, o mors; ero morsus tuus, o inferne.* Quia Dominus noster Jesus Christus morsus inferni fuit, quia parte abstulit, parte reliquit illos: justos abstulit, illos peccatores reliquit. Quia illa divinitas Dei, quæ impassibilis est, hoc est Verbum, cum Patre erat in cælo, & cum corpore in sepulcro, & cum anima Christi in inferno: quia sola humanitas sine divinitate mundum redimere non poterat.

Deinde alligavit diabolum, & expoliavit infernum. Tertia die, quod omnes Christiani celebrant Pascha, die dominico resurrexit de sepulcro, & post resurrectionem apparuit hominibus, & per quadraginta dies usque ad ascensionem ad cælos, cum Apostolis inter homines in isto mundo ambulavit, & ostendit eis plagam lanceæ in latus, & fixuras clavorum in manus suas; & loquens eis multa de regno Dei, elevavit manus suas super eos, & benedixit illos, & dixit illis: *Euntes in mundo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Et præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem Patris;* & dixit eis: *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes. Et cum hæc dixisset, videntibus illis elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in cælum euntem illum; ecce duo viri adstiterunt juxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis adspicientes in cælum? Hic Jesus qui adsumtus est a vobis in cælum sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Et hoc actum est quinta feria, quæ vocatur dies Jovis, quod est Ascensio Domini.

Tunc ipsi discipuli Domini reversi sunt Hierosolyma, & erant perseverantes unanimiter in oratione usque ad decimum diem, quod est Pentecoste, & dicitur quinquagesimus dies, dominicus; & in ipsa die hora tertia, *factum est repente de cælo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis, & implevit totam domum, ubi erant sedentes Apostoli. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui aliis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis;* & composuerunt symbolum. Petrus: *Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cæli & terræ.* Joannes: *Et in Jesum Christum filium ejus unicum Dominum nostrum.* Jacobus dixit: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine.* Andreas ait: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.* Philippus dixit: *Descendit ad inferna.* Thomas ait: *Tertia die surrexit a mortuis.* Bartholomæus ait: *Ascendit ad cælos, sedit ad dexteram Dei patris omnipotentis.* Matthæus ait: *Inde venturus judicare vivos & mortuos.* Jacobus Alphæi dixit: *Credo in Spiritum sanctum.* Simon Zelotes ait: *Sanctam Ecclesiam catholicam.* Judas Jacobi dixit: *Sanctorum communionem, remissionem peccatorum.* Item Thomas ait: *Carnis resurrectionem, vitam æternam.*

Deinde, sicut antea Christus prædixerat, dispersi sunt in universum mundum ad prædicandum omnes gentes, & baptizandum eos in nomine Patris, &

a Matth. IV. 9. seqq. *b* Gen. III. 1. *c* Matth. XXVII. 45. 52. 53. *d* Osee XIII. 14.

Filii, & Spiritus sancti. Et ipsi Apostoli benedixerunt episcopos, diaconos, presbyteros, & reliquos gradus Ecclesiæ catholicæ ordinaverunt, qui post discessum Apostolorum, sicut ipsi supra scripti ordine apostolico in populo catholico vigilanter & prudenter usque in fine mundi per successionem episcoporum agere debeant. Et nunc tempore boni per Dei gratiam ad salvationem justorum constituuntur, & mali non secundum constitutionem apostolicam, sed per cupiditatem, sicut Simon magus; vel per alias multas malas adinventiones eorum ad ruinam populi instituuntur: qui plus volunt præesse, quam prodesse in ecclesiis Dei. Sed considerare oportet quod scriptum est: *Quæ dicunt vobis bona, facite*; & quod absit, *si illi mala faciunt, facere nolite*. Et alibi scriptum est: Qui proficere studet, non consideret quid male alii faciunt, sed quid boni ille facere debeat. Nam illi boni, qui ecclesiis catholicis præsunt, quæ vobis recta prædicant, & operibus complent, duplicia bona populis ostendunt, adimplentes illud evangelicum præceptum, *sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est*.


Ergo carissimi, ut Spiritus sanctus per Prophetam dicit: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis, & omnibus idolis vestris universis: mundabo vos, & dabo vobis cor novum, & spiritum ponam in medio vestri*. Et in Evangelio: *Nemo intrat in regnum Dei, nisi qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*, hoc est, nisi qui crediderit & baptizatus fuerit. Ideo Fratres ad memoriam vestram reducimus, quale pactum in ipso baptisterio cum Deo fecimus, v. g. cum interrogati singuli nomen nostrum a sacerdote fuimus, quomodo diceremur; respondisti autem tu, si jam poteras respondere, aut certe qui pro te fidem fecit, qui de fonte suscepit, & dixit: *Joannes dicitur*, aut aliud nomen. Et interrogavit sacerdos: *Joannes, abrenuntias diabolo, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus?* Respondisti, *abrenuntio*, hoc est, despicio & derelinquo omnia opera mala & diabolica. Post istam abrenuntiationem diabolo & omnibus operibus ejus, interrogatus es a sacerdote: *Credis in Deum patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ?* Et respondisti: *Credo*. Et iterum: *Credis & in Jesum Christum filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepulpus, descendit ad inferna, tertia die resurrexit a mortuis, ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis, inde venturus judicare vivos & mortuos?* Et respondisti, *credo*. Et tertio interrogavit sacerdos, *Credis in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, & remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & vitam æternam?* Respondisti aut tu, aut Patrinus pro te, *credo*. Ecce pactio qualis & promissio vel confessio vestra apud Dominum tenetur, & credens baptizatus es in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti in remissione omnium peccatorum, & unctus es a sacerdote chrisma salutis in vitam æternam, & induit corpus tuum veste candida & Christus animam tuam induit gratiam cælestem, & adsignatus est tibi sanctus Angelus ad custodiendum te, & acceptum nomen Christianum in Ecclesia catholica annumeratus factus es membrum Christi, ut ait Apostolus: *Vos estis Christi corpus, & membra de membro ejus*. A Christo enim Christiani numerati sunt.

A Non se autem glorietur Christianus, qui nomen habet, & facta non habet. Christianus ille est, qui Christum in omnibus imitatur & sequitur, ut ait Apostolus: *Qui se dicit in Christum credere, debet ambulare sicut & ille ambulavit; & qui se dicit credere in Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est*. Et ipse Dominus in Evangelio ait: *Si diligitis me, mandata mea servate*. Oportet ergo nos, fratres, qui baptizati sumus, & mandata Dei percepimus, custodire sicut Spiritus sanctus per scripturam sacram admonet facere, hoc est, *divertere a malo & facere bonum*. Quid est, divertere a malo, nisi diabolum cum omnibus operibus ipsius
B derelinquere? Mala ergo sunt octo principalia vitia, quæ demergunt homines in interitum & perditionem: cupiditas, gula, fornicatio, ira, tristitia, accidia, vanagloria, superbia: ex quibus octo vitiis plurima alia mala vitia & peccata oriuntur, quæ dinumerare longum est: tamen propitio Christo in antea aliquid breviter vobis inde habemus dicere. Ideo, carissimi, rogamus caritatem vestram, ut interna aure cordis vestri audiatis quid vobis de hæc vitia superscripta Dominus per semetipsum, vel per sanctam Scripturam prohibet, ut numquam ea faciatis; & qui fecerit, quomodo debet emendare.

De cupiditate autem dicit: non concupiscere rem proximi tui. Et per Salomonem: *Nihil est scele-*
C *stius, quam amare pecuniam*. Et per Apostolum: *Radix omnium malorum est cupiditas*. De gula vero dixit: *Cavete autem gulam per quam primus homo Adam de paradiso ejectus est*, quia scriptum est: *Nolite seduci in satietatem ventris*. Et per Prophetam: *Hæc fuit iniquitas Sodomorum, superbia & saturitas panis, & abundantia*. Et Apostolus: *Carnis curam ne feceritis in desideriis*. Et Dominus in Evangelio: *Veh qui saturati estis, quoniam esurietis*. Nemo fornicationem faciat, quia in lege Dominus ait: *Qui dormierit cum masculo coitu femineo, aut qui operatus est nefas, morte moriatur*. Et Apostolus ait: *Fornicatores &* [1] *adulatores Deus*
D *judicabit*. Omnis enim immunda pollutio fornicatio dicitur. Et iterum Apostolus ait: *Neque fornicarii, neque masculorum concubitores, neque molles regnum Dei possidebunt*. Nullus in corde suo iracundiam contra proximum suum teneat, quia Dominus in Evangelio ait: *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio*. Et Apostolus: *Ira viri Dei justitiam non operatur*. Et, *Sol non occidat super iracundiam vestram*. Nolite tristari pro rebus transitoriis, quia scriptum est: *Tristitia sæculi mortem operatur*. Nemo otiositatem faciat, quia scriptum est: *Anima autem nihil operantis, esuriit*. Et iterum: *Otiositas inimica est animæ*. Et Apostolus ait: *Qui*
E *non vult operari, nec manducet*. Vanam gloriam contemnite. Quodcumque ornandi caussa, vel laudis ab hominibus fecerimus, vana gloria nuncupatur. Unde scriptum est: *Quoniam Deus dissipat ossa eorum, qui hominibus placent*. Et Apostolus ait: *Nolite fieri inanis gloriæ cupidi*. Et item Apostolus: *Si hominibus placerem, Christi servus non essem*. Et Dominus in Evangelio ait: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab hominibus, alioquin mercedem non habetis apud Patrem vestrum, qui in cælis est*. Superbiam fugite, quia *immundus est ante Deum omnis qui exaltat cor suum*. Et iterum: *Superbis Deus resistit, humilibus vero dat gratiam*. Et iterum: *Qui se exaltat, humiliabitur*. Nullus homicidium faciat, quia scriptum est: *Quicumque effunderit sanguinem humanum, fundetur sanguis ipsius*. Et Dominus ait:

1. Lege *adulteratores*.

Sæc. VIII. CIRCA ANN. CHR. 756.



Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio. A Et Apostolus ait: *Omnis homicida non habet partem in vitam æternam.* Nemo adulterium committat, quia in lege Dominus ait: *Non concupisces uxorem proximi tui.* Et Apostolus dicit: *Neque adulteri regnum Dei possidebunt.* Et Dominus ait: *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Legitimum conjugium nullus separare præsumat, nisi ex amborum consensu propter amorem Christi, qui ait: *Qui reliquerit uxorem*, & reliqua; *centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Et propter fornicationem, quia Pharisæi tentantes Dominum Jesum Christum interrogaverunt eum: *Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex caussa?* Re- B spondens Jesus ait: *Non legistis quia qui fecit ab initio hominem, masculum & feminam fecit eos? Et dixit: propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Dicunt illi, quid ergo Moyses mandavit dare illi libellum repudii & dimittere de domo sua? Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis uxores vestras dimittere; ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob caussam fornicationis & aliam duxerit, mœchatur; & qui dimissam duxerit mœchatur.* Unde Apostolus ait: *Præcipio, non ego, sed* C *Dominus, uxorem a viro non discedere.* Et iterum: *Adligatus ex uxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem.* Et alibi scriptum est: *Qui adulteram tenet, stultus & impius est.* Ubicumque igitur est fornicatio, aut fornicationis suspicio, libere uxor dimittatur. Quod ergo sterilis est, si deformis, si ætate vetula, si fœtida, si temulenta, si malis moribus, si luxuriosa, si fatua, si gulosa, si vaga, si jurgatrix, si maledica; tenenda erit istiusmodi velis nolis, & qualiscumque accepta, habenda: cum esses liber, sponte te subjecisti. Nemo incœstis conjunctionibus se coinquinet, quia Dominus in libro Levito, quando legem ad populum dedit, ait: *Ego Dominus: omnis* D *homo ad proximam sanguinis sui non accedat. Turpitudinem patris tui & matris tuæ, & uxoris patris non discoperies; turpitudinem sororis tuæ & filiæ filii tui, vel nepotis, & filiam filiæ uxoris patris tui; & sororem patris tui, & sororem matris tuæ, & patris tui non revelabis; nec accedas ad uxorem ejus qui tibi adfinitate conjungitur. Turpitudinem uxoris filii & uxoris fratris tui, & uxoris tuæ & filiæ ejus non revelabis: filiam filiæ ejus, & filiæ ejus, non sumes ut reveles ignominiam ejus, quia caro illius sunt, & talis coitus incœstus est.* Et iterum ipse Dominus ait: *Qui dormierit cum noverca sua, & cum nuru sua, uterque moriatur. Et qui supra uxorem filiam duxerit matrem ejus, vivus* E *ardebit cum eis: & qui coierit cum uxore patrui vel avunculi sui, morientur.* Et alibi scriptum est, usque ad [1] sextum generis gradum consanguinitas constituta est: ut sicut sex ætatibus mundi generatio & hominis status finitur; ita propinquitas generis tot gradibus terminaretur.

Ad mulierem menstruatam nullus accedat, quia Dominus ait: *ad mulierem quæ patitur menstruum ne accesseris.* Iterum ibi: *mulier quæ redeunte mense patitur fluxum sanguinis, septem diebus separabitur. Omnis qui tetigerit eam immundus erit.* Et iterum ibi: *Si coierit cum ea vir tempore sanguinis menstrualis, immundus erit.* Et per Ezechiel prophetam Dominus ait: *Ad mulierem menstruatam non accedes.* Nullus avarus sit, quia Apostolus ait: *Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis, quæ advenient vobis: divitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra a tineis comesta sunt: aurum & argentum vestrum æruginavit, & ærugo ipsa vobis in testimonium erit, & manducabit carnes vestras, sicut ignis.* Et iterum Apostolus ait: *Neque avari regnum Dei possidebunt.* Et Dominus in Evangelio: *Qui habet duas tunicas, det non habenti, similiter & escam.*

Usuras nullus præsumat accipere, quia Dominus ait: *Non fenerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem.* Et iterum: *Si attenuatus fuerit frater tuus, non accipias usuras ab eo, amplius quam dedisti.* Et Dominus in Evangelio: *Qui petit a te, da ei, & volenti mutuare a te, ne avertaris.* Nemo mensuras duplices nec stateras injustas habeat, quia Dominus ait: [a] *Non habebis in sæculo diversa pondera, majus & minus; nec erit in domo tua major & minor: pondus habebis justum & verum, modius æqualis & justus erit tibi.* Et Dominus in Evangelio ait: *Quid enim proficit homini & si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat?* Et iterum ipse Dominus: *Prout vultis ut faciant vobis homines bona, & vos facite illis.* Similiter hominem captivare non præsumatis, quia Dominus in lege ait: *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, & convictus fuerit noxæ, morte moriatur.* Et iterum: *Non facias calumniam proximo tuo, neque opprimas eum.* Et *quod tibi non vis, alii ne feceris.* Furtum nemo faciat, quia Dominus in lege ait: *Non furtum facies.* Et Apostolus ait: *Neque fures regnum Dei possidebunt.* Et Dominus: *Non concupisces rem proximi tui.* Per fortia autem per malo ingenio nullus alteri aliquid tollat, quia Dominus per Prophetam ait: *Per vim nihil rapueris.* Et in Evangelio Dominus: *Neminem conveniatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris.* Et Apostolus: *Neque rapaces regnum Dei possidebunt.*

Nullus injuste judicet caussam proximi sui, neque pro amore parentum & amicorum, vel alicujus amore; nec propter munera vel odium, nemo fraudet judicium suum, quia in Deuteronomio Dominus ait: *Non pervertes judicium.* Et per prophetam Dominus ait: *Veh qui justificatis impium præ muneribus, & justitiam justi aufertis ab eo.* Et Dominus in Evangelio: *In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini; & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Nolite injuste injuram facere alicui, nec malum pro malo reddere, quia Dominus per Prophetam ait: *Hominem non contristaveris.* Et Apostolus: *nolite malum pro malo alicui reddere.* Et in Evangelio Dominus: *diligite inimicos vestros, & benefacite his qui vos oderunt; benedicite maledicentibus vobis, orate pro calumniantibus vos.* Et *qui percutit te in maxillam, præbe ei & alteram. Et ab eo qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere. Omnia autem petenti te tribue.* Et; *Qui aufert quæ tua sunt, non repetas.* Nolite injuste opprimere peregrinum, nec viduam, nec orphanum, nec pauperem, quia in Exodo Dominus ait: *Advenam non contristaveris; viduæ & pupillo non nocebis.* Et iterum: *Non negabis mercedem indigentis.* Et in Propheta ait: *A pauperis injuria averte manum tuam.*

a Deut. xxv. 15.

1. Confer Berardum ad Can. 7. 12. 13. & 21. cau. 35. q. 2.



Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 756.

Nemo perjuret, quia Dominus ait: *Non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua.* Et Apostolus: *Nolite jurare, neque per cælum, neque per terram, neque alio quocumque juramento.* Et in Salomone: *Vir multum jurans implebitur iniquitate & non discedet de domo illius peccatum.* Et Dominus in Evangelio: *Non jurare omnino, neque per cælum, neque per terram, neque per caput tuum. Sit autem sermo tuus, est, est, non, non. Quod autem his abundantius est, a malo est.* Falsum testimonium nemo præsumat dicere, nec consentire, quia scriptum est: *Falsus testis non erit impunitus.* Et alibi: *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.* Qui dicit testimonium falsum particeps est eorum qui crucifixerunt Christum. Non blasphemetis, quia Dominus ad Moysem ait: *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur.* Et Dominus in Evangelio ait: *Qui blasphemavit in Spiritum Sanctum non remittitur ei neque heic, neque in futuro.* Et Apostolus: *Omnis amaritudo, ira, indignatio, & blasphemia auferatur a vobis.* Cum omni malitia omne mendacium non dicatis. *Omne quod mendacium est, peccatum est. Os quod mentitur occidit animam.* Et iterum: *Perdes eos qui loquuntur mendacium.* Fugite inhonesta verba. Unus sermo cito polluit mentem. Et in Evangelio Dominus ait: *Ex abundantia cordis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro profert bona; malus homo de malo profert mala.* Multiloquium non amate, quia in Propheta scriptum est: *Vir linguosus non dirigetur super terram.* Et iterum: *Mors & vita in manibus linguæ.* Et in Evangelio: *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines inter se, reddent rationem de eo in die judicii. Ex verbis tuis condemnaberis.* Nemo sit facilis ac promtus in risu, quia scriptum est: *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus præoccupat. Risum deputavi errorem, & gaudio dixi: Frustra decipitur.* Et iterum: *Stultus in risu exaltat vocem suam.* Et in Evangelio: *Veh vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.*

Nullus detrahat proximum suum. Detractio grave peccatum est, unde scriptum est: *Qui detrahit, eradicabitur de terra viventium.* Et Apostolus ait: *Nolite detrahere de alterutro fratres.* Quando alteri detrahis te ipsum discute. Numquam alium detrahit, qui seipsum bene perspexerit. Unde Dominus in Evangelio: *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* Nemo maledicat, quia in Levitico Dominus ait: *Qui maledixerit patri suo & matri, morte moriatur.* Et Apostolus: *Nolite maledicere.* Et iterum ipse: *Neque maledici regnum Dei possidebunt.* Invidiam contra proximum suum nullus habeat, quia scriptum est: *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Et quia per invidiam crucifixus est Christus; & ideo qui invidiam habet proximo suo, crucifigit Christum. Nemo hominem odio habeat, sed vitia & peccata. Odium enim a regno Dei hominem excludit. Unde Apostolus ait: *Qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scias quia omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem.* Et Dominus in Evangelio: *Si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra.* Nolite lites & scandala concitare; fugite autem omnes inimicitias, contentiones, æmulationes, rixas, dissentiones, sectas, & reliqua his similia, ut ait Apostolus: *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.*

A Nolite manducare [1] morticinium, neque sanguinem, neque animalia, vel apes, quas bestiæ, vel canes, vel accipiter consumaverunt, si mortua inveniuntur, quia in Levitico Dominus ait: *Sanguinem universæ carnis non comedetis, quia anima carnis in sanguine est.* Et; *quicumque comederit illud, interibit anima ejus.* Et iterum: *Morticinium & captum a bestia non comedent.* Et quatuor capitula Actus Apostolorum præceperunt abstinere a fornicatione, & suffocato, & sanguine, & idololatria. Nullus se inebriet, quia ait Apostolus: *Nec ebriosi regnum Dei possidebunt.* Et alibi: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Et Dominus in Evangelio: *Videte ne graventur corda vestra in crapula, &* B *ebrietate, & curis sæcularibus.* Nullus alium cogat, aut importune roget aliquem plus bibere, quam oportet, quia Dominus per Prophetam ait: *Veh qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperum, ut vino æstuetis.* Et iterum: *Veh qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendum ebrietatem.* Et per Joel prophetam Dominus ait: *Expergiscimini ebrii, & flete, & ululate omnes qui bibitis vinum in dulcedine.* Non solum vino inebriantur homines, sed etiam ex ceteris potandi generibus, quæ vario modo conficiuntur. Unde & Nazaræis præceptum est vinum & siceram omnino non bibere: utraque enim ebrios faciunt, & luxuriam carnis æqualiter C gignunt.

Nulla mulier potionis abortum accipiat ne filius aut conceptus aut renatus occidat: & nullas diabolicas potiones mulieres debent accipere, per quas jam non possint concipere. Mulier quæ hoc fecerit, quantoscumque parere poterit, tantorum homicidiorum se ream cognoscat esse.

[2] Noli adorare idola, non ad petras, neque ad arbores; non ad angulos, neque ad fontes, ad trivios nolite adorare, nec vota reddere. Præcantatores & sortilegos, & Karagios, aruspices, divinos, ariolos, magos, maleficos, sternutus, & auguria per auriculas, vel alia ingenia mala & diabolica nolite facere nec credere. Nam Vulcanalia & ca- D lendas observare, laurus obperire, pedem observare, estundere super truncum frugem, & vinum & panem in fontem mittere; mulieres in tela sua Minervam nominare, & Veneres aut alium diem in nuptiis observare, & quo die in via exeatur attendere, omnia ista quid aliud nisi cultura diabuli est? Karachares herbas succincto nolite vobis vel vestris appendere. Tempestarias nolite credere, nec aliquid pro hoc eis dare. Qui impurias, quæ dicunt homines super tectus mittere, ut aliqua futura possint eis denuntiare, quod eis bona aut mala adveniant; nolite eis credere, quia soli Deo est futura præscire. Servulos & vehiculas in quadragesima vel aliud tempus nolite ambulare. Viri vestes femi- E neas, feminæ vestes viriles in ipsis calendis, vel in alia lusa quam plurima nolite vestire. Membra ex ligno facta in trivios & ab arboribus vel alio nolite facere, neque mittere: quia nullam sanitatem vobis possunt præstare. Luna quando obscuratur, nolite clamores emittere. Nolite carminum diabolicum credere, nec super se mittere non præsumat. Nullus Christianorum neque ad Ecclesiam, neque in domibus, neque in trivio, nec in ullo loco balationes, cantationes, saltationes, jocus & lusa diabolica facere non præsumat. Mimaritias & verba turpia & amatoria vel luxuriosa, ex ore suo non proferat. Omnia phylactricia diabolica, & cuncta supra-

1. Confer ad hæc Epistolam Evantii.

2. Heic & in sequentibus confer Berardum Can. xvi. cau. 26. q. 7.

SÆC. VIII. CIRCA ANN. CHR. 756.



dicta nolite ea credere, nec adorare, neque voti illius reddere, neque nullum honorem impendere, quia in Exodo Dominus ait: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec horum quæ sunt in aquis sub terra: non adorabis ea, neque coles*. Et iterum: *Qui immolaverit diis occidetur, præter Domino soli*. Et in Levitico Dominus: *Non augurabimini, neque observabitis somnia*. Et iterum in Deuteronomio: *Ne inveniatur qui ariolos suscitetur, & observet somnia atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec pythones consulat, neque divinos, nec exquirat a mortuis veritatem: omnia hæc abominatur Dominus*. Et iterum Dominus: *Non induetur vestem virilem mulier, nec vir utetur veste feminea. Abominabilis enim apud Deum est qui hæc facit*. Et iterum: *Maledictus homo qui facit sculptil*. Et Propheta: *Hæc dicit Dominus Deus Israel: non vos seducant Prophetæ vestri qui sunt in medio vestri, & divini vestri*. Et ne attendatis ad somnia vestra, quæ somniatis, quia falsum ipsi prophetant vobis: sed Deum trinum & unum adorate & honorificate.

Et ad sanctam Ecclesiam oblationes, & cereolos, & oleum, & incensum, & primitias, & decimas, & eleemosynas, & omnia bona vestra reddite: & tenete solemnitates præclaras & dies dominicos, & festas sanctorum Martyrum & Confessorum. Venite ad vigilandum & adorandum Deum & missas audiendum, & sacrificium, secundum quod dicit Sacra Scriptura, accipiendum. Et nullus in ipsa Ecclesia, vel ubi lectio divina recitatur, verbosare præsumat, sed lectiones sacras libenter audite, quia per Moysen Dominus ait: *Audi Israel & tace*. Diem dominicum nolite contemnere, sed cum reverentia colite. Opus servile, idest agrum, pratum, vineam, vel si quæ gravia sunt, in eo non faciatis; nec caussas, nec calumnias inter vos nolite dicere die dominico, præter tantum quod ad necessitatem reficiendi corpusculum pro excoquendo pertinet cibo: quia ipse dies dominicus primus creatus est, & in ipso tenebræ remotæ sunt, & lux apparuit, & in eo formata sunt elementa mundi, & creati sunt Angeli. In eo die de terra Ægypti, velut e tenebris peccatorum, quasi per fontem baptismi, per mare rubrum populus fuit liberatus. In eo die cælestis cibus, idest manna hominibus primo data est. De ipso mandavit Moyses ad populum: *Observabitis diem primum & novissimum*. Et de ipso dicit Propheta: *Hæc est dies quam fecit Dominus, exsultemus & lætemur in ea*. In ipso quoque a mortuis resurrexit Christus: in ipso die de cælis super Apostolos Sanctus descendit Spiritus. Qui ideo dominicus appellatur, ut in eo a terrenis operibus vel a mundi illecebris abstinentes, tantum divinis cultibus serviamus. Ideo rogamus vos, ut dum tanta & talia sacra testimonia de ipso die proferuntur, ut ipso die, sicut decet Christianis, juxta quod scriptum est, cum magno honore & diligentia, in amore Christi pro retributione æternæ vitæ custodiatis.

Decimas ex omnibus fructibus suis nemo teneat, quia in Exodo Dominus ait: *Decimas tuas & primitias tuas non tardabis offerre*. Et in Levitico: *Omnes decimæ terræ, sive de fructibus, sive de bonis arborum, Domini sunt: boves & oves, & capreæ, quæ sub pastoris virga transierunt; quidquid decimum venerit sanctificabitur Domino. Non eligetur nec bonum, nec malum, nec altero commutabit. Si quis mutaverit, & quod mutatum est sanctificabitur Domino, & non redimetur*. Et in Exo-

A do: *Primitias frugum terræ tuæ deferes in domo Domini tui*. Quod voverit Domino, nullus tardet reddere, quia in Numero Dominus ait: *Cum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requirit illum Dominus Deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum: si vero nolueris polliceri, absque peccato eris. Observabis & facies sicut promisisti Domino Deo tuo propria voluntate & ore quod locutus es*.

Nemo cum capitalia crimina admiserit, antequam confessionem suam donet, & veram pœnitentiam agat per consilium sacerdotis secundum ordinem Ecclesiasticum, corpus & sanguinem Domini communicare non præsumat, quia in Levitico Do-
B minus ait: *Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt, & quæ obtulerunt filii Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino: quia ego sum Dominus*. Et Apostolus ait: *Quicumque manducaverit panem, & biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis. Probet autem seipsum homo; & sic de pane illo edat, & de calice bibet: qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus. Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi*. Nullus Christianus a corpore & sanguine Christi se abstrahere vel prolongare patiatur, quia Dominus in Evangelio ait: *Ego sum panis vivus qui de cælo*
C *descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*. Et iterum: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo*. Et iterum: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Ideo admoneo vos, ut quicumque Christianus post baptismum criminalem culpam fecit, puram confessionem ad sacerdotem donet, & veram pœnitentiam agat: & post actam pœnitentiam, tempore quo ei sacerdos constituerit, oblationem suam ad sacerdotem offerat, & corpus & sanguinem Christi communicare faciat.

Igitur, carissimi, consideremus quod scriptum
D est: *Contrariis contraria sanantur*. Et quod Dominus per Prophetam ait: *Quiescite agere perverse, & discite benefacere*. Et iterum: *Declina a malo & fac bonum*. Et Apostolus: *Expoliate vos veterem hominem, & induite novum*. Et iterum: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum*. Et iterum: *Apprehendite loricam justitiæ, & galeam salutis, & gladium spiritus, quod est verbum Dei*. Et illud: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Deponamus itaque opera tenebrarum, & induamus nos arma lucis: sicut in die honeste ambulemus*. Ecce quomodo nos pius Dominus admonet, ut de malo ad bona nos convertamus. Obsecro itaque vos, fratres, ut quicumque talia quæ supra me-
E moravimus, & iis similia contra præceptum Domini, fecit, de misericordia numquam desperet, quia per Prophetam Dominus ait: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat*.

Sed unusquisque cum fide recta ad sacerdotem, sicut jam supra dictum est, confessionem puram indonet, & veram pœnitentiam agat; & quod male fecit perfecte defleat, & justis laboribus eleemosynis & bonis operibus se emendet: & caveat ut amplius non peccet; quia scriptum est: *Lavamini, mundi estote*. Et, *Qui abscondit scelera sua non dirigetur. Et qui confessus fuerit, & reliquerit ea, veniam merebitur*. Et illud: *Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris*. Et in Evangelio: *Pœnitentiam agite, adpropinquavit vobis regnum cælo-*

rum. Et Apostolus: *Confitemini alterutrum peccata vestra*. Et ideo, carissimi, dum Dominus per tanta testimonia & præcepta sua suprascripta nos admonet, ut cessemus ab omni opere malo, & convertamur ad omne opus bonum; quare tam tardi sumus ad convertendum vel emendandum, dum Domini auxilio in nostra sint potestate remedia, quia pius Dominus indulgentiam nobis in præsenti tempore, & in futuro gloriam æternam promittit? Pensemus, ergo, fratres, illud quod Dominus per Prophetam ait: *Nolite tardare converti ad Dominum, & ne differatis de die in diem: nescitis quid adferat superventurus dies, a mane usque ad vesperum mutabitur tempus*. Et alibi: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*. Et Dominus in Evangelio: *Videte ne fiat fuga vestra in hieme vel sabbato*. Et iterum: *Vigilate & orate, quia nescitis diem neque horam*. Et Apostolus: *Quæ est enim vita vestra? Vapor est ad modicum parens, deinceps exterminabitur*.

Igitur dum dies transeunt, finis noster adpropinquabit: admonemus & supplicamus, carissimi fratres, ut qui fuit cupidus vel avarus, & alicui malo ordine dolebat & sua injuste retinebat, sit in eleemosynis largus quia Dominus in Evangelio ait: *Ne solliciti sitis de crastino*. Et idem ipse Dominus: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te, quæ autem parasti cujus erunt?* Et Apostolus dixit: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus*. Et alibi: *Qui habuerit substantiam mundi & viderit fratrem suum necesse habere & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* Et iterum Dominus in Evangelio: *Quod superest date eleemosynam, & erunt omnia munda vobis*. Et iterum Dominus: *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam, & facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis*. Qui fuit ebriosus & gulosus, sit sobrius & abstinens, parcus & vilis in cibo & potu, ut scriptum est: Caro nos læta traxit ad culpam? adflicta reducat ad veniam. Multari melius est parum quotidie, quam rarum satis sumere. Et Apostolus jejunus frequenter, & Christus jejunavit, qui peccatum non fecit, & ipse dixit: *Beati qui esuriunt & sitiunt*. Et iterum: *Beati qui esuritis, quoniam saturabimi*. Qui fuit fornicator vel luxuriosus & adulter, sit purus & castus vel continens, quia ait Apostolus: *Corpora vestra membra sunt Christi*. Et rursus: *Qui adhæret Domino, unus spiritus est*. *Fugite fornicationem*. Et iterum: *Glorificate ergo Deum in corpore vestro*. Et iterum ipse: *Fratres vos estis templum Dei, & Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus: templum enim Dei sanctum est, quod estis vos*. Qui fuit iracundus, sit patiens, ut Dominus dixit: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*. Et iterum: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*. Et Apostolus: *Patientes estote ad omnes*.

Qui fuit tristis pro temporalibus damnis, vel sæcularibus curis, sit hilaris & gaudens pro æternis bonis & repromissionibus, quia in Evangelio Dominus ait: *Cum vos oderint homines, & cum separaverint vos, & exprobraverint, & ejecerint nomen vestrum tamquam malum propter filium hominis, gaudete in illa die & exsultate. Ecce enim merces vestra multa est in cælis*. Et iterum: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum quod constitutum est vobis ab origine mundi*: ubi lumen indeficiens, ubi gaudium sempiternum. Et Apostolus: *Gaudete in Domino semper*. Et iterum ipse: *Et in omnibus*

A *semper gaudete*. Qui fuit accidiosus, quod est otiositas, sit propriis manibus operans, aut quocumque artificio bonum laborans, unde & ipse habeat, & aliis pro æterna gloria tribuat, ut scriptum est: *Honora Dominum Deum tuum de tuis justis laboribus, & liba illi de justitiæ fructibus*. Et Propheta: *Laborem manuum tuarum manducabis, beatus es & bene tibi erit*. Et Apostolus ait: *Necessitatibus meis & eorum qui mecum fuerunt hæ manus servierunt*. Et Dominus ait: *Beatius est magis dare quam accipere*.

Qui pro vana gloria vel pro laude hominum aliquid faciebat, incipiat pro æterna retributione & cælesti gloria in bonis operibus soli Deo placere, B ut Apostolus ait: *Omnia quæcumque facitis ad gloriam Dei facite*. Et iterum: *Nemo glorietur in hominibus*. Et rursum: *Quid enim habes quod non accepisti? quid gloriaris, quasi non acceperis?* Et Dominus dicit: *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua in abscondito, & Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi in palam*. Et alibi scriptum est: Nihil pro temporale opinione, sed omnia propter Deum; non propter famam, sed propter vitam æternam, ut ait Apostolus: *Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*. Qui fuit superbus, sit humilis, ut scriptum est: Humilitas ruinam numC quam incurrit, numquam ruinam passa est. Despectus esto apud temetipsum. Qui sibi displicet, Deo placet. Quantum es despectior ante oculos humanos, tantum eris pretiosior ante oculos Dei. Cognosce quia Dominus humilis venit, quia se in forma servi humiliavit. Quare ait Apostolus: *In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes*, & reliqua: *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semet ipsum exinanivit formam servi accipiens, & in similitudinem hominum factus ..... ut homo. Humiliavit seipsum factus obediens Patri usque ad mortem*. Et reliqua. Et ipse Dominus, inquit: *Qui se humiliat* D *exaltabitur*. Et alibi: Quantum humilior fueris; tantum te sequetur gloriæ altitudo. Et item ipse Dominus: *Discite a me quia mitis sum & humilis corde*. Qui fuit latro, sit idoneus: qui fuit somnolentus sit vigilis: qui fuit bilinguis, sit boniloquus: qui fuit detractor, aut invidiosus, sit purus & benignus: qui fuit in verbis otiosis, & in malis operibus intentus; sit in eloquiis bonis & sanctis operibus perseverans. Qui aliquando in caussis justis se implicabat, & ad Ecclesiam tarde veniebat; modo frequentius ad eam recurrat, & orationibus sacris se occupet. Qui fuit incredulus, sit fidelis, ut scriptum est: *Reputatum est ei ad justitiam*. Et alibi: *Fides tua te salvum fecit, vade* E *in pace; jam amplius noli peccare*. Sed contra singula vitia vel peccata, quæ heic longum est enumerare, contrariis virtutibus & bonis operibus Deo auxiliante est pugnandum: quia prius oportet derelinquere malum, deinde facere bonum.

Et ut hæc quæ supra commemoravimus, cordibus & sensibus vestris firmiter inhæreant, breviter ad memoriam vestram reducimus. Credimus enim, ut quicumque fideliter audierit & crediderit, & in bonis operibus compleverit, per Dei potentiam & misericordiam salvus esse potest, sicut jam supra dictum est. Fratres, credite in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ; credite & in Jesum Christum filium ejus unicum Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto, &c.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 756.



Videte, fratres, sicut Dominus noster Jesus Christus xxx. annorum passus, tertia die surrexit a mortuis: ita & nos omnis populus in quacumque ætate mortuus fuerit, aut parvulus, aut senex, aut in utero matris vivificatus mortuus fuerit, in xxx. annorum ætate resurgemus omnes, ad judicium & peccatores & justi veniemus: justi vero, & qui fuerunt peccatores, qui veram pœnitentiam egerunt, & in bonis operibus perseveraverunt, ut in carne percipiant regnum Dei: quia justum judicium Dei est, ut illa anima & caro, quæ in præsenti vita veram pœnitentiam egit, & propter Christum cruciatum sustinuit, & in bonis operibus perseveravit; ipsa caro & anima cum Christo & cum omnibus sanctis in paradiso lætetur cum angelis sanctis, sicut Dominus dicit in Evangelio: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, quod constitutum est vobis ab origine mundi, quia esurivi, & dedistis mihi manducare*, & reliqua alia opera bona.

Tunc *Justi fulgebunt sicut sol in regno Dei*. Ad pecatores autem dicet: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus: quia esurivi, & non dedistis mihi manducare*, & reliqua bona quæ non fecerunt. Quia & hoc justum judicium Dei est, ut illa caro & anima, quæ heic in præsente vita peccavit, & pœnitentiam veram non egit, & in malis operibus perseveravit; ipsa caro & anima in inferno crucietur, quia Dominus in Evangelio ait: *Zizania colligite fasciculis ad comburendum*. Zizania homines peccatores sunt. De hominibus peccatoribus incendere debet infernus: *Alligate fasciculos ad comburendum*, hoc est homicidæ cum homicidis, adulteri cum adulteris, rapaces cum rapacibus: ut quicumque heic similes fuerunt in culpa, ibidem similes erunt in tormentis. Quantum majora peccata commiserint homines, tantum ferventius fervet in illos ignis æternus. Credite ergo carissimi, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum unum Deum in Trinitate. Diligite eum ex toto corde & ex tota mente, & diligite proximos vestros, sicut vosmet ipsos. Nullus ex vobis homicidium faciat, non adulterium, non fornicationem & libidinem: immunditiam & impudicitiam fugite. Furtum non facietis, non concupiscetis rem proximi vestri, falsum testimonium non dicetis, iram non perficietis, iracundiam usque ad noctem non reservetis, sed ante solis occasum in pacem redite. Dolum & malitiam in cordibus vestris non teneatis, falsam pacem inter vos non faciatis, non mentiatis in invicem. Nolite jurare, nec perjurare; malum pro malo non reddite; injuste & injuria vel malo ordine nulli homini faciatis: sed si aliquis vobis injuriam fecerit, propter Deum patienter sustineat. Inimicos vestros diligite, & pro ipsis orate. Non maledicetis, & si quis vos maledixerit, non maledicetis, sed amplius benedicite; & persecutionem propter justitiam sustinete. Nullum hominem odio habeatis, sed vitia & peccata. Non sitis superbi, ebriosi, non concupiscentiæ gulam sectantes: non sitis somnolenti, non pigri, non otiositatem vacantes. Nolite detrahere invicem, nolite esse murmuriosi, multum loqui & verba varia non ametis; multum risum nolite diligere, sed peccata & negligentias vestras cum lacrymis & gemitu ...... die noctuque in oratione Dei misericordiam deprecate, ut mala vestra præterita & præsentia vobis indulgeat, & ut inantea non peccetis, custodire jubeat. Idololatria, veneficia, inimicitias, contentiones, æmulationes, rixas, animositates, provocationes, hæreses, invidiam, zelum, commessationes, nolite & alia facere, quia Apostolus contestatur ut hoc non faciatis. Omnia quæ Deus per Scripturam sanctam jussit ut non faceret homo, nullus Christianus præsumat hoc facere: & quicumque contra præceptum Dei fecit, cito per puram confessionem & veram pœnitentiam cum operibus bonis & eleemosynis justis se emendet, ante quam mors illum subito rapiat. Omnia quæ per sacram Scripturam Deus præcepit facere, in omnibus custodite. Diligite amicos in amore Dei, & inimicos vestros diligite propter Deum. Ubicumque fueritis, ut ait Apostolus, orate sine intermissione, & in omnibus Deo gratias agite. Ad Ecclesiam cum devoto animo & fide recta sæpius convenite: præcipue omnibus diebus dominicis, & cunctas festivitates præclaras, tam vespertinis vigiliis & matutinis, quam ad missas celebrandas vos frequentate. Et ibi nullas caussas ad judicandum jaudeat proferre, & negotia non faciat, & fabulas otiosas ex ore suo non proferat. Ballationes & saltationes, vel cantica turpia & luxuriosa, velut sagittam diabolicam fugite, nec ad ipsas ecclesias nec in domibus vestris nec in plateis, nec in nullo alio loco facere non præsumatis: quia hoc de paganorum consuetudine remansit. Omnia phylacteria diabolica, præcantatores, & sortilegos, karagios, & aruspices, divinos, ariolos, magos, maleficos, auguriosos, tempestarios, & cuncta alia mala cum supradicta ingenia diabolica nolite credere, nec adorare, nec vota illis reddere, nec ullum honorem impendere: sed ad sanctam Ecclesiam convenite, & in ipsa Ecclesia cum silentio orantes & psallentes in cordibus vestris verbum Dei & sacram Scripturam diligenter attendite, ut scriptum Dei: in lege Dei meditate die ac nocte. Vota vestra bona Deo ad Ecclesias reddite.

Primitias omnium frugum vestrarum ad benedicendum ad Sacerdotes adferte, & sic postea inde manducate. Decimas ex omnibus fructibus, & pecoribus vestris annis singulibus Ecclesiis reddite, de novem partibus quæ vobis remanserint, eleemosynas facite; ex ipsis peccata vestra redimite, ut scriptum est: [a] *Eleemosyna a morte liberat, & ipsa purgat peccata*. Qui est dives, & multum habet, multum donet, ut scriptum est: *Cui plus creditur, plus ab eo exigitur*. Et Apostolus; *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti sumus*, hoc est victum & vestitum rationale, quantum necesse est, non quantum mala cupiditas quærit. Quod superest, in eleemosynam necesse est propter vitam æternam donare. Et qui est pauperior, juxta quod potest, parvum donet: quia & vidua paupera pro duos nummos plusquam divites a Domino collaudata est: & de calice aquæ frigidæ mercedem non perdere Dominus promisit. Et qui res non habet, unde eleemosynam faciat; habeat bonam voluntarem: ipsa bona voluntas pro facto reputabitur.

Quando ad Ecclesiam convenitis, pauperibus secundum vires vestras aut argentum aut aliud aliquid porrigite. Incensum, cereolos, & oleum in luminaribus Ecclesiæ, juxta quod prævaletis ibidem date: quia Dominus ait: *Non apparebitis in conspectu meo vacui*. Oblationes, quæ in altaria consecrantur offerte: & inde post pœnitentiam actam & reconciliationem secundum consilium Sacerdotis communicate. Et ante plures dies etiam a proprias uxores vestras abstinete, ut sic cum mundo corde sanctum sacrificium accipere possitis. Sacerdotibus vestris honorem impendite, & eis secundum

a Tobiæ XII. 9.

Deum obedite, ut Dominus ait: *Qui vos audit, me audit.*

Filius & filia honoret patrem suum & matrem suam: similiter & omnes christiani vos invicem honorate, ut scriptum est: *Honorem invicem prævenientes.* Esurientibus date manducare, sitientibus bibere. Hospites præcipue pauperes & peregrinos, colligite in domibus vestris: humanitatem illis impendite, pedes illorum lavate. Nudos vestite, in tribulatione subvenite, indolentes consolate, infirmos visitate, mortuos sepelite, in carcerem requirite, & de bonis vestris eis ministrate. Viduas & orphanos in tribulationes eorum adjuvate; pauperes & omnes opressos a pravis hominibus, vel de iniqua judicia & quantum potestis, adjutorium præstate. Judicium rectum semper & justitiam conservate; misericordiam in omnibus facite; pacem cum omnibus & ipsi in vobis habete; & eos qui discordes sunt, ad concordiam revocate.

Symbolum & orationem Dominicam & ipsi tenete, & filios & filias vestras docete, ut & ipsi teneant. Filios quos ex fonte suscepistis in baptismo, scitote vos fidejussores pro eis apud Deum exstitisse: & ideo eos docete semper, & corripite, & illos omnes subditos vestros, ut sobrie, & caste, & juste vivant sæpius admonete atque corrigite statim. Ex corde & ore proferte veritatem; castitatem & continentiam tenete; sobrietatem & parcitatem de potu & cibo habetote; jejunium amate; seniores honorate; juniores vestros in Christi amore spiritualiter diligite, & patientes estote ad omnes. Benefacite his qui vos oderunt. Caritas & gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, spes, fides, modestia, mansuetudo, continentia, castitas, dilectio sit in vobis: & hoc in bonis cogitationibus & eloquiis & sacris operibus conservate. Humilitatem tenete, omnia custodite, totam spem vestram in Domino ponite; bonum aliquid in vos cum videritis, ad Dei gloriam reputate, qui vobis hoc dedit, non ad vestram laudem. Et malum in vos cum videritis, vestræ culpæ & negligentiis vestris hoc sciatis a vobis factum. Timete judicii diem; & pavescite gehennam; desiderate vitam æternam; cogitationes & verba seu opera vestra diu noctuque semper in bonum custodite. Transitum vestrum de hoc mundo, qui semper adpropinquat omni die sperate. Præcepta Dei factis quotidie adimplete, & de Dei misericordia numquam desperetis; & quod sibi quis fieri non vult, alii ne faciat: & *prout vultis ut faciant vobis homines bona, & vos facite illis similiter.* Caritatem autem, quæ est dilectio Dei & proximi in omnibus conservate.

Nemo se circumveniat, fratres, quia omnis homo qui post baptismum mortalia crimina committit, homicidum & adulterium, fornicationem, furtum, falsum testimonium, perjurium, ebrietatem, vel his similia mortalia crimina perpetratus fuerit, si pœnitentiam non egerit, & eleemosynas justas non fecerit, & in bonis operibus non perseveraverit, numquam intrabit in regno Dei, nec possidebit gloriam æternam; cum diabolo descendet in inferna, quia Apostolus dicit: *Qui talia agunt regnum Dei non possidebunt.* Proinde scriptum est: *Nequaquam Deus delinquentibus parcit, quoniam peccatorem aut flagello temporale ad purgationem ferit, aut æterno judicio puniendum relinquit, aut ipse in se homo quod male commisit, puniendo purgat. Ita proinde est quod Deus delinquenti non parcit.* Et alibi scriptum est: *Nulla peccata inulta dimittit Deus, hoc est, sine vindicta:* quia certe autem nos heic vindicabimus peccata nostra per pœnitentiam; aut vindicat illa Deus per severitatem judicii. Et illud certissime credite, quod omnis homo, quamvis peccator, quamvis criminosus fuisset, quanta mala perpetrasset; si veram pœnitentiam egerit, eleemosynas justas fecerit, & in bona devotione cum operibus justis mors illum invenerit; numquam infernum, sed ab angelis elevatur in cælum, & gloriam possidebit æternam. Unde Dominus dixit: *Non judicabitur bis in idipsum.* Et Apostolus dicit: *Si nos judicaremus, utique a Domino non dijudicaremur*, hoc est, ut ille qui heic in præsentem vitam seipsum per pœnitentiam judicat ad judicium, iterum non dijudicabitur, qui heic in præsente vita terminabit. Unde scriptum est: *Quod si nos perfecte pœnitentiam agimus, non solum nostras culpas Deus dimittit; sed post culpas præmia promittit.*

Ideo, fratres, festinemus jam emendare vitam nostram, ut quidquid male contra Dei præceptum fecimus, defleamus & emendemus, & ulterius non peccemus, & conservemus nos in bona voluntate & cogitatione recta cum verbis & operibus sanctis, auxiliante & gubernante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, amen.

THEODORUS ABUCARA

DE UNIONE ET INCARNATIONE.

ΠΕΡΙ ΕΝΩΣΕΩΣ ΚΑΙ ΣΑΡΚΩΣΕΩΣ·

καὶ ὅτι ἡ μὲν ὑπόστασις ἐσαρκώθη, ἡ δὲ φύσις A *τῆς θεότητος ἡνώθη τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει ἐν ὑποστάσει τοῦ Θεοῦ λόγου.*

Τοῦ Ἀβουκαρᾶ.

Ἡ Μὲν σάρκωσίς ἐστιν ἐνανθρώπησις, καὶ ἡ ἐνανθρώπησίς ἐστι τὸ τὸν ἐνανθρωπήσαντα ἄνθρωπον ἀπεργάσασθαι· τὸ δὲ ποιήσαντα τὸν ἐνανθρωπήσαντα ἄνθρωπον, ἐπὶ τῷ κατηγορεῖσθαι τὸν ἄνθρωπον τοῦ ἐνανθρωπήσαντος, καὶ δέχεσθαι τὸν ἐνανθρωπήσαντα τό, τε τοῦ ἀνθρώπου ὄνομα καὶ τὸν ὁρισμὸν, ὥσπερ τῶν ἀνθρώπων ἕκαστος. ὁ δὲ ἄνθρωπος ὁ κατηγορούμενος φύσεως ὑπάρχει ὄνομα, καὶ ἡ φύσις ἐστὶν ἡ κατηγορουμένη τῆς ὑποστά- B σεως, οὐχὶ δὲ φύσις κατὰ φύσεως. εἰ τοῦτο τοίνυν ὁμολογοῦμεν, ὡσαύτως ἔχει δηλονότι ἡ ὑπόστασις ἡ ἐνανθρωπήσασα, ἢ ὁ ἀΐδιος υἱός· ὁ γὰρ ἀΐδιος υἱὸς, Θεὸς τέλειος ὑπάρχων, γέγονεν ἄνθρωπος τροπῆς ἐκτὸς, καὶ ἔστιν ἐν ταυτῷ Θεὸς τέλειος καὶ ἄνθρωπος τέλειος, καὶ κατηγορεῖται αὐτοῦ τὸ Θεὸς ὄνομα, καθὼς καὶ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ πνεύματος. καὶ τὸ Ἄνθρωπος πάλιν καθὼς ἑκάστου τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων. καὶ ἔστιν ὁ αὐτὸς υἱὸς καὶ σεσαρκωμένος· ἡ δὲ θεία φύσις διὰ τοῦτο σεσαρκῶσθαι οὐ λέγεται, ἐπειδὴ οὐκ ἐνδέχεται κατηγορεῖσθαι αὐτῆς τὸν ἄνθρωπον, εἴτ᾽ οὖν τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν, ὡς ἔφθημεν, εἰρηκότες, ὅτι φύσεως φύσις οὐ κατηγορῆται παντελῶς, οὐδὲ καθ᾽ οἷον δήποτε τρόπον. C

Γέγονεν οὖν, ὡς ἐν ὑποδείγματι φάναι, ἡ ὑπόστασις τοῦ ἀϊδίου υἱοῦ, καθάπερ τις χειμάῤῥους δύο τινὰς ποταμοὺς δεχόμενος, καὶ λέγεται δεκτικὸς τῶν δύο ποταμῶν εἶναι ὁ χειμάῤῥους, ἑκατέρου ποταμοῦ μὴ ἐπιδεχομένου τὸν ἕτερον· τοῦτον δὴ τὸν τρόπον ὁ ἀΐδιος υἱὸς δέχεται τὸ τοῦ Θεοῦ ὄνομά τε καὶ τὸν ὅρον, τοῦ Θεοῦ μηδαμῶς ἐπιδεχομένου τὸ ὄνομα ἢ τὸν ὅρον τοῦ ἀνθρώπου, μηδ᾽ ἂν τοῦ ἀνθρώπου τὸ ὄνομα ἢ τὸν ὅρον τοῦ Θεοῦ ἐπιδεχομένου. ἀλλ᾽ ἡ ὑπόστασις τοῦ ἀϊδίου υἱοῦ ἐπιδέχεται τῶν δύο φύσεων, θεότητός τέ φημι καὶ ἀνθρωπότητος ἀνελλιπῶς τό τε ὄνομα καὶ τὸν ὅρον. ὡς, εἰ καὶ λέγεται ὁ ἄνθρωπος D τεθεῶσθαι, οὐχ ὡς τοῦ ἀνθρώπου τὸ ὄνομα καὶ τὸν ὁρισμὸν τοῦ Θεοῦ ἐπιδεξαμένου λέγεται τεθεῶσθαι. εἰ γὰρ ἦν οὕτως, ὁμοούσιος ἂν ὑπῆρχε τῷ πατρὶ καὶ τῷ πνεύματι, καθὼς ὁ ἀΐδιος υἱὸς σαρκωθεὶς γέγονεν ἡμῖν ὁμοούσιος. καὶ τοῦτο οὐδὲ πλάσαι ῥᾴδιον, τὸ λέγειν ὅτι ὁμοούσιος τῷ πατρὶ καὶ τῷ πνεύματι ὁ ἄνθρωπος. ἄλλως τε, εἰ ἦν οὕτως, αὐτὸς ἂν ὁ ἄνθρωπος ὑπῆρχεν ἡ ὑπόστασις, καὶ ἦν ἡ θεία φύσις ἐνυπόστατος αὐτῷ καὶ κενομένη ὑπ᾽ αὐτοῦ, καὶ ἦν ὁ ἄνθρωπος ὁ κινῶν τὴν θεότητα. ἰστέον δὲ καὶ τοῦτο, ὡς οὐκ ἔστι τῆς θείας ἀπολύτως (sic) κατηγορεῖσθαι φύσεως, ὃ μὴ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐπίσης κατηγορεῖται· οἷον φέρε εἰπεῖν, ζωὴ, καὶ φῶς, καὶ ἄναρχος, καὶ ἀναλλοίωτος, καὶ τὰ τούτοις συγγενῆ, τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ

DE UNIONE ET INCARNATIONE:

quodque persona sive subsistentia fuerit incarnata; divina autem natura humanæ unita, in persona Dei Λόγου.

Auctore Abucara.

INcarnatio, est assumere humanitatem, atque hæc assumtio humanitatis eum sistit jam hominem, qui humanitatem assumsit. Isthæc vero res consistit in eo, ut ille, qui humanitatem assumsit, atque homo factus est, præterea quod homo prædicetur de eo, qui humanitatem in se suscepit, ferat quoque hominis nomen & definitionem, perinde ac quilibet aliorum hominum: qui prædicatur homo, naturæ est terminus, naturaque prædicatur de subsistentia, nequaquam autem natura de natura. Igitur, si largiamur istud, pari modo se habet subsistentia, sive persona, quæ humanitatem assumsit, aut Filius æternus. Hic enim perfectus existens Deus, homo factus est sine ulla mutatione, inque eo ipso est perfectus Deus & perfectus homo, Deique nomen de illo prædicatur, quemadmodum prædicatur de Patre & Spiritu sancto: ita etiam hominis nomen de ipso effertur, ut solemus efferre de quocumque tandem hominum. Idem est Filius, atque idem ille incarnatus; ideo tamen non dicimus divinam naturam assumsisse carnem; quandoquidem non licet de ipsa homo ut prædicetur sive etiam humana natura, ut præfati sumus, dicentes, quod natura de natura omnino non prædicatur, quocumque denique respectu.

Sic itaque comparatum est cum persona æterni Filii, ut exemplo rem ostendamus, quasi cum amne torrenti, qui flumina duo accipit, diciturque torrens cepisse illa duo flumina, neutro fluminum flumen absorbente. Ad hunc modum æternus Filius Dei nomen portat & definitionem, Deo nequaquam in se recipiente nomen vel definitionem hominis, uti nec homo capit aut nomen aut definitionem Dei. Verum persona æterni Filii, duarum naturarum, divinæ inquam & humanæ, perfecte planeque recipit nomen & definitionem: itaque, licet dicamus, quod homo Deus sit factus, non dicimus factum esse Deum, quasi homo nomen & definitionem Dei susceperit. Si enim ita foret, ejusdem substantiæ esset cum Patre & Spiritu sancto, non secus atque æternus Filius, qui caro factus est, ejusdem cum nobis est substantiæ. Atqui, ne commode quidem potest fingi, hominem habere eamdem substantiam, quam habent Pater & Spiritus sanctus: cæteroquin hoc pacto ipse homo esset persona, ac divina natura ei inesset pro subsistentia, & exhausta ab ipso, & moveret homo deitatem. Animadvertendum etiam istud est, quod nihil absolute prædicetur de divina natura, quod non æqualiter efferatur de Patre, Filio, & Spiritu sancto: exempli caussa, vita, lux, sine principio, immutabilis, hisque similia, de Patre,

υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος κατηγορεῖται. εἰ οὖν ἡ σάρκωσις τῆς θείας φύσεως κατηγορεῖτο, καὶ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος κατηγορεῖτο, καθὼς καὶ τὰ προειρημένα. ἀλλὰ τοῦτο πάσης ἀτοπίας ἀνάμεστον καὶ μόνον φανταζόμενον κατὰ ψιλὴν ἐπίνοιαν, μὴ ὅτι καὶ λεγόμενον, τουτέστι, τὸ λέγειν σεσαρκῶσθαι τὸν πατέρα καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.

Εἰ δέ τις φαίη, ὅτι πάντα τὰ κατηγορούμενα ἀπολύτως ἢ κυρίως τῆς ὑποστάσεως, ἀναφέρεται κατὰ δεύτερον λόγον καὶ ἐπὶ τὴν φύσιν. καὶ ἐπιδεὶ τοῦ ἀϊδίου υἱοῦ, ὑποστάσεως ὄντος ἐκ τῆς πανσέπτου τριάδος, κατηγορεῖται ἡ σάρκωσις, ἀναφερέσθω ἀπὸ τῆς ὑποστάσεως ἐπὶ τὴν φύσιν κατὰ δεύτερον λόγον. ἴστω ὁ τοιοῦτος, ὅτι τὰ ἀναφερόμενα κατὰ δεύτερον λόγον ἀπὸ τῆς ὑποστάσεως ἐπὶ τὴν φύσιν, ταῦτα πολὺ πρότερον ἐν τῇ φύσει δυνάμει ὑπῆρχεν, [1] ἐξ ἧς ἡ ὑπόστασις ἐνεργείας κεκληρονόμηκεν· ὅθεν εὐλόγως ἀπὸ τῆς ὑποστάσεως ἐπὶ τὴν φύσιν ἀναφέρεται, ἅτε προόντα μὲν δυνάμει ἐν τῇ φύσει, ἐνεργείᾳ δὲ ἐν τῇ ὑποστάσει ἀφορισμένα· ὥσπερ, ἡ διαίρεσις τῶν εἰδῶν δυνάμει οὖσα ἐν τῷ γένει, ἐν δὲ τοῖς εἴδεσιν ἐνεργείᾳ, εὐλόγως ἀπὸ τῶν εἰδῶν κατὰ δεύτερον λόγον ἐπὶ τὸ γένος ἀναφέρεται. οἷον, τὸ λογικόν ἐστιν ἐν τῷ ζώῳ δυνάμει, ἐν δὲ τῷ ἀνθρώπῳ [2] ἐνεργείας· καὶ λέγεται τὸ ζῶον λογικὸν κατὰ δεύτερον λόγον, διὰ τὸ τὸν ἄνθρωπον εἶναι λογικόν. καὶ ὥσπερ αἱ ἰδίως διαφοραὶ χαρακτηριστικαὶ τῆς ἑκάστου τῶν ἀνθρώπων ὑποστάσεως οὖσαι, δυνάμει μὲν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ θεωροῦνται, ἐν δὲ τῷ Σωκράτει καὶ Πλάτωνι ἐνεργείᾳ πεφύκασι· κἀντεῦθεν ἀπὸ τῆς ὑποστάσεως ἐπὶ τὴν φύσιν, ἢ ἀπὸ τοῦ Σωκράτους ἐπὶ τὸν ἄνθρωπον ἀναφέρονται. οἷον, τὸν Σωκράτην γρυπὸν εἶναί φαμεν, ἢ φαλακρὸν, κατὰ δεύτερον δὲ λόγον καὶ τὸν ἄνθρωπον γρυπὸν ὡσαύτως καὶ ὑπάρχειν, ἢ φαλακρὸν λέγομεν, διὰ τὸν Σωκράτην· ὥσπερ εἴπομεν ἐκ τοῦ ἀνθρώπου κεκληρονομηκέναι τὴν γρυπότητα καὶ τὴν φαλακρότητα. τῶν τοίνυν τὴν τοῦ Θεοῦ λόγου ὑπόστασιν ἀπὸ τοῦ ἀνθρωπείου φυράματος, διὰ τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν δεδραμηκότων, οὐδὲν παντάπασι οὔτε δυνάμει, οὔτε ἐνεργείᾳ ἐν τῇ ἀκτίστῳ καὶ ἀσωμάτῳ καὶ ἀπαθεῖ θείᾳ φύσει ἦν. τούτου δὲ εἵνεκεν ὁ μὲν ἀΐδιος σεσαρκῶσθαί τε καὶ ἐσταυρῶσθαι καὶ τεθνάναι λέγεται. ἡ δὲ θεία φύσις οὐδαμῶς, εἰ καὶ ὑπόστασις αὐτῆς καθέστηκεν οὖσα.

Εἰ δέ τις ἑαυτὸν [3] αἰτιῷτο βραδὺ εἰς κατανόησιν εἶναι τῶν εἰρημένων, καὶ τὸν ἑκάστου νοῦν λέγοι μὴ παραδέχεσθαι, ὅπερ, ἡ θεία φύσις οὖσα ἐν τῇ ὑποστάσει τοῦ υἱοῦ ἀμετακίνητός τε καὶ ἀχώρητος, οὐ συμπάσχων αὐτῇ πασχούσῃ καὶ ἀπογινομένου τινὸς ἐν τῇ ὑποστάσει, οὐ λέγεται τοῦτο καὶ ἐν τῇ φύσει γεγονέναι, τῇ μὴ διϊσταμένῃ τῆς ὑποστάσεως τοῦ ἀϊδίου υἱοῦ· ἡμεῖς τὸ ἄπορον ἐπιλύσαντες, τάχιστα αὐτῷ τὴν θεραπείαν ἐπάξομεν, ἐκ τῶν συντρόφων καὶ τῶν ἐν χερσὶν ὁρωμένων τὴν ἀπόδειξιν ποιούμενοι. οἶσθα πάντως ὦ οὗτος, ὡς ἕκαστος τῶν ἀνθρώπων ἐκ ψυχῆς αὔλου καὶ σώματος ὑλικοῦ σύγκειται, Σωκράτης φέρε εἰπεῖν ἢ Πλάτων. καὶ ὡς ἔνεστιν αὐτῷ ἡ ψυχὴ τοῦ Σωκράτους, ἀπ' αὐτοῦ χωρισθεῖσα, τὸν Σωκράτην μένειν ἀδύνατον. λέγεται δὲ Σωκράτης αὐξάνεσθαί τι [4] ἐκ μικροῦ μέγας γίγνεσθαι, τέμνεσθαι ἢ καίεσθαι, τῆς αὐτῆς ψυχῆς μηδὲν τούτων ὑφισταμένης, ὡς πᾶσιν εὔδηλον· τοῦτον οὖν τὸν τρόπον [5] κατηγορεῖ τοῦ ἀϊδίου υἱοῦ τὸ προκόπτειν σαρκὶ καὶ αὐξάνεσθαι, καὶ εἴ τι ἄλλο τοιοῦτον ἀνθρώπειον, μηδενὸς τούτων τῇ θεϊκῇ φύσει προσαπτομένου, ὥσπερ οὐδὲ τοῦ Σωκράτους· πολλῷ μᾶλλον οὕτως οὐδὲ τῆς ἀκηράτου φύσεως κατηγορηθήσεται τὰ ὅσα σαρκικῶς τοῦ ἀϊδίου υἱοῦ διὰ

A Filio, & Spiritu sancto prædicantur. Si jam de divina natura prædicaretur incarnatio; de Patre quoque & Spiritu sancto, æque ac illa, quæ modo adduximus, prædicarentur. Verum istud quidem est perabsurdum, & tenuis mortalium species aliqua mentis & cæci pectoris, numquam ex ore proferenda: hoc est, nemo dixerit, Patrem & Spiritum sanctum fuisse incarnatos.

Ubi vero inquiat nonnemo, quod omnia absolute & primario de persona prædicata, referantur secundario etiam ad naturam. Sic postquam de æterno Filio, qui persona est sanctissimæ Trinitatis, prædicetur incarnatio, proxime quoque referendam esse incarnationem de persona ad naturam. B Talis homo intelligat, quod ea, quæ inferuntur secundario a persona ad naturam, multo ante in natura exstiterunt potentia, deinde persona actu est consecuta: hinc, quæ prius potentia fuerunt in natura, inque persona actu deprehensa, recte a persona ad naturam inferuntur. Haud dissimiliter, cum divisio specierum in genere fit potentia, in speciebus vero jam actu ipso, ratione fit, ut a speciebus ad genus inferatur. Quo modo, cum τὸ rationale fit in animali potentia, in homine vero actu; dicimus animal rationale secundario, quod homo fit rationalis. Ad hæc, quemadmodum differentiæ proprie characteristicæ, quæ cujusque hominum sunt personæ, potentia quidem cernun- C tur in homine, in Socrate vero & Platone fuerunt actu; tunc quoque a persona sive individuo, aut a Socrate ad hominem referuntur. Sic Socratem dicimus habere nasum aduncum, aut calvum esse; secundario autem, propter Socratem, ipsum hominem esse nasi adunci aut calvum perhibemus, prout ab homine enunciavimus accepisse illam nasi aduncitatem, vel illam calvitiem. Verum tamen omnium horum, quæcumque Dei Λόγου personæ ab humana massa, propter unionem personalem, accesserunt, nihil umquam quidquam, neque potentia, neque actu, in non-creata, non-corporea, non-patibili erat divina natura. Hujus rei gratia æternum sane Filium dicimus carnem assumsisse, cru- D cifixum & mortuum esse; minime vero, naturam divinam, quamvis talia personæ ejus obtigerint.

Quod si seipsum aliquis arguat, se a nobis dicta tardius assequi, atque objici; ac non facile cujuscumque tandem capere mentem, quare divina natura, cum in persona Filii fuerit immota & non-separata, non passa fuerit, cum ista pateretur; cum aliquid in persona corrumpatur, idem tamen etiam non dicatur evenisse in natura, quæ nihil differat a persona æterni Filii. Nos dubium explicaturi, confestim illi remedium adhibebimus, rem demonstraturi per familiaria, quæque ante oculos manusque cernimus quotidie. Abunde nosti, quisquis es, homines omnes ex anima immateriali, & corpore materiali componi: verbi gratia Socratem, aut Platonem; &, quemadmodum E illi inest anima Socratis, si separetur ab eo, Socratem manere impossibile est. Dicunt nihilominus Socratem crescere, ex parvo fieri magnum, secari, uri; anima ipsa nihil ejusmodi sufferente, ut nemini obscurum est, neque absconditum. Hac ratione igitur de æterno Filio prædicatur, quod proficiat, quod corpore incrementum capiat, & si quid aliud humanum est; ut nihil rerum talium adhæreat divinæ naturæ, veluti ne naturæ quidem Socratis. Quin potius ita de immortali natura minime etiam prædicabuntur, quæcumque carnaliter

1. Forte ἐξ ἧς. 2. Forte ἐνεργείᾳ. 3. αἰτιῷτο. 4. Leg. τε καί. 5. Leg. κατηγορεῖται.

Sæc. VIII
circa
Ann. Chr.
770.



τὴν πρόσληψίν ἐστιν κατηγορούμενα. ὥσπερ δὲ λεγόντων ἡμῶν τετμῆσθαι Σωκράτην, οὐκ αὐτὴν τοῦ Σωκράτους ψυχὴν, ἀλλὰ τὸ σῶμα τετμημένον εἶναι γινώσκομεν· οὕτως φασκόντων ἡμῶν τὸν ἀΐδιον υἱὸν τετρῶσθαι τῇ λόγχῃ, οὐκ εἰς θεϊκὴν αὐτοῦ [φύσιν], τὴν ἄφθαρτον καὶ ἀνόλεθρον, κεχωρηκέναι τὴν τρῶσιν, ἀλλ' εἰς τὴν αὐτοῦ σάρκα, τὴν δυναμένην τιτρώσκεσθαί τε καὶ τέμνεσθαι, νοοῦμεν. καὶ ἄλλοθέν σοι παρέξομεν τῆς ἀπορίας ἀπόλυσιν· ὁ ἡμέτερος νοῦς αὐτὸς ὢν, ὁ διὰ τῶν σωματικῶν ὀφθαλμῶν τῶν ὁρόντων ἀντιλαμβανόμενος, καὶ ἄλλην ὅρασιν ἰδιάζουσαν ἔχει, παρὰ τὴν δι' ὀφθαλμῶν διαρθροῦσαν, ἣν καὶ θεωρίαν καλοῦμεν. εἰ οὖν συμβαίη πεπηρῶσθαι τὴν τοῦ σώματος ὀπτικὴν δύναμιν, οὐ φαμὲν τὸν νοῦν μὴ βλέπειν, σωζομένης αὐτῷ ἀπαρατρέπτου καὶ [1] ἀλαβοῦς τῆς φυσικῆς νοερᾶς βλεπτικῆς διοπτασίας. οὕτως δὴ καὶ ὁ ἀΐδιος υἱὸς λέγεται πεπονθέναι τῇ σαρκὶ, τῆς θείας αὐτοῦ φύσεως ἀπαθοῦς διαρκούσης.

Ἀλλὰ τί [2] δὴ ἐπὶ τούτοις ἄγεσθαι, ὅπου γε ἐν σώματι καὶ πηλικότητι καὶ παχύτητι τοῦτο θεωρεῖται; ἴσμεν γὰρ ἅπαντες, ὡς ὁ νοῦς διὰ τῶν ὀφθαλμῶν ὁρᾷ καὶ διὰ τῶν ὤτων ἀκούει· ἀνίδρυται δὲ τῷ ἐγκεφάλῳ ἥ τε ὁρατικὴ καὶ ἀκουστικὴ αἴσθησις, ἑκατέρα παρὰ τὴν ἑτέραν ὑπάρχουσα, μεθ' ὧν καὶ ὁ νοῦς αὐλίζεται. τούτων οὖν ἀλλήλοις ἐν ἑνὶ συνημμένων καὶ διαιτωμένων τῷ ὑποκειμένῳ, συμβαίνει πολλάκις, τὴν σωματικὴν ὅρασιν ἢ τὴν ἀκοὴν, ἢ τὸν νοῦν αὐτὸν βλαβῆναι. καὶ ἡ τοῦ ἑνὸς βλάβη οὐ λυμαίνεται τὰ λειπόμενα, τῆς αὐτῶν φυσικῆς δυνάμεως ἀβλαβοῦς τηρουμένης. μὴ τοίνυν καταπληκτικὸν ἄγαν, εἰ τοῦ σώματος τοῦ ἀϊδίου υἱοῦ πάσχοντος, οὐδὲν ἧττον ἡ ἀδιάσπαστος αὐτοῦ διετέλεσε φύσις ἀπαθής τε καὶ ἀπήμαντος, ἡ πάσης οὐσίας ὑπερηρμένη, καὶ πάντων δεσπόζουσα, καὶ παθῶν παντελῶς ἀνεπίδεκτος· παρ' ᾗ, κατὰ τὸν κορυφαιότατον ἀπόστολον, οὐκ ἔστιν ἀλλοίωσις ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα· πτέξομαι (sic) δέ σοι καὶ ἕτερον ὑπόδειγμα, δι' οὗ κατοπτεύσεσθαι δυνήσῃ, πῶς [3] ἢ πάθος ἢ φθορὰ συμβῇ τινι ὑποστάσει, ἐπὶ τὴν φύσιν οὐ διαβαίνει, κἂν λάχῃ μὴ ἐχούσῃ (sic) ὑπόστασιν, εἰ μὴ μίαν φύσιν. ἀπὸ χρυσοῦ τυχὸν, ὦ φιλότης, ἢ χαλκοῦ μορφωσάμενος ἀνδριάντα καὶ κατασκευάσας, εἰ πάλιν αὐτὸν ἀναχωνεύσῃς, τὸ μηδὲν, ἀνδρείκελον ἀπόλλυται μόρφωμα· ὁ δὲ χρυσὸς ἢ ὁ χαλκὸς, ὅστις τῷ ἀνδριάντι φύσις ὑπῆρχεν, ἀβλαβής τε μένει καὶ ἄφθορος. [4] ἀλλά μοι λίαν τοῖς ὑποδείγμασι πρόσεχε, νουνεχῶς καὶ φυλάττου, μὴ πᾶσαν τὴν ἐξ αὐτῶν ἀνατέλλουσάν σοι [5] οἰκεῖα μετάγειν ἐπὶ τὰ θεῖα δόγματα, ἀλλὰ παχήματά τινα καὶ ἐμφάσεις, [6] ὁρμαζούσας εἰς θεωρίαν, ἧς εἵνεκεν παραλαμβάνονται μόνον ἀναλόγως. πᾶς [7] ἀπεμφαῖνον καὶ ἀπεοικὸς ἀποπεμπόμενος ὡς ἀποτάτω φρεσὶν εὐσεβέσι καὶ σταθεραῖς, διακρίνων ἀεὶ τοῦ ὁμοίου τὸ ἀνόμοιον, οἷά τις λικμήτωρ ἀκριβέστατος τοῦ σίτου τὸ ἀχυρῶδες ἐκλικμώμενος.

Η μέν τοι τῶν δύο φύσεων ἕνωσις, τῆς θεότητός τέ φημι καὶ ἀνθρωπότητος, οὕτως ἐν τῇ ὑποστάσει τοῦ μονογενοῦς τοῦ ἀϊδίου υἱοῦ τοῦ Θεοῦ λέγεται γεγονέναι, δίχα τροπῆς καὶ φυρμοῦ καὶ συγχύσεως· ὡς ἦν μὲν ὁ συνάναρχος τῷ πατρὶ καὶ συναΐδιος, μὴ ἔχων ἐν τῇ ἰδιότητι αὐτοῦ φύσιν ἑτέραν κατηγορουμένην αὐτοῦ παρὰ τὴν θείαν πατρικὴν, τὴν ἄκτιστόν τε καὶ ἀπερίγραπτον, διὰ δὲ πλῆθος ἐλέους καὶ φιλανθρωπίαν ἄφατον, δι' ἡμετέραν σωτηρίαν ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν καταληλυθὼς [8] ἐκ οὐρανοῦ, ὅθεν οὐκ ἀπέστη τῇ πάντα πληρούσῃ θεότητι,

A de æterno Filio, propter aſſumtionem carnis prædicantur. Sicut, quando verba facimus de Socrate ſaucio, non animam, ſed corpus ejus plagam ſuſtinuiſſe arbitramur: ita quoque, dum æternum Filium lancea perforatum fuiſſe dicimus, non ad naturam ejus divinam, incorruptibilem, interitui non obnoxiam, penetraſſe vulnus; ſed in carnem, quæ lacerari, quæ vulnera ſuſcipere potuit, perſuademur. Novo argumento controverſiam ſolvimus. Mens noſtra una eſt eademque, ac per hos quidem oculos viſibilia recipit; habet tamen aliam adhuc viſionem ſibi propriam, (præter illam, quæ fit per membra oculorum) quamque theoriam ap-
B pellamus. Si contingat lædi corporis videndi facultatem, neutiquam concludimus non videre mentem, dum ipſi ſalva eſt & integra naturalis ac intellectualis videndi facultas. In hunc modum æternus Filius fertur paſſus eſſe ſecundum carnem, divina ejus natura non patiente.

Verum, quid heic vel dictu vel factu opus eſt, ubi vel in corpore, qualitate & craſſitie iſtud deprehenditur? An eſt quiſquam qui ignoret, quod mens videt oculis, auribuſque audit; inſidet autem cerebro videndi & audiendi facultas, alterutra ſubſiſtente ſine altera, quibuſcum etiam ipſa mens commoratur. Hæc cum ita conjungantur & cohabitent in eodem ſubjecto, ſæpe evenire ſolet, ut
C viſioni exteriori, vel auditui, vel ipſi denique menti aliquid incommodi accidat; attamen unius nocumentum non lædit reliqua, dum illarum naturalis potentiæ ſtatus manet incolumis. Poſt hoc uſque adeo mirum non eſt, ſi corpore æterni Filii patiente, nihilominus natura ejus non-diſſoluta paſſione caruit, perſtititque illæſa, quæ ſuper res omnes longiſſime elata undique dominatur, nec paſſiones ullo modo ſuſtinet; in qua, juxta principem Apoſtolorum, non eſt alteratio, neque mutationis quidem adumbratio. Aliud tibi proferam exemplum, per quod, tamquam in ſpeculo, videas, quo pacto, ſi vel paſſio vel corruptio acciderint alicui ſubſiſtentiæ, ad naturam non pertin-
D gant, quantumvis nullam aliam habuerit ſubſiſtentiam, niſi unicam ſuam naturam. Fac, mi dilecte, ex auro vel ære formaveris ſtatuam atque elaboraveris, ſi deinde rurſus conflaſti, viri imago, quæ nihil eſt, perit; aurum autem ſive æs, quod ſtatuæ præbuit naturam, ſalvum manet & integrum. De reliquo cave ſecteris nimium exempla, atque prudenter animadverte, non omnem, quæ inde tibi oriatur, ideam deducere ad divina dogmata, ſed rudes eſſe adumbrationes quaſdam & quaſi ductus aliquos, ſolius theoriæ cauſſa, propter quam tradita recipimus, ſed analogice tantum. Quin immo perlonge ſubmove ab hominibus piis, & qui ſibi probe conſtant, quodcumque alienum & diſcre-
E pans videatur. Diſcerne ſemper ſimile a diſſimili, ad exemplum ventilatoris maxime induſtrii, qui ſeparat a frumento, quidquid vel paleæ ſpeciem refert.

Duarum naturarum, divinitatis inquam & humanitatis unio, in perſona unigeniti æterni Filii ſic facta eſſe dicitur, ut nulla foret nec mutatio, nec mixtura, nec confuſio; eſſet ſine principio ut Pater, & coæternus Filius; neque, ſi proprietatem ejus ſpectes, alia de ipſo prædicaretur natura, quam divina paterna, non-creata, non-circumſcripta. Propter miſericordiæ vero magnitudinem, & humanitatem nulla verborum copia exprimendam, per dies ultimos, ut ſalutem nobis largiretur, deſcendit ex cælo, unde deitate ſua omnia implente numquam abfuit, ho-

1. Αβλαβοῦς. 2. Δῆ. 3. Leg. εἰ. 4. Ἀλλὰ μή. 5. Ἰδίαν. 6. Leg. ἁρμαζούσας. 7. Ἀποπεμπόμενον. 8. ἐξ.

καὶ σαρκωθεὶς ἐκ πνεύματος ἁγίου καὶ τῆς παναμώμου καὶ ἀεὶ παρθένου Μαρίας, ἔσχεν ἐν αὐτῷ τελείαν καὶ ἀνελλιπῆ τὴν κτιστὴν καὶ παθητὴν καὶ ἀνθρώπειον οὐσίαν, κατηγορουμένην αὐτοῦ, καθὼς καὶ ἡ θεία φύσις. ἐπεὶ οὖν ἐν αὐτῷ συνῆλθον αἱ δύο φύσεις, καὶ ὁμοῦ κατ' αὐτοῦ κατηγοροῦνται, μετὰ πάντων τῶν φυσικῶν αὐτῶν ἰδιωμάτων, διὰ τοῦτο λέγονται ἄμφω ἐν ἀλλήλαις ἐν αὐτῷ ἡνῶσθαι, ἀτρέπτως τε καὶ ἀσυγχύτως καὶ ἀναλλοιώτως· κατὰ μίαν γὰρ καὶ τὴν αὐτὴν τοῦ ἀϊδίου υἱοῦ ὑπόστασιν ἡνώθησαν αἱ δύο φύσεις. ὅθεν καὶ ὁ αὐτὸς ἀΐδιος υἱὸς κεχρημάτικεν ἀριθμούμενος κατὰ τὴν θείαν φύσιν μετὰ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ πνεύματος, καὶ μεθ' ἡμῶν κατὰ τὴν ἡμετέραν ἀνθρωπείαν φύσιν ὁ αὐτὸς ἀριθμούμενος, καὶ κατὰ τοῦτο ὁ αὐτὸς καὶ μετὰ τὴν αὐτοῦ ἐνανθρώπησιν, καὶ τὴν ἄφραστον τῶν ἑαυτοῦ συνδραμουσῶν δύο φύσεων ἄφυρόν τε καὶ ἀσύγχυτον ἕνωσιν, εἷς ἐστι τῶν ἀνθρώπων, οὐκ ἄλλο καὶ ἄλλο, δι' οὗ σεσώσμεθα, καὶ εἰς τὴν ἀρχαίαν ἐκλήθημεν μακαριότητα, διὰ τῶν σωτηρίων αὐτοῦ παθημάτων, τοῦ τε ζωοποιοῦ θανάτου καὶ τῆς τριημέρου αὐτοῦ ταφῆς, καὶ νεκρῶν ἀναστάσεως, ἀθανατισθέντες, καὶ ἀφθαρτισθέντες, ᾧ δόξα, τιμὴ καὶ κράτος, σὺν τῷ ἀνάρχῳ αὐτοῦ πατρὶ, καὶ τῷ παναγίῳ πνεύματι, εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων· ἀμήν.

A mo factus est per Spiritum sanctum & immaculatam semperque virginem Mariam, tenuit perfectam, & cui nihil deest, humanam essentiam, quæ de ipso prædicatur perinde ac natura divina. Quoniam ergo in eo convenerunt duæ naturæ, & simul de eo prædicantur, cum omnibus ipsarum proprietatibus naturalibus, dicuntur utræque sibi invicem in eo uniri, immutabiliter tamen, inconfuse & inalterabiliter: juxta unam enim eamdemque personam æterni filii unitæ sunt hæ duæ naturæ. Hinc idem ille æternus Filius secundum divinam naturam numeratur cum Patre & Spiritu sancto, & nobiscum etiam numeratur juxta humanam nostram, propterea que vel post naturam humanam assumtam, & inexplicabilem duarum ejus naturarum concurrentium non mixtam neque confusam unionem, idem est unus sacratissimæ Trinitatis, atque etiam idem unus est hominum, non aliud aliudque, qui nos servavit, & in pristinam evocavit libertatem, qui per salutares dolores suos, per mortem vivificantem, per trium dierum sepulturam, per resurrectionem a mortuis, nos reddidit immortales & incorruptibiles, cui gloria, honor & potestas, cum Patre ejus sine principio, & sanctissimo Spiritu, in sæcula sæculorum. Amen.

B

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 770.





Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 785.



EMINENTISSIMO, NOBIS ET DEO AMABILI

ELIPANDO

TOLETANÆ SEDIS ARCHIEPISCOPO,

ETHERIUS ET BEATUS

In Domino salutem.

I. LEgimus literas Prudentiæ tuæ anno præsenti: & non nobis, sed Fideli Abbati mense Octobri in Era DCCCXXIII. [1] clam sub sigillo directas: quas ex relatu advenisse audivimus, sed eas usque sexto Kalendas Decembres minime vidimus. Cumque nos ad Fratrem Fidelem, non literarum illarum compulsio, sed recens religiosæ dominæ Adosindæ [2] perduceret devotio, audivimus ipsum libellum adversum nos & fidem nostram cuncta Asturia publice divulgatum. Et cum fides nostra una esset indissoluta, cœpit inter scopulos fluctuare navicula; & duæ factæ erant. Postea cum tranquillitate, non bipertita, sed tantum videretur una, tunc conloquentes ab invicem diximus: Dormit Jesus in navi, & hinc inde fluctibus quatimur, & tempestatum molestias sustinemus, quia importabilis excitatus est ventus: nulla salus in nobis esse videtur, nisi Jesus excitetur: & corde & voce clamandum est, ut ei dicamus: *Domine, salva nos, perimus. Tunc surrexit Jesus*, qui in nostra dormiebat navi, qui cum Petro eramus. Tunc *imperavit vento & mari, & facta est tranquillitas magna.* Ex tunc, Deo miserante, non turbatur ista, quæ Petrum habet; sed tubatur illa, quæ Judam habet. Quomodo enim turbari poterat, cui præerat ipse, in quo Ecclesiæ firmamentum est?

II. Plerique tamen ex nostris, etiam remigatores fortissimi, nimis formidabant, quia longius a terra, id est, a corpore Christi in alto pelago navicula fluctuabat: quia dixerat Dominus Petro: *Duc in altum retia*: hoc est, in profundum disputationum, & pelagus scripturarum. Quid enim tam altum, quam altitudinem divitiarum videre? Quid etiam tam profundum, quam [3] scire Dei filium, & divinæ generationis professionem assumere? Quia licet humana mens non possit plene rationis investigatione comprehendere, fidei tamen plenitudo complectitur. Nam etsi non licet nobis scire, quomodo natus est Dei filius, scire tamen nobis licet & credere, quod vere natus sit. Fortes estote, non formidetis: nobiscum est ille, pro quo hæc intentio vertitur. *Ecce ego*, inquit, *vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* Neque enim nobis tam dura intentio esset, nisi Virgo peperisset, & quia Virgo peperit, intentio est: & quia Virgo peperit Emmanuel, hoc est, nobiscum Deus, ipsum credimus & adoramus, quia nullus alter Deus est. Denique in persecutione quid quæritur, nisi ut Deum Christum negemus? Itaque, qui non confitetur Christum Deum A verum, Mariæ Virginis filium, natum ex Deo vero, veniam non merebitur. *Sed & quicumque spiritus non confitetur Christum in carne venisse, ex Deo non est, & ipse est antichristus.* Qui enim hominem negaverit, Deum negavit: quia Deus homo est: & homo Deus est: & Deus & homo unigenitus Christus filius Dei est. Petrus enim, qui hanc naviculam reget, hominem negavit. Sic enim ait: *Non novi hominem.* Non enim dixit: Non novi Deum, aut filium Dei: sed cum hominem negavit, filium Dei Deum negavit. Et cum ab homine interrogaretur: *Quem me dicunt filium hominis?* tunc homo homini respondit, & B ait: *Tu es Christus filius Dei vivi.* Ipsum Christum filium Dei vivi negavit, cum dixit: *Non novi hominem.*

III. Sed ubi negavit, Christus ligatus tenebatur: ante præsidem stabat: alapis & colaphis cædebatur: conspuebatur. Nox erat, tenebræ erant, frigus erat: in prætorio erat: ancilla ostiaria ostium clausum tenebat. Adhuc Spiritus sanctus plenius Petro non fuerat *datus, quia adhuc Jesus non fuerat glorificatus.* Ubi vero confessus est Christum filium Dei, non erat ligatus Jesus, neque solus: sed multitudo sequebatur eum, quorum mortuos suscitabat, cæcos inluminabat, leprosos mundabat, C Dæmones effugabat, & diversas infirmitates curabat. Quærit ab hominibus; quis habeatur in populis egregius ille? Cum illi diversas opiniones proferrent, & alii dicerent: Tu es Elias, alii, Jeremias, alii, Tu es Joannes Baptista, alii Tu es Propheta; tunc Petrus inter omnes, sine aliqua dubitatione dixit: *Tu es Christus filius Dei vivi.* Exclamat Dominus beatum, cui non caro istud & sanguis revelasset, sed Pater ejus, qui esset in cælis. Tunc & petra vocatus, postquam angularem petram illum primus agnovit. Hæc est petra, de qua Pater dixerat per Esaiam Prophetam: [a] *Ecce, mittam in fundamentis Sion lapidem probatum,* D *electum, angularem, preciosum: & omnis qui crediderit in eo, non confundetur.* Et utique in lapidem, in quem credere mandat, Deus est. De qua petra Paullus apostolus dixit: [b] *Petra autem erat Christus.* Et [4] quia omnes sancti, qui in Christo fundati sunt, lapides, & petræ scribuntur: sed cum in sacro eloquio singulari numero petra vel lapis nominatur, solus Christus accipitur. Cum vero petræ pluraliter appellantur, membra videlicet sancti viri, qui illius robore solidati sunt, [5] experiuntur. Quos nimirum Petrus apostolus lapides vocat, dicens: [c] *Vos tamquam lapides vivi coædi-*

[a] Isa. XXVIII. 16. [b] I. Cor. X. 4. [c] II. Pet. II. 5.

1. Anno 785. nam isti auctores sequuntur æram Hispanicam quæ triginta octo annis differt a Christiana.
2. Fuit illa regis Silonis vidua
3. Cognoscere Dei Filium, & illum profiteri, alterum enim ex altero sequi. STEVV.
4. Forte *quidem.*
5. *Exprimuntur.*

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 785.

ficamini domus spiritualis. Qui omnes non a Petro, sed a Christo petra, sicut & Petrus, nomen acceperunt: & quod Petro dixit: [a] *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, non soli Petro, sed nobis omnibus dixit. [b] *Non revelavit tibi istud caro & sanguis, sed Pater meus, qui in cælis est*; non solum Petro, sed & nobis, qui sic credimus ut Petrus, & hodie dicit. Nam cum nos hodie dicimus corde, & ore coram omni ecclesia, *Tu es Christus filius Dei vivi*; protinus ille respondet: Non revelavit vobis istud caro, & sanguis, sed Pater meus, qui in cælis est: hoc veritas dixit uni, quod omnibus sufficit. Hoc nos omnes credimus, sed ille solus confessus est.

IV. Cui caro, & sanguis revelavit, dicat: Tu es adoptivus humanitate, & filius Dei vivi secundum divinitatem, non enim Petro caro & sanguis revelaverat hoc, quod dixit: *Tu es Christus filius Dei vivi*. Cujus caro & sanguis? Numquidnam Petri, ut ipsius caro obstaret & sanguis, ut Christus Dei filius diceretur? Non plane, sed ipsius Domini caro & sanguis. In qua carne & sanguine, dum homo videtur, quod assumserat Deus, non credebatur esse quod erat. Impossibile enim omnibus videbatur, ut Deum crederent, quem hominem viderent. Et tantam illam majestatem, in qua *habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, quam ipse non capit mundus, in corpusculo despectæ etiam imaginis inclusam ait: Non hæc caro mea & sanguis tibi esse me Dei filium revelaverunt; quia ista [1] me, id est, caro mea, & sanguis non promittunt Dei filium credi. Denique & propheta jam dixerat: [c] *Et homo est, & quis agnoscit eum?* Aperte ergo illi secundum oculum judicantes, me aut Eliam aut prophetam, aut unum aliquem de prophetis loquuntur, quia me hominem omni habitu carnis agnoscunt. Sed *tibi revelavit Pater meus, qui in cælis est*.

V. Quando revelavit? Quo tempore Deus cum Petro locutus est? *Revelavit tibi*, inquit, *Pater meus, qui in cælis est*. Ac si aperte diceret: Operibus credidisti, quæ me loquuntur filium Dei. Vidisti me mortuos suscitare, cæcos illuminare, surdos facere audire, & mutos loqui, super aquas sicco vestigio ambulare, ventis imperare, infirmos verbo sanare. His operibus credidisti, quæ me loquuntur filium Dei. Nam & illi me ista facere viderunt, qui me unum ex prophetis nuncupaverunt: quia omnes mendacium dixerunt, quia de suo dixerunt, non de Patre revelatum habuerunt. Qui enim *de suo loquitur, mendacium loquitur*: quia qualem me videt, talem me putat esse. Qui enim de Patre audit, veritatem dicit, quia de veritate haurit, & de veritate certificat.

VI. *Quid est veritas? Tu es Christus filius Dei vivi*. Ipse enim Christus hoc dixit: *Ego sum via, veritas, & vita*. Non enim nos interfuimus, cum a Patre Dei filius diceretur. Solus Pater dixit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite omnis anima*. Nam cum omnis anima dixit, nobis omnibus dixit. Omnis enim anima omnis homo dicitur: sicut est illud in Genesi: *Septuaginta animæ ingressæ sunt in Ægyptum cum Jacob*. Per tot homines Pater clamat de cælo nobis in terra hominibus, ut filium suum audiamus. Credamus ei, & prædicemus eum coram hominibus, proprium esse filium Dei. Quid primo dubitamus? Si Deo non credimus, cui credimus? omnia enim, quæ credimus, vel visu credimus, vel auditu. Visus aliquando fallitur: auditus tamen in fide est. Fuerunt tunc qui Christum viderunt, & crediderunt: Fuerunt qui viderunt, & non crediderunt. Sunt nunc qui Evangelium audiunt, & Christum coram hominibus Dei filium crucifixum confitentur; & sunt, qui eum Dei filium coram omnibus non esse contendunt. Intonant prophetæ, Evangelium clamat, & idem filius per Evangelium suum dicit: *Pater, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te*. Pater ei dicit: *Clarificavi, & iterum clarificabo*. Pater veritas, quia testificatur veritatem; clamat veritati, de quo est ipse veritas. Respondit veritas veritati, qui in hunc mundum non sibi, sed nobis misit hanc veritatem. Venit veritas ad mendaces: & putamus, quod eam possumus facere, non credendo, mendacem?

VII. Veritas dicit per os carnis suæ: *Filius Dei sum*. Et, *qui negat me, negat eum, qui me misit*. Et præsumet aliquis hoc Evangelium dissolvere? An ex parte oportet credere Evangelio, & ex parte non credere? Qui non credit Evangelio, non credit filio, cujus est Evangelium. Et qui non credit filio, non credit Patri, qui misit illum. Neque enim regem diligimus, si ejus leges odio habemus. Qui Patri, & Filio ista dicenti non credit, mendax est, quia Deum putat esse mentitum. Si viri boni dicerent, nefas putaremus esse, non credere. Deus asserit, probat Filius, tremens terra testatur: inferna captivos absolvunt: maria obediunt: elementa serviunt: petræ scinduntur: sol obscuratur; & hæreticus, cum esset rationalis, filium Virginis non esse Dei filium caussatur?

VIII. Quis est Dei filius, nisi Jesus, quem virgo peperit Maria? Ipsum nobis promisit per prophetam Pater, dicens: [d] *Revelabitur enim vobis filius meus Jesus*. Hoc nomen & angelus Virgini nunciavit: *Vocabis*, inquit, *nomen ejus Jesum: hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur*. Potuerat dicere tunc, si verum esset, quod dicitis: Vocetur Jesus adoptivus filius Altissimi humanitate, & nequaquam adoptivus divinitate. Potuerat & filius dicere: *Sic dilexit Deus mundum*, ut filium suum adoptivum daret in mundo, *ut omnis, qui crediderit in eum, non pereat*. Et utique missio ejus homo est: & nihil aliud potuerunt in eo videre increduli, qui eum crucifixerunt, nisi tantum hominem. Et cum hominem crucifixerunt, filium Dei crucifixerunt, Deum crucifixerunt. Pro me passus est Deus meus: pro me crucifixus est Deus meus. Et quid dico pro me? Pro omnibus passus est Deus noster. Dicamus ergo: *Surge Deus, judica terram*. Cui Deo dicitur, *surge*, nisi ei, qui mortuus est? Cui Deo dicitur: *Judica terram*; nisi ei, qui a Judæis judicatus est? *Surge Deus, judica terram*, qui judicatus es a terra. Unde & in Psalmo LXXXI. dicitur: [e] *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos discernit*. Et utique qui deos discernit, Deus est. Et non est Deus inter deos, ut hæretici asserunt, sed Deus deorum est. Ille, qui dixit: *Ego dixi dii estis*,

a Matth. XVI. 18. b Ibid. ỷ. 17. c Isa. LIII. 3. d Luc. I. 31. e Psalm. LXXXI. 1.

1. Forte *mea*.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 785.



& filii excelsi, ipse est Deus excelsus filius Virginis: de quo Propheta jam dixerat: [a] *Ecce Deus excelsus in fortitudine sua veniet, & nullus ei similis. Qui poterit scrutari vias ejus?* cuncta considerans: & nomen ejus supra terminos terræ. Ipse est Dominus dominorum, qui est Deus deorum. Et sicut non de diis multis est, ita neque de dominis multis: sed unus Dominus Deus, Apostolo attestante, qui ait: *Nullus Deus, nisi unus. Nam si sunt qui dicantur dii, sive in cælo, sive in terra, siquidem sunt dii multi, & domini multi: nobis autem unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos per illum: & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. Sed non in omnibus est scientia.* Ipse est Christus christorum, qui Dominus dominorum, & Deus deorum.

IX. Sed non est de illis christis, de quibus dictum est: [b] *Nolite tangere christos meos.* Sed neque de illis, de quibus hæretici dicunt: Et ille Christus, & nos christi. Et quamquam & Sancti christi sint, & domini sint, & dii sint: sed nullus ex illis absolute dicitur uno sermone Christus Jesus Deus noster. Nullus ex illis dictus est, *Christus Dei virtus & Dei sapientia*. Nullus ex illis mortuus est pro mundo. Solus iste. Nullus ex illis propria voluntate mortuus, aut quando voluisset, posuisset animam, aut quando voluisset resumeret; sed solus iste. Sic enim ait Judæis: *Solvite templum hoc, & triduo suscitabo illud.* Non dixit: Solvite templum hoc, quem Pater suscitet: sed ego suscitabo illud. Et in psalmo tertio ait: [c] *Ego dormivi, & exsurrexi.* Hoc totum libera Christi potestas, ejus, qui potestate sua mortuus est, potestate sua resurrexit. Et qui potestatem habet, Deus est: & non quislibet Deus, sed omnipotens, quia omnia potest. Et nullus potest facere, quod fecit, & facit omnipotens Deus. Nam quia & Pater eum suscitavit, dicit in eodem psalmo: *Dominus suscitavit me.* Dominum dicit, quem Patrem habet. Nam si eum Patrem non haberet, Petrus apostolus de eo non diceret Judæis: *Dominus Deus patrum nostrorum suscitavit filium suum Jesum, quem vos interemistis.* Servus dictus est Patris, quia semetipsum exinanivit, id est, semetipsum mundo visibilem ostendit. Quia *formam servi accipiens*, inquit Apostolus, *in similitudinem hominum factus est, habitu inventus ut homo.* Et ideo Patris est servus, qui cum Patre est unus Dominus, & unus Deus. Verumtamen ipse sibi nec dominus, nec servus est. Solius Patris est servus, quia facit voluntatem Patris, ut ipse de semetipso ait: *Non veni voluntatem meam facere, sed voluntatem ejus, qui misit me, Patris.* Non hoc loco dixit voluntatem Dei facere, sed Patris. Quamvis enim Deum suum Patrem dixerit, cum Deus sit, etiam ipsa natura, & de illius essentia: tamen nullatenus ignoramus, quod manens, [1] homo quoque factus sit, qui sub Deo juxta debitam legem naturæ humanitatis exsisteret. Ipse vero sibi quomodo vel Deus poterit esse, vel Dominus? Ergo solius Patris est servus, non sibi servus: non suus servus. Non sibi dominus, non suus dominus. Sicut solus Patris est filius, non suus filius, non sibi filius; sicut ipso major & minor. Et ideo in quo major sibi ipsi, æqualis est Patri: in quo minor sibi ipsi, minor est Patre. In quo minor Patri, Dominus omnis creaturæ. In quo servus Patri, do- A minus cæli, & terræ, id est, angelorum, & hominum, Paullo apostolo attestante, qui ait: *Humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus Pater exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu*, filii Mariæ Virginis, *omne genu flectatur cælestium, & terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Jesus in gloria est Dei Patris.*

X. *Nulli enim angelorum dixit Pater: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Pete a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tam- B quam vas figuli confringes eos. Ad angelos quidem dicit: Adorent illum omnes angeli Dei. Ad filium autem dicit: Thronus tuus Deus in sæculum sæculi: virga æquitatis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Et, *Tu Domine, initio fundasti terram; & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnia sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis ea, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Filii servorum tuorum inhabitabunt, & semen eorum in sæculum sæculi dirigetur.* Hoc Ecclesia de Christo dicit. Et quia in hoc mundo minoratus C venit *paullo minus ab angelis*, & non solum angelis, sed etiam hominibus, quia minor erat parentibus suis, [1] & ante passionem, ante mortem, ante resurrectionem. Nam posteaquam resurrexit a mortuis, dixit discipulis suis: *Data est mihi potestas omnis in cælo, & in terra. Sicut me misit Pater, & ego mitto vos. Hoc cum dixisset, insufflavit, & dicit eis: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Et quia Spiritus Sanctus de Patre Filioque procedit, ipsum Spiritum Sanctum insufflans apostolis, ut manifestius ostenderetur, quod [2] præesset filius Dei, a quo procedit Spiritus sanctus, & ipsa est tertia in D Trinitate persona: qui donum Patris, & Filii dicitur; quem tunc dedit, & postea de cælo misit, ut ostenderet dilectionem Dei & proximi secundum illa præcepta, *in quibus tota lex pendet, & prophetæ.*

XI. Semel in terra dedit Spiritum sanctum propter dilectionem proximi: & secundo dedit de cælo propter dilectionem Dei. Nam cum insufflavit, & illi accepissent Spiritum sanctum, dixit eis: [d] *Ite, baptizate omnes gentes, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Ubi maxime commendatur hæc Trinitas, dubitare non debemus. Ipse est igitur Spiritus sanctus, qui etiam de cælo da- E tus est die Pentecostes, post dies decem, quando Dominus ascendit in cælum. Quomodo non est Jesus Christus Deus Dei filius, qui de virgine natus est Deus verus, qui dat Spiritum sanctum? Immo quantus Deus est, qui dat Deum! Neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum sanctum. Orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manus imponebant: non ipsi eum dabant. Quam consuetudinem in Episcopis etiam nunc servat Ecclesia.

XII. Denique & Simon Magus offerens Apostolis pecuniam non ait: Date & mihi hanc po-

a Isa. xl. 10. b Psalm. civ. 15. c Psalm. III. 6. d Matth. xxviii. 19.

1. Forte *sed*.

2. Forte *quod ipse esset*.

testatem, ut dem Spiritum sanctum: sed [a] *cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum*. Quia neque scriptura superius dixerat: *Videns autem Simon, quod Apostoli darent Spiritum sanctum*: sed dixerat: *Videns autem Simon, quod per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus sanctus*. Propter hoc Dominus ipse Jesus Spiritum sanctum non solum dedit, ut Deus; sed & accepit ut homo. Propterea dictum est; *Plenus gratia*. Et manifestius de illo scriptum est in Actibus Apostolorum: *quia unxit eum Deus de Spiritu sancto*. Non utique oleo visibili: sed dono gratiæ, quod visibili significatur unguento, quo baptizatos unguit Ecclesia. Nec sane tunc unctus est Christus Spiritu sancto, quando super eum baptizatum, ut columba descendit: tunc enim corpus suum, id est, Ecclesiam suam præfigurare dignatus est, in quo præcipue baptizati accipimus Spiritum sanctum; sed ista mystica, & invisibili unctione tunc intelligendus est unctus, quando Verbum Dei caro factum est, id est, quando humana natura, sine ullis præcedentibus bonorum operum meritis, Deo Verbo est in utero virginis copulata, ita ut cum illo fieret una persona. Ob hoc eum confitemur natum de Spiritu sancto, & virgine Maria. Absurdissimum est enim, ut credamus eum, cum jam triginta esset annorum ætatis, & a Joanne baptizatus est, accepisse Spiritum sanctum. Sed venit ad baptisma Joannis sicut sine peccato, ita plenus Spiritu sancto. Si enim de servo suo, & præcursore ipsius Joanne scriptum est: *Spiritu sancto replebitur adhuc in utero matris suæ*: quia quamvis seminatus a patre, tamen Spiritum sanctum in utero formatus accepit: quid de homine Christo intelligendum est vel credendum, cujus carnis ipsa conceptio non carnalis, sed spiritualis fuit?


XIII. Hoc totum quare diximus? nisi ut Jesum Christum qui de virgine natus est, verum Deum, & verum filium Dei esse proprium firmaremus: & Deum inter deos, & adoptivum cum adoptivis, & parvulum cum parvulis, & servum cum servis, ut hæretici blasphemant, aperta fronte negaremus? Ululant isti; scripturam non tractant. Et quia ululant, lupi sunt, in tenebris ambulant, id est, inter ignaros prædicant: obscuras, & distortuosas disputationes proferunt, quibus ignaros decipiunt. Pastores Ecclesiarum auferre conantur, ut oves Domini facilius strangulent. Videte fratres, non credatis eis, expellite eos a vobis, & fugite eos, si oves estis, quia non habent voces pastoris. Bonus pastor noster nobis dixit: *Cavete a pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*. Nonne lupi sunt, qui vobis dicunt: Adoptivum credite Jesum Christum: & qui ita non crediderit, exterminetur? Et episcopus metropolitanus, & princeps terræ, pari certamine hæreticorum schismata, unus verbi gladio, alter virga regiminis ulciscens, de terra vestra funditus auferantur: certe jam rumor est, jam fama est, & non solum per Asturiam, sed per totam Hispaniam, & usque ad Franciam divulgatum est, quod duæ quæstiones in Asturiensi ecclesia ortæ sunt. Et sicut duæ quæstiones, ita duo populi, & duæ ecclesiæ, una pars cum altera pro uno Christo contendunt. Cujus fides vera, an falsa sit, grandis intentio est: & hoc non in minuta plebe, sed inter episcopos est. Una pars episcoporum dicit, quod Jesus Christus adoptivus est humanitate, & nequaquam adoptivus divinitate. Altera pars dicit: nisi ex utraque natura unicus est Dei Patris filius proprius, non adoptivus: in tantum proprius, ut ipse sit Dei filius Deus verus; & ipse adoretur, & colatur, qui sub Pontio Pilato est crucifixus. Hæc pars nos sumus, id est Eterius, & Beatus, cum ceteris ita credentibus. Credimus certe non solum in Deum Patrem omnipotentem, sed in Jesum Christum filium ejus unicum Deum, & Dominum nostrum, qui natus est de Spiritu sancto, & Maria virgine, passus sub Pontio Pilato.

XIV. Ecce utraque fides patet: sed nos pro hac fide, quam vindicamus, non solum exsilium, sed etiam mori parati sumus. Tempestat mare, & fluctuat, sed navicula non mergitur, quia fides non dubitatur. Descendunt hæreticorum pluviæ, flant persecutionum venti, adveniunt flumina, id est, minæ, & terrores hæreticorum: sed domus a fundamento non dissolvitur, quæ diu supra firmissimam petram, quadratis lapidibus artificis manu construitur. *Et licet Angelus de cælo* veniat, qui nobis vestram fidem peregrinam inserere disponat, anathema nobis maranatha reputabitur. Et quia (ut diximus) jam venti, & flumina imminent, ipsa domus radicitus subvertetur, quæ supra arenam fundata esse non dubitatur. Quid est arena, nisi hæreses? Et cum multi hæretici sint, multa etiam mendacia confingunt, quia adversus catholicam fidem diversa sentiunt, & tamen inter se minime concordare possunt. Ecce campum scripturarum, & unum Christum, & tamen inter utrasque partes divisum. Pars, quæ recte credit in Christo, sicut ipse ait, *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. Et cum habuerit Christum, tunc habebit Legem & Evangelium. Et pars, quæ non habuerit Christum, non poterit illa aqua ex eo fluere, & in ea flumina non valebit derivare, quæ Spiritus sanctus non dictaverit. Sed proculdubio illa aqua, quæ apud Salomonem prava scientia nuncupatur, per mulierem, quæ typum hæreseos tenet, & callidis suasionibus blanditur, dicens: [b] *Aquæ furtivæ dulciores sunt*. Et non philosophando scribamus obscuris sermonibus, sed simpliciter; ut omnes, qui audierunt, alterum interrogare non indigeant, sed omnes intelligant.

XV. Et quia pro fide recta est, non ornato, politoque sermone, sed rebus manifestis convincenda est. *Hauriat* unusquisque nostrum *aquas de fontibus salvatoris*, id est, de Prophetarum, & Apostolorum doctrinis. Non sibi fodiat cisternas novas: de quibus Dominus per Prophetam dicit: [c] *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ: & effoderunt sibi cisternas dissipatas, quæ non solent continere aquas: quia repleta est terra scientia Domini, sicut aqua maris*. Cisternam novam fodisse, est nova verba de Christo conficere, quæ in Lege, & Evangelio scripta non sunt. De qua cisterna in Evangelio Dominus commemorat de villico iniquitatis, qui ait: [d] *Fodere non valeo: mendicare erubesco*. Iste villicus iniquitatis Saulus erat, qui postea Paullus apostolus factus est. Quando Saulus erat, elatus erat, & superbus; & gloriabatur de lege, & sapientia scripturarum: & *ad pedes Gamalielis*, qui eo tempore peritissimus erat in lege, gloriabatur se litteras didicisse: & ob hoc persequebatur Apostolos Christi, dicens, nescire eos legem, & rusticos esse. Quamobrem adhuc [e] *suspirans minas, & homicidia in discipulos Domini, accessit ad sacerdotem, & petiit ab eo epistolas in Da-*

[a] Actor. VIII. 19. [b] Prov. IX. 17. [c] Jer. II. 13. [d] Luc. XVI. 3. [e] Actor. IX. 2.

SAEC. VIII. CIRCA ANN. CHR. 785.



mascum ad Synagogas, ut si quos inveniret, qui essent de hac via viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem. Qui cum cœpisset credentes in Christum persequi, ligare, occidere, & omnem Dei sui dissipare substantiam, correptus a Domino est. *Saule Saule, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Dixitque in corde suo: quid faciam, qui magister fui & villicus, cogor esse discipulus & operarius? Fodere non valeo. Quid dixit, fodere non valeo? Ac si aperte diceret: non possum supra prophetare, quam prophetatum est. Non possum novum dogma componere, quia ea, quæ Prophetæ dixerant, jam omnia in Christo completa erant. Jam cessaverant *Lex & Prophetæ usque ad Joannem* Baptistam. Sed non erat Joannes prophetarum finis & legis, sed Christus; sicut ipse Apostolus ait: *Finis autem legis Christus, ad justitiam omni credenti.*

XVI. *Fodere inquit non valeo, mendicare erubesco.* Ac si diceret: Ut qui doctor fueram Judæorum, cogor ab Apostolis rusticis & egentibus, & a discipulo Anania, salutis & fidei mendicare doctrinam! Aperiamus oculos, & videamus Saulum lupum Ananiæ ovi summittere caput. Videamus eruditum in lege, a rusticis accipere doctrinam salutis. Nihil sciebat Saulus in lege, quam dederat Deus, qui Christum persequebatur, qui dederat ipsam legem. Omnem legem sciebant Apostoli rustici, qui Christum Deum sciebant, qui compleverat jam legem, quam dederat: quia nullus hominum potuerat adimplere legem, nisi solus Christus, qui eam dederat, sicut ipse ait: *Non veni legem solvere, sed adimplere.* Quod si quæsieris, quare vocetur *Villicus iniquitatis* in lege, quæ Dei est? Dicamus: Recte credebat in Patrem, villicus erat: Filium persequebatur; iniquus erat. Villicus autem dicitur propriæ villæ gubernator: unde & a villa villicus nomen accepit. Qui de Saulo elato, & superbo factus est humilis Paullus, *vas electionis* Chisti, *ad omne opus bonum paratus:* qui non esset discipulus, nisi discipulo rustico submitteret collum. Qui etiam non valuit cisternam fodere novam, id est, legem componere novam: sed illam, quæ fodita erat, aperuit, & in flumina derivavit, id est, illam legem, quæ de Christo erat, aperuit, & explanavit: & totum mundum in gentibus aridum satiavit, quando Christum illis Dei filium cognoscere fecit.

XVII. Hæc exempla nos sequi oportet. Non confingamus de nostro, sed illa explanemus, quæ in Lege, & Evangelio scripta sunt. Et quia Christus noster & panis est in divinitate fortibus, & lac in humanitate parvulis, quid cui debeatur, aptum cibum ministrare, utrorumque filiis non negemus: ut illud in nobis compleatur, quod Dominus in Evangelio dicit: *Quis, putas, est fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore?* Dispensator prudens, pastor Ecclesiæ, unicuique cibum suo tempore dat, cum verbum prædicationis sic dispensat singulis, ut libenter accipiens anima capere, & portare possit, quod dederit: ne (quod absit) mente parvulo dum panis durus in os, id est, in loquutione, quod est divinitas, mittitur, sine trituratione dentium, suffocetur. Lacte ergo alendi sunt, id est, credant eum esse filium Dei proprium, non adoptivum: Deum verum, quem Judæi crucifixerunt. Ipse est verus Deus, & vita æterna, Joanne apostolo attestante, qui ait: *Scimus, quoniam filius Dei venit, & dedit nobis intellectum, ut cognoscamus verum Deum; & simus in vero filio ejus Christo. Hic est verus Deus, & vita æterna.* Paullus Apostolus ad Romanos ait: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio filio suo non pepercit: sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit?* Item ibi. *Quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Et ipse Dominus in Evangelio cæco illuminato dixit: *Tu credis in filium Dei?* Et dixit: *Quis est Domine, ut credam in eum? Respondit ei Jesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est.* Item in Evangelio secundum Joannem, quando Lazarum suscitaturus venit, *dixit Martha ad Jesum: Domine si fuisses heic, frater meus non fuisset mortuus. Dixit illi Jesus: Resurget frater tuus: Dicit ei Martha: scio, quia resurget in resurrectione, in novissimo die. Dicit illi Jesus: ego sum resurrectio, & vita. Qui credit in me, & si mortuus fuerit, vivet: & omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Et ait illi Martha: utique Domine. Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei, qui in hunc mundum venisti.*

XVIII. Non debemus ergo dubitare de eo, quem Judæi crucifixerunt, quod ipse sit verus filius Dei proprius, non adoptivus: sed unicus Dei Patris filius, Deus verus, & vita æterna. Credamus in eum tam parvuli, quam senes, tam rustici, quam sapientes, tam pauperes, quam divites; tam viri, quam fœminæ; tam *omnis omninoque* sexus moriamur pro eo, ut vivamus in eo. Adoremus eum sine dubitatione, quia non est alter Deus præter eum, propheta Jeremia testante, qui ait: [a] *Hic Deus noster, & non est alius Deus præter eum: qui adinvenit omnem viam prudentiæ: & dedit eam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.*

XIX. Non ergo separamus Patrem, & Spiritum sanctum a Filio, cum solum Filium dicimus Deum. Pater, & Filius ambo simul unus Deus. Non Pater ambo simul sunt: non Filius ambo simul sunt. Solus in illa summa Trinitate Pater tantum Pater est in sua persona: solus Filius in sua persona tantum Filius est: solus in sua persona Spiritus sanctus, tantum Spiritus sanctus est. Et ideo nec Patrem Filium nominamus: nec Patris nomen Filio imponimus: nec Spiritui sancto nomen Patris, aut Filii dicimus. Et inde vere Trinitas est: quia nec Pater natus est, nec Spiritus sanctus: sed solus Filius. Nec Filius genuit, nec Spiritus sanctus: sed solus Pater. Neque Pater a duobus processit, aut Filius; sed tantum Spiritus sanctus. Ac per hoc solus Pater Deus a nullo Deo est, sed a se. Filius Deus est, sicut Pater, sed a Patre est Deus, non a se. Spiritus quoque sanctus Deus est, sicut Pater, & Filius: sed a Patre, & Filio Deus est, non a se. Solus Pater a se Deus: hi vero duo ab uno sunt Deus, id est, a Patre: ac per hoc & Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus sanctus Deus: & non tres Dii, sed unus Deus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Et ideo cum dicimus in scripturis, solus Christus Filius Dei natus de virgine, & ipsum crucifixerunt Judæi, & ipse est verus, & non est alter Deus præter eum; verum dicimus: quia non est alter Deus, præter eum. Quia Pater Deus est omnipotens: & solus sibi sufficit in sua

[a] Baruch. III, 36. 37. 38.

persona. Et Spiritus sanctus Deus est omnipotens; & solus sibi sufficiens in sua persona. Et hi tres non sunt tres dii omnipotentes: sed unus Deus omnipotens, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Et ideo solus sufficit Pater Deus, quia separari a Filio, & Spiritu sancto non potest. Et solus sufficit Christus Filius Dei Deus, quia separari a Patre, & Spiritu sancto non potest. Solus etiam sufficit Spiritus sanctus, quia separari a Patre, & Filio non potest, quia simul tres unus Deus.

XX. Quamobrem non debemus dubitare Christum Filium Dei, quem Judæi crucifixerunt, esse verum Deum, & non esse alterum Deum præter eum. Credamus in eum, & adoremus eum, quia non est alter adorandus præter eam. Ecce panem, & lac protulimus, accipiat quis quantum valet. Et hoc Domini est, quod dicimus: nam qui dicimus, nihil sumus: sed de quo dicimus, *magnus est, & magna virtus ejus: & sapientiæ ejus non est numerus.* Tantus, ac talis est, ut nec de eo possimus dicere, nec de eo omnino tacere. Sed tamen cum sit inenarrabilis, non debet esse ignorabilis. Dicit enim scriptura: [a] *Generationem ejus quis enarrabit?* Non dicit; ignorabit. Et ideo non oportet primum, ut credamus in eum: & tunc intelligere possumus quæ scripta de eo legimus. Quid enim prodest, ut cum periculo quæratur, quod sine periculo nescitur? Ergo melius est non intellecta credere, quam credenda verbis mendacibus perdocere. Multum enim præcedit fides intellectum. Si enim fides habet meritum, & per ipsam etiam rusticis Christus daturus est præmium, præcedit utique intellectum. Quamobrem omnis rusticus idiota, qui recte credit in Christum, simpliciter vivet, & recedet a malo, superat intellectum. Intellectus tamen, quamvis bona opera videatur habere, præcedit eum rusticus, si fidem rectam habet. Nihil ergo intelligit, qui non credit, dicente Propheta: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Ergo in divinis rebus fides tantummodo adsit, & nulla quæstio remanebit. Quod si discutere volueris, & rationem de Deo & homine facere præsumseris, continuo in laqueo perditionis immergeris.

XXI. Nos ergo debemus dicere; illum Deum, & istum hominem unum habemus & adoramus Deum, cum Patre, & Spiritu sancto unum Deum, non hominem, quartam introducentes personam: sed cum ipsa carne propria unum adoremus Christum Filium Dei Deum, juxta Ephesini Concilii veræ fidei documentum, quæ ait: *Cavemus autem de Christo dicere: Propter assumentem veneror assumtum: & propter invisibilem adoro visibilem.* Horrendum vero super hoc etiam illud dicere: *Is, qui susceptus est, cum eo, qui suscepit, non nuncupatur Deus.* Qui enim hæc dicit, dividit iterum in duos Christos eum, qui unus est: & hominem seorsum in partem, & Deum similiter in partem constituens. Evidenter enim denegat unitatem, secundum quam non alter cum altero *coadoratur, aut connuncupatur.* Sed unus intelligitur Christus Jesus, Filius Dei unigenitus, una servitute cum propria carne venerandus. Hæc fides primi Ephesini Concilii est, quod & textus Symboli probat. Quid ergo possum facere mente parvulis, si ab ista unitate fidei, vos audientes, recesserint, & unum Christum & secundum divinitatem proprium, & secundum humanitatem adoptivum confessi fuerint? Quid ergo nos faciemus, qui eos apostolicam fidem

A tenere docuimus, cum & ipsi a puro lacte matris Ecclesiæ, Legis & Evangelii sugentes ubera, Deo miserante, ad solidum divinæ Trinitatis cibum pervenimus? Surgamus ergo cum ipsis Apostolis, & fidei nostræ Symbolum, quem tradiderunt nobis, brevi compendio recitemus, quicumque unum Dominum, unam fidem, unum baptisma habemus: & fidem, in qua baptizati sumus, in hac perversitate, & duplicitate hæreticorum non negemus. Sed sicut corde credimus, ore proprio proferamus publice, & dicamus:

B XXII. *Credo in Deum patrem omnipotentem. Et in Jesum Christum filium ejus unicum, Deum & Dominum nostrum, qui natus est de Spiritu sancto, & Maria virgine. Passus sub Pontio Pilato. Crucifixus, & sepultus. Descendit ad inferna. Tertia die resurrexit vivus a mortuis. Ascendit in cælos. Sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis. Inde venturus judicare vivos & mortuos. Credo in Spiritum sanctum. Sanctam Ecclesiam catholicam. Remissionem omnium peccatorum. Carnis resurrectionem, & vitam æternam. Amen.*

XXIII. Ecce fidem apostolicam, in qua baptizati sumus, quam credimus, & tenemus. Et qui ad nos venerit de aliis regionibus, aut certe de nostris finibus, & hanc fidem, & hanc doctrinam C apostolicam adduxerit, recipiamus eum in sancta Ecclesia. Manducemus, & bibamus cum eo, quia pacem annunciat, & filius caritatis est. Et quia *Deus caritas est*, & quia *Christus caput corporis Ecclesiæ est*, membrum corporis est. Et qui hanc fidem nobis non adduxerit, & nostram fidem dissolvere conaverit, & fermentum insolitæ pravitatis in azyma massæ Ecclesiæ miscere voluerit, & nos scandalizaverit, quid de eo faciamus? Joannem apostolum cubicularium regis interrogemus: ipsum, qui supra pectus Domini recubuit: ipsum qui de sacratissimo ore intimo divinitatis archivo hausit. Quem etiam primus apostolorum Petrus, quis esset, qui D Dominum traderet, interrogavit. Dic sancte Joannes, quid faciemus de isto, qui nobis doctrinam vestram turbat? Respondet nobis, & dicit „ Si quis „ venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, „ nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis. Qui enim dixerit illi ave, communicat „ operibus illius malignis. Quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur „ Jesum Christum venisse in carnem, hic talis seductor est, & antichristus. Videte vosmet ipsos, „ ne perdatis, quod operati estis, sed ut mercedem plenam recipiatis. Omnis, qui recedit, & „ non manet in doctrina Christi, Deum non habet. Qui permanet in doctrina Christi, hic & E „ Filium, & Patrem habet. Quod fuit ab initio, „ quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, „ quod perspeximus, & manus nostræ tractaverunt „ de Verbo vitæ, & vita manifestata est, & vidimus, & tractavimus, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis. Quod vidimus, & audivimus, annunciamus vobis, ut & vos societatem habeatis „ nobiscum: & societas vestra sit cum Patre, & „ filio Jesu Christo. Filioli, novissima hora est. „ Et sicut audistis, quia antichristus venit, & nunc „ antichristi multi facti sunt. Unde scimus, quia „ novissima hora est? quia multi antichristi sunt, „ qui nobiscum erant, jam contra nos sunt, jam „ foris sunt. Ex nobis exierunt: sed non erant ex

a Isa. LIII. 8.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 785.

„ nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent A „ utique nobiscum. Sed ut manifesti sint, quia non „ sunt omnes ex nobis. Sed vos unctionem habe- „ tis a Sancto, & nostis omnia. Non scripsi vobis „ quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scienti- „ bus eam. Et quoniam omne mendacium ex ve- „ ritate non est. Quis est mendax? Qui negat, „ quoniam Jesus non est Christus. Hic est antichri- „ stus, qui negat Patrem, & Filium. Omnis, qui „ negat Filium, nec Patrem habet. Qui confitetur „ Filium, & Patrem habet.

XXIV. „ Hæc scibo vobis de his, qui seducunt „ vos. Et vos unctionem, quam accepistis ab eo, „ maneat in vobis. Et non necesse habetis, ut ali- B „ quis doceat vos: sed sicut unctio ejus docet vos „ de omnibus: & verum est, & non est menda- „ cium. Et sicut docuit vos, manete in eo. Et „ nunc filioli manete in eo, ut cum apparuerit, „ habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo „ in adventu ejus: sed si scitis, quoniam justus „ est, scitote, quoniam & omnis, qui facit justi- „ tiam, ex ipso natus est. Videte qualem carita- „ tem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, „ & simus. Propter hoc mundus non novit nos, „ quia non novit eum. Carissimi, nunc filii Dei „ sumus, & nondum apparuit quid erimus. Sci- „ mus, quoniam cum apparuerit, videbimus eum, „ sicuti est. Et omnis, qui habet hanc spem in C „ eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est. O- „ mnis, qui facit peccatum, & iniquitatem facit, „ & peccatum est iniquitas. Et scitis, quoniam „ ille apparuit, ut peccata tolleret: & peccatum „ in eo non est. Omnis, qui in eo manet, non pec- „ cat. Omnis qui peccat, non vidit eum, nec co- „ gnovit eum.

XXV. „ Filioli nemo vos seducat. Qui facit ju- „ stitiam, justus est, sicut & ille justus est. Qui „ facit peccatum, ex diabolo est: quoniam ab ini- „ tio diabolus peccat. In hoc apparuit filius Dei, „ ut dissolvat opera diaboli. Omnis, qui natus est „ ex Deo, peccatum non facit, sed semen ipsius in D „ eo manet, & non potest peccare, quoniam ex „ Deo natus est. Et in hoc manifesti sunt filii Dei, „ & filii diaboli. Omnis, qui non est justus, non „ est de Deo, & qui non diligit fratrem suum. „ Quoniam hæc est annuntiatio, quam audistis ab „ initio, ut diligamus alterutrum. Carissimi, di- „ ligamus nos invicem, quoniam caritas ex Deo „ est. Et omnis qui diligit fratrem suum, ex Deo „ natus est, & cognoscit Deum. Qui autem non „ diligit fratrem suum, non habet caritatem, & „ non novit Deum: quoniam Deus caritas est. Ex „ hoc apparuit caritas Dei in nobis, cum filium „ suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vi- „ vamus per eum. In hoc est caritas, non quasi E „ nos dilexerimus Deum: sed quoniam ipse dile- „ xit nos, & misit filium suum propitiationem pro „ peccatis nostris. Carissimi, si Deus dilexit nos, „ & nos debemus alterutrum diligere. Deum ne- „ mo vidit umquam. Si diligimus invicem, Deus „ in nobis manet, & caritas ejus in nobis perfecta „ est. In hoc intelligimus, quoniam in eo mane- „ nemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo „ dedit nobis: & nos vidimus, & testificamur, „ quoniam Pater misit Filium suum salvatorem mun- „ di. Omnis, qui confessus fuerit, quoniam Jesus „ est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in „ Deo. Et nos cognovimus, & credidimus carita- „ ti, quam habet Deus in nobis. Deus caritas est; „ & qui manet in caritate, in Deo manet, & „ Deus in eo est. In hoc perfecta est caritas Dei „ nobiscum, ut fiduciam habeamus in diem judi- „ cii: quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mun- „ do. Timor non est in caritate: sed perfecta ca- „ ritas foras mittit timorem: quoniam timor pœ- „ nam habet. Qui autem timet, non est perfectus „ in caritate. Nos ergo diligamus Deum, quoniam „ Deus prior dilexit nos.

XXVI. „ Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, „ & fratrem suum odit, mendax est. Qui enim „ non diligit fratrem suum, quem videt; Deum, „ quem non videt, quomodo poterit diligere? Et „ hoc mandatum habemus ab eo, ut qui diligit „ Deum, diligat & fratrem suum. Omnis qui „ credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo na- „ tus est. Et omnis, qui diligit eum, qui genuit, „ diligit eum, qui natus est ex eo. In hoc cogno- „ scimus, quoniam diligimus Filium Dei, cum „ Deum diligamus, & mandata ejus faciamus. „ Hæc est enim caritas Dei, ut mandata ejus cu- „ stodiamus: & mandata ejus gravia non sunt. „ Quoniam omne, quod natum est ex Deo, vin- „ cit mundum. Et hæc est victoria, quæ vincit „ mundum, fides nostra. Quis est, qui vincit mun- „ dum, nisi qui credit, quoniam Jesus est filius „ Dei? Hic est, qui venit per aquam, & sanguinem „ Jesus Christus. Non in aqua solum, sed in aqua, „ & sanguine, & carne. Et Spiritus est, qui te- „ stificatur, quoniam Christus est veritas. * Quia „ tres sunt, qui testimonium dant in terris: aqua, „ & sanguis, & caro. Et tria hæc unum sunt. „ Et tres sunt, qui testimonium dant in cælo, „ Pater, Verbum, & Spiritus. Et hæc tria unum „ sunt in Christo Jesu. Si testimonium hominum „ accipimus, testimonium Dei majus est. Quo- „ niam hoc est testimonium Dei, quod majus est, „ qui testificatus est de filio suo, quem misit Sal- „ vatorem super terram. Et filius testimonium per- „ hibuit inter scripturas proficiens: & nos testimo- „ nium perhibemus, quoniam vidimus eum, & „ annunciamus vobis, ut credatis.

XXVII. *Et ideo* „ Qui credit in filium Dei, „ habet testimonium Dei in se. Qui non credit fi- „ lio, mendacem facit eum, quoniam non credit „ in testimonio, quod testificatus est Deus de filio „ suo. Et hoc est testimonium, quoniam vitam „ æternam dedit nobis Deus. Et hæc vita in Fi- „ lio ejus est. Qui habet Filium Dei, habet vi- „ tam. Qui non habet Filium Dei, vitam non „ habet. Hæc scribo vobis, ut sciatis, quoniam „ vitam habetis æternam, qui creditis in nomine „ Filii Dei. Et hæc est fiducia, quam habemus ad „ eum. Quia quodcumque petierimus secundum vo- „ luntatem ejus, audit nos. Et scimus, quoniam „ audit nos, quidquid petierimus: scimus, quo- „ niam habemus postulationes, quas postulamus ab „ eo, si credimus in eo, & diligimus fratres. Non „ sic diligamus sicut Cain, qui ex maligno erat, & „ occidit fratrem suum. Et propter quod occidit „ eum? Quoniam opera ejus mala erant, fratris au- „ tem ejus justa. Nolite mirari fratres, si odit vos „ hic mundus. Nos scimus, quoniam translati su- „ mus de morte in vitam, quoniam diligimus fra- „ tres. Qui non diligit, manet in morte. Omnis, „ qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis, „ quoniam omnis homicida non habet vitam æter-

* I. Joan. V. 7. 8.



„ nam in se manentem. In hoc cognoscimus caritatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?

XXVIII. „ Filioli mei, non diligamus verbo tantum & lingua, sed opere, & veritate. In hoc scimus, quoniam ex veritate sumus, & in conspectu ejus suademus corda nostra. Si reprehenderit nos cor nostrum, major est Deus corde nostro, & novit omnia. Carissimi, si cor nostrum nos non reprehenderit, fiduciam habemus ad Deum: & quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata ejus custodimus, & ea, quæ sunt placita coram eo facimus. Et hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine filii ejus Jesu Christi, & diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum nobis. Et qui servat mandatum ejus, in illo manet, & ipse in eo. Et in hoc scimus, quoniam manet in nobis, de spiritu, quem dedit nobis. Carissimi, nolite omni spiritui credere: sed probate spiritus si ex Deo sunt. Quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in hunc mundum, & ex hoc cognoscitur Spiritus Dei. Omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum, in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est. Et hic est illius antichristi, quem audistis quoniam venit: & nunc in mundo est. Vos ex Deo estis, Filioli, & vicistis eos, quoniam major est, qui in nobis est, quam qui in mundo. Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur; & mundus eos audit. Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos: qui autem non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus spiritum veritatis, & spiritum erroris. „

XXIX. Hanc epistolam, quam legimus caritati vestræ, Joannis apostoli & evangelistæ est, directa ad gentes. Et quia nos ex gentibus sumus, nobis directa est. Et quia virgo Maria peperit Jesum, de Jesu est: & quia de Jesu intentio nostra est, & Ecclesia pro ipso solo in duas partes divisa est, requiramus hos duos Christos, & inveniamus per spiritum, Jesus cujus filius est. Istud nomen accepit a Patre per prophetam, antequam nasceretur ex virgine, mundo annunciatum: *Revelabitur*, inquit, *vobis filius meus Jesus*. Istud nomen angelus Gabriel nunciavit Virgini, dicens: *Ecce concipies & paries filium; & vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deum sedem David patris ejus; & regnabit in domo Jacob in æternum: & regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad angelum. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens angelus, dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoque, & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Ecce Virgo non dubitavit de numine, sed quomodo fieret illud, bis nominavit. Ecce cujus filius est Jesus! Videamus nunc, si ipse est Dominus cæli & terræ. [a] *Et ait Maria: Ecce ancillam Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Ancillam se dicit, quæ mater eligitur. Non est consuetudo, ut matres filios suos dominos dicant: sed sola Virgo, quæ Dominum cæli & terræ peperit.

XXX. *Exsurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda: & intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth. Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exsultavit infans in utero ejus: & repleta est Spiritu sancto Elisabeth; & exclamavit voce magna, & dixit: Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* Ecce duæ testes! Virgo dixit: *Ecce ancilla Domini.* Elisabeth dixit: *Matrem Domini*. Et virgo, & mulier, cæli & terræ Dominum confessæ sunt. Decursis decem mensibus, *Peperit virgo filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit in præsepio: quia non erat ei locus in diversorio. Angelus autem Domini apparuit pastoribus dicens: Nolite timere. Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est hodie vobis Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David.* Jesus enim in lingua latina, salvator dicitur, hebraice vero Jesus. *Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cælestis, laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

XXXI. Requiramus nunc, quæ est ista terra, quam pacificavit. Oremus eum, & aperiat nobis os ille, qui veritas est, ut veritatem de eo dicamus: & aperiat aures cordis, ut intelligant omnes, qui audierint, quæ dixerimus. Si interrogamus omnes: Adam unde factus est? Si unus inter multos loquatur, & dicat, quia de terra factus est; tam in Judæis, quam in gentibus, sive Christianis, nulla dubitatio est, quod vere de terra sit: & ipsi in transgressione dictum est a Domino: *Terra es, & in terram ibis*. Veniamus per seriem generationis Christi usque ad diluvium, ubi solus Noe in illa generatione justus inventus est. Cui pro sua justitia donatæ sunt septem animæ, quæ per eum evaserunt diluvium. Sicut solus justus in hoc mundo Jesus Christus inventus est: cui donatæ sunt septem Ecclesiæ, quæ evaserunt secundum ignis diluvium. Veniamus de Noe usque ad Abraham, cui prima repromissio facta est, *quod in semine ejus*, quod est Christus Jesus, *hereditarentur omnes gentes*. Veniamus de Abraham usque ad David, cui dictum est: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*. Et, [b] *Egredietur Virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet*. Virga de radice Jesse, virgo Maria est. Flos de virga, Jesus Christus filius Dei est. Quia *ego*, inquit, *flos campi, & lilium convallium*. Ecce Adam de terra, Noe de Adam, Abraham de Noe, David de Abraham, virgo Maria de David, Jesus Christus filius Dei de Maria. Hoc est, [c] *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax*. Ipsa terra sublimata est, quando Verbo conjuncta est. Sic est Verbum carne factum unus Jesus Christus, una persona, Deus & homo, quemadmodum tua anima & caro unus est homo. Sic est natus de virgine Jesus Christus filius Dei Deus homo eo pacto, quo cum corpore nasci docetur anima. Non quia utriusque est una substantia: sed quia in utroque fit una persona.

XXXII. Prius quippe, quam redemtor noster per carnem nasceretur, discordiam cum angelis habuimus: a quorum claritate, atque munditia per primæ culpæ meritum, per quotidiana delicta longe distabamus. Quia enim peccando extranei eramus a Deo, extraneos nos a suo consortio depu-

a Luc. I. 38. b Isa. 11. 1. c Luc. II. 14.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 785.



tabant angeli, cives Dei. Sed quia nos cognovimus regem nostrum, recognoverunt angeli cives suos. Quia enim cæli rex terram nostræ carnis assumsit, infirmitatem nostram illa jam angelica celsitudo non despicit. Ad pacem nostram angeli redeunt: intentionem prioris discordiæ postponunt. Et quos infirmos prius abjectosque despexerunt, jam socios venerantur, cum naturam nostram in sede dominica, immortali fulgentem gloria perviderunt. Plane illa natura, quæ audivit: *Terra es, & in terram ibis*. Quoniam naturæ humanæ gratulandum est: eo quod sic assumta est a Verbo unigenito terra mortalitatis nostræ, ut immortalis constitueretur in cælo, utque ita fieret terra sublimis, ut incorruptibilis pulvis rediret ad dexteram Patris. Et hoc est, quod clamant angeli, & omnis Ecclesia: [a] *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Bonæ voluntatis, id est, qui bene volunt. Qui bene credunt, ut cum angelis socientur: non qui male credunt, ut cum diabolo damnentur.

XXXIII. [b] *Et postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Dominus, vocatum est nomen ejus Jesus: quod vocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur*. Si requiramus consuetudinem mulierum, de nulla dictum est; in utero concepit: quia extrinsecus a viris acceperunt. Si requiramus scripturas, tunc promissa est ista conceptio, quando serpenti dictum est in paradiso: [c] *Inimicitias ponam inter te, & mulierem: & semen tuum, & semen ejus*. Et recte cognoscimus, quia mulieres semina non habent: nec sine virili semine concipere possunt. Semen ergo mulieris, Verbum carne factum est, qui non de terra, sed de excelsis est, sicut ipse Jesus ait: *Ego de supernis sum: vos de inferioribus estis*. Et Paullus apostolus ait: *Primus homo, de terra terrenus: secundus homo, de cælo cælestis. Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur*. Requiramus, quis masculus vulvam matris aperuit. Nam si recta tractamus, omnes mulieres, qui primos filios masculos habuerunt, viri ejus aperiunt vulvam, quæ sola in utero concepit.

XXXIV. *Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus in templum, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, accepit eum Simeon in manus suas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum, in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Quod præparasti ante faciem omnium populorum*. Jam supra diximus, quia *salutaris* nomen Jesus est, id est, Salvator. Et ipse datus est *lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis suæ Israel. Et dixit Simeon ad Mariam matrem ejus: Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel*. In ruinam positus est plane non credentibus, & lapis offensionis, & petra scandali. Resurrectio vero, & vita est credentibus. [d] *Et in signum, cui contradicetur*. Videtis, quia in signum est, cui contradicetur. Quid est hoc signum, cui contradicetur, nisi crux, nisi passio, sputa, probra, vincula, colaphi, alapæ, clavi, amaritudo fellis, mors, lancea, sepultura? Sicut & ipse Dominus signum mortis suæ annuncians: *Generatio mala, & adultera signum quærit, & signum non dabitur, nisi signum Jonæ prophetæ. Sicut enim Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus*. [1] Hæc est in signo cui contradicetur. Ista faciunt scandalum incredulis, non solum Judæis, sed & hæreticis: nolunt ista applicare Deo Filio Dei. Et proinde dicunt: *Homo Christus, qui de Virgine natus est, Jesus Christus illi nomen est*. Et qui hunc negat filium Dei esse, secundum Joannem, ipse est antichristus.

XXXV. Hoc totum quare diximus? Quia Joannes, qui istam doctrinam nobis dedit, ipse nobis dixit: *Ipse vicit mundum, qui credit, quia Jesus est filius Dei*. Ipsud nomen habet proprium Jesus: & ipsud personat Evangelium, sicut ait: *Accepit Jesus panem, & benedixit, fregit, & dedit discipulis suis, &c.* Et cum comprehenderunt eum Judæi, interrogavit eos, quem quærerent. *Responderunt: Jesum Nazarenum. Tum dixit eis Jesus: Ego sum*. Et unus de illudentibus *dedit alapam Jesu. Et interrogavit Pilatus Jesum*. Et Barrabam dimisit: Jesum vero flagellis cæsum tradidit eis, ut crucifigerent eum. *Et clamavit in cruce voce magna Jesus*. Et mortuus est Jesus. *Et Jesus quem quæritis Nazarenus, surrexit a mortuis. Et venit Jesus januis clausis, & stetit in medio discipulorum, & dixit eis: Pax vobis. Et elevatis manibus suis, benedixit eos, & recessit ab eis, & ferebatur in cælum. Et omnis lingua confiteatur, quia Jesus in gloria est Dei Patris*, cui cum Patre, & Spiritu sancto una, & æqualis est gloria. In cujus fide jam supra confessi sumus doctrinam, quam ab Apostolis accepimus.

XXXVI. *Credo in Deum Patrem omnipotentem Et in Jesum Christum filium ejus unicum, Deum & Dominum nostrum, qui natus de Spiritu sancto & Maria virgine*. Quibus tribus sententiis omnium fere hæreticorum...... destruuntur. Quam doctrinam nobis Joannes apostolus confirmavit: & qualiter hæreticos a nobis expellamus, instigavit, dicens: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi ave, communicat operibus illius malignis*. Nemo dicat illi ave, id est, nemo dicat illi gaude: aut certe aliud, quod consuetudo est salutandi. Fides vera, quæ ab apostolis tradita est, in brevi est. Sine philosophia sæculi est, simplex est, & omnibus rusticis manifesta, & omnibus captivis, & peregrinis cognita. Et ut plenius dicamus, omni Ecclesiæ, quæ per universum orbem terrarum est constituta, publice constituta est. Et unusquisque qualiter credat, brevi symbolo complexa est. Et qualiter oret, & ipsa brevis oratio Dominica est, quæ septem petitionibus constat, quæ ab ipso Domino, qualiter omnes creduli debeamus orare, tradita est. *Quamobrem nec extra symbolum habemus quod credere, nec quod extra Dominicam orationem orare. Nec nihil novum, excepto hoc novo, quod virgo Deum hominem peperit: quia creavit Dominus novum super terram: femina circumdabit virum*.

XXXVII. Ceterum qualiter vivere debeamus, sufficit nobis illud vulgare proverbium: [e] *Quod tibi non vis, alteri ne feceris: & habebis vitam æternam*. Vulgare est, quia hoc vulgus dicere potest.

[a] Luc. II. 14. [b] Ibid. ℣. 21. [c] Gen. III. 15. [d] Luc. II. 34. [e] Tob. IV. 16.

1. Hoc est signum.

Ceterum Dominus in Evangelio ait: *Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos similiter facite eis.* Et hoc est Ecclesia, & Christus. Credit recte rusticus, quia symbolum semper recitat. Orat recte, quia semper orationem Dominicam recitat, & dicit: *Pater noster qui es in cælis.* Et vere filius Dei est, si ut sibi non vult fieri, alteri ne fecerit. Quæ & in illa epistola sanctissimi Joannis nihil aliud recitavimus, quam hoc, quod rustico sermone, & brevi vobis diximus. Nam si secundum Apostolum, *imperiti sumus lingua, scientia* tamen, Deo miserante, *non sumus imperiti*: nec de imperitia erubescimus, quod lectione non docemur: nec simplicitas inter philosophos a fide vera dubitamus, cum Apostolos simplices, & rusticos magistros habemus. Nullus philosophorum potuit dicere primus: *Tu es Christus filius Dei vivi*, nisi Petrus piscator, homo rusticanus & pauper, qui ab opere callosam habebat manum. Iste piscator & rusticanus de Jerosolyma perrexit Romam. Et rusticanus cepit Romam, quam eloquentes capere non potuerunt. Nullus sapiens mundi primus potuit dicere: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Et vidimus gloriam ejus, gloriam unigeniti a Patre, plenum gratiæ, & veritatis. Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*, id est, Deus homo factus est: & habitavit in nobis, hoc est, habitavit in carne, quæ nos sumus. Nisi Joannes hoc dixit, piscator & rusticus, cujus epistolam vobis legimus, qualiter in Jesu Christo filio Dei credamus, & cum illo una persona simus, si dilectionem Dei, & proximi habuerimus. Hæc est Ecclesia in caritate per caritatem, quæ Deus est; ut maneamus in Deo, & Deus in nobis, si hoc fecerimus proximo, quod fieri volumus & nobis. *Nam qui odit fratrem suum, homicida est: & talis homicida non habet vitam æternam*, quod est Jesus Christus, sicut Apostolus ait: *Ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. Hic est verus Deus, & vita æterna.* Ecce fidem nostram, qualiter credimus & oramus, brevi compendiolo rustici homines sapientibus pandimus: docete, si nostis amplius. Nam sicut diximus, fides in brevi est. Hoc ipsum Esaias attestatur, qui ait: [a] *Consummatas quidem, & breviatas res audivi, quia verbum breviatum faciet Dominus in terra.* De quo vero idem prophetavit: *Ecce verbum Domini factum est illis in maledictionem, & noluerunt illud.* Qui sunt, qui *noluerunt illud?* nisi Judæi, & hæretici, qui Verbum abbreviatum, id est, hominem factum, non credunt esse filium Dei, ipsum, qui pro nobis vulneratus est, ut vulnera nostra sanaret. De quo in psalmo CVI. dicit: [b] *Misit Verbum suum, & sanavit eos: & eripuit eos de interitu eorum. Et hoc est verbum fidei, quod prædicamus* in brevi: quia *parvulus natus est nobis: filius datus est nobis.* Cujus est iste filius, nisi filius Dei Deus verus? *Nobis natus* est de Virgine, non sibi. *Nobis datus* est pro redemtione, non sibi. *Et factus est principatus ejus super humeros ejus.* Quia pro nobis pependit in cruce, non pro se. Et pro nobis est judicatus, non pro se. Quia tunc vicit principem mortis diabolum, cum judicatus est, & morti condemnatus, *ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium* Propheta attestante David: *Et vincas dum judicaris.* Et hoc est, principatus ejus super humeros ejus. Et quia ipse est Deus verus, & non est alter Deus præter eum; audite quod sequitur: [c] *Et vocabitur nomen ejus Ammirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.* Ecce sex nomina ejus diximus, in quibus nominibus nullum esse alterum Deum, præter eum, secundum fidem nostram, quam credimus. Et si aliquis dicit, quod non sunt nomina, quæ diximus de Christo; audiat, quid sequitur: *Multiplicabitur ejus imperium: & pacis ejus non erit finis. Super solium David sedebit, & super regnum ejus, ut confirmet illud, & convoboret in judicio, & justitia, a modo, & usque in sempiternum.*

XXXVIII. Protulimus fidem nostram ecclesiæ nostræ, proferat nunc dominus Elipandus fidem suam ecclesiæ suæ, in qua fide nos redarguit, ut auditu credamus: aut, si noluerimus, a diœcesi sua exsules habeamur. Tunc lecta est ipsa epistola, & multum fidei nostræ contraria: quæ nunc in veteri testamento, nec in novo erant scripta: [1] quam ipsa verba fidei suæ nobis incognita in unum copulavimus: & quo facilius agnoscerentur, more symboli, brevi compendio in pagina compegimus. Et quantum discordaret de fide nostra, symbolum [2] Ephesini Concilii, ei contrarium posuimus.

XXXIX. Primus ego Eterius Oxomæ sedis indignus nominatus episcopus, qui ab archiepiscopo Toletano nuncupor esse hæreticus, profero fidem meam cunctis audientibus. Quam fidem a sanctis patribus accepi, credidi, & omni ecclesiæ recitandam prædicavi. Et sicut cum omni ecclesia catholica corde retineo, ore patulo dico: *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem. Factorem cæli, & terræ, visibilium omnium, & invisibilium conditorem. Et in unum Dominum Jesum, filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum ex Deo. Lumen ex lumine. Deum verum ex Deo vero, natum, non factum, homousion Patri, hoc est, ejusdem cum Patre substantiæ. Per quem omnia facta sunt, quæ in cælo, & quæ in terra. Qui propter nos, & propter nostram salutem descendit. Et incarnatus est de Spiritu sancto, & Maria virgine homo factus. Passus sub Pontio Pilato. Sepultus. Tertia die resurrexit. Ascendit in cælos: sedet ad dexteram Patris. Iterum venturus est in gloria judicare vivos, & mortuos. Cujus regni non erit finis. Credimus, & in Spiritum sanctum Dominum, & vivificatorem ex Patre, & Filio procedentem. Cum Patre, & Filio adorandum, & glorificandum. Qui locutus est per prophetas. In unam catholicam, atque apostolicam ecclesiam. Confitemur unum baptisma in remissione peccatorum. Exspectamus resurrectionem mortuorum. Vitam futuri sæculi, Amen.*

EXPLICIT SYMBOLUS FIDEI EPHESINÆ.

a Isa. X. 23. b Psalm. CVI. 20. c Isa. IX. 6.

1. Forte *qua*.

2. Legendum potius Nicæni.

Sæc. VIII. CIRCA ANN. CHR. 785.

INCIPIT SYMBOLUM FIDEI ELIPANDIANÆ.

XL. ,, EGO Elipandus, Toletanæ sedis archiepiscopus, cum omnibus mihi consentientibus; Credo Trinitatem Patris, & Filii, & Spiritus sancti, in una Deitatis essentia atque natura, hoc est, Deum, & Principium, & Spiritum sanctum, in una natura Deitatis Trinitatem personarum. Quia sicut homo derelinquendo patrem, & matrem, & adhærendo uxori, cum sint duæ personæ, jam non sunt duæ, sed una vocatur caro: & sicut multorum animæ in dilectione Dei unum est cor, & una efficitur anima: ita Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, opifex unius totius conditæ creaturæ, unius glomeratio caritatis, unius ambitus dilectionis coæterna substantia. Ipse quoque Pater per semet ipsum descendit ad turrem, quam ædificabant filii Adam: & dixit Filio, & Spiritui sancto: *Venite descendamus, & confundamus ibi linguas eorum*. Per semet ipsum quoque veniens, de judicio Sodomorum Loth eripuit. Per semetipsum etiam in monte Sina descendens, Moysi legem dedit. Nam si intelligere vultis personas, quomodo sit unus Deus Trinitas, cognoscite comparative, lapidem, & ignem qui in eo est, & frigore in lapide manente unam esse substantiam. Attendite hujus lapidis comparationem, indivisam personarum Trinitatem: et si prævaletis, considerate de ineffabili divinitate: & videte unius Deitatis invisibilem Trinitatem. Et sicut alia est persona frigoris manentis in lapide, atque alia ignis manentis in parente: & tamen procedens non desinit esse cum generante: ita Filii persona alia est, & non desinit in una substantia Deitatis esse cum Patre. Et sicut lapis præcedit ignem illum in se manentem in visione, ita Pater præcedit Filium, non tempore, sed origine. Ipse quoque Dei Filius, cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, Deitatem invisibilem exinaniens, apparuit subjectæ creaturæ specie cum Patre, & Spiritu sancto Abrahæ in ipso fervore diei. Quia sicut absentia lucis tenebræ sunt: & absentia tenebræ lux esse creditur, tertium inter utrosque non obsistit: sic in uno Verbo Dei, id est, unico Filio ejus, fortitudinem, & honorem, & gloriam esse credimus. Et sicut Spiritus pars animæ est, per quam imagines rerum corporalium imprimuntur: sicut mens pars ejusdem animæ est, per quam omnis ratio, intelligentiaque percipitur: sicut memoria, quæ meditari memoratur: sic in Verbo Dei pro suis officiis diversa meruerunt vocabula, quæ nequaquam dividuntur in substantiam. Quem sacra scriptura testatur pro salute humani generis, Deitate exinanita, hominem factum, circumcisum, baptizatum, flagellatum, crucifixum, mortuum, sepultum, servum, captivum, peregrinum, leprosum, despectum, & quod est deterius, non solum ab angelis, sed etiam ab hominibus minoratum, vermem esse dictum, ex persona scriptura ejus dicente: *Ego sum vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abjectio plebis*. Cujus gloriam secuudum divinitatem, stupent cælestia, & magnitudinem contremiscunt terrena. Et qui dicit gloriam meam alteri non dabo, Homo [1] interior in una, eademque Dei, & hominis persona adglomeratus, atque carnis vestimento indutus. Quia non per illum, qui natus est de virgine visibilia condidit: sed per illum, qui non est adoptione, sed genere: neque gratia, sed natura.


XLI. ,, Et per istum Dei simul, & hominis filium, adoptivum humanitate, & nequaquam adoptivum divinitate, mundum redemit. Qui est Deus inter Deos: qui utrum comedisset, an bibisset, ei cognitum manet, cui nonnulla actionis suæ mysteria nescire [2] voluit. Quia si *conformes sunt* omnes sancti huic Filio Dei secundum gratiam, profecto & cum adoptivo adoptivi, & cum advocato advocati, & cum Christo christi, & cum parvulo parvuli, & cum servo servi. Credo etiam inter ipsa Sancti Spiritus charismata gratiarum, Spiritum Sanctum esse adoptivum, *in quo clamamus, Abba Pater*: in quo Spiritu non nego hominem Christum esse adoptivum. Credimus enim quia in resurrectione similes ei erimus, non divinitate, sed carnis humanitate, videlicet carnis assumtione, quam accepit de virgine.

XLII. Ecce duos Symbolos nimis inter se contrarios, & valde sibi dissimiles. Et hi duo, qui ex his divisis, ecclesiam Christi tractare. Et secundum quod Joannes Apostolus in sua nos epistola instigavit, dicens: *Carissimi, nolite omni Spiritui credere: sed probate spiritus, si ex Deo sint. Quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in hunc mundum. Et ex hoc cognoscitur Spiritus Dei. Omnis spiritus qui confitetur, Jesum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est.* [a] *Et hic est illius antichristi, quem audistis, quoniam venit: & nunc jam in mundo est.* Quid est solvere Jesum, nisi seorsum Deum, & seorsum hominem prædicare? Ipse sine dubio solvit Jesum, qui prædicat populo, dicens: Numquid per illum, qui natus est de Virgine, per ipsum visibilia, & invisibilia condidit, an per illum, qui non est adoptione sed genere, nec gratia sed natura, cuncta creavit? Et ideo absque dubio per illum, quem sibi coæqualem, & sine adoptione genuit, cuncta creavit. Et per ipsum Dei simul, & hominis filium Verbum carnem factum, adoptivum humanitate, & nequaquam adoptivum divinitate, mundum redemit. Videte Spiritum, qui solvit Jesum. Aperite oculos: aperta materia est. Spiritus erroris hoc dictavit. Illius antichristi spiritus in hoc inspiravit. Si certe mentio, qui discordant Symboli, qui discordant epistolæ? Legite epistolam Joannis, hoc non dicit. Sed quid dicit? *Antichristus est, qui Jesum solvit. Spiritus erroris est, qui negavit Jesum in carne venisse.* Apostolus clamat aperte, & dicit: *Nos vidimus, & testificamur, quoniam Pater misit filium suum salvatorem mundi. Quisquis confessus fuerit, quoniam Jesus est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo.* Et adhuc dubitamus credere? Et adhuc dubitamus confiteri? Apostolus dicit: *Qui negat, quod Jesus est filius Dei, negat eum in carne venisse*: & ipse est antichristus.

a I. Joan. IV. 3.

1. Inter nos.

2. Noluit.



ELIPANDUS DICIT.

XLIII. „ Qui non fuerit confessus Jesum Christum adoptivum humanitate, & nequaquam adoptivum divinitate, & hæreticus est, & exterminetur. *Auferte malum de terra vestra*. Non me interrogant: sed docere quærunt, quia servi sunt antichristi. Hanc epistolam domini [1] Ascarici episcopi ideo fraternitati tuæ direxi, carissime Fidelis, ut cognoscas, quanta in Christi servis regnet humilitas. Quanta in antichristi discipulis regnet superbia.

„ Cum dominus Ascaricus mihi non docentis B imperio, sed interrogantis voto ea scribere voluit, sicut illum vera humilitas docuit. Isti vero, modo & contraria dicendo, modo, & quasi ignorantem me, quid rectum sit, noluerunt interrogare: sed docere. Unde Deus novit, quia licet proterve scripsissent: nam si vera dixissent, gratus obedire debui, reminiscendo quod scriptum est: Si juniori revelatum fuerit, senior tacet. Et iterum: [2] *Proximus ille Deo est, qui scit ratione tacere*. Nam numquam est auditum, ut Libanenses Toletanos docuissent. Notum est plebi universæ, hanc sedem sanctis doctrinis ab ipso exordio fidei claruisse: & numquam schimaticum aliquid emanasse. Et nunc una ovis morbida, C doctor nobis appetis esse. Et tamen nolui ea ad aures ceterorum fratrum nostrorum perducere, antequam illic, ubi exortum est hujuscemodi malum, sit radicitus amputatum. Quia ignominia erit mihi, si [3] in traditione Toletana hoc malum fuerit auditum; ut quod ego, & ceteri fratres mei in Ispalitanis tanto tempore dijudicavimus, & Deo auxiliante, tam in festis paschalium, quam in ceteris erroribus [4] Migetianorum hæresim emendavimus. Nunc illi e contrario inveniunt, unde nos arguant. Et tamen si tepide fuerit actum, & non fuerit à vobis emendatum: tunc illud ad notionem reducam fratrum, & erit vobis ignominiosum, si ab illis in vobis D reprehensum fuerit.

XLIV. „ Adolescentiam sane fratris nostri Eterii lacte adhuc alitam, & nondum ad robur perfectæ intelligentiæ perductam, vestra fraternitas erudiat: quia non cum magistris optimis, sed cum ignaris, & schismaticis, videlicet Felice, & Beato, [5] Atiphrasio, æquales in virtute, & pares in errore, habuit collationem. Bonosus, & Beatus pari errore condemnati sunt. Ille credidit de matre adoptivum, & non de Patre ante sæcula proprie genitum, & non de matre temporaliter adoptivum. Cui similem existimabo illum, nisi Fausto Manichæo? Faustus condemnavit pa- E triarchas, & prophetas: iste condemnat doctores priscos, & modernos. Obsecro, ut calore fidei accensi tanta sitis intentione præcalidi, ut errorem prædictum de medio vestri auferatis: ut sicut per servos suos Dominus de finibus Bæticæ eradicavit hæresem Migetianiam, ita per vos de finibus Asturiensium funditus evellat hæresim Bea- A tianam. Sed quia audivi, quod præcursor antichristi in medio vestri apparuit, qui illum jam natum annunciat: quæso, ut perquiras ab eo, ubi, aut quomodo, aut quando natus est spiritus ille mendax prophetarum, qui in eo loquitur, & nos solicitos redde. „


XLV. Hæc epistola tua est. Hæc verba tua sunt. Hæc fides tua est. Hæc doctrina tua est. Hæc sapientia tua est. Et ad ipsa nos inclinare jubes. Et quia non inclinamus, clamas, quia hæretici sumus, & præcursores Antichristi. Et ipse spiritus mendax, qui *in ore Achab prophetarum ingressus est*, ipse loquitur in nobis. Et dicas Fideli tuo; Perquire, ubi est natus: & nos solicitos redde. Hæc injuria non nostra, sed ipsius, quem adoramus. Et tamen si recte credimus filium Dei, sicut veritatem sine dubitatione credimus, illius injuria est, cum nostra est. Et cum illius injuria est, nostra est: quia caput, & corpus una persona est. Neque enim cum pes premitur, caput glorificatur.

XLVI. Denique jam caput ad cælos ascenderat, quando Saulus discipulos Christi trucidabat. Et dictum est ei: *Saule Saule, quid me persequeris?* Non dixit quid persequeris servos meos: sed *quid me persequeris?* Petrus quoque Apostolorum primus compatiens discipulis lacrymantibus; ut eos non relinqueret: sed abscederet a civitate: sed fugeret ante Neronem, victus fletibus discipulorum, cessit & promisit se urbem egressurum. [6] Proxima nocte salutatis fratribus, & celebrata oratione, proficisci solus cœpit. Ubi ventum est ad portam, videt sibi Christum occurrere. Et adorans eum dixit: *Domine, quo venis?* Dicit ei Christus: *Iterum venio crucifigi*. Intellexit de sua dictum passione, quod in eo Christus passurus videretur, qui patitur in singulis. Non utique corporis dolore, sed quadam misericordiæ compassione, aut gloriæ celebritate. Et conversus statim Petrus in civitatem rediit: comprehensusque a persecutoribus, cruci adjudicatur. Paullus ipse vas electionis discipulis narrat: *Quotidie compleo ea, quæ desunt passioni Christi in carne mea*. Et quia duo genera sunt martyrii, id est, passio, & compassio; passus est Dominus in Petro & Jacobo, compassus est in Joanne. Deque Jacobo, & Joanne dixit: *Potestis calicem bibere, quem ego bibiturus sum? Responderunt, Possumus. Dicit eis Jesus: Calicem meum bibetis:* & utique cum *calix* in scripturis legitur, *passio* nominatur. Omnis enim servus Dei, qui rectam fidem habet, quia *justus ex fide vivit*; & omnem hominem, sicut semetipsum diligit, calicem Christi bibit. Non est aperte sanguinis effusio, aut corporis passio: sed animi compassio. Quia uterque unus Christi bibitur calix, ut Salomon in Cantico Canticorum ait: [a] *Fortis est dilectio, sicut mors*. Sicut enim qui moritur, jam ultra istum non videt mundum: ita & qui omnem hominem diligit sicut se, non potest videre hunc mundum, id est, amatores mundi. Et iste potest dicere cum Paullo Apostolo: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* Quia ubicumque tribulatio, aut hæresis surrexit in Ecclesia, confestim tribulabatur;

a Cant. VIII. 6.

1. Ascaricus fuit Braccarensis episcopus, cujus Epistola ad Elipandum legitur in Martyrologio Hispanico tom. I. pag. 187.
2. Est Catonis.
3. Forte *intra ditionem Toletanam*.
4. Dissidebant illi a ceteris circa celebrationem Paschatis. Ideoque damnati a Concilio Hispalensi, cui præfuit Elipandus Toletanus præsul.
5. Antiphrasio; quia dicebat Elipandus Beatum hoc nomine per antiphrasim appellari; ut liquet etiam ex epistola Caroli Magni ad Elipandum. Stevv.
6. Idem refert Ambrosius in Auxent. de Basil. non trad Hegisip. lib. III. cap. 2. Greg. in Psalm. 4. Pœnit. Baron Card. ad annum Christi 69. Annal. Eccles.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 785.



statim compatiebatur in singulis, sicut Christus, qui patitur in singulis: non utique corporis dolore, sed animi compassione. Quæ passio, & compassio una est passio: quia unus est calix, qui bibitur: & una persona est caput & corpus, qui patitur. Qui dicit se recte credere in Christo, & membra ejus non recipit, quomodo Christum recte credat, non video. Totum enim Christum non diligit, qui hominem odit. Et omnis, qui odit fratrem suum, Cain est, fratricida est, homicida est. Et talis homicida non habet Christum, qui est vita æterna. Non habet Christum, quia non imitatur Christum: imitaretur, si omnem hominem sicut semet ipsum diligeret. Et non solum amicos, sed etiam inimicos. Amicos diligere in Deum, & inimicos propter Deum. Non enim Christus pro amicis, sed pro inimicis mortuus est. In tantum dilexit inimicos, ut se morti traderet pro eis. Quod si non faceret, nullus inveniretur, qui eum laudaret. Sed cum inimici essemus, *pro nobis mortuus est, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus*. Joannes Apostolus dicit: *Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam in se manentem. In hoc cognoscimus caritatem Dei, quia pro nobis animam suam posuit: Et nos debemus pro fratribus animas ponere*. Hoc totum quare diximus? nisi quid esset ecclesia, firmaremus? Et cum ecclesia cognoscitur, cognoscitur & Christus, qui caput ecclesiæ est. Et ubi ecclesia Christi est, pax est: quia pax nostra est *Christus*, qui se & nos *fecit utraque unum*.

XLVII. Proinde dilectionem prædicamus, & cum nemine scandalum habere volumus, secundum Prophetæ dictum: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum*. Tu ergo, qui habes scandalum contra nos, dic quare? Heic Dominus in Evangelio ait: * *Non desinent, ut veniant scandala: væ homini illi, per quem venit*. Perquiramus principium hujus scandali, unde surrexit: & secundum Domini dictum, *væ illi erit, per quem venit*. Scripsisti novam doctrinam; & illa, quæ per totum mundum omnium baptizatorum voce depromitur, dimisisti. Et nos incogniti de tua doctrina noluimus ea recipere, & illa dimittere, quæ per totum mundum tenet ecclesia. Ecce scandalum unde venit in ecclesia. *Væ illi per quem venit*. Nam nostra fides symbolum est, & in hoc stat ecclesia catholica per universum orbem terrarum constituta; quæ diffusa esse creditur, non divisa. Tu vero novum symbolum compofuisti, qui in scripturis sacris inventus non est; & direxisti in nostra ecclesia, ut credamus Trinitatem personarum Patris, & Filii, in una natura idem. Et hoc Sabellius dixit. Quia verbo tantum Patrem, & Filium in uno Deo, & Spiritum Sanctum dicebat: & tamen confundebat personas, ut unam eos esse personam diceret. Sicut unus homo natura est, & in eo imago Trinitatis, id est, memoria, intelligentia, & voluntas, quæ tria in una natura sunt, & in una persona sunt, & in uno homine sunt: & ipsa tria homo non est. Hoc dixi de Trinitate in uno Deo, ut credamus Trinitatem personarum Patris, & Filii, & Spiritus Sancti in una natura, id est, in uno Deo. Et quia unus homo imago Trinitatis in anima est, idem in memoria, intelligentia, & voluntate. Et ipsa tria in una persona hominis: & ipsa homo non sunt: sed hoc totum una persona est: sic nos cogis intelligere, & credere; ut dicamus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum in uno Deo, in una natura, & non sint ipsa tria Deus: sicut nec illa tria sint homo, quæ supra diximus. Quod si verum non dicimus, tractent spirituales viri, & aliud credimus invenire non possunt, qui libros de Trinitate legunt. Sed quia grandis materia est, & sigillatim discutienda sunt, ea proferre debemus, unde scandalum ortum est, pro quo schismatici hæretici a te nomen habemus.

XLVIII. Jam diximus tuam Trinitatem, quam nos non recipimus; dicamus & tuum Christum, quem talem esse non credimus. Dicitis enim: *Numquid per illum, qui natus est de virgine, per ipsum visibilia & invisibilia condidit; an per illum, qui non est adoptione sed genere nec gratia sed a natura, cuncta creavit? Et ideo absque dubio per illum, quem sibi coæqualem, & sine adoptione genuit, multa creavit. Et per istum Dei simul, & hominis filium Verbum carnem factum adoptivum humanitate, & nequaquam adoptivum divinitate, mundum redemit.*

XLIX. Ecce tuam fidem de Christo. Et hanc non recipimus, quia nec talem fidem habemus, nec talem doctrinam ab Apostolis accepimus: nec in Lege, & Evangelio tale umquam legimus, sed neque in libris doctorum, aut manualibus: sed tantum in tuis dogmatibus. Et ob hoc a te antichristi discipuli nomen habemus. Ecce unde surrexit inter nos scandalum. Cetera multa dixisti, quæ supra in symbolo tuo comprehendimus; sed modo discutienda non sunt, quia nec valemus: sed si Deus voluerit, & vixerimus discutienda, & abjicienda sunt ab ecclesia; quod absit, per illa Christianum nomen careamus; & jam non Christiani, sed Elipandiani nomen habebimus. Cujus fidem qui secutus fuerit, ejus vocabulum sumit: sicut Ariani ab Ario: Sabelliani a Sabellio, & ceteri ex nomine auctorum suorum. Et ideo unus Christus nobis sufficit filius virginis, qui nomen habet Jesus. Illos tuos, qui dicis istum & illum, necesse non habemus, quia nec nomina illorum a te scripta cognovimus. Istum, & illum dixisti, Jesum vero nominare non potuisti: quia nec eum in corde habuisti. Quod si habuisses, cum Paullo apostolo dicere potueras: *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus*? Et alio loco dicit, quod *nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto*. Siquidem & in suis epistolis non est ausus tecum dicere, e Deitate exinanita, *Et nos adoptivi, & ille adoptivus; & nos christi, & ille Christus; & nos parvuli, & ille parvulus*: & cetera spurcicia, quæ tu Jesu Christo Domino nostro ausus es dicere, servum cum servis: sed sua epistola ad Romanos sic habet: *Paullus, servus Jesu Christi, vocatus apostolus, segregatus in Evangelio Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo, qui factus est ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri; per quem accepimus gratiam, & apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus, in quibus & estis vos vocati Jesu Christi; omnibus sanctis, qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis sanctis: gratia vobis, & pax a Deo patre nostro, & Domino Jesu Christo. Primum quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis: quia fides vestra annunciatur in universo mundo. Testis enim est mihi*

* Matth. XVIII. 7.

Deus, cui servio in spiritu meo in Evangelio filii ejus. Cujus servum se dixit Paullus apostolus? aut in cujus Filii Evangelio serviebat? Aperite oculos, & videte venenum. Projicite cito foras, ne moriamini ex eo. Legite totas epistolas Paulli, & invenietis *servum Jesu Christi* se nuncupantem, & Filium Dei coram omnibus confitentem. Nam non invenietis ibi istum & illum, adoptivum humanitate & nequaquam adoptivum divinitate. Legite septem canonicas; Petri apostoli duas, Joannis apostoli tres, Judæ vel Jacobi singulas; hoc non invenietur scriptum. Legite librum Evangeliorum quatuor, & Apocalypsim Joannis, atque Actus Apostolorum, & hoc ibi non invenietis: sed *servus Jesu Christi* nominantes; & illum *Dei filium Deum verum* constituentes. Legite libros omnium doctorum usque ad libros manuales, & invenietis quod nemo talia scripsit, quia nec talia credidit. Quod si certa talia inveneritis scripta, qualia nuper scripta est ab Elipando Toletanæ sedis episcopo, tunc credite ei, quod hæretici sumus, & antichristi discipuli, & projiciat nos a terra vestra: &, secundum illius præceptum, *auferte malum de medio vestri*. Si certe nos dicimus veritatem, ille mendacium dicit; quia non habemus unam fidem: & fides [1] versa non facit caritatem unam: & ob hoc divisa est in duas partes ecclesia. Et jam in scripturarum præcincti arma unusquisque fidei suæ, publice surreximus ad pugnam. Et quia tres reges contra unum surrexerunt, non timeamus. Fortes estote; *Plures enim sunt nobiscum, quam cum illis.*

L. Nobiscum est David ille manu fortis, qui parvo lapide Goliam blasphemum, qui exprobrabat exercitum Dei Israel, in fronte percussit, & uno ictu prostravit. Nobiscum est Moyses, qui Pharaonem cum suo exercitu in rubro mari demersit: & populum suum sicco pede transire fecit. Nobiscum est Josue, qui quinque reges in una spelunca conclusit, qui antea Amalec vicit. Nobiscum est pater Abraham cum trecentis vernaculis, qui quinque reges superavit, & spoliis exuit: nam isti tantum tres reges sunt. Nobiscum est virorum fortissimus Gedeon, & trecenti electi cum eo, cum quibus *percussit Madiam, quasi unum virum*. Nobiscum est Samson leone fortior, saxo durior, qui solus sine armis mille prostravit armatos. Nobiscum sunt duodecim Patriarchæ. Nobiscum sunt sedecim Prophetæ, Apostoli, & Evangelistæ. Nobiscum sunt omnes Martyres, & Doctores. Nobiscum est Jesus filius Virginis, cum omni ecclesia suo proprio sanguine comparata, & per universum orbem terrarum dilatata. Ista tantum hostis in uno angulo tenetur coarctata. *State* ergo secundum Apostolum, *succincti lumbos vestros in veritate: & induti lorica justitiæ, & calciati pedes in præparationem Evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignita exstinguere, & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Dicamus cum sanctissimo David propheta: *Adjutorium nostrum a Domino, qui fecit cælum, & terram.* Donavit certantibus victoriam, qui certandi dedit audaciam. Non nos hostium turba, non bellantium revocet forma, non quasi fulgentia vitrea arma terreant. *Hi in curribus, & hi in equis; nos autem in nomine Dei nostri magnificabimur.* Non timeamus. Non sunt bellatores. Negotiatores sæculi sunt. Suum negotium portant, non nostrum, sua quærunt, non quæ

A Jesu Christi. Aurum se dicunt, & argentum portare: sed mixtum est, adulteratum est, falsum est. Veniant trapezitæ, & videant, quia mendacium est. Nemo ex his accipiat, nemo emat: ne postmodum pœniteat. Vinum nobis porrigunt, nemo accipiat, nemo bibat: mixtum est aqua. Et hoc, quod videtis, plus aqua, quam vinum est.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 785.


LI. Jam & hoc aliquando factum est tempore Jeremiæ. Erant pseudoprophetæ, hoc est, hæretici, qui falsa, & adultera verba populo prædicabant, & dicebant: *Hæc dicit Dominus.* Quos Dominus omnino non miserat. Unde & per Esaiam caupones eos teterrimos appellabat, dicens: [a] *Caupones tui miscent vinum aquæ*, eo quod sapienti, & sincero mero, id est, verbo Dei, insipidum, & aquatum, id est, terrenam, & humanam doctrinam, quasi aquam miscentes vino, populo intimabant. Ideo caupones aquam vino miscentes audire meruerunt. Et quamquam vinum nominetur hoc loco, tamen bonum est: quia doctrina prophetarum, & apostolorum est. Sed quia mixta est, id est, hæreticæ pravitatis infecta: hæc aqua non de vero fonte est, id est, non de Christi doctrina: sed de hæreticorum collecta lacuna, & de mundi opinione falsa scientia. Obscura verba, quæ a paucis intelligantur, qualiter possint, quo pacto vero dogmati mixta sapientia colorari. Quæ nos Spiritu sancto docente, illum spiritum erroris, qui sibi ista confingit, pro quo possit nomen doctis assumi: & suam doctrinam mixta cum ecclesiæ doctrina copulari. Quam aquam Moyses vertit in sanguinem: quæ est prima plaga Ægypti. Et licet illa in Ægypto corporaliter gesta sint, spiritualiter tamen nunc geruntur in nobis. Ægyptus namque sæculi forma est: in cujus prima plaga aquæ vertuntur in sanguinem. Et omnes hæretici philosophi sunt: quia rusticus hæreticus dici non potest, ob inde aquæ Ægypti erunt, id est, hæreticorum lubrica & obscura philosophantes doctrina. Quæ merito in sanguinem vertuntur: quia scripturas sanctas carnaliter sentiunt. Sed mox ubi crux Christi fuerit, his veritatis lumen ostendit, & eos acrius redarguit: ut ex qualitate personarum proprios agnoscant errores. Et tunc probatur, quæ est Spiritus Dei, & quæ erroris.

LII. De quo Spiritu erroris in Apocalypsi dicitur: [b] *Et vidi ex ore draconis, & ex ore bestiæ, & ex ore pseudoprophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum.* Draco quis alius, nisi diabolus est? Bestia a vastando nomen accepit, quia non herbas mandit, sed sanguinem effundit, & carnem lacerat, unde vivit. Hæc bestia, quid aliud nisi homo est, qui hominem [2] premit. Pseudo autem propheta hæreticus est. Tres spiritus se vidisse testatur, sed unus spiritus est. Quia sicut homo adhærens Deo, fit unus spiritus; homo malus adhærendo hæretico fit unus spiritus cum diabolo: sicut & ipse diabolus de semetipso ait: *Sedebo in monte testamenti, & in lateribus aquilonis.* Montem testamenti diabolus præsidet, cum corda hæreticorum tenet. Latera hujus montis sunt omnes, qui eis consentiunt, & eorum defensores assistunt. Hi spiritus verba ipsorum sunt: quia quod diabolus eis inspirat, hoc loquuntur: quem spiritus dicit esse quasi ranæ. Rana, est loquacissima vanitas. Nihil enim cibo aptum est animal istud, quoniam immundum est. Nihil aliud animal istud utile est, nisi quod sonum vocis, improbis & importunis clamoribus

a Isa. I. 22. b Apoc. xvi. 13.

1. Diversa. 2. Forte perim[...]

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 785.



reddit: Nam in lacunis, & cœno, atque collectionibus aquarum sordibus volutantur. Sic hæretici, non in aqua limpidissima, aqua viva, quæ *de fontibus Salvatoris*, id est, doctrina apostolorum est; sed in ipso populo ignaro, & lubrico indignis clamoribus, quasi ranæ e cœno voces emittunt: qui inani quadam, & inflata modulatione superbiæ, velut ranarum sonis, & cantibus novis deceptionis fabulas scribunt.

LIII. Sic aurum, & argentum purum simulantes, nos inludere quærunt in negocio, quo & istud æramento, & stannum miscuerunt. Nos tamen efficiamur, secundum præceptum Domini, probabiles trapezitæ; quia peritiæ disciplina est, probare quid sit aurum purissimum, quod vulgo dicitur obrizum, vel quid sit minus purgatione ignis [1] terreo, vilique denario. Si pretiosum nomisma fulgore auri fulgentis mutetur, prudentissima discretione providendum est, ne decipiamur: & non solum consideremus, si aurum purum est; sed etiam acute cernentes, cujus imagine sculptum habet: si veri regis, si latronis. Nam latro, quia aurum furatur, hoc publice negociare non præsumit: sed denuo in conflatorium mittit: & vultum imperatoris, atque imaginem sub falsitate exprimit. Et hoc debemus sapienter agnoscere; & illa, quæ sit veri regis moneta, an falsi negotiatoris non legitime figurata, prudentia velociori discernere, & dum viderimus, quod purum aurum est, & absque mixtura, & veri regis imaginem habet, adhuc dubitandum est, & comparandum non est, nisi trutinæ imponatur. Ne forte minus de pondere habeat, diligenter inquiratur.

LIV. Quæ omnia nos quoque spiritualiter observare debere, evangelicus sermo sub hujus nomine demonstrat exemplo. Primum, ut quidquid in cordibus nostris irrepserit, vel quidquid novæ doctrinæ fuerit intromissum, probare debemus, (spiritum) utrum sit divino illo & cælesti Spiritus sancti igne purgatum, an spiritu erroris irreptum, quod de hæretica pravitate veniens; seu de sæculari philosophiæ tumore descendens sub nomine sanctitatis hypocrisin præferens in superficie tantum ostendat pietatem, diligentissime perscrutari debemus. Quod ita poterimus implere, si illud apostolicum fecerimus: *Nolite omni spiritui credere: sed probate spiritus, si ex Deo sunt*. Quo genere illi quoque decepti sunt, qui se Deo servire promiserunt: & post professionem monachi, nitore sermonis, & quibusdam sunt philosophorum dogmatibus infecti: & per hoc ascendentes ad primas cathedras, ut publice ab hominibus ignaris viderentur esse magistri, sacerdotium sunt adepti. Qui in prima fronte ordinis humilitatem, & sanctitatem simulantes, piis quibusdam [2] hac religio mentis consone suadentes, velut auri fulgori fallentia, quos semel in superficie simulationis inlexerunt, velut numismatibus æreis falsis, & mendacibus deceptos, nudos ac miseros in perpetuum reddiderunt, vel ad sæculi eos strepitum revocantes, vel ad hæreticos errores hac præsumtione tumidos pertrahentes. Quod etiam Acham in libro Jesu Nave fuisse perpessum, qui de Iherico linguam auream concupiscens, pro quo, irascente Domino, multi perierunt manu hostili ex populo: atque postea ille pro furato anathemate ab omni populo lapidari meruit, & a Domino æterna morte damnari. Hoc significavit, qui in ecclesia hæreticorum inferrent dogma, vel superstitiosa sæcularium litterarum studia. Hæc est enim [a] *lingua aurea* in loculento sermone aptata. Hanc fraudati sunt Arius, Sabellius, Bonosius, Marcio, Basilides, Elipandus Toletanæ sedis archiepiscopus. Furati sunt enim isti regulas aureas de Iherico, id est, de schola sæculari, & philosophorum sectam non rectam Ecclesiam conati sunt introducere, & maculare omnem Ecclesiam Domini ita, ut disperderentur multi per eos. Ideoque abjecti anathemate, quasi acervo lapidum, id est, multitudine peccatorum oppressi, atque exstincti sunt, sicut Acham acervo lapidum oppressus ab Israel exstinctus est. Cujus errore peremto, rex Hay, hoc est, diabolus, qui per illorum impietatem fidelium quosdam abjecerat, iterum superatus devincitur, atque a populo Dei suspensus ligni crucis virtute occiditur.

LV. Primum diximus de auro mixto, id est, hæreticorum mixta doctrina, & puro auro de Iherico furato, hoc est, hæreticos de mundi philosophia eruditos in sacerdotio electos. Nunc secundo sollicite nos investigare conveniat, ne auro purissimo scripturarum prava intentio coaptata metalli pretiositate nos fallat. In quo etiam Domino salvatori astutissimus diabolus, velut homini puro & simplici tentavit imponere, æstimans eum unum esse de ceteris sanctis. Et illa, quæ generaliter sunt super omnium justorum intelligenda personis, malivola interpretatione corumpens, specialiter Domino Jesu Christo, qui angelorum custodia non egebat, conatur aptare, dicens: *Quoniam angelis suis mandavit de te, ut in manibus tollant te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*. Pretiosa scilicet eloquia scripturarum callida assumtione convertens, & Christum filium unum ex ceteris hominibus existimat, quem hominem videt: & ea quæ pro sanctis intelligenda sunt, ad contrarium sensum noxiumque detorquens, ut imaginem tyrannici vultus sub colore auri fallentis nobis objiciat. Nullus ergo Christo comparetur, quamvis sanctitate præfulgeat, cum audit quod *Filius hominis* dicitur: nec illo sensu diaboli eum unum de filiis hominum æstimet, de quibus scriptum est: *Filii hominum in protectione alarum tuarum sperabunt*.

LVI. Sed multi hæretici in Ecclesia prodierunt, qui *mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Jesum*, purum hominem creatum dicerent, sed ex gratia deificatum, tantumque ei sanctitatis tribuerint, quantum de sanctis ceteris, ejus videlicet famulis, agnovissent. Quod beatus Job prophetiæ spiritu afflatus sententiæ suæ definitione redarguit, dicens: [b] *Non adæquabitur ei Topadium de Æthiopia*. Quid Æthiopia? nisi præsentem mundum accipiemus, quæ coloris nigredine designat peccatorem populum fœditate meritorum. De quo Propheta dicit: [c] *Æthiopia præveniet dare manus Dei*. Id est, priusquam Judæa credat salvandam se, offeret omnipotenti Domino se peccatis nigra gentilitas. *Topadium* vero pretiosus lapis est. (Et quia Græca lingua, *pan*, omne dicitur, pro eo, quod est omni loco resplendet, *topadium*, quasi *topazium* vocatur.) Dum vero in Deum conversa gentilitas credidit ex ea: ita multi sunt dono Spiritus locupletati, ut quia sicut multis coloribus, sic multis virtutibus luceant. Sed non acceptis quisquam virtutibus extollatur, a sancto viro nunc dicitur: *Non adæquabitur ei topadium de Æthiopia*. Ac si aperte

a Josue VII. 21. b Job XXVIII. 19. c Psalm. LXVIII. 3.

1. Æreo.

2. Forte *hortamentis consona suadentes*.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 785.

diceretur. Nullus sanctorum, quibuslibet virtutibus plenus, tamen de nigredine mundi collectus, æquari potest ei, de quo dictum est. Quia ipsa naturæ corruptibilis conditione constringimur, ut cum Propheta dicamus: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea.* Ille autem solus veraciter sanctus est, qui ut ipsam conditionem naturæ corruptibilis vinceret, ex commixtione carnalis copulæ conceptus non est. Huic se sapientiæ quasi quoddam topadion de Æthiopia æquari voluit, cum quidam hæresiarcha, dixit: *Christo* [1] *Deo facto; si volo, & ipse possum fieri.* Et ille se æquari voluit, qui simili sensu de eo dixit: *Et ille Christus, & nos christi. Et ille adoptivus, & nos adoptivi. Et ille parvulus, & nos parvuli. Et ille servus, & nos servi.* Qui Jesum Dominum nostrum, non per mysterium conceptionis; sed per profectum gratiæ Deum putavit, perversa alligatione adstruens eum purum hominem natum: sed ut Deus esset per meritum profecisse, utque ab hoc existimans & se, & quoslibet illos ei posse coæquari, qui filii Dei per gratiam fiant; non adhuc intelligens, non attendens, quod *non adæquabitur ei topadium de Æthiopia.* Aliud est enim natos homines per gratiam adoptionis accipere, aliud unam singulariter per divinitatis potentiam Deum ex ipso conceptum processisse. Neque æquari potest gloria unigeniti habita per naturam, aliis accepta per gratiam. *Mediator* quippe *Dei, atque hominum homo Christus Jesus.* Non, sicut iste hæreticus decipit, aliter in humanitate, aliter in Deitate est. Non purus homo conceptus, atque editus post meritum, ut Deus esset, accepit: sed nuntiante angelo, & adveniente Spiritu, mox Verbum in utero, mox intra uterum Verbum caro. Et manente incommutabili essentia, quæ ei est cum Patre & Spiritu sancto coæterna, assumsit intra virginea viscera, ubi & impassibilis pati, & immortalis mori, & æternus ante sæcula temporalis posset in fine sæculorum ostendi. Ut per ineffabile sacramentum conceptus, sancto partu inviolabili, secundum veritatem utriusque naturæ, eadem virgo, & ancilla Domini esset & mater. Sic quippe ei ab Elisabeth dicitur: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* Et ipsa virgo concipiens dicit: *Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum.* Et quamvis ipse aliud ex Patre, aliud ex virgine: non tamen alius ex Patre est, alius ex virgine: sed ipse est æternus ex Patre, ipse temporalis ex matre. Ipse qui fecit, ipse qui factus est. Ipse *speciosus forma præ filiis hominum* per divinitatem; & ipse est, de quo dictum est: *Vidimus eum, & non erat aspectus: & non est species ei, nec decor.* Per divinitatem ipse ante sæcula de Patre sine matre: ipse in fine sæculorum de matre sine Patre, ipse conditoris templum, ipse conditor templi. Ipse auctor operis, ipse opus auctoris: manens unus ex utraque, & in utraque natura. Nec naturarum copulatione confusus, nec naturarum distinctione geminatus.

LVII. Sed quia non hæc tractanda suscepimus, ad ea, quæ supra diximus, exponendi ordine redeamus: quod nullus ei hominum, in quo homo est, similis habeatur. Notandum nobis est quod sanctus Job, ut longe distare a Christo angelos demonstraret, dixit: [a] *Non dabitur aurum obrizum pro ea:* A id est, pro ea sapientia, quæ Christus est. Quia ut & antiquos etiam Patres sacri eloquii tractatores inferiores Christi ostenderet, adjunxit: [b] *Nec appendetur argentum in commutatione ejus;* & ut philosophorum quoque sapientiam Christo monstraret longe subesse, intulit dicens: [c] *Non conferetur tinctis Indiæ coloribus.* Atque subjunxit: *Nec lapidi Sardonycho pretiosissimo, vel Sapphiro.* Et ut in illa quoque superna civitate Jerusalem nullum pervenire ad æqualitatem unigeniti demonstraret, addidit: [d] *Nec adæquabitur ei aurum, vel vitrum.* Et ut prophetas Christo subesse ostenderet, adjunxit: [e] *Nec commutabuntur pro ea vasa auri, excelsa eminentia: nec commemorabuntur comparatione ejus.* B *Trahitur enim sapientia de occultis.*


LVIII. Ad extremum vero ut ipsos quoque in ecclesia hæreticos increparet, qui fidem, quam percipiunt, per superbiam scindunt, addidit: [f] *Non adæquabitur ei topazium de Æthiopia.* Ac si patenter insinuet, dicens: Hi, qui in peccatis concepti, & in peccatis nati ad conversionem veniunt, æquari homini Deo non possunt, quamvis multis colorum virtutibus resplendere videantur. Quorum ut superbia refutetur, apte subjungitur: [g] *Nec tincturæ mundissimæ componetur.* Tincturæ enim mundissimæ vocantur hi, qui veraciter sunt humiles, & veraciter sancti. Qui sciunt quidem, quia ex C semet ipsis virtutum speciem non habent: sed hanc ex dono gratiæ supervenientis tenent. Tincti enim non essent, si sanctitatem naturaliter habuissent. Sed mundissimæ tincturæ sunt, quia humiliter custodiunt supervenientem in se virtutum gratiam, quam acceperunt. Hinc est enim, quod sponsi voce de sancta ecclesia dicitur: [h] *Quæ est ista, quæ ascendit dealbata?* Quia enim sancta ecclesia cælestem vitam naturaliter non habet; sed superveniente spiritu pulcritudine donorum componitur, non alba, sed dealbata memoratur. Et notandum, quod superius, cum dixisset: *Non conferetur tinctis Indiæ coloribus*, eosdem colores non intulit mundos. Hoc vero in loco, ut tincturam veD racium virtutum servorum Dei ab illa hæreticorum philosophorum factione segregaret, *tincturas*, & *mundissimas* dicens. Tincturæ enim recte nominantur mundissimæ hi, qui prius per prava opera fœdi fuerunt; superveniente Spiritu nitore gratiæ vestiuntur, ut longe aliud appareant esse, quam erant. Unde etiam baptisma tinctio dicitur, id est, ipsa nostra in aquam descensio. Tingimur quippe, ut qui prius indecori eramus deformitate vitiorum, accepta fide reddamur pulcri gratia, & ornamento virtutum.

LIX. Hoc totum quare dicimus? nisi ut nemo se præsumat Christianorum Christo comparari, ut E Elipandus facit, qui dicit: *Et ille Christus, & nos christi: & ille servus, & nos servi.* Quem audit in scripturis eum hominem nominare; qui propter dispensationem redemtionis nostræ factus est Deus homo, ex sermone David secundum carnem: nullam differentiam ponit inter Deum hominem, qui est Deus essentialis super omnia, & deos nuncupativos non essentiales deos super omnia, sed tantum intra omnia. Certe dictus, *ille homo, & nos homines. Ille Deus, & nos dii. Ille filius, & non filii. Ille Christus, & nos christi. Ille servus, & nos servi. Ille parvulus,*

a Job xxviii. 15. b Ibid. c Ibid. ℣. 16. d Ibid. ℣. 17. e Ibid. ℣. 18. f Ibid. ℣. 19. g Ibid. h Cant. xv. 6.

1. Est Paulli Samosateni sententia ajentis: *Non invideo Christo Deo facto.* Consule sis Bibl. nostram tom. XII. p. 142. A.

SÆC. VIII. CIRCA ANN. CHR. 785.



& nos parvuli. Sed non secundum eamdem rationem unus ex nobis intelligendus est: quia ille singulariter dictus, & nos pluraliter. Nam cum ille in scripturis legitur, nos consequenter intelligimus ipsum esse Deum verum, & solum *ex semine David secundum carnem: qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Cum vero in scripturis Deus dicitur, singulariter dicitur, non pluraliter: sicut multi dii, aut multi domini. Quia Deus essentiale nomen est. Sed nos cum Deum legimus in scripturis, consequenter hominem intelligimus ipsum Deum esse natum de virgine, qui sub Pontio Pilato est crucifixus. Quia Deus est genitus de ingenito Patre Deo: ac per hoc segregamus eum de ceteris multis hominibus, qui dii dicuntur pluraliter, & homines pluraliter. Nam iste homo singulariter Deus est. Si nominas hominem, Deus est verus. Quemadmodum si ponas ante oculos quemlibet hominem, & nominas eum carnem, ipse tamen, & anima est. Si nominas animam, ipse vero & caro est: & ex utroque, id est anima & carne qua constat homo, una persona est: & unum illi nomen est, carnis & animæ, ut puta, Petrus. Et cum sapienter loquitur ipse, caro ejus videtur: sapientia ejus tantum auditur, non videtur. Et tamen ipsa sapientia in anima est, quæ per carnem foris auditur. Sic & Christus: caro ejus videbatur, & divinitas ejus non videbatur. Et sapientia ejus, quæ per carnem foris videbatur, de divinitatis ejus erat apparatu.

LX. Homo ex duabus substantiis una persona est, & habet nomen Petrus. Et Christus ex tribus substantiis, duabus naturis una persona est, & habet nomen Christus. Mortuus est Petrus in sola carne, non anima. Anima ascendit ad cælum, corpus Romæ quiescit in tumulo: & tamen Petrus quiescit in tumulo mortuus, & ipse Petrus in cælo cum Christo est vivus. Et sola caro mortua Petrus, & sola anima viva Petrus. Et ex utroque non duo Petri, sed unus est Petrus. Sic & Christus tres habet substantias: Una æterna, quæ cum Patre est illi æqualis, id est, immortalis, sicut Pater: incommutabilis, sicut Pater: invisibilis, sicut Pater: inlocalis, sicut Pater: impassibilis, sicut Pater. Duas vero substantias habet temporales, quæ de nostro sunt, id est, animam rationalem & carnem. De nostro habet æternus, unde temporalis est. De nostro habet Deus, unde homo est. De nostro invisibilis, unde visibilis est. De nostro inlocalis, unde localis est. De nostro immortalis, unde mortalis est. Ac per hoc agit æternus temporaliter: crescit perpetuus: videtur inlocalis: patitur impassibilis: moritur immortalis: qui totus absque mendacio unicus est Dei Patris. Quamobrem & sola caro mortua, quæ in sepulcro jacuit, Christus filius Dei est. Et sola anima, quæ ad inferna descendit, Christus filius Dei est. Et Verbum Patris, qui semper æqualis exstitit Patris, Christus filius Dei est. Hæc tria non tres Christi filii Dei sunt: sed unus Christus filius Dei est. Sicut illa duo, quæ supra diximus, non duo Petri, sed unus Petrus est: ita hæc tria unus Christus. Agit persona quæque substantia totum una persona. Naturale est illi venire in hoc mundo solus *minoratus paullo minus ab angelis.* Naturale est illi ubique esse cum Patre. Naturale est illi localis esse solus Filius. Naturale est illi invisibilis esse cum Patre. Naturale est illi invisibiliter esse solus Filius. Naturale est illi impassibilis esse cum Patre. Naturale est illi

A solus Filius subditus passioni. Naturale est illi immortalis esse cum Patre. Naturale est illi solus Filius mori. Solum Filium dico mori, quia solus Filius se exinanivit. Exinanitio ejus, adventus ejus est. Adventus ejus, humanitas ejus est: quæ humanitas caro ejus est & anima, id est, totus homo perfectus est. Et ipse homo Filius Dei, Deus est. Et solus Filius est homo, qui cum Patre, & Spiritu Sancto unus est Deus. Non cum Patre, & Spiritu Sancto unus est homo: sed cum tota ecclesia unus est homo: quia caput, & corpus una persona est Christus.

LXI. Ergo nemo dicat: *Et ille Christus, & nos*
B *christi.* Et nos unde dicimur christi, nisi a Christo? A Christo Christiani: sicut ab Heber Hebræi. Sicut a Jacob, qui dictus est Israel, Israelitæ. Sicut a Juda Judæi. Quia omnis, qui novum nomen accipit, [1] *a malo* se nomen accipit. Ut puta, *Vuitiza* rex fuit: sed multi hodie ab ipso nomen sumunt *Vuituizani*, etiam pauperes, ut per nomen agnoscatur, quod de stirpe regia est, qui & ipse rex potuerat esse, si nomen fecisset regem. Sic Christianus, non est inde christus, unde nomen sibi imponit Christianum. Quod si nomen Christianum fecisset christum, tam boni Christiani, quam etiam mali christi dicerentur. Non est Christianus, qui recte non credit Christum. Non est christus,
C id est, unctus, qui Christi non accipit Spiritum, qui doceat eum, quod Jesus est filius Dei. Non est ecclesia, ubi non est fides vera. *Justus autem ex fide vivit.* Ergo qui fidem veram non habet, non vivit, sed mortuus est: non poterit stare, quia mortuus jacet. Et qui mortuus est, Deo vivo servire non potest. Non de illis servis est, de quibus Propheta dicit: *Ecce nunc benedicite Dominum, omnes servi Domini. Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.* Ut, secundum quod ait Apostolus: *Donec,* inquit, *venimus: ut scias, quomodo dispenas domum Dei, quæ est ecclesia.*

LXII. Ecclesia non parietibus, non lapidibus
D consistit: sed dogmatum veritate. Sed quia & ipsa visibilis domus, quæ basilica dicitur, quæ latino sermone regis domus nuncupatur, non ædificatur nisi lapidibus quadratis: & lapis portando lapidem, in alto erigitur, quousque perficiatur domus: de foris ponuntur lapides majores dolati: & intus lapilli qualescumque minutissimi. Quid significant hi lapides majores, qui unus alterum portat? nisi hos, qui in una fide sectarunt, & unus alteri onera portando, crescit in altum in caritate una domus ecclesiæ. Et sic perficitur lex Christi. Lapilli vero minutissimi hi sunt, qui ab ipsis foventur fragiles, & mente parvuli. Hoc totum per fidem, & caritatem fit. Nam sine caritate fides nihil prodest.
E Nam si prodesset, ut sola fides sine caritate salvaret, poterant & dæmones salvi esse: quia secundum Jacobum: *Dæmones credunt, & contremiscunt:* sed tamen non diligunt. Qui habet caritatem & fidem, discipulus est Christi. Et qui non habet caritatem & fidem, discipulus est antichristi, & persequitur ecclesiam, id est, servos Christi. Quia unde Christum nescit, inde membra ejus non cognoscit; & semper discipulus antichristi fuit. Quia qualiter manifestaretur, occasionem prædicationis non habuit. Quia catholici, & hæretici in prædicatione manifestantur. Catholici semper catholici sunt, quia semper simplices, & recti corde sunt: & bona sua semper celare quærunt, & mala publicare: ut tales

1. Forte *a meliori se.*

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 785.

ab hominibus esse credantur intus, quales foris videntur. Sed non manifestantur in pace, nisi postquam surrexerit pugna perfidiæ, ut Propheta ait: [a] *In die mandavit Dominus misericordiam suam, & in nocte declarabit*. Dies aliquando in scripturis sacris pro prosperitate ponitur; nox vero pro tribulatione persecutionis. Tunc servi Dei declarantur per fidem, cum hæretici cœperint hæreses prædicare. Et inde Apostolus ait: *Oportet hæreses intra ecclesiam esse, ut probati manifesti fiant*. Tunc catholici manifesti probantur, cum ab eis vera fides defenditur.

LXIII. Quid est catholicus? Qui numquam fuit hæreticus. Hæreticus tamen a parva infantia, numquam fuit catholicus, quia numquam fuit purus: sed sub nomine sanctitatis erat hypocrita religiosus. Desiderabat enim coram hominibus sanctus videri, non esse. Non tunc dicebatur hæreticus; sed hypocrita, quia adhuc intus videbatur in ecclesia. Cum vero cœperit discipulis prædicare, & eos ad suam perversam fidem instruere, apparet hæreticus. Tunc folium cognoscitur, quod diu in terra cordis latuerat in semine. Et quia ut dicimus, semper hypocrita vixit, & laus humana eum pavit; cum a catholicis fuerit reprehensus, surgit in superbia, despectui habet petiisse veniam: requirit laudatores suos plusquam maxime sæculares, ut cum eis suam vindicet perversam doctrinam. Et postquam maximam turbam imperitorum deceperit, dirigit per diversas provincias epistolas suas, ut quos potuerit inopinatos primus ad suam fidem inflectere, videatur quasi cum omni ecclesia recta sentire. Qui omnes decepti, filii ejus sunt non legitimi: sed adulterino verbo eos generavit. Quod si adulterinum non fuisset, apostolus Paullus ad Corinthios non scripsisset: *Non enim sumus, sicut plurimi, adulterantes verbum Dei: sed ex sinceritate: sed (sicut) ex Deo coram Deo in Christo loquimur*. Adulter quippe in carnali coitu non accipit uxorem, unde filios habeat, sed per diversas feminas adulterando, non filios sed voluptatem quærit: ita & hæreticus, & perversus quisque [1] aquam ecclesiæ serviens, recte adulterare verbum Dei dicitur, quia per sacrum eloquium non Deo filios generare, sed suam scientiam desiderat ostendere. Cum enim libido gloriæ ad loquendum trahit, voluptati magis, quam generationi operam impendit. Adulterare namque est Verbum Dei, aut aliter de illo sentire quam est, aut non spirituales fructus, sed adulterinos quærere laudis humanæ, quia sinceriter non loquitur. Ex sinceritate vero loqui, est nihil in eloquium, quam oporteat, quærere: sed hoc tantum quod a Deo institutum est. Sicut ex Deo autem loquitur, qui scit non se a se habere, sed ex Deo accepisse, quod dicit. Coram Deo vero loquitur, qui in omne quod dicit, non humanos favores appetit, sed omnipotentis Dei præscientiam intendit; non suam, sed auctoris gloriam requirit.

LXIV. Qui autem scit quidem ex Deo se accepisse quod dicit, & tamen dicendo propriam gloriam acquirit, sicut [b] *ex Deo loquitur*, & non *coram Deo*: quia eum, quem cordi suo non proponit, cum prædicat, quasi absentem putat. Sed sancti viri & ex Deo loquuntur, & coram Deo: quia & ab eo sese sciunt habere, quod dicunt: & ipsum suis sermonibus adesse judicem, auctoremque considerant. Unde fit, ut cum se a proximis despici agnoscunt, suaque vita dicta audientium vitæ non prodesse, abscondunt quantæ virtutis sunt: ne si secretum cordis inutiliter sermo probatus aperiat, ad inanem gloriam prorumpat. Ab his nunc detrahitur ecclesia; quia non cognoscit. De quibus Dominus in Evangelio dixit: *Si me persecuti sunt, & vos persequentur*. Et alio loco: *Si in viridi hoc fiet, quid in arido?* Sed quia hoc fumus est, non adhuc ipse ignis ostenditur. Veniet tempus, quando catholicam ecclesiam non solum injustis vocibus, sed etiam crudelibus plagis persequentur. Ab adversariis namque suis duobus modis ecclesia persecutionem patitur. Scilicet aut verbis aut gladiis. Sed cum verbis persecutionem sustinet, ostenditur servorum Dei sapientia. Cum vero gladiis, ostenditur eorum patientia. Sed verborum persecutiones ab hæreticis nunc etiam quotidie toleramus, cum ipsi hæretici nobis subdola, & falsa humilitate blandiuntur. Persecutiones vero gladiorum juxta finem mundi secuturæ sunt. Grana cælestibus horreis recondenda tanto verius a peccatorum paleis exuuntur, quanto arctius affliguntur. Tunc cælestes omnes, qui in illa fuerint tribulatione comprehensi, recordabuntur justum tempus, in quo nunc ecclesia fidei pacem tenet: & superba hæreticorum colla calcat, non potentatu culminis, sed jugo rationis.

LXV. Hæreticus tamen scripturarum non facit rationem: sed cum potentibus sæculi ecclesiam vincere quærit. Sed veritas fatigari potest, vinci non potest. In mentem habebunt servi Dei tunc in illo igne persecutionis antichristi, qui nunc in fumo ipsius ignis, quod sunt hæretici, in fide Patrum fuerint plantati. De quo fumo, & igne in Apocalypsi dicitur: [c] *Et quintus Angelus tuba cecinit. Et vidi stellam de cælo cecidisse in terram, & data est ei clavis putei abyssi. Et aperuit puteum abyssi. Et ascendit fumus de puteo: quasi fumus magnæ fornacis, & obscuratus est sol, & aer de fumo putei. Et ex fumo putei exierunt locustæ in terram: & data est eis potestas, sicut habent potestatem scorpii terræ*. Stellam, quam dicit de cælo cecidisse in terram, prædicatores sunt hæretici, qui exeunt de ecclesia. Cælum hoc loco ecclesia dicitur. Et quia hypocritæ erunt & sanctitatem simulabunt, *stella* nominantur. Et quia inter se in prædicatione unum sensum habere non possunt, sed omnes contra unam ecclesiam Dei conspirant, una stella dicitur, quæ multæ sunt. De quibus stellis per Job dicitur: *Obscurentur stellæ caligine ejus*. Id est hæretici, qui erunt hypocritæ; & ante humanos oculos quasi bonis operibus splendent, malitia antiqui hostis obscura prævaleat: & hoc, quod ante humana judicia fulgebat, lumen laudis deponant. Caligine quippe noctis obscurantur, cum eorum prava doctrina aperto errore confunditur: ut sine dubio tales etiam foris in actione appareant, quales apud semet ipsos intus divino parere judicio non formidant.

LXVI. *Et data est ei clavis putei abyssi*. Abyssum dicimus puteum, ubi solis lumen non spargitur. Abyssus est secreta cordis eorum, ut quidquid intus lateat minime cognoscatur, nisi per januam linguæ manifestetur, ut ab omnibus catholicis cognoscatur. Clavis putei abyssi, est ipsa manifestatio. *Et aperuit puteum abyssi*, id est, manifestavit cor suum, & sine ulla verecundia contra ecclesiam

a Psalm. XLI. 9. b II. Cor. II. 17. c Apoc. IX. 1. 2. 3.

1. *Forte at vanæ gloriæ serviens.*

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 785.

in superbiam surgit, & prædicationem ecclesiæ contemnit, & obscurat ita, ut dicatur: Non est sic, sicut isti dicunt, sed sicut nos. *Et obscuratus est sol, & aer de fumo putei*. Sol & aer ecclesia est, de qua dictum est: *Electa, ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata*. Obscuratur sol de fumo putei, quando hi, qui de ecclesia recedunt, hæreticos defendunt. *Sicut fumus*, inquit, *magnæ fornacis*. Fumus enim ignem præit. Et quid est ignis, nisi homo peccati, filius perditionis, antichristus? Et quid fumus, nisi hi ministri hæretici? Quia antequam ignis appareat, fumus tenebrarum ejus mentes infirmorum hominum cæcat. Sed nunc ex ipso fumo jam aperte foris aliquid videmus exire, cum dixit: *Et ex fumo putei exierunt locustæ in terra*. Locustæ quid sunt, nisi multitudo populi? Ipsi dicuntur locustæ, ipsi & terra. Locustæ pro mobilitate levitatis accipiendæ sunt, tamquam vagæ, & salientes animæ in hujus sæculi voluptates. *In terram exierunt*, quia terrena sapiunt, non cælestia. Semper enim hæretici sæculi securitatem promittunt, & inde terrena sapiunt. Ecclesia vero nulli securitatem promittit, cui caput viam amaritudinis ostendit, qui præcessit. Proinde cælum dicitur, quia cælestia sapit, non quæ terrena sunt, secundum Apostolum, qui dicit: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*. Non sicut peccatori dictum est: *Terra es, & in terram ibis*. Quod cælum ecclesia est, Propheta attestante, qui ait: *In æternum Domine permanet Verbum tuum in cælo*, id est, in ecclesia: in qua permanet Verbum Patris: quia non perambulat, non pertransit: sed permanet, & habitat. Qui Verbum caro factum Jesus Christus filius Dei unicus, & virginis Mariæ est. Unde nunc intentio est. Et quia ex utraque substantia unicus Dei Patris est. *Et Lex, & Evangelium*, duo ejus testamenta sunt, cum legitur, & ab omnibus pene auditur, & ab omnibus Christus laudatur, & diversa de Christo sentitur. Et hoc dicunt esse de Christo, quod Christus non est. Ipse enim se sequentibus dixit: *Qui manducaverit carnem meam, & biberit sanguinem meum, in me manet, & ego in illo*. Et alio loco dicit: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi. Si quis ex ipso manducaverit, non morietur in æternum; sed habebit vitam æternam*. Et cum dicit: *Nisi granum tritici ceciderit in terra, ipsum solum manet. Si autem ipse ceciderit, multos salvos faciet*. Hoc totum, id est, caro & sanguis, & panis de cælo, & granum tritici unum est, & unus panis est. Et hunc panem manducat ecclesia. Sed quia diversi diversa sapiunt, diversos sapores habet, cum comeditur. Dominus noster Jesus Christus granum tritici in terram condidit, & nos multiplicavit. Sed istud granum frumenti pinguissimum est; medullam habet: adipem habet: pinguedinem habet: habet intus, quod quæras. Medullam quæres, quæ pinguis est: *& adipe frumenti satiat te*. Felix est, qui in frumento isto adipem intelligit, medullam intuetur. Legamus sanctas Scripturas. Quid est aliud, nisi corpus? Quod lingua legitur, quod syllabis comprehenditur, quod auribus insonat, auditur ab hominibus, hoc totum corpus est. Hoc totum liber est. Intellectus vero hujus lectionis medulla est, pinguedo est, adeps est. Et nisi intellexeris, quid sit in littera, adipem frumenti non manducas. Litteram in superficie legis, & adipem frumenti non intelligis. Rodes corticem, & folium, sicut Judæus mandis. Quid est hæc littera, quam in Evangelio legis, vel in ceteris scripturis sanctis, nisi corpus Christi, nisi caro Christi, quæ ab omnibus Christianis comeditur? & tunc comeditur, quando legitur, & quando auditur. Et omnes uno nomine Christiani dicuntur, qui Evangelium recipiunt, & uno ore Christum laudant, & crucis ejus signum in fronte portant; & tamen cibo, vel potu, in sella, lecto, ingressu, regressu, & cetera omnia signo crucis muniunt: & se a Christo custodiri, & salvari petunt, & dicunt: *Salva nos Jesu Christe, fili Dei*. Et ipsi in ecclesia Sacerdotes, & Levitæ, si cuilibet transeunti viam, ingredienti in ecclesiam, orationem, vel benedictionem dederint, cum compleverint orationem, absolvunt, & dicunt: *In nomine Domini nostri Jesu Christi, Eamus cum pace*. Et si in domo oraverit, ita dicit: si in via similiter: si in vespertinis lucernarium ante altare obtulerit, non potest aliter offerri, nisi dixerit: *In nomine Domini nostri Jesu Christi, Lumen cum pace*. Sic etiam completo officio non potest egredi sine hac solutione, nisi prius dixerit: *In nomine Domini nostri Jesu Christi, Eamus cum pace*. Sic in vespertinis. Sic in matutinis. Sic omnibus horis, quibus necessaria officia, vel canonica in ecclesia peragitur. Sic in missa non solum dominicis diebus: sed etiam quibuscumque festivitatibus, [1] *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus*, conclamamus. Sic cum Evangelium a Levita super altare levatur, a Levita primum dicitur: *Laus tibi*: & ab omnibus respondetur: *Laus tibi Domine Jesu Christe, Rex æternæ gloriæ*. Præcedente Evangelium cereorum lumine in signo gaudii & lætitiæ, eo quod tale nuncium diaconus, id est, Evangelium Domini nostri Jesu Christi clara voce populo habet intonare. Tunc silentium omnibus imperat, & dicit: *Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum*, aut quemlibet ex tribus. Respondetur ab omni populo: *Gloria tibi Domine. In illo tempore Dominus noster Jesus Christus* ambulavit, aut dixit, aut fecit illud, & illud, quod sequitur. Quo peracto, offertur sacrificium super altare: quæ totum Jesus Christus filius Dei est. Ipse cum Patre, & Spiritu sancto creator omnium Deus. Ipse solus secundum formam servi sua, & Patris & Spiritus sancti operatione formatus. Quod creator est, commune habens naturaliter cum Patre, & Spiritu sancto. Quod autem creatus est, solus habens personaliter in seipso, cujus & nativitatem futuram secundum carnem, & mortem, & resurrectionem, atque in cælos ascensionem Lex, & Prophetæ pronuntiare numquam cessaverunt, prout ipse præsciebat & verbis, & factis. Nam & in sacrificiis carnalium victimarum, quæ sibi ipsa sancta Trinitas, quæ unus est Deus, novi & veteris Testamenti a patribus nostris præsciebat offerri sacrificiis, Jesu Christi filii sui significabatur gratissimum munus, quo pro nobis seipsum solus Dei filius secundum carnem esset misericorditer oblaturus. Ipse enim, secundum Apostoli dictum, *obtulit semet ipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis*. Ipse verus Deus, & verus pontifex, qui pro nobis, non in sanguine taurorum & hircorum, sed in sanguine suo *semel introivit in sancta*. Quod tunc pontifex ille significabat, qui semel sancta sanctorum per annos singulos introibat. Iste igitur est, qui in se uno totum exhibuit, quod sciebat necessarium esse ad redemtionis nostræ effectum. Ipse scilicet sacerdos, & sacrificium. Ipse Deus, & templum. Sacerdos

1. De usu hujus doxologiæ consule Sacramentarium sancti Gregorii.

est ipse Christus, per quem sumus reconciliati. A Deus est ipse Christus, qui nos reconciliat sibi & Patri, & Spiritui sancto. Solus tamen sacerdos sacrificium, & templum: qui hæc omnia Deus est secundum formam servi: non autem solus Deus: quia hoc cum Patre, & Spiritu sancto secundum formam Dei.

LXVII. Reconciliati igitur sumus per solum Filium secundum carnem, sed non soli Filio secundum divinitatem. Neque potest hoc sacrificium offerri per quemlibet sacerdotem, nisi per sacerdotem sanctum & justum. Neque potest hoc sacrificium, quod offertur, a quibuscumque comedere, & bibere, nisi tantum ab ipsis, pro quibus offertur: ut B & sacerdos, qui offert, sine vitio sit: & ut pro vitiosis mundandis posset offerri. Hoc certe omnes desiderant, & cupiunt, qui pro se offerre sacrificium Deo volunt. Quis ergo tam justus, & sanctus sacerdos, quam unicus Filius? Non quia opus vita, adducuntur. Et quid tam amabiliter, & acceptabiliter ab omnibus sumetur, quod pro eis offertur, quam Christi humana caro? & quid tam acceptum, & aptum immolationi, quam caro Christi mortalis? Et quid tam mundum pro mundandis viciis, & peccatis mortalium, quam sine ulla contagione carnalis concupiscentiæ caro nata in utero ex utero virginali? Et quid tam grate offerri, C & suscipi possit, quam caro sacrificii nostri, corpus Christi perfectum sacerdotis nostri?

LXVIII. Et quoniam quatuor considerantur in omni sacrificio, id est, *cui offeratur: a quo offeratur: quid offeratur: pro quibus offeratur*, hoc totum ipse unus, verusque mediator Christus per sacrificium pacis reconcilians nos Deo: & fecit unum cum illo manere, cui offerebat. Unum in se facere, pro quibus offerebat. Panis heic, qui offertur super altare, ut supra jam diximus, corpus Christi de illo grano tritici, quod cecidit in terram, & mortuum est. Et de illo grano multa nata sunt D grana, quod est ecclesia, & nos, Deo miserante, inde sumus: tamen si seminemus spirituales, & renascemur de Deo Patre, & ecclesia matre. De quibus Evangelista dixit: [a] *Qui non ex sanguinibus neque ex voluptate carnis, neque ex voluptate viri: sed ex Deo nati sunt.* Illum panem, quod corpus est Christi, lignum crucis coxit, erimus eum eo unus panis. Si & nos ipsa crux coxerit, erimus ejus corpus. Qui non manducat hunc panem, quod est corpus Christi, vivere non potest. Sicut nec ille vivere potest in carne, qui hunc panem corporalem non prandet: sicut ipse ait: [b] *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi, si quis ex ipso manducaverit, vivet in æternum.* Vinum, quod E offertur super altare, sanguis Christi est, de illa vite vera, quæ dixit: *Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola.* Apostolus dixit: *Vos vero palmites.* Palmites vero potantur, & purgantur, ex ipsis gignuntur acini, id est, sancti, qui de doctrina nascentur Apostolorum. Unusquisque acinus pendens de palmite, unusquisque servus Dei est, tam monachus, quam laicus. Grana acini virtutes ejus sunt, id est, caritas, castitas, humilitas, veritas, obedientia, jejunium, eleemosyna, oratio, vigilia, lingua benivola, mansuetudo, patientia, & cætera quæ ad virtutum opera pertinent: & multorum granorum majorem facit acinum, cum multa habuerit in se dona virtutum.

LXIX. Vitis vero, ut diximus, Christus est: & Pater agricola. Solus Christus vitis est. Solus Pater agricola non est, quia communis est operatio Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Christus, in quo æqualis est Patri, agricola est cum Patre. In quo minor Patre, vitis est vera. Et quare dixit *vitem veram*? Quia sunt vites silvaticæ: sunt vites agrestes: quorum non est Pater agricola: quos nemo claudet, nemo putat, nemo purgat. De quibus ipse Dominus ait: *Et Pater meus purgabit eum, ut plus fructus afferat.* Non est de ipsis vitibus, sed illius vitis est quam *exspectavit, ut faceret uvas, fecit autem labruscas.* De qua Propheta dicit: *Uva eorum, uva fellis.* Et de qua Dominus loquitur ad Jerusalem: *Ego te plantavi vineam veram; quomodo mutata es in amaritudine vitis alienæ?* Amara vitis amarum vinum facit, quæ propinat Dominum nostrum Jesum Christum. Ut impleatur quod scriptum est: *Et dederunt in escam meam fel: & in siti mea potaverunt me aceto.* De quo vino *Dum gustasset, noluit bibere.*

LXX. Hoc totum quid est? Nisi tunc Judæa in lege, quæ non cognovit filium Dei per legem: sed negavit, & crucifixit. Nunc in ecclesia hæretica pravitas, qui non cognoscit filium Dei per Evangelium: sed eum hominem similem dicit esse hominibus, & membra ejus, quod est ecclesia, non cognoscit; sed quotidie crucifixit. Sed quia de vite falsa tractanda a vera vite sententiam elongavimus, ad nostram vitem veram, & ad nostrum granum tritici, sine quo vivere non possumus, redeamus.

LXXI. Et hunc panem vivum, qui in Christi frangitur mensa, manducemus, & sorbendo parvuli deglutiamus, dum ad solidum cibum quandoque veniamus: ut Patrem, cujus filii per gratiam sumus, ipso fovente cognoscere valeamus. Hic panis, & vinum cum comeditur, & bibitur, [1] fit corpus, & sanguis Verbi. Ita enim Dominus, qui *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*; propter misericordiam suam: qui non contemsit, quod creavit, in transformationem suam *caro factus est, & habitavit in nobis*: sicut scitis, quia ipsum Verbum assumsit hominem, id est, animam rationalem, & carnem hominis, & homo factus est manendo Deus. Propter hoc, quia factus est homo pro nobis, commendavit nobis isto sacramento corpus, & sanguinem suum, quod etiam fecit, & nos ipsos. Et nos corpus ipsius facti sumus per misericordiam ipsius, quod accepimus, nostrumque corpus Christi accipimus, & audi, quid dicit: *quia ipsum corpus nos sumus.* Et verum est, quia unum triticum est: & unum semen grani multa grana molita, una farina est. Et una farina conspersa, & cocta unus panis est. Recordamini, quid fuit creatura ista in agro. Quomodo eam terra peperit, pluvia nutrivit, ad spicam perduxit, deinde labor humanus ad aream portavit, trituravit, ventilavit, & recondidit, portavit, moluit, & coxit, & vix aliquando ad panem perduxit. Hoc totum vos estis. Recordamini & vos, quia non fuistis, & creati

a Joan. I. 13. b Joan. VI. 51.

1. Fit nobis, h. e. ut habitet in nobis, qui jam per sacerdotis benedictionem factus est sanguis & corpus, ut subesset symbolis panis & vini. Hic sensus ex iis quæ subnectuntur, satis liquet. Confer §. LXXV. infra.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 785.

estis, & aream Daminicam composuistis laboribus A boum, id est nunciantes Evangelium triturati, quando catechumeni dicebamini, in horreo servabamini, nomina vestra dedistis, cœpistis moli jejuniis, & exorcismis. Postea ad aquam venistis, conspersi estis, & unus panis facti estis.

LXXII. Accendente vero favore Spiritus sancti in una dilectione caritatis in una fide, & in spe cocti estis, panis dominicus facti estis: sicut & iste panis, qui super altare sacratus est, qui corpus Christi est: & ex multis granis unus panis, & unus cibus noster est, & in membris nostris trajicitur: sic & nos cum in una spe, fide, & caritate fuerimus, cibus Domini sumus, & in membris ejus B transformamur. Ecce Eucharistiam, id est, bonam gratiam, quam accepistis, oculis vestris vidistis. Quomodo de multis granis factum est unum, sic unum estote & vos, diligendo, gemendo unam fidem, unam spem, indivisam caritatem: quia illi, qui mali sunt non quærunt, nisi divisionem: hæreticus non quærit, nisi separationem, & hoc elaborat, ut scindat, & non sarciat: ut rumpat, non jungat. Separat Verbum a carne: & seorsum prædicat Deum, & seorsum hominem. Separat caput a corpore: seorsum prædicat caput, & seorsum corpus: & nescit infelix, quia Deus & homo unus est Christus, & caput ecclesiæ suæ, in quo homo & Christus: & caput Christi Deus est, id est, tota C divinitas caput est hominis, quem solus suscepit filius. Et homo filius est caput ecclesiæ suæ, quæ illi capiti conjungitur, & fit totus Christus, id est, caput, & corpus una persona. Non sunt hæretici cibus Domini. Non enim de illis dixit Dominus: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me: & perficiam opus ejus.* Opus ejus est, ex multis granis unum panem, id est, ex multis animabus unam animam in una caritate, in una fide, & in una spe [1]. Nam si animæ, quas in una fide congregat, cibus Dei non esset, non diceret discipulis suis: *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Quod tunc completum est, quia multi in eum crediderunt Samaritani, & mulieri D dicebant: *Quia non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim vidimus, & scimus, quare hic est vere Salvator mundi.* Sicut enim panis iste ex multis granis indicat unitatem: sic & vinum ex multis acinis, queis effluxit eodem, & in unum est totum, & unum efficit potum, & in sua vita, & de uno calice sumitur: sed tamen post pressuram torcularis. Nam ante torcular, unum dici non potest, nec bibi: quia adhuc divisum videtur in acinis: sicut nec grana, nisi excutiantur a paleis. Nam persecutores nostri ipsi excutiunt paleam, cum ab ipsis trituramur. Ipsi fæcem uvæ, cum ab ipsis torquemur. Genu flexo debemus pro eis orare, a quibus efficimur cibus Dei. Sicut vinum post torcular mittitur in calicem; sic & vos post illa je- E junia; post laborem, & humilitatem, & contritionem jam in nomine Christi tamquam in calicem Domini venistis. Et panis ibi vos estis in mensam; & vinum ibi vos estis in calicem. Nobiscum hoc estis, quod sumus. Simul enim hoc sumus, quod estis. Et unus calix est, in quo sumus, quia una passio est Christi, & una mors, qua omnes redemti sumus. Simul bibimus, cum simul non vivimus.

LXXIII. [2] Ordo autem Missæ, vel orationum, A quibus oblata Deo sacrificia consecrantur, primo a sancto Petro est institutus: cujus celebrationem uno, eodemque modo universus peragit orbis. Quæ prima oratio ejusdem Missæ ammonitionis erga populum est: ut omnes excitentur ad exorandum Deum Secunda invocationis ad Deum est, ut clementer suscipiat preces fidelium, oblationemque eorum. Tertia autem effunditur pro offerentibus, sive pro defunctis fidelibus, ut per ipsum sacrificium veniam consequantur. Quarta post hæc infertur pro osculo pacis, & caritatis, ut reconciliati omnes invicem consocientur digne per sacramentum corporis, & sanguinis Christi: quia non recipit dissensionem, nec divisionem alicujus, Christi indivisibile corpus. B Quinta deinde infertur inlatio in sanctificatione oblationis, in qua etiam ad Dei laudem terrestrium creaturarum, virtutumque cælestium angelorum universitas provocatur, & Osanna in excelcis cantatur, quod Salvatore filio Dei Domino nostro Jesu Christo de genere David nascente, salus mundi usque ad excelsa pervenerit. Porro sexta proinde succedit confirmatio sacramenti, ut oblatio, quæ Deo offertur sanctificata per Spiritum sanctum Christi corpori, & sanguini confirmetur. Ultima vero oratio Dominica est, quam Dominus noster Jesus Christus discipulos suos orare docuit, dicens: [a] *Cum oratis, dicite: Pater noster, qui es in cælis.* In qua oratione, ut Patres scripserunt, C septem petitiones continentur, sed in tribus primis æterna poscuntur: in sequentibus quatuor temporalia, quæ tamen propter æterna adquirenda petuntur. Nam cum dicimus: *Sanctificetur nomen tuum Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.* Heic inchoantur, sed in illa vita sperantur: ubi sanctificatio Dei, & voluntas, & regnum in sanctis suis immortaliter permanebit. Jam vero panis quotidianus, qui vel animæ, vel carni tribuitur, in hoc sæculo exposcitur; heic etiam post subsidium cibi, venia de exemplo fraternæ indulgentiæ postulatur. Heic ne in peccati tentationem incidamus, exposcimus. Heic post omnia, ut a malis liberemur, Dei auxilium imploramus. In illo autem sæculo nihil D istorum est. Hanc itaque orationem salvator docuit: in qua & spes continetur fidelium, & confessio peccatorum. De qua Propheta prædicans ait: *Et erit, omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Hæ sunt autem septem sacrificii orationes commendatæ Evangelica doctrina. Cujus numeratio instituta videtur, vel propter septenariam sanctæ ecclesiæ universitatem, vel propter septiformem gratiæ spiritum, cujus dono ea, quæ inferuntur sanctificantur.


LXXIV. Symbolum autem, quod tempore sacrificii ab omni populo prædicatur, CCCXVIII. sanctorum Patrum collatione apud synodum Nicænam est E editum: cujus veræ fidei regula tantis doctrinæ fidei mysteriis præcellit, & de omni parte fidei loquitur, ut nulla pene sit hæresis, cujus per singula verba, vel sententias, non responderit. Omnes enim errores, impietatemque fidei, atque blasphemias calcat. Et ob hoc in universis ecclesiis pari confessione populo proclamatur. Benedictionem autem dari a sacerdotibus populo, antiqua per Moysen benedictio pandit, & comprobat. Quia benedicere populo sub sacramento trinæ invocationis jubetur. Ait enim ad Moysen Dominus: *Sic benedices populum meum, & ego benedicam illos.* Be-

[a] Matth. VI. 9.

1. Videtur deesse *facere*, aut simile quid.

2. Confer S. Isidorum lib. *de offic. eccles.*

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 785.



nedicat te Dominus, & custodiat te, illuminet Dominus faciem suam super te, & misereatur tui, & tollat Dominus faciem suam super te, & det tibi pacem.

LXXV. Sacrificium autem, quod a Christianis Deo offertur, ut supra diximus, primus Christus Dominus noster instituit, quando commendavit Apostolis corpus, & sanguinem suum priusquam traderetur, sicut legitur in Evangelio. *Accepit Jesus*, inquit, *panem, & calicem, & benedicens dedit eis*. Quod quidem sacramentum Melchisedech rex Salem figuraliter in typum corporis, & sanguinis Christi primus obtulit: primusque mysterium tanti sacrificii imaginarie ipse expressit, præferens similitudinem Domini, & salvatoris nostri Jesu Christi, sacerdotis æterni; ad quem dicitur: [a] *Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech*. Hoc ergo sacrificium Christianis celebrare præceptum est, relictis, ac finitis Judaicis victimis, quæ in servitute veteris populi celebrare imperata sunt. Hoc itaque fit in nobis, quod Dominus nobis ipse fecit: quod [1] manere ab cœna in vesperum obtulit. Sic enim Christum oportebat hoc implere circa vesperum diei, ut hora ipsa sacrificii ostenderet vesperum mundi. Proinde autem non communicaverunt jejuni Apostoli: quia necesse erat, ut pascha illud typicum ante impleretur, & sic denuo ad verum paschæ sacramentum transiret. Hoc enim in mysterio factum, quod primum discipuli corpus, & sanguinem Domini non acceperunt jejuni. Ab universa autem ecclesia nunc a jejunis semper accipitur. Sic enim placuit Spiritui sancto per apostolos, ut in honore tanti sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi. Et ideo per universum orbem mos iste servatur. *Panis enim, quem frangimus, corpus Christi est:* quia dixit: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi*. Vinum autem sanguis ejus est. Et hoc est, quod scriptum est: *Ego sum vitis*. Sed panis, quia corpus confirmat; ideo corpus Christi nuncupatur. Vinum autem, quia sanguinem operatur in carne: ideo ad sanguinem Christi refertur. Hæc autem dum sunt visibilia sanctificata, tamen per Spiritum sanctum in sacramentum divini corporis transeunt.

LXXVI. Proinde autem, ut sanctissimus Cyprianus ait: Calix Dominicus ideo vino mixtus aqua offertur, quia videmus in aqua populum intelligi. In vino vero ostendit sanguinem Christi. Quando autem in calice aqua miscetur, Christo populus adunatur; & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur, & jungitur. Quæ copulatio, & conjunctio aquæ & vini, sic miscetur in calice Domini, ut commixtio illa ab invicem non possit separari: sicut nec ecclesia potest a Christo dividi. E Sic autem in sacrificando calicem Domini, offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum. Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis: si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Quando autem utrumque sic miscetur, & adunatione confusa sibi invicem copulatur, tunc sacramentum spirituale, & cæleste perficitur. Sic vero non potest calix Domini nostri Jesu Christi esse aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur: quomodo nec corpus Domini, nec potest esse vinum solum, aut aqua sola, nisi utrumque ad invicem fuerit copu-

A latum, & panis hujus compage solidatus: quo & ipso sacramento populus noster ostenditur adunatus: ut quemadmodum grana multa in unum collecta, & commolita, & commixta panem unum faciunt: sic in Christum, qui est panis cælestis, unum sciamus esse corpus, cui conjunctus sit noster numerus, & adunatus.

LXXVII. Dicunt, semper communicare debet Christianus, nisi aliquo intercedente peccato; corpus Domini quotidie accipiendum. Hunc enim panem dari quotidie nobis, jubente Domino, postulamus, dicentes: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Quod quidem bene dicunt, si hoc cum B religione, & devotione, & humilitate suscipiant: nec confidendo de justitiæ præsumtione superbiendo faciant. Ceterum si talia fuerint peccata, quæ quasi mortuum ab altari removeant, prius agenda pœnitentia est: ac sic deinde hoc salutiferum medicamentum suscipiendum. *Qui enim manducaverit indigne, judicium sibi manducat, & bibit*. Hoc est enim indigne accipere, si eo tempore quis accipiat, quo debet agere pœnitentiam. Ceterum si tanta non sunt peccata, ut excommunieandus quisque judicetur, non se debet a medicina dominici corporis separare: ne dum forte diu abstinens prohibetur, a Christi corpore separetur. Ipse enim vivit, qui corpus Domini semper comederit. Et ma- C nifestum est enim eos vivere, qui corpus Domini nostri Jesu Christi attingunt. Unde timendum est, ne dum satis quisque separatur a Christi corpore, alienus maneat a salute, ipso Domino dicente: [b] *Nisi comederitis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Qui enim jam peccare quievit, communicare non desinat.

LXXVIII. Conjugatis autem abstinendum est a coitu plurimis diebus, atque orationi vacare, & sic dein ad Christi corpus accedere. Relegamus Regnorum librum, & inveniemus sacerdotem Abimelec de panibus propositionis noluisse comedere prius D David, & pueros ejus, nisi ante interrogaret, utrum mundi essent pueri a mulieribus: non utique ab aliena, sed a conjuge. Et nisi eos audisset ab heri, & nudiustertius vacasse ab opere conjugali, numquam panes, quos prius negaverat, concessisset.

LXXIX. Quantum inter propositionis panes & corpus Christi, quanta differentia est inter umbram, & corpus, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ipsa, quæ exemplari præfigurabantur! Quapropter eligendi sunt aliqui de his, quibus prius homo continentius vivat, per quem ad tantum sacramentum dignus accedere possit.

LXXX. Sacrificium pro defunctorum fidelium requie offerre, vel pro eis orare, ab Apostolis traditum est. Hoc enim ubique catholica tenet ecclesia, per totum orbem terrarum constituta: sicut & a sancto Augustino in libro Enchiridii scribitur: Defunctorum animas sine dubio pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium offertur, vel eleemosynæ fiunt: si tamen aliquid sibi quisque meritum præparavit, dum adhuc in corpore viveret, ista prosint, quæcumque per illos fiunt: nam non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vitæ, quam quisque gessit in corpore. Nam pro val-

1. Forte more.

a Psalm. CIX, 4. b Jan. VI, 54.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 785.

de bonis, gratiarum actiones sunt, pro non valde A malis, propitiationes sunt, pro valde malis, etiam si nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescumque vivorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio: aut certe, ut tollerabilior fiat ipsa damnatio.

LXXXI. Hoc totum quare diximus, nisi quia omnes in uno sacrificio mediatoris reconciliamur? Quia *ipse est mediator Dei & hominum*, *homo Christus Jesus*. Ipse caput corporis ecclesiæ, una persona. Obinde manducamus corpus ejus, & sanguinem ejus bibimus: ut sicut illud in nos invisceratur, & trajicitur visibiliter: sic nos in illo transformamur, & invisceramur: quia sacramentum est: B mysterium est. Quid mysterium, nisi secretam, & reconditam habens dispositionem? Sed quis sapiens, & quis prudens, hæc sine spiritu Dei potest liquido comprehensa tenere, nisi ipse rerum omnium Dominus mysteriorum suorum inluminator petentibus nobis, & quærentibus, cuncta revelare voluerit, sicut per Esaiam prophetam ait: [a] *Aperiam thesauros invisos & obscuros*. Et iterum Evangelico ore ammonet, dicens: *Petite, & accipietis: pulsate, & aperietur vobis: quærite, & invenietis*. Quo dicto compellit oblivíscentes, & stimulat longa pigritia torpentes, ut nec pigri sint ad requirendum, nec desperati ad inveniendum. *Nihil enim*, inquit, *occultum, quod non manifestetur: aut absconditum*, C *quod non reveletur, aut sciatur. Omni enim petenti dabitur: & pulsanti aperietur: & qui quærit, invenit*. Christus est panis, & lac: & nos filii, qui ex ipso pascimur. Nam cum dicimus: *Pater noster, qui es in cælis*, nec soli Patri dicimus, nec soli Filio, nec soli Spiritui sancto: sed toti Trinitati, uni Deo. Et cum dicimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, petimus ab uno Patre, ut det nobis illum panem, id est, cognoscamus Filium suum Dominum nostrum Jesum Christum, qui dixit: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi, si quis ex ipso manducaverit, vivet in æternum*. Et utique ipse cum Patre, & Spiritu sancto panis est fortibus, qui dentes habent. Filius vero Domi- D nus noster Jesus Christus, & panis est cum Patre in divinitate fortibus: & ipse solus lac, & in carne parvulis. Et hanc carnem manducando parvuli, & hunc sanguinem bibendo, veniunt ad solidum cibum, quod est ipsa Trinitas unus Deus. De hoc lacte Paullus apostolus ad Corinthios scribens ait: *Non potui vobis loqui, quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Quasi parvulis in fide lac vobis potum dedi, non escam. Nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis, adhuc enim estis carnales*.

LXXXII. Primum ergo scire debet Christianus, quod ipse Christus crucifixus, quo velut lacte, parvulos aluisse dicit Apostolus; ipsa vero caro ejus, E in qua facta est vera mors ejus, & vulnera confixi, & sanguis percussi, non eo modo a carnalibus, quo a spiritualibus cogitantur. Carnalibus enim, ut diximus, lac est: spiritualibus cibus. Quia etsi [1] spiritualibus non audiunt amplius, quam [2] communiter audiunt Christum, intelligunt amplius de Christo. Non æqualiter mente percipitur, etiam quod in fide pariter ab utriusque percipitur. Ita fit, ut prædicatus ab Apostolis Christus crucifixus: & Judæis [3] esse scandalum, & Gentibus [4] stultitiam: & ipsis vocatis Judæis, & Græcis Dei virtus, & Dei sapientia. Sed carnalibus parvulis id tantum credendo [5] perientibus: spiritualibus autem capacioribus id etiam intelligendo videntibus. Illis etiam tamquam lacteus potus; istis tamquam solidus cibus. Non quia illi carnales aliter in populis cognoverunt Christum: & isti aliter in cubiculis. Sed a modo utrique cum palam Christus nominabatur, & audiebant omnes uno modo Christum: sed non omnes uno modo credebant: sed alii credebant, alii despectum habebant talem Deum credere: alii irridebant talem Deum esse.

LXXXIII. Sicut & hodie increduli pagani faciunt: quia Deus factus est homo. Ipsa est humilitas, quæ displicet paganis, unde nobis insultant dicentes: Qualem Deum colitis, qui natus ex muliere est? Qualem Deum colitis, qui ab hominibus comprehensus est, & crucifixus est, & mortuus, & sepultus est? Hoc facit scandalum paganis, hoc Judæis. Quia *in sapientia Dei non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes*. Quid est sapientia, nisi Verbum Patris? nisi divinitas? nisi Deus? Quid est stultitia, nisi caro ipsius Verbi? nisi humanitas ipsius divinitatis, nisi homo Christus ab ipsa sapientia susceptus? Sed stultitia dicta est, ut per ipsam stultitiam veniant ad sapientiam, quod est divinitas, Deus. Sed credentes, quia placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere. Qui sunt credentes, qui salvi fiunt? Qui credunt, quod ipse est verus Dei Filius, & verus Deus, & ipse solus est adorandus, quem Judæi comprehenderunt, & crucifixerunt, & occiderunt, & mortuus est. Quia reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus: & nunc salvi erimus in vita ipsius. Et ideo gloriemur in Deum per Jesum Christum, per quem reconciliationem accepimus. Per mortem Filii sumus reconciliati: & tamen nihil in illo aliud potuit mori, nisi sola caro. Et hoc solum in illo viderunt Judæi, quod crucifixerunt, quod occiderunt, quod mortuum est. Sed cum caro mortua est sola, Dei Filius solus mortuus est: quia solus in hoc mundo venit: & adventus ejus ipsa caro est. Et ipsa caro exanimis jacebat mortua: sed Verbum caro factum, non fuerat mortuum: quia cum carne ipsum Verbum immortale, & inseparabile erat carni suæ in sepulcro, sicut & Verbum caro factum in utero. Et Patri semper æqualis permansit, cum in sepulcro carne mortuus jacuit: & in anima ad inferna descendit. Per carnem venit, & ipsa via ejus caro est: & ipse adventus ejus homo est: pro quo & laboravit ex itinere: Deus autem sempiternus, id est, divinitas ipsius hominis, qui creavit terminos terræ, non deficiet, neque laborabit, nec est investigatio vitæ ejus. Attamen tanta unitate personæ, ut sine dubitatione, & homo, qui mortuus est, credatur Dei Filius Deus verus, & verus Deus, Verbum Patris Filius, credatur homo verus, qui sub Pontio Pilato crucifixus, hoc ipsum Paullo apostolo attestante, qui ait: *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Et tamen hoc, quod despectum in eo viderunt, crucifixerunt: non hoc, quod Dominus gloriæ est. Nam quod homo dicitur Filius Dei verus, & Deus verus, ipse Dominus de se dicit: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo*. Et tamen illum hominem, quem Deus Verbum solus assumserat, non eum adhuc in cælo imposuerat, sicut nec de cælo eum se-

a Isa. xlv. 3.

1. Forte *spirituales*. 2. Forte *quam qui*. 3. *Esset*. 4. *Stultitia*. 5. Forte *experientibus*.

cum adduxerat: sicut & de illo legitur: *Filius hominis descendit de cælo.* & Filius Dei crucifixus est in terra. Sed hoc totum verum est, quia ex utroque unus Christus filius Dei est: quia ipse descendit de cælo, & ipse est filius Dei, qui sub Pontio Pilato crucifixus est in terra. Nam & diabolus, cum eum tentaret, dixit: *Si Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant.* Et alio loco dixit: *Scimus, quia sis Filius Dei. Qui venisti ante tempus torquere nos.*

LXXXIV. Antiquus itaque hostis redemtorem humani generis Deum debellatorem suum, in mundum venisse cognovit: qui tamen priusquam eum passibilem videret, [1] cum posse mortalia pati, quem hominem videbat, omne quod de ejus divinitate credidit, elatione suæ superbiæ in debium venit. Nihil quippe humile sapiens, nisi tantum quod superbum erat, dum hominem esse humilem conspicit, Deum esse dubitavit. Unde ad tentationum argumenta se convertit, dicens: *Si Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant.* Quia igitur passibilem vidit, non Deum natum, sed Dei gratia custoditum credidit. Quid de hominibus dicere possumus, quanta humilitate habuit filius Dei? cum & ipse diabolus, qui omnes tentabat ad peccandum, & aliquid suum in illis cognoscebat, & in Christo, ubi nihil suum cognovit, cum diceret: *Scimus enim, quia sis sanctus:* & eum Deum esse dubitavit. Et hoc humilitas faciebat, id est, humanitas, quam assumserat. Et ipsa humanitas omnes superbos, & elatos scandalizabat, sicut & hodie scandalizat. Nam cum nunc omnes audiunt Christum, non omnes uno modo capiunt Christum. Nam si omnes interroges Christianos & dicas: Creditis Christum? omnes uno ore respondebunt tam catholici quam hæretici, tam boni quam mali, & dicent; Credimus. Et hoc tantum ore profitentur hæretici: sed in corde aliud suspicantur esse Christum, quod non est Christus. Et tamen in toto mundo bona fama resonat Christi: quia ubique est ecclesia Christi, quæ legit scripturam de Christo, & laudat Christum. Et cum omnes laudem, & bona se putent dicere de Christo: & tamen falluntur; quia dicunt aliquid de Christo, quod non est Christus.

LXXXV. Non potest verum dicere de Christo, de cujus ore non loquitur Spiritus Sanctus: sicut ipse Dominus ait: *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri loquitur in vobis.* Deum credunt esse Deum, & bonum est: sed cum Christum hominem crucifixum non credunt esse Deum, malum est: & dicunt se Deum laudare, & ei gloriam dare: sed non est vera gloria quia falluntur. Nam & bonum putant esse, quod bonum non est. Et Christum putant esse, quod Christus non est. Unigenitum filium æqualem non esse Patri, non est bonum. Filium virginis Mariæ non esse Dei Filium, non est bonum. Veritatis carnem non esse veram carnem, non est bonum. Nam inæqualem Patri esse Filium, Arii fides est. *Quem Virgo peperit non esse filium Dei, Elipandi fides est.* Veritatis carnem non esse veram carnem, Manichæorum fides est. Sed quia hoc totum nihil est bonum; quia hoc non est Christus, in utroque falluntur, nec dant veram gloriam Christo, quamvis apud eos esse videatur cum laude bona fama de Christo.

A LXXXVI. Et omnes plane hæretici, quos commemorare nimis longum est, qui de Christo non recte sentiunt, ideo errant, quia eum non laudant ore, cum de corde vera non sentiunt. Sed cum eos catholicus reprehenderit, victi se reddere nolunt; sed unde convincant, novum dogma excogitant. Sic fecerunt Arius, vel cæteri, qui aliud putaverunt esse, quam erat Christus Filius Dei. Nam sicut nos sumus filii eorum, qui sic credimus in ecclesia catholica, ut illi crediderunt Christum: sic nunc sunt filii hæreticorum, qui negat hominem Deum esse Christum. Nova proferunt, quia sapientes videri volunt. De ipsis Propheta dicit: *Hi sunt filii,*
B *sicut novellæ plantationum in juventute sua.* Plantatio eorum non est vetus: sed novella est. Non enim de veteri lege: non est de Prophetis, non est de Apostolis, sed de novis magistris est. Novi sunt, quia nova, & semper de Christo excogitant. Semper juvenes sunt. Licet multæ sint hæreses, tamen quotidie mutantur, & nova quotidie inveniunt. Noverunt ipsæ hæreses, licet veteres sint, tamen cum quotidie doctrinam suam innovant, novi sunt. Novi enim veterum sunt magistrorum errores, sed quotidie ipsi nova inveniunt: quod ecclesia non facit. Hæretici vero & [2] hæreticos detrahunt, quorum filii sunt per doctrinam & fidem: & ipsorum verba reprehendunt: & tamen in alte-
C ro sensu ipsa dicunt: quia novis verbis nihil aliud, quam ipsa sunt, & semper mutant, & multa sunt. Ecclesiæ tamen verba non sunt multa, & ipsa non mutantur, quia firma sunt: & nova non sunt, quia ipsa tota in Symbolo sunt. Et quidquid foras Symbolum est, hæreticorum verba sunt.

LXXXVII. Nam multi non intelligunt hunc sermonem, quare dicatur Symbolum. Symbolum enim græce, quod latine dicitur indicium, & conlatio. Indicium est, quia indicat, cui credere debeamus, id est, uni Deo Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Super Symbolum quid de Deo quæramus, tam
D in veteri, quam in novo Testamento scriptum non invenimus. Et conlatio dicitur Symbolum, hoc est, quod plures in unum conferunt. Nam hæretici singillatim sibi adveniunt, venenum quod melle linitum afferunt, & parvulos occidunt. Hæc per Spiritum Sanctum videntes apostoli, conlatione facta in unum, composuerunt symbolum: ut per ipsum falsos apostolos convinceret ecclesia. Nam dicunt majores nostri, quod post ascensionem Domini, & salvatoris nostri Jesu Christi hoc symbolum, breve sibi prædicationis indicium conferendo in unum, quod sentiebant, componunt: ne localiter ab invicem discedentes, diversum aliquid vel dissonum prædicaretur his, qui ad fidem Christi invitabantur.
E Et hac fide proficit ecclesia: de qua dictum est per Prophetam: *Filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ.* Hæc mensa, scriptura sacra est. Panis, qui comeditur, Christi corpus est. Et corpus Christi, quod manducamus, non solum [3] panem & vinum, qui super altare offertur, corpus Christi est: sed & ipsum Evangelium corpus Christi est. Et cum Evangelium legimus, & intelligimus, filii in circuitu mensæ, in una conlatione sedemus, & panem cælestem manducamus. Non longe sunt a mensa Christi, qui omni hora dicunt: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

LXXXVIII. Hæretici dicuntur filiæ, id est, molles, & in fide vacillantes: de quibus dicitur: [a] *Fi-*

a Psalm. CXLIII, 13.

1. Forte eum.

2 Hæreticis.

3. Lege panis.

SÆC. VIII. CIRCA ANN. CHR. 785.

liæ eorum compositæ, ut similitudo templi. Compo- A sitæ dicuntur, quia sermo hæreticorum compositus est; & sensus sordidus. Ornata habent verba de sapientia sæculari. Inde dicuntur *filiæ circumordinatæ, ut similitudo templi*. Similitudo templi, non est templum: similitudinem habet ecclesiæ. Sapientes se dicunt esse: quia vix ut rusticus, hæreticus dici potest. a *Cellaria* hæreticorum *plena, eructantia ex hoc in illud*, quia semper parati sunt ad contendendum: ut si illos tenueris in uno testimonio, ad aliud transeunt. Si in Scripturis eos tenueris, majores proponunt, qui in diversis provinciis habitant, & ab ipsis hoc didicisse pronunciant. Nam cum dicimus illis; quia *Pater misit filium*, sicut B ipse ait; *Pater, qui me misit, major me est*: respondent illi contra nos: Deus non mittitur: Deus non subjicitur: non servit: sed dispensatio mittitur. Si Deus ubique est, omnia in Deo sunt. Quomodo Deus ad aliquid mittitur, cum Dei sint omnia? Difficile invenies hæreticos imperitos. Omnes enim magistri instructi sunt scientia sæculi. Nolunt in Scripturarum latitudine laborare: sed somniant, & stertunt in alto sopore, & eructant, quod somniaverint: & insuper cum audacia in libris inserunt, & cum temeritate defendunt. Et hoc faciunt, ut ab auditoribus suis honorentur; & ab eis non solum laudis munera, sed etiam temporale subsidium accipiant, unde vivant, dicentes eis: *Si nos vobis* C *spiritualia seminamus, dignum est, ut vestra carnalia metamus*. Obliviscentes illud Apostoli: *Manibus nostris operabamur, ne quemquam vestrum gravaremus*. Multi nescientes beatos tales putant. Sed si beati sunt; quei non habent cum Apostolis callosas ex opere manus? Quei non ingrediuntur nudi cum reti mare istius sæculi, & sunt piscatores hominum? Quei non habent lutosos pedes? Non plane, quia sua quærunt, non quæ Jesu Christi? Et ubi deprehenditur in Ecclesia ipse hæreticus, qui sanctitatem ostendere religionis videtur, vitia emendat, bonum vult, malum non recipit, eleemosynas facit, captivos redimit, hospites suscipit, humanitatem habet, nudos vestit, infirmos, & incarceratos visitat, & aliquoties semetipsum in pœnitentia D mactat, & cætera hujusmodi similia, quæ numerare longum est, quæ videtur facere, & tamen hæreticus potest esse.

LXXXIX. Sed dices: in quo potest deprehendi, qui sit hæreticus? Multa sunt: sed ex multis tria proponam, ex quibus deprehendatur a catholicis in ecclesia. Primum in fide vera. Per fidem enim vitæ largitas ad homines venit. Quod per Prophetam Deus ipse testatus est, dicens: *Justus autem meus ex fide vivit*. Apostolus Paullus ad Hebræos dicit: „ b Nos autem, fratres, non sumus subtra- „ ctionis in perditionem: sed fidei in acquisitionem E „ animæ. Est autem fides sperandarum substantia „ rerum, argumentum non parentium. Per fidem „ enim testimonium consecuti sunt seniores. Fide „ intelligimus facta esse sæcula verbo Dei, ut ex „ invisibilibus visibilia fierent. Fide plurimum ho- „ stia Abel, quam Cain obtulit Deo: per quam „ testimonium consecutus est esse justus, testimo- „ nium perhibentibus muneribus ejus: & per il- „ lam defunctus adhuc loquitur. Fide Enoch trans- „ latus est, ne videret mortem: & non invenie- „ batur, quia transtulit illum Deus. Ante transla- „ tionem enim testimonium habebat placuisse Deo: „ sed tamen per fidem. Sine fide enim impossibi- „ le est placere Deo. Credere enim oportet acce-

„ dentem ad Deum, quia vere est Deus unus: & „ inquirentibus se remunerator sit. Fide Noe re- „ sponso accepto de his, quæ adhuc non videban- „ tur, metuens habitavit arcam in salutem domus „ suæ, per quam damnavit mundum; & justitiæ „ quæ per fidem, heres est institutus. Fide quo- „ que vocatus Abraham obedivit in locum exire, „ quem accepturus erat in hereditatem. Et exiens, „ nesciens quo iret, fide moratus est in terra re- „ promissionis, tamquam in aliena, in casulis ha- „ bitando cum Isaac & Jacob, coheredibus repro- „ missionis ejusdem. Exspectabat enim fundamenta „ habentem civitatem, cujus artifex & conditor „ Deus. Fide & ipsa Sarra sterilis virtutem in „ conceptione seminis accepit, etiam præter tem- „ pus ætatis: quoniam fidelem credidit esse, qui „ promiserat. Propter quod & ab uno orti sunt „ omnes. Et hoc e mortuo tamquam sidera cæli „ in multitudinem, & sicut arena, quæ est ad „ oram maris innumerabilis. Juxta fidem defuncti „ sunt omnes isti, non adeptis repromissionibus: „ sed a longe eas aspicientes, & salutantes: & con- „ fiteutes, quia peregrini, & hospites sunt super „ terram. Qui enim hæc dicunt, significant se pa- „ triam inquirere: (*& non terrenam patriam, sed* „ *cælestem*.) Et si quidem illius meminissent re- „ gionis, de qua exierunt, habebant utique tem- „ pus revertendi. Nunc autem meliorem appetunt, „ id est, cælestem (*Jerusalem*.) Ideo non confun- „ ditur Deus, vocari Deus eorum. Paravit enim „ illis civitatem (*sanctam Jerusalem cælestem*.) Fi- „ de obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur. Et „ unigenitam offerebat, qui susceperat repromis- „ siones, ad quem dictum est: Quia in Isaac vo- „ cabitur tibi semen, arbitrans, quia & a mor- „ tuis suscitare potens est Deus. Unde eum & in „ parabola accepit, Fide & de futuris benedixit „ Isaac Jacob, & Esau. Fide Jacob moriens, sin- „ gulos filios Joseph benedixit; & adoravit fasti- „ gium virgæ ejus. Fide Ioseph moriens, de pro- „ fectione filiorum Israel memoratus est; & de os- „ sibus suis mandavit. Fide Moyses natus occulta- „ tus est mensibus tribus a parentibus suis, eo quod „ vidissent elegantem infantem, & non timuerunt „ regis edictum. Fide Moyses grandis factus nega- „ vit se esse filium filiæ Pharaonis: magis eligens „ adfligi cum populo Dei, quam temporalis pecca- „ ti habere jocunditatem: majores divitias æstimans „ thesauris Ægyptiorum improperium Christi. Aspi- „ ciebat enim in remunerationem. Fide reliquit „ Ægyptum, non veritus animositatem regis. In- „ visibilem enim tamquam videns sustinuit. Fide „ celebravit pascha ex sanguinis effusione: ne qui „ vastabat primitiva, tangeret eos. Fide transierunt „ mare rubrum, tamquam per aridam terram. „ Quod experti Ægyptii, devorati sunt. Fide mu- „ ri Jericho corruerunt circuitu dierum septem. „ Fide Raab meretrix non periit cum incredulis, „ excipiens exploratores cum pace. Et quid adhuc „ dicam? Deficit enim tempus narrantem de Ge- „ deon, Baruch, Samson, Jepte, David, Samuel, „ & Prophetis, qui per fidem vicerunt regna, „ operati sunt justitiam, adepti sunt repromissio- „ nes, obturaverunt ora leonum, exstinxerunt im- „ petum ignis, effugerunt aciem gladii, convalue- „ runt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, „ castra subverterunt exterorum, acceperunt mu- „ lieres de resurrectione mortuos suos. Alii autem „ distenti sunt, non suscipientes redemtionem, ut „ meliorem invenirent resurrectionem. Alii vero

a Psalm. CXLIII. 12. b Hebr. X. 38. seqq.

„ ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres. Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis: egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. In solitudinibus errantes, & in montibus, & in speluncis, & in cavernis terræ. Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem. Deo pro nobis melius aliquid providente, ne sine nobis consummarentur. „

XC. Ecce hi patres, qui adhuc sub umbra fuerunt, quos Apostolus nominavit, per fidem salvi facti sunt: & pro ipsorum descendit animabus ad inferna, & eas secum adduxit ad cælos: & adhuc hodie illam repromissionem non [1] acceperunt isti majores. Et ubi sunt illi, qui dicunt, quod hi qui cum Christo resurrexerunt, cum carne, & animabus in cælos cum Christo ascenderunt? Non concordant Apostolo, qui hoc loco dixit: *Non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis aliquid melius providente, ut non sine nobis consummarentur.* Quomodo sunt cum carne in cælo, si [2] adhuc illorum repromissione sine nobis consummarentur? Aut quomodo pars corporis Ecclesiæ, quæ caput habet in cælo, pars ascendit, & pars patitur adhuc, & pars jacet sepulta? Et ubi erit illud, quod Joannes in Apocalypsi dicit: [a] *Vidi subter altare animas interemtorum propter Verbum Dei, & testimonium quod habebant?* Non propter aliud occisi sunt; sed propter Verbum Dei, propter Verbum incarnatum, propter testimonium, quod habebant Jesu Christi, quem prædicaverunt, exspectaverunt, & viderunt: cui & clamabant voce magna, dicentes: [b] *Usquequo Domine sanctus, & verus non judicas, & vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra?* Ubi illic adjungitur: [c] *Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ.* Quæ sunt singulæ *stolæ albæ*, nisi tantum animæ, quæ adhuc desiderant corpora, ut adhuc in terram suam duplicia possideant, cum omnium hominum fuerit resurrectio? Sicut scriptum est: Non prima justorum, & secunda peccatorum, ut hæretici dejerant: sed una resurrectio omnium, & in semel.

XCI. Quod ut verius probem, audi quid sequitur: *Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ*, id est, lætitia animarum tantum: *& dictum est illis, ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec compleatur numerus conservorum, & fratrum eorum.* Sed quia non hæc tractanda suscepimus, ad promissum ordinem redeamus; & quid sit vera fides, tractemus: *Quia sine fide nullus placere Deo potest.*

XCII. Sed quia de veteri testamento jam cum Apostolo diximus, & una fides est, & unum Dominum credimus; ad novum Testamentum, ipso Domino præcedente veniamus. Fide ipsa Virgo Angelo credidit, dicens: *Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum.* Fide Elisabeth matrem Domini prædicavit. Fide Simeon cognovit Dominum. Fide Anna Dominum laudavit. Fide Centurio dixit: *Domine tantum dic verbo, & sanabitur puer meus.* Et Dominus miratus se sequentibus dixit: *Non inveni tantam fidem in Israel. Et ait ei: Vade; sicut credidisti fiat sibi.* Aut quid dicam? Fide Apostoli crediderunt. Fide cæci illuminantur. Fide diversæ valetudines curantur. Fide mulier fimbriam vestimenti tangens, salva facta est. Ad quam Jesus dixit: *Confide filia: fides tua te salvam fecit.* Fide mulier Cananæa importune clamabat, dicens: *Domine adjuva me.* Respondens Jesus ait: *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. Et illa dixit: Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respondens Jesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut credidisti.* Fide Gentilis populus credidit. Fide & hodie creditur. Sed multis modis fides variatur, & fides vera putatur, quæ fides vera non est. Sicut multis modis Christus unus prædicatur, & Christus putatur, qui Christus non est. Sic fides putatur vera, quæ vera non est. Fides falsa est, quæ sine caritate est. Denique postquam apostoli Domino crediderunt, dixit Jesus: *Pacem meam do vobis: pacem relinquo vobis.* Pacem meam, *non sicut mundus habet pacem.* Siquidem mundi pax nostrum bellum est. *Meam pacem do vobis.* Bellum habete cum mundo, & meam pacem habebitis. *Et in hoc cognoscent omnes homines, quia mei discipuli estis, si dilectionem ad invicem habueritis.* Tunc illi omnes hoc præceptum acceperunt a magistro, facta conlatione, tantam habuerunt dilectionem, ut in duodecim illi corporibus *animam facerent unam, unum cor*, & voluntatem unam. Et qualiter crederet ecclesia, non unus composuit symbolum fidei; sed omnes singula verba posuerunt. Et quod corde crediderant, dilectione demonstraverunt. Quod hæretici non faciunt: sed unusquisque sibi sapiens esse videtur, & non requirit membra, nec conlationem necesse habet: sed ad suam novam doctrinam omnes vult inclinare. Et cum catholicus noluerit eum audire, excitatur in discordiam. In hoc deprehenditur primum, quia non habet fidem rectam.


Secundo, quia non habet caritatem.

XCIII. Tertio, quia qualis ille, tales & discipuli ejus. Quia omnis magister in discipulis agnoscitur; sicut & Christus in Apostolis. Nam omnis magister, qui de doctrina Christi est, primum a domesticis cognoscitur, qualis sit. Sicut Apostolus docuit, *Domum suam bene regentem, filios habere subditos, cum omni castitate. Quia qui domum suam bene non regit, in domo Dei diligentiam habere non potest.* Nam omnis, qui discipulos nutrit, in tantum eos instruit in fide vera, donec Christus formetur in illis: secundum apostolum Paullum, qui dicebat discipulis: *Filioli mei, quos adhuc parturio, donec Christus formetur in vobis.* Item ipse: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Potuerat Dominus noster Jesus Christus uno die docere discipulos suos, si voluisset. Quia ipse erat Deus, qui illis inspirare potuerat una hora, quod multo tempore inspiravit. Sed pro hoc factum est, ut qui magistri ecclesiarum esse deberent, multo tempore per lac crescerent, & cum labore ad solidum cibum pervenirent: qui etsi multum laboraverunt; quia erraverunt, & dubitaverunt: sed illorum erratio, nostra est correptio: illorum dubietas, nostra est firmitas. Erravit Petrus, quia negavit. Dubitavit Thomas de resurrectione, quia dixit: *Nisi videro, non credam.* Dubitavit Cleophas, & Lucas evangelista, quia dixerunt: *Nos putabamus eum, quod ipse esset redemturus Israel.* Et cum non cognoscerent Christum, & interrogaverunt ab eo, *quare essent tristes*, responderunt ei: *Tu solus pe-*

[a] Apoc. VI. 9. [b] Ibid. ℣. 10. [c] Ibid.

1. Quoad corpus scilicet.

2. Locus mendosus.



vegrinus factus es in Jerusalem, & non cognovisti, A *quæ facta sunt in illa his diebus? Dixit eis Jesus: Quæ? Responderunt, dicentes: De Jesu Nazareno, qui fuit propheta major in opere, & sermone.* Vides, quia non æstimabant eum Deum esse, sed prophetam? Dubitavit Philippus, qui dixit: *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Protinus audivit: *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovisti me, Philippe? Qui videt me, videt & Patrem meum. Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* Hoc totum quare dico, quod Apostoli erraverunt? Propter hæreticos, qui discipuli non fuerunt, & magistri sunt. Quod si in disciplina multo tempore in conlatione laborassent, ibi audissent, quid dicerent. Ibi reprehenderentur, ut B emendarent. Ibi corrigerentur, quo errarent; donec Christus firmaretur in eis: & sic cum grandi labore orando, & humiliando, quandoque ad solidum cibum pervenirent. Et cum pervenissent, jam dentes habentes solidum panem manducarent: *& parvulis frangerent, & darent,* id est, sententias, quas mente parvuli non intelligunt, ipsi ea responderent. Sed quia sibi sapientes videntur, & pro despectu hoc facere nolunt, ideo magistri erroris fiunt; quia veritatis discipuli esse noluerunt. Discipuli quidem fuerunt, sed de disciplina sæculari. Et ideo fures, & latrones in conlatione ecclesiæ apparuerunt: quia *non per ostium,* quod est Christus: sed aliunde primam cathedram ascenderunt. C Et inde cognoscimus eos non esse veros pastores; quia vocem illorum, id est eos, oves dominicæ fugerunt.

XCIV. In his tribus plene deprehenduntur in ecclesia hæretici, id est, in fide, & dilectione, & disciplina. Qui enim recte credit, & non diligit, dæmon est. Dæmon credit, & non diligit. Nec iste discipulus Christi est. Nam omnis, qui diligit, credit. Dilectio enim tantum in bonis rebus accipitur: amor vero, & in bonis, & in malis esse potest: quia & mali se amant, & non diligunt. Quia dilectio a duorum ligatione nomen accepit: quia sic diligit alterum, sicut seipsum. *Et est men-* D *sura dilectionis, in quo tota lex pendet, & Prophetæ. Diligis Deum ex toto corde: & proximum tuum, sicut teipsum.* Restat ergo, ut qui diligit, recte credat, quia symbolum recitat. Pro fide tamen solus non contendit, sicut hæreticus: sed cum omni ecclesia clamat. Hæreticus tamen solus errans discurrit per terras, ut novæ suæ doctrinæ consentientes inveniat. Catholicus autem nihil novum dicit: quia totam suam fidem in symbolo comprehendit. Confirmat eam, quia habet dilectionem proximi. Tunc habet & spem, cum habuerit fidem & caritatem. Fides dicta est, quia fit illud, quod inter utrosque placitum est. Id est, sicut inter hominem, & hominem fiat, ut nemo nemini men- E tiatur. Jam si mentitur quis, non est fides. Sic inter Deum, & hominem: si non facit homo, quæ promittit Deo, jam non est fides. Jam & Deus non facit, quæ promisit homini: quia homo primus violavit fidem. Spes vocata, quasi pes ad progrediendum. Qui promittit Deo, & non pergit ad eum, non habet spem, quia non vadit. Non est ibi pes, sed depes, id est, desperatio. Caritas autem Græcus sermo est, quod latine dicitur dilectio. Hæc tria sunt, quæ in religionis cultu ad colendum Deum in omnibus perquiruntur, id est, fides, spes & caritas. *His tribus major caritas.* Quia heic inchoatur, & finem non habet. Proinde Deus caritas nuncupatur, qui finem non habet. Fides tamen, & spes finem habebunt. Quia cum videmus Deum, quem credimus, ultra quod credamus non habemus. Fides dicitur in hoc sæculo, quia veraciter credimus id, quod nequaquam videre valemus. Nam credere jam non possumus, quod videmus. Sic spes tantum in hoc sæculo est. Cum autem viderimus majestatem Dei, quam nobis promisit videre, ultra quod speremus non habemus: quia quod sperabamus jam habemus. Et cum habet homo quod sperabat; quod speret non habet.

XCV. Caritas vero heic inchoat proximo. Et cum viderit Deum, tunc fit major. Quia heic dilexit proximum, minor est. Sed quantum plus dilexit proximum, tantum & illic plus videbit majestatem Dei. Et quantum minus dilexit proximum, tantum illic minus videbit majestatem Dei. Et qui non dilexit, licet jejunet, oret, res suas pauperibus eroget, ita ut nudus pro Christi nomine remaneat, virginitatem custodiat, *die, & nocte in lege Domini meditetur,* omnes scripturas memoriter teneat, omni die communicet, infirmos, & incarceratos visitet, nudos vestiat, hospitibus pedes lavet, recte credat Christum filium Dei, omnia secreta ejus sciat, *& angelorum linguis loquatur,* & pro Christi nomine crucem ascendat, & pro Christo sanguinem fundat, majestatem Dei videre non potest. Sine caritate Deum nullus catholicorum videbit umquam. Ipsi dicturi sunt, qui ista omnia faciunt, & non diligunt: *Domine in nomine tuo prophetavimus, dæmones ejecimus, & virtutes multas fecimus. Tunc respondebit illis: Discedite a me operarii iniquitatis. Numquam novi vos in domo Patris mei.* Require nunc, quid est *in domo Patris.* In domo Patris non fuit, id est, ecclesiæ unitatem non tenuit. Fides autem illa vera appellanda est, quæ est vera, non ficta, quam sanctus commendat Apostolus, dicens: *Finis autem præcepti est caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Nam quia idem beatus Apostolus, *gratia nos dixit salvos factos esse per fidem: quam non ex nobis, sed Dei asserit donum.* Et utique vera salus non erit, ubi fides vera non fuerit. Quæ cum divinitus infunditur, sine dubio gratuita largitate donatur. Et ubi per veram fidem veritas fuerit credulitatis, veritas utique commitabitur & salutis. Quisquis autem a vera fide deviaverit, veræ salutis gratiam non habebit.

XCVI. Proinde torpere non debet fidelis animus ad quærendum, si quid in sacramento fidei sibi videtur ambiguum, maxime in mysterio dominicæ incarnationis; per quam justitia impiis, vita mortuis, salus infirmis, & vere libertatis gratia donata captivis. *Ipse est panis noster, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo. Si quis,* inquit, *ex ipso manducaverit, vivet in æternum. Panem cæli dedit eis,* ut Propheta ait: *Panem angelorum manducavit homo.*

XCVII. Sed forte dicat aliquis: Ubi invenire possumus hunc panem, qui de cælo descendit, & manducare? Jam Dominus ad cælos ascendit, quomodo manducabo hunc panem, & vivam in æternum? Quia desidero hunc panem manducare. Et credo, *quod vita æterna est ipse panis,* id est, corpus ejus. Et dico: Domine semper da nobis panem hunc. Et in oratione, quam edocuit, oro & peto: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quid est ipse panis, quem quotidie petimus? Et noster panis est; & tamen eum nisi petierimus, non accipimus. Et vere corpus est. Audi ipsum panem nostrum quotidianum. Pete. Accipe. Mandu-

ea quotidie. Legamus sanctas scripturas, & inveniemus hunc panem. Ego corpus Jesu Evangelium esse puto, scripturas puto doctrinam ejus: & quando dicit Jesus: Qui non comederit carnem meam, & sanguinem meum non biberit; licet spiritualiter, & mysterio possit intelligi: tamen corporaliter panem, quem petimus quotidianum, vere corpus Christi, & sanguis ejus, sermo scripturarum est. Et cum legimus eam, carnem Christi manducamus, & sanguinem ejus bibimus. Et cum oramus, ut intelligamus ea spiritualiter, & cognoscamus divinitatem incarnatam. Et cum cognoscimus, quod vere filius Dei sit, & verus Deus, & non est alter Deus, præter illum, qui de virgine natus est, & adoramus eum cum angelis, sicuti est unus cum Patre, & Spiritu sancto Deus, panem angelorum manducamus. Qui scripturam frequentat legere, ipsa littera corpus est. Sed spiritus in littera est. Habet ipsa littera spiritum, id est, intellectum. Sed tamen ipse intellectum sine littera, quæ corpus est, nemo intelligere potest. Qui intellectus litteræ non est corpus. Sed cum cœperit aliquis legere, ipsa littera, quæ corpus est, & eam intelligere non poterit, oret, & dicat: *Pater noster, qui es in cælis: panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: quousque petat, quousque intelligat. Et postquam intellexerit, interroget seniores, interroget patres, sicut scriptum est, & ipsi eam nuntient: & tunc videbit spiritum, si ex Deo est, an non. Non se præsumat ante prædicare, nisi prius probaverit spiritum litteræ, si ex Deo est. Pensa quantum periculosus est sermo divinus, quem manducas: in ipsa communione cognosce, quam communicas. Si micula ceciderit in terra de manu sacerdotis, omnes contremiscent, & elongat se ab ipso loco, ubi Eucharistia ceciderit, & quæritur diligenter, ut in patena reponatur: quia corpus Christi est ipsa Eucharistia, quæ latine dicitur bona gratia. Sic & Evangelium bona gratia dicitur. Quod si totum Evangelium quis intellexerit, & miracula crediderit, quæ non intelligit, quærat, timeat, contremiscat: non habeat despectui ipsam miculam quærere, & invenire, & in patena, id est, in anima fideli ponere; quia corpus Christi est. Et animæ fidelium, si vasa non essent, non diceret Propheta ex voce Domini: *Mundamini, qui fertis vasa Domini*. Et de Paullo apostolo ipse Dominus dicit: *Vas electionis mibi est*. In ipsa vasa corpus Christi mittitur, quod est Eucharistia, sive Verbum Dei. Quod si ipsa micula, quam Eucharisticam diximus, de manu sacerdotis ceciderit, & eam conculcaverit, conculcat & omne corpus Christi. Tunc non debet corpus Christi tradere, & nomen Patris habere, sed inter ceteros filios accipere, qui filii sciunt sanctum esse. Sed si de sacramento interrogentur, rationem facere nesciunt. Sic etiam de Evangelio intelligendum est. Qui pater est, & Evangelium annuntiat, ad quem corpus Christi diximus, & totum Evangelium bene annuntiaverit, & micula ceciderit ei, quam intellexerit, & male intellecta non quæsierit: sed conculcaverit, id est, cum temeritate defenderit, conculcat totum corpus Christi, id est, totum Evangelium. Tunc non debet corpus Christi more paterno dare: sed more filiorum accipere, id est, non debet, ut doctor prædicare, ut discipulus accipere.

XCVIII. Qui enim recte credit de Patre, & de Filio, & de Spiritu sancto non recte credit, jam A nec de Patre recte credit. Qui recte credit de Filio, & de Patre, & Spiritu sancto non recte credit, jam nec de Filio recte credit. Qui recte credit de Spiritu sancto: & de Patre, & Filio non recte credit, jam nec de Spiritu sancto recte credit. Qui recte credit de tota Trinitate, & de sola incarnatione filii Dei non recte credit, jam non recte credit de tota Trinitate. Sic & cum totam legem Christi observaverit, & in unum offenderit, jam totam legem offendit. Si cognoveris legem, cognosces & Evangelium. Quia Evangelium sic est de lege, sicut granum tritici de palea. Et nullum granum potest ad maturitatem venire, nisi intra paleam latitaverit. Hoc est granum tritici, quod B in terram cecidit, & non multiplicavit. Ipse est Christus, ipse est panis, quem nunc comedimus. Sed & ipsum granum medullam habet, pinguedinem habet, adipem habet unde satiamur, secundum Prophetæ dictum: *Et adipe frumenti satiat te*. Pinguedo in grano est, divinitas in carne. Granum in palea est, Evangelium in lege. Est occultatum Evangelium in lege, & occultus Christus in littera. Est & occultata divinitas in carne. Legunt carnales Judæi legem, & non intelligunt Evangelium. Legunt carnales Christiani litteram, & non intelligunt spiritum. Clamant Christiani Christum, & non intelligunt divinitatem. Ac per hoc glorificant se Judæi de lege: sed eam non habent, cum Evan- C gelium non habent; quia panem non habent. Glorificant se & carnales lectores de littera in ecclesia: sed eam non habent, quando spiritum non habent. Glorificant se Christiani de fide, sed Christum non habent, qui divinitatem non habent. Quamobrem nihil habet ex parte, qui totum non habet. Nam cum *littera occidat, spiritus autem vivificet*, necesse est illa spiritualium interiora sermonum, spiritu vivificante, penetrare. Universam porro scripturam tam veteris Testamenti, quam novi, ad intellectum allegoricum esse sumendum.

XCIX. Nam ipsa allegoria quatuor modis in scripturis divinis est requirenda. Primus est secundum D translationem, ut est illud: *Iratus est Dominus & descendit*, & similia, quæ ad insinuandas caussas, & hominum motus transferuntur ad Deum. Alia est secundum imaginationem, vel hypotyposeos, ut est illud: *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jerico*. Et parabola vineæ, atque agricolarum. Ordo enim eorum, quæ agebantur a Christo, velut imaginem personæ, & negotii alterius refertur impletum. Tertia est secundum comparationem, vel similitudinem, ut est illud: *Simile est regnum cælorum grano sinapis*, & cetera. Non enim narratio, sicut in superiori exemplo contexitur, sed caussarum solummodo comparatur effectus. Quartus est secundum proverbialem modum, ut est illud Sa- E lomonis: [a] *Bibe aquam de tuis vasis, & de tuis puteis*. Vult scriptura carnalem concupiscentiam monere refrenandam esse intra jugalem licentiam. Has nostras allegorias Judæi non recipiunt. Carnales Christiani non intelligunt, & inde Christum hominem esse Deum non confitentur. Denique velavit Moyses faciem suam, & sic est populo locutus. Velata fuit Moysi usque ad Christum bibliothecæ facies, & in fine hujus bibliothecæ revelata est. Et inde sic incipitur revelatio Christi, quam dedit illi Deus palam facere servis suis, [b] *quæ oportet fieri cito*. Hæc Joanni revelata est: quæ tota bibliotheca unus liber est, in capite velatus, in fine manifestus. Qui liber duo testamenta dicuntur, vetus

a Prov. V. 15. b Apoc. I. 1.

SÆC. VIII. CIRCA ANN. CHR. 785.



& novum. Et unum est tamquam unus gladius ex A utraque partes acutus. Et hinc inde, id est, in Lege, & Evangelio acuitur, ut fideles armet, & interficiat infideles: ficut idem in Apocalypfi, de ore Domini gladium ex utraque parte acutum egredi teftatur, id eft, verbum ejus. Quælibet bibliotheca totus fic eft intelligendus, tamquam unus homo.

C. Denique homo perfectus ex tribus conftat, id eft anima, corpore, & fpiritu: ficut Apoftolus dicit: *Deus pacis fanctificet vos ad perfectum: & integer fpiritus vefter*, anima, & corpus, *fine querela in adventum Domini noftri Jefu Chrifti judiciumque refervetur*. B Non quod altera fit anima in fubftantia, & alter fpiritus, ficut altera fubftantia eft anima, & altera caro; fed ipfa anima unus eft idem fpiritus. Sed dum exteriorem carnem affligit homo per pœnitentiam, fecundum Apoftolum, *interior anima renovatur de die in diem in cognitione Dei*. Et poftquam cognoverit Deum, dicitur fpiritus, id eft contemplativus fervus Dei, quia Deum contemplatur. Per vitam contemplativam videt Deum, non in corpore, fed mente. Quæ mens fic eft in actione animæ, ficut caput in corpore. Qui fpiritus fic eft in actione mentis, ficut oculi in capite. Et ficut homo videt per oculos, & difcernit lucem a tenebris, & in die ambulat, aut operatur, C quia participat lumen oculorum fuorum cum lumine folis, & utrumque unum lumen eft; fic ille fpiritus, qui lumen eft, participat cum Chrifto, qui fol eft, & fit unum lumen utrorumque, id eft, unus fpiritus: fed non eft ipfe fpiritus, quem dicimus, cum Dei fpiritu una natura.

CI. Cum dicimus lumen & lumen, quia aliud eft lumen inluminans, aliud lumen inluminatum: ficut aliud eft fol inluminans, aliud oculi inluminati. Qui oculi in tenebris non vident, nifi participentur lumini, aut foli, aut lucernis, qui fol Chriftus intelligitur. Lucernæ vero patres fancti, id eft, prophetæ, apoftoli, atque doctores. D Tenebræ vero funt, in quibus homo non participat luci, diabolus, & angeli ejus, homines mali, & peccata, quæ facimus, pro quibus cæcamur, & Deum videre non poffumus. Et tamen ille femper in lumine eft, & nos videt. Et omnes fancti, qui in lumine cum eo funt: & nos putamus, quod nemo nos videt, cum malum cogitamus, aut facimus. Et tunc non fumus cum Deo: fed Deus nobifcum eft, qui ubique lumen eft, licet nos in tenebris fumus, qui tunc cum diabolo, & hominibus malis una tenebræ fumus, cum operibus illorum participamus. Sic tunc non fumus cum Deo, & ille nobifcum eft: ficut cæcus non videt lumen folis, & E tamen lumen folis totum corpus ejus inluminat, fed fol fe non mutavit: fed cæcus, qui lumen fui corporis perdidit. Sic Deus fe numquam mutat, fed nos, qui lumen animæ perdimus per peccatum.

CII. Hoc totum quare diximus? Quia unum hominem anima, corpore, & fpiritu, id exemplo bibliothecæ infinuare voluimus. Qui homo tantum ex duobus fubftantiis conftat, id eft, corpore, & anima. Corpus habet partem mundi, unde ducit originem. Anima vero non habet originem, quia fpiritus eft, & ad imaginem Dei factus eft: quæ ex utroque unus homo compofitus eft. Et ipfa anima rationalis eft, ficut angelus, & intelligit cum angelis: & ipfe fpiritus, quem fupra diximus, ipfe intellectus animæ, hoc eft, fuperior intellectus, quod græce dicitur, Anagoge, id eft, intellectus angelicus, per quem Deum videt. Et cum fupra tendit, fit cum Deo, & angelis unus fpiritus. Et cum ad corporalia flectitur, & nimis pro corpore cogitat, fit mundi amator.

CIII. Et dicitur ifte mundus, quia Chriftum odio habet. Si fuiffet cum Deo erat Deus, non natura, fed gratia. Sed quia fervit mundo, id eft corpori, tunc non dicitur imago Dei, fed homo, Propheta atteftante, qui ait: [a] *Et homo in honore cum effet, non intellexit. Comparatus eft jumentis infipientibus, & fimilis factus eft illis*. In honore eft, quando in fuperiori intellectu cum angelis intelligit; & pro hoc laborat, ut ad angelorum æqualitatem perveniat: & panem quotidianum in nomine Jefu Patrem dare fibi poftulat, ut in æternum cum illo vivat æternus. Cum vero pro ea laborat, quæ æterna non funt, & terrena funt, & corporalia funt, & videntur, perdet imaginem & fimilitudinem Dei, & *comparatus eft jumentis infipientibus, & fimilis factus eft illis*. Quæ totum una anima agit, & ipfa eft, quæ cæleftia concupifcit æterna, & oblivifcitur temporalia. Et ipfa eft, quæ terrena lucra temporalia conquirit, & cæleftia oblivifcitur: & non poteft cælum & terram fimul lucrari, nifi unum dimiferit. Et habet ipfa anima multa nomina per actiones, quas difcurrit, cum fit fubftantia una: quæ dum contemplatur Deum, fpiritus eft. Dum fentit, fenfus eft. Dum fapit, animus eft. Dum intelligit, mens eft. Dum difcernit, ratio eft. Dum confentit, voluntas eft. Dum recordatur, memoria eft. Dum membra vegetat, anima eft. Et hæc quidem dum multiplici conftent appellatione, non tamen ita dividuntur in fubftantia, ficut in nomine: quia ifta omnia una eft anima. Et in parte, qua fe flexerit, ipfius partis nomen accipit, quia partes ejus funt ifta, quæ dixi. Hoc totum pro fpiritu ifta diximus, ut hæreticis calumniandi affertionem tolleremus. Quia unum hominem integrum, atque perfectum fpiritu, anima, & corpore, fecundum Apoftolum conftare firmavimus.

CIV. Quo firmato, ad bibliothecam noftram, Deo inluminante redeamus. Et ficut unum hominem integrum ex tribus conftare diximus: & a bibliotheca noftra unum librum integrum ex tribus conftare explanemus, id eft, littera, tropologia, & myftica intelligentia. Littera eft, ficut corpus hominis. Quæ littera ipfa eft hiftoria. Tropologia fic eft, ficut anima hominis. Myftica intelligentia fic eft, ficut fpiritus hominis. Corpus ergo facræ fcripturæ, ficut diximus, littera eft. Et anima in morali fenfu qui tropicus dicitur; fpiritus vero in fuperiore intellectu angelico, qui anagoge appellatur. Corpus eft litteræ, cum dicimus: *Ambulabat Dominus. Defcendit Dominus. Caput Domini*, capillos, oculos, aures: *Juravit Dominus per animam fuam*: & tota hiftoria, quæ legitur, & auditur, & fyllabis comprehenditur; & litteris emendatur: & cetera hujufmodi fimilia, quæ ad exteriorem auditum pertinent, tam legentibus quam audientibus communiter, totum corpus eft litteræ exterioris, ficut corpus eft hominis exterioris. Quæ fi omnia, quæ leguntur, fecundum litteram, id eft, corpus litteræ exterioris, ficut ad aures publicas fonat, fic ea voluerimus intelligere, tales erimus, ficut & ille, qui cæleftia oblivifcitur, & terrena lucra fecta-

a Pfalm. XLVIII. 13.

tur, & tantum corpus suum, non animam diligit. Et tamen utrique *comparati sumus jumentis insipientibus*. Unam comparationem habemus, & vita sumus dissimiles: quia ille est sæcularis, qui mundum amat, & ego religiosus, qui litteras. Sed ab una comparatione, id est, ab una lancea occidimur, quia utrique corpora amamus, utrique corpora videmus. Quæ & in ipsa historia est aliquid, quod sicut audivimus, & tenemus, & sic intelligantur, sicut audiuntur. Et sic diligimus ea, & observamus. Quod si & illa ad allegoriam reduxerimus, & volumus ea mutare, tale est, tamquam si corpus nostrum omnino occidimus, & non damus ei, quæ necessaria sunt, sine queis corpus vivere non potest, id est, cibo, potu, somno, & vestimento. Si hæc facimus, jam non erit corpus, quod currat pro anima. Jam non erit anima salva, quæ corpus suum occidit contra naturam.

CV. Quæ sunt ista, quæ diximus? Sunt hæretici, nomine Circumcelliones, qui amore martyrum semet ipsos interficiunt. Tales sunt & illi lectores, qui omnino animam litteræ a corpore nudare quærunt. Nam sicut corpus stat pro se, & recipit actionis suæ vicem: sic & historia aliquando per se, ut aliud non intelligatur per significationes, similitudines, & figuras, nisi tantum secundum corpus litteræ sicut auditur. Historia est Christus Dei filius, natus de virgine Maria, crucifixus sub Pontio Pilato. Mortuus & sepultus. Descendit ad inferos. Tertia die resurrexit vivus a mortuis. Ascendit ad cælos. Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Hæc pro se stat, sicut auditur. Non est allegoria: Non significavit alterum Christum, sicut patriarchæ, & prophetæ hunc significaverunt, & prædicaverunt esse venturum. Illi prædicaverunt, non se, sed Christum. Christus prædicavit semet ipsum, missum a Patre, dicens: *Sic dilexit Deus mundum, ut filium suum unigenitum daret in mundo: ut omnis, qui credit in eum, non pereat: sed habeat vitam æternam.* Nos vero cum apostolis, & doctoribus prædicamus eum jam venisse humilem, ut nos qualiter viveremus doceret. Et secundo eum expectamus in gloria majestatis suæ redire: & regulam, quam posuit requirere: & unicuique secundum opera sua reddere. Hæc historia, sicut auditur, ita ab omni ecclesia creditur, & tenetur. Sic etiam decem præcepta legis, quæ in duas tabulas scripta sunt, sive decimæ; sicut audiuntur, ita intelliguntur, & tenentur. Hoc totum corpus litteræ est, tamquam corpus hominis.

CVI. Veniamus ad interioris litteræ moralem sensum, quem tropicum diximus: quem etiam in exemplo animæ posuimus, qualiter de exterioris litteræ corpore, ad interiorem intellectum, tamquam ad interiorem animam rationalem ascendere valeamus. Omnis enim lector, qui de historia ad moralem scientiam ascendit, & non pervenit ad spiritum litteræ, talis est, sicut quodlibet animal: tantum constans ex corpore. Moralis scientia dicitur, id est, secundum mores: ut cum nominat scriptura, ut puta hominem, intelliguntur ejus mores, quia sensum habet, & rationalis est. Cum nominat animal, ut puta bovem, intelligitur quia ungulam dividit, & ruminat, & sub jugo est. Cum vero nominat asinum, vel quodlibet jumentum, intelliguntur eorum mores, quia ruminant, nec ungulam dividunt. Cum nominatur camelus, intelligitur ruminare, & ungulas non dividit. Cum nominatur porcus, intelligitur ungula dividi, & non rumina-

A re. Cum nominatur leo, intelligitur omnium fortissimum esse bestiarum. Sic & ursus, lupus, aut vulpecula, secundum suæ naturæ actiones, uniuscujusque intelliguntur mores. Sic etiam de ceteris animalibus reptilibus, sive volatilibus, quæ scriptura sacra commemorare solet. Quæ omnia mores hominum sunt intelligendi, ut per ipsa lector agnoscat vitam, vel mores hominum intra ecclesiam. Sed istos mores non potest discernere, nisi integer homo, id est, spiritus, anima, & corpus. *Spiritualis homo omnia judicat: ipse autem a nemine judicatur*. Nam sicut spiritualis nomen trahit a spiritu, sic animalis ab anima. *Et animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei*, ut ait Apostolus. B Sic etiam carnalis nomen trahit a carne, secundum Apostoli dictum: *Cum audio rixas inter vos, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* Nihil prodest lectori, si totam bibliothecam memoriter recitet, & moraliter interpretetur; si non pervenerit ad spiritum. Quare? Quia non est integer homo, id est, spiritualis: sed tantum animalis, & carnalis est. Ad hunc spiritum nemo potest venire, nisi ab actione exteriori vacaverit: & vitam contemplativam tota mentis suæ intentione secutus fuerit. Nam quilibet carnalis potest omnem bibliothecam legere, & recitare; potest etiam eam & moraliter interpretari, & dicere: Ecce quid significavit Noe, qui arcam in diluvio C erexit. Quid Abraham, Isaac, & Jacob. Quid Joseph venditus in Ægypto. Quid Moyses, qui eduxit populum de terra Ægypti. Quid Josue, qui eis terram repromissionis divisit. Quid David rex, & Propheta. Quid Prophetæ significaverunt, nisi hi omnes Christum? Potest & dicere: Ecce quid significant sol, luna, & stellæ. Quid mare & pisces. Quid flumina, & fontes. Quid montes, & colles. Quid herbæ, & arbusta?

CVII. Et quia pleraque, sive in bonam partem, sive in malam, duobus modis intelligenda sunt, secundum scripturas potest facere rationem. Attamen cum venerit, & de animalibus disputare cœ- D perit, quid significent volatilia, quid reptilia, quid quadrupedia, quid animalia munda, quid immunda; quid bestia, id est, leones, ursi, lupi, vel vulpeculæ, quid greges ovium, vel vaccarum, aut columbæ, vel gallinæ. Jam hic non discernit, quid sit lupus, aut quid ovis, cum fortasse & ipse lupus est, & solus in tenebris ambulat, ululando: & oves, quæ ingressæ sunt sub pastore, desolat, & spargit. Nam lupus, aut ursus, aut quælibet bestia, quæ carne vescitur, non est sub pastore, nec in domo creatur, nec in grege ambulant, nec munda sunt, nec cibo hominum apta sunt. Animalia vero quælibet munda in grege ambulant, & sub pastore sunt. Includuntur, & a bestiis defenduntur, E & ad cibos hominum apta sunt. In hoc cognoscimus hunc interpretem, si lupus, an ovis sit. Nam si ovis est, in grege est, in multitudine est, in simplicitate est, sub pastore est. Includitur in ovile, herbas scripturarum manducat, non carnem fratris sui. Cibus Domini sui est, a quo regitur, & custoditur. Illius, qui dixit: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus*. Nam si in grege non ambulat ovium, id est, in multitudine monachorum; licet totam bibliothecam recitet, & secundum mores interpretetur, non est ovis; sed lupus solitarius. Bestia est. Foras domum est. Oves dominicas invenit. Non interpretatur scripturas, quod auditis: sed ululat, quia non tractat. Quid facis? Non eum videmus

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 785.

aliquid mali facere? Non credatis. Hypocrita est. Pellem ovinam in superficie gestat. Nam sub pelle lupus est, id est, sub littera, hæreticus est. Homo integer non est. Anima tantum, & corpus est. Spiritus non est: ab spiritu separatus est. Omnes ita separare vult, dividere vult, sicut ille divisus est. Scindere vult, sicut ille scissus est. Spargere vult, sicut ille sparsus est. Et ideo deforis venit, & de domo vult rapere, quia non est ovis, sed lupus. Nam cum leguntur in scripturis animalia sive munda, sive immunda, allegorice mores hominum intelligendi sunt, non secundum corpus litteræ, ut audiuntur. Nam si oves non essent & lupi in ecclesia, non diceret Dominus discipulis suis: [a] *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes, sicut serpentes, & simplices, sicut columbæ.* Præcepit nobis Dominus, ut habeamus simplicitatem columbæ, & in una ambulemus classe: ne cujusquam fraudibus macinemus. Habeamus & serpentis astutiam, ne alicujus subplantemur insidiis.

CVIII. Hoc totum quare diximus? Quia unum hominem integrum, tamquam unam bibliothecam exponere inchoavimus: & in ipsam bibliothecam, quæ sicut unus homo, ita est: quo facilius intelligatur, more hominis exponenda est. Nam illa integra est; & homo sine illa integer non est. Et nemo ad Christum sine illa pervenire potest: quia ipse liber perfectus est. Diximus de corpore litteræ, tamquam de corpore hominis. Diximus de morali scientia, id est, rationes morum: de interiori ratione litteræ, per quod cognoscuntur mores hominum.

CIX. Dicamus de spiritu litteræ, ubi invenitur Deus, sicut & de spiritu hominis diximus, qui videt Deum. Hæc omnia, quæ supra diximus, sive quæ dicere habemus, tam veteris, quam novi scriptura testamenti, ad intellectum allegoricum accipiendum admonet nos vel illud, quod in veteri Testamento legimus: [b] *Aperiam in parabolis os meum: Loquar ænigmata antiqua.* Vel illud, quod in novo Testamento scribitur, cum dicit: [c] *Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas: & sine parabolis non loquebatur eis.* In parabolis enim & credentes discipulos docebat: & incredulos adversarios convincebat. Nam sermo divinus, id est, prophetarum & apostolorum talem habet consuetudinem, ut illa, quæ vilia sunt, & carnalia deforis ostendat, ut omnes, tam carnales, quam spirituales, qui legerint, vel audierint, in plano habeant. Illa vero quæ spiritualia sunt, & speciosa, intus lateant, ne illa cælestium archangelorum dignitas, omnibus indiscrete pateret: & sanctum canibus, & margaritas porcis exponeret. Et quia exterior littera, id est historia, quod est eloquentia, argenti nomen interpretatur: & intelligentia spiritualis auri nomine intelligitur, & unus Spiritus sanctus utrasque dictavit: ut vere ad illius columbæ deargentatæ modum, cujus posteriora specie aurei splendentis inradiant: ita scripturæ divinæ, quæ planæ sunt in littera, argento fulgerent: & occultiora sub littera auro rutilarent. Recte itaque divina dispensatione provisum est, ut illa eloquiorum argenti castitas, a promiscuis omnium oculis abscondita, quasi aliquo velamine pudicitiæ, ipsa scriptura contegeretur, cælestibus obumbrata mysteriis, sicut secreto suo ipsa divinitas occultabatur. Nam tunc manifestata est illa angelica scientia, quæ abscondita latebat sub littera, quando ipsa divinitas per carnem est manifestata. Hic enim in interiori littera, id est, spiritu inveniuntur illa Domini interiora templa: heic illa sancta sanctorum, ut jam qui ibi ingreditur, cum Domino loquatur: sicut in Canticis Canticorum ex voce sponsæ, quæ est anima, dicitur: [d] *Surgam, & circuibo civitatem, per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea. Quæsivi illum, & non inveni.* Ac si aperte dicat, Consideravi omnem gloriam præsentis sæculi; inspexi congregationes infidelium, & diversas sectas philosophorum, sed neque illic inveni, quem diligit anima mea. Id est, cum pertransissem hujusmodi homines, qui apud sæculum varia scientia clari putantur, & cum eorum superstitiosis adinventionibus restitissem, eorumque stultam sapientiam reprehenderem; inveni quem diligit anima mea. In me est enim Apostolus ille, qui de talibus dicit: *Sapientiam loquimur inter perfectos: Sapientiam autem, non hujus sæculi, neque principum sæculi, qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram.* Et quia ipsa sapientia, quæ Christus est, apud tales non invenitur, quid sequitur audi: *Quam nemo principum hujus sæculi cognovit. Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent: sicut scriptum est: Quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quod præparavit Deus his, qui diligunt eum.* Et quia dimissis, & expulsis tabulis, invenit anima, quem diligit; audi, quid sequitur: "Nobis autem revelavit Deus per spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei." Omnis autem disciplina religionis ex illo duplici scientiæ fonte emanat. Id est, quæ activa, & contemplativa vita dicitur. Activa, in qua mores suos emendat. Contemplativa vero in contemplatione cælestium, & divinarum scripturarum disputatione versatur. Quæ non potest venire ad spiritum, nisi per historiam, quæ est corpus litteræ, tamquam corpus hominis: deinde ascenderit ad moralem scientiam: quæ sic est in historia, tamquam anima hominis in corpore: deinde ascenderit ad spiritum: qui sic est in morali scientia, ubi Deus invenitur, sicut spiritus est in anima, ubi Deus videtur.

CX. Ecce hominem integrum, corpore, anima, & spiritu. Ecce & librum integrum, historia, tropologia, & mystica intelligentia. Ecce & Christum integrum, Verbum, anima, & caro. Si ex tribus unum subtraxeris homini, aut carnem, aut animam, aut spiritum, homo integer non est. Et cum integer non fuerit, pecus erit: quia in sola anima, & carne remansit. Sic & huic libro. Si ex tribus unum subtraxeris, aut historiam, aut tropologiam, aut spiritualem intelligentiam; unde vivas non habes, quia Christum non habes. Hæc scriptura corpus Christi est. Et ipse corpus panis noster est. Hic est liber in ore dulcis & in ventre amarus. Quia cum prædicatur est dulcis, & cum facere cœperimus, quod ibi scriptum est, sine amaritudine pœnitentiæ facere non possumus. Et cum hanc scripturam observamus, & recte intelligimus, & recte toto corde laboramus, & oramus panem nostrum quotidianum, petimus, accipimus, & manducamus. Tunc & nos integri, & librum integrum manducamus; & corpus nostrum, quod est corpus

a Matth. X. 16. b Psalm. LXXVII. 2. c Matth. XIII. 34. d Cant. III. 2.

Christi cum Christo capite jungimur, qui integer, A & perfectus, & cum illo una persona sumus. Nam si de tribus substantiis Christi unam subtraxeris, id est, non eam esse Christum dicis; totum Christum negas, negas Patrem, & Spiritum sanctum. Et cum in unam substantiam Christi offendis, offendis in Deo, quia Deus est Christus. Et cum in Deo offendis, amplius quod offendas, non habes. Sed tunc offendis Deum, quando hunc librum non manducas. Quod si in Evangelio non offenderis, quod corpus est Christi, nec in Christo offendis, quia corpus ejus manducas.

CXI. Si quando audimus sermonem Dei, & sermo Dei, & caro Christi, & sanguis ejus in auri- B bus nostris infunditur. Et nos aliud cogitantes, in quantum periculum incurrimus? & saporem illum dulcedinis, quam gustamus, perdimus: & non sapit, sicut est. Et actione, qua fuerit mens nostra occupata, ut puta in cibo lautiore, aut in potu, aut in vestimento, aut in qualibet re corporali, quod æternum est, talem saporem nobis facit in palato cordis nostri, ipse sermo divinus, qui est panis noster, qualis & ipsa actio est mentis nostræ. Sic enim tradunt Judæi, quoniam Manna quando comedebant, secundum voluntatem uniuscujusque, sic sapiebat in ore. Verbi caussa. Qui Manna comedebant, si desiderabant poma, si uvam, si cucumeres, si cepas, si allia, si panem, si carnes, se- C cundum qualitatem, & voluntatem comedentis, ita sapor in manna erat: sic & in carne Christi, qui est sermo doctrinæ, hoc est, scripturarum sanctarum interpretatio: sicut volumus, ita & cibum accipimus. Si spiritus es, invenies refrigerium: quia manducas adipem pinguissimum, quod est divinitas: & impinguas temet ipsum. Si peccator es, aut superbus, & cetera, quæ non pertinent ad spiritum, invenies tormenta. Hic liber ipse Christus est intus, & foris scriptus: de quo Apocalypsis Joannis dicit: [a] *Et vidi super dexteram sedentis in throno librum scriptum intus, & foris, signatum sigillis septem. Et vidi angelum fortem prædicantem voce magna: Quis est dignus aperire librum, & solvere si-* D *gna ejus? Et nemo poterat, neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum, neque respicere illum. Et ego*, inquit, *flebam multum, quod nemo dignus inventus est aperire librum, neque videre illum. Et unus de senioribus dixit mihi: Ne fleveris Joannes. Ecce vicit Leo de tribu Juda radix David aperire librum, & septem sigilla ejus.*


CXII. Angelus fortis, qui clamabat, omnis scriptura sacra erat. Unus de senioribus, qui Joanni, *noli flere*, dicebat, totum *corpus prophetarum* erat, qui consolabantur ecclesiam, quam Joannes in sua persona præfigurabat: quod solus Christus, de tri- E bu Juda, radix David, redimeret eam. Nam nullus alter inventus est, neque angelus in cælo, neque homo vivens in terra, neque sepultus subtus terram, qui possit solvere hunc librum signatum sigillis septem, & aperire scripturas bibliothecæ. Ubi est Elipandus, qui Christum sibi similem fingit, & dicit: *Et Christus adoptivus, & nos adoptivi. Et ille Christus, & nos christi. Et ille parvulus, & nos parvuli. Et ille servus, & nos servi.* Hic dicit: Nullus est inventus, qui dignus sit aperire librum, & solvere septem signacula ejus. Quo modo est adoptivus cum adoptivis, qui unus liber est? An forte duos libros credis, unus qui litteras contineat, alter qui intellectum? Sed heic nos non poteris eludere, quia unus (*leg.* nullus) liber sine littera est: & nulla littera sine intellectu. Et littera in libro aperto legitur, ut quod legitur intelligatur. Et cum intellexerit, jam gaudet; quia quod foris legebat, intus invenit. Et qui conciderit ipsum librum, paginam, & litteram concidit; intellectum litteræ concidere non potuit. Et tamen & littera exterius, & intellectus interius unus liber est, & sine utroque esse non potest. Tunc si prævales, separa. Sed plane hoc facere non poteris. Sic est Christus liber noster exterius pagina: & littera quod est homo, corpus & anima. Intus divinitas, tamquam intellectus in littera. Quem librum Judæi concidere potuerunt, intellectum tamen, quod est divinitas ejus, nec concidere, nec separare potuerunt.

CXIII. *Septem signacula* hujus libri erunt. Primum, corporatio in utero virginis. Secundum, nativitas. Tertium, passio. Quartum, mors. Quintum, resurrectio. Sextum, gloria. Septimum, regnum. Hæc ergo signacula Christus, dum pro homine cuncta complet, omnia quæ in scripturis erant clausa atque signata aperuit: atque designavit. Hic est ille: *Liber intus, & foris scriptus*. Hic secretus, & publicus. Hic apertus, & occultus. Hic superioribus paginis videndus, interioribus non videndus. Foris comprehensibilis, intus incomprehensibilis. Foris scriptus est, cum Propheta dicit: *Vidimus eum, & non erat aspectus.* Intus scriptus cum ipse Propheta dicit: *Generationem autem ejus, quis enarrabit?* Foris scriptus est, cum Pater dicit: *Filius meus es tu: ego hodie genui te.* Intus scriptus est, cum Propheta dicit: *Speciosus forma præ filiis hominum.* Foris scriptus est, cum Pater dicit: *Pete a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Intus scriptus est, cum Pater dicit: *Eructavit cor meum verbum bonum.* Foris scriptus est, cum Filius dicit: [b] *Deus Deus meus, quare me dereliquisti.* Intus scriptus est, cum ipse Filius dicit: *Longe a salute mea verba delictorum meorum*, id est, longe a divinitate injuria humanitatis. Foris scriptus est, cum Evangelista ait: *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham.* Intus scriptus est, cum Pater dicit: *Ex utero ante luciferum genui te.* Foris scriptus est, cum Propheta dicit: *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum; tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Intus scriptus est, cum Evangelista dicit: *In principio erat Verbum.* Foris scriptus est, cum Esaias dicit: [c] *Ecce virgo accipiet in utero, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel.* Intus scriptus est, cum Filius dicit: *Qui me videt, videt & Patrem meum.* Foris scriptus est, cum Matthæus dicit: *Christi autem generatio sic erat. Cum desponsata esset mater ejus Maria Joseph.* Intus scriptus est: *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Quid utique habens, nisi Verbum Deum? Verbum carnem factum in muliere, *factum sub lege.*

CXIV. Foris scriptus est, cum Apostoli interrogati, quis esset Dominus, dicerent; *Prophetam; alii Esaiam; alii Jeremiam; alii Joannem Baptistam; alii autem unum ex prophetis.* Intus scriptus est, cum Petrus exclamat: *Tu es Christus filius Dei vivi.* Foris scriptus est, cum ad Lazarum lacrymatur, & ubi posuissent eum interrogat. Intus

[a] Apoc. V. 1-5. [b] Psalm. XXI. 2. [c] Isa. VII. 14.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 785.



scriptus est, cum voce magna clamat: *Lazare veni foras*. Foris scriptus est, cum Martha dicit: *Domine, si fuisses heic, frater meus non fuisset mortuus*. Intus scriptus est, cum Dominus dicit: *Resurget frater tuus*. Foris scriptus est, cum Martha hæc dubitat credere, cum dicit: *Scio, quia resurget in resurrectione in novissimo die*. Intus scriptus est, cum Dominus dicit: *Ego sum resurrectio, & vita. Qui credit in me, etsi mortuus fuerit, vivet*. Tunc cognovit mulier sapientiam, quæ latebat in libro. Exclamavit, ut Petrus, & dixit: *Credo Domine, quia tu es Christus filius Dei, qui in hunc mundum venisti*. Foris scriptus est, cum cæcus transeuntem clamat, ut videat. Intus scriptus est, cum stat. Foris scriptus est, cum ex sputo lutum B facit, & linit oculos ejus. Intus scriptus est, cum lavit, & vidit. Foris scriptus est, cum ipse cæcus eum Prophetam esse dicit. Intus scriptus est, cum eum filium Dei credidit, & adoravit. Foris scriptus est, cum Joannes dicit: *Ecce agnus Dei*. Intus scriptus est: *Ecce qui tollit peccata mundi*. Foris scriptus est. *Cujus non sum dignus corrigiam calciamenti solvere*. Intus scriptus est: *Ego testimonium perbibeo, quia hic est filius Dei*. Foris scriptus est, cum Jeremias dicit: *Quasi agnus mansuetus portatus ad victimam*. Intus scriptus est, cum idem dicit: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius præter eum*. Foris scriptus est, cum ipse dicit: *Post hæc in terris visus est, & cum* C *hominibus conversatus est*. Intus scriptus est, cum ipse de se dicit: *Ego sum Alpha, & O mega, principium, & finis*. Foris scriptus est, cum idem dicit: *O Domine, ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ*. Intus scriptus est, cum ipse dicit: *Sicut Pater suscitat mortuos, & vivificat; sic & filius, quos vult vivificat*. Foris scriptus est, cum Pater dicit: *Ecce servus meus, suscipiam eum*. Intus scriptus est, cum Filius dicit: *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt*. Foris scriptus est, cum Filius ad Patrem dicit: *De ventre matris meæ Deus meus es tu*. Intus scriptus est, cum per Zachariam ipse de se Filius dicit: *Ecce ego mittam manum meam super vos, & deprædabuntur, qui deprædaverunt vos*. D *Et scietis, quia ego sum Dominus Deus omnipotens. Et qui misit me, Dominus omnipotens est*.

CXV. Foris scriptus est, cum ipse Patri dicit: *Salva me de ore leonis*. Intus scriptus est, cum ipse in Evangelio pro discipulis dicit: *Pater volo ut ubi sum ego, & ipsi sint mecum*. Non dixit; *Peto*. Foris scriptus est, cum in navi dormit. Intus scriptus est, cum ventis imperat. Foris scriptus est, cum jejunat, & esurit. Intus scriptus est, cum de paucissimis panibus multa millia hominum satiat. Foris scriptus est, cum a Judæis potator vini dicitur. Intus scriptus est, cum de aqua vinum facit. Foris scriptus est, cum dicit: *Pater major* E *me est*. Intus scriptus est, cum dicit: *Ego, & Pater unum sumus*. Foris scriptus est, cum Pater dicit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite*. Intus scriptus est, cum Filius dicit: *Nemo novit Filium nisi Pater: neque Patrem quis novit nisi filius, & cui Filius voluerit revelare*. Foris scriptus est, cum Esaias dicit: *Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus veniet tibi justus, & Salvator, pauper, sedens super asinum indomitum*. Intus scriptus est, cum idem propheta dicit: *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum audient. Tunc saliet claudus, quasi cervus, & clausa erit lingua balborum*. Foris scriptus est, cum ipse per Jeremiam dicit: *Prævaricatione prævaricata est in me domus Juda; negaverunt me, & di-* A *xerunt: Non est ipse*. Intus scriptus est, cum dicit: *Si cognovissetis me, utique & Patrem meum cognovissetis*. Foris scriptus est, cum per Esaiam dicit: *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: sed Israel me non cognovit: & populus meus me non intellexit*. Intus scriptus est, cum per Salomonem dicit: *Ante omnem creaturam ego ex ore Altissimi processi*. Foris scriptus est, cum Esaias dicit: *Et nos putavimus eum, quasi leprosum, & percussum a Deo, & humiliatum*. Intus scriptus est, cum idem propheta dicit: *Oblatus est, quia ipse voluit. Generationem autem ejus quis enarrabit?* Foris scriptus est, cum Propheta dicit: *Radix Jesse, qui stat in signum populorum*. Intus scriptus est, cum dicit: *Ipsum Gentes deprecabuntur*. Foris scriptus est, cum Esaias dicit: *Egredietur virga de radice Jesse: & flos de radice ejus ascendit*. Intus scriptus est, cum angelus virgini dicit: *Quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei*. Foris scriptus est, cum idem angelus dicit: *Vocabitur nomen ejus Jesus*. Intus scriptus est, cum dicit: *Filius Altissimi vocabitur*. Foris scriptus est: *Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus*. Intus scriptus est: *Et regnabit in domo Jacob in æternum: & regni ejus non erit finis*. Foris scriptus est, cum Esaias dicit: *Parvulus natus est nobis*. Intus scriptus est, cum ipse dicit: *Filius datus est nobis*. Foris scriptus est, cum dicit: *Et factus est principatus ejus super humerum ejus*. Intus scriptus est, cum idem dicit: *Et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis*. Foris scriptus est, cum Propheta dicit: *Et requiescet super eum Spiritus Domini. Spiritus sapientiæ, & intellectus. Spiritus consilii, & fortitudinis. Spiritus scientiæ, & pietatis. Et replevit eum spiritu timoris Domini*. Intus scriptus est, cum Filius de ipso Spiritu sancto dicit ad apostolos: *Accipite Spiritum sanctum*. Foris scriptus est, cum ipse Filius dicit Judæis: *Si non venissem, & locutus vobis non fuissem, peccatum non haberetis*. Intus scriptus est: *Qui me odit, odit & Patrem meum*. Foris scriptus est, cum idem dicit Filius: *Expedit vobis, ut ego vadam ad Patrem. Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos*. Intus scriptus est, cum dicit: *Mittam eum ad vos*. Foris scriptus est: *Ille me clarificabit*. Intus scriptus est, cum dicit: *Ille de meo accipiet, & annunciabit vobis*. Foris scriptus est, cum dicit: *Pater venit hora: clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te: sicut dedisti ei potestatem omnis carnis: ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam*. Intus scriptus est, cum dicit: *Hæc autem vita æterna, ut cognoscant te solum, & verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*. Foris scriptus est, cum angelis, & parentibus minoratur. Intus scriptus est; cum angelorum, & hominum Dominus invenitur. Foris scriptus est, cum a diabolo tentaretur. Intus scriptus est, cum ei angeli ministrant. Foris scriptus est, cum eum mater ejus & fratres foris stantes videre quærunt. Intus scriptus est, cum extendens manum super Apostolos, dicit: *Ecce mater mea, & hi fratres mei, qui faciunt voluntatem Patris mei, qui in cælis est*.

CXVI. Foris scriptus est, cum dicit: *De die autem & hora illa nemo scit, neque angeli cælorum, neque Filius, nisi solus Pater*. Intus scriptus est, cum dicit: *Dies ultionis in corde meo*. Foris scriptus est, cum filiis Zebedei dicit: *Sedere autem ad dexteram meam, non est meum dare vobis: sed quibus paratum est a Patre meo*. Intus scriptus est, cum dicit: *Sedebitis super thronos, judicantes duo-*

decim tribus Israel. Foris scriptus est, cum dicit pro discipulis: *Pater, sanctifica eos in veritate*. Intus scriptus est, cum dicit: *Et ego pro eis sanctifico meipsum: ut sint & ipsi sanctificati in veritate*. Foris scriptus est, cum dicit: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent, aquæ vivæ*. Foris scriptus est, cum dicit: *Qui credit in me, non in me credit; sed in eum, qui misit me*. Intus scriptus est, cum dicit: *Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*. Foris scriptus est, cum dicit: *Ego non judico quemquam. Est qui quærat, & judicet*. Intus scriptus est, cum dicit: *Neque enim Pater judicat quemquam: sed omne judicium dedit filio: ut omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat filium, non honorificat Patrem, qui misit illum*. Foris scriptus est, cum dicit: *Omnis, qui me negaverit coram hominibus, negabo ego & eum coram Patre meo, qui in cælis est*. Intus scriptus est, cum dicit: *Qui autem me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui est in cælis*. Foris scriptus est, cum Daniel dicit: *Aspiciebam: & ecce cum nubibus cæli, quasi filius hominis veniebat*. Intus scriptus est, cum dicit: *Omnis populus, tribus, ac linguæ ipsi servient. Potestas ejus potestas æterna, quod non auferetur: & regnum ejus, quod non corrumpetur*. Foris scriptus est, cum Esaias dicit: *Ecce intelligit servus meus*. Intus scriptus est, cum David dicit: *Quis in nubibus æquabitur Domino? aut quis similis erit Deo inter filios Dei?* Foris scriptus est, cum ipse per Salomonem dicit: *Dominus creavit me in initio viarum suarum in opera sua*. Intus scriptus est, cum dicit: *Ante colles ego parturiebar*. Foris scriptus est, cum Apostolus dicit: *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*. Intus scriptus est, cum ipse Filius de se dicit: *Sic dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum daret; ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam*. Foris scriptus est, cum Paullus dicit: *Quia Deus Filio suo proprio non pepercit: sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Intus scriptus est, cum idem apostolus de ipso filio dicit: *Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, & semetipsum tradidit pro me*. Foris scriptus est, cum Filius de se dicit: *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum; sed ut salvetur mundus per ipsum*. Intus scriptus est, cum Paullus dicit: *Gratia vobis, & pax a Deo patre nostro, & Domino Jesu Christo, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut nos eriperet de præsenti sæculo nequam, secundum voluntatem Dei, & Patris nostri, cui est gloria in sæcula sæculorum*.

CXVII. Et quia una voluntas, & una potestas est Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & Pater misit Filium, secundum quod minor est: & Filius ipse se misit, secundum quod æqualis est: & Pater tradidit, & dedit Filium, secundum quod minor est: & Filius tradidit, & dedit semetipsum, secundum quod Patri æqualis est. Sed, ut loquebamur, foris scriptus est liber iste, cum flagellatur & cæditur. Intus scriptus est, cum infirmis sanitatem præstat. Foris scriptus est, cum affligitur cruci. Intus scriptus est, cum paradisum latroni promittit in cruce. Foris scriptus est, cum spiritum moriens secundum rationem humanæ carnis emittit. Intus scriptus est, cum in passione sol fugit, dies absconditur, terra concutitur. Foris scriptus est, cum sepelitur. Intus scriptus est, cum tertia die sepulcri liminibus remotis erumpit in lucem. Foris scriptus est, cum Apostolis clavorum, & lanceæ vulneribus ostensis, escam etiam postulat. Intus scriptus est, cum inter eosdem apostolos clausis ostiis apparet, qui intra se visus non fuisset.

CXVIII. Sed miro modo, cum interior scriptura libri magis obscura sit, amplius hominum mentes turbat exterior. Et videmus illa, quæ videri per hominem non possunt: ita, quæ possunt per hominem videri, nova ratione non vident. Nam & ipsi Manichæi in divinitatem credunt: æqualem Deo Patri Filium, & eum veram carnem habere non confitentur; & mira perversitate, quod vident negant: & quod non vident, confitentur. Invisibilem in virtutibus recognoscunt: visibilem in homine, quod plus possibile esse debuit, non agnoscunt. Sic Elipandus cum sua doctrina, æqualem Deo Patri Filium confitetur in Divinitate, & cum Dei filium negat in humanitate: & sibi eum similem deputat, & insaniendo in tantam prorupit perversitatem, ut nullam inter se, & hominem Dei filium, Deum verum, differentiæ faceret distinctionem, cum diceret: *Et ille Christus, & nos christi. Et ille adoptivus. & nos adoptivi. Et ille parvulus, & nos parvuli. Et ille servus, & nos servi: quia non per illum visibilia & invisibilia facta sunt*. Mira perversitate incredulitatis ejus interiorem partem libri confitetur: & exteriorem partem libri negare non erubescit, cum ex utroque unus sit liber. Et cum exteriorem partem libri negat, & interiorem non habet. Quia nullus lector sine libro intellectum interioris libri invenire potest. Nam qui dicit, solum interior pars est liber, exterior non est: quid iste vult dicere, cum illa, quæ videt neget; & illa, quæ non videt, confingat; & aperta fronte ecclesiam illudat? Sed non potest nos inludere, quia libri exteriorem partem nobis relinquit, & ille vacuus abscedit. Ipsi & interiorem partem libri habemus, qui exteriorem partem tenemus: cum beatus Joannes & invisibilem, & visibilem librum, intus & foris scriptum, id est, Deum, & hominem brevi quasi charactere significaverit. Sic enim ait: *Quod fuit ab initio, fratres, quod audivimus*. Ecce libri illius interiorem partem. Aperi nunc oculos, & vide, quid sequitur: *Et vidimus oculis nostris, & manus nostræ palpaverunt de Verbo vitæ*. Ecce libri pars exterior, quæ oculis, & manibus subjecta hominum & videri, & tractari potest. Hanc partem libri exterioris Elipandus ignorat. Ille apertus liber est in tantum, ut etiamsi totus mundus in eo voluisset credere, etsi literas ignorasset, solummodo qui eum imitatus fuisset, nullus perire poterat. Quod si mendacium dicimus, quei Apostoli rustici, qui in eo crediderunt, & eum imitati sunt, nullus ex eis periit, nisi unus filius perditionis Judas, qui eum non Deum, sed hominem credidit? Nam cum Dominus diceret, & crimen in numeros mitteret, *unus vestrum me tradet*, ut quem remorderet conscientia, pœnitentiam ageret, omnes tremefacti dixerunt: *Numquid ego sum Domine?* Et hoc Petrus dixit: *Numquid ego sum Domine?* Jacobus dixit: *Numquid ego sum Domine?* Joannes dixit: *Numquid ego sum Domine?* Sic & cæteri dixerunt. Judas vero quantum erat superbus & elatus, despectum habuit Dominum nostrum Jesum Christum. Noluit dicere, *Domine*: sed dixit: *Numquid ego sum, Rabbi? Numquid ego sum, magi-*

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 785.

ster? Aperte apparet, quod non Christus in eo habitabat: sed ille, qui dixit: *In cælum ascendam, super altitudinem nubium ponam thronum meum ab aquilone; & ero similis altissimo*. Cur despectum habuit dicere Domino Deo, *Domine*, sicut ceteri dixerunt: sed dixit: *Numquid ego sum, magister?* Viderat oculis suis misellus virtutes, & mirabilia, quæ fecerat Dominus, & eum Dominum negat ad faciem.

CXIX. Videat ecclesia, ne forte & Elipandus de ipsa doctrina sit, qui despectum habet hominem dicere Deum. Si Deus servus est, ergo totius Trinitatis servus est: quia Trinitas ipse est Deus. Si Trinitatis servus est, ubi habet Filium Dei, qui natus est de virgine, quem angelus annuntiavit virgini dicens: *Ecce concipies, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur*. Ecce Jesum Filium altissimi Patris, non Filium Spiritus sancti, non Filium Filii, quomodo est tecum servus? Tu si servus Dei es, totius Trinitatis servus es, id est, uni Deo, quia tota Trinitas unus Deus. Et Pater Deus est: & Jesus Filius ejus, qui de virgine natus Deus est, & ipsa tertia in Trinitate persona, Spiritus sanctus Deus est. Ecce Trinitatem expressam, & tres personas proprie sibi subsistentes. Jesus Christus, qui de virgine natus est, non ipse Pater, nec Spiritus sanctus. Solus ipse dixit: *Pater, clarifica filium tuum*. Hoc non dixit Pater, neque Spiritus sanctus. Solus Pater respondit Filio: *Et clarificavi, & clarificabo*. Hoc non respondit Filius, nec Spiritus sanctus. Solus Spiritus sanctus super Jesum baptizatum apparuit, non Pater, neque Filius. Et hi tres vere tres, quia unum sunt, natura scilicet, non persona. Et ille Deus, & ille Deus, & ille Deus. Et ille omnipotens, & ille omnipotens. Quomodo nunc & ille servus Dei, & tu servus Dei, & ambo unum Deum habetis? Si ita credis, ut dicis, non Deum omnipotentem, sed conservum tuum Jesum confiteris; aut certe te exaltas, ut quartus omnipotens sis: aut certe eum humilias, ut similis tui sit.

CXX. Sed licet humilis tibi æstimetur, non potest tibi esse similis, quia & ipsa conceptione humana, multum dissimilis tibi est. Ille conceptus de Spiritu sancto, non de virili semine, solus sine peccato. Tu vero de virili semine, de massa perditionis, & concupiscentia utrorumque parentum. Et natus de muliere in peccatis conceptus, & in peccatis natus. Ille inter homines solus natus de virgine, & solus sine peccato conceptus, & solus sine peccato natus. Ille solus plenus Spiritu Sancto: tu fortasse, aut ego, aut quilibet, si accepimus, de ipso accepimus. Quia sic ille accepit, ut nos omnes de illo accipiamus. Ille ad plenitudinem, nobis vero, quantum dare jubet.

CXXI. Sed tu dicis: Ego quod dico, tantum de homine dico. Et ego nunc quod dixi, tantum de homine dixi. Sed neque in quo homo est, nullus angelorum similis ei est; sed neque homo, qui de muliere natus est. Dictum est de Joanne, quod *magnus erit coram Domino*. Dictum est de Christo: *Hic erit magnus*, sed non coram Domino, quia ipse Jesus est *magnus Dominus noster, & magna virtus ejus: & sapientiæ ejus non est numerus*. Quomodo poterit esse Jesus Christus cum christis; & adoptivus cum adoptivis; parvulus cum parvulis; & servus cum servis? Tanta controversia, interiorem partem libri unius, quod est incomprehensibile, & invisibile comprehendere: & quod est visibile, & comprehensibile, non videre: sed publice negare. O cæcitas! O ignoratio veritatis! O nimiam elationem, & sui damnandam præsumtionem! Isti sunt, qui Deo ipsi se præferunt sic credendo. Et si isti in carne constituti, adhuc exspectant resurrectionem, & spiritualiter se vivere profitentur, qui tantum homines sunt, & a Deo facti sunt: & ista possint habere, post mortem a Deo acceperunt: & Deum se hominem facere potuisse, non credunt. Minor enim sine dubio ab istis Deus est, si quod isti possunt, ille non potuit. Nam si isti possunt in carne constituti alienam capere naturam, cur ille in carne positus suam servare non posset? videlicet, ut semper Deus sit; nec corruptelæ admixtus carnis humanæ incipiat esse corruptus. Mira disputatio veritatis, dum vult Deum honorare, dijudicat. Majoris enim virtutis est obtinere interna substantia deitatem, quam Deum spiritualiter in deitate durare. Quid ergo mirabor in Deo, nisi quod cum homo esse dignatus sit, tamen in homine, quod Deus esset, apparuit? Hoc est mirabile: hoc est singulare. Nam hominem tantum credere, nihil est admirandum: quia omnes homines tantum homines sunt. Et ideo mirabile non est, quia unus alterum de se intelligit, quod tantum homo sit. Sed hoc est Christianis mirabile, quod homo Deus verus est Jesus, secundum Prophetæ dictum, qui ait: *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris*. Non quod iste destitit esse, quod fuerat: sed quod carnem fecit esse quod Deus est, & vere homo, qui de virgine natus est, ipse est Jesus Dei Filius, qui sub Pontio Pilato est crucifixus, & sepultus, ex utraque natura; non duo, sed unigenitus est Dei Filius. Et ipse, qui est unigenitus Dei Filius, ipse est *primogenitus in multis fratribus*. Et quia unigenitus, & primogenitus duæ naturæ sunt: sed propter susceptorem suum unigenitum Deum, & ipse homo unigenitus dicitur, quia in eo est unigenitus.

CXXII. Denique diversitas diversarum naturarum in locutione Evangeliorum ostenditur. Fidei igitur nostræ non convenit, ut credamus, quod Jesus mentiatur: quia sine dubio est veritas. Et ex utraque natura ipse confitetur: & ab ipsius ore didicimus, quod dicimus. Et utrasque naturas ipse sibi proprio ore manifestavit. Dicit pro Divina: *Ego sum*. Dicit pro humana: *Ego sum*. Nonnumquam dicit: *Ego & Pater unum sumus*; divina est. Cum vero dicit: *Ego sum via*. Et, *Ego in nomine Patris mei veni, & non me recepistis*, humana est. Et in illa de se dixit. Sic & cum dixit: *Qui me misit, mecum est, neque me dereliquit*. Et alio loco: *Deus Deus meus, quare dereliquisti me?* Et in illa dicit: *Qui me misit*. Et in illa dicit: *Quare me dereliquisti?* In ambas naturas *me*, & *me*. Nam cum dicit: *Nec me dereliquit*, divina est. Cum autem dicit: *Me dereliquisti*, humana est. Quia Deus hominem susceperat: & ipse homo mori habebat. Et divinitas, quæ vita erat, exsul erat a morte. Ideo per mortem crucis relinquendus erat usque ad resurrectionem ipsius. Non quod divinitas relinqueret carnem suam, sed quod non moritura erat cum carne sua. Quia sic in sepulcro carnem suam commanendo [1] deseruit, sicut in utero virginis connascen-

1. Videtur deesse negatio *Non*.

do formavit. Fidei ergo nostræ sic convenit, ut homo Filius dicat: *Quare me dereliquisti*. Et Deus Filius, qui cum Patre æqualis est, dicat: *Qui me misit, mecum est: nec me dereliquit*.

CXXIII. Et cum ex utroque unus sit filius, cavendum est, ne aliquis dicat: Homo mortuus, & Deus eum excitavit. Hoc illi dicunt, qui secundum carnem eum prædicant adoptivum: & secundum divinitatem, proprium. Sed ipse Dominus mendaces eos redarguit, cum Judæis dixit: [a] *Solvite templum hoc, & in triduo suscitabo illud*. Non dixit: Solvite templum, quod Pater suscitet: sed ego *suscitabo illud*: quia non est alius qui moritur, & alius per quem mortuus resurgit: sed ipse unus mortuus est Christus. Et ipse mortuus, & ipse semper vivus: quia ex utroque unus est liber intus, & foris scriptus.

CXXIV. Foris scriptus est, cum ipse per David dicit: *Ego dormivi, & quievi*. Intus scriptus est, cum ipse dicit: *Et ego resurrexi*. Foris scriptus est, cum ipse de Patre dicit: *Quoniam Dominus suscitavit me*. Quia & Pater eum suscitavit; in quo minor est Patre. Et Filius ipse se suscitavit; in quo æqualis est Patri. Sicut & ipse se misit; in quo æqualis est Patri. Et *Pater eum misit* in hunc mundum; in quo *minoratus* venit *paullo minus ab angelis*. Sic & cetera hujusmodi similia debet scrutator sanctarum scripturarum interpretari testimonia; ut ex utraque substantia numquam dividat personam. In Domino igitur Jesu Christo Deo & homine, auctore ac redemtore nostro, sicut unam absque dubitatione personam, ita duplicem constat esse substantiam: quam sermo divinus singulariter in lege distinguens, ita loquitur ad Judæos, cum ritum carnalium sacrificiorum cum mysticis, ac spiritualibus traderet sacramentis: *De agno cum capite, & pedibus comedetis, & intestina ejus vorabitis*. Ad hæc si exteriorem litteræ sonum interroges, aut intelligas, indignum tantæ majestatis præcepto fuit, ut vilissimos edacis populi cibos caput cum pedibus conjungi, & intestina purgari Spiritus sanctus ordinaret. Et ideo nunc intestina ipsa, id est latentia interrogemus. Sub litteræ carne mysteria. Agnus ille est absque dubio, de quo Joannes Baptista pronuntiat: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. In quo agno per caput divinitatem, per pedes humanitatem oportet intelligi. Da in symbolo capitis eminentiam. *Credo*, inquit, *in Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum*. Da terrenam in pedibus humilitatem. *Qui conceptus est de Spiritu sancto. Natus ex Maria virgine. Passus sub Pontio Pilato. Crucifixus, & sepultus*.

CXXV. De quibus absque dubio pedibus, sapientia Salomonis insinuat: [b] *Et figulus*, inquit, *pedibus vertens rotam*. Et quid est figulus, nisi ille, qui nos de terræ plasmator limo esse jussit ex nihilo? Quid pedibus, nisi assumti hominis disciplinis orbem totum ad salutaria instituta convertit? De qua rota in psalmo legimus: *Vox tonitrui tui in rota*, id est, per rotam mundi vox Evangelii procurrit. De qua humana substantia in sexagesimo septimo psalmo: [c] *Ut intingatur pes tuus in sanguine: lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso. Ut intingatur*, inquit, *pes tuus*, id est, homo assumtus in sanguine. Non enim natura cælestis, crucis sensit injuriam: sed per conditionis humanæ in sanguine passionis intinctus est. In illo

A enim patibulo, nihil pertulit Deus patienti sensu; sed pertulit compatientis affectu. Nihil pertulit pro diversitate, sed pro unitate personæ. Nihil Deus pro infirmitate passus est: sed pro dignatione compassus est: Qui tibi esurienti alimoniam porrigens, per Evangelium clamat de cælo: *Esurivi, & dedistis mihi manducare, sitivi, & dedistis mihi bibere*. Quia caput se in membris suis pasci, atque vestiri, pro personæ, ut diximus, unitate pronuntiat. *Ut intingatur*, inquit, *pes tuus in sanguine: lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso*.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 785.

CXXVI. Quando, vel quomodo lingua canum Christi tincta sit sanguine, scire debemus. Canes
B itaque Judæi sunt, qui contra veritatem blasphema voce latrabant. Quorum lingua canum tunc absque dubio sanguine tincta est Salvatoris, quando furente in se diabolo clamaverunt: *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros*. De quo Dei sanguine sub certo Dei hominisque discrimine, in Apostolorum Actibus legimus: *Attendite vobis, & universo gregi vestro, in quo vos Spiritus sanctus posuit apostolos regere ecclesiam Dei*. Et cujus Dei ecclesiam, subsequens sermo demonstrat, ita dicens: *Quam acquisivit sanguine suo*. Aperte heic sub nomine deitatis & sanguis, cælestia, & humana sociavit. Ecce agnum figuraliter Christum pronuntiat scriptura sacra. Et in capite agni divinitatem
C Christi, & in pedibus agni humanitatem Christi intelligere Spiritus sanctus præordinavit. Et unus agnus, qua temeritate dividitur a te? Si secundum caput est alter agnus, & secundum pedes alter, quomodo est unus *agnus, qui tollat peccata mundi*? Nam si dividis eum, jam nec duo agni sunt, nec unus. Jam in hoc agno non poterit illudere ecclesiam Dei. Aperte lupus apparuisti, quia agnus te superavit. Agnus iste vires tuas confregit. Agnus iste prædam, quam tenebas, excussit: & argumentationes philosophiæ tuæ, simplicitatis suæ innocentia omnino delevit. *Iste est agnus immaculatus, qui quotidie*, ut beatus Andreas ait, *in altare crucis sanctificatur. Cujus carnes posteaquam omnis popu-*
D *lus credentium manducaverit, & ejus sanguinem biberit, agnus, qui sacrificatus est, integer perseverat, & vivus*. Et cum vere sacrificatus sit, & vere carnes ejus sint manducatæ a populo, & vere sanguis ejus sit haustus: tamen, ut dixi, integer manet, & immaculatus, & vivus. Tu vero, supra quam fecisti, non dividas agnum.

CXXVII. Sed si vis dicere, quomodo quotidie occiditur, aut quomodo caro ejus quotidie comeditur, & sanguis ejus bibitur, & quotidie vivit occisus; assume formam discipuli, ut possis doceri, quod quæris. Quod si hoc abusive, ut consuetus es, tuleris; non agnum, sed temet ipsum dividis.
E Nam cum hunc agnum ecclesia in medium protulerit: & tu dixeris, adoptivus est secundum pedes, & nequaquam secundum caput, jam hic illusio tua non valebit. Quare? Quia una persona, & unus agnus non poterit ex parte esse proprius filius, & ex parte adoptivus: id est, ex parte filius, & ex parte non filius: & ex parte Deus, & ex parte non Deus. Non dividas: non rumpas: non scindas. Omnibus integer abundat. Omnibus solus sufficit. Et tamen licet dividere coneris, eum dividere non poteris. Inseparabilis unitio est. Talis facta est illa susceptio, quæ Deum hominem fecit, & hominem Deum, & ex utroque unum Christum. In his duobus substantiis venturum ad terram Deum,

a Joan. II, 19. b Sap. xv, 7. c Psalm. LXVII, 24.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 785.

Esaias propheta eximius protestatur: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum.* De homine vero mox subdidit: *Aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* Quia utique in Mariæ virginis corpore, mundissimam terram cælesti germine fœcundavit. Beatus quoque Job, qui non solum adesse præsentiam Redemtoris, sed etiam passionis præsignavit, ita dicit: [a] *Rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Dominum.* Quæ sententia duplicis intelligentiæ luce præfulget, id est, in Christo, & ecclesia Job præfiguravit ecclesiam: & in carne sua repromittit resurgere: & Deum hominem factum in carne sua, qua ipse erat, cognoscere. Quia sicut caro Job, nullus alter erat, nisi Job: ita caro Dei Verbi, nullus alter erat, nisi Deus. *In carne mea videbo Dominum:* id est, in carne, in qua sum, in ea resurrecturus sum. Hoc enim sequens sermo confirmat, dicens: *Quem videbo ego ipse, & non alius, & oculi mei conspecturi sunt.* Hoc in sua persona de tota ecclesia dixit, quod futurum adhuc post resurrectionem erit. De Christo vero, quod suam carnem in eo recognosceret, & carnem & divinitatem unum Christum Deum agnosceret, superior intellectus hoc continet, quod *in carne sua*, id est, in fragilitate conditionis suæ, hominem Deum videret.

CXXVIII. Hanc ergo diversitatem ex hoc quoque intelligere apertum est. Alia est enim illa nativitas, vel natura, in qua juxta Apostolum, *factus ex muliere, factus sub lege:* alia, qua *in principio erat Verbum*, Deus apud Deum. Alia, qui creatus ex Maria humiliatur in terris. Alia, in qua sine initio manens, creavit cælum, & terram, secundum quam regulariter intelligitur Christus; quæ omnia quidem ipse est per similitudinem: sed non omnia ipse est per proprietatem. Trahit enim nominum species de inferioribus rebus, ut facilius intelligatur. Dicitur enim modo Leo, modo agnus, modo panis, modo vitis. Sic & cætera, id est, flos, via, ostium, petra, mons, lapis angularis, lapis offensionis, fundamentum, ovis, aries, hædus, vitulus, serpens, vermis, aquila. Hæc omnia Christus secundum similitudinem intelligendus est, non per proprietatem. Proprietatem, si quæras a me, quid sit Christus; Deus & homo est, una persona. Quia *in principio erat Verbum; & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Ecce suam proprietatem.

CXXIX. Si quæras a me de ejus incarnatione, dicimus suam proprietatem. Filius unicus est de Patre in æternum ab æterno genitus, æqualis gignenti, per quem facta sunt omnia: cum Patre incommutabilis: & accepta forma hominis non mutatus. Ex incarnatione filius hominis, & filius Dei. Hoc totum, quod dixi, non similitudo, sed res est: id est, per proprietatem Christus Dei filius est. Nam illa, quæ supra memoravimus, similitudines Christi sunt, non ipse Christus est. Per similitudinem Christus multa est, quæ per proprietatem non est. Si autem proprietates discutias rerum, quas videre consuevisti, nec leo est Christus, quia fera non est. Nec agnus est, quia pecus non est. Nec panis, quia de herba natus non est. Nec vitis, quia arbor non est. Nec flos, quia semen herbæ non est. Nec via, quia animalia bruta per eum non ambulant. Nec ostium, quia non eum faber fecit. Nec mons est, quia silva non est. Nec petra est, quia durus & sine sensu non est. Nec lapis angularis est, quia non ab instructore compositus est. Nec lapis offensionis est, quia non viam occupavit. Nec ovis est, nec aries, quia pecus cornutum non est. Nec hœdus est, quia de capra non est. Nec vitulus, quia de vacca non est. Nec serpens nec vermis est, quia reptile non est. Nec aquila est, quia volatile non est. Dicitur & pastor per similitudinem, & liber: sed pastor non est, quia custos ovium quadrupedum non est. Nec liber est, quia non ex pellibus ovium ab scriptore compositus est. Sic & cætera hujusmodi similia, quæ per ista parva prudens lector intelligere [1] quærat, quid sit Christus per proprietatem, aut quid intelligatur per similitudinem.

CXXX. Nam leo dicitur pro regno, & fortitudine. Agnus propter innocentiam, quia mansuetus venit. Dicitur enim panis, quia caro est. Vitis, quia sanguine ipsius redemti sumus. Flos, quia electus est. Via, quia per ipsum ad Deum imus. Ostium, quia per ipsum ad Deum ingredimur. Mons, quia fortis. Petra, quia firmitas est credentium. Lapis angularis, vel quia duos parietes [2] *ediocise*, id est, Judaicum populum, & gentilem ad fidem venientes, in unam fabricam ecclesiæ jungit: vel quod pacem in se angelis, & hominibus facit. Lapis offensionis dicitur, quia veniens humilis offenderunt in eum Judæi, vel increduli homines, & factus est *petra scandali*, sicut dicit Apostolus: *Judæis quidem scandalum.* Fundamentum autem ideo vocatur, quia fides in eo firmissima est, vel quia per eum ecclesia catholica constituta est. Ovis propter patientiam. Aries propter principatum. Hœdus propter similitudinem carnis peccati. Vitulus pro eo, quod pro nobis est immolatus. Serpens pro morte, & sapientia. Vermis, quia resurrexit. Aquila, quia post resurrectionem ad astra remeavit. Pastor, quia custos hominum. Liber, quia in eo sunt *omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi.* In sapientia intelligitur omnis *plenitudo divinitatis*, id est, sua & Patris, & Spiritus Sancti. In scientia intelligitur omnis plenitudo humanitatis nostræ, quam ipse solus Filius suscepit ex virgine, *in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Nam cum plerique legunt hunc librum, & omnes audiunt, multi multa de eo suspicantur, & diversa intentio est. Et porro pauci intelligunt, nec intelligent omnes impii. Porro docti intelligent, quia clausus liber est, & signatus, & publice, & manifeste apertus. Et nisi se ipse exposuerit, nullus eum poterit intelligere incredulus. Credentibus enim aperitur; & non credentibus clauditur. Hinc per Danielem dicitur: *Claude sermonem, & signa librum.* Per Joannem quoque in Apocalypsi, in prima parte libri dicitur: *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, & ne ea scripseris.* In fine vero libri ait: *Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus.* Quid hoc est, nisi quod appropinquante mundi fine, superna scientia aperitur, & proficit, & latius cum corpore excrescit?

CXXXI. Hinc namque per Danielem dicitur: *Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia.* Jam & sicut supra diximus, Joanni in propria parte revelationis angelus dicit: *Signa, quæ locuta sunt septem tonitrua.* Cui tamen revelationis ejusdem

[a] Job XIX. 26. 27.

1. Forte *queat*.

2. Videtur a διοικέω, quod est *administro, rego, ordino, dispono*, derivasse ἐδιῴκησε, & latinis characteribus, *ediocise*.

fine præcipit, dicens: *Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus*. Ecce librum, & signatum, & clausum & revelatum, manifestum atque apertum, & non signatum. Pars quippe revelationis in capite libri signari præcipitur; finis vero libri signari prohibetur. Quia quidquid in sanctæ ecclesiæ prædicatione in primordio latuit, finis quotidie ostendit. Quia sicut uniuscujusque hominis ab infantia usque ad senectutem ætas describitur. Parvula quippe tunc erat, cum a nativitate recens, verbum vitæ prædicare non poterat. Hinc enim de illa dicitur: *Soror nostra parvula est, & ubera non habet*; quia nimirum sanctæ ecclesiæ priusquam proficeret per incrementa virtutis, infirmis quibusque auditoribus præberi non potuere ubera prædicationis. Adulta vero ecclesia dicitur, quando Dei Verbo copulata, repleta Sancto Spiritu, prædicationis mysterium in filiorum conceptione fœtatur: quia quos exhortando concipit, in convertendo parit. De hac ejus ætate Domino dicitur: *Adolescentulæ dilexerunt te*. Universæ quippe ecclesiæ, quæ unam catholicam faciunt, adolescentulæ vocantur. Non jam vetustæ per culpam: sed novellæ per gratiam. Non senio steriles, sed ætate mentis, ad spiritualem congruæ fœcunditatem. Tunc ergo cum in diebus illis ecclesia quasi quodam senio debilitata, per prædicationem filios parere non vult, reminiscitur fœcunditatis antiquæ, dicens illum Job versiculum: *Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo*. Quamvis post eosdem dies, quibus deprimitur, jam tamen circa ipsum finem temporum grandi prædicationis virtute roboratur. Nam susceptis ad plenum gentibus, omnem Israeliticum populum, qui tunc inventus fuerit, in fidei sinum trahit. Scriptum quippe est: [a] *Donec plenitudo gentium intraret: & sic omnis Israel salvus fieret*.

CXXXII. Sed ante illa tempora erunt dies, in quibus ab adversariis paullulum videtur oppressa, cum & dies adolescentiæ reminiscitur, dicens: *Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo*. Quid in hoc loco *tabernaculum*, nisi secretum mentis, nisi quietudo animi, nisi vita contemplativa sine persecutione aliqua? Attamen cum in fine sæculi cœperit ecclesia persecutionibus fluctuare, quietudinem mentis habere non poterit. Tunc reminiscitur illud, quod per semet ipsam veritas in Evangelio dicit: *Surgent pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia, ita ut in errorem mittantur, si fieri potest, etiam electi*. Nunc autem fideles nostri mira faciunt, cum perversa patiuntur: tum autem & perversa patiuntur sancti, & miracula non faciunt. Tunc vero prædicatores Antichristi, id est, hæretici, etiam cum perversa inferunt, mira facturi sunt. Proinde nos admonet, dicens: *Si ergo dixerint vobis: Ecce in deserto est Christus, nolite exire. Ecce in penetralibus, nolite credere*. Ac si aperte diceret. Si quis promiserit vobis, quod in deserto gentilium, & in philosophorum dogmate Christus moretur, aut in hæreticorum penetralibus, qui Dei pollicentur secreta, *nolite exire: nolite credere*: sive quia persecutionis, & angustiarum tempore, semper pseudoprophetæ decipiendi inveniunt locum. Si quis sub nomine Christi se jactare voluerit, non statim accommodetis fidem. *Sicut enim fulgor exiit ab oriente, & paret usque in occidente, ita erit & adventus filii hominis. Nolite exire, nolite credere*, quod filius hominis, vel in deserto gentium sit; vel in penetralibus hæreticorum: sed quod ab oriente usque ad occidentem fides ejus, quæ ab apostolis tradita est, in catholicis ecclesiis fulgeat.

CXXXIII. Nam & hoc prætermittendum non est, sed coram omni ecclesia tam sapientibus, quam rusticis prædicandum, quod secundus adventus Salvatoris, non in humilitate, ut prius, sed in gloria demonstrandus sit. Stultum est itaque eum in parvo loco, vel in abscondito quærere, qui totius mundi lumen est. De ipso enim legimus: *Deus manifeste veniet, Deus noster, & non silebit. Ignis ante ipsum ardebit, & in circuitu ejus, tempestas valida*. Intellige & heic utriusque substantiæ proprietatem; in veritate assumti corporis venturus creditur, & Deus vocabitur. Adfuit infirmitate absconditus; aderit in virtute manifestus. *Ignis*, inquit, *ante eum ardebit; & inflammabit in circuitu inimicos ejus*. Cum talis reverentia præsentis erit futura, putas qualis erit forma sententiæ? Ille quidem redditurus est quod promisit: sed exacturus est, quod redemit.

CXXXIV. Et ideo totis per adjutorium suum viribus enitamur, ut quidquid contulit judicatus, integrum in nobis inveniat judicaturus. Et ideo si cum fide, cum justitia, cum misericordia, cum caritate, & cum castitate viventes, in ejus timore manserimus, magnum jam numerum suorum pignus tenemus. Dabit absque dubio regnum suum. Dabit quæ sua sunt nobis, qui seipsum dignatus est offere pro nobis, Amen.

[a] Rom. xi. 25. 26.

FINIS LIBRI PRIMI.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 785.

LIBER SECUNDUS
DE CHRISTO ET EJUS CORPORE,
QUOD EST ECCLESIA:
ET
DE DIABOLO ET EJUS CORPORE,
QUOD EST ANTICHRISTUS.

I. Scripsimus [1] crimina tua, quibus nos hæreticos, & ignaros fidei, atque antichristi discipulos pronuntiare non cessas, hunc apologeticum; non panegyrico more adlocutionis mendacii, nec obscuritatibus fumosorum eloquentiæ sermonum; sed puris sensibus; ut omnes, qui audierint, intelligere possint. Apologeticum est excusatio, in quo accusantibus respondetur in defensionem sui. Et ideo criminantibus respondimus; & nos ab hæresi purgatos, Deo inluminante, invenimus. Panegyricum, & licentiosum, & lasciviosum genus dicendi, in laudibus regum: in cujus compositione multis mendaciis adulantur. Non enim nos mendacium in apologeticis nostris, in laudem cujuslibet regis terreni composuimus; sed fidem veram, quam ab ipsis discipulis veritatis hausimus.

II. Sed quia libelli tui, in quibus nos hæreticos esse fateris, jam per publicum in diversis terrarum vulgati sunt partibus; ut omnes, qui eos legerint secundum fidem tuam, te catholicum Toletanæ sedis doctorem, novellum archiepiscopum, [2] & nos Libanenses indoctos, & hæreticos, atque antichristi discipulos Etherium & Beatum prædicent: & quia ex utraque parte contentio exorta est, & fides diversa profertur, non solum fama, sed etiam ignominia nobis a te inrogatur. Fama enim tam in bonam, quam in malam partem intelligitur. Ignominia vero numquam, nisi semper in malam partem vertitur. Ignominiam dictam, eo quod desinat habere honestatis nomen is, qui in aliquo crimine deprehenditur. Dicta est autem ignominia quasi sine nomine, sicut ignarus sine scientia; sicut ignobilis, sine nobilitate. Hoc quoque infamia dicitur, quasi sine bona fama. Et ideo ignominiam nobis cum mala fama prædicas, ut sine differentia, solus tu videaris in ecclesia habere bonam famam. Certe tua jam, & nostra talis est bona fama: & non ab alio, sed a te solo additum est, & infamiam, id est, ignominiam, ut qui nomen non habuerunt, ad meam comparationem, nomen habere non possunt. [Hæc fama est per publicum; & certe sine caussa, nulla fama potuit esse. Fama autem dicta a fando, id est, a loquendo: quia loquendo pervagatur per traduces linguarum perstrepens auribus audientium. Est autem nomen & bonarum rerum, ut diximus, & malarum. Cum & ista sit utraque fama, sive tua, sive nostra, incerta est. Et ideo famæ nomen locum non habet, quia fortasse mendax fama est, adjiciens multa, vel minuens de veritate. Veritas enim inter utraque sibi sola sufficit; quia nec addi, ne minui potest. Quæ tamdiu fatigatur, quousque comprobetur. Et cum probata fuerit, cessat esse: ut exinde res nominetur, non fama. Semper mendax cum mendacio deficit. Non poterit mendax esse absque mendacio, quousque finxerit mendacium. Nam cum dimiserit mendacium, desinit esse mendax. Mendacium nihil aliud est, nisi absentia veritatis. Mendax vero substantia est: mendacium autem non est substantia, sed qualitas in substantia. Omnia ergo substantia, quæ a Deo bono creata est, bona est. Vitium vero non est a Deo creatum, sed a diabolo inventum. Nam Deus Pater genuit veritatem Filium: & natus est veritas de veritate, id est, substantia de substantia. Et ambo simul una substantia, sicut ambo simul una veritas. Diabolus vero substantia est bona creata: quia *omnia, quæ fecit Deus, bona sunt valde*. Arbitrio suo factus est diabolus, non Dei conditione. Ipse est auctor mendacii, quia genuit mendacium. Et quia mendacium genuit, pater mendacii est. Non enim, ut supra diximus, mendacium substantia est, sed tantum qualitas. Solus tamen diabolus substantia est, quia pater qualitatis est, non substantiæ.

III. Et quid est qualitas? Quia facit unumquemque qualis sit. Etenim in corporibus qualitas, & quantitas. Qualitas est corporis, quæ facit eum album, aut nigrum. Quantitas vero longum, aut brevem. Ac per hoc in corporibus est qualitas, quæ refertur ad colorem: quantitas ad mensuram. In spiritualibus vero rebus qualitas est sine quantitate; ut cum dicimus: angelus est. Et quia angelorum bonorum & malorum substantia est: discernimus eum in qualitate, cum dicimus, angelum bonum, & angelum malum. Angelus bonus non a se est bonus, sicut Deus: sed adhærendo bono Deo fit bonus. Angelus autem malus non a bono Deo, sed a se est malus. Quod substantia est, a bono Deo est. Quod autem malus est, a se tantum malus, non a bono Deo malus. Et unde effectus est malus, nisi non adhærendo Deo effectus est malus? sicut e contrario, angelus bonus adhærendo Deo est bonus. Unde ergo non adhæsit Deo diabolus, ut esset bonus, nisi quia mendax est? Ab initio enim *mendax fuit*, secundum Domini dictum, *& in veritate numquam stetit*. Veritas enim Deus est, ut supra diximus: in qua veritate stare contemsit. Mendacium finxit: quia quod Deus possidebat per naturam, voluit ille hoc apprehendere per rapinam, dicens: *Ero similis altissimo*. Et ideo mendax, quia de suo dixit: de suo composuit: de suo finxit; a semet ipso didicit, quod dixit. Et quia a semet ipso didicit, ideo propriam gloriam quæsivit, quia a semet ipso locutus est. Proinde

1. Forte deest; *ob* vel *propter*.
2. Hæc leguntur in epistola Elipandi ad Fidelem abbatem, quæ superius legitur.

Dominus in Evangelio ait: *Qui loquitur mendacium de suo. Et qui a semet ipso loquitur, propriam gloriam quærit. Ego non quæro gloriam meam, sed ejus, qui me misit.* Jam diabolus, qui pater mendacii apparuit, ex ipso mendacio primum in paradiso hominem decepit, dicendo contra præceptum Domini: *Eritis sicut dii*, si comederitis de ligno inlicito. Hoc mendacium non ab homine inventum est, sed a diabolo. Jam homo quod fecit, non a se didicit, sed a diabolo instigatus accepit. Jam filius diaboli factus est per mendacium; quia ipsum mendacium patrem habet diabolum. Ex hoc mendacium propinatus est genus humanum. Et nunc in ecclesia omnes, qui sunt mendaces, ex B ipso spiritu erroris accipiunt, ut sint mendaces. Et qui veritatem proferunt in ecclesia, non a se sunt veridici, sed a veritate accipiunt, unde veritatem proferant.

IV. Jam supra diximus, quia veritas Pater genuit Filium veritatem, & hoc, quod est substantia Pater, genuit substantiæ suæ Filium, per quem omnia condidit. Et ideo non est a semet ipso Filius Deus; sicut Pater a semet ipso est Deus: sed hoc, quod est ab alio: id est, a Patre, non a se est. Diabolus vero, cum a Deo bono bonus esset factus, genuit mendacium, non naturæ suæ filium, quod erat substantia: sed qualitatem in substantia: ut C ipsa qualitas non possit alibi accedi, nisi in substantia, quod est bonum. Ac per hoc, bonum potest esse sine malo: malum sine bono esse non potest: quia nullum malum substantia est, nisi tantum privatio boni. Sicut tenebræ nullæ substantia est, sed tantum absentia lucis. Sicut mors nulla substantia est, sed tantum absentia vitæ. Sicut fames nulla substantia est, sed tantum absentia cibi. Sicut nuditas nulla substanția est, sed tantum absentia vestimenti. Sic superbia nulla substantia est, sed absentia humilitatis. Sic discordia nulla substantia est, sed absentia caritatis. Sic iracundia nulla substantia est, sed absentia patientiæ. Sic quoque mendacium nulla substantia est, sed absentia veritatis.

D V. Dicis certe, quod ego sum spiritus ille mendax erroris. Cum hæc dicis, patule datur intelligi, quod te veracem esse profiteris, cum me mendacem dicis. Dicis enim Fideli tuo, quod puto ille tibi jam notuerat; *Sed quia audivi, quod præcursor antichristi in medio nostri apparuit; quia illum jam natum annuntiat:* quæso, ut perquiras ab eo, ubi, aut quomodo, aut quando natus est spiritus ille mendax prophetarum, qui in eo loquitur, nos [1] sollicitos reddas. Multi enim intelligunt, qui legunt nebulam verborum tuorum, quæ sub allegoria scribis, ut fiat quæstio inter interpretes, & te, tamquam novum prophetam, ænigmatice locutum explanent. Quod si inveneris laudatores tuos, qui possint multa opinative confingere, ut confingis, & adulantes, more panegyrico, tibi respondeant solum, quia contra nos, ut agis, agant, doctores peritissimi a te comprobentur, licet mendacium loquantur. Et unde hoc scis, quod præcursor Antichristi sum, qui specialiter a te denotor? Jam dicis: *In medio nostri apparuit.* Et quid est *medio vestri*, aut quanti estis, in cujus medio sum? Debes nominare, & speciem partis tuæ, sicut speciem partis Antichristi. Hoc nomen Antichristi unum sonat, sed multi sunt, & in ecclesia fuerunt, & de ecclesia exierunt. Nihil enim aliud est no- E

A men antichristi, nisi contrarius Christo. Et cum contrarius invenitur Christo, apparet esse mendax. Et cum mendax apparuit, apparet esse filius diaboli. Et omnis mendax filius diaboli, quia diabolus, ut supra diximus, pater est mendacii.


VI. Requiramus nunc, qui est mendax. Joannes apostolus dicat. Sic enim ait: *Omnis, qui confitetur, quod Jesus non est Filius Dei, mendax est, & ipse est antichristus.* Tu dicis, quia Jesus non est Filius Dei. Et quis est Jesus, nisi homo ille, qui de virgine natus est? Ecce qui hunc Jesum negat esse Filium Dei, antichristus est, & mendacium loquitur: quia omnes credimus, quod Jesus Filius Dei est. Vide tu nunc, quis est præcusor Antichristi, qui in medio vestri apparuit. Quomodo apparuit, qui natus fuit? Antequam nasceretur, præcursor Antichristi. Postquum vero natus fuit, jam non est præcursor, sed ipse est Antichristus. Quid est nativitas ejus, nisi apparitio ejus? Et quid apparitio ejus, nisi manifestatio ejus? Et quid est manifestatio ejus, nisi prædicatio ejus? Antequam prædicaret, præcursor erat Antichristi, quia noluit Christum *intelligere, ut bene ageret: sed iniquitatem meditatus est in cubili suo, & astitit omni viæ non bonæ.* Cum omni viæ non bonæ adstitit, sine dubio Antichristi præcursor fuit. Et cum iniquitatem publice prædicat, quam tanto tempore in cubili suo, id est, in secreto cordis sui meditavit, sine dubio Antichristus est, quia Jesum negat, quod Filius Dei est.

VII. Sed forte dicis; unde hoc affirmas, quod Antichristus est? Unde hoc affirmo? audi; quia malitiam non odivit. Propheta hoc dixit, non ego. *Noluit*, inquit, *intelligere, ut bene ageret. Iniquitatem meditatus est in cubili suo, astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit.* Ista tria in mendacio sunt, non in veritate. Jam Antichristus habet antichristos. Numquid Antichristus aliud facturus est, cum venerit, nisi hoc tantum, quod contra Christum dimicaturus sit, & Evangelium ejus non recipiat, & dicat: Ego sum Christus? Jam & tu dicis: *Et nos christi sumus, sicut Christus.* Et Dominus nos admonet dicens: *Exsurgent pseudochristi, & pseudoprophetæ; & dabunt signa, & prodigia, ita ut in errorem mittantur, si fieri potest, etiam electi.* Jam & hoc experimento cognovimus, quia ad hanc vestram veritatis fidei contrariam [2] plerique etiam electi, licet ad modicum, turbati sunt. Qui & omnes, cum primitus audivimus, turbati fuimus. Et ideo Antichristi præcursores non sumus. Quia etsi cum Petro erravimus, jam cum eo errata plangimus: & Jesum esse Christum filium Dei publice confitemur. Et qui ita non crediderit, ut credimus, ipsum esse Antichristum non dubitamus. Non ipsum per speciem, qui venturus est: sed ipsos, quos apostolus Joannes dixit: *Nunc in ecclesia antichristi multi sunt. Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis*, id est, in fide nostra non erant. Quod si fuissent ex fide nostra, permansissent utique nobiscum. Et ideo antichristi appellantur ab Antichristo, id est, contrarii Christi vocantur, quia contra Christum pugnant. Nam sicut habuit mediatores suos Christus David, vel ceteros, qui christi dicebantur, & eum præfigurabant; sic ille filius perditionis Antichristus, qui eum præfigurant, & nomen habent antichristi. Antichristus appellatur, quia contra Christum ventu-

1. Certos.

2. Prædicationem vel simile quid.

SÆC. VIII. CIRCA ANN. CHR. 785.



rus est. Non quomodo simplices intelligunt, Antichristum ideo dictum, quod ante Christum venturus sit, id est, post eum veniet Christus. Non sic, sed antichristus græce dicitur, quod est latine, contrarius Christo. *Anti* enim græce in latinum *contra* significat. Christum se enim mentietur dum venerit, & contra eum dimicabit, & adversabitur sacramentis Christi, ut veritatis Evangelium solvat, & non recipiat, nisi tantum legem Mosaicam, & populum ad circumcisionem provocet. Nam & templum Hierosolymis reparare, & omnis legis veteris cæremonias restaurare tentabit.

VIII. Sed & ille antichristus est, qui negat Deum esse Jesum Christum. Contrarium enim, ut diximus, Christi est. Sed & ille antichristus est, [1] *qui non credit* Jesum Christum esse Deum, operibus autem dissentit a Christo. Christum credit fide, sed negat opere. De quibus Apostolus dicit: *Confitentur autem se nosse Deum, factis autem negant.* Nam unusquisque a conditore suo, aut fide secedit, aut opere. Sicut qui fide secedit, antichristus est: ita & qui opere secedit ab omnipotente Deo, apostata nominatur, etiamsi in ecclesia fidem tenere videatur. Omnes enim qui exeunt de ecclesia, & ab unitate fidei, & operis præciduntur, sine dubitatione antichristi esse creduntur. Nos autem, quantum ad rationem fidei nostræ pertinet, ab ecclesia non exivimus. Quia illa, quæ per totum mundum ab apostolis tradita universitas credentium tenet (unde nomen habet catholica,) hanc fidem tenemus. Et ubi essemus, non habemus. Quando catholicam fidem diximus, id est, universalem. Græce enim universitas, sive generalitas catholicon vocatur. Et ideo non potest esse hæreticus, qui est catholicus. Id est, non poterit exire ab ecclesia, qui habet fidem apostolicam, quam generalis per totum mundum tenet ecclesia. Credere se in Deum Patrem omnipotentem, & Jesum Christum filium ejus unicum Deum, & Dominum nostrum, qui natus est de Spiritu sancto, & de Maria virgine. Hanc fidem, quam Deo illuminante, a suis apostolis traditam accepimus, in ecclesia catholica tenemus.

IX. Nam non didicit ecclesia hanc fidem tuam per totum mundum: nec consuevit credere in eum, qui de virgine natus est, non per illum facta esse visibilia, & invisibilia: sed tantum per illum, qui non est adoptione, sed genere. Nec habet consuetudinem dicere: *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, & in Filium ejus, qui deitatem suam exinanivit, apparuit in mundo per subjectæ creaturæ speciem cum Patre & Spiritu sancto, Abrahæ *in ipso fervore diei*: qui est adoptivus humanitate, & nequaquam adoptivus divinitate. Hæc fides tua est. Nam in toto mundo non est. Quod si verum non dicimus, interrogemus omnem ecclesiam catholicam, si generaliter per totum mundum talis fides est. Requiratur ordo baptismi, & symbolum a duodecim apostolis compositum, quem habet ecclesia traditum, pro quo baptizat filios suos, sine quo non poterit esse baptismum. Requirant & symbolum trecentorum patrum adversus tuam fidem compositum: & si invenerint de tuis sermonibus, vel unum ibi insertum, nos exivimus ab ecclesia. Si certe novam habuerint hanc tuam doctrinam, sicut & nobis novella est, tu existi cum tuis ab ecclesia catholica, quæ generaliter per totum mundum est constituta. Nam tua fides sola aperte cognoscitur in te esse

A coarctata, & in antro tuæ perfidiæ teneri ligata. Et hæc hæresis te facit esse hæreticum, cum illa non credis, quæ credit cuncta ecclesia per universum mundum. Hæresis enim non substantia, sed qualitas est in substantia. Et non hæreticus facit hæresim: sed hæresis facit hæreticum. Sicut non superbus facit superbiam, sed superbia facit superbum. Et cum dimiserit quam habet superbiam, desinit esse superbus: quia non est ipsa superbia substantia, sed qualitas in substantia. Deus bonus fecit hominem bonam substantiam. Superbia vero qualitas est in substantia de diabolo nata. Quæ dum in homine accesserit, efficitur filius diaboli: quia de diabolo nata est superbia. Et tunc unusquisque B deprehenditur esse superbus, cum plus unus alteri major vult esse, quam quod est. Et cum major se æstimaverit alteri, perdidit ipsum, quod erat: & tunc Deum perdit, a quo est. Et cum perdiderit Deum, efficit diabolum membrum, cujus & filius est, non natura, sed imitatione. Sic enim auctor suus diabolus bonus erat a Deo bono creatus. Et inde exstitit superbus, quia super voluit esse, quam quod erat. Et dum super voluit esse, quam quod erat, non solum hoc quod erat perdidit, sed etiam tartari inferna promeruit. Et quia caput est omnium superborum, omnes superbos sibi in uno corpore, tamquam capiti copulavit, & secum in gehennam demersit. Sicut e contrario Christus humilis humi- C li ecclesiæ, quod est caput, & corpus, secum ad cælestia traxit. Nam sicut superbia facit superbum: sic hæresis facit hæreticum. Desinit esse superbus, cum dimiserit, quam habet in se superbiam. Desinit etiam esse hæreticus, cum dimiserit, quam habet in se, hæresim. Semper erit hæreticus, qui semper in se habet hæresim. Sicut semper erit superbus, qui semper habet in se superbiam. Nam hæresis a diabolo inventa est, & de diabolo nata est, sicut & superbia. Et quia est, & substantia non est, & mala est, non a Deo, sed a diabolo est. Omne enim quidquid est, & malum est, & substantia non est, ex diabolo est. Omnis tamen substantia a Deo bono creata, bona est. Et tamdiu D bona est, quousque illa non habuerit, quod ex diabolo est.

X. Nam omnia, quæ facta sunt a Deo, duo sunt tantum, id est, corpus, & spiritus. Angelus est spiritus: mundus vero corpus: homo tamen solus ex utraque componitur, id est, corpore, & spiritu. Tertia est qualitas angeli, & hominis; quæ nec corpus est, nec spiritus, & tamen est, quia nihil non est. Quæ & ipsa qualitas non in se est, sed in substantia est, & substantia esse non potest: ut bonus, & malus. Hæc qualitas in substantia. Dicimus angelum bonum, & hominem bonum. Dicimus angelum malum, & hominem malum. Aliud est, quod E sunt, & aliud quod habent. Nam quod sunt, substantia sunt: quod vero habent, qualitas eorum est, per quam discernuntur, qui sunt boni, qui mali. Nam angelus bonus dicitur, sed non est ipsa bonitas ipse angelus. Non enim apostata angelus diabolus factus esset, si per se bonitas esset. Angelus enim, ut sit bonus, non a se, sed a Deo habet, ut sit bonus. Et aliud est quod substantia est, aliud quod habet bonitatem in se. Sic & homo bonus, aliud est, quod substantia est, aliud est bonitas, quam habet in se. Deus tamen per se bonus est, quia ipsa bonitas Deus ipse est. Et non est aliud substantia ejus, & aliud bonitas ejus, sicut hominis, & angeli: sed ipsa bonitas ejus substantia est.

1. *Qui non negat*.

Omnia opera, quæ fecit bonus Deus, bona sunt. A Et cum in hoc sunt, in quo facta sunt, semper bona sunt. Bonitas illa, quam ex Deo acceperunt, si non perdiderunt, facit, ut semper bona sint. Et contra angelus malus, & homo malus inde dicuntur, quia perdiderunt bonum. Angelus substantia est, & homo substantia est. Malum vero non est substantia, sed privatio boni, & a diabolo natum, id est, inventum: per quod efficiuntur filii diaboli, qui fuerint mali. Quia non, ut diximus, malus facit malitiam; sed malitia facit malum, quia non est ipse malitia, sive angelus sive homo, qui substantia sunt, sed eam habent in se qualitatem suam, per quam videntur esse mali. Et tam angelus malus, quam homo malus utrique homini B faciunt malum. Diabolus semper malus est, quia semper homini facit malum. Homo diabolus est, cum homini facit malum.

XI. Nam quod homo malus, qui homini facit malum, dicatur malus, Dominus de Juda in Evangelio apostolis dicit: *Nonne ego vos duodecim elegi? sed unus ex vobis diabolus est.* In scriptura sacra & homo dicitur diabolus, & diabolus homo. Nam quod diabolus dicitur homo, in Evangelio Dominus dicit: *Inimicus homo hoc fecit.* Cum dormierunt patresfamilias inimicus homo diabolus zizania superseminavit in agro, ubi Dominus bonum semen seminaverat. Quæ est ergo caussa, quæ ho- C minem faciat diabolum, & diabolum hominem, nisi quia unum corpus sunt angelus malus, & homo malus? quia utrique homini facit malum. Corpus diaboli homo. Corporis caput diabolus est. Non sæpe ejus videntur dicta membrorum, quæ capiti congruunt: & ex nomine corporis intelligitur caput: & ex nomine capitis significatur corpus. Sicut e contrario Christus & ecclesia, est caput & corpus, una persona. Et cum loquitur scriptura de capite, refertur ad corpus. Et cum loquitur de corpore, refertur ad caput. Sicut Esaias ait: *Induit me vestimento salutis, quasi sponsam decoratam corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.* In una enim persona duplici vocabulo nomi- D nata & caput, id est sponsum; & ecclesiam, id est sponsam manifestavit. Istæ autem sunt duæ personæ, quæ in omni scriptura leguntur in ecclesia, id est Christus & corpus ejus: & diabolus & caput ejus.


XII. Tertia est qualitas, id est, unus bonus, & alter malus. Bonus Christus, & bonum corpus ejus adhærendo bono. Malus diabolus, qui factus fuit bonus, adhærendo mendacio. Malus homo, qui factus fuit bonus, adhærendo mendacio. Hæc qualitas inter utrosque jungit utrosque, id est, duas substantias, angelum & hominem, ipsum mendacium facit in se unum. Proinde opposuit veritas Christus E contra mendacium. Humilitas contra superbiam. Caritas contra discordiam. Patientia contra iracundiam. Bonitas contra malitiam. Despectio contra elationem. Parcitas contra avaritiam. Abstinentia contra [1] gastrimargiam. Sobrietas contra ebrietatem. Sic egit bonus medicus, ut calida frigidis, & frigida calidis temperaret infirmis: & ipsis promitteret vitam, qui observarent diætam. Et ipsi citius ad sanitatem redirent, qui potiones amaras biberent. Nam & in medicorum carnalium actibus, prius ipsi medici gustant, quid ad sanitatem confecerint hominum, & sic ægrotis bibendum offerunt. Sicut & ipse misericors medicus fecit, qui corpus & sanguinem suum, medicinam nostram, quam pro nobis aptavit, prius ipse amaritudinis calicem gustavit, & nobis bibendum ordinavit, & diætæ observationes reliquit, quos secum vivere prævidit.

XIII. Videamus nunc, qui sunt ipsi. Non omnes ægroti salvi per curam fiunt, nisi tantum ipsi, qui morituri non sunt. Nam morituris dicit medicus: Manducent & bibant, quod volunt, quia vivere non possunt. Ipsi sunt, qui peccare possunt, & pœnitere non possunt. Quod si delicati non essent ad pœnitendum, cito redirent ad sanitatem, si biberent amaritudinis poculum. Et viverent sine dubio, & essent sani cum medico, si quantum fuerat in peccando abruptæ mentis intentio, tantum fuisset in lamentatione plena devotio; & insuper medici observaret diætam illam, quam supra ejus proposuimus exemplo, id est, cum omnibus discordantibus pacem: omnibus superbis humilitatem: omnibus iracundis patientiam: & cetera, quæ supra memoravimus. Ista contraria, quæ ex diabolo sunt nata, pro quo possit diaboli mortem evadere, & Christi observare dicta, & cum suo medico semper vivere, qui est vita. Nam sicut diabolus est substantia, & homo substantia; & mala, quæ ex diabolo est, id est, hæresis, superbia, elatio, & cetera, quæ sunt inter hominem, & diabolum media: & tenentes ea, fiunt cum diabolo caput & corpus una persona. Sic e contrario Christus substantia est; & homo substantia est: & illa qualitas, cum qua Christus in hunc mundum venit, id est, humilitas, patientia, obedientia, & cetera, quæ de ejus exemplo sunt, qui eam tenuerint. Jungit hæc observatio caput, & corpus, & fit ecclesia cum capite unus Christus. Et hoc est in omni scriptura lectoris intellectus: ut tantum duo sint inter se contrarii, Christus, & diabolus. Et sunt duæ civitates: una Dei, & altera diaboli: una terrena, altera cælestis. Cælestis est Christi; terrena vero Antichristi. Habuit Christus suos prophetas, qui eum prædicaverunt venturum. Habuit, & Antichristus suos prophetas, sacerdotes falsos in lege, qui eum crucifixerunt, dicentes: Non est ipse. Habet nunc Christus discipulos suos in Evangelio, qui dicunt: Ipse est, & non alter. Habet & Antichristus prædicatores suos in Evangelio, qui dicunt: Non est ipse. Qui dicunt ipse est, & non alter: corpus capitis est, qui cognoscit caput, id est, corpus Christi est, quia cognoscit Christum. Et qui dicit: Non est ipse, corpus diaboli est, quia cognoscit caput, qui separavit corpus suum a corpore Christi, sicut ipse caput separatus est.

XIV. Sacerdotes Judæorum in Lege non cognoscentes Christum, quod ipse esset Deus redemtor mundi caput ecclesiæ, occiderunt caput. Nunc sacerdotes Christianorum in Evangelio non cognoscunt corpus, quod sit summi capitis corpus, occidunt Christi corpus. Et tam illi sacerdotes in lege, qui occiderunt caput, quam etiam isti in Evangelio sacerdotes, qui occidunt capitis corpus, utrique prædicatores Antichristi sunt: quia utrique de una schola sunt: utrique de una doctrina sunt: utrique de uno spiritu loquuntur. Unus spiritus est caput eorum mendax, cujus & ille corpus est. Jam supra diximus, quia quod facit caput diabolus, refertur ad corpus ministrorum suorum. Et quod facit corpus ministrorum diaboli, refertur ad caput. Et cum patitur caput ecclesiæ, refertur ad corpus. Et cum patitur corpus, quod est ecclesia, refertur

1. Γαστριμαργία, gulositas.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 785.



ad caput. Ecclesia certa est de Christo capite, cujus est corpus, quia mediator est Christus. Et ideo non dubitat de Christo, etiamsi necesse sit sanguinem fundere pro Christo. Diabolus vero non est mediator corpori suo: qui adhuc non ingressus est hominem illum damnatum, pro quo fit visibilis mediator ipse filius perditionis inter diabolum, & genus humanum: sed habet falsos prædicatores suos hæreticos, qui fingunt sub nomine Christi Christum, qualem sibi inspirante diabolo finxit, non qualem veritas dicit. Est corpus diaboli, & tamen sub nomine falsitatis Christum prædicat: & Christum se colere mentitur. Et quia de sapientia se glorificat, contra Christum agit, quia corpus Christi detrahit. Et cum detrahit, crucifixit. Et cum crucifixit, non cognoscit. Et cum non cognoscit corpus, non cognoscit caput, cujus est corpus. Et cum occidit corpus, occidit caput. Non adhuc occidit corporaliter corpus, sed spiritualiter. Et tunc occidit corpus Christi, quando per philosophiam suam mentes fidelium conturbat, & fidei suæ associat. Et hoc maxime mente parvulis, qui adhuc lacte utuntur, id est, carne, & sanguine Christi pascuntur; & necdum ad solidum cibum fidei pervenerunt. Aufert tunc lac, id est, carnem, & sanguinem Christi, & præbet suum lac, id est, carnem & sanguinem, quam sibi ipsi finxit. Aufert mammas ecclesiæ, id est, duo testamenta legis, & Evangelii, & præbet mammas suas, id est, ad fidem suam perversam & legem & Evangelium exponit: & ad ipsam fidem ipsas scripturas dirigit in perversitate, quam sentit. Et tunc Ecclesia perversitate premitur, cum pravis quibusque prædicatoribus licentia locutionis datur.

XV. Quod longe ante Jeremias intuens ait: *Sed & lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos*. Quid namque *Lamias*, nisi hæreticos appellat? humanam quidem faciem, sed belluinam per impietatem caudam gestantes. Qui tunc mammam nudant, quando errorem suum publice prædicant. Tunc catulos lactant, quando male sequaces parvulorum animæ, dum perversa insinuant, ad impietatem nutriendo confirmant. Huic sensui Joannes in libro Apocalypsis concordat, dicens: [a] *Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra, & habebat cornua duo agni similia, & loquebatur, quasi draco: & omnem potestatem prioris bestiæ faciebat in conspectu ejus: & facit terram, & eos qui inhabitant eam, adorare bestiam illam priorem, cujus curata est plaga mortis ejus: & facit signa magna, ut ignem faciat de cælo descendere in terram in conspectu hominum, & seducit eos, qui in terra inhabitant per hæc signa, quæ data sunt ei, facere simulacrum bestiæ, ut occidantur. Et facit omnes minimos & magnos, & divites & pauperes, & liberos & servos, ut dent eis notam super manum eorum dexteram, aut super frontes eorum: ut ne quis posset vendere, aut emere, nisi qui habuerit notam, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus.*

XVI. Hoc totum quamquam corporaliter Antichristi tempore factum erit, tamen in ecclesia spiritualiter hodie fit. Nam quod dixit: *Vidi aliam bestiam ascendentem de terra*, duas insinuat bestias esse. Bestia enim à [1] *bastando* nomen habet. Non enim herbis, sed carne pascitur. Aliam bestiam dixit: sed pro officio, pro actione. Sed tamen una A bestia est: quia totum corpus diaboli unum corpus est. Bestia enim omnis omnino populus est: tam pagani, quam mali Christiani, qui Christi ecclesiæ adversantur. Nam pagani aperta fronte recedunt a Christo: Christiani vero sive boni, sive mali, una ecclesia nuncupantur. Sed ipsa, quæ una videtur ecclesia, tres partes sunt, id est, una pars ipsa Ecclesia, quæ imitatur Christum. Cætere duæ partes sunt, quæ contra ipsam ecclesiam pugnant: id est, hæretici, & Christiani mali. Diabolus enim, qui draco dicitur, caput est in tribus partibus, id est, incredulis, & paganis, & Christianis malis atque hæreticis. Nam sicut incredulus, paganus, B sive Judæus, fide recedit a Christo: sic Christianus malus opere a Christo. Quia sicut ille publice negat Christum esse Deum: sic iste publice facit opera mala, quæ non placent Christo. Et cum una pars fide recedit, altera opere, utraque ab uno Christo separatur. Et quia a Christo separantur, unus corpus capitis diaboli efficiuntur: & cum unum corpus efficitur, una bestia dicitur.

XVII. Tertia pars est de Antichristi corpore, id est, hæretici, quæ longe ab illa bestia distant in religione. Illi adulteri sunt, isti virginitatem & castitatem simulant. Illi rapaces sunt, isti sua propria largiri simulant. Illi in comessationes & ebrie-C tates publice vitam ducunt, isti jejuniis & orationibus semet ipsos affligunt. Illi intus & foris lupi sunt, isti de foris agni & intus lupi sunt. Hos habet diabolus prophetas suos, quos constituit in ecclesia de corpore suo: hos habet sub nomine Christi, qui Christum prædicare simulent: & corpus diaboli fiant. Quia mediatorem non habet diabolus, quibus modis de ecclesia decipere possit: nisi tantum istos prophetas suos falsos, qui Christum publice laudant, & publice prædicant, & eum sub nomine Christianitatis Deum esse negant. Quos Dominus in Evangelio *pseudochristos, & pseudoprophetas* appellat. [2] *Pseudo* dicuntur, quia D a se surgunt in doctrina, & prædicatorum sibi nomen assumunt, & ea fingunt de Christo, quæ a se didicerunt, non a Christo. Ipsi se præferunt apostolis Christi, quos non approbavit ecclesia, & elegit in apostolatum, sed tantum ipsi se, & favor temporalis humanus. Quia cum audiunt se laudari a carnalibus hominibus, æstimant se, quod eos tales habeat intus Deus. Pro quibus Dominus in Apocalypsi ecclesiam suam ammonet, dicens: *Scio opera tua, & laborem, & patientiam, & quia non potes portare malos, & tentasti eos, qui se dicunt apostolos esse, & non sunt, & invenisti eos mendaces, & patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti.* Hoc de ipsis E hæreticis, falsis Apostolis, *pseudochristi* dictis, dictum accepimus sine dubio. Quia ipsi se ductores asseruerunt veritatis, & sunt auctores pravi mendacii. Bonos se protestantur: sed ipsi deteriores dæmoniis comprobantur. Sed mendacium eorum, & perversitatem catholica fides invenit: & per tolerantiam multa sibimet inlata ab ipsis sustinuit. *Tentasti*, inquit, *eos*. Non tentantur, nisi qui intus sunt in ecclesia. Qui enim foris sunt, sine ullo tentamento foris esse manifesti sunt, nec eos tentare opus est. Intus tentatur ecclesia, quia intus ecclesia est hæretica pravitas, a qua vastatur ecclesia: sicut de ea Dominus in hoc libro dicit: *Scio ubi habitas, ubi sedes est satanæ.* Sedes satanæ ipsi pseudoapostoli sunt: in quibus sedet in ecclesia

a Apoc. XIII. 11-17.

1. Βαστάζω, porto, fero.

2. Ψεῦδος, mendacium, falsitas.

Christi, & Christus per ora illorum prædicatur, & tamen Christus de eis non loquitur: & apostolos Christi se dicunt esse, & apostoli non sunt, sed deceptores ecclesiæ sunt, quia non imitantur apostolos Christi, quorum sibi nomen falsitatis imposuerunt.

XVIII. Proinde Apostolus ad Corinthios dicit: *Timeo autem, ne sicut serpens Evam decepit astutia sua: ita corrumpantur sensus vestri, ut excidant a simplicitate, & castitate, quæ est in Christo Jesu. Nam si is, qui venit ad vos, & alium Christum prædicat, quem non prædicavi vobis: aut si alium Christum accepistis, quem non accepimus: aut alium Evangelium, quem non recepistis, recte pateremini. Existimo enim nihil minus fecisse me in vobis a magnis apostolis. Et si imperitus sermone, non tamen scientia.* Item ibi contra ipsos falsos apostolos dicit: *Quod autem facio, & faciam, ut amputem occasionem eorum, qui volunt occasionem: ut qui gloriantur, tales inveniantur, sicut & nos. Nam ejusmodi pseudoapostoli operarii subdoli transfigurantes se in Apostolos Christi; & non miror. Ipse enim satanas transfigurat se in angelum lucis. Non est ergo magnum, si ministri ejus transfigurentur velut ministri justitiæ: quorum finis est secundum opera ipsorum.*

XIX. Recte ergo hi pseudochristi tertia pars corporis est Antichristi, quæ alia dicitur bestia. Quæ alia non diceretur, si aperte mala fuissent, aut intra ecclesiam non fuissent, aut sanctitatem religionis simulassent. Proinde dixit: *Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra: & habebat cornua duo agni similia: & loquebatur, quasi draco: & omnem potestatem prioris bestiæ faciebat.* Id est, prioris populi, & diaboli, quem supra diximus, quia totum in corpore una bestia est: sed in actionis officio bipartita. *Et illam vidit ascendere de mari: istam vero de terra.* Sed aliud agit mare, aliud terra. Nam mare fluctuat: terra vero quieta est. Mare enim intelligitur populus istius sæculi aperte malus. Terra vero religio est falsa, & hæretica pravitas, qui sub nomine sanctitatis non videntur in sæculo fluctuare: sed quasi quietem se agere, pro quo possint Ecclesiam simulare. Illam vidit ascendere bestiam de mare. Id est, populum nasci de populo: quia semper fuit malus populus. Et semper nascitur malus, qui semper dicitur bestia. Sic & aliam bestiam vidit ascendere de terra: non descendere de cælo. Nam Jerusalem cælestis semper de cælo in terra descendet: quia filii sui semper in humilitate nascuntur. Pseudo vero propheta de terra ascendet, quia semper de terreno genere gloriatur. De terra quippe ascendere, est de terrena gloria elevari & sanctitate fulciri. Proinde & bestia est, *& duo cornua agni similia habet.* Id est, duo testamenta Legis & Evangelii, per quæ prophetare se simulat, ut inter suos agnum se proferat.


XX. *Et loquebatur quasi draco.* Hæc est illa seductio ad Deum. Agnum se profert, quod draconis venena latenter inserat. Agni enim similis non esset, si aperte, ut draco loqueretur. Nunc agnum se fingit, quo agnum securum defoset. Ad Deum loquitur, sed mendacium, quem sibi fingit, non ea ratione, sicut scriptura dicit. Ad Deum loquitur, per quod eum quærentes, a via veritatis avertat. *Hic facturus est signa in conspectu hominum*, ut & mortui videantur surgere. Id est, per ejus prædicationem, quasi multi videantur convertere, & a mortis opere resurgere: sed tantum in conspectu hominum illa resurrectio videtur. Nam nullus hæreticorum filius ad fructum boni operis perducitur, qui eos fuerit imitatus. Terrena enim sapientia illorum est, non cælestis; & terræ filios generat: cum semen cæleste Evangelii in sensu carnali, terreno sensu aspergunt. Propterea Dominus admonet ecclesiam suam, dicens: *Cavete a pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Lupi quid significare videantur, debemus advertere. Bestiæ namque sunt, qui insidiantur ovibus, quæ circa pastorales versantur caulas, habitacula domorum intrare non audent. Somnum canum, absentiam aut pigritiam pastoris explorant. Ovium guttur invadunt, ut cito strangulent. Feri, rapaces, itemque natura corporis rigidioris, ut se facile non possint inflectere, impetu quodam suo feruntur; & ideo se palliantur. Tunc præterea, si quem priores hominem viderint, vocem ejus quadam naturæ vi feruntur eripere. Si autem homo prius eos viderit, exagitasse memoratur. Et ideo cavendum mihi est, ne si in hodierno tractatu, spiritualium mysteriorum gratia non potuerit refulgere, lupi me prius vidisse credantur: & solemne vocis extorsisse auxilium.

XXI. Nonne lupi estis isti, qui insidiantur ovibus Christi? Fremunt circa caulas nocturno magis tempore, quam diurno. Nocturno, quia inter ignorantes prædicant: quod per diem facere non possunt: quia a sapientibus deprehenduntur. Nox ignorantia est, & dies sapientia. Semper enim perfidis nox est, qui lucem Christi, suis nebulosis interpretationibus obducere, & quantum in ipsis est, fuscare conantur. Versantur ergo circa caulas, id est, circa septem Ecclesias. Stabula tamen Christi intrare non audent, id est, in ecclesiam; quæ lux est, intrare non præsumunt. Et ideo non sanantur, quia in stabulum suum non vult Christus eos inducere, in quo curatus est ille, qui *de Jerusalem descendens, incidit in latrones, quem vulneribus alligatis infuso oleo, & vino imponens in jumentum suum Samaritanus ille*, id est, Christus in corpore suo, *duxit in stabulum*: & sanandum stabulario, id est, Episcopo sancto dereliquit. Non accipiunt ergo medicinam, qui medicum non requirunt. Si enim requirerent, non aperte detraherent. Explorant pastoris absentiam: & ideo pastores Ecclesiarum vel occidere, vel in exsilium mittere contendunt: quia præsentibus pastoribus, oves Christi defosare non possunt. Spoliare ergo gregem Domini rapto pastore conantur: qui corporea, atque carnea, [1] quia non spiritualia mentis intentione: sed duri, ac rigidi nequaquam solent a suo errore deflectere. Et ideo Apostolus ait: *Hæreticum hominem post unam correptionem devita, sciens quia subversus est*, qui ejusmodi est. Hos scripturarum vetus interpres includit, ut inanes suos in vanum effundant impetus, & nocere non possint. Quod si quempiam versuta disputationis suæ circumscriptione prævenerint, faciunt obmutescere. Mutus est enim, qui verbum Dei non eadem, qua est gloria confitetur. Cave ergo ne tibi vocem tollat hæreticus, si prior eum non ipse deprehenderis. [2] Scripsit enim dum latet ejus perfidia. Si autem fraudem ejus impietatis agnoveris, jacturam piæ vocis timere non poteris. Cave igitur versuta disputationis venena. Animam petunt: guttur inva-

1. Forte deest; *sapiunt*, vel quid simile.

2. Forte *scripsit* vel *scripsi*.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 785.



dunt, vitalibus vulnus infligunt. Graves sunt morsus hæreticorum. Qui etiam ipsis bestiis graviores, & rapaciores nullum avaritiæ finem, impietatisque noverunt.

XXII. Nec vos moveat, quod formam videntur prætendere humanam. Etsi foris homo videtur, intus bestia fremit. *Ex fructibus enim eorum cognoscetis eos*. Si quis ergo specie movetur, fructum interroget. Ululat iste scripturas, non tractat: quia vocis auctorem negat. Iste est, qui cum discipulus cupiebat esse, & non simpliciter, sed fraudulenter Domino ait: *Magister, sequar te quocumque ieris. Ad quem Dominus dixit: Vulpes foveas habent, & aves cæli nidos, ubi requiescant: nam filius hominis non habet, ubi caput suum reclinet*. Videbat enim mentem ejus more vulpium tortuosam, & volucres, id est, dæmones in eo demorantes. Sed Dominus non obsequiorum speciem, sed puritatem requirit mentis. Denique sic ait, cum parvulum in medio statuit: *Quicumque receperit puerum istum in nomine meo, me recipit. Et qui me recipit, recipit eum, qui me misit*. Qui enim imitatorem Christi recipit, Christum recipit. Et qui imaginem Dei recipit, recipit Deum. Caput enim Christi Deus est; id est, divinitas ejus, qui in tortuosa mente non habitat. Proinde quantum potest homo sinceram exhibeat fidem: & observantiam mandatorum religiosa mente custodiat, ne dicatur ei: *Vulpes foveam habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet*. Vulpecula enim fallax est, & insidiis semper intenta, ut rapinam fraudis exerceat: nihil tutum, nihil otiosum, nihil patitur esse securum, quod inter ipsa hospitia hominum prædam requirat, & in fovea semper latere desiderans. Ita sunt hæretici, qui domum sibi parare non sciunt: sed circumscriptionibus suis alios decipere conantur. Qui simplicitatem habet, semper domum habitat, quia semper in caritate est. Hæreticus vero in fovea est, tamquam fraudulenta vulpes: quia numquam est in puritate mentis, & ideo fraudulenta vulpes est, gallinæ illi Evangelicæ dolum semper intendens. Nam de ea Dominus dicit: *Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina pullos suos, & noluisti? Ecce relinquetur domus vestra deserta*. Vult Dominus hæreticorum filios congregare, si ad unitatem fidei venirent, sed non congregat, quia inter se diffidentes diversa sentiendo non concordant. De quibus per Psalmistam dicitur: *Effusa est contentio super principes eorum: & reduxit eos in invio, & non in via*. Ipsi etenim dum dispensationem Domini perverse interpretari non metuunt, profecto plebes subditas non ea via, quæ Christus est, sed in invium trahunt. Super quos recte quoque affusa contentio dicitur: quia suis sibi vicissim allegationibus contradicunt.

XXIII. Arius quippe tres personas in divinitate suscipiens, tres etiam deos credidit. Quem contra Sabellius unum Deum suscipiens, unam credidit esse personam. Inter quos sancta ecclesia rectum prædicationis suæ tramitem indeclinabiliter tenens, & unum Deum prædicans, tres personas contra Sabellium asserit. Et tres personas asserens, unum Deum contra Arium confitetur.

XXIV. Elipandus Toletanæ sedis episcopus, nescio qua commixtionis vertigine, tres personas in una natura deitatis confundit: & Christum de virgine natum, non Deum, sed tantum hominem credit.

A XXV. Manichæus autem, qui in sacro eloquio virginitatem laudari cognovit, conjugium damnavit.

XXVI. At contra Jovinianus, qui concedi conjugia comperit, virginitatis munditiam despexit. Unde fit, ut semper hæreticis perversa intelligentia confusis, vicissim sibi eorum nequitia & in culpa concordet, & in sententia discrepet.

XXVII. At contra sancta ecclesia per medias utrarumque partium lites ordinata pace graditur. Et sicut superiora suscipere, ita noverit etiam & inferiora venerari. Quatenus nec summa æqualia ponat infimis: nec iterum infima despiciat, cum
B summa veneratur. Non possunt ergo hæretici in unum copulari, qui more vulpium inter se dissentientes, diversas sibi fodiunt foveas, qui unam domum ecclesiam, quam habuerunt perdiderunt. Hoc enim animal nec mansuescit aliquando, neque ullo usui, aut cibo utile est. Sic hæretici, nec mansuescunt aliquando, nec cibo Domini connectuntur. Non enim de his dicit Christus: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei, qui in cælis est*. Quas vulpes in Canticis Canticorum a fratribus suis Dominus ligare mandat, cum dicit: *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit*. Dicit per parabolam in Evangelio Dominus: *Cum crevissent herbæ, & fru-*
C *ctum fecissent: tunc apparuerunt zizaniæ*, id est, proficiente ecclesia, numerosæ etiam hæreses surrexerunt: sed ecclesia in fide permanente, quam prava sentirent investigatæ sunt hæreses. Sic ille Samson, qui interpretatur sol, captis trecentis vulpibus, earum caudis ignem apposuit, & fructus inimicorum incendit. Semper enim hæretici in primordio conversionis suæ, velut falsa religione conspiciuntur: in extremis suis cum cœperint prædicare, tamquam in cauda ignem trahunt, gehennæ incendio deputati. Et ideo cum Dominus dicit: *Capite nobis vulpes*: ac si dicat: convincite hæreticos, eorumque versutiam, sanctarum scripturarum concludite testimoniis. Quas *vulpes parvulas* dicit:
D quia nihil magni, secundum rectam fidem intelligendo, omne quod sapiunt minimum est. *Demoliuntur vineas*, quia subvertunt plebes, pravis eas traditionibus corrumpentes. *Nam vinea nostra floruit*; id est, ecclesia catholica indeclinabili augmento profecit.

XXVIII. Bene ergo scriptura sancta hæreticos homines in uno corpore bestiam dicit: quia hoc, quod legendo profert imperitis, quasi ab obtentu rationis incipit. Sed quia hoc, quod legit, non intelligit, semper tamen ad inrationabilem sensum tendit: & quasi homo in bestiam desinit, dum sensus ipsius scripturæ ad intellectum malæ credulitatis ex-
E ponit. Quod bene hæc bestia duo cornua agni similia habere dicitur: quia simplicitatem agni in exteriore demonstrat homine: & duo testamenta Legis, & Evangelii unum se nobiscum Christum simulant prædicare. Sed audi quid de eo Joannes dicat: *Et loquebatur, ut draco: & omnem potestatem prioris bestiæ faciebat in conspectu ejus: & facit terram, & eos, qui in ea habitant, adorare bestiam illam priorem, cujus curata erat plaga mortis ejus*. Draco enim, ut diximus, diabolus dicitur. Sic enim draco diabolus, loquendo, & nova falsa promittendo decepit hominem in paradiso: sic & hæreticus, qui bestia dicitur, loquitur quasi draco; id est, quasi diabolus in paradiso. Nam paradisus nunc ecclesia est. Seducitur autem verbis hujus serpentis carnalis nostra concupiscentia, & per illam seduci-

tur Adam, non Christus, sed Christianus. Dicit ergo draco ille diabolus ad mulierem: *Cur præcepit vobis Dominus, ut non comederetis ex omni ligno paradisi?* Sic hæreticorum curiosa cupiditas: sic pravi prædicatores ad diligendam erroris fallaciam, auditorum corda succendunt, quæ in typo mulieris ponuntur, dicentes eis: Quare fugitis scientiam habere latentem, & absconsam? Novam superexquirite, & boni, & mali scientiam penetrate.

XXIX. Unde apud Salomonem mulier illa hæreticorum speciem tenens dicit: *Aquæ furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavis.* Subjecit deinde idem draco: *Quocumque die comederitis, statim aperientur oculi vestri, & eritis sicut dii scientes bonum, & malum.* Sic & omnes generaliter hæretici loquuntur quasi draco, cum divinitatis meritum profitentur, atque scientiæ promissione decipiunt: & reprehenderunt eos, quos simpliciter credentes invenerunt. Et quia omnino carnalia persuadent, quasi ad carnalium oculorum adapertionem conantur abducere, ut interior oculus excæcetur. Hæc est illa locutio hæretici, *qui loquitur, quasi draco: & omnem potestatem prioris bestiæ facit*, id est, totius corporis diaboli, hoc est, malorum hominum, quem priorem bestiam dicit, sicut ait: *Et facit terram, & eos, qui inhabitant in ea, adorare bestiam illam priorem, cujus curata est plaga mortis ejus.* Et quia ipsa bestia, quam priorem dixit habere eam capita septem, & cornua decem: *Unum ex capitibus ejus vidit quasi occisum in mortem: & plaga mortis ejus curata est.* Ipsum caput bestiæ velut occisum, ipse est omne corpus hæreticorum, qui prædicant Christum crucifixum; & simulant se cum duobus cornibus agnum: sed tamen ut draco loquuntur: quia omnem potestatem prioris bestiæ faciunt. Decem cornua, quod dicit, bestiæ, decem reges esse futuros in fine mundi scriptura commemorat: in quos Antichristus undecimus, tribus regibus occisis, cum septem erit regnaturus: quos nunc septem capita nominat. Septimum ergo caput bestiæ quasi occisum in morte, hæretici sunt, qui Christum quasi agnum occisum cum Joanne prædicant: & eum filium Dei Deum esse negant, dicentes: Non per istum agnum facta sunt visibilia, & invisibilia: quem Joannes digito ostendit: *Ecce agnus Dei! Ecce qui tollit peccata mundi!* Qui enim hæc dicit, bestia est unum ex capitibus bestiæ, & non occisum, ut agnus noster Christus, tamquam occisus de furto imitationis Christi, & loquitur, quasi draco: & omnem potestatem prioris bestiæ facit. Quia hunc simulacrum diabolus sibi adinvenit, ut sub nomine religionis non solum carnales, sed etiam religiosos decipiat. Ideo *hoc caput* dicit: *quasi occisum in morte, & plaga mortis ejus curata*, id est, quasi Christum crucifixum sequantur. Simulacrum diaboli, ideo dicitur, quia cum intus sit bestia, foris se agnum esse mentitur, ad similitudinem agni, quod est Christus. Nam Ecclesia dicit de Christo. *Vidi agnum quasi occisum.* Et propter septiformem gratiæ spiritum, ex quo septem ecclesiæ fiunt per dona gratiarum, quæ una ecclesia est, quæ integrum corpus est Christi, dicit: *Habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, missi per orbem terrarum.* Quia ecclesia, quæ Spiritus sancti accepit gratiam, per universum orbem terrarum est constituta.

XXX. De corpore vero diaboli longe aliter dicit ecclesia. Nec agnum nominat corpus diaboli, nec cornua septem: sed dicit; *capita septem & cornua decem.* Nam agnus noster unum caput habet: quia unus est Deus. Caput enim Christi Deus. De diaboli vero corpore dicit: *Et vidi ascendentem bestiam de mari habentem cornua decem, & capita septem: & super capita ejus decem diademata: & super capita ejus nomen blasphemiæ. Et bestia, quam vidi, similis erat pardo: & pedes ejus sicut ursi: & os ejus, sicut leonis. Et dedit ei draco virtutem suam, & sedem suam. Et vidi unum ex capitibus ejus, quasi occisum in morte: & plaga mortis ejus curata est, & mirata est omnis terra secuta bestiam: & adoraverunt draconem, quoniam dedit potestatem bestiæ. Et adoraverunt bestiam dicentes: Quis similis bestiæ? aut quis poterit pugnare cum ea? Et datum est ei loqui magnam blasphemiam.* Hoc totum figuraliter intelligendum est in ecclesia: non sicut auditur. Nam agnus, & bestia, sicut invicem sibi contrarii sunt per naturam: ita allegorice intelligendi sunt per figuram. Heic tantum duæ partes sunt intelligendæ, id est, Christus, & corpus ejus: & diabolus, & corpus ejus. Quæ totum corpus diaboli, quo facilius possit spiritualiter ab Ecclesia deprehendi, omnia membra diaboli in una bestia conclusit. *Hæc bestia* in Daniele *terribilis dicitur esse ceteris bestiis*, id est, leoni, pardo, & urso dissimilis dicitur: & cujus nomine bestiæ nuncupetur, non habet. Sed tantum dissimilis ceteris bestiis, & terribilis nominatur. Sed vide quantum est foris, terribilis in terrenis, cum dicat terra, id est, terreni: *Quis similis bestiæ, & quis poterit pugnare cum ea? Terribilis ceteris bestiis* dicitur, & *dissimilis*. Sed agnus adveniens adversus eam in certamine surrexit, & moriens prædam excussit. Excutiunt & hodie agni pretioso sanguine redemti agni incontaminati, & immaculati Christi: per illum agnum, quem Deus suscitavit a mortuis. Et hic agnus, & bestia contra contrarii sibi sunt in ecclesia. Bestiæ autem, quæ contraria est agno, non speciale, sed generale nomen est, & quod multas habeat partes, quæ septem capitibus distinctis scribitur. Sed in narratione pro locis intelligendum est, qualem partem bestiæ dicat, quæ septem capitibus ex uno corpore constat. Aliquando enim diabolum dicit bestiam: aliquando infideles, id est, sine baptismo. Aliquando Christianos malos, id est, vulgarem plebem intra ecclesiam, qui tantum nomine Christiani sunt, operibus vero bestiæ sunt. Aliquando principes malos. Aliquando hæreticos, qui male sentiunt, & male prædicant de Christo. Aliquando hypocritas, qui simulant sanctitatem, & nec dicunt de Christo, nec scire volunt, quid dicant, vel credere debeant. Aliquando enim schismaticos dicit, qui recte credunt, & recte prædicant Christum: sed scissi sunt ab unitate ecclesiæ, non corpore, sed animo. Schisma enim a scissura animarum vocata est. Eodem enim cultu, eodem ritu credit, ut ceteri religiosi, sed solo congregationis delectatur dissidio, ut cum ceteris communi nullo fulciatur consilio: & totum quod sibi agere videtur, sanctum in suo corde esse putatur. Fit autem schisma, cum dicunt homines; Justi sumus: nos sanctificamus in mundo, & cetera his similia. Hoc totum per singula officia unius bestiæ describuntur capita. Capita dicuntur, quia unusquisque sequitur suæ voluntatis arbitrium. Sola ecclesia agit cum consilio, ne pœniteat, post factum.

XXXI. Quod ut testimoniis approbemus, ex multis unum Paulli apostoli proferamus exemplum. Qui ne forte in vacuum curreret, aut cucurrisset, primum apostolorum requisivit Petrum. Per hoc exemplum proficit ecclesia, quæ est summi capitis

membrum. Quæ omnis christianitas una videtur ecclesia. Et multi toto mentis ardore bene se laborare putant: sed incertum est utrum Deo placeant. Unus ager est, sed dormiente patre familias, *inimicus homo zizania superseminavit*. Ad quam eradicandam, cum discipuli ire se proponerent, Dominus noster prohibuit, sibi reservans palearum, & frumenti separationem. *Hæc sunt vasa iræ, & vasa misericordiæ*, quæ in domo Dei ab Apostolo prædicantur. Venient ergo dies, quando thesauro ecclesiæ aperto, proferet Dominus vasa iræ suæ, quibus exeuntibus sancti dicent: *Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum*. Nemo potest Christi victoriam sibi assumere, nemo ante judicii diem de hominibus judicare. Si jam mundata est ecclesia, quid Domino reservamus? *Est via, quæ videtur esse apud homines recta, novissima autem ejus veniunt in profundum inferni*. In hoc errore judicii, quæ potest esse certa sententia? Proinde, quia non est certa sententia, debet caritas una. Sed ea ipsa caritas non poterit esse certa, si fides fuerit incerta. Proinde communiter omnis ecclesia perquirere debet fidem veram, & omnibus modis evitare hæreticorum venena. Non enim sine ratione caput hujus bestiæ velut occisum scribitur. Bestia itaque, quam dicit, inter diabolum, & Christum personam non habet: quia in solo est vocabulo, quod dicunt se adorare Christum, qui mortuus est, & resurrexit. Hæc bestia cum duobus cornibus ipsa est hæreticorum pars cum omnibus sibi consentientibus, tam fide, quam opere. Quæ caput dicitur velut occisum, id est, fallaciter Christianum. In quo vocabulo diabolum adorant, qui hoc simulacrum suis adinvenit, ut sub nomine Christianitatis maximam partem ab ecclesia excludat, & capiti suo diabolo conjungat. Et ille habeat corpus, cum quo se, & illud ad inferorum tartara tradat. Nos adoramus agnum, qui occisus est, & resurrexit. Illi adorant bestiam, quæ se habet in hujusmodi similitudinem. Tres itaque sunt, id est, diabolus, & populus, & bestia velut occisa, quæ est mediator, in quibus Christus resonat. Et quia ex parte bestiam, quando mediam bestiam dicit adorari, in diabolum res cadit, qui suum & hæreticorum locum implet, per quorum os loquitur in ecclesia.

XXXII. Dicit *super decem cornua decem diademata*, hoc est, quod reges suos tam vivos, quam mortuos laudant, & veluti in cælum, atque inter sanctos translatos esse existimant. Nomen vero blasphemiæ, quod super septem capita vidit, hoc est, quod se ecclesiam dicunt, & ecclesiam persequuntur. Draco est serpentis operatio. Rufus, carnis habitaculum, qua draco ipse carnis habitatio est. Decem cornua draconis, virtus est legis alienæ. Draco vero ille magnus serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & satanas. Ideo dicitur draco, quia terret. Magnus, quia potens videtur, & exaltat in spiritu. Serpens, quia non deprehenditur, sed inreprehensibiliter serpit, & fallit. Antiquus ideo vocatur, quia & a principio cœpit, & veteris hominis accepit potestatem.

XXXIII. Diabolus ideo vocatur, quia consiliator sibi videtur, & sapit. Et postquam persuaserit hominem, tamquam non suæ persuasionis, sed nostri potius admissi criminator apparet. Pardus, quia varietatem & fallaciam deceptionis ostendit. Ursus, quia rapinam sensuum & operum malignorum est. Leo vero, quia superbiæ, atque erroris est forma. *Dedit draco bestiæ virtutem suam, & sedem suam*: quia intra ecclesiam sunt hæretici, qui ecclesia videntur esse, & ecclesia non sunt. Et per os diabolus loquitur, quos in ecclesia decipere vult. *Et adoraverunt bestiam dicentes: Quis similis bestiæ? aut quis poterit pugnare cum ea?* Illi hoc taliter non dicunt. Sed dicunt: Quis similis Christo? aut quis illum poterit vincere? Lingua Christum profitentur, sed factis bestiam sequuntur. *Et facit signa magna: ut & ignem faciat de cælo descendere in terram in conspectu hominum*. Ignis Spiritus sanctus est: cælum ecclesia est: terra ipsi sunt, quos baptizant, & ceteros ecclesiasticos ordines dicit, quæ per ipsos fiunt in ecclesia, per quæ sacramenta ab illis tenetur ecclesia captiva. Sacramentum baptismatis non solum intra in ecclesiam catholicam, sed etiam apud hæreticos, qui in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptizant, esse quidem baptisma posse, sed extra ecclesiam catholicam prodesse non posse. Immo sicut intra ecclesiam recte credentibus per sacramentum baptismi confert salutem: sic extra ecclesiam baptizati, si ad ecclesiam non redierint, eodem baptismate cumularunt sibi perniciem & confusionem. Tantum enim valet ecclesiasticæ societatis unitas ad salutem baptismi, ut non salvetur, cui non intra ecclesiam datur, ubi oportet, ut detur. Inesse tamen homini baptismum etiam extra ecclesiam baptizato, sed maxime ad damnationem ab ecclesia separato. Sed quia manifestum est, ubicumque datum fuerit hoc baptisma, semel esse dandum, ideo etsi ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti datum fuerit, venerabiliter agnoscendum, & ab hoc nullatenus iterandum. Et quia omnis christianitas ecclesiæ nomen habet; & infideles, qui non sunt baptizati, extra ecclesiam dicuntur, putant se cum audiunt extra ecclesiam dici baptizatos, quod pro infidelibus dicatur? Non enim ita intelligendum est, ut tantum duas partes credamus hominum, id est, unam partem baptizatorum, quæ sit ecclesia; & alteram infidelium, quæ sit extra ecclesiam: non enim infideles baptismum habent, qui non credunt Christum filium Dei: sed tantum Christiani habent baptismum. Et ipsa christianitas, quæ baptizata est, altera pars est, quæ intra ecclesiam est. Et illa quæ foris ecclesia est, in duas partes divisa est; id est, in sacerdotes hæreticos, & in laicos aperte malos. Illa pars, quæ ecclesia dicitur, sancti, & fideles sunt, qui pro Christo omnia sua reliquerunt: cui dicturus est in die judicii: *Vos qui dimisistis omnia vestra, & secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel*. Duodecim sedes dicit, quia omnis omnino ecclesia, quæ est Christi sanguine passionis tincta, in duodenario apostolorum numero est constructa. Nam sic sunt duodecim apostoli in Christo, sicut duodecim horæ diei in sole. Sol Christus intelligitur, secundum Prophetæ dictum: *Vobis, qui timetis Dominum, orietur sol justitiæ*. Et tantum ipsis Christianis oritur, qui timent Christum, id est, qui credunt in Christum, & imitantur vestigia ejus. In tantum ut in isto die possint ambulare. Et sicut sol facit duodecim horas diei, & non faciunt solem: sic Christus fecit, & elegit duodecim apostolos: & duodecim apostoli non fecerunt, nec elegerunt Christum. Sicut ipse Dominus ait: *Non vos me elegistis: sed ego elegi vos*. Nunc vero ipsi sunt filii adoptivi, qui electi sunt, non ille, qui elegit. Et tamen qui elegit, & qui electi sunt, unus dies est, unum lumen est. Sol inluminator, & duodecim horæ inluminatæ a sole. Sic Christus inluminator, & duodecim apo-

stoli inluminati a Christo. Christus est caput, & duodecim apostoli corpus Christi, quod est omnis omnino ecclesia in duodenario numero apostolorum constituta. Hic est unus dies, id est, una persona Christus, & ecclesia: qui in hoc die ambulat, ipse ambulat intra ecclesiam. Hos tantum duodecim apostolos, tamquam duodecim horas diei per universum mundum misit Christus, ut omnis multitudo credentium in isto solo ambularet die, id est, in ista sola ecclesia. Sed nemo credentium ibi potest ingredi, nisi imitatus fuerit apostolos Christi. Et dum imitatus fuerit, fit ipse apostolus Christi: sicut & Paullus apostolus dicebat discipulis suis: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.*

XXXIV. Jam nunc episcopi cathedras tenent duodecim apostolorum; si imitantur apostolos in fide, & opere, & prædicatione: & ipsi ecclesia sunt, quia in doctrina apostolorum sunt: & baptismata, quæ per manus illorum fiunt, ipsi dicuntur baptizati intra ecclesiam, quia neminem baptizant, nisi tantum eos, qui nomen suum dant. Quos etiam instruunt in fide & opere, qualiter credant, & qualiter vivant: ita ut ore proprio profiteantur apostolicum fidei symbolum: *Credere in Deum Patrem omnipotentem. Et in Jesum Christum filius ejus unicum Deum, & dominum nostrum: qui natus est de Spiritu Sancto ex Maria virgine. Et in Spiritum Sanctum.* In qua fide baptizati sunt: & abrenuntiant diabolo, & angelis ejus, operibus ejus, & imperiis ejus.

XXXV. Ex ipsis baptizatis alii traduntur scholæ, & offeruntur a parentibus Christo, ut possint futuri esse sacerdotes, & serviant Christo. Alii tantum doctrinæ traduntur, ut legant, & cognoscant Christum; & accipiant cum benedictione intra ecclesiam uxores, ut serviant conjugio: quia hoc bonum est, & intra ecclesiam ejus. Sed illud melius est, quod sacerdotium est, quod intra ecclesiam est, & per se ecclesia est. Sed & ista bona est, quæ nobis martyres & sacerdotes, virgines, & confessores generant, & vivunt conjugati, secundum apostolum Paullum, qui dicit: [a] *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tamquam misericordiam consequutus a Domino, ut sim fidelis. Existimo enim hoc bonum esse propter instantem necessitatem: quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es uxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccasti. Et si nupsit virgo, non peccavit. Tribulationem autem carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque, fratres, tempus breve est. Reliquum est: ut qui habent uxores, sint tamquam non habentes. Et qui flent, tamquam non flentes. Et qui gaudent, tamquam non gaudentes. Et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur. Præterit enim figura hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitudine esse.* Conjugati, qui hoc præceptum servant apostoli, intra ecclesiam sunt, quia sub disciplina apostolorum sunt. Si aliquis inter eos deliquerit, sicut ab ecclesia excommunicatur, ita & ab eis non recipitur. Decimas suas recte dant Deo. Hospitibus pedes lavant. Pauperibus ministrant: sacerdotibus honorem impendunt: & facultatulam suam cum ipsis communicant, quia eos futuros heredes habere exspectant. Conjugibus suis non propter libidinem, sed propter procreationem filiorum utuntur. Et cum omnibus hominibus in tanta caritate vivunt, ut monachi esse putentur. Hi in die judicii a Domino audituri sunt: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis præparatum est ab origine mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare. Sitivi, & dedistis mihi bibere. Hospes eram & collegistis me. Nudus, & operuistis me. Infirmus & visitastis me. In carcere eram, & venistis ad me. Quia quod uni de his fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis.* Hi sunt fratres Domini, de quibus dicit: *Qui facit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ille mihi mater, & frater, & soror est.*

XXXVI. Nam si scire vultis, quid est voluntas Patris, nihil aliud invenire possumus, nisi, *ut credamus in eum, quem misit ille*: id est, credamus filium ejus Jesum Christum verum esse Deum. Timeamus, adoremus, imitemur, & amemus, quia ipse est verus Deus, & vita æterna: sicut ipse in Evangelio dicit: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. Hic est verus Deus, & vita æterna.* Ecce ecclesia quem credit, ad eum tendit: & quidquid agit, per ecclesiasticam doctrinam agit: & quidquid petit, in nomine Jesu petit, ut cum Jesu æterni sint, & intra ecclesiam baptizentur, in cujus pace perseverant: per quam & salvi fiunt. Nam qui contra hanc ecclesiam agit, salvus esse non potest, nisi ad eam redierit, ut per ipsam salvetur. Omnes intra eam salvari credo: extra illam, licet quanta bona quis videatur agere, etiamsi pro Christi nomine sanguinem fundat, salvus esse non poterit, nisi ad ecclesiam catholicam redierit: quæ sola recte credit Deum: & sola diligit proximum, sola patitur pro Christo, sola moritur pro eo. Dominare semper vult vitiis, non fratribus. Quotidie legem Dei adimplet, quia quotidie in caritate est. Et quantum plus intelligit, tantum plus laborat. Cum omnibus patitur, quia cum omnibus tristatur. Hæc illa pars non agit, quam supra diximus, quæ extra ecclesiam est, id est, hæretici, & populus ejus malus; quæ ab eis sacramenta ecclesiæ accipiunt: & doctrinam salutis, nec ipsi habent, nec illis proferunt. Corpora sunt, sed non se invicem diligunt, quia aversionem habent ab iis, quorum membra sunt. De quibus Paullus apostolus Thessalonicensibus narrat, cum putarent, quod tempore Paulli esset dies judicii, eo quod eis scripserit: [b] *Nos, qui vivimus, qui relinquimur in adventum Domini, non præveniemus eos, qui antea dormierunt.* Ad hæc illi conturbati, scripsit eis postea, dicens: *Rogamus autem vos, fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi, & nostræ congregationis in ipsum, ut non cito moveamini a vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tamquam per nos missam, quasi instet dies Domini, ne quis vos seducat ullo modo. Quia nisi venerit primum discessio, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur, & extollitur super omne, quod dicitur Deus, aut colitur: ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus. Meminisse debetis, quia ego adhuc, cum apud vos essem, hæc dicebam vobis: & nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore. Nam mysterium operatur iniquitatis.* Ac si aperte diceret: tunc Antichristus manifeste videbitur. Nam in cordibus iniquorum, secreta sua jam nunc occultus operatur. Ut enim de apertioribus criminibus taceam, illa,

[a] I. Cor. VII. 25-32. [b] I. Thess. IV. 4.

SÆC. VIII. CIRCA ANN. CHR. 785.

quæ sub specie fiunt, dicam: ecce alius fratri tacitus invidet, & si occasionem inveniat, eum supplantare contendit: cujus alterius membrum est, nisi ejus, de quo scriptum est: *invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum*?

XXXVII. Alius se magni meriti esse existimans, per tumorem cordis cunctis se præferens, omnes sibi inferiores credit: cujus alterius membrum est, nisi ejus, de quo scriptum est: *Omne sublime videt, & ipse est rex super omnes filios superbiæ?* Alius honorem quærit, ut ceteris præsit: non quod aliis prosit, sed quod ipse alteri subditus non sit. Cujus alterius membrum est, nisi ejus, de quo scriptum est, qui dixit: *Sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, & ero similis altissimo?* Hanc ergo regulam diabolus instituit membris suis, quod simulacrum sub nomine christianitatis in ecclesia finxit: quæ tamen pars foras ecclesiam est. Ecclesia dominari non vult, sed servire. Solus quippe Altissimus ita dominatur super omnia, ut alteri [1] sub se non possit: quem diabolus imitari perverse voluit, cum suum [2] dominum quærens, ei subesse recusavit. Adipiscere voluit omnipotentiam per rapinam, quam Dominus habebat per naturam.

XXXVIII. Proinde *Dominus noster Jesus Christus, cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semet ipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*. Et ut nobis humilitatis, & caritatis præberet exemplum, non alteros humiliavit, sed semet ipsum. Nam cum esset unigenitus secundum divinitatis excellentiam, & sine fratribus, pro nobis etiam factus est primogenitus secundum susceptionem hominis: in qua per adoptionem gratiæ fratres habere dignatus est, quibus esset primogenitus: de quibus ipse per Prophetam dicit: *Ecce quam bonum, & quam jucundum, habitare fratres in unum!* Fratres heic non corporales dicit, sed fratres spirituales. Fratres, de quibus idem Dominus Patri dicit: *Narrabo nomen tuum fratribus meis*. Fratres, de quibus loquebatur mulieribus: *Ite, nuntiate fratribus meis*. Vere bonum, & vere jucundum habitare fratres in unum! Unum fratrem dimisimus in sæculo: ecce quantos invenimus in monasterio! Frater meus sæcularis non tantum me amabat, quantum substantiam meam. Ceterum fratres spirituales, qui sua utique negligunt, aliena non quærunt. Sic & in Actibus apostolorum legimus: *Quoniam multitudinis credentium erat cor unum, & anima una. Et erant*, inquit, *illis omnia communia*, quia communem Christum possidebant.

XXXIX. Hanc regulam, quam tenet nunc ecclesia, ab ipso descendit capite, cujus & corpus est secundum Apostolum qui dicit: *Ex quo totum corpus per nexus, & conjunctiones subministratum, & constructum crescit in augmentum Dei*. Corpus illius summi capitis Christi, nos omnes fideles ejus sumus. Per nexus vero, & conjunctiones corpus ligatur: quia dum capiti pectus, dum pectori brachia, dum brachiis manus, dum manibus digiti sunt conjuncti ac membra cetera membris inhærent, corpus omne perficitur. Sic sancti Apostoli, quia redemtori nostro propinqui exstiterunt, quasi pectus capiti inerant. Quos quia martyres sunt secuti, quasi conjuncta brachia pectori fuerunt. Quibus dum pastores, & doctores subjuncti sunt per bona opera; manus brachii iniverunt. Hoc vero omne corpus redemtoris nostri quotidie per nexus, & conjunctiones subministratur in cælo: quia cum ad eum illuc electæ animæ ducuntur, ei sua membra colligantur. De quo bene dicitur: *Subministratum, & constructum crescit in augmentum Dei*. Quia Deus omnipotens redemtor noster, qui in se, quo proficiat non habet, adhuc per membra sua quotidie augmentum habet. Unde rursus scriptum est: *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*. Hoc totum per passionem carnis, & compassionem mentis complet ecclesia. Et cum heic patitur corpus, patitur caput, cujus est corpus, Paullo apostolo attestante qui ait: *Quotidie adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est ecclesia*.

XL. Dominus, ac redemtor noster cum sancta ecclesia, quam redemit secundum carnem una substantia est. Illius capitis corpus ecclesia est: & hujus corporis caput est Christus. De quo suo capite exsultat corpus, id est, sancta ecclesia, cum per Psalmistam dicit: *Nunc autem exaltavit caput meum super inimicos meos*. Quia enim quandoque ipsa etiam exaltanda est, jam nunc caput suum super inimicos exaltatum gaudet in cælis. Cum ergo electi, quique ad vitam perveniunt, quia membra ejus, per eum intrant ad eum; ipse per se intrat ad se. Ipse enim in membris suis est, qui intrat. Ipse caput, ad quod intrantia membra perveniunt. Accipite ergo, descendit regula, quam tenent membra ejus ecclesia, quod est in caritate unum corpus summi capitis, a quo accipit Spiritum sanctum, secundum Psalmistæ vocem dicentis: [a] *Sicut unguentum a capite, quod descendit in barbam, in barbam Aaron*. Vide ergo quid dicat unguentum. Unguentum gratia est: benedictio est divinitatis. Sicut benedictio unguenti de capite, hoc est de divinitate in Christo. Caput Christi Deus: caput ecclesiæ Christus. Descendit unguentum in homine Christo. Descendit de Christo in oram vestimenti ejus, quod est ecclesia. Unguentum de capite, quod descendit in barbam. Barba enim virilitatis indicium est. Caput ergo divinitatis dicitur, sicut diximus, ex quo descendit unguentum in barbam Aaron, id est, in Christo, qui est caput ecclesiæ. Barba vero, ut diximus, virum indicat, in quo perveniamus in virum perfectum, qui est Christus. Et postquam in illam barbam *descendit*, ipsum unguentum *in oram vestimenti ejus*; sic benedictio, *& ros in Hermon, descendit in montem Sion*. Hermon in lingua nostra interpretatur *anathema*, quod est Judæorum populus. Ros ergo, id est, benedictio Domini ante fuit in populo Judæorum, qui postea anathematizati sunt. Et benedictio illa, quæ antea descendebat in populo anathematizato, postea descendit in monte Sion, hoc est, ecclesiam, quæ corpus est Christi. In quo capite ecclesiæ descendit unguentum, ut Psalmista ait de eo: *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exsultationis præ participibus tuis*. Participes sunt apostoli Christo: sed apostoli ad mensuram acceperunt Spiritum sanctum. In Christo vero omnis plenitudo Spiritus sancti descendit, quia solus sine peccato: & de ipsa plenitudine illius acceperunt apostoli.

XLI. Audistis, quid dixit: *Dilexisti justitiam*,

[a] Psalm. CXXXII. 2.

1. Subesse.

2. Dominium.

Sed & contrarium videte, quid dicat: *Et odisti iniquitatem*. Pro his virtutibus quid accepit, audite: *Propterea*, inquit, *unxit te Domine*, *Deus tuus oleo exsultationis præ participibus tuis*. Hoc ad Christum dicitur. Jesu Christe, tu unctus es, ut ceteros ungeres unguento, *quod descendit in barbam*, *in barbam*, inquit, *Aaron*. Quod unguentum in capite est, descendit in barbam: id est, a vero Deo descendit ad hominem, quem dignatus est assumere. Et de homine, quem assumsit, descendit in oram vestimenti ejus, quod sumus nos. Et quantum nobis prodest barba ista sancta, & vir iste perfectus, videamus. Et qui sunt illi qui proficiunt, in quos descendit in oram vestimenti ejus, qui possunt esse vestimentum Christi. Et cum fuerint vestimentum Christi, tunc & ipse Christus verum est illorum vestimentum, & induunt Christum. Nos, si vestimentum Christi sumus, nuditatem ejus nostra vestimus fide. Ecce nudus pendet in cruce, *scandalum Judæis*, *gentibus stultitia*. Et tamen nostra fide, & sermone, & confessione vestimus nuditatem ejus, & dicimus. Dominus Deus noster est qui nudus pendet in cruce. Filius Dei verus est, qui illusiones, & derisiones patitur nudus in cruce, ut nos vestiti simus ejus nuditate.

XLII. Quum audiunt nos Judæi ista dicere, continent aures suas, & derident nos, qui talem Deum habemus, qui nudus pependit in cruce. Recedimus ab invicem in tantum, ut nec illi recipiant nos, nec nos illos. Unum hostem fugimus Judæos, & multos hostes invenimus intra domum, hæreticos pejores, quam Judæos. Judæi semel negant, & dicunt: Iste, quem dicitis, qui nudus pependit in cruce, non est Deus. Cum nos eis dicimus, quis est? Respondent, & dicunt, homo est: nam si Deus esset, non diceret: *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti*? Et ideo non debetis tam absurde dicere Deum: sed tantum filium adoptivum, sicut & nos sumus adoptivi: quia nec unus Deus est, qui nudus pendet in cruce, nec verus filius Dei. Injuriam facitis Deo de tali fide. Nam nos honoramus Deum, qui recte dicimus, quod Deus ad tantam injuriam descendit. [1] Sermo est, qui patitur. Servus Dei est, qui patitur, ipso de se dicente: *O Domine ego servus tuus: ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ*. Et Dominus ei dicit: *Ecce servus meus, suscipiam eum*. Cum hoc verum dicat scriptura, quomodo vos potestis firmare, cum homo nudus, qui pendet in cruce, a Deo se derelictum clamitet, & Deus sit. Ecce & istos invenimus similes Judæorum: quia illi nudaverunt Christum, & nudum eum imposuerunt in crucem & ibi mortuus pependit. Et ipsa nuditas, crux & mors facit scandalum Judæis, & dicunt: Non est Deus. Hoc dicunt & isti hæretici: Non est Deus. Nudaverunt illi Christum vestimentis, nudant, & isti fide. Illis fecit scandalum Christi nuditas: istis facit scandalum Christi humilitas. Non sunt ergo isti vestimentum Christi, qui non vestiunt Christum sua fide: sed eum cum Judæis nudant sua infidelitate. Illi Deum Israel laudabant, & ipsum Deum Israel negabant, quem nudum cruci affligebant. Et isti Christum laudant: & ipsum Christum, qui nudus pependit in cruce, Deum Israel esse negant: & utrique populum Domini se existimant esse; & utrique meliores se nobis profitentur in fide, & utrique dicunt: Nos sumus Israel, qui Deum recte credimus. Nam vos bruta, & insensati, qui hominem, qui mortuus est, habetis Deum. Et quia Israel, *videns Deum* dicitur, utrique se Israel profitentur: utrique se filios Dei asserunt. Sed Dominus eos per Esaiam prophetam redarguit, dicens: *Filios enutrivi, & exaltavi: ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Israel autem non me cognovit: populus meus me non intellexit*. Et meum populum dicit, & me non intellexit, neque cognovit. Non intelligit Deum, qui non intelligit Christum, quia Christus est Deus. Non cognoscit Deum Israel, qui non cognoscit Christum, quia Christus est Deus Israel. Non est mundus corde, qui non videt Deum factorem cæli & terræ: qui non credit Christum, quia Christus est Deus factor cæli & terræ. Et inde non vident Deum, quia mundum non habent cor. *Beati*, inquit, *mundo corde*, *quoniam ipsi Deum videbunt*.

XLIII. Restat ergo, ut qui non intelligunt, non vident: & qui non vident, in tenebris ambulant. Unde & Psalmista dicit: *Nescierunt*, *neque intellexerunt quod in tenebris ambulant*. Et qui in tenebris ambulant, in die non ambulant, quod est Christus, & ecclesia: nec dicere possunt illum versiculum Psalmi: *Hic est dies*, *quem fecit Dominus*; *exsultemus & lætemur in eo*. Et quia dies, & nox una dies dicitur, quia de sole usque ad alterum orientem solem, diem & noctem includit, & unus dies dicitur: sic ecclesia, & hæreticorum pravitas, lux, & tenebræ est, & una ecclesia nuncupatur. Utrique unum Evangelium legunt: sed utrique vestimentum Christi esse non possunt. Cum unus fide tegit nuditatem Christi, alter infidelitate nudum prædicat Christum, cum dicit, Homo est, non est Deus: non est ipse qui fecit cælum & terram. Alter non nudum, sed veste indutum eum prædicat, quia dicit: Deus est homo; & ipse fecit cælum & rerram, qui in cruce pendet inter cælum & terram. Hoc tantum ecclesia potest dicere de Christo capite, cujus ipsa est corpus: quia ipsam suo sanguine pretioso redemit, ut eam sibi copularet per sanguinem; & Christus indueret eam, & illa Christum: sicut Paullus apostolus de ipso loquitur ad Ephesios: *Ut exhiberet sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam*. Maculam quippe & rugam non habet, quia & turpitudine operis & duplicitate sermonis caret. Non habentem, inquit, maculam aut rugam. Id est, nec per peccatum habentem maculam, nec per duplicitatem rugam. Quia & per justitiam munda est, & per simplicem intentionem extensa. Quæ ergo abluta est, nec maculam habeat, extensa est, ne habeat rugam. Utique vestis Christi est. Sicut enim indumentum Christi tota generaliter ecclesia dicitur, sic indumentum sunt ecclesiæ singulorum animæ, quæ ab errore conversæ eamdem ecclesiam credendo, eique fideliter inhærendo, circumdant. De quibus eidem ecclesiæ per prophetam Dominus dicit: *Vivo ego, quia omnibus his, velut ornamento vestieris*.

XLIV. Ecce quomodo est ecclesia per fidem & conversionem, & opera bona vestimentum Christi. Ecce quomodo singulorum animæ, quæ per prædicationem ecclesiæ convertuntur & credunt, quod tantum in ea sit remissio peccatorum, & inhærent ei fideliter, vestimentum sunt ipsius ecclesiæ. Vestimentum sunt ecclesiæ animæ in unum collectæ. Vestimentum est Christi tota ecclesia: & vestimentum est Christus totius ecclesiæ. Rem vobis dico

1. Servus.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 785.



novam: immo non novam, sed de scripturis, quia A vestimentum Christi sumus. Et cum illum nostra confessione, & fide vestimus, tunc iterum nos ipsum Christum induimus. Dicit enim & Apostolus, quod vestimentum nostrum Christus sit: *Quicumque*, inquit, *baptizati estis in Christo, Christum induistis*. Quando enim baptizamur, induimur, & vestimur.

XLV. Hoc totum quare dixi? Ut ostenderem credentes vestimentum esse Christi, quod descendit in oram vestimenti ejus: quod descendit in barbam, in barbam Aaron. Sic enim Aaron sacerdos hunc sacerdotem nostrum præfiguravit Christum: & octo ejus vestimenta omnis omnino ecclesiæ. Figura illa B vestimentorum nos sumus secundum Apostolum, *in quos finis sæculorum* decurrit: *quia ista illis in figura contingebant*, quæ nobis in veritate completa sunt. Siquidem Pontifex octo habet, ut diximus, species vestimentorum. Longum est dicere de Ephod, de tunica, de zona, de catenulis, de femoralibus, de fimbriis, de soccis, de tintinnabulis: quibus virtutibus sacerdos debeat ingredi templum Domini, & in sancta sanctorum. Et nos ergo si voluerimus de vestimento esse isto sacerdotali, aut superhumerale sumus, quod interpretatur Ephod, ut habeamus bona opera: & in humeris nostris Christi mandata portemus: aut certe tunica debemus esse interior: quæ tunica stricta est, & adhæret corpori. C Non est laxa; non funditur, sed adhæret tota ad corpus. Vides ergo, quia quicumque interior est, & interior tunica, vicinius jungitur corpori.

XLVI. Longum est dicere de rationalibus, & de manifestationibus. Si quis vero rationale est, quod dicitur, Logion, non est alibi, nisi in pectore. Quod ratione dictum, vel factum est, rationale dicitur. Quod vero sine ratione dictum, vel factum, rationale dici non potest. Intelliges scripturæ ordinem. Quicumque rationabilis est, Ephod est; id est, vestimentum superhumerale: & in pectore, quod est prudentia. Ceterum fieri potest, ut aliquis habeat prudentiam, ut habeat [1] augon, hoc D est, logion, quod latine dicitur rationabilitas, & non habeat [2] Ermonem, hoc est, manifestationem. Quicumque ergo verus sacerdos est, debet esse rationabilis; debet habere manifestationes; hoc est, quodcumque manifestum proferat, & omnes doceat.

XLVII. Et hæc omnia forsitan faciat, si castitas cauta & ornata non fuerit, & omnes fluxus carnis non mortificaverit, ut cingat lumbos suos & mortificet. Deinde femoralia debet habere; ut quodcumque in nates ignominiosum est, & sordidum, quasi hoc cingulo mundetur, & mortificetur. Deinde dicitur, quoniam debemus habere E [3] phodere: id est, vestimentum tunicæ usque ad pedes. Phodere quod ordinet, quasi pedes nostros. Et in ipso Phodere diversi flores sunt. Sunt ibi malogranata: sunt etiam fimbriæ. Ego puto, quod & illa mulier sanguinem fluens, ideo sanata est, eo quod statim fimbriam tetigerit. Hoc totum quare dico? ut bonum opus, quod inchoamus, usque ad finem perseveremus: quod est usque ad pedes, si Christi vestimentum esse desideramus.

XLVIII. Deinde considerate, quoniam ad extremos pedes inter malogranata erant & tintinabula: & non ingrediebatur pontifex in sancta sanctorum, nisi illa tintinabula personarent. Et quid sancta sanctorum ingredi, nisi ille interior spiritualis intellectus, ubi cum Domino loquitur?

XLIX. Et illa tintinabula, & illa malogranata diversitates virtutum sunt: & sacerdos, id est, pontifex, qui omnem ecclesiam in typo Christi tamquam vestimentum in se portat, debet prius diversarum virtutum ejus opera, tamquam tintinabula per omnem ecclesiam resonare: & tunc ad ejus omnes congregentur imitationem: & sic in sancta sanctorum ingrediatur, ut quod intus de Domino audierit, foris populo loquatur, secundum Domini dictum in Evangelio: *Ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est*. Et cum hæc fuerit, ecclesia erit: mons Sion erit: *quoniam illic mandavit Dominus benedictionem*. Id est, unguentum illud quod descendit de capite divinitatis, *in barbam, in barbam Aaron: quod descendit in oram vestimenti ejus*, quod est Christus: & pervenit ad montem Sion illa benedictio roris, quæ descenderat in Hermon: hoc est, in populo Judæorum pervenit ad ecclesiam, quod est mons Sion: quoniam in ea mandavit Dominus hanc benedictionem & vitam usque in æternum. Vita Christus est. Qui confitetur Christum, habebit vitam usque in sæculum sæculi. Nos tamen si de ecclesia sumus, ecclesiam defendimus, & in dogmatum veritate stamus, in ædificio Christi sumus. Illi vero, qui non sunt in ecclesia, adversantur Christi ecclesiæ. Si ergo sumus in ecclesia, si habemus fidem ecclesiæ, fidem apostolorum, fidem Christi dogmatum, veritatis montes, sumus Sion.

L. Dominus noster Jesus Christus mons montium est; non unus de montibus, ut hæreticus asserit Elipandus. Nam cum singulariter mons dicitur, aut singulariter Dominus, aut singulariter Christus, aut singulariter pontifex, aut singulariter sacerdos; aut singulariter hostia, aut singulariter agnus, aut singulariter lapis, aut singulariter petra, & cetera hujusmodi similia, aut certe singulariter servus, aut singulariter pauper, solus ipse in sua persona intelligendus est: ut in ipsa humilitate, qua a nobis figuraliter prædicatur, nullus ei similis prædicetur. Nam & homines sancti multi sunt, qui ei credendo efficiuntur sancti. Ab eo dicuntur dii, ab eo domini, ab eo Christi, ab eo pontifices, ab eo sacerdotes, ab eo hostiæ, ab eo agni, ab eo lapides vivi, ab eo fortes petræ. Propter hoc ille factus est Patris servus, ut nos de multis dominis liberaret: id est, de multis idolis, & ipsum solum haberemus dominum, qui propter nos factus est servus: & essemus liberi per ipsum, qui solus inter mortuos est liber: & nos ad hanc ingenuitatem perduxit. Et sine dubio summa ingenuitas creditur, in quo Christi servitus comprobatur. Propter nos factus est pauper, ut nos ejus paupertate efficeremur divites. Et quid est ejus paupertas, nisi ejus humanitas? Et quid sunt nostræ divitiæ, nisi ejus humanitas? Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Ubi ille descendit, illic nos ascendimus. Ubi se ille inclinavit, ibi nos erexit. Ubi ille pœnam perpessus est, ibi nos a pœna liberavit. Ubi ille mortuus est, ibi nos vivificavit. Ubi ille resurrexit, ibi nos suscitavit. Ubi ille ascendit, ibi nos secum levavit. Ubi pater eum exaltavit, & donavit illi nomen, & nos cum illo exaltavit, & *cum illo nobis omnia donavit*: quia & ipsum nobis Pater dedit, & nos illi donavit: & illum a parte

1. Forte *augen*, αὐγήν. 2. Forte *Sermonem*. 3. Poderem.

dexteræ suæ collocavit: & nos corpus ejus cum capite sedere fecit.

LI. Et cum sit caput & corpus una substantia, tamen multum distat inter caput, & corpus: cum tantum unum sensum habeat communem, & ceteros quatuor solum sibi vindicat caput. Multum ergo distat inter Christum hominem, & omnem omnino sanctorum multitudinem, qui de Adam ducit originem, cum omnibus virtutibus soli homini Christo non poterit comparari, aut æquari totus ille exercitus. Solus Christus sine illis poterat esse: toti illi sine Christo nec vivere possunt, nec esse.

LII. Hoc totum quare diximus? Quia montem B Sion figuraliter ecclesiam nuncupavimus. Possumus singulariter dicere montem Sion unam ecclesiam, quod est unum corpus Christi. Possumus dicere, & ipsam montes, & ecclesias. Christum vero solum, non possumus dicere Christum, & Christos: montem, & montes: Dominum, & Dominos: Deum, & Deos: servum, & servos: pauperem, & pauperes: parvulum, & parvulos: circumcisum, & circumcisos: baptizatum, & baptizatos: flagellatum, & flagellatos: mortuum, & mortuos. Solus ille pro omnibus mortuus. Solus ille pro omnibus ista perpessus. Nullus sanctorum pro altero mortuus est. Nam cum Joannes apostolus dicat: *Sicut Christus pro nobis animam posuit, & nos debemus pro fra-* C *tribus animam ponere*. Potest quidem quilibet facere compatiendo: nam nullus potuit hoc facere moriendo, & resurgendo, nisi solus Christus, solus sine peccato. Nam omnes sancti possunt dicere illud Davidicum: [a] *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*. Christus hunc versiculum numquam dixit. Sed quid dixit: [b] *Venit princeps hujus mundi, & in me nihil invenit*, id est, nihil peccati in me invenit. Et ideo quia solus homo sine peccato est, nullus ei hominum similis invenitur. Qui solus caput est, super omne corpus est. Qui singulariter mons est, super omnes montes est, propheta Michea attestante, qui ait: [c] *In novissimo dierum erit mons do-* D *mus Domini præparatus in vertice montium: & sublimis erit super colles, & confluent ad eum populi: & properabunt gentes multæ, & dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos de viis suis; & ibimus in semitis ejus*. Psalmista quoque de eo monte, & de ceteris montibus, in LXVII. psalmo dicit: [d] *Ut quid suspicamini montes incaseatos*? Eum montem, *in quo beneplacuit Deo habitare in eo*? Sicut ille dicitur mons: sic montes illi. Sed longe altius mons distat a montibus præparatus in cacumine montium. Montes itaque isti, illum montem portando, gloriosi sunt, *ut qui gloriatur, in Domino glorietur*, non in se. Paullus architectus dicit: *Mihi absit* E *gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*.

LIII. *Ut quid* ergo *suspicamini* hos montes? Eum montem, in quo placuit Deo habitare in eo. Non quia in ipsis montibus non habitat Deus. Habitat plane. Sed per istum montem habitat in ipsis montibus Deus. In ipso quippe solo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Non habitat umbraliter in illo divinitas, tamquam in templo a rege Salomone facto: sed corporaliter. Non sicut in cælo, aut in terra, aut in angelis, vel ceteris sanctis: sed corporaliter in eo habitat, omnis ple- A nitudo divinitatis, id est, Patris, & Spiritus sancti. Qui & ipse Christus per naturam divinitas est. Et quamquam in angelis, & in ceteris sanctis habitet divinitas, tamen nullus eorum naturaliter divinitas est, sicut Christus. Et quia Christus, & Pater, & Spiritus sanctus una divinitas est, & ipse in Patre est, & Pater in illo est, & Spiritus sanctus ab utroque procedit, ideo in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, id est, solide, atque veraciter, secundum Paulli apostoli dictum, qui ait: *Quoniam Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*. Quod sive de Patre dictum accipiamus, quoniam ipse ait: *Pater autem in me manens ipse facit opera. Et ego in Patre, & Pater in me*, sive ita intelligatur, Deus erat in Christo; id est, Verbum erat in homine, hoc est, Deus erat homo. Sic erat utique Verbum in carne, ut Verbum caro factum solus proprie diceretur, id est, homo Verbum in una Christi persona copularetur. Ut quid ergo suspicamini ceteros montes? Eum montem, in quo placuit Deo habitare in eo? Longe aliter habitat illis in montibus pluraliter, aliter in isto singulariter. Quem ergo illorum montium hunc montem suspicamini? Nam quia & illi per adoptionis gratiam filii Dei sunt: sed nullus ex illis est unigenitus, cui Pater diceret: [e] *Sede ad dexteram meam. Donec ponam inimicos tuos sub pedibus tuis*. Nullum eorum abstulit peccata mundi. De nullo eorum dictum est: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*. De nullo eorum dictum est: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite*. De nullo eorum legimus, quod sit Dominus majestatis: sed de Christo Apostolus dixit: *Quia Dominum majestatis crucifixerunt*, quia neque apparuit Pater in mundo: sed neque Spiritus sanctus: sed solum Filium crucifixerunt unicum Dei Patri Verbum.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 785.

LIV. Cavendum ergo est, ne cum Verbum audis, multa cogites Verba. Nam si multa Verba cogites Patris, jam non unum filium, sed multos filios intelliges. Cave ergo, ne te sonus capiat vocis humanæ, similitudoque sermonis. Aliud est Verbum, quod tempora habet, quod syllabis colligitur, quod litteris colligitur, quod sonat, quod auribus auditur, quod tempora habet, & unum verbum sonat, pertransit, & fit intervallum silentii, & aliud formatur verbum, & sequitur, ut audiatur, & intelligatur, quo explicito tertium sequatur: & unum verbum alterum sequendo, multa verba efficiantur. Non tale Verbum Patris filius unicus: Non tale Verbum unigenitus Deus. Incorporeus Deus Pater. Vocem utique incorporeus corporalem non habet. Si vox corporalis non est in Patre, nec filius Verbum est corporale. Et ideo non multa Verba, nec multi filii: sed unum Verbum est æquale Patri, quod & gradum excludit, & numerum. Et hoc dico, quod lego. Et hoc credo, quod profero. Nam quæ sit hujus natura Verbi, nescio. Et nescio multo hoc melius, quam scio. Hoc solum bene scio, quando hoc nescio, quod scire non possum. Neque enim Joannes, quem lego, aliud dicere potuit, quam quod audivit. *Quod vidimus*, inquit, *& quod audivimus*. Hoc solum bene se scire dixit, quod audivit, & vidit, qui in Christi pectore recumbebat. Ergo illi satis est audire: mihi non est satis: sed quod ille audivit, hoc mihi dixit. Et quod audivit a Christo, hoc nec ego possum negare verum esse de Christo. Ergo quod ille audivit, hoc ego audivi. Quid audivit? Verbum.

a Psalm. L. 7. b Joan. XIV. 30. c Mich. IV. Isa. II. 2. 3. d Psalm. LXVII. 17. e Psalm. CIX. 1.

SÆC. VIII. CIRCA ANN. CHR. 785.



Quia dixit: *Quod fuit ab initio: quod audivimus.* Deinde dicit: *Et vidimus.* Hoc totum verum est, quia quod audivit, & vidit. Quid vidit? Non utique divinitatem, quæ secundum naturam suam videri non potest. Vidit eum per naturam meam. Non enim Verbum alterum Filius est, & homo alter: sed ex utroque unicus filius est.

LV. Sed quia secundum naturam suam, nemo eum videre poterat, suscepit naturam visibilem meam, ut secundum naturam corporis videretur. Denique & Spiritus sanctus in specie visus est ut columba: quia videri divinitas in suæ claritatis veritate non poterat. Quæ utique una invisibilitas Patris, & Filii, & Spiritus sancti, quia una divinitas est, & unus Deus: Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Sed quia tres sunt personæ, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, hoc non habent commune, quod solus Filius factus est homo propter homines redimendos: quod solus Spiritus sanctus super hominem Filium descendit in specie columbæ, ut videretur: quod solus Pater clamavit: *Tu es filius meus dilectus*: ut audiretur.

LVI. Sed illa columba, in qua Spiritus sanctus apparuit, non dicitur Spiritus sanctus, sicut iste homo a Verbo susceptus dicitur filius. Illa] columba non est Deus. Nam iste homo Deus est. Illa vox Patris, quæ sonuit corporaliter, non est Pater. Nam iste corporalis, qui visus est, filius Dei Patris unicus est. Per subjectam creaturam locutus est Pater, non per suam substantiam, quia invisibilis Deus est. Per subjectam creaturam apparuit Spiritus sanctus in specie columbæ, non per suam naturam, qua invisibilis Deus est. Solus filius apparuit per substantiam suam hominibus. Non per illam apparuit, qua æqualis est Patri: sed per illam, qua missus venit a Patre, & Spiritu sancto, solus Filius, qui semet ipsum exinanivit, id est, solus formam servi accepit. Noli igitur & tu secundum naturam interpretari, quod præter divinitatis naturam est. Quod si credideris a Verbo carnem esse susceptam, & offeras transfigurandum corpus Christi altaribus, & non intellexeris, quod offertur, aut cui offertur: & non distinxeris naturam divinitatis & corporis, statim tibi Dominus dicit: si recte offeras, & recte non dividas, peccasti. Non dico, personam dividas: sed dico ut nemo in precibus vel Patrem pro Filio, vel Filio pro Patre nominet. Et cum altario assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio. Et quicumque sibi preces aliunde describit, non eis utatur, nisi prius eas cum instructioribus contulerit fratribus: Id est, preces, quas suggerit, a catholicis imbuatur.


LVII. Solus ergo Filius est homo, qui & æqualis Patri est, semper in forma Dei, cui cum Patre hostiam offerimus: & solus formam servi accipiens sacerdos factus est. Per quam hostiam vivam Deo placentem offerre possumus. Nec tamen a nobis offerri hostia potuisset, si Christus pro nobis hostia factus non fuisset. In quo ipsa natura nostri generis vera est hostia salutaris. Ut enim ipse unigenitus, qui verus naturaliter Deus est, verus fieret, & sacerdos in persona divinitatis suæ, non accepit hominis personam, sed naturam. Si enim naturam hominis cum persona simul accepisset; in illo incarnationis mysterio non esset unus Christus in duabus naturis Deus, & homo: sed in duabus personis, alter esset Deus, alter homo. Sed ideo unus est Christus, unus Dei, & hominis filius, quia ille unigenitus Dominus, qui personam propriam semper habuit, in ipsa persona sua veritatem naturæ servilis accepit. Proinde Christus inseparabilis permanet. Quia cum altera sit in eo natura divinitatis, altera vero natura servilis; in uno tamen, eodemque Christo illa persona divinitatis erat, ipsa una est etiam humanitatis assumtæ. Propterea unus, atque idem Christus: quem & paullo minorem ab angelis ostendit, accepit formam servilem, æqualem Patri demonstrat unitas naturalis.

LVIII. In quo sacramento sic offendunt hæretici quam maxime Ariani, ut attendentes in eo officium sacerdotis, nolint celsitudinem Deitatis suscipere. Quoniam ergo sunt hæretici, qui filium eum Patre unius divinitatis esse non credunt.

LIX. Item sunt alii, qui hominem natum Dei filium non confitentur: qui utrique non Dei, sed hominis asserunt esse virginem genitricem, quia non per illum, inquit, qui de virgine natus est, visibilia, & invisibilia facta sunt: sed per illum, quem sibi genuit æqualem.

LX. Isti sunt hæretici, ut Manichæi, qui veritatem carnis in Dei filio negare non metuerunt. Hunc locum congrue, atque utiliter patres sanctissimi posuerunt. Nam cum nos ostendimus per æternum sacerdotem Dominum Christum in nostris orationibus offerre, veram in eo carnem nostri generis confitemur: secundum illud, quod Apostolus dicit: *Omnis enim pontifex ex hominibus desumtus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum: ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* Cum vero dicitur, *Filium tuum*; & adjicimus: *Qui tecum, summe pater, vivit, & regnat in unitate Spiritus sancti*, illam utique unitatem commendamus, quam naturaliter habet Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Quoniam si quid hujusmodi, ut supra diximus, in scripturis legimus, ad unitatem personæ referendum est. Quia & ipse solus est sacerdos Christus, per quem hostiam offerimus: & ut per eum a Patre acceptetur, & interpellet Patrem pro nobis, supplicamus orantes. Et ipse est Deus cum Patre, cui offerimus. Et ipse est, qui interpellat Patrem pro nobis, non voce, sed miseratione. Et ipse est, qui exaudit cum Patre, qui solus pro nobis interpellat Patrem. Proinde nostra oratio semper per mediatorem dirigatur ad Patrem. Per ipsam personam, cujus sanguine sumus redemti, quem bibimus: & cujus carnem manducamus, per quam vivimus. Quia sicut anima, & corpus ex diversa substantia unus est homo: ita Deus & homo ex diversa substantia unus est Christus. Ac per hoc cum sit unus ex diversa substantia, ipse quodam modo interpellat pro nobis, ipse quodam modo pro nobis exaudit.

LXI. Divide ergo quod meum: divide quod suum. Ego enim, quod illius erat divinitatis non habebam. Et ille, quod meum est humanitatis non habebat. Suscepit, quod meum est, ut impertiret, quod suum est. Suscepit, non ut confunderet, sed ut repleret. De nostro habuit pro nobis, unde mereretur pro nobis, & viveremus in illo. Exemplum reliquit, qualiter moreremur pro illo: & ubi ille est, de morte transiremus ad regnum. Ad regnum quippe non potest transire, nisi interposita morte. Et idcirco & confidendo quasi dubitamus, & quasi dubitando confidimus. Et gaudentes metuimus, & metuentes gaudemus, quia scimus, quod ad bravium quietis æternæ pervenire non possumus, nisi hoc, quod interjacet, cum labore transcenderimus. Sic etiam cum morbos temporales de corpore re-



pellere cupimus, tristes quidem amarum purgationis poculum sumimus: certi autem de subsequenti salulute gaudemus. Sicut enim corporalis morbus sine amara potione non curatur: ita spiritualis morbus animæ sine lamento lacrymarum non deletur. Quomodo ergo poterit ille nobiscum unus esse ex nobis, qui peccata non sua, sed nostra omnium solus ipse delevit? Et ob hoc per latitudinem scripturarum paginis currimus: sed ei similem, in quo formam servi assumsit, non invenimus.

LXII. Restat ergo, ut isti, qui eum sibi similem putant, virtutes a nobis cum incredulis extorqueant, & dicant: Si verum dicitis, quod filius Dei est Jesus, aut vere vos ejus estis ecclesia, facite in ejus nomine nobis virtutes. Et cum feceritis, credimus vobis, quod vere Deus sit, quem creditis. Hoc restat hæreticis, quod paganis. Fides virtutes non quærit. Virtus, quæ temporaliter videtur, futura non sperat. Virtutem præsentem requirere, non pars fidei, sed pars incredulitatis est. Denique Paullus apostolus Mitylenem veniens, & plenam infidelibus insulam sciens, patrem Publii dysenteria, febribusque vexato orando salvavit: & sanctæ prædicationis adjutorem suum Timotheum ex infirmitate stomachi laborantem, non verbo curat, sed medicinali arte mederi parat, dicens: *Modico vino utere, propter stomachum, & frequentes tuas infirmitates*.

LXIII. Quei ergo infirmum infidelem una prece salvat, quei ægrotum Timotheum prece non roborat? Quia nimirum ille foras per miraculum sanandus erat, qui intus in anima mortuus erat: ut per hoc, quod exterius in corpore potestas ostenderet, hunc ad vitam interior virtus animaret. Et tamen utrique infirmi erant: sed æqualiter infirmi non erant. Timotheus corpore erat infirmus, & animo salvus, qui cum magistro Christum vitam in gentibus prædicabat. Et pater Publii corpore ægrotabat: sed anima mortuus erat; quia per fidem Christi nec dum suscitatus fuerat. Quia ipse dixit: *Ego sum resurrectio, & vita. Qui credit in me, etsi mortuus fuerit, vivet*. Quamobrem, qui non credit filium virginis naturaliter esse filium Dei Deum verum, non vivit: sed mortuus est. Mortuus est, quia hoc non credit. Jam vivus esset, si crederet. Et ideo, qui intus vivit, jam non miracula, sed pœnitentiam requirit. Qui intus in anima vivit, corporis curam in desideriis non agit. Qui in anima mortuus est, corporis curam in desideriis facit. Et qui corporis curam agere contendit, Christum cognoscere non potest.

LXIV. Facilius ergo Deus videtur, cum secundum Apostolum, *exterior homo corrumpitur*. Et quantum plus corrumpitur de die in diem, tantum plus in agnitione Dei de die in diem renovatur. Et quantum minus exterior homo corrumpitur, tantum minus interior anima renovatur, & tantum minus Deus agnoscitur. Ipsa debet esse renovata, quæ *templum Dei* ab Apostolo dicta. Sic enim ait: *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos*. Ipse interior homo factus est ad imaginem Dei. Exigamus itaque spiritum mentis nostræ, *qui renovatur in agnitione Dei, secundum imaginem ejus, qui creavit eum*; quia ibi per fidem in nos habitat Christus. Ubi non est Judæus, neque Græcus. Ubi non est servus neque liber. Ubi non est masculus, aut femina. Ubi mori non poterimus, cum solvi

A corpore cœperimus. Ubi non senescimus, si etiam in corpore ad decrepitam ætatem pervenerimus. Cum hoc ita verum sit, & loca apta requirimus, & invenire non valemus, interiora animæ mundemus: & omni inde mala cupiditate depulsa, in corde nostro locum pacis secretum præparemus, & ita semper agamus, ut templum Dei sanctum simus. Et si volumus in templo orare, in nobismetipsis oremus. Ibi enim habitat ille, quem oramus. Ibi enim Christus, cum clamatur, exaudit, ubi & habitat. Credimus videre Deum: non quia videmus per oculos corporis, sicut videmus hunc solem: vel mentis obtutu, sicut se quisque interius videt

B viventem, videt volentem, videt quærentem, videt scientem.

LXV. Quid ergo diximus? Numquid hoc est videre, quod credere? Plane multum distat inter utraque, quia præsentia videntur, absentia creduntur. Et Dominus in Evangelio ait: *Beati qui non viderunt, & sic crediderunt*. Et tamen illi hoc dixit, qui viderat, qui cicatrices palpaverat. *Quia vidisti me*, inquit, *& credidisti. Beati qui non viderunt, & crediderunt*. Cum beatum dicat, qui vidit, & credit Christum, quomodo in alio loco, ipse Dominus in Evangelio dixit: *Deum nemo vidit umquam*? Et apostolus Paullus ad Timotheum

C dicit: *Quem vidit nullus hominum: sed neque videre potest*? Hoc totum de hominibus dictum est, non de aliis. Non est de illis dictum, de quibus supra diximus, in duorum animabus Christus habitat per fidem, qui templum sanctum Dei sunt: in quibus Deus habitat, Propheta attestante, qui ait: *Dominus in templo sancto suo. Dominus in cælo sedes ejus*. Ipsi & cæli dicuntur, secundum illud XVIII. psalmi testimonium: *Cæli enarrant gloriam Dei*. Et in quotidiana prece dicimus: *Pater noster, qui es in cælis*. Ac si aperte dicamus: Qui es in sanctis angelis, & in sanctis animabus. Cælum ipsi sunt, *quia non terrena, sed cælestia sapiunt*, secundum Paulli apostoli dictum: *Si con-*

D *surrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, ubi Christus est in dextera Dei Patris*. Qui enim cum Christo resurrexit, & ubi Christus in dextera Dei Patris sedet, sapit; jam non homo, sed Deus scripturis sacris nuncupatur. Quia & Deus est, in quo Deus habitat: & semper eum videt, quia semper in ipso est. Nam Deum nullus hominum videre potest. Sicut & ipse Dominus interrogabat discipulos suos dicens: *Quem dicunt homines esse filium hominis*? Non dixit; Quem me dicunt esse homines, sed filium hominis: ne jactanter de se quærere videretur. Pulcre autem interrogat: *Quem me dicunt esse homines filium hominis*? Quia qui de

E filio hominis loquuntur, non dii, sed tantum homines sunt. Qui vero divinitatem ejus recte intelligunt, & *tu es Christus filius Dei vivi*, cum Petro dicunt; non homines, sed dii appellantur.

LXVI. Proinde Apostolus dicebat: [a] *Quem vidit nullus hominum: sed nec videre potest*. More hominum vocans homines humana sapientes. Quia qui divina sapiunt, sine dubio supra homines sunt. Videbimus igitur Deum, si per cælestem conversationem supra homines esse mereamur. *Videmus & nunc*, secundum Apostolum, *per speculum in ænigmate*, per fidem. *Videbimus & tunc facie ad faciem*. Nec tamen ita videbimus, sicut ipse seipsum. Longe quippe dispariliter videt creator se, quam videt creatura creatorem. Nam quantum ad im-

a I. Tim. VI. 16.

SÆC. VIII. CIRCA ANN. CHR. 785.



menſitatem Dei, quidam nobis modus figitur con- A templationis, quia eo ipſo pondere circumſcribimur, quo creatura ſumus. Sic profecto non ita conſpicimus Deum, ſicut ipſe conſpicit ſe. Sicut non ita requieſcimus in Deo, quemadmodum ipſe requieſcit in ſe. Nam viſio noſtra vel requies erit utcumque ſimilis viſioni, vel requiei illius, ſed æqualis non erit. Nec enim jaceamus in nobis, ut ita dicam, contemplationis pinna nos ſublevat, utque a nobis ad illum eriguntur intuendum, raptiſque intentione cordis, & dulcedine contemplationis, aliquo modo a nobis imus in ipſum. Etiam hoc ipſum ire noſtrum minus eſt requieſcere. Et tamen ſic ire, perfecte quieſcere eſt. Et perfecta ergo requies eſt, quia Deus cernitur: & tamen B æquanda non eſt requiei illius, qui non a ſe in alium tranſit, ut quieſcat.

LXVII. Eſt itaque requies, ut ita dicam, ſimilis, atque diſſimilis. Quia quod illius requies eſt, hoc noſtra imitatur. Namque ut beati, atque æterni ſimus in æternum, imitamur æternum: & magna nobis eſt æternitas imitatio æternitatis. Nec exſortes ſumus ejus, quem imitari poſſumus. Quia & videntes participamus, & participantes imitamur. Quæ ſine dubio viſio nunc per fidem inchoatur, ſed tunc in ſpecie perficitur, quando coæternam Deo ſapientiam, quam modo per ora prædicantium, quaſi per decurrentia flumina ſumimus, C in ipſo fonte Chriſto biberimus, cujus corpus ſumus. Sed grandis hic labor erit, qui ad illa pertingere voluerit. Non enim parva corporis violentia eſt, cum caro cupit eſſe, quod Deus eſt. Deus enim, ut ſupra diximus, caput corporis Chriſti eſt, Apoſtolo atteſtante, qui ait: *Volo autem vos ſcire, quod omnis viri caput Chriſtus eſt. Caput autem mulieris vir. Caput Chriſti Deus.*

LXVIII. Quid itaque eſt caput noſtrum, niſi divinitas, per quam exſiſtendi principium, ut creatura ſimus, ſumimus? *Nam vir eſt caput mulieris: caput viri Chriſtus: & caput Chriſti Deus.* Hoc totum in Chriſto eſt: qui mediator Dei, D & hominum eſt. Nam hoc loco mulierem dicit plebem intra eccleſiam, ſenſu parvulam & carnalem, quæ ſub regimine paſtorali eſt. Vir vero hujus mulieris, doctores eorum ſunt; qui more apoſtolico Chriſti veſtigia imitantes, eam tanta intentione educando regunt, ut non eis ſufficiat in prædicatione & exemplo eam inſtruere: ſed etiam ſui capitis exempla ſequentes, moriendo pro ipſa animam ponere: qualiter poſſit illi caput eſſe; & ſuo capiti Chriſto, ſecundum Apoſtoli dictum inhærere.

LXIX. Per hominem enim Chriſtus hujus viri factus eſt caput. Cui homini Chriſto a Verbo aſ- E ſumto tota divinitas caput eſt. Et hoc totum in uno Chriſto eſt: quia & in eo eſt omnis plenitudo divitatis corporaliter: & ipſe eſt caput totius eccleſiæ. Ut quemadmodum unus homo conſtans ex anima, & corpore, & in corpore ſunt iſta, id eſt, caro, oſſa, & caput. Caro regitur per oſſa, oſſa per caput, caput per animam. Et carnem dicimus mulierem. Et oſſa dicimus virum, caput hujus mulieris, carnis. Et caput dicimus horum oſſium ipſum caput humanum. Et mentem dicimus hujus capitis caput. Et hoc totum in uno homine eſt. Sic dicimus caput mulieris, id eſt, minutæ plebis, paſtores, & doctores eccleſiarum, tamquam oſſa carnis. Caput viri Chriſtus tamquam oſſis caput. Caput Chriſti Deus tamquam mens capitis. Et cum omnia in uno homine ſint, & ipſa tota ipſe homo ſit, tamen inveniuntur ibi differentiæ, quibus una alteri poſſit præcellere. Non carni, quæ mollis eſt, præcellunt oſſa, quæ dura ſunt, & ſine eis caro ſtare non poteſt? Sicut nec ipſa plebs minuta intra eccleſiam, quæ tamquam caro mollis eſt, ſine magiſtro ſtare poteſt; qui ſolidi, tamquam oſſa ſunt. Hæc oſſa junguntur capiti, per quod vitam habent: quia niſi capiti jungantur, per quod vitam habent, vivere non poſſunt. Sicut magiſtri eccleſiarum junguntur capiti Chriſto, qui niſi Chriſto per fidem, & opera jungantur, vivere non poſſunt. Jam vero mens in quantum præcellit capiti, quæ & altera ſubſtantia eſt ſpiritualis, in tantum caput eſt, cui præcellit. Sic & divinitas Chriſti caput, & corporis Chriſti, quæ totum ipſe Chriſtus in ſe habet: & omnem plenitudinem divinitatis ſuæ: & omnem plenitudinem humanitatis noſtræ.

LXX. Sed hoc per qualecumque veſtigium dicimus propter hæreticorum inſipientiam, atque controverſiam: qui & Chriſtum hominem non confitentur Dei filium, & cum Patre unum Deum; & non eſſe alterum Deum præter eum, & cum tota eccleſia unum hominem, [1] & non eſſe altera perſona eccleſia, & altera perſona Chriſtus homo; & altera perſona Verbum Patris, ut tres ſint perſonæ, Verbum, homo, & eccleſia: ſicut tres ſunt perſonæ Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Solus Filius factus eſt homo, id eſt, anima rationalis, & caro. Ac per hoc, Verbum, anima, & caro, tres quidem ſubſtantiæ ſunt: ſed unus eſt Chriſtus, unicus eſt filius, unus Dominus noſter Jeſus Chriſtus, unigenitus Dei patris filius, *qui natus eſt de Spiritu ſancto, ex Maria virgine: ſub Pontio Pilato eſt crucifixus*: qui vere, & abſque mendacio patrem habet Deum naturaliter, a quo habet deitatem, ut ſit verus Deus, & non ſit alter Deus præter eum: & vere, & abſque mendacio matrem habet naturaliter virginem, virginem Mariam, & non ſic alter homo præter eum cum tota eccleſia, quam redemit ſanguine ſuo, una perſona ex tribus ſubſtantiis unus Chriſtus. Quæ perſona neque patris eſt, neque Spiritus ſancti: ſed ut diximus, Filii. Qui Filius cum Patre, & Spiritu ſancto eſt una ſubſtantia, & non una perſona, ſed tres ſunt perſonæ. Cum toto homine Adam, quem aſſumſit, ipſe ſolus eſt una perſona, & non una ſubſtantia, ſed tres ſunt ſubſtantiæ, Verbum, anima, & caro, totum unicus filius.

LXXI. Vide mediatorem. Tantum ipſe ſolus deſcendit: quia nec Pater deſcendit, nec Spiritus ſanctus. Et quia, ut diximus, cum Patre una ſubſtantia eſt, ſicut una ſubſtantia eſt, & unus Deus eſt cum Patre, & Spiritu ſancto: & alter Deus præter eum non eſt, cum quo in una ſubſtantia eſt. Quia non eſt alter Deus præter Patrem: nec alter Deus præter Filium: nec alter Deus præter Spiritum ſanctum. Nec alter Deus præter Patrem & Filium & Spiritum ſanctum. Attamen cum tres ſint ſimul unus Deus, & unum lumen, non tamen una perſona eſt Pater & Filius & Spiritus ſanctus. Lumen eſt Pater, quia genuit lumen. Lumen eſt Filius, quia natus eſt de lumine. Lumen eſt Spiritus ſanctus, quia proceſſit de lumine ingenito, & genito. Et tres ſimul unum eſt lumen.

1. Locus mendoſus.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 785.



LXXII. Aut forte calumniaris, & dicis: Si unum lumen, ubi Trinitas? An forte in vocabulo sunt tantum & Filius, & Spiritus sanctus, & non sunt expressæ personæ? Respondebo. Absit: nisi expressæ personæ, & proprie subsistentes sibi. Nam hoc Sabelliana perversitas adinvenit, ut cum unum credidit inseparabile lumen, unam crederet etiam personam, ut diceret: ipsum sibi esse Patrem, ipsum sibi esse Filium, ipsum sibi esse Spiritum sanctum.

LXXIII. Arius vero e contrario, cum tres credidit proprie sibi subsistentes personas, tria credidit & lumina. Et quia unum est lumen, unus commiscebat personas, alter separabat. Sed utrique ab uno lumine cæcati, ab uno lumine confusi, id est, in uno dum non commixti, ab uno lumine separati sunt.

LXXIV. Unum est, ut diximus, lumen, sed tamen in gignente, genito, & procedente Trinitas est. Denique aliud est genuisse: aliud genitum esse, aliud procedere. Et ideo qui genuit, non est ipse in persona qui genitus est: quia altera persona est, quæ genuit, & altera persona est, quæ genita est. Alius genuit alium: sed non aliud genuit, quam quod est. Id est, lumen est, & lumen genuit, quod ipse est. Et cum ipsum sit, quod genuit, non tamen ipse est, quem genuit. Ipsum quidem lumen natura quem genuit, non tamen ipse est, qui genuit genita lumen persona. Nec ipse est gignens, & genitus tertia, quæ ab his procedit persona. Sed alter in persona gignens lumen: alter in persona genitum lumen: alter in persona procedens lumen. Et lumen, & lumen, & lumen, unum lumen. Et gignentem, & genitum, & procedentem tres personæ, & unum lumen. Ac si dicerem: Deum, & Deum, & Deum, unum Deum. Et quia Deus genuit Deum, & Deus processit de Deo, in gignente, genito, & procedente, tres sunt subsistentes sibi personæ, & natura unus Deus. Solus ergo Filius factus est homo, non in unitate naturæ, sed in unitate personæ, id est, lumen sine initio genitus de Patre assumsit naturam nostram. Et secundo lumen, & corpus natum est de virgine. Et in patre semper mansit inseparabile, & æquale lumen, sicut angelus Mariæ dixit: [a] *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi*. Quia enim umbra non aliter exprimitur, nisi per lumen & corpus, virtus ei Altissimi obumbravit: quia in ejus utero lux incorporea corpus sumsit. Ex qua videlicet obumbratione omnes credentes in Christo in se refrigerium mentis accipiunt. Umbra enim, ut jam dicimus, a lumine formatur, & corpore. Dominus autem per divinitatem lumen est, qui mediante anima in ejus utero fieri dignatus est per humanitatem corpus. Quia ergo lumen incorporeum in ejus erat utero comparandum, eique corporeum concepit, ad corpus dicitur: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Id est, corpus humanitatis, in te accipit incorporeum lumen divinitatis.

LXXV. Unde & in Canticis Canticorum ex voce sponsi dicitur: [b] *Osculetur me osculo oris sui. Quoniam bona ubera tua sunt super vinum: & odor unguentorum super omnia aromata*. Audistis epithalamium carmen, dilectissimi fratres, quod Spiritus sanctus per Salomonem ex voce Sponsi & Sponsæ, id est, Christi, & ecclesiæ, pro cælestium nuptiarum allegorica decantatione prædixit. Quando Christus sponsus, & anima sponsa oppigneraverunt sibi castam invicem conjugii voluntatem: & facti sunt duo in carne una. Id est, Deus, & homo. Duo hi, id est, Verbum & anima una persona, sponsus, & sponsa in una carne. Et illius sponsi thalamus fuit uterus virginis. Quia in illo utero virginali conjuncta duo, sponsus, & sponsa. Quia scriptum est: *Et erunt duo in carne una*. Et Dominus dicit in Evangelio: *Igitur jam non sunt duo, sed una caro*. Quia Christus & ecclesia non sunt duæ carnes, & duo homines, sed una caro, & unus homo. Et Esaias optime meminit, unum esse sponsos duos. Loquitur enim ex persona Christi, & dicit: *Sicut sponso imposuit mihi mitram: & sicut sponsam ornavit me ornamento*. Una persona videtur loqui, & sponsum se fecit, & sponsam. Quia non sunt duo, sed una caro, id est, una natura carnis: & una substantia Christi, & nostra. Sicut una substantia est Christi, & Patris. Quia & cum Patre perfectus Deus est: & nobiscum perfectus homo est. Et Deus, & homo ex duabus naturis una persona est Christus. Quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, id est, in carne nostra habitavit. Quia in nobis habitat, quando in carne nostra habitat. Et ipsa caro nostra, in qua habitat, ipse est, qui habitat. Fecit sibi domum, in qua habitat, & ipsa domus ipse est.

LXXVI. Denique carpentarius quislibet facit sibi domum, in qua habitat: sed ipsa domus non est ipse, qui habitat. Et fortasse cum a persecutore ipsa domus dissipatur, aut incenditur, habitator surgit, ne simul pereat, & relinquit vacuam domum; quia ipsa domus, quam habitabat, non erat ipse. Non sic Deus homo factus habitavit in nobis, id est, in carne nostra. Non sic Verbum Patris, ut alter sit habitator, & altera caro nostra, quam habitat. Ut quia a Judæis carne occideretur, fugisset Verbum habitator. Absit hoc a fide catholica. Sed sic esse Verbum, anima, & caro una persona Christus filius Dei: sicut quilibet homo, anima, & caro est una persona. Et cum ipse homo occiditur, non anima, sed caro occiditur: & nullus alter, quam ipse homo, moritur. Sic Christus filius Dei Deus, & homo tanta est unitate personæ, ut ipse sit Deus, qui est homo. Et cum homo, id est, sola caro occiditur, nullus alter, quam filius Dei moritur. Non divinitate, nec anima, sed sola carne. In qua carne redemtio facta est humani generis. Unde & redemtorem nostrum Dominum Jesum Christum, omnis ecclesia confitetur.

LXXVII. Hoc totum quare diximus? nisi ut Verbum carnem factum Filium Dei probaremus. [c] *Verbum caro factum est*, sed non est in carnem conversum: sicut nec anima hominis convertitur in carnem. Et cum in carne Christi habitat Verbum, in nostra natura habitat: quia ipsa caro nostra est. Illi carni adjungitur ecclesia, & fit Christus totus una persona caput, & corpus. Et cum in sacris voluminibus aut homo, aut caro, aut corpus Christi nominatur; non solum Christus: sed tota ecclesia intelligitur. Sed habet consuetudinem sancta scriptura, ut de Domino, & ejus corpore, quæ de uno, aut ad unum loquitur, atque in una persona modo caput, modo corpus ostenditur. Sicut Esaias, ut supra diximus, ait: *Induit me vestimento salutis: quasi sponsum decoratum corona: & quasi sponsam ornatam monilibus suis*. In una enim perso-

[a] Luc. I. 35. [b] Cant. I. 1. [c] Joan. I. 14.

na duplici vocabulo nominata; & caput, id eſt, Sponſum: & eccleſiam, id eſt, ſponſam manifeſtavit.

LXXVIII. Proinde notandum in ſcripturis, quando & caput, & corpus, aut quando ex utroque tranſeat ad utrumque: aut ab altero ad alterum. Sicque quid capiti, quid corpori veniat, prudens lector intelligat. Sponſum autem Chriſtum eſſe, & ſponſam eccleſiam, probat ſcriptura divina, dicente Joanne Baptiſta pro Chriſto in Evangelio: *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt. Amicus autem ſponſi ſtans, & audiens vocem ejus, præ gaudio exhilaratur.* Et alius Propheta dicit: *Deſponſabo te mibi in fide & caritate.* Denique hoc carni in Chriſto, & eccleſia eſſe prædictum, prætitulatio ipſa manifeſtat. Sic enim pronunciantur Cantica Canticorum: eo quod ſupra omnia cantica, quæ aut Moyſes, aut Maria in Exodo, aut Eſajas, aut Abachub, & cæteri cecinerunt. Hæc meliora ſunt Cantica: quia illi, aut pro liberatione prælii, aut pro converſatione populi, aut pro admiratione divinorum operum accenſi animo, ac mente laudes dixerunt Deo. Hic tamen, quia Dei eccleſiæ vox pſallentis auditur, propter quod divina, & humana ſibi invicem copulantur, ideo Cantica Canticorum, id eſt, meliora meliorum nuncupantur.

LXXIX. Cum ergo dicit, *Oſculetur me oſculo oris ſui. Quoniam meliora ſunt ubera tua, ſuper vinum*, non de hoc oſculo carnali, ſed de ſpirituali gratia loquebatur. Eccleſiæ etenim venerandæ immaculatæ virginis vox eſt ad Chriſtum filium Dei tricennarium juvenem, decorum, *ſpecioſum forma præ filiis hominum*, verba facientis. Quia alia ſunt humana alia divina [1] oracula. Et ideo cum dicit eccleſia: *Oſculetur me oſculo oris ſui*, vult ipſa eccleſia præſentem ſponſum habere, & præſentis vocem audire. In præterito enim tempore, ſermo Dei per prophetas ad ſynagogam loqui conſueverat: & quaſi per alienum os pacis oſculum dabat. Hæc ergo eccleſia, quæ vere ſponſa eſt Chriſti, contenta non eſt, per prophetas tantummodo Chriſti pacem accipere: ſed magis ore proprio Evangelicæ traditionis præcepta ſuſcipiens, a vero ſponſo velut oſculum ſanctitatis accipit. Et ideo oſculetur me oſculo oris ſui. Quod quam vere fuit adimpletum, hinc poteſt addiſci. Nam ex eo, quod Chriſtus filius Dei ſecundum hominem venire dignatus eſt, & carnem, animamque velut ſponſam accipere, lex & prophetæ ceſſaverunt, ſicut Evangeliſta ait: [a] *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem Baptiſtam.* Et iterum: *Lex per Moyſem data eſt*, Eccleſia enim, ut Apoſtolus definivit, caro Chriſti eſt; qui ait: *Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ.* Cui tunc oſculum fide, & caritate impreſſum eſt, quando duo in una carne conjuncti ſunt: id eſt, veritas, & pax complexæ ſunt ſe.

LXXX. *Veritas*, inquit, *de terra orta eſt*, id eſt, caro Chriſti, qui de virgine natus eſt, cujus origo æterna eſt. *Pax de cælo proſpexit*, id eſt, Verbum Dei, qui dixit: Ego ſum pax. Et iterum: *Pacem meam do vobis.* Hoc eſt oſculum, Verbum Patris prophetarum ore annunciatum: quod a ſæculis antiquis longa ſpe ſuſpenſa pependit. Quod quidem adveniente die ſponſaliorum eſt adimpletum: per quod annulum fidei, & pronubum nuptiarum cæleſtium accepit eccleſia. Quid enim carius Chriſto, quam eccleſia, pro qua ſuum ſangui-

A nem fudit? Aut quid eccleſiæ amabilius Chriſto, cujus ſancta, & immaculata conjunctione, magnam filiorum multitudinem per baptiſmi regenerationem procreavit? Cujus fœtum copioſiſſimum ſine dolore videmus profuſum. Cujus efficaciam; & ut verius dixerim, artem naſcendi, vel potius renaſcendi ſenties magis quam narres, intelligas potius quam comprehendas. Nec virtutem ipſam videas, nec artem cognoſcas, & tamen perfectum opus, quod magiſtra ſapientiæ, & opifex ratio cluſum dederit, cum debita veneratione laudabis. *Quoniam bona ubera tua*, inquit, *ſuper vinum.* Habuit quidem priſca lex duo ubera, ex duabus tabulis lapideis,
B qui digito Dei impreſſa, candidum lac diſciplinæ parvulo tunc populo præbuerunt: ſed nunc ubera Domini jam non duo, ſed quatuor cognovimus. Quatuor enim Evangeliorum fontes, dulce lac ſapientiæ credentibus tribuunt.

LXXXI. Denique Dominus ad Abraham, qui utriuſque populi pater eſt, ſecundum carnem ſcilicet, & noſter ex fide, cum ei hereditatem ſæculi futuri promitteret, hoc inter cetera ſignum ſacrificii poſtulavit, capram trimam, & vaccam trimam: ut capra, quæ duo ubera habet, veteris teſtamenti figuram oſtenderet. Et vacca, quæ quatuor, Evangelicæ diſciplinæ. Hæc ſunt bona ubera
C Domini, id eſt, Evangeliorum fontes aquæ: quæ meliora ſunt ſuper vinum propheticæ prædicationis, qua Lex vinum vetus intelligitur. Evangelium vinum novum.

LXXXII. Duo enim genera vini in ſcripturis cæleſtibus legimus. Unum, quod apud Chanaam Galileæ defecit ad nuptias: aliud, quod multo magis de verbo Dei aqua vinum eſt factum. Unde & Salvator dicebat: *Vinum novum in utres novos mittere oportet.* Quod quidem ſignificabat nuptias Chriſti & eccleſiæ: id eſt, quando Verbum Dei, animam hominis copulavit, ceſſaturum eſſet vinum, id eſt, priſcæ legis, & prophetiæ: & aliud Evan-
D gelium ex baptiſmatis aqua futurum. Unde & credentes muſto pleni ſunt iſto. Quid eſt enim de aqua vinum, niſi anima, quæ retro fuerat terrena, inſipida, & aquata in merum ſpiritus converſa, præſtantior ſapore facta eſt?

LXXXIII. [b] *Et odor unguentorum tuorum ſuper omnia aromata.* Odor unguenti iſtius ſacroſancti chriſmatis gratiam manifeſtavit, quæ ſuper omnia ſynagogæ flagrat, & redolet. Illa enim habebat unctionem de unguentis factam odoriferis. Chriſti autem unguentum ex ſeptiformi Sancti Spiritus ſuavitate deſcendit. Unde & ſubjungit: [c] *Unguentum*
E *exinanitum nomen tuum.* Quare itaque *exinanitum*, breviter indicabo. Priſcæ legis reges, & ſacerdotes, qui ex cornu chriſmatis ungebantur, chriſti dicebantur in lege, eo quod ſimilitudine unctionis chriſmatis notam ipſam perfectiorem acciperent: & proinde umbra potius, quam veritate chriſti nomine utebantur. Sed ubi *plenitudo divinitatis*, ſecundum Apoſtolum in Chriſto completa eſt, tunc exinanitum eſt nomen eorum regum, qui Chriſti dicebantur: ne ulterius hoc cenſerentur vocabulo. Et verum permanet nomen Chriſti, quod ex vero unguento, id eſt, Sancti Spiritus plenitudine eſt effuſum. Verum quod alibi ait: *Unguentum effuſum nomen tuum*, eo quod ſuaviſſima veri Chriſti nominis gratia ſuper omnes credentes diffuſa eſt, &

a Matth. XI, 13. *b* Cant. IV. 10. *c* Cant. I. 3.

1. Oſcula.



omnem odorem notitiæ suæ fidelibus cunctis effuderit, *unguentum effusum* appellatum. Unde & orationes sanctorum in Apocalypsi thymiamæ sunt comparatæ. Unde & sequitur: *introduxit me rex in cubiculum suum*. Hoc ecclesia loquitur, quæ regem Christum Dei filium confitetur. Quid est cubiculum, ubi Christus rex ecclesiam reginam introduxit, nisi in cælestis regni secretum? Quis etenim nesciat, illuc Christum ecclesiam suam, id est, carnem suam introduxit, unde sine carne descenderat, id est, de abdita cælorum? Carnem autem Christi ecclesiam esse, Paullo apostolo auctore didicimus, qui dicit: *Caro Christi, quod est ecclesia*. Et cum per gratiarum dona multa membra sunt, corpus tamen unum est. *Nam & corpus non est unum membrum*, ut ait Apostolus, *sed multa. Si dixerit pes, quoniam non sum manus, non sum de corpore; num ideo non est de corpore? Et si dixerit auris, quoniam non sum de corpore, quia non sum oculus; num ideo non est de corpore? Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Quod si est omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem quidem multa membra, unum vero corpus*. Quid ergo sancta ecclesia, nisi superni sui capitis corpus est? In qua alius alta videt, oculus: alius recta operando, manus: alius ad injuncta recurrendo, pes: alius præceptorum vocem intelligendo, auris: alius malorum fœtorem, bonorumque fragrantiam discernendo, nasus est. Qui corporalium more membrorum, dum vicissim sibi accepta officia impendunt, unum de semetipsis omnibus corpus reddunt. Et cum diversa in caritate peragunt, divisum esse prohibent, ubi continentur. Si autem unum quid cuncti agerent, corpus utique, quod ex multis continetur, non esset. Quia, videlicet, multipliciter compactum non exsisteret: si hanc concordiam membrorum diversitas non teneret. Quia ergo sanctis membris ecclesiæ virtutum dona Dominus dividit, tamquam terræ mensuras ponit. Et cum unus alteri gratiam a Domino datam invidit, & eam nomini suo adscribere velit, alterius limitem transcendit. Limes enim a discernendo limitem nomen accepit. Qui gratiæ suæ mensuræ limitem transcendit, cadere vult: quia in præcipitio pedem ponit.

LXXXIV. Unumquemque ergo reprimat metus diabolicæ ruinæ, qui dum super voluit esse, quam quod erat, & ipsum quod erat perdidit; & de alto præcipitatus profundi inferna promeruit.

LXXXV. Unusquisque ergo tamquam membrum corporis mensuram suam excedere non debet. Unde iterum idem Paullus dicit: *Unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei*. Item ipse dicit: *Ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam subministrationis secundum operationem in mensuram uniuscujusve membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in caritate*.

LXXXVI. Sed cum miro consilio auctor, ac dispositor noster uni illa largitur, quæ alii denegat: quæ isti largitur, unicuique mensuras ponit: mensuras positas egredi nititur, quisquis plus quam acceperit, major esse conatur: ut fortasse ille, cui tantum modo datum est præceptorum occulta disserendo aperire, tentet etiam miraculis coruscare. Aut ille, quem supernæ virtutis donum ad sola miracula roborat, etiam divinæ legis aperire occulta contendat. In præcipitio enim pedem porrigit, qui mensurarum suarum limitem non attendit. Et plerumque perdit ea, quæ acceperat: quia audaciter præsumit ad ea, quæ pertingere non valet, arripere festinat. Nam & membrorum nostrorum tunc bene ministeriis utimur, cum sua eis officia distincte servamus. Lucem quippe oculis videmus, vocem vero auribus audimus. Siquis autem mutato ordine, voci oculos, luci aures accommodet, huic utraque in casum patent. Si quis autem odores velit ore discernere, sapores nare gustare, utriusque sensus sibi ministerium, quia pervertit, interimit. Dum enim prius hæc usibus non aptantur, & sua officia deserunt, & ad extranea non assurgunt. Alii namque datur sermo sapientiæ. Alii sermo scientiæ in eodem Spiritu. Alii fides. Alii gratia sanitatum. Alii operatio virtutum. Alii prophetia. Alii discretio spiritus. Alii genera linguarum. Alii interpretatio sermonum tribuitur. Qualiter in uno, eodemque spiritu iste verbo sapientiæ polleat, nec tamen sermone scientiæ, id est, doctrinæ fulgeat. Quia sentire, atque invenire sufficit etiam, quod per discendi studium non apprehendit. Ille sermone scientiæ fulgeat, nec tamen in verbo sapientiæ convalescat. Quia sufficit explere quantum dicit, & tamen ad sentiendum ex semetipso subtile aliquid non assurgit. Iste per fidem elementis imperat, nec tamen per sanitatis gratiam infirmitates corporum curat. Ille orationis ope morbos subtrahit, nec tamen verbo pluvias reddit. Iste operatione virtutum ad præsentem vitam etiam mortuos revocat; & tamen Prophetiæ gratiam non habens, quæ ventura sunt ignorat. Ille ventura quæque velut præsentia attendit, & tamen in nulla signorum operatione se exserit. Iste, per discretionem spirituum, in factis subtiliter mentes conspicit. Ille diversi generis linguas examinat, sed tamen in rebus similibus dissimilia corda non pensat. Alius in una lingua, quam novit, sermonum pondera interpretando, prudenter discutit: & tamen bonis reliquis, quæ non habet, patienter caret.

LXXXVII. Sic itaque creator noster, ac dispositor cuncta moderatur: ut qui extolli poterat ex dono, quod habet, humilietur ex virtute, quam non habet. Sic cuncta moderatur, ut cum impensa gratia unumquemque sublevat, etiam per disparem gratiam alteri alterum subdat: & meliorem quisque dono alio, eum qui sibi subjicitur, attendat. Ac licet [1] reperire ex aliis sentiat, eidem tamen, quem superat, se in aliis postponat. Sic cuncta moderatur. Et dum singula, quæ [2] quærunt omnium, interposita quadam caritatis necessitudine, fiant omnia singulorum. Et unusquisque sic quod non accepit, in altero possideat, ut ipse alteri possidendum quod accepit, humiliter impendat. Sic sunt diversæ gratiæ, sicut & diversa, ut diximus, corporum membra. Et quæ putamus ignobiliora esse membrorum corporis, his honorem abundantiorem circumdamus. Et quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent. Honesta autem nostra honestate nullius egent. Sicut iniqui dum increpatione feriri non possunt, quasi honoris tegmine velantur. Sed hæc de occultis potentum peccatis loquimur. Nam quando & aliis cognoscentibus peccant, aliis etiam cognoscentibus increpandi sunt: ne, si prædicator tacet, culpam approbasse videatur: atque hæc crescens in exemplum veniat, quam pastoris lingua non secat.

1. Se præire.

2. Erant.

SÆC. VIII. CIRCA ANN. CHR. 785.

LXXXVIII. Sancta ergo ecclesia per prædicatores suos, qui dum facta mala sub dispectione increpationis increpant, labia, quasi parcens movet. Sed tamen parcendo non parcit: quia ab increpatione culpæ generaliter non tacet, quæ specialiter tacet.

LXXXIX. Sancta ergo ecclesia, quod corpus est summi capitis Christi, in quantum se sublevat ad superna, in tantum amplius laborat, ut membra capiti conquirat, quæ corpus ejus fiant, secundum Apostolum, qui dicit: *Vos estis corpus Christi, & membra de membro*. Aliud est membrum corporis, aliud membrum membri. Membrum quippe corporis, est pars ad totum membrum. Membrum vero membri est particula ad partem. Membrum namque membri est digitus ad manum, manus ad brachium. Membrum vero est corporis, tam hoc simul, ad corpus diversum. Sicut enim in spirituali Dominico corpore membra de membro dicimus eos, qui in ejus ecclesia ab aliis reguntur: ita in illa hæreticorum reproba congregatione, quæ totum corpus est diaboli: membra sunt carnium, qui iniquo opere quibusdam nequitioribus conjunguntur.

XC. Duæ itaque partes sunt: una quæ est corpus Christi, & altera quæ est corpus diaboli, quæ Antichristus dicitur. Quia dum bipertitus est, vetus & novus, secundum Apostolum qui ait: *Primus Adam de terra terrenus: secundus de cælo cælestis:* modo vero in ecclesia duo Adam sunt; terrenus, & cælestis. Et qualis terrenus, tales & terreni. Et qualis cælestis, tales & cælestes. Et ipse idem Apostolus dicit: *Primus homo de terra terrenus: secundus de cælo cælestis*: quæ utraque unum est. Quia ubicumque in scripturis sacris in veteri testamento legitur homo, in hebræo *Adam* dicitur. Nam cum nos dicimus in latino illud quod in psalmo octuagesimo primo scriptum est: *Vos autem, sicut homines moriemini*: in hebræo habet: *Vos sicut Adam moriemini*. Et in octavo psalmo: [a] *Quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum?* Homo *Adam* accipiendus est, filius hominis Dominus noster Jesus Christus intelligendus est: qui illius veteris Adami, qui per inobedientiam ceciderat, tunc memor visitavit, quando intra uterum virginis *Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis*. Et cum Dominus dicebat: *Filius hominis tradetur in manus peccatorum*: ac si diceret: Filius Adam tradetur in manus peccatorum. Modo cum in scripturis legitur homo, tantum dein valet, ac si dicat, *Adam, prior homo de terra terrenus, secundus de cælo cælestis*. Quarum utraque & cum Adam Dominus exprimitur, & cum homo dicitur, de carne non exit.

XCI. Sed forte aliquis specialitatem quærit, ut dicit, qualiter dicitur Adam secundus, si Adam homo intelligitur: quia ante ipsum & post ipsum multi homines fuerunt?

XCII. Respondebo. Ante ipsum multi homines fuerunt: sed omnes veteres dicuntur, unus Adam intelligitur vetus. Et quamquam patriarchæ & prophetæ Spiritu sancto repleti Christum exspectabant: & si non habebant culpam suam, tamen pro ipso homine vetere in inferno tenebantur. Quia nullus eorum per se poterat egredi, nisi de cælo secundus Adam novus pro illis descenderet. Quia tam homines illi, quos a potestate diaboli liberavit, quos secum ad cælos, unde sine homine descenderat, per novum hominem reduxit, quam etiam & illi, qui post ascensionem ejus ei junguntur per fidem, cum omnibus his novus Adam dicitur: & unus homo dicitur. Hoc non est carnaliter intelligendum. Cum rationem quæris; ratio heic non carnis, sed operationis est intuenda: quam Apostolus non humanis sensibus explicavit. Dum & Adamum veterem, & Dominum nostrum Jesum Christum ad primitias rerum malarum, bonarumque revocat, ac reducit, duas formas vitales conlocans in duobus: ut primus Adam habeatur, quisquis per vestigia ejus erroris incesserit: secundus Adam ille sit, qui Dominum fuerit imitatus. Hi sunt duo Adam novus, & vetus: sicut Apostolus ait: *In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura*. Non enim magni est meriti, quid foris agatur in corpore hominis: sed pensandum est, quid agatur in mente. In mente efficitur nova creatura: per quod foris deprehenditur in corpore, qualiter facta est nova in mente. Ad novum hominem pertinet præsentem mundum despicere: transitoria non amare: mentem medullitus in humilitate Deo, & proximo sternere. Contra illatas contumelias patientiam servare. Et custodita patientia dolorem malitiæ a corde expellere. Egenis propria tribuere. Aliena non concupiscere. Amicum in Deo diligere propter Deum; & eos, qui inimici sunt, amare. De afflictione proximi lugere. De morte ejus, qui inimicus est, non exsultare. Hic est, secundus Adam. Iste est novus homo, quem Christus reduxit ad cælos: sicut ipse discipulis suis ait: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo*. Cui sententiæ statim concordat, quod ipsa Veritas dicit: *Pater volo, ut ubi ego sum, & ipsi sint mecum*. Quia sibi ipse Dominus in verbis suis non discrepat: sed ad inquirenda hæc quasi discordantia, studium mentis nostræ inflammat. Omnes enim nos, qui in ejus fide nati sumus, ejus sine dubio corpus exsistimus. Quia igitur mira dispensatione pietatis membrorum suorum caput Dominus factus est, repulsa reproborum multitudine, solus est nobiscum. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo*. Quia dum nos unum cum illo jam futuri sumus, unde solus venit in se, illuc solus redit etiam in nobis, & ille, qui in cælo semper est, ad cælum quotidie ascendit. Quia qui divinitate super omnia permanet, humanitatis suæ compage se se quotidie ad cælos trahit. Non ergo se desperet humana fragilitas, Unigeniti sanguini confidat. In pretium suum conspiciat, quam magnum est, quod tantum valet. Perpendat solicite, ubi caput præcessit. Et quæ ad vivendum præceptis adstringitur, ad sperandum exemplis roboretur. Confidat, cælos speret, supernam patriam, angelorum se socium sciat: atque in suo capite prælatum se etiam angelis gaudeat. Amen.

XCIII. Ad veterem quippe Adam pertinet præsentem mundum quærere: transitoria ex concupiscentia amare: mentem in superbiam erigere: patientiam non habere: ex dolore malitiæ, de proximi læsione cogitare: sua indigentibus non dare: ad multiplicanda lucra terrena, aliena quærere: nullum præter se diligere: inimicitias inimicis reddere: de afflictione proximi gaudere: de morte inimici exsultare. Cuncta hæc vetusta sunt, hominisque videlicet, de radice trahit corruptionem. Interest vetus Adam, qui in scripturis sacris terrenus dicitur. Iste semper adversatur ecclesiæ Christi. Iste

a Psalm. VIII. 5.

semper generat ad mortem. Hæc pars, quæ generat ad mortem, nox dicitur. Fiunt & heic baptisma, & omnia ecclesiastica Sacramenta: sed quia & hæretici fidem, & subditi eorum, quos regunt, opere a se dividunt Christum, & unum videntur nobiscum commune habere altare. Et inde nomen paternitatis assumunt, per quam & sacramenta ecclesiæ usurpare præsumunt. Generant quidem filios: sed quia Adam vetus est, non ad vitam generant, sed ad mortem: patres ab imperitis vocantur: sed pro eo quod recta non loquuntur, canes muti a propheta nuncupantur, qui ait: *Canes muti, non valentes latrare*.

XCIV. Patres vero hæreticorum dicimus eos, videlicet quos hæresiarchas vocamus. De quorum perversa prædicatione, id est, locutionis semine sequentes sunt populi in errore generati. Sancta vero ecclesia cum canibus gregis, qui sunt hæreticorum patres, ponere dedignatur, quia inventores errorum judicando respuit: eosque inter veros patres numerare contemnit. Pro eo tamen, quod de Domino nostro Jesu Christo non recta sentiunt, eos cum canibus gregis sui non ponet: quia eos cum rectis prædicatoribus non adscribit. Liquido enim patet, quod Arius, Fotinus, Bonosus, Macedonius, Nestorius, Euticius, Dioscorus, Severus: & hic nostris modo temporibus Elipandus: multique horum similes, docendo, atque suadendo conati sunt ecclesiam illudere, & patres videri. Sancta universalis ecclesia districta veritate dijudicans, eos inter custodes gregis sui non numerat, quos ejusdem gregis unitatem dissipantes damnat. De quibus voce Paulli Ephesiis dicitur: *Scio, quia post discessum meum ingredientur ad vos lupi graves non parcentes gregi*.

XCV. Et quia aliquando hæretici, quanto magis in perfidiæ errore blandiuntur, tanto magis sanctitatem simulant: & quasi tanta amplius in exterioris esse operatione: ita ut agere præ ceteris magna videntur. Sancta universalis ecclesia cuncta eorum opera despicit: quia ea ex auctoritate rectæ fidei non prodire cognoscit. Per hos Antichristus sibi filios generat, quos in adventu suo fœdissimo testes in ecclesia habeat.

XCVI. Hi testiculi Antichristi sunt, de quorum semine perversa proles gignitur, quæ in Antichristi ore copulatur. Unde & per Job ex voce Antichristi dicitur: [a] *Nervi testiculorum ejus perplexi sunt*. Tantos iste Antichristus testes habet, quantos iniquitatis suæ prædicatores possidet. An ejus testes non sunt, qui pravis persuasionibus corda hominum virulenta erroris semina fundendo corrumpunt? Apte autem dicitur; quod *testiculorum ejus nervi perplexi sunt*: quia, videlicet, prædicatorum illius argumenta dolosis assertionibus innodantur, ut recta esse simulent, quæ perversa persuadent: ut alligationum implicatio, quasi nervorum plexibus; ut si videri possit, solvi non possit. De suo ejus testiculi perplexos habent, quia acumine prædicatorum illius sub argumentis duplicibus latent. Plerumque autem, cum verbis corda inficiunt, in opere innocentiam ostendunt. Neque enim ad se bonos persuasione sua traherent, si se & in actionibus perversos exhiberent.


XCVII. Sed quia testes hujus perplexi nervis illigantur, & rectos se ostentant, ut lateant, & perversa corripiant, ut corrumpant, ipsum sine dubio suum caput imitantes, qui quasi leo sedet in insidiis, & sævit per potentiam terreni culminis, & blanditur per speciem sanctitatis. Sed Antichristus utinam tunc solum talia ageret suo tempore; & nunc quoque ad corrumpendam fidem & fidelium viscera hos hæreticos luxuriæ testiculos non haberet!

XCVIII. Neque enim malum sola lectione oris infunditur; sed pejus; & a pluribus, operis exempla propinatur. Quam multi enim Antichristum non viderunt, sed tamen testiculi ejus sunt, quia corda innocentium actionis suæ exemplo corrumpunt? Quisquis namque in superbiam extollitur, quisquis avaritiæ desiderio cruciatur: quisquis luxuriæ voluptatibus solvitur: quisquis injustæ, & immoderatæ iræ flagris innititur, quid aliud, nisi Antichristi testis est? qui dum se libenter ejus usibus implicat, exemplo suo aliis erroris fœtus ministrat. Ille prava agit: ille prava agentibus adest, & adhæret. Et non solum non increpat, sed etiam favet. Quid ergo aliud, quam Antichristi servus est? qui perdidit auctoritatem promissæ Deo fidei testimoniis erroris. Quos tamen si quis increpet, mox se sub quodam velamine defensionis occultant. Quia videlicet eorum nervi perplexi sunt, & male impliciti, qui corruptione solvi nequaquam possint. Et apparet quiddam in eis, quod doleat; sed latet, quod pungat. Amaris dulcia, noxiis blanda permiscent: & potestate quidem admirandi videri appetunt: sed fallent arte, præmissa conloquia similiter substernuntur: & per sermonem de se insinuant, quod per exhibitionem negant. Unde & recte idem sanctissimus dicit: [b] *Ossa ejus, velut fistulæ æris*. Ossa ejus æris fistulæ comparantur; quia nimirum more æramenti insensibilis sonum bene loquendi habent, sed sensum intelligendi non habent. Hoc namque, quasi humiliter afferunt, quod elate vivendo contemnunt. Une bene per Paullum dicitur: *Si linguis hominum loquar, & angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut æramentum sonans, aut cymbalum tinniens*. Bona quippe loquens: sed per amorem eadem bona non sequens. Velut æs, aut cymbalum sonitum reddit, quia ipse non sentit verba, quæ ipse dicit.

XCIX. An non Elipandus more cymbali a Toleto sonitum mittit, & insensatus est: quia ipse non sentit verba nova, quæ dicit? Ut enim fides firma daretur ecclesiæ, duodecim Apostoli sunt a Christo electi: quorum Petrus cum esset eorum primus, solus non est ausus componere symbolum, sed duodenario numero Apostolorum cum magna est cautela collectum, & credentibus assignatum. Ideoque qui in tali confessione permanserit, a superveniente ira timere non poterit. Duodecim fuerunt Christi discipuli prædicatores fidei, & doctores gentium. Qui cum omnes unum essent, unum etiam composuerunt communiter symbolum; qui singuli singula verba dixerunt unius fidei invicem concordantia sibi, quæ tantum duodecim sunt verba. Elipandus solum in sua fide undecim posuit: quia & denarii unum numerum excessit, & ad duplicatum ut tredecim esset non pervenit. Quæ verba æqualiter divisa, undecim, & undecim fiunt, ut aperte daretur intelligi ipse primus Spaniæ præfigurans se Antichristum. Extulit solus totam gratiam habere Apo-

a Job XL. 12. b Ibid. v. 13.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 785.



stolorum, qui solus sine collatione fratrum composuit novæ fidei documentum.

C. Nimis iste apparet elatione superbus, qui semet ipsum cum Christo prædicavit christum. Sic enim de illo quem præfiguravit, per Paullum dicitur: *Ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus*. Et rursum per eumdem dicitur: *Qui versatur, & extollitur, & colitur supra omne, quod dicitur Deus, aut colitur*. Etenim sancti pii dicuntur, sed non coluntur. Solus Christus dicitur Deus, & colitur: super quem Antichristus se elevavit: cujus mysterium nunc videmus. Quia omnes, qui contra ecclesiam sunt, in Antichristi corpore sunt, cujus supra una bestia mentionem fecimus. De qua Daniel cum quartam bestiam diceret decem cornibus fultam, protinus adjunxit, dicens: [a] *Considerabam cornua: Et ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum. Et tria de cornibus primis evulsa sunt a facie ejus. Et oculi quasi oculi hominis erant in circuitu, & os loquens ingentia*. Undecimum quippe hujus bestiæ cornu esse describitur, quia regni ejus potentia in iniquitate roboratur. Sive quia inter decem reges Romanorum ipse erit undecimus. Omne enim peccatum undenarium est dictum, quia dum diversa agit, præcepti decalogum transit. Et quia in cilicio peccatum plangitur, hinc est, quod in tabernaculo velut cilicina undecim fiunt. Hinc per undecimum psalmum dicitur: *Salvum me fac Domine, quoniam defecit Sanctus: quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum. Vana loquuti sunt unusquisque ad proximum suum. Labia dolosa: in corde & corde loquuti sunt mala. Disperdat Dominus universa labia dolosa, & linguam magniloquam*. Magniloqua lingua est, cum se super omnes extollit, & sibi magnus videtur. Hinc Petrus, ne in undenario numero remaneret, apostolos metuens, Mathiam duodecimum sorte missa requisivit. Hic nisi enim signari culpam per undenarium videret, implere apostolorum numerum tota festinatione duodenarium non curaret. Quia ergo per undenarium numerum transgressio exprimitur, hujus bestiæ cornu undecimum ipse auctor transgressionis indicatur. Quod videlicet parvulus nascitur, quia purus homo generatur. Sed immaniter grandis crescit: quia usque ad conjunctam sibi virtutem angelis fortitudinis profecit. Quod tria cornua, quæ ei ante faciem sunt, evellit, quia ditionis suæ regna totidem, quæ sibi vicina erant, subjecit. Cujus oculi sunt, ut oculi hominis: sed os ingentia loquitur: quia in illo humana quidem forma videtur: sed verbis suis ultra homines elevatur.

CI. Ecce nunc jam aperte vidi purum hominem Elipandum, & tanta elatione superbum super omnem se ecclesiam elevare, ut omnes tamquam bruta animalia putet esse. Verba etiam fidei suæ, quæ in suis inseruit epistolis, in tantum sunt fidei apostolicæ contraria, quantum & inter se discordantia.

CII. Quæ verba dupliciter undecim fiunt, ut dupliciter se in tantum elevaret, ut in tota ecclesia solum super eum descendisse Spiritus sanctus [1], sicut finxit Montanus, & duæ prophetissæ ipsius, Prisca & Maximilla, qui adventum Spiritus sancti promissum a Domino, in se potius, quam in apostolis, fuisse credunt. Ut illi ecclesiæ, quæ adhuc in lacte est, cum talis surgit in prædicatione qualis Elipandus surrexit. Moriuntur infantes, qui adhuc per tempus poterant ad solidum pervenire cibum. Sed tunc moriuntur, quando decipiuntur. De hoc Dominus præscius futurorum, discipulos in Evangelio admonet, dicens: *Væ prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. Et orate, ne fiat fuga vestra hieme, vel sabbato*. Quod ex superioribus, manifestum est pendere. *Cum enim Evangelium Christi cunctis gentibus fuerit prædicatum, & venerit consummatio, viderent abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto; tunc præcipitur his, qui in Judæa sunt, ut fugiant ad montes. Et qui in tecto, non descendant tollere aliquid de domo sua*. Statimque conjungitur: *Væ prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus*. In quibus diebus? Quando abominatio desolationis steterit in loco sancto. Et quid erit abominationis, nisi ut integer Christus Jesus, quod non sit Filius Dei, & verus Deus, ille, qui de virgine natus est, quem Judæi crucifixerunt. Abominatio erit desolationis, quando aperte pro Christo suscipitur Antichristus, & adoratur: & Christus Deus esse negatur. Jam longe Antichristus non est, quia jam Christus Deus esse negatur. Quod quidem, juxta litteram, de adventu Antichristi, nulli dubium est, quam persecutionis magnitudo compellit fugere: & grave est ferre parvulos, qui lactantes fugam retardant. Licet quidam Titi, & Vespasiani adversus Judæos, & præcipue Jerusalem obsidionem pugnamque significari velint, hiemem quoque & sabbatum sic interpretantur, ne eo tempore fugere compellantur, quando duritia frigoris in agris, & in desertis locis fugientes latere non patitur, & observatio sabbati, aut prævaricatores facit, si fugiunt, aut hostium gladiis subjacere, si sabbati ocium, & præcepta observaverint. Sed non est tempore Vespasiani completum, & Titi, sed nunc in adventu Antichristi. Nos autem audientes Dominum Salvatorem, ut qui in Judæa sunt, ad montana confugiant; id est, qui confessores sunt, ad fidem, & doctrinam apostolicam confugiant. Ipsi quoque oculos levamus ad montes, de quibus scriptum est: *Levavi oculos meos ad montes, unde veniet auxilium mihi*. Et in alio loco: *Fundamenta ejus in montibus sanctis*. Et, *Montes in circuitu ejus, & Dominus in circuitu populi sui*. Et, *Non potest civitas latere super montem posita*. Et discalceati nos pedem litteræ, nudis pedibus cum Moyse ascendentes montem Sina, dicamus: *Transiens videbo visionem hanc magnam*; ut possumus intelligere prægnantes animas, quæ de semine doctrinarum, & sermonibus Dei initia fidei conceperunt, & dicunt cum Esaia: *A timore tuo Domine concepimus, & parturivimus, spiritum salutis tuæ fecimus super terram*.

CIII. Sicut enim semina paullatim formantur in uteris, & tamdiu non reputantur homicidium, donec elementa confusa suas imagines, membraque suscipiant: ita sensus ratione conceptus, nisi in opera proruperit, adhuc ventre retinetur, & cibo abortio perit, cum videt abominationem desolationis stantem in ecclesia, & satanam transfigurari in angelum lucis, id est hæreticum. Et de istiusmodi Paullus fletibus loquitur: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus reformetur in vobis. Vellem autem esse apud vos modo, & mutare vocem meam, quoniam confundar a vobis*. Ecce Paullus mutare

[a] Dan. VII. 8. 9.

1. Videretur.

vult vocem in partu fuo, ut prædicationis fonus in rugitum vertatur doloris. Mutare vult vocem, quia quos jam prædicando pepererat, reformando gemens iterum parturiebat. Qualem rugitum pariens emittebat, quando eifdem poft fe redeuntibus exclamare cogebatur, dicens: *O infenfati Galatæ! qui vos fafcinavit? Et fic ftulti eftis, ut cum fpiritu conceperitis, nunc carne confumamini?* vel certe *currebatis bene, quis vos impedivit, veritati non obedire?* Qualis in hujus partu rugitus fuit, qui multo tempore conceptos filios cum tantis laboribus peperit, & quandoque partos ad malitiæ uterum rediiffe cognovit? Confideremus, quid doloris habuerit? Quid laboris? Qui poftquam potuit concepta ex utero edere, iterum compulfus eft exftincta fufcitare. Nifi enim prædicatores fancti ab illa immenfitate contemplationis internæ fpiritualis conciperent, & ad infirmitatem noftram humillima prædicatione, quafi quadam incurvatione defcenderent, numquam utique in fide filios procrearent. Nobis quippe prodeffe non poterit, fi in fuæ altitudinis erectione perfifterent. Moriuntur femina in partu, qui necdum formati fuerant in fide, dum hæretici cœperint hærefes prædicare. Ipfi hæretici difcipulos Paulli occiderant, quia Chriftum in pectore illorum occiderant. Quos revocat ad unam fidem, dicens: *Filioli mei, quos adhuc parturio, donec Chriftus formetur in vobis*. Has ergo animas arbitror, juxta myfticos intellectus, effe mulieres. De quibus ipfe Apoftolus fcripfit: *Mulier feducta in tranfgreffione fuit. Salvabitur autem per filiorum*

A *generationem, fi permanferit in fide, & caritate, & fanctitate cum pudicitia*. Quæ fi de fermone divino aliquando generarint, neceffe eft, quæ generata funt, crefcere, & primum accipere lac infantiæ, donec perveniat ad folidum cibum, & ad maturam ætatem plenitudinis Chrifti. Omnis enim, qui lacte alitur, imperitus eft, & mente parvulus; in ratione juftitiæ infantulus eft. Hæ igitur animæ, quæ adhuc non pepererunt, five quæ nondum potuerunt ea, quæ generata funt pafcere, cum audierint fermonem hæreticum ftantem in ecclefia, cito fcandalizantur, & pereunt: & in tempeftate, atque in perfecutionibus permanere non poffunt;
B præfertim, fi otium habuerint bonorum operum, & non ambulaverint in via, quæ Chriftus eft.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 785.

CIV. De hac abominatione hæretica, perverfaque doctrina, dicebat Apoftolus, quod homo iniquitatis & adverfarius *elevet fe contra omne, quod dicitur Deus*, & religio: *ita ut præfumat ftare in templo Dei, & oftendere, quod ipfe fit Deus*. Cujus adventum fecundum operationem fatanæ, & ea, quæ concepta funt, facit perire abortione, & ea quæ nata funt, ad pueritiam, & ad perfectam ætatem pervenire non poffe. Quamobr m orandus eft Dominus, ne in exordio fidei, & crefcentis ætatis oriatur hiems frigoris, id eft, hæreticorum
C prædicatio novella. De qua hieme fcriptum eft ex voce fponfi: *Jam hiems tranfiit, imber abiit, & receffit*.

Cetera defiderantur in autographo.

Sæc. VIII. CIRCA ANN. CHR. 785.



JOANNIS DAMASCENI[1]

SIVE

JOANNIS PATRIARCHÆ HIEROSOLYMITANI

OPUSCULA DUO

ADVERSUS ICONOCLASTAS.

ΔΙΑΛΟΓΟΣ ΣΤΗΛΙΤΕΥΤΙΚΟΣ

ΓΕΝΟΜΕΝΟΣ

ΠΑΡΑ ΠΙΣΤΩΝ ΚΑΙ ΟΡΘΟΔΟΞΩΝ

καὶ πόθον καὶ ζῆλον ἐχόντων, πρὸς ἔλεγχον τῶν ἐναντίων τῆς πίστεως καὶ τῆς διδασκαλίας τῶν ἁγίων καὶ ὀρθοδόξων ἡμῶν πατέρων.

ΝΑβυθὲ ὁ Ἰεσραηλίτης ἵνα μὴ τὸν πατρῷον ἀμπελῶνα παραδῷ κατελιθοβολήθη, λέγων· οὐ μὴ προδῷ κληρονομίαν πατέρων μου. οὗτοι δέ φησιν ἐπίσκοποι καὶ ποιμένες τῶν λογικῶν λαχόντες εἶναι προβάτων, διὰ δόξαν κενὴν καὶ μόνον, τῶν πατέρων τὰς φωνὰς παρωσάμενοι, κατὰ τῆς πίστεως ἑαυτοὺς ὁπλίσαντες, τὰ ὀρθῶς ὑπ᾽ αὐτῶν ῥηθέντα στρεβλοῦσι, κατὰ τὸν ἀδόκιμον αὐτῶν καὶ τεθολωμένον νοῦν διδάσκοντες, ἅπερ πάντα ἐνώπια τοῖς συνιοῦσι, καὶ ὀρθὰ τοῖς εὑρίσκουσι γνῶσιν, κατὰ τὸ γεγραμμένον. οἱ μὲν γὰρ [3] δόξῃ καὶ καθαρῷ τῆς διανοίας ὄμματι τοῖς ἱεροῖς τῆς θεοπνεύστου γραφῆς περιτυγχάνοντες λόγοις, ὄφελος θεῖον, ὥσπέρ τινα οὐράνιον θησαυρὸν, ταῖς αὐτῶν εἰσοικίζουσι ψυχαῖς· οἱ δὲ τὸν νοῦν ἔχοντες τῷ ψεύδει προσνενευκότα, καὶ τῆς τινων ἀθυροστομίας ἡττώμενον, καὶ βεβήλου γνώσεως ἐραστὴν, ἐκείνων ἔσονται κοινωνοὶ, περὶ ὧν ὁ μακάριος Παῦλος γράφει· ἐν οἷς ὁ Θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου ἐτύφλωσε τὰ νοήματα τῶν ἀπίστων, εἰς τὸ μὴ διαυγάσαι αὐτοῖς τὸν φωτισμὸν τοῦ εὐαγγελίου τῆς δόξης τοῦ Χριστοῦ, ὅς ἐστιν εἰκὼν τοῦ Θεοῦ. τυφλώττουσι γὰρ, καί εἰσιν ὁδηγοὶ τυφλῶν. τοιγαροῦν οὗτοι καὶ τοῖς τῆς ἀπωλείας ἐμπίπτουσι βόθροις. ὡς γὰρ αὐτὸς ὁ Σωτὴρ εἴρηκε· τυφλὸς τυφλὸν ἐὰν ὁδηγῇ, ἀμφότεροι εἰς βόθυνον ἐμπεσοῦνται. καταφλυαροῦσι τοίνυν τινὲς τῶν τῆς ἀληθείας πατέρων καὶ διδασκάλων, καὶ δὴ καὶ σκαιότητος διαβολικῆς τὸν οἰκεῖον ἐμπλήσαντες νοῦν, παραχαράττειν ἐπείγονται τὸ τῆς ἀληθείας μυστήριον, τῆς μετὰ σαρκὸς οἰκονομίας τοῦ μονογενοῦς οὐ μετρίαν ποιοῦντες [4] καταῤῥησιν, μὴ νοοῦντες μήτε ἃ λέγουσι, μήτε περὶ τίνων διαβεβαιοῦνται, κατὰ τὸ γεγραμμένον.

Εὑρεταὶ δὲ τῆς τοιαύτης ἀσεβείας γεγόνασι πολλοὶ μὲν καὶ ἕτεροι, κατὰ τοὺς ἄνωθεν παρῳχηκότας καιροὺς, νῦν δὲ τῆς ἐκείνων ἀνοσιότητος οὗτοι οἱ προφασιζόμενοι κατὰ τοὺς νέους Φαρισαίους. ὥσπερ γὰρ ἀληθῶς αὐτοὶ ἠρνήσαντο τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ σαρκὶ ἐληλυθότα, οὕτω καὶ νῦν νεοκήρυκες μὴ θέλοντες προσκυνεῖν καὶ σεβάζεσθαι τῆς ἐνσάρκου τοῦ Χριστοῦ παρουσίας, καὶ τῆς κατὰ σάρκα αὐτοῦ ἀχράντου μητρὸς καὶ κατὰ ἀλήθειαν Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, καὶ πάντων τῶν ἁγίων αὐτοῦ τὰς σεβασμίους καὶ σεπτὰς εἰκόνας· ἀλλὰ νέαν καινοτομοῦντες

A DISCEPTATIO INVECTIVA

QUÆ

[2] HABITA EST A FIDELIBUS ET ORTHODOXIS, studiumque ac zelum habentibus, ad confutandos adversarios fidei & doctrinæ sanctorum orthodoxorumque patrum nostrorum.

I. NAboth Jesraelites ut ne paternam vineam traderet, lapidatus est, quum dixisset: *Non tradam hereditatem patrum meorum.* At isti quibus licuit esse episcopis & pastoribus ovium ratione præditarum, ob vanam dumtaxat gloriam, paternas voces repudiantes, adversusque fidem semet ipsi armantes, quæ recte ab illis dicta sunt contorquent, (juxta reprobatam suam turbidamque mentem docentes,) [a] *Quæ omnimodis ob oculos posita sunt intelligentium, rectaque iis qui cognitionem inveniunt*, ut scriptum est. Illi enim acuta puraque mentis acie sacras divinitus inspiratæ Scripturæ verba legentes, divinum emolumentum, quasi quemdam cæleſtem thesaurum, suis ipsorum animabus recondunt: isti vero mentem cum habeant ad mendacium propensam, ac nonnullorum impotentibus locutionibus devictam, profanæ etiam scientiæ amantem, illorum utique futuri sunt participes, de quibus beatus Paullus scribit: [b] *In quibus Deus sæculi hujus excæcavit cogitata infidelium, ut non resplendeat illis lumen evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei.* Cæcutiunt enim, & sunt duces cæcorum: quamobrem hujusmodi etiam in foveam incidunt interitus. Ut enim ipsemet Salvator ait: *Cæcus cæcum si ducat, ambo in foveam cadent.* Derident igitur nonnulli patres ac magistros veritatis: immo vero etiam diabolica pravitate proprium implentes animum, adulterare nituntur veritatis mysterium, nihil non e medio tollere studentes dispensationem Unigeniti secundum carnem, *non intelligentes nec quæ dicunt, nec de quibus affirment*, juxta quod scriptura dicit.

II. Inventores porro hujusmodi impietatis fuerunt quidem & alii plures per superiora tempora; nunc vero illorum facinoris isti novas profitentes caussas, quasi novi Pharisæi. Quemadmodum enim revera illi negarunt filium Dei carne venisse; sic & nunc novi isti prædicatores, dum nolunt adorare & colere adventus Christi in carne, ejusque secundum carnem immaculatæ matris vereque Deiparæ ac semper virginis Mariæ, item omnium Sanctorum ejus religiosas honorandasque Imagines. Sed novam novis rebus studentes adornarunt fidem,

a Prov. VIII. 9. b II. Cor. IV. 4.

1. Vide sequentis Opusculi initium. 2. Ex nostra interpretatione. 3. Ὀξυδερκεῖ. 4. Καθαίρεσιν.



ἐπικτονήσαντο πίστιν, παρὰ τὴν ἀρχῆθεν ἐκ τῶν ἁγίων ἡμῶν πατέρων καὶ μαθητῶν καὶ διαδόχων τῶν ἁγίων ἀποστόλων ὑπαρχόντων. ὡς γὰρ αὐτοῖς ἔδοξε νῦν λέγοντες, πλέον τῶν ἁγίων πατέρων, ὧν οἱ λόγοι καὶ αἱ ἀρεταὶ στήριγμα καὶ στήλη τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας ὑπάρχουσιν, οὗτοι τὴν πίστιν φυλάττειν διαβεβαιοῦντες. τὰς γὰρ αὐτῶν τῶν πατέρων φωνὰς, ἃς αὐτοὶ τρανῶς ἐκήρυξαν περὶ τῶν σεβασμίων καὶ προσκυνητῶν εἰκόνων, οὗτοι οἱ νεόσοφοι λαβόντες τὰς καλῶς ὑπὸ τῶν προφητῶν ῥηθείσας φωνὰς, κατὰ τὰς ἰδίας ἐπιθυμίας πρὸς τὸν ἴδιον νοῦν στρεβλοῦσιν. ὡς γὰρ αὐτοὶ περὶ τῶν εἰδωλικῶν ξοάνων καὶ δαιμονικῶν στηλῶν φράσαντες εἰρήκασιν, οὗτοι εἰς τὰς ἁγίας εἰκόνας μετέστρεψαν τοὺς ἁγίους πατέρας, καὶ διδασκάλους τῆς ἁγίας καὶ ἀμωμήτου καὶ ὀρθοδόξου τῶν χριστιανῶν πίστεως, παρωσάμενοι τὰς αὐτῶν φωνὰς καὶ μαρτυρίας περὶ τῆς ἐνσάρκου καὶ ἀνθρωπίνης αὐτοῦ μορφώσεως χαρακτῆρος ἱστορηθείσας ἁγίας εἰκόνας, ἅσπερ ἡμῖν τρανῶς σέβειν καὶ προσκυνεῖν ἐδίδαξαν. δι' ὃ καὶ μετ' ὀλίγην διάλεκτον πρὸς τοὺς νεοκήρυκας ποιησάμενοι, Θεοῦ διδόντος ἡμῖν καὶ τὸ ἀναπνεῖν, ὀλίγα ἐκ πολλῶν παραθήσομεν, κἂν οὗτοι ὡς χειροποίητα δῆθεν ἀποστρέφονται.

A contra atque ab initio accepimus a sanctis nostris patribus, discipulis ac successoribus apostolorum sanctorum. Quemadmodum enim ipsis visum est nunc dicere, melius quam sancti Patres, quorum verba & virtutes fulcrum sunt atque columna catholicæ & apostolicæ ecclesiæ, isti fidem se servare profitentur. At enim ipsorum patrum voces, quas ipsi luculenter deprædicarunt circa venerandas adorandasque imagines, isti novi sapientes, (dum arripiunt quæ ceteroquin bene a prophetis annunciatæ sunt voces,) juxta propria desideria ad propriam mentem pervertunt. Quæcumque etenim illi de idolorum statuis ac dæmoniacis titulis loquuti dixerunt, isti adversus sanctas imagines detorquent B sanctos patres & doctores sanctæ, sinceræ & orthodoxæ Christianorum fidei, repudiantes eorum voces & testimonia de incarnatæ humanæque formæ imaginis ejus depictis sanctis iconibus, quas manifeste ut coleremus ac veneraremur nos edocuerunt. Quamobrem & mox [1] disputationem adversus novos hosce prædicatores facturi, Deo nobis spiritum largiente, pauca ex multis apponemus, tametsi viri isti tamquam idola manufacta hæc quoque aversentur.

Λεγέτωσαν ἡμῖν οἱ θολόσοφοι καὶ μεμψίμοιροι καὶ ἐρασταὶ τῆς φαύλης καὶ βεβήλου καὶ ἐχθραινούσης Θεῷ συνόδου, τῆς γενομένης κατὰ Θεοῦ συγχώρησιν ἐν Κωνσταντινουπόλει εἰς τὸν τόπον τὸν λεγόμενον Ὀνέρια, ποίῳ τρόπῳ καὶ σκοπῷ τὰς τῶν πατέρων παρακρουόμενοι φωνὰς, κατὰ τὰς ἰδίας ἐπιθυμίας ἑαυτοὺς ἐξαπατῶντες ἐξελκόμενοι καὶ δελεαζόμενοι στρεβλεῖτε; εἴπατε ἡμῖν οἱ νῦν κενοτομοῦντες νέας πίστεως ἔκθεσιν, ποῖον ἐπὶ τῆς γῆς προσκυνητὸν καὶ σεβάσμιον καὶ λατρευτόν ἐστιν ἀχειροποίητον; ὁ σταυρός; τὸ θυσιαστήριον; ἡ προσφορά; τὸ εὐαγγέλιον; πάντα χειροποίητα, ἀλλ' ἡμῖν σεβαστὰ καὶ σωτηρίας σύμβολα, ὥσπερ καὶ αἱ τῶν ἁγίων εἰκόνες, καὶ τῆς ἐνσάρκου τοῦ Χριστοῦ οἰκονομίας τῆς ἀληθινῆς καὶ ἀνθρωπίνης αὐτοῦ σαρκὸς, ἣν διὰ τὴν ἡμῶν σωτηρίαν προσελάβετο ἐκ τῆς παναγνου καὶ Θεοτόκου Μαρίας, πάντα ἡμῶν λαβὼν χωρὶς μόνης τῆς ἁμαρτίας. διὸ καὶ τὴν εἰκόνα αὐτοῦ, καὶ τῆς ἀχράντου αὐτοῦ μητρὸς προσκυνοῦμεν καὶ σέβομεν. καὶ ὑμεῖς δόκησιν τὸ μυστήριον ἀπεργάζεσθε. ἡμεῖς δὲ οἱ τῆς ἀληθείας, τῆς τῶν ἁγίων ἀποστόλων καὶ τῶν ἁγίων αὐτῶν μαθητῶν καὶ διαδόχων, ἡμετέρων δὲ πατέρων καὶ διδασκάλων, τὴν παρ' αὐτῶν ἡμῖν παραδοθεῖσαν πίστιν περὶ τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου καὶ προσκυνητῆς τριάδος, ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ λαμπρᾷ τῇ φωνῇ λέγομεν τὰ τοῦ προφήτου Ἠσαΐου· ἀνάβηθι ὁ εὐαγγελιζόμενος ἐπ' ὄρος ὑψηλόν. καὶ ἡμεῖς ἀνερχόμεθα εἰς τὴν τρισυπόστατον ὁμοουσιοκόρυφον δόξαν, εὐαγγελιζόμενοι τὰ ἀγαθὰ τῆς ὀρθοδόξου πίστεως, λέγοντες.

III. Dicant nobis turbidi isti sapientes & queruli, necnon amatores malæ, profanæ, Deoque inimicæ [2] Synodi, quæ Deo permittente habita est C Constantinopoli in loco Oneria appellato. Quonam modo & scopo paternas repellentes voces, secundum vestra vos desideria fascinantes abrepti a recto tramite, quisque esca decepti, depravamini? Dicite nobis qui nunc innovatis recentis fidei expositionem; Quidnam in terris venerandum, religiosum & adorabile est, quod non sit manufactum? Crux? Altare? Oblatio? Evangelium? Universa hæc manufacta sunt: nobis nihilominus venerabilia ac salutis symbola, quemadmodum & sanctorum imagines, & incarnati Christi dispensationis veræ atque humanæ ejus carnis, quam propter nostram salutem accepit de purissima & Deipara Maria, quæ sunt nostra assumens omnia, excepto dumtaD xat peccato. Quare & imaginem illius ejusque immaculatæ matris veneramur & colimus. At vos commentum facitis hujusmodi mysterium. Nos vero qui veritatem sectamur, quæ est sanctorum apostolorum sanctorumque eorum discipulorum & successorum, qui patres ac doctores nostri fuerunt, eam quæ ab illis nobis tradita fuit fides circa sanctam & consubstantialem venerandamque Trinitatem, revelata facie, claraque voce profitemur, usurpantes illud Isaiæ prophetæ: *Ascende qui evangelizas in montem excelsum*. Nos quoque ascendimus ad summam gloriam trium consubstantialium personarum, evangelizantes bona orthodoxæ fidei, & dicentes.

Πιστεύομεν εἰς πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα, ἥ τις ἐστὶν ἡ ἁγία τριὰς, ἄκτιστος, ἀΐδιος, ἀσύγχυτος, ἀδιαίρετος, ὁμοούσιος, ἐν μιᾷ θεότητι καὶ βασιλείᾳ καὶ κυριότητι, ἐν τρισὶ προσώποις ἤτοι ὑποστάσεσι καὶ ἰδιότησι προσκυνουμένη τε καὶ δοξολογουμένη. ἰδιότητα γὰρ ὅταν εἴπω, τὸν πατέρα πατέρα νόητον, καὶ τὸν υἱὸν υἱὸν, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον πνεῦμα ἅγιον. αὗται γὰρ αἱ ἰδιότητες οὐκ ἀντιστρέφονται. οὐ δύναται γὰρ ὁ πατὴρ υἱὸς εἶναι, ἢ ὁ υἱὸς πατὴρ, ἢ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον εἶναι πατὴρ ἢ υἱός. ἀλλ' ὡς εἶπον, πατὴρ ὁ πατὴρ, καὶ υἱὸς ὁ υἱὸς, καὶ

E IV. Credimus in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, quæ est sancta Trinitas, increata, æterna, inconfusa, indivisa, consubstantialis, in una Divinitate, regno & dominatione, quæ in tribus personis sive hypostasibus & proprietatibus adoratur, & glorificatur. Proprietatem autem quum dico, Patrem Patrem cogita, & Filium Filium, Spiritumque sanctum Spiritum sanctum. Istæ enim proprietates haudquaquam convertuntur. Neque enim potest qui Pater est Filius esse, vel Filius Pater, vel Spiritus sanctus esse Pater sive Filius: sed quemadmodum dixi, Pater est Pater, & Filius

1. Forte respicitur ad sequentem quam edituri sumus Orationem. Comb. *breri conserta disputatione*.
2. Copronymianam intelligit Combefis.

SÆC. VIII. CIRCA ANN. CHR. 785.

πνεῦμα ἅγιον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· οὐκ ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν πατὴρ, καὶ οὐκ ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν υἱὸς, καὶ οὐκ ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. διὰ τοῦτο ἀκατάληπτος καὶ ἡ γέννησις τοῦ μονογενοῦς, καὶ ἡ ἐκπόρευσις τοῦ ἁγίου πνεύματος. προσκυνεῖς τὸν πατέρα; ἐν αὐτῷ προσκυνεῖται ὁ υἱὸς καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα. προσκυνεῖς τὸν υἱόν; ἐν αὐτῷ προσκυνεῖς τὸν πατέρα καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα. προσκυνεῖς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον; ἐν αὐτῷ προσκυνεῖς καὶ τὸν πατέρα καὶ τὸν υἱόν. οὐ συγχεομένων τῶν προσώπων, ἀλλὰ διὰ τὸ ταυτὸν καὶ ἀπαράλλακτον τῆς οὐσίας οὕτω νοεῖς. μιᾶς γὰρ οὔσης τῆς φύσεως καὶ τῆς οὐσίας καὶ τῆς θεότητος, μία καὶ ἡ προσκύνησίς ἐστι τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου τριάδος. ἀλλ' ἐπειδὴ πατὴρ καὶ υἱὸς καὶ ἅγιον πνεῦμα, ὀνομάζονται καί εἰσι τῇ μὲν οὐσίᾳ κατὰ πάντα ἴσα τὰ τρία· ἀπέδωκε δὲ ἡ θεόπνευστος γραφὴ τὴν ἀρχὴν τῷ πατρὶ, καὶ λοιπὸν τῇ τοῦ πατρὸς εὐδοκίᾳ καὶ ὁ υἱὸς τὰ πάντα ἐποίησε, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τὰ πάντα ἐπλεσιούργηκεν. ἔστιν οὖν Θεὸς ὁ πατὴρ, Θεὸς ὁ υἱὸς, Θεὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. ἀλλ' ἐπειδὴ Θεὸς καὶ Θεὸς καὶ Θεὸς, οὐ δύνασαι εἰπεῖν, τρεῖς Θεοί. ἀλλὰ τρία πρόσωπα ἐνθυμούμενος, ἕκαστον πρόσωπον ὁμολογῶν, εἷς Θεὸς λέγεται, διὰ τὸ ἓν καὶ τὸ ταυτὸν τῆς φύσεως καὶ τῆς θεότητος καὶ τῆς οὐσίας καὶ τῆς συναϊδιότητος. διὸ καὶ ἑνικῶς δοξάζομεν καὶ προσκυνοῦμεν τὴν ἁγίαν τριάδα.

A Filius, & Spiritus sanctus Spiritus sanctus. Non fuit tempus quando non erat Pater, nec tempus fuit quando Filius non erat, sicut neque tempus fuit, quando non erat Spiritus sanctus. Quamobrem incomprehensibilis etiam est Unigeniti generatio, itemque processio sancti Spiritus. Adoras Patrem? in ipso adoratur Filius & Spiritus sanctus. Adoras Filium? in ipso adoras Patrem & Spiritum sanctum. Adoras Spiritum sanctum? in ipso adoras & Patrem & Filium. Non confusis personis, sed propter identitatem immutabilitatemque essentiæ sic cogitas. Cum enim una sit natura & essentia & divinitas, una est etiam adoratio sanctæ & consubstantialis Trinitatis. B Sed quoniam Pater, Filius ac Spiritus sanctus, nominantur & sunt essentia quidem per omnia æquales tres hæ personæ; Scriptura vero divinitus inspirata principium attribuit Patri, ac ceteroquin ex Patris beneplacito etiam Filius universa effecit, & Spiritus sanctus universa perfecit: est consequenter Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus. At quia Deus, & Deus, & Deus; non potes tamen dicere, Tres Dii. Verum tres personas animo cogitans, quamlibet personam confitens, unus Deus dicitur, propter unitatem & identitatem naturæ & divinitatis & essentiæ & coæternitatis. Quamobrem & singulari numero glorificamus veneramurque sanctam Trinitatem.

C

Ἐμάθομεν καὶ πιστεύομεν, ὅτι ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ ἐγεννήθη ἐκ τοῦ πατρὸς ἀῤῥήτως, ἀχρόνως, ἀσωμάτως, πρὸ πάντων τῶν αἰώνων. αὐτὸς οὖν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, τὸ φῶς ἐκ τοῦ φωτὸς, ὁ ἀληθινὸς Θεὸς ἐκ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς, τῇ εὐδοκίᾳ τοῦ πατρὸς ἐσαρκώθη ἐν τῇ παναγνῷ καὶ ὑπὸ πνεύματος ἁγίου καθαγιαζομένῃ παρθένῳ τῇ ἁγίᾳ Μαρίᾳ, τῇ κυρίως καὶ κατ' ἀλήθειαν θεοτόκῳ. καὶ ὥσπερ ἐκ τοῦ πατρὸς ἡ γένεσις αὐτοῦ τοῦ υἱοῦ ἀκατάληπτός τίς ἐστι καὶ ἀνερμήνευτος, καὶ διὰ τοῦτο πίστει καὶ σιωπῇ προσκυνοῦμεν καὶ δοξάζομεν· οὕτω τοῦ αὐτοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ καὶ ἡ ἐκ τῆς μητρὸς καὶ παρθένου ἔνσαρκος γέννησις, ἄφραστός ἐστι καὶ ἀνεκδιήγητος· καὶ μάθε πῶς.

V. Didicimus & credimus, quod Filius Dei genitus est ex Patre ineffabiliter, sine tempore & corpore, ante omnia sæcula. Ipsemet Filius Dei, qui est lumen de lumine, Deus verus de Deo vero & Patre, ex Patris beneplacito factus est caro in purissima & per Spiritum Sanctum sanctificata Virgine sancta Maria, quæ est proprie verissimeque Deipara. Ac quemadmodum quæ est ex Patre generatio ipsius filii incomprehensibilis est & inexplicabilis, propterea que illam fide ac silentio adoramus & glorificamus: sic ejusdem Filii Dei illa etiam quæ ex matre est & Virgine in carne generatio, ineffabilis est & inexplicabilis. Ac quo mo- D do, disce.

Ὁ οὖν μονογενὴς υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ πρὸ πάντων τῶν αἰώνων ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθεὶς, ἀπερίγραπτός ἐστι, καὶ ἄνω ἐστὶ καὶ κάτω, καὶ τὰ πάντα ἐν χειρὶ ἔχει, καὶ τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε, καὶ τὰ πάντα πληροῖ, καὶ ὑπὲρ τὰ πάντα ὑπερεκτείνεται, καὶ ὑπεράνω πάντων οὐρανῶν ἐστι, καὶ τὰς ἀβύσσους καθορᾷ. καὶ οὐκ ἔστι κτίσις ἀφανὴς ἐνώπιον αὐτοῦ. ἐν ἀγγέλοις ἐστὶν, ὅλος ἄνω ἐστὶν, ὅλος πανταχοῦ ἐστιν. αὐτὸς οὖν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ ὁ τοσοῦτος ἡλίκος, ὁ ἀπήλικος καὶ ἀμεγέθης, ἐπειδὴ πάντα δύναται, ἐδυνήθη καὶ ἄνθρωπος γενέσθαι. καὶ κατ' ἀλήθειαν σαρκωθεὶς, καὶ ἐνανθρωπήσας ἐκ πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας τῆς παρθένου ἄνω οὐκ ἔλειψε, καὶ κάτω σαρκωθεὶς ὁ αὐτὸς ὅλος. οὐκοῦν τίς δύναται φράσαι ἢ ὅλως διηγήσασθαι τὸ μυστήριον; πλὴν ὅτι πρὸς τὴν εὐτέλειαν τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως, ἔδωκεν ἡ θεία γραφὴ ὀλίγα τινὰ ῥήματα, δι' ὧν ὁ νοῦς ἐν ἀπολαύσει δυνήσεται γενέσθαι, καὶ ἀφθέγκτως ἐκπλαγῆναι καὶ προσκυνεῖν τὸ θεῖον μυστήριον.

VI. Unigenitus igitur Filius Dei, qui ante omnia sæcula ex patre natus est, incircumscriptus est, supraque est & infra, universaque in sua potestate habet, & cuncta in ipso constant, & omnia replet, & ultra quævis superextenditur, supraque omnes cælos est, & abyssos intuetur. Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus. In angelis est, totus supra est, totus ubique est. Ipse igitur Filius Dei talis tantusque, cujus nec ævum nec magnitudinem assignare licet; quandoquidem omnia potest, potuit etiam homo fieri. Atque in veritate E incarnatus & homo factus ex Spiritu Sancto & Maria Virgine, superiora nequaquam deseruit, & in inferioribus caro factus idemmet totus est. Quis ergo possit dicere & omnino enarrare mysterium? Nisi quod pro tenuitate humanæ naturæ suppeditavit divina Scriptura pauca quædam verba, per quæ mens in fruitione versari poterit, ac quin tamen mysterium edisserere queat, revereri illud & adorare.

Ὁ οὖν υἱὸς τοῦ Θεοῦ ὁ ἀχώρητος εἰσῆλθεν εἰς τὴν ἁγίαν παρθένον, καὶ ἐπελάβετο ἐκ τῆς φύσεως τῆς σαρκὸς αὐτῆς, καὶ ἥνωσε τῇ ἰδίᾳ τῆς θεότητος ὑποστάσει σάρκα τὴν ἡμῖν ὁμοούσιον, ἔμψυχόν τε καὶ ἔννουν, ὡς αὐτὸς μόνος οἶδε. προεῖπον γὰρ ὅτι οὔτε νοῦς καταλαβέσθαι ἰσχύει, οὔτε λόγος παραστῆσαι δύναται, οὔτε ὀφείλει ἄνθρωπος φυσιολογεῖν τὸ

VII. Filius ergo Dei qui nuspiam capi potest, ingressus est sanctam virginem, assumsitque ex natura carnis illius, univitque propriæ deitatis hypostasi carnem nostræ consubstantialem, anima & ratione præditam, qua ipse solus ratione novit. Præfatus enim sum, quod neque mens comprehendere valet, neque oratio exponere potest, neque debet homo

ἀνεξιχνίαστον καὶ ἀνεξερεύνητον πρᾶγμα. ἑνώσας οὖν A ἑαυτῷ τὴν ἐξ αὐτῆς ληφθεῖσαν φύσιν, ηὔξει ὁ ἀναυξὴς υἱὸς τοῦ Θεοῦ τῇ ἰδίᾳ σαρκὶ, ἐμψυχωμένῃ ψυχῇ λογικῇ τε καὶ νοερᾷ, καὶ μὴ τραπεὶς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ ὅπερ ἦν, ἐγένετο βρέφος ἐν τῇ κοιλίᾳ τῆς μητρός· καὶ ἀπετελέσθη ἕνωσις ἀδιαίρετος καὶ ἀσύγχυτος θεότητός τε καὶ ἀνθρωπότητος. καὶ ἰδοὺ ὁ ἀσώματος καὶ ἀψηλάφητος σεσωμάτωται καὶ ψηλαφᾶται. καὶ ὁ πρὸ πάντων τῶν αἰώνων ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθεὶς, ἰδοὺ αὐτὸς καὶ ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου σεσαρκωμένος γεννᾶται. καὶ ὁ τῶν κόλπων τῶν πατρικῶν μὴ χωρισθεὶς, καὶ τὰ σύμπαντα τῇ δυνάμει τῆς θεότητος συνέχων, καὶ τῶν πάντων τῇ παντοκρατορικῇ δυνάμει περιδραττόμενος, ὁ αὐτὸς ἐνανθρωπήσας ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου καὶ γεννηθεὶς, B κεῖται ἐν φάτνῃ παιδίον ἐσπαργανωμένον, τῆς ἁγίας παρθένου, παρθένου μεινάσης. τὰ γὰρ θεῖα τοιαῦτά ἐστι. ὥσπερ γὰρ ἡ ἕνωσις τῆς σαρκὸς καὶ τῆς θεότητος ἀνεξερεύνητος, οὕτω καὶ ἡ γέννησις. ἐδυνήθη γὰρ ὁ θεῖος λόγος ὁ παντοδύναμος κατὰ ἀλήθειαν σαρκωθῆναι καὶ ἐνανθρωπῆσαι ἐν τῇ δεσποίνῃ, καὶ γεννηθῆναι ἐξ αὐτῆς, καὶ τὴν παρθενίαν ἐσφραγισμένην διαφυλάξαι, ὥσπερ οὖν ἀμέλει καὶ τῶν θυρῶν κεκλεισμένων ἔστη ἐν μέσῳ τῶν μαθητῶν.

per naturales modos investigare quod investigari inquirique impossibile est. Cum igitur univisset sibi acceptam ex illa naturam, crevit qui crescere nescius non est Dei filius in propria carne animata anima rationali & intellectuali. Nec tamen amittens quod erat Dei filius, factus est infans in utero matris. Completaque est unitio indivulsa & inconfusa divinitatis simul & humanitatis, propter quam ecce qui incorporeus est & intangibilis, corporeus factus est tangique potest: & qui ante omnia sæcula ex patre natus est, ecce idemmet etiam ex sancta Virgine caro factus nascitur: quique a paterno sinu numquam recessit, universaque divinitatis virtute complectitur, & omnia omnipotenti vi B continet, idem ipse factus homo ex sancta Virgine ex eaque natus, jacet in præsepio puer fasciis involutus, sancta Virgine virgine manente. Hæc enim divina sunt. Quemadmodum namque unitio carnis & divinitatis imperverstigabilis est, sic & nativitas. Potuit siquidem divinum Verbum quod omnipotens est veraciter incarnari & homo fieri in domina nostra, nascique ex illa, ac virginitatem ejus quasi sigillo munitam conservare; quo pacto scilicet januis etiam clausis stetit in medio discipulorum.

Διὰ τοῦτο ἡ ἁγία καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία πάντα ἀπειθῶς τὰ θεῖα ἀποδέχεται, πάντα πιστῶς, πάντα ἀπολυπραγμόνως σέβει καὶ προσκυνεῖ καὶ τιμᾷ. αὐτὸς οὖν ὁ υἱὸς Θεοῦ ὁ ἀληθινὸς Θεὸς, διὰ C τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν παιδίον γεννηθεὶς, αὔξειν λέγεται τῇ ἰδίᾳ σαρκὶ, τὰ ἡμέτερα οἰκειούμενος ἀδιάβλητα πάθη, καὶ προκόπτειν σοφίᾳ καὶ ἡλικίᾳ διὰ τὴν κατὰ μέρος ἀνάδειξιν, ὅπως δείξῃ κυρίως καὶ κατὰ ἀλήθειαν εἶναι τὴν ἐνανθρώπησιν. καὶ κοπιᾷν λέγεται, καὶ πινῆν καὶ διψῆν, καὶ τοῖς ἀνθρώποις συναναστραφῆναι, διδάξας καὶ φωτίσας πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον. αὐτὸς γάρ ἐστι τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν.

VIII. Quamobrem sancta & apostolica ecclesia quæ sunt divina omnia promte suscipit, omnia fideliter, omnia incuriose veneratur & adorat & colit. C Ipse ergo Dei filius Deus verus, propter nostram salutem puer natus crescere dicitur propria carne, nostris inculpatis assumtis passionibus, ac *proficere sapientia atque ætate*, eo quod paullatim isthæc ostenderet, quo demonstraret proprie vereque fuisse incarnationem. Defatigari etiam dicitur, esurire, sitire, & *cum hominibus conversatus fuisse*, docens ac *illuminans omnem hominem venientem in mundum*. Ipse enim est *lux vera*.

Λοιπὸν δὲ διὰ τὴν ἄμετρον αὐτοῦ φιλανθρωπίαν, καὶ ἔπαθε τῇ ἰδίᾳ σαρκί. αὐτὸς γὰρ ὁ κύριος τῆς δόξης ὑπὲρ ἡμῶν ἐσταυρώθη, καὶ πάσχει ἀληθῶς. πάσχει γὰρ οὐ τῇ θεότητι, ἀλλὰ τῇ ἀδιαιρέτως D συναφθείσῃ αὐτῷ ἰδίᾳ σαρκὶ ἐμψυχωμένῃ, καὶ ἀποθνήσκει, τῆς ψυχῆς δηλονότι χωρισθείσης τοῦ σώματος. ἡ γὰρ θεότης ἀδιαίρετος καὶ ἀσύγχυτος καὶ τῇ ψυχῇ ἡνωμένη ἦν καὶ τῷ σώματι. κατῆλθεν οὖν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τῇ ἰδίᾳ ψυχῇ πρὸς τὰς τῶν ἁγίων ψυχὰς, καὶ πάλιν ἀνέστη, τῆς ψυχῆς ἑνωθείσης τῷ σώματι. ἀνέστη οὖν ὁ αὐτὸς μονογενὴς υἱὸς τοῦ Θεοῦ τῇ ἰδίᾳ δυνάμει· ἐξουσίαν γὰρ ἔχω, φησὶν, τὴν ψυχήν μου θεῖναι, καὶ ἐξουσίαν ἔχω πάλιν λαβεῖν αὐτήν.

IX. Ceterum propter immensam suam benignitatem passus quoque est carne propria. Ipse enim Dominus gloriæ propter nos cruxifixus est vereque D passus. Patitur porro non divinitate, sed carne propria inseparabiliter sibi adaptata prædita que anima rationali: moritur autem, separata videlicet anima a corpore. Divinitas namque inseparabilis & inconfusa animæque unita erat atque corpori. Descendit ergo Dei filius spiritu suo ad Sanctorum spiritus, rursumque surrexit, unita corpori anima. Resurrexit autem idem unigenitus filius Dei virtute propria: [a] *Potestatem enim habeo*, inquit, *animam meam ponere, & potestatem habeo iterum sumere illam*.

Ἀναστὰς τοίνυν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ ἐκ νεκρῶν, τῇ ἰδίᾳ ἐνανθρωπήσει ἀνελήφθη εἰς τοὺς οὐρανούς. ὁ τὸ πρὶν ἀσώματος, νῦν ὁ αὐτὸς σεσαρκωμένος· ὁ τὸ πρὶν E ἁπλοῦς, νῦν ὁ αὐτὸς σύνθετος, Θεὸς ὁμοῦ καὶ ἄνθρωπος· μένει γὰρ ἐν αὐτῷ καὶ ἡ φύσις τῆς θεότητος. καὶ ὁ τὸ πρὶν ἁπλοῦς ὢν καὶ εἷς τῆς ἁγίας τριάδος, καὶ νῦν ὁ αὐτὸς εἷς ἐστι τῆς ἁγίας τριάδος σεσαρκωμένος, καὶ ἐνανθρωπήσας. καὶ ὅπερ οὐκ ἠδύναντο πᾶσαι αἱ οὐράνιαι δυνάμεις θεωρῆσαι· θεότητα γὰρ τῆς προσκυνητῆς τριάδος ἰδεῖν οὐδεὶς δύναται· νῦν τὸν ἕνα τῆς ἁγίας τριάδος, τὸν μονογενῆ υἱὸν τοῦ Θεοῦ βλέπουσι κατὰ τὸν φαινόμενον ἄνθρωπον, ἐννοοῦντες τὸ ἀπερίγραφον τῆς αὐτοῦ θεότητος. τοῦτο γάρ ἐστιν ὃ εἶπεν ὁ μακάριος Παῦλος· ὤφθη ἀγγέλοις. προσελάβετο τοίνυν ὃ οὐκ εἶχε, καὶ

X. Cum igitur surrexisset filius Dei ex mortuis, ratione suæ humanitatis assumtus est in cælos. Is E nempe qui prius erat incorporeus, nunc idem ipse caro factus. Qui prius simplex, nunc idem ipse compositus, Deus simul & homo. Manet enim in illo natura etiam divinitatis: & is qui prius simplex erat unusque de sancta Trinitate, nunc etiam idem ipse unus de sancta Trinitate est incarnatus, & factus homo. Quodque non poterant omnes cælestes virtutes speculari; divinitatem enim adorandæ Trinitatis videre nemo potest; nunc unum de sancta Trinitate unigenitum filium Dei contuentur juxta sensibilem hominem, animo imaginantes incircumscriptam ejus divinitatem. Hoc illud est quod ait beatus Paullus: [b] *visus est angelis*. Assumsit ergo quod non habebat, & habet, nostram

[a] Joan. X. 18. [b] I. Tim. III. 16.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 785.

ἔχει, λέγω δὴ τὴν ἡμετέραν φύσιν, εἰς αἰῶνας τῶν αἰώνων. καὶ πάλιν· ἐρχόμενον μετὰ δόξης κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς, ἤτοι δικαίους καὶ ἁμαρτωλούς. τοὺς μὲν κρῖναι, ἀντὶ τοῦ δικαιῶσαι, διὰ τὰ καλὰ αὐτῶν ἔργα, τοὺς δὲ κατακρῖναι διὰ τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν, καὶ τὰς τῆς κακίας αὐτῶν πράξεις.

inquam naturam, in sæcula sæculorum. Rursumque: *Venturum cum gloria judicare vivos & mortuos*, sive justos & peccatores. Ac illos quidem *judicare*, hoc est, *justificare* propter bona eorum opera, hos vero condemnare propter infidelitatem ipsorum, & pravitatis suæ facinora.

Διδάσκει ἡμᾶς τὸ σύμβολον πιστεύειν καὶ εἰς μίαν ἁγίαν καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαν. οὐ δύναται ἐκκλησία ἡ καθολικὴ, μόνον ὑπάρχειν ἀποστολική. ἡ γὰρ παντοδύναμος ἐξουσία τῆς κεφαλῆς, ἥτις ἐστὶν ὁ Χριστὸς, ἴσχυσε διὰ τῶν ἀποστόλων τὸν καθόλου κόσμον σῶσαι. ἔστιν οὖν ἡ ἁγία τοῦ Θεοῦ καθολικὴ ἐκκλησία, τὸ σύστημα τῶν ἀπ' αἰῶνος ἁγίων πατέρων, πατριαρχῶν, προφητῶν, ἀποστόλων, εὐαγγελιστῶν, μαρτύρων, οἷς προσετέθη πιστεύσαντα ὁμοθυμαδὸν πάντα τὰ ἔθνη. ἐθεώρουν γὰρ ὅτι ἐκ παντὸς γένους τῶν ὑπὸ τῶν οὐρανῶν καὶ τὴν αὐτὴν τῶν χριστιανῶν πίστιν ἔχουσιν. ἄνευ γὰρ τοῦ ἁγίου πνεύματος οὐ δύναται πάνδημον καὶ μυριόγλωσσον ἄθροισμα εἰς ἓν φρόνημα τῆς ἀληθεστάτης πίστεως ἐλθεῖν. πάλιν γὰρ λέγω, ὅτι καθολικὴ παρὰ τοῦτο ἐστί τε καὶ λέγεται, διὰ τὸ ἀλλόκοτα καὶ πολυσχιδῆ καὶ ἄγρια πάσης τῆς ὑφηλίου μυριόγλωσσά τε ἔθνη, εἰς μίαν εἰρηνικὴν καὶ σωτήριον πίστιν τε καὶ θεογνωσίαν εἶναι.

XI. Docet nos Symbolum credere, *Et in unam sanctam catholicam atque apostolicam Dei Ecclesiam.* Non potest ecclesia Catholica solum esse Apostolica. Omnipotens enim vis capitis, qui est Christus, potuit per apostolos mundum universum salvare. Est ergo sancta Dei catholica Ecclesia, cœtus sanctorum patrum qui a sæculo sunt, patriarcharum, prophetarum, apostolorum, evangelistarum, martyrum, quibus adjectæ sunt concorditer credentes gentes universæ. Videbant enim quod ex omni genere hominum qui sub cælo sunt eamdem cum Christianis fidem habent. Sine Sancto enim Spiritu nequit universalis ac infinitarum linguarum collectio in unam sententiam verissimæ fidei convenire. Iterum enim dico, ideo Catholicam esse appellarique, quod gentes dissimillimorum morum, multimodæ atque agrestes totius orbis, infinitarumque linguarum, in unam pacificam ac salutarem fidem & Dei cognitionem coalescant.

Πιστεύομεν τοιγαροῦν εἰς μίαν ἁγίαν καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαν, ἐν ᾗ μαθητευθῆναι ἐν τῇ κατηχήσει. καὶ γινώσκομεν πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα, καὶ βαπτιζόμεθα εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, καὶ μεταλαμβάνομεν τοῦ σωτηρίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, τοῦ δι' ἡμᾶς τῇ τοῦ πατρὸς εὐδοκίᾳ ἐνανθρωπήσαντος, καὶ ἀποθανόντος ὑπὲρ ἡμῶν. διδάσκεσθαι δὲ καὶ πράττειν τὰς θείας αὐτοῦ καὶ εὐαγγελικὰς ἐντολὰς, παραλαμβάνειν τε ἀσφαλῶς τὰς θεοπνεύστους γραφὰς τῆς παλαιᾶς καὶ τῆς καινῆς διαθήκης, δι' ὧν ἀεὶ αὔξειν εἰς πίστιν καὶ ἀγαθὴν συνείδησιν, ὁ ἐπιμελῶς προσέχων αὐταῖς καταξιοῦται πρός τε ἑαυτοῦ καὶ ἄλλων ὠφέλειαν.

XII. Credimus igitur in unam sanctam catholicam & Apostolicam Dei Ecclesiam, in qua per institutionem erudimur. Cognoscimus quoque Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, & baptizamur in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, atque communicamus salvifico Corpori & Sanguini Filii Dei, qui propter nos ex patris beneplacito factus est homo, & pro nobis mortuus est. Docemur autem etiam facere divina ejus & evangelica mandata, admittere quoque certissime divinitus inspiratas Scripturas veteris novique testamenti, per quas jugiter in fide crescere bonaque conscientia is dignus fit, qui studiose ad illas animo incumbit pro sua aliorumque utilitate.

Λοιπὸν ταῦτα οἱ πιστῶς καὶ ὀρθῶς ἐρευνήσαντες οἱ ἅγιοι ἡμῶν πατέρες καὶ τῆς εὐσεβείας διδάσκαλοι, ἐδίδαξαν ἡμᾶς ποίῳ τρόπῳ ὀφείλομεν σέβειν καὶ προσκυνεῖν τὰ σωτήρια σύμβολα τῆς πίστεως. τὸν σταυρὸν τοῦ Χριστοῦ, διὰ τὸν ἐν αὐτῷ προσηλωθέντα σωτῆρα, ὡς δι' αὐτοῦ ἡμῖν λύτρωσιν χαρισαμένου, καὶ τῆς ἐκ τοῦ ξύλου κατάρας ἐλευθερώσαντος. τὸ δὲ θυσιαστήριον, ὡς τὸ κυριακὸν καὶ ἄχραντον μνῆμα. τὴν δὲ προσφορὰν, ὡς τὸ σῶμα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ καὶ σωτῆρος τῶν ἡμετέρων ψυχῶν. τὰ δὲ εὐαγγέλια, ὡς ὑπ' αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ λόγου λαληθέντα καὶ πραχθέντα. τὰς δὲ εἰκόνας, τὴν μὲν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ τῆς ἀχράντου καὶ πανασπίλου αὐτοῦ μητρὸς καὶ θεοτόκου Μαρίας ὅταν ἴδω, εὐθέως καὶ παρ' αὐτὰ τὸν νοῦν ἀνάγω εἰς τὴν ἄκραν αὐτοῦ πρὸς ἡμᾶς πτωχείαν καὶ συγκατάβασιν, ὅτι Θεὸς ὢν μορφὴν δούλου ἔλαβε, καὶ τὴν οἰκείαν δούλην, μητέρα ἐποίησε. καὶ ὑπ' αὐτῆς ὡς νήπιος ἐβαστάζετο, καὶ ἐκ παρθενικῶν μαζῶν γάλα ἐθήλασε· καὶ λοιπὸν τὸ αἰσθητὸν ὄμμα πρὸς τὴν εἰκόνα ἀτενῶς βλέπων, τὸ νοητὸν τῆς καρδίας ὄμμα σὺν τῷ νῷ εἰς τὸ μυστήριον τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας ἀκοντίζω, καὶ περὶ τῶν ἀσυγγνώστων καὶ πολλῶν μου ἁμαρτημάτων δέομαι τὴν ἀγαθότητα καὶ εὐσπλαγχνίαν αὐτοῦ, λέγων· δόξα σοι ὁ Θεός· ὁ σωτήρ μου ἐλέησόν με τὸν ἁμαρτωλὸν, καὶ συγχώρησον τὰς πολλάς μου ἁμαρτίας, ὁ δι' ἐμὲ τὸ κατ' ἐμὲ φορέσας, δίχα μόνης τῆς ἁμαρτίας.

XIII. Ceterum qui hæc fideliter recteque perpenderant sancti patres nostri ac religionis magistri, docuerunt nos quonam modo debeamus colere & venerari salutaria fidei symbola. Crucem videlicet Christi, propterea quod in illa confixus fuerit clavis Salvator, tamquam qui per illam redemtionem nobis gratiose indulserit, & a maledictione quæ ex ligno fuit, liberaverit. Altare, tamquam dominicum immaculatumque monumentum. Oblationem, tamquam Corpus Domini nostri Jesu Christi, veri Dei & Salvatoris animarum nostrarum. Evangelia vero, tamquam quæ ab ipsomet Deo Verbo pronunciata fuerint & actionibus exercita. Imagines autem quod attinet; Quoties eam quæ est Domini nostri Jesu Christi intactæque ac immaculatissimæ ejus genitricis & deiparæ Mariæ intueor, statim atque illico per illas mentem erigo ad extremam ejus propter nos paupertatem ac demissionem; siquidem cum Deus esset formam servi accepit, suamque ancillam Matrem effecit, atque ab illa quippe puerulus bajulabatur, ac ex virgineis mammis lac sugebat. Cum igitur sensibilis oculus imaginem intente respicit, intellectualem cordis oculum in mysterium incarnatæ dispensationis exacuo, atque gravissimorum multorumque peccatorum meorum veniam deprecor a bonitate & misericordia illius, dicens: *Gloria tibi Deus: Salvator mi, miserere mei peccatoris, & indulge multa peccata mea qui pro me naturam meam portasti, uno dumtaxat excepto peccato.*

Οταν δὲ τῆς θεοτόκου παρθένου Μαρίας τὴν εἰκόνα θεάσωμαι, εὐθέως λέγω· Αχραντε θεοτόκε μῆτερ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ, πρέσβευε τὸν υἱόν σου καὶ Θεόν μου, ὅπως ἐλεήσῃ με τῇ αὐτοῦ ἀγαθότητι καὶ εὐσπλαγχνίᾳ· πολλὰ γὰρ ἰσχύει δέησις μητρὸς πρὸς εὐμένειαν δεσπότου. μὴ παρίδῃς ἁμαρτωλῶν ἱκεσίαν ἡ πάνσεμνος, ὅτι ἐλεήμων ἐστὶ καὶ σώζειν δυνάμενος, ὁ καὶ παθεῖν ὑπὲρ ἡμῶν καταδεξάμενος.

Οταν δὲ ἴδω εἰκόνα ἀποστόλου ἢ μάρτυρος, ἤ τινος τῶν ἁγίων, ἱστορίαν τῶν παθημάτων αὐτῶν, ὧν διὰ Χριστὸν ὑπέμειναν γενναίως, λέγω. δόξα σοι ὁ Θεὸς τοῦδε ἀποστόλου ἢ τοῦδε τοῦ ἁγίου. καὶ ταῦτα οὕτω λέγων, εἰς Θεὸν τὴν δόξαν ἀναπέμπω. ταῦτα οὕτω παρελάβομεν ἐκ τῶν ἁγίων πατέρων, ὧν καὶ τὰ ὀνόματα καὶ τοὺς λόγους ἐν τῷ τεύχει παρασημειωσόμεθα, Θεοῦ βουλήσει καὶ προνοίᾳ.

Υμεῖς δὲ οἱ νεοκήρυκες καὶ κενοὶ θεολόγοι· ὑμεῖς οἱ τυχόντες τὸ κήρυγμα τῶν ἁγίων ἀποστόλων καὶ τῶν αὐτῶν διαδόχων καὶ μαθητῶν, ἡμετέρων δὲ πατέρων καὶ διδασκάλων, καθὼς αὐτοὶ ἡμῖν παραδεδώκασιν, ἀπὸ τοῦ κυριακοῦ πάθους καὶ τῆς σωτηρίου ἀναστάσεως, μέχρι τῆς παρούσης Ινδικτιῶνος ὀγδόης, ἔτη ἑπτακόσια μέ λέγουσιν εἶναι, καὶ ἔκτοτε καὶ ἕως μέχρι καὶ νῦν αἱ σεβάσμιαι εἰκόνες ἦσαν καί εἰσιν ὑπὸ τῶν πιστῶν, ὡς προείπομεν, προσκυνούμεναι. ἐδείξατε ὅτι τὰ ἑπτακόσια ταῦτα ἔτη ἡ καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία, καὶ οἱ διδάσκαλοι καὶ οἱ ποιμένες αὐτῆς ἐπλανῶντο, καὶ ὑμῖν τοῖς νεοκήρυξιν ἀπεκαλύφθη ἡ ἀλήθεια τῆς πίστεως; ἐξ ὅτου γὰρ τὴν ἐρευναν ταύτην ἤρξατε ποιῆσαι, εἰσὶν ἔτη πλεῖον ἢ ἔλασσον μέ. ἀπὸ γὰρ ἐννάτης ἐπινεμήσεως ἤρξατε τῇ ἀληθείᾳ ἀντιπίπτειν καὶ ἐρευνᾷν τό, πῶς διαστρέψετε τὰ ἀδιάστροφα. ἐπειδὴ ἐπὶ τὴν πέτραν τῆς ἀληθείας ᾠκοδόμησαν οἱ ἅγιοι ἡμῶν πατέρες, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς, ἅπερ εἰσὶ τὰ ἄδικα καὶ πονηρὰ τῶν αἱρετικῶν στόματα· ἠπιστήσατε τοῖς πατράσι καὶ τῷ βαπτίσματι, ὃ παρ' αὐτῶν εἰλήφατε, καὶ οὐκ ἐδέξασθε αὐτῶν τὴν πίστιν καὶ τοὺς λόγους. ἐδείξατε τρανῶς τίνων μαθηταί ἐστε καὶ διάδοχοι. ὡς γὰρ ἡ ἄνοια ὑμῶν πρόδηλος γενησομένη ἐφάνη, ὅτι ἐκείνων ἐστὲ μαθηταὶ, τῶν κραξάντων σὺν Αννᾳ καὶ Καϊάφᾳ πρὸς Πιλᾶτον, λέγουσιν· ἡμεῖς βασιλέα οὐκ ἔχομεν εἰ μὴ Καίσαρα, εἰ καὶ προβάτου δορὰν ἐπέχετε καὶ ποιμένος στολὴν ἀμφιέννυσθε. ὡς γὰρ ἐκεῖνοι τὸν σωτῆρα ἠρνήσαντο κατὰ πρόσωπον Πιλάτου, καὶ τοῦτον σταυρῷ προσπήξαντες ἀνήλωσαν· αὐτὸς δὲ τῇ θεϊκῇ αὐτοῦ δυνάμει ἀνέστη, καὶ ἀνῆλθεν ἐν τοῖς ὑψίστοις, καὶ ἐκάθησεν ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλωσύνης τοῦ Θεοῦ καὶ πατρός. ὃ γὰρ ἔπαθεν ὑπὲρ ἡμῶν σαρκὶ, ἔπαθεν ἐφάπαξ, θάνατος αὐτοῦ οὐκέτι κυριεύει, κἂν ὑμεῖς φιλοπόλεμοι ὄντες πρὸς ἡμᾶς φιλονεικεῖτε· ὡσαύτως καὶ ὑμεῖς, ἐν τῷ τὸν σωτῆρα μὴ ἰσχύοντες ἐκ δευτέρου σταυρῶσαι, εἰς τοὺς τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας αὐτοῦ χαρακτῆρας καὶ τὰς ὑπομνήσεις, σὺν τῇ κατὰ σάρκα αὐτοῦ μητρὶ, καὶ τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ μαθηταῖς καὶ ἀποστόλοις πᾶσαν τὴν κακίαν ὑμῶν προδήλως ἐδείξατε. καὶ γὰρ ἐν πυρὶ καὶ ἐν μυρίαις μηχαναῖς ἐχρήσασθε κατὰ τῶν ἁγίων εἰκόνων, νομίζοντες τὴν μνήμην αὐτῶν τελέως ἀπαλειφθῆναι, κατὰ τῶν χαρακτήρων τῆς χρωματουργίας αὐτῶν ἀναμνήσεως μαινόμενοι. ἀλλ' ὅμως καὶ ταῦτα πράττοντες, καθ' ὑμῶν αὐτῶν ἀκονᾶτε τὸ ξίφος τῆς δικαιοκρισίας τοῦ Θεοῦ, καὶ πολλῆς μακροθυμίας καὶ ἀγαθότητος. διὸ παρακαλῶ ὑμᾶς ἀποῤῥίψαι τὴν κενὴν διδασκαλίαν ὑμῶν, καὶ μέμψασθε ἑαυτοῖς καλῶς, ἐφ' οἷς διεπράξασθε κακῶς· ἀνορθώσατε τὰ παρειμένα γόνατα τῆς ψυχῆς, καὶ τραχίας ὀρθὰς

A XIV. Quoties vero deiparæ virginis Mariæ imaginem contemplor, statim dico: *Immaculata Dei genitrix, Mater Christi Dei, ora filium tuum ac Deum meum, ut misereatur mei sua bonitate & misericordia. Multum enim valet supplicatio matris ad obtinendam benignitatem Domini. Ne despicias peccantium preces, o Venerabilissima, quoniam misericors est & salvare potest, qui etiam pro nobis pati dignatus est.*

XV. Quando autem conspicio imaginem alicujus apostoli aut martyris vel alterius sancti, historiam nempe passionum eorum, quas generose pro Christo pertulerunt, dico: *Gloria tibi Deus hujus apostoli vel hujus sancti.* Atque hæc sic dicens, gloriam Deo
B tribuo. Ita hoc modo accepimus a sanctis patribus, quorum etiam nomina & verba in libro [1] consignabimus si Dei voluntas ac providentia tulerit.

XVI. At vos novi prædicatores & inanes theologi; Vos qui assequuti estis prædicationem Apostolorum illorumque successorum ac discipulorum, patrum ac magistrorum nostrorum, quo modo ipsi nobis tradiderunt; (a tempore Dominicæ passionis & salutiferæ resurrectionis usque ad præsentem octavam indictionem, annos esse ajunt septingentos quadraginta quinque, atque ab eo tempore usque hactenus venerabiles imagines fuerunt & sunt veneratæ a fidelibus quemadmodum præfati sumus;) Vos
C ostendistis, quod per septingentos hosce annos Catholica & Apostolica Ecclesia doctoresque & pastores ejus erraverint, vobis vero recentibus prædicatoribus revelata fuerit veritas fidei? Ex quo enim inquisitionem hanc instituistis, sunt anni plus minus quinque & quadraginta. Cœpistis namque a nona indictione veritati adversari illudque inquirere, quonam pacto quæ rectissima sunt pervertere possitis. At enim supra petram veritatis ædificaverunt sancti patres nostri, *& portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, quæ videlicet sunt iniqua & conscelératissima hæreticorum ora. Fidem præbere renuistis patribus & baptismo, quem ab illis recepistis, nec eorum fidem sermonesque suscepi-
D stis. Ostendistis liquido quorumnam discipuli sitis ac successores. Amentia enim vestra manifesta futura visa est, quod nempe eorum sitis discipuli, qui cum Anna & Caipha ad Pilatum clamantes dicunt: *Nos regem non habemus nisi Cæsarem*, tametsi ovis pellem habetis, & pastoris stolam induimini. Quemadmodum enim illi Salvatorem negarunt coram facie Pilati, atque hunc ipsum cruci affigentes e medio sustulerunt; ipse tamen divina sua virtute resurrexit, ascenditque in cælos seditque ad dexteram majestatis Dei & patris; *quod enim passus sit pro nobis carne, passus est semel; mors ei amplius non dominatur*, tametsi vos adversarii contra nos rixari contenditis. Haud aliter &
E vos, cum nequeatis Salvatorem iterum cruci affigere, in imagines & monimenta ipsius per carnem dispensationis, cum humana matre ejus, & sanctis illius discipulis atque apostolis, universam malitiam vestram evidenter ostendistis. Igne enim & infinitis machinationibus usi estis adversus sanctas imagines, (rati memoriam eorum funditus obliteratum iri) contra characteres depictæ eorum memoriæ furiose debacchati. Nihilominus vel sic agentes, adversus vos ipsos gladium exacuitis justi judicii Dei, & multæ ejus longanimitatis & bonitatis. Quamobrem hortor vos, ut abjiciatis novam doctrinam vestram, beneque doleatis pro iis quæ male egistis. Erigite dissoluta genua ani-

1. Confer sequentem orationem.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 785.



ποιήσατε· καὶ τὰς ἁγίας φωνὰς τῶν πατέρων σὺν ἡμῖν ταῖς ἁγίαις εἰκόσι τὸ σέβας ἀναπέμψατε, ὅπως κοινῇ τῇ φωνῇ δόξαν ἀναπέμψωμεν τῷ κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ, σὺν τῷ ἀνάρχῳ αὐτοῦ πατρὶ, καὶ τῷ ζωοποιῷ αὐτοῦ πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν.

A mæ, & rectos greſſus facite, ſecundum ſanctaſque patrum voces nobiſcum ſanctis iconibus cultum tribuite: quo communi voce gloriam demus Domino noſtro Jeſu Chriſto Dei filio, cum æterno ejus Patre & vivificante ejus Spiritu, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

ΙΩΑΝΝΟΥ ΜΟΝΑΧΟΥ ΚΑΙ ΠΡΕΣΒΥΤΕΡΟΥ
τοῦ Δαμασκηνοῦ λόγος ἀποδεικτικὸς περὶ τῶν ἁγίων καὶ σεπτῶν εἰκόνων, πρὸς πάντας χριστιανοὺς, καὶ πρὸς τὸν βασιλέα Κωνσταντῖνον τὸν Καβαλῖνον, καὶ πρὸς πάντας αἱρετικούς.

JOANNIS [1] DAMASCENI MONACHI
ac presbyteri oratio demonſtrativa de ſacris ac venerandis imaginibus, ad Chriſtianos omnes, adverſuſque imperatorem Conſtantinum Cabalinum, ac hæreticos univerſos.

Interprete Combefisio.

Ἐπειδήπερ πολλοὶ ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι διήγησιν, κατὰ τὸν μακάριον ἀπόστολον καὶ εὐαγγελιστὴν Λουκᾶν, περὶ πίστεως ὀρθοδόξου, καὶ κρατήσεως τῆς ἐκκλησίας, ἥνπερ διὰ τοῦ πάθους αὐτοῦ προσελάβετο Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ ἀληθινὸς Θεὸς ἡμῶν· ἀναγκαῖον ἡγησάμην, ἀγαπητοὶ, ταῦτα μὴ κρύψαι τῇ ἡμῶν τιμιότητι, ἀλλ᾽ ὑποδεῖξαι ὑμῖν τὴν ὁδὸν τῆς ἀληθείας, ἥνπερ ἐξ ἀρχῆς καὶ ἄνωθεν ἡ καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία κρατεῖ ἐν βεβαιότητι, περὶ τῶν ἁγίων καὶ σεπτῶν εἰκόνων. καὶ μὴ τρέπεσθαι ἔνθεν κἀκεῖθεν, καθάπερ κάλαμος ὑπὸ ἀνέμου παραφερομένη, τῇ δεινῇ ταύτῃ αἱρέσει τῶν μὴ προσκυνούντων τὴν ἔνσαρκον οἰκονομίαν τοῦ δι᾽ ἡμᾶς ἐπὶ γῆς ὀφθέντος [Θεοῦ], διὰ εἰκονικῆς ἀνατυπώσεως· ἀλλ᾽ ἀτιμαζόντων διὰ κακοηθείας, καὶ διὰ λογισμῶν ἀτόπων. καὶ τῶν δοκούντων εἶναι ἐκ τῆς φυλῆς τῶν χριστιανῶν, διά τε βαπτίσματος, καὶ διὰ τοῦ τιμίου σώματος καὶ ἀχράντου αἵματος, ἀλλοτρίων δὲ καθεστώτων· καὶ τῶν κατεχόντων ἀξίας ποιμένων, λύκους δὲ καὶ θηρία γεγονότων, οὐ τῇ φύσει, ἀλλὰ τῇ προθέσει, καὶ τῇ πίστει, κατὰ τὸ εὐαγγέλιον τὸ τηλαυγῶς ἀναβοῶν· ὅτι ὁ μὴ εἰσερχόμενος διὰ τῆς θύρας εἰς τὴν αὐλὴν τῶν προβάτων, ἀλλὰ ἀναβαίνων ἀλλαχόθεν, ἐκεῖνος κλέπτης ἐστὶ καὶ λῃστής. τοιοῦτόν τι καὶ ἐπὶ τῆς γενεᾶς ἡμῶν ἀνέφυ δεινὸν εὕρεμα, ἐκ γοήτων καὶ σκοτεινῶν ἀνδρῶν, τῶν διὰ τῆς κενοδοξίας αὐτῶν, καὶ μεγαλαυχίας ἐμπεσόντων εἰς βάραθρον ἀπωλείας, καὶ ἀνυποίστου βορβόρου. ὑμεῖς δὲ, ὦ σεπτὸν ἀκροατήριον, τὸ νεόχριστον καὶ ἀρχαῖον, τὸ ἐξακολουθῆσαν φωναῖς προφητῶν, καὶ γραφαῖς ἀποστόλων, καὶ πατέρων ὅροις, τὴν ἄγκυραν τῆς πίστεως βεβαίαν κατέχοντες, ταύτην ταῖς ὑμετέραις ψυχαῖς διαφυλάξατε, πρὸς τὸ μὴ ἁρπαγῆναι αὐτὴν ἐκ τοῦ ἀνθρωποκτόνου καὶ δολίου ἐχθροῦ· καὶ ἀκεραίους καὶ ἀπαρασαλεύτους περιφρουροῦντες ἑαυτοὺς, τόμον [3] κατέχοντες ὀρθόδοξον τῆς ὁμουσίου καὶ ἀδιαιρέτου τριάδος, πᾶσι τοῖς ἐχθροῖς αὐτὸν ἐπιδεικνύντες, καὶ ἐν χερσὶν ὑμῶν κατέχοντες· ἵν᾽ ὥσπερ διὰ στόματος καὶ διανοίας καὶ γλώττης ταύτην ἀνέγνωμεν, καὶ πιστεύωμεν.

B I. Quoniam multi, ut cum beato Apoſtolo & Evangeliſta Luca dicam, aggreſſi ſunt narrationem de fide orthodoxa ac Eccleſiæ traditione, quam Chriſtus Jeſus verus Deus noſter, ſua ſibi morte comparavit, contexere, operæpretium duxi, dilectiſſimi, ut ne hæc veſtram præſtantiam celarem, ſed viam vobis veritatis oſtenderem, quam ab initio, ac a primis temporibus, univerſalis ac apoſtolica Eccleſia, in imaginum negotio firmam tenet: ut ne huc illuc, ceu calamus a vento agitatus, a dira hac hæreſi transferamini, eorum, qui Dei in carne propter nos in terris viſi diſpenſationem imaginibus expreſſam non adorant: ſed maligne potius, ac per abſonas rationes contumelia afficiunt: qui C per baptiſmum ac communionem pretioſi corporis, ac ſanguinis impolluti, Chriſtiani videantur, ſintque revera a Chriſto alieni: qui denique [2] teneant paſtorum dignitates, ſintque nihilominus in lupos & feras demutati; non natura, ſed propoſito & fide, juxta quod ſacer Evangelii textus aperte denuntiat: [a] *Qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt, & latro.* Hujuſmodi grave quoddam hiſce temporibus ex præſtigiatorum ac caliginoſorum hominum ſtudiis emerſit inventum; hominum inquam, in perditionis barathrum cœnumque intolerabile ab inani ipſorum gloria faſtuque prolapſorum. Vos autem, venerandi auditores, tum qui nuper, tum qui olim uncti D fuiſtis, ac Chriſto in baptiſmo dediſtis nomen; qui obaudiſtis vocem Prophetarum, eſtiſque obſecuti ſcripturis Apoſtolorum, ac Patrum ſtatutis, qui teneatis fidei anchoram firmam, hanc in veſtris animis, ut ne homicidæ hoſtis dolo auferatur, ſervate, voſque ipſos ſinceros ac inconcuſſos cuſtodientes, rectæ fidei libellum, conſubſtantialis ac individuæ Trinitatis, retinentes, univerſis hoſtibus oſtendite, ac habete præ manibus; ut quemadmodum ore ac mente linguaque legimus, ita & credamus.

Πιστεύω εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα, ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς· ὁρατῶν τε πάντων, καὶ ἀοράτων. καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν μονογενῆ· τὸν ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα πρὸ ἁπάντων τῶν αἰώνων. καὶ εἰς τὸ πανάγιον πνεῦμα,

II. [4] *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem,* E *factorem cæli & terræ; viſibilium & inviſibilium. Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei unigenitum; ex Patre ante omnia ſæcula genitum. Et in ſacratiſſimum Spiritum: In Spiritum, inquam,*

a Joan. X. 1.

1. Verius ex alio Cod. Regio, *Hieroſolymitani Patriarchæ.* Forte quia Damaſco oriundus erat. Titulus eſt: Ἐπιστολὴ Ἰωάννου Ἱεροσολύμων ἀρχιεπισκόπου τῆς αὐτῆς ἁγίας Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν πόλεως, πεμφθεῖσα Κωνσταντίνῳ βασιλεῖ τῷ Καβαλίνῳ, περὶ τῶν τιμίων καὶ σεπτῶν εἰκόνων· ἢ πῶς δεῖ πιστεύειν τοὺς ὀρθοδόξους Χριστιανούς. Epiſtola Joannis Hieroſolymitani archiepiſcopi ejuſdem ſanctæ Chriſti Dei noſtri civitatis, miſſa ad Conſtantinum Imp. Cabalinum, de venerandis colendiſque Imaginibus: ſive quomodo oporteat credere orthodoxos Chriſtianos.

2. Vide ſupra §. XVI.

3. Ισ. κατέχετε.

4. Vide ſupra §. IV.

τὸ ἅγιον, τὸ κύριον, τὸ ζωοποιὸν, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, τὸ σὺν πατρὶ καὶ υἱῷ συμπροσκυνούμενον καὶ συνδοξαζόμενον, δι᾽ οὗ τὰ πάντα ἁγιάζονται. τὴν ἁγίαν τριάδα, τὴν ἀδιαίρετον, καὶ ἀνέκφραστον, τὴν παγκράτιστον, καὶ παντέργητον, καὶ ὁμοδύναμον, καὶ ἀπερίγραπτον, καὶ ἰσόθεον, ταυτοβούλητον, καὶ ταυτόγνωμον, ταυτούσιον, καὶ ὁμοούσιον, συναΐδιον, καὶ συνάναρχον καὶ μόναρχον, καὶ τρισυπόστατον· ἐν πατρὶ τῷ Θεῷ τῷ γεννήτορι, καὶ τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ τῷ γεννηθέντι· καὶ πνεύματι τῷ συνανάρχῳ· τῷ Θεῷ τοῦ παντὸς, καὶ ζωοῦντι τὸ πᾶν. πνεῦμα γὰρ ἀεὶ σὺν ἦν τῷ Θεῷ καὶ πατρί. οὐ γὰρ εἷς ἐξ ἑνὸς διῃρέθησάν ποτε. ἦν γὰρ πατὴρ ἀεὶ, καὶ σὺν ἦν ἀεὶ τῷ υἱῷ· καὶ ὁ υἱὸς σὺν ἦν ἀεὶ τῷ πατρὶ, καὶ τὸ πνεῦμα σὺν ἀμφοῖν. οὕτως προσκυνῶ καὶ δοξάζω τὴν ἁγίαν τριάδα, τὴν ἀδιαίρετον ἐν τρισὶν ὑποστάσεσι μίαν θεότητα.

A *sanctum, Dominum, vivificum, procedentem ex Patre; qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur, per quem sanctificantur omnia. Sanctam nimirum Trinitatem, individuam illam, ineffabilem, omnium conservatricem ac creatricem pari virtute pollentem, incircumscriptam, pariter Deum, eadem voluntate, eadem sententia, eadem essentia, ac consubstantialem, coæternam, ac pariter principio carentem, uno principatu, trinaque subsistentia, in Deo Patre genitore, Deoque Filio genito, ac Spiritu sancto, æterno pariter ac sine principio Deo universorum, ac vivificante omnia. Semper enim Spiritus fuit cum Deo & Patre. Neque enim umquam ab invicem divisi sunt. Quippe fuit semper Pater, fuit-*
B *que semper cum Filio; vicissimque Filius semper fuit cum Patre; ac Spiritus sanctus cum utroque. Ita adoro ac glorifico sanctam Trinitatem, individuam unam illam in tribus personis deitatem.*

[1] Ὁμοίως καὶ τὴν παναγίαν θεοτόκον, ὁμολογῶ αὐτὴν ἁγιωτέραν τῶν χερουβὶμ καὶ τῶν σεραφὶμ, καὶ ὑψηλοτέραν τῶν οὐρανῶν, καὶ ἀνωτέραν πάντων τῶν ποιημάτων, ὡς τεκοῦσαν σαρκὶ τὸν ἕνα τῆς τριάδος Χριστὸν τὸν Θεὸν ἡμῶν, τὸν δι᾽ ἡμᾶς πρὸς ἡμᾶς καταβάντα, καὶ ἐνανθρωπήσαντα διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν· ἅμα καὶ τοὺς ἁγίους αὐτοῦ, ὡς καὶ ὑπὲρ αὐτοῦ ἀθλήσαντας, τιμῶ καὶ προσκυνῶ καὶ σέβομαι αὐτούς· τὸν ἅγιον Ἰωάννην τὸν πρόδρομον καὶ βαπτιστήν· τοὺς πρὸ αὐτοῦ προφήτας, καὶ τοὺς μετ᾽ αὐτὸν πανευφήμους ἀποστόλους, καὶ τοὺς ἁγίους καὶ καλλινίκους μάρτυρας· καὶ πάντας τοὺς ἁγίους προσκυνῶ, καὶ σέβομαι, καὶ δέομαι αὐτῶν ταῖς πρεσβείαις καὶ [2] ἱκεσίαις. διὰ γὰρ τῶν πρεσβειῶν αὐτῶν σωζόμεθα πάντες. θέλημα γὰρ τῶν φοβουμένων [αὐτὸν] ποιεῖ ὁ Θεός. ἐγὼ καὶ τὰ τίμια αὐτῶν λείψανα προσκυνῶ, καὶ τιμῶ, καὶ ἀσπάζομαι· πολλὰ γὰρ σώματα τῶν ἁγίων μύρον ἔβλυσαν, καὶ πολλὰ πάθη δι᾽ αὐτῶν ἐθεραπεύθησαν.

III. Similiter etiam quod spectat ad sanctissimam Dei Genitricem; confiteor illam sanctiorem Cherubim ac Seraphim, cælisque sublimiorem, ac creatis omnibus celsiorem, quæ nimirum carne pepererit unum de Trinitate Christum Deum nostrum, qui propter nos ad nos descendit, factusque est homo propter nostram salutem. Simul quoque Sanctos ejus, ut qui pro ipso decertaverint, honore prosequor, adoro, ac colo; nempe Sanctum Joan-
C nem Præcursorem ac Baptistam; eo anteriores Prophetas; nec non posteriores clarissimos Apostolos; sanctosque ac triumphatores Martyres, ac Sanctos universos adoro ac veneror, eorumque intercessionibus ac precibus ad Deum mihi opem ferri indigeo. Quippe iis intercessoribus salvi omnes efficimur: [a] *Facit enim Deus voluntatem timentium eum.* Ad hæc ego, pretiosas eorum reliquias adoro atque honoro, amplexorque. Multa enim Sanctorum corpora unguentum distillaverunt, morbique plures per ea curati sunt.

Ἐγὼ καὶ τὰς τιμίας αὐτῶν καὶ ἱερὰς εἰκόνας τιμῶ καὶ ἀσπάζομαι· οὐχ ὡς θεοὺς, ἀλλ᾽ ὡς γραφὴν σύντομον, καὶ ἐξήγησιν, καὶ ὑπόμνησιν τῶν παθημάτων αὐτῶν. οὐ γάρ εἰσιν αἱ εἰκόνες τῶν ἁγίων, αἱ τοῦ σώματος μορφαὶ καὶ ἐντάξεις μόνον· ἀλλὰ καὶ τὰ τοῦ σώματος πάθη. καὶ γὰρ διὰ τῶν παθημάτων αὐτῶν, ὧν ὑπέμειναν διὰ Χριστὸν τὸν Θεὸν, μακαρίζονται καὶ τιμῶνται καὶ προσκυνοῦνται. ἐὰν γὰρ ταῦτα οὐχ ὑπέμειναν διὰ Χριστὸν, οὐκ εἴχομεν εἰκονικὴν αὐτῶν γράφεσθαι τιμὴν, οὔτε ἐν βίβλοις, οὔτε ἐν ἐκκλησίαις. πολλοὶ γὰρ ἐν τοῖς οἴκοις αὐτῶν ἔγραψαν εἰκόνας ἀνθρώπων, εἴτε γονεῖς [3] τέκνων ἑαυτῶν, εἴτε τέκνα τῶν γονέων αὐτῶν, διὰ τὸν πόθον καὶ τὴν σχέσιν ἣν ἔσχον μετ᾽ ἀλλήλων· καὶ ἵνα μὴ εἰς λήθην αὐτῶν ἔλθωσιν, ἀνέγραψαν εἰκόνας αὐτῶν ἐν τοῖς οἴκοις αὐτῶν· ὅθεν καὶ ἀσπάζονται αὐτὰς, οὐχ ὡς θεούς· ἀλλ᾽ ὡς προεῖπον, διὰ τὸν πόθον, καὶ τὴν σχέσιν αὐτῶν. οὕτω χρὴ λογίζεσθαι, καὶ ἐπὶ τὰς τῶν ἁγίων εἰκόνας· ὅτι πρὸς ὑπόμνησιν ἡμετέραν καὶ ἀγάπην, καὶ πρὸς διόρθωσιν τοῦ βίου ἡμῶν· ἅμα καὶ τῶν ἐπερχομένων ἐθνῶν, καὶ πιστευόντων εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν, πρὸς ἐπίδειξιν τῆς καλῆς αὐτῶν μαρτυρίας ἀπεγράφησαν ἔν τε ταῖς ἐκκλησίαις, καὶ ἐν ταῖς βίβλοις. καὶ γὰρ ὅσον ἀναγινώσκονται αἱ θεῖαι γραφαὶ, τοσοῦτον καὶ ἐπιγινώσκονται, καὶ πλέον ἐξάπτουσιν ἡμᾶς πρὸς τὴν ἀγάπην τοῦ Θεοῦ. καὶ εἰ ὅλως οὗτοι διὰ σαρκικὴν ἀγάπην τῶν τέκνων, εἰκόνας ἀνιστοροῦσι πρὸς ὑπό-

IV. Sed & pretiosas eorum imagines honoro ac deosculor; non tamquam deos, sed ut compendio-
D sam descriptionem, narrationemque ac monumentum earum, quas sustinuerunt, passionum. Nec enim Sanctorum imagines corporis tantum formæ sunt ac eorum quædam exhibitiones, verum etiam corporis passiones. Quippe etiam eorum caussa, quæ Dei Christi gratia passi sunt, beati prædicantur, honores habent ac adorantur. Nisi enim hæc propter Christum sustinuissent, haudquaquam picturæ arte, eorum honorem vel in libris, vel in Ecclesiis describere liceret. Nam & plures in suis domibus hominum depinxerunt imagines, tum parentes filiorum tum parentum filii, propter eorum desiderium ac mutuam affectionem, ac ne eorum oblivio subreperet: sic apud se, ac domi depinxerunt; proin-
E deque salutant ac amplexantur eas, non ut deos, sed ut dixi propter desiderium, ac suam ad illos affectionem. Sic ergo etiam de sacris imaginibus est cogitandum; fuisse nimirum in nostrum monumentum, ac signum nostræ in eos dilectionis, atque ad nostram emendationem, gentiumque supervenientium ac credentium in Christum, ad boni illorum testimonii ostensionem, cum in libris depictas tum in Ecclesiis. Quantum enim leguntur divinæ cum scripturæ tum picturæ, tantum & agnoscuntur, nosque ad Dei dilectionem magis accendunt. Ac vero cum ex carnali prolium amore, eorum illi imagines de-

[a] Psalm. CXLIV. 19.


1. Vide supra §. XII. &c.

2. Ισ. λείπ. σώζεσθαι. 3. Αλ. εἰ τέκνα αὐτῶν

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 785.

μνησιν αὐτῶν ; πολλῷ μᾶλλον ἡμεῖς ὀφείλομεν τὰς A τῶν ἁγίων εἰκόνας ἀνιστορῆσαι σὺν τοῖς παθήμασιν αὐτῶν· τοὺς ἐκχέοντας τὸ αἷμα αὐτῶν ὑπὲρ τῆς ἀγάπης τοῦ Χριστοῦ.

pingendas duxerint ad monimentum ; potiori jure Sanctorum nobis imagines ipsi depinxerimus, ac passionum eorum, qui pro dilectione Christi sanguinem effuderunt.



Διὰ τί δὲ παράνομε αἱρετικὲ, λέγεις με εἰδωλολατρεῖν ; τίνος γὰρ εἴδωλον προσκυνῶ, εἰπέ μοι ; Ἀπόλλωνος, μᾶλλον δὲ τοῦ ἀπόλλοντος, ἢ τὴν εἰκόνα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τὴν διδάσκουσάν με τὴν ἔνσαρκον αὐτοῦ οἰκονομίαν ; εἰπέ μοι, Ἰουδαιόφρον, τίνος εἴδωλον προσκυνῶ ; τῆς Ἀρτέμιδος, τῆς μητρὸς τῶν δαιμόνων, ὡς Ἕλληνες μυθεύονται, ἢ τὴν εἰκόνα τῆς παναγίας ἀχράντου δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου, καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, τῆς μητρὸς τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ; εἰπέ μοι, B αἱρετικὲ, τίνος εἴδωλον προσκυνῶ ; τοῦ Διὸς, ἢ τὴν εἰκόνα τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ προδρόμου καὶ βαπτιστοῦ ; τίνος εἴδωλον προσκυνῶ ; τοῦ Διὸς, ἢ [τὴν εἰκόνα] τῶν ἁγίων ἀποστόλων, καὶ μαρτύρων, καὶ πάντων τῶν ἁγίων, τῶν ἀπ᾽ αἰῶνος εὐαρεστησάντων τῷ κυρίῳ ; καὶ τίς τολμᾷ εἰπεῖν εἰδωλολατρείαν τὴν καλὴν ἐξήγησιν ταύτην, καὶ ἐνυβρίσαι τὰ πάθη τοῦ Χριστοῦ, καὶ τῶν ἁγίων αὐτοῦ ; ἅμα καὶ τῶν παραδόντων ἡμῖν τὴν ἁγίαν τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαν ;

V. Ut quid vero scelesté hæretice, idololatram me dicis? Nam rogo, cujusnam colo idolum? Num Apollinis, atque adeo ejus, qui pro nominis ratione lues quædam est, an Domini nostri Jesu Christi imaginem, qua ejus in carne adventum docear? Cujus rogo te, qui sis animo ac sensu Judæus, idolum adoro? Num Dianæ matris dæmonum ut Græci fabulantur, an imaginem sanctissimæ intemeratæ dominæ nostræ Dei genitricis, semperque virginis Mariæ, Domini nostri Jesu Christi matris? Cedo hæretice, cujus idolum veneror? Jovisne, an imaginem sancti Joannis præcursoris ac Baptistæ? Cujus colo idolum? Num inquam Jovis, an imaginem sanctorum Apostolorum ac Martyrum, omniumque electorum, qui a sæculo Domino placuerunt? Quis vero pulcram hanc narrationem audeat appellare idololatriam; Christique ac Sanctorum, nec non eorum, a quibus sanctam Dei Ecclesiam traditione accepimus, passionibus, inferre injuriam?

ΟΥτως γὰρ παρελάβομεν αὐτὴν ἐκ τῶν ἁγίων πατέρων κεκοσμημένην, καθὼς καὶ αἱ θεῖαι γραφαὶ διδάσκουσιν ἡμᾶς· τὴν ἔνσαρκον οἰκονομίαν τοῦ Χριστοῦ· τὴν δι᾽ ἡμᾶς, πρὸς ἡμᾶς αὐτοῦ συγκατάβασιν· C τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Γαβριὴλ πρὸς τὴν παρθένον, καὶ τὰ ἑξῆς· τὴν γέννησιν, τὸ σπήλαιον, τὴν φάτνην, τὴν μαῖαν, καὶ τὰ σπάργανα, τὸν ἀστέρα, καὶ τοὺς μάγους, καὶ τὰ ἑξῆς· τὴν βάπτισιν, τὸν Ἰορδάνην, τὸν Ἰωάννην ἁπτόμενον αὐτοῦ τῆς κορυφῆς, καὶ ἄνωθεν τὸ ἅγιον πνεῦμα ἐν εἴδει περιστερᾶς. ἔλθωμεν δὲ ἐπὶ τὸ πάθος αὐτοῦ, καὶ ἴδωμεν τοὺς παῖδας μετὰ βαΐων, τὸν νιπτῆρα καὶ τὸ λέντιον, τὸν ἀσπασμὸν τοῦ Ἰούδα, τὴν κράτησιν τῶν Ἰουδαίων, τὴν ἔνστασιν τοῦ Πιλάτου, καὶ τὰ ἑξῆς. ὁμοίως καὶ τὴν σταύρωσιν, τοὺς ἥλους καὶ τὰ ῥαπίσματα, τὸν σπόγγον καὶ τὴν λόγχην, καὶ ἄνωθεν τὸν τίτλον ἔχοντα τὴν ἐπιγραφήν· ἴδε ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων, καὶ τὰ ἑξῆς. τὴν ἀνάστασιν, τοῦ D κόσμου τὴν χαρὰν, πῶς ὁ Χριστὸς πατεῖ τὸν ᾅδην, καὶ ἐγείρει τὸν Ἀδάμ· ὁμοίως καὶ τὴν ἀνάληψιν. ἔλθωμεν καὶ ἐπὶ τὰ θαύματα αὐτοῦ, τοῦ τυφλοῦ τὴν ἀνάβλεψιν, τοῦ παραλυτικοῦ τὴν σύσφιγξιν, τῆς αἱμοῤῥοούσης τὴν ἔφαψιν τοῦ κρασπέδου, ἥ τις καὶ πρώτη πάντων ἐποίησε τὴν εἰκόνα τοῦ Χριστοῦ ἐκ χαλκοῦ. ὁμοίως καὶ τὰ τῶν ἁγίων σώματα μετὰ τῶν βασάνων, καὶ κριτηρίων ὧν ὑπέμειναν διὰ Χριστὸν τὸν Θεὸν ἡμῶν. ταύτην τὴν καλὴν ἐξήγησιν, καὶ ὠφέλιμον γραφὴν, πῶς δύνασθε εἰπεῖν εἰδωλολατρείαν ; καὶ γὰρ γραφή ἐστι σύντομος καὶ καλὴ, καθὼς καὶ ὁ πατὴρ ἡμῶν Χρυσόστομος εἶπεν· ἐγὼ καὶ τὴν κηρόχυτον γραφὴν ἠγάπησα εὐσεβείας πεπληρωμένην. E καὶ ὁ ἅγιος Βασίλειος ὁ μέγας πατὴρ ἡμῶν ἐγκωμιάζων τοὺς ἁγίους τεσσαράκοντα, λέγει· ἐπειδὴ καὶ λογογράφοι πολλάκις, καὶ ζωγράφοι διασημαίνουσιν, οἱ μὲν τῷ λόγῳ κοσμοῦντες, οἱ δὲ τοῖς πίναξιν ἐγχαράττοντες. καὶ γὰρ ὁ λογογράφος ἔγραψε τὸ εὐαγγέλιον. καὶ τί ἔγραψεν ἐν τῷ εὐαγγελίῳ ; πᾶσαν τὴν ἔνσαρκον οἰκονομίαν τοῦ Χριστοῦ, καὶ παρέδωκε τῇ ἐκκλησίᾳ. ὁμοίως καὶ ὁ [4] ζωγράφος ποιεῖ. [5] ἐζωγράφησε ἐν τῷ πίνακι τῆς ἐκκλησίας τὴν εὐπρέπειαν, ἀπὸ τοῦ πρώτου Ἀδὰμ ἕως τῆς Χριστοῦ γεννήσεως, καὶ πᾶσαν τὴν ἔνσαρκον οἰκονομίαν τοῦ Χριστοῦ, καὶ τὰς μαρτυρίας τῶν ἁγίων, καὶ παρέ-

VI. Sic enim, ac eo ornatu eam accepimus a sanctis Patribus, quo & Scripturæ sacræ nos ipsam docent. Accepimus inquam, penicillo ac coloribus in ea expressa, Christi in carne adventum; ejus ad nos, nostri caussa demissionem; Gabrielis faustam annunciationem ad Virginem, & quæ sequuntur: nativitatem, speluncam, præsepe, [1] obstetricem & pannos, stellam & Magos, & reliqua: Baptismum, Jordanem; Joannem sacrum ejus tangentem verticem, sanctumque desuper Spiritum in specie columbæ descendentem. Verum procedamus ad ejus passionem, puerosque cum ramis palmarum videamus: pelvim quoque & linteum; osculum Judæ, ac comprehensionem Judæorum: Pilati instantiam, &c. Similiter etiam crucifixionem, clavos ac alapas; spongiam atque lanceam, ac titulum cruci impositum hac inscriptione: *Rex Judæorum, &c.* Resurrectionem mundi gaudium: quomodo Christus conculcet infernum, & resuscitet Adamum; similiter quoque assumtionem. Veniamus vero ad ejus etiam miracula: Cæci illuminationem, Paralytici adstricta membra, contactu fimbriæ sanatam Hæmorroissam, [2] quæ etiam prima omnium, Christi imaginem ex ære fabricavit. Simili quoque ratione Sanctorum corpora, cum iis cruciatibus ac quæstionibus, quas propter Christum ac Deum nostrum sustinuerunt. Pulcram hanc narrationem utilemque picturam, quomodo audetis appellare idololatriam? Etenim brevis quædam ac pulcra scriptio est ac pictura, quemadmodum etiam sanctus pater noster Chrysostomus dixit: [3] *Ego etiam picturam cera fusam dilexi, pietate plenam.* Sanctus quoque ac magnus pater noster Basilius, in encomio Sanctorum quadraginta Martyrum, ait: *Quia sæpe & historici & pictores notis distingunt exprimuntque; hi quidem oratione exornantes, hi vero in tabellis depingentes.* Nimirum scripsit Evangelium sacer scriptor. Quid vero in eo scripsit? Utique universam Christi in carne œconomiam, eamque Ecclesiæ tradidit. Sed & pictor quid simile facit? Inscribit tabellæ decorem Ecclesiæ a primo Adam ad Christi nativitatem, totamque adeo Christi in carne œconomiam, ac confessiones Sanctorum, traditque ni-

1. Obstetricem nomine *Salome* virgini ceu partus testem adfuisse frequenter veteres docent. Vide sis notam Combefisii in hunc locum. 2. Vide Sozom. lib. V. cap. xx.

3. Tom. VI. Hom. I. Confer & §. xiii. seqq. opusculi superioris.
4. Ἀλ. ἱστοριογράφοι. 5. Ἀλ. ἔγραψεν.

δωκε καὶ αὐτὸς τῇ ἐκκλησίᾳ. ὡς μᾶλλον ἀμφότερα μίαν ἐξήγησιν ἀπεγράψαντο, καὶ διδάσκουσιν ἡμᾶς. καὶ τί τὴν βίβλον προσκυνεῖτε, καὶ τὸν πίνακα ἐμπτύετε; εἰπέ μοι αἱρετικὲ, τίς ἡ διαφορὰ τῶν δύο, ὅτι ἀμφότεροι μίαν ἐξήγησιν εὐαγγελίζονται, καὶ ὁ μὲν εἷς προσκυνεῖται, ὁ δὲ ἕτερος ἐμπτύεται; ὢ τῆς συμφορᾶς. τίς οὐ μὴ καταγελάσῃ τὴν κρίσιν ταύτην; τίς οὐ μὴ βδελύξεται τὴν διδασκαλίαν ταύτην, ὅτι ἀμφότεροι μίαν ἐξήγησιν ἑρμηνεύουσι, καὶ ὁ μὲν εἷς προσκυνεῖται, ὁ δὲ ἕτερος καταφρονεῖται; ἴδε γνῶσις, μᾶλλον δὲ ἀγνωσία. οὕτως ἐὰν καλῶς κατανοήσῃ ἄνθρωπος, ἑρμηνεία ἐστὶ τοῦ εὐαγγελίου καλὴ καὶ ἐνάρετος ἡ ἱστορία αὕτη καὶ ἐξήγησις· ἐπειδὴ γὰρ ἅπερ εὐαγγέλιον λόγῳ ἐξηγεῖται, οὗτος ἔργῳ δεικνύει· καὶ διὰ τί οὗτος προσκυνεῖται, οὗτος δὲ καταφρονεῖται; τί διαφέρει ὁ χάρτης τοῦ ἀσβέστου;

Οὐχὶ ἀμφότεροι ἐκ τῆς ὕλης μετέρχονται εἰς ἐργασίαν μίαν; ἢ τί διαφέρει ἡ μεμβράνα τῆς σανίδος; οὐχὶ ἀμφότερα ὑπὸ ξίφους τέμνονται καὶ διασχίζονται, καὶ οὕτω μετέρχονται εἰς ἐργασίαν; ἢ τί διαφέρει ὁ μέλας τοῦ σιρικοῦ, καὶ τῶν λοιπῶν χρωμάτων; οὐχὶ ἀμφότεροι ἐκ πολλῶν ἐδεσμάτων κατασκευάζονται, καὶ οὕτως ὑπηρετοῦσι τῷ γράφοντι; εἰπέ μοι τίνα προσκυνεῖς ἐν τῷ εὐαγγελίῳ, τὴν ὕλην ἢ τὴν ἐξήγησιν; πάντως ἐρεῖς μοι, τὴν ἐξήγησιν τῆς οἰκονομίας Χριστοῦ. οὕτως κἀγὼ, οὐχὶ τὴν σανίδα τιμῶ, οὐδὲ τὸν τοῖχον, οὐδὲ τὴν ὕλην τῶν χρωμάτων, ἀλλὰ τὸν χαρακτῆρα τοῦ σώματος, καὶ τὴν οἰκονομίαν τοῦ κυρίου, καθὼς καὶ ὁ πατὴρ ἡμῶν Χρυσόστομος λέγει, [2] εἰς τὸν νιπτῆρα. ὅταν εἰκόνες καὶ χαρακτῆρες βασιλικοὶ εἰς πόλιν εἰσέρχονται, καὶ ὑπαντῶσιν αὐταῖς ἄρχοντες, καὶ δῆμοι μετ' εὐφημίας καὶ φόβου, οὐ σανίδα τιμῶντες, οὐ τὴν κηρόχυτον γραφὴν, ἀλλὰ τὸν χαρακτῆρα τοῦ ἐπιγείου βασιλέως. καὶ εἰ ὅλως τοῦ ἐπιγείου βασιλέως τοιαύτη τιμὴ πρέπει, μὴ παρόντος τοῦ βασιλέως ἐκεῖ, εἰ μὴ μόνης τῆς εἰκόνος, πόσῳ μᾶλλον τοῦ ἐπουρανίου βασιλέως Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, τιμᾶσθαι καὶ προσκυνεῖσθαι τὴν εἰκόνα δεῖ; ὢ τῆς συμφορᾶς· ὅτι τοῦ ἐπιγείου βασιλέως ἡ εἰκὼν προσκυνεῖται, καὶ τοσαύτης τιμῆς ἀξιοῦται, τοῦ δὲ Χριστοῦ καταφρονεῖται. ὢ τῆς ἀπάτης τῶν χριστιανῶν· ὢ κρίσις καὶ δόγμα πατέρων. τίς οὐ μὴ καταγελάσῃ τὴν κρίσιν ταύτην; τίς οὐ μὴ βδελύξεται τὸ ἀσεβὲς δόγμα τοῦτο; πολλάκις ἄφρων ἄνθρωπος, ἐὰν εὑρέθῃ ἐμπτύων τὴν εἰκόνα τοῦ ἐπιγείου βασιλέως, τί πανθάνει; οὐ κεφαλῆς τιμωρίας ἀξιοῦται; καὶ γὰρ ὁ ἀτιμάζων τὴν εἰκόνα τοῦ βασιλέως, τὸν βασιλέα ἀτιμάζει. ἡ γὰρ τιμὴ τῆς εἰκόνος, ὥς φησιν ὁ μέγας Βασίλειος, ἐπὶ τὸ πρωτότυπον διαβαίνει. ὁμοίως καὶ ἡ ἀτιμία· οὕτως χρὴ λογίζεσθαι, καὶ ἐπὶ τῆς εἰκόνος τοῦ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ ἐπουρανίου βασιλέως, ὅτι ὁ ἀτιμάζων αὐτὴν, τὸν Χριστὸν ἀτιμάζει. ἡ γὰρ τιμὴ τῆς εἰκόνος, εἰς Χριστὸν ἀνατρέχει, ὁμοίως καὶ ἡ ἀτιμία. ὁ ἀτιμάζων εἰκόνα, ἐπὶ τὸ πρωτότυπον ἄγει τὴν ὕβριν. τοῦτο νοητόν ἐστι πᾶσι. καὶ τίς οὐ μὴ φύγῃ τὴν ὕβριν τοῦ Χριστοῦ;

Ἀλλ' ἐρεῖς μοι πάντως· ὅτι ὁ Χριστὸς ἀπερίγραπτός ἐστι, καὶ ἀκατανόητος, καὶ ἀπαθὴς, καὶ ἀκατάληπτος. κἀγώ σοι λέγω. καὶ γὰρ κἀγὼ οὕτως ὁμολογῶ, ὅτι τὸ θεῖον ἀπερίγραπτόν ἐστι, καὶ ἀκατανόητον, καὶ ἀπαθές· ἡ δὲ σὰρξ περίγραπτος. καθὼς ὠράθη ἐπὶ τῆς γῆς, σὺν τοῖς πα-

A hilominus ipse Ecclesiæ: seu potius unam ambo contexunt narrationem, qua erudiamur. Cur vero adoratis librum, & tabellam conspuitis? Cedo hæretice, quod utriusque discrimen, ut cum eamdem ambo faustam habeant annunciationem, alterum adoretur, alterum sputis oblinatur? O calamitatem! Quis judicium hoc non derideat? Quis non abominetur eam doctrinam, ut duobus eamdem narrationem exponentibus, alterum venerationem habeat, alterum spernatur? Vide scientiam, seu magis inscitiam. Omnino, ut quis bene perspexerit, pulcra quædam probaque Evangelii interpretatio est, historia hæc ac per picturam narratio: siquidem ea quæ Evangelium sermone refert, pictor opere B exhibet. Cur itaque unum adoratur & colitur, alterum contemnitur ac spernitur? Quid inter chartam ac [1] asbestum refert?

VII. Nonne ambo e materia transeunt in operam? Quid vero inter membranam & asserem? Nonne utrumque ferro secatur ac scinditur, sicque in opus transfertur? Quid denique differt atramentum a sirico, ac reliquis coloribus? Nonne hæc omnia ex cibis multis parantur, tumque scriptori ac pictori usui sunt? Quid quæso in Evangelio adoras? Num materiam, an narrationem? Plane dices adorare œconomiæ Christi historiam. Sic & ego, C absit ut asserem adorem, vel parietem, colorumve materiam; sed adoro corporis Christi figuram ac Dominicam Incarnationem, quemadmodum etiam sanctus pater noster Chrysostomus ait, homilia in pelvim, ac diem magnæ quintæ feriæ: *Cum Imperatorum imagines ac expressæ effigies civitati inferuntur, ipsi quoque magistratus ac populi, cum faustis acclamationibus ac metu, obviam procedunt; non tabellæ honorem habentes, non scripturæ ceræ fusæ, sed terreni Imperatoris expressæ imagini.* Sin autem honor ejusmodi terrenum decet Imperatorem, cum ille non sit præsens, sed sola imago; quam potiori jure cælestis Imperatoris Christi Dei nostri imago coli debuerit ac adorari? O miseriam! D ut terreni Imperatoris imago adoretur, ac tantum habeat honorem, Christi autem imago spernatur. O errorem Christianorum? O patrum judicium atque doctrinam! Quis judicium hoc risu non prosequatur? Quis non abominetur impium istud dogma? Quid non raro, deprehensus stultus homo spuere in terreni Imperatoris imaginem, pœnæ sustinet? Nonne capitis reus agitur? Etenim inhonorans Imperatoris imaginem, ipsius Imperatoris honori detrahit: Nam, [3] *honor imaginis*, ut ait magnus Basilius, *ad exemplar transit*: similiter etiam dedecus ac probrum. Sic quoque de Domini nostri Jesu Christi cælestis illius regis imagine cogitandum; nimirum, qui eam probro afficit, etiam E Christum probro afficere. Honor quippe imaginis, ad Christum recurrit, pariterque dedecus. Plane qui imaginem ignominiose habet, ipsi exemplari infert injuriam. Communis ea universorum conceptio est. Quis vero non studeat cavere Christi injuriam?

VIII. Enimvero mihi omnino dicturus es, esse Christum incircumscriptum, cogitatu majorem, impassibilem, incomprehensum. Ipse quoque hoc dico. Nam & ipse ita confiteor: esse nimirum Deitatem incircumscriptam, cogitatu majorem, ac impassibilem. Nihilominus tamen caro circumscribi

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 785.

1. Consule Plinium lib. XIX. cap. 1.   2. Ἀλ. ἐν τῷ λόγῳ τῆς ἁγίας πέμπτης.   3. Lib. *de Spiritu sancto*.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 785.

θήμασιν αὐτῆς. ἀλλὰ πάλιν λέγεις μοι· ὅτι λοιπὸν χωρίζεις τὴν σάρκα ἐκ τῆς θεότητος; μὴ γένοιτο· οὐδέποτε γὰρ ἐχωρίσθησαν ἀπ' ἀλλήλων, οὔτε ἐν τῇ κοιλίᾳ τῆς μητρὸς, οὔτε ἐπὶ τοῦ βαπτίσματος, οὔτε ἐπὶ τοῦ σταυροῦ, οὔτε ἐπὶ τοῦ ᾅδου· ἀλλ' ἐρεῖς μοι· ὅτι εἰ οὐδέποτε ἐχωρίσθησαν, πῶς τὴν σάρκα περιγράφεις μόνην; ἀλλ' εἰπέ μοι αἱρετικέ· τίς ἐθήλασε γάλα ἐκ τῆς μητρὸς καὶ παρθένου; οὐχὶ ἡ σάρξ; τίς ἐστάθη γυμνὸς ἐν τῷ Ἰορδάνῃ· οὐχὶ ἡ σάρξ; τίς ἔφαγε; τίς ἔπιε; τίς ὠδοιπόρησε· τίς ἥπλωσε τὰς χεῖρας ἐν τῷ σταυρῷ; τίς ἐτέθη ἐν τῷ μνημείῳ; οὐχὶ ἡ σάρξ; ταῦτα μὲν ὑπέμεινεν ἡ σάρξ πάντα, τῆς δὲ θεότητος οὐκ ἐχωρίσθη. καὶ τίς τολμᾷ λαλῆσαι περὶ θεότητος, ἢ συζητῆσαι, καὶ ἀπολέσαι τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν, [1] ὡς οἱ λοιποὶ αἱρετικοί; τίς δύναται, εἰπέ μοι, [πάλαι] περιγράψαι ἄνθρωπον τὸν κατ' εἰκόνα Θεοῦ γεγονότα; οὐδείς. οὐ γὰρ τὸ φαινόμενον λαμβάνομεν τοῦ ἀνθρώπου κατ' εἰκόνα Θεοῦ, ἀλλὰ τὸ νοούμενον. τὸ γὰρ φαινόμενον, σύνθετόν ἐστι καὶ περίγραπτον· ὁ δὲ Θεὸς ἁπλοῦς ἐστι καὶ ἀσύνθετος, καὶ ἀπερίγραπτος. ἡ δὲ σάρξ ἣν περιεβάλετο ὁ Χριστὸς, ἐκ τῆς ἀχράντου μητρὸς αὐτοῦ, περιγράφεται καθὼς ὡράθη ἐπὶ τῆς γῆς· καὶ τοῦτο εἰδωλολατρεία οὐκ ἔστιν, ἀλλ' εἰκονογραφία. καὶ εἰ ὅλως ὁ Χριστὸς ἐλθὼν ἐπὶ τῆς γῆς τὰ εἴδωλα κατήργησε, πῶς ἡμῖν πάλιν εἴδωλα ἐγκατέλιπε; καὶ γὰρ αὐτὸς ὁ Χριστὸς εἰκόνα ἐποίησε τὴν λεγομένην ἀχειροποίητον. καὶ ἕως σήμερον ἵσταται καὶ προσκυνεῖται, καὶ οὐδεὶς αὐτὴν εἴδωλον εἶπε τῶν εὐφρονούντων. καὶ γὰρ ἐὰν ᾔδει ὁ Θεὸς, ὅτι εἰδωλολατρεία γίνεται δι' αὐτῆς, οὐκ ἂν κατέλιπεν αὐτὴν ἐπὶ τῆς γῆς.

Θέλεις εἰπεῖν; ὅτι ὁ Χριστὸς οὐκ εἶπεν ἡμᾶς ποιεῖν εἰκόνας καὶ προσκυνεῖν. εἰ γὰρ εἶπε, τότε ἂν ἐθεοποιήθησαν ὅλως. ἀλλὰ κἀγώ σοι δεικνύω πολλὰς καὶ ἄλλας παραδόσεις. ἃς παρελάβομεν ἔκ τε τῶν ἀποστόλων, καὶ τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν, ἅπερ ὁ Χριστὸς οὐκ ἐλάλησε. ποῦ γὰρ εἶπεν ὁ Χριστὸς, ἵνα προσκυνῶμεν κατὰ ἀνατολάς; ἢ σταυρὸν, ἢ Εὐαγγέλιον; ἢ μεταλαμβάνειν τὸ ἅγιον αὐτοῦ σῶμα καὶ αἷμα νήστεις; ἢ στεφανεῖν ἀνδρόγυνα; καὶ ἄλλα τινὰ λέγω σοι ἅπερ ὁ Χριστὸς οὐκ ἐλάλησεν. ἀλλὰ τίς χρεία; καὶ ἡμεῖς ὡς παρελάβομεν ἐκ τῶν ἁγίων πατέρων, οὕτως πιστεύομεν· ὅτι ἐκ τοῦ Θεοῦ αὐτὰ ἐδιδάχθησαν. οὐδὲν γὰρ ἀπέκρυψεν ὁ Θεὸς τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ, οὔτε τὰ πρὸς ὠφέλειαν καὶ σωτηρίαν τῶν ἀνθρώπων, οὔτε τὰ πρὸς βλάβην. καὶ τοῦτο πῶς ὑπεκρύβη ἀπ' αὐτῶν ἐὰν εἰδωλολατρεία ἦν, καὶ τοσαῦτα ἀπόλλυται ὁ λαὸν εἴδωλα προσκυνῶν; ὢ τῆς συμφορᾶς. ἐὰν ἀπὸ Χριστοῦ καταβάσεως, ἕως τοῦ καιροῦ Γερμανοῦ τοῦ πατριάρχου εἴδωλα προσκυνεῖ καὶ ἀπώλετο ὁ λαὸς τῶν χριστιανῶν, πότε δεῖ τὸν ἄνω κόσμον ἀναπληρωθῆναι; ἀλλὰ μὴ γένοιτο, ὁ Θεὸς, τοῦτο εἰδωλολατρεία εἶναι. ἐὰν γὰρ ἦν εἰδωλολατρεία, κἂν μία σύνοδος ῥίψαι αὐτὰς εἶχεν, καὶ ἀναθεματίσαι τοὺς προσκυνοῦντας αὐτάς. ἐὰν ἡ πρώτη σύνοδος οὐκ ἔρριψεν αὐτὰς, ἡ δευτέρα πάντως τί περὶ αὐτῶν ἐχρῆν λαλῆσαι· ἐὰν μὴ ἡ δευτέρα, ἡ τρίτη· ἐὰν μὴ ἡ τρίτη, ἡ τετάρτη· ἐὰν μὴ ἡ τετάρτη, ἡ πέμπτη· ἐὰν μὴ ἡ πέμπτη, ἡ ἕκτη διὰ τί οὐκ ἔρριψεν αὐτάς; ἀλλὰ μᾶλλον ἐπετράνωσε· καὶ εἰ οὐ πιστεύεις, ψηλάφησον εἰς τοὺς ὅρους τῆς ἕκτης συνόδου εἰς κεφάλαιον πβ'. καὶ εὑρήσεις ἐκεῖ τὸν ἔλεγχον. οὕτω γὰρ εἶπον οἱ θεοφόροι πατέ-

A possit, qualis in terra apparuit cum passionibus suis. Verum dices iterum. Jam deinceps carnem separas a Deitate? Absit: numquam illæ ab invicem separatæ sunt, neque in matris utero, neque in baptismo, neque in cruce, neque in inferno. At dices: si numquam Deitas ac caro fuerunt separatæ, quomodo carnem solam circumscribis? Tu autem mihi cedo hæretice: Quisnam suxit lac ex matre & virgine? Nonne caro? Quis stetit nudus in Jordanis fluvio? Nonne caro? Quis comedit? quis bibit? qui fecit iter? quis manus extendit in cruce? quis positus est in monumento? Nonne caro? Hæc universa sustinuit caro, nec tamen separata est a Deitate. Quis vero audet loqui de Dei-
B tate, aut quæstionem movere, ac perdere suam animam, uti reliquæ hæreticorum fæces? Quis rogo, hominem ad Dei imaginem factum, circumscribere potest? Nullus plane. Non enim quod in homine oculis subjectum est, accipimus ad Dei imaginem, sed quod mente concipitur. Nam quod est oculis subjectum, compositum est & circumscriptum; Deus autem simplex est ac vacans compositione, majorque circumscriptione. At caro, quam Christus induit ex intemerata matre sua, ipsa circumscribitur, quali habitu in terra apparuit. Nec hoc idololatria est, sed imaginis arte pingendi expressio. Prorsus vero, siquidem venit Christus ad abolenda idola desuper terram, cur nobis iterum
C idola reliquisset? [2] Nam & ipse Christus imaginem fecit, quam dicunt non manufactam, hactenusque consistit & adoratur, nec quisquam mentis compos, eam idolum dicit. Ac sane, ut novisset Deus per eam committi idololatriam, haud ipsam reliquisset in terris.

IX. Forte opponas, non dixisse Christum ut faceremus imagines, ac adoraremus? Siquidem enim dixisset, tunc plane deificatæ ac vindicatæ essent. Enimvero ego quoque alias plures tibi traditiones ostendo, quas accepimus ab Apostolis ac sanctis patribus nostris, de quibus non exstat sermo Christi. Ubinam enim dixit Christus ut adoraremus con-
D versi ad Orientem? vel ut adoraremus crucem, aut Evangelium; vel ut sacrum ejus corpus ac sanguinem jejuni sumeremus? vel ut novos conjuges coronaremus? Possimque alia quædam tibi dicere, quæ Christus non est locutus. Sed quid opus? Nos quoque, ut accepimus a sanctis patribus, ita & credimus: quod ii hæc a Deo edocti fuerint. Nihil siquidem Deus sanctis suis occultum voluit, sive ea velis, quæ hominum commodo ac saluti cessura erant, sive quæ damno. Quei ergo illud occultatum est, siquidem est idololatria, peritque populus idola sic multa adorans? O miseriam! Ut ab eo tempore quo Christus ad nos descendit, ad usque Germanum Patriarcham, adorans idola perierit po-
E pulus Christianus, quandonam impleri habet supernus mundus? Enimvero absit, o Deus, ut hoc sit idololatria: alioquin, ut esset idololatria, aliqua saltem ex sacris Synodis abjicere habuisset, ac eos qui adorarent proscribere. Ut prima Synodus non abjecisset, debuisset omnino secunda Synodus de illis aliquid dicere; sin secunda, at saltem tertia; sin tertia, vel quarta; sin quarta, vel quinta; sin denique quinta, cur non eas sexta abjecit? quin potius rem illustravit. Atque ut sis incredulus, versa canones sextæ Synodi, ac eorum octagesimum secundum, illicque invenies, quo arguaris. Sic enim

1. Αλ. ὡς καὶ ἄλλοι πολλοί. τίς.
2. De hac Edessena Imagine vide fis Damascenum de Fid. lib. IV. cap. XVII. & Menea græca ad 17. Kal. Sept.

ρες. ἔν τισι τῶν σεπτῶν εἰκόνων γραφαῖς, ἀμνὸς δακτύλῳ τοῦ προδρόμου δεικνύμενος ἐγχαράττεται, ὃς εἰς τύπον παρελήφθη τῆς χάριτος, τὸν ἀληθινὸν ἡμῖν διὰ τοῦ νόμου προϋποφαίνων ἀμνὸν Χριστὸν τὸν Θεὸν ἡμῶν. τοὺς οὖν παλαιοὺς τύπους καὶ τὰς σκιὰς, ὡς τῆς ἀληθείας σύμβολά τε καὶ προχαράγματα παραδεδομένους τῇ ἐκκλησίᾳ κατασπαζόμενοι, τὴν χάριν προτιμῶμεν καὶ τὴν ἀλήθειαν, ὡς πλήρωμα νόμου ταύτην ὑποδεξάμενοι. ὡς ἂν οὖν τὸ τέλειον κἂν ταῖς χρωματουργίαις ἐν ταῖς τῶν πάντων ὄψεσιν ὑπογράφοιμεν, τὸν τοῦ αἴροντος τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου ἀμνοῦ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν κατὰ τὸν ἀνθρώπινον χαρακτῆρα, καὶ ἐν ταῖς εἰκόσιν, ἀπὸ τοῦ νῦν, ἀντὶ τοῦ παλαιοῦ ἀμνοῦ ἀναστηλοῦσθαι ὡρίσαμεν, δι' αὐτοῦ τὸ τῆς ταπεινώσεως ὕψος τοῦ Θεοῦ λόγου κατανοοῦντες, καὶ πρὸς μνήμην τῆς ἐνσάρκου πολιτείας, τοῦ τε πάθους αὐτοῦ, καὶ τοῦ σωτηρίου θανάτου αὐτοῦ χειραγωγούμενοι, καὶ τῆς ἐντεῦθεν γινομένης τοῦ κόσμου ἀπολυτρώσεως. ἐὰν οἱ πατέρες οὗτοι, αἱρετικὲ, οὕτως ὥρισαν, ἡμεῖς τί εἴχομεν ἀνάγκην ὑπερβαίνειν τοὺς ὅρους αὐτῶν, καὶ βάλλειν σχίσμα εἰς τὴν ἐκκλησίαν; καὶ οὐκ οἶδας, ὅτι ὁ καταλύων τὰ ὅρια πατέρων, τὸ ἀνάθεμα λαμβάνει; βλέπετε τί ἐποιήσατε, καὶ ἄρτι ἐπιμένετε τοῦ κακοῦ. ἐὰν εἴπῃς, ὅτι ἀπὸ τῆς ϛ'. συνόδου ἀπεδείχθησαν, εἶχές τι λέγειν· εἰ δὲ ἀπὸ τῆς τοῦ Χριστοῦ καταβάσεως, ἤρξατο γίνεσθαι, οὐκ ἔχετέ τι λέγειν κατ' αὐτῶν. εἰπέ μοι ὁ παράνομε, ὅτε Ἰουδαῖοι προσήγαγον τὸ νόμισμα τῷ Χριστῷ, εἰκόνα φέρον τοῦ Καίσαρος, καὶ πειράζοντες ἔλεγον· εἰ δεῖ αὐτὴν προσκυνεῖσθαι; οὐχὶ αὐτοὺς ἀπεστόμισε λέγων· ἀπόδοτε οὖν τὰ Καίσαρος, Καίσαρι, καὶ τὰ τοῦ Θεοῦ, τῷ Θεῷ; ὁρᾷς τὸ ἄχραντον ἐκεῖνο στόμα, πῶς τὴν ἄδικον αὐτῶν γλῶσσαν ἐσίγησε;

Βλέπε μοι καὶ τὸν εὐαγγελιστὴν, καὶ ἀπόστολον Λουκᾶν· οὐχὶ τῆς παναχράντου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας τὴν τιμίαν εἰκόνα ἀνιστόρησε, καὶ πρὸς Θεόφιλον ἔπεμψε; καὶ ταῦτα οὐ συνιεῖς; οὐ δέχῃ τὴν διδαχὴν ταύτην ἀπὸ τῆς παρουσίας τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ διδαχθησομένην; ἐὰν γὰρ εἰδωλολατρεία ἦν, πάντως κἂν μία σύνοδος ῥίψαι αὐτὰς εἶχε. θέλεις εἰπεῖν, ὅτι οἱ πατέρες τῶν ἓξ συνόδων, ἄλλας βλασφημίας, καὶ αἱρέσεις ἠγωνίζοντο καταλῦσαι, καὶ περὶ αὐτῶν οὐκ ἐφρόντιζον. ἀλλ' εἰπέ μοι, ποία βλασφημία ἐστὶ μείζων τῆς εἰδωλολατρείας; καὶ πῶς οἱ πατέρες τὰ κουφότερα κατήργησαν, καὶ τὸ βαρύτερον πάντων ἀφῆκαν εἰς ἀπώλειαν τοῦ λαοῦ; ἀλλ' ἐρεῖς μοι, ὅτι πατέρες, οὔτε προσεκύνουν, οὔτε εἶχον αὐτὰς εἰς ψῆφον. καὶ ὁ Χρυσόστομος πῶς εἶπε· ὅτι ἐγὼ καὶ τὴν κηρόχυτον γραφὴν ἠγάπησα; καὶ πῶς Γρηγόριος ὁ Νύσσης εἶπεν· ὅτι οὐδέποτε εἶδον εἰκόνας ἁγίων καὶ γραφὰς, καὶ ἄνευ δακρύων παρῆλθον ἐκεῖθεν; καὶ ὁ ἅγιος Βασίλειος τί εἶχεν ἀνάγκην τοσοῦτον κόπον καταβαλέσθαι εἰς Καισάρειαν, ἵνα ἱστορήσῃ τὴν εἰκόνα τοῦ Χριστοῦ; καὶ σὺ λέγεις, ὅτι οὐ προσεκύνουν αὐτάς; πῶς δὲ, οὐδ' ἠτίμασαν αὐτὰς, οὐδ' ἐπάτησαν αὐτὰς, οὐδ' εἴπασιν αὐτὰς εἴδωλα. καὶ σὺ, εἰ μὴ θέλεις αὐτὰς προσκυνεῖν, οὐδείς σε ἀναγκάζει. πλὴν μηδὲ ἀτιμάζῃς αὐτὰς, μηδὲ λέγῃς αὐτὰς εἴδωλα, καὶ ἀπόλλῃς τὴν ψυχήν σου. πόσοι ναοὶ καὶ ἐκκλησίαι κατεκοσμοῦντο τὰ ἱερὰ μορφώματα τῶν ἁγίων εἰκόνων, ὅταν τὰς συνόδους ἐξετέλουν οἱ θεῖοι πατέρες; ποῖος νοῦς ὁρῶν τὸν κύ-

A dixerunt Patres Deiferi: *In nonnullis venerabilium imaginum picturis depictus est Agnus, quem Præcursor digito indicet, qui ad gratiæ figuram assumtus est, verum nobis per legem Agnum Christum Deum nostrum præmonstrans. Antiquas ergo figuras & umbras, ut veritatis signa ac characteres Ecclesiæ traditos amplectentes, gratiam & veritatem præponimus, eam ut legis complementum suscipientes. Ut ergo quod perfectum est vel colorum expressionibus omnium oculis subjiciatur, ejus qui tollit peccatum mundi, Christi Dei nostri humana forma characterem etiam in imaginibus deinceps, pro veteri agno erigi ac depingi jubemus: ut per ipsum, Dei Verbi humiliationis celsitudinem comprehendentes, ad* B *memoriam quoque ejus in carne conversationis, ejusque passionis, ac salutaris mortis, deducamur; ejusque quæ ex eo facta est, mundi redemtionis.* Post eam ergo, hæretice, Patrum definitionem, quid necesse habuimus transgredi terminos quos illi posuerunt, ac schisma in Ecclesiam invehere? An nescis eum, qui patrum terminos convellit, anathema recipere? Videte ergo quid feceritis, atque nunc tandem a malo cessate. Siquidem id caussareris, fuisse receptas imagines post sextam Synodum, haberes aliquid proferre: cum autem ab ipso Christi descensu cœperint fieri, nihil in eas criminis superest. Quæso te, scelestè, Judæis offerentibus Christo numisma, quod Cæsaris imagine insi- C gnitum esset, ac tentantibus, num ea adoranda esset; nonne ille eis os obstruxit, dicens: [a] *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo?* Vides ut os illud impollutum, iniquam eorum linguam compescuerit?

X. Videsis & sanctum Evangelistam ac Apostolorum Lucam; nonne is pretiosam intemeratissimæ semperque virginis Mariæ imaginem depinxit, [1] & ad Theophilum misit? Nec vero hæc intelligis? Non recipis hanc doctrinam, quam habebat doce- D re Christi Jesu adventus? Siquidem enim idololatria esset, una saltem aliqua Synodus abjectura erat imagines. Ais, sex anteriorum Synodorum Patres, blasphemias alias ac hæreses contendisse convellere, nec de imaginibus fuisse sollicitos. At quæso, ullane blasphemia idololatriam superat? Quei vero Patres quæ leviora erant aboleverunt, quodque omnium gravissimum erat, in perniciem populi intactum reliquerunt? Sed dices; neque eas Patres adorasse, neque calculo comprobasse. Quei ergo ait Chrysostomus: *Ego quoque adamavi picturam ex cera fusilem?* Quei item Gregorius Nyssenus: *Numquam, inquit, vidi Sanctorum pictas imagines, & sine lacrymis transii?* Quamobrem vero sanctus E Basilius necesse habuit labore tanto Cæsaream petere, ut lustraret Christi imaginem? Nec pudet dicere, quod ii imagines non adorarent? Hactenus enimvero neque dedecore affecerunt, neque proculcaverunt, autve eas idola dixerunt. Tu quoque, si non vis adorare, neminem habes qui cogat. Interim autem, nec probro afficias, nec appellans idola, animæ tuæ interitum afferas. Quam multa templa ac sacras ædes sacræ Sanctorum imagines exornabant, cum divini patres Synodos celebrarent? Quisnam animus Dominum videns picta ima-

SÆC. VIII. CIRCA ANN. CHR. 785.

a Matth. xxii. 21.

1. Vide Glycam pag. 4. & Gretz. Append. ad Codinum.

SAEC. VIII.
CIRCA
ANN. CHR.
785.



ριον ἐν εἰκόνι ἐσταυρωμένον, οὐ προσκυνεῖ; Θέλεις A εἰπεῖν κατὰ τὸν προφήτην [1] Ἠσαΐαν, ὅτι οὐ ποιήσεις πᾶν ὁμοίωμα, μήτε τὰ ἐν τῷ οὐρανῷ, μήτε τὰ ἐν τῇ γῇ. οὐδὲν γὰρ τοιοῦτον ἐποιήσαμεν, οὔτε ἐσεβάσθημεν· οὔτε ἥλιον, οὔτε σελήνην, οὔτε ἀστέρας, οὔτε τὰ ἐν γῇ, οὔτε θηρία, οὔτε κτήνη, οὔτε ἑρπετὰ, οὔτε ἄλλην τινὰ τῶν τοιούτων ἐποιήσαμεν, οὔτε ἐσεβάσθημεν, ἢ ἐλατρεύσαμεν, ὡς τὰ ἔθνη. Θέλεις εἰπεῖν κατὰ τὸν προφήτην Δαβίδ· τὰ εἴδωλα τῶν ἐθνῶν, ἀργύριον καὶ χρυσίον, ἔργα χειρῶν ἀνθρώπων· στόμα ἔχουσι καὶ οὐ λαλήσονται, καὶ τὰ ἑξῆς. καὶ γὰρ ἀληθῶς οὕτως ἦσαν, ὡς εἶπεν ὁ προφήτης. ἀλλ' ἐκεῖνοι οἱ Ἕλληνες, θεοὺς αὐτὰ ὠνόμαζον, καὶ ὡς θεοὺς ἐσεβάσθησαν, Θεὸν δὲ οὐδέποτε ἔγνωσαν· ἡμεῖς δὲ οὐχ B οὕτως· μὴ γένοιτο. ἀλλ' ὡς προεῖπον, σέβομαι τὴν ἁγίαν τριάδα τὴν ἀδιαίρετον καὶ ἀσύγχυτον· καὶ τὴν παναγίαν θεοτόκον, καὶ πάντας τοὺς ἁγίους· καὶ τὰς τιμίας καὶ ἱερὰς αὐτῶν εἰκόνας, διὰ τὸν πόθον καὶ τὴν πολλὴν αὐτῶν ἀγάπην προσκυνῶ καὶ ἀσπάζομαι· οὐχ ὡς θεοὺς, ὡς οἱ Ἕλληνες· μὴ γένοιτο· ἀλλ' ὡς προεῖπον, ὡς γραφὴν σύντομον καὶ εὐερμήνευτον, καθὼς παρέλαβεν αὐτὰς ἡ ἐκκλησία· ὥστε καὶ λαλοῦσι, καὶ λωβαὶ οὐκ εἰσὶν, ὡς τὰ εἴδωλα τῶν ἐθνῶν. πᾶσα γὰρ γραφὴ ἀναγινωσκομένη ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, εἴτε συγκατάβασιν τοῦ Χριστοῦ, εἴτε τῆς θεοτόκου τὰ θαύματα, εἴτε τῶν ἁγίων τοὺς ἄθλους καὶ τοὺς βίους, διὰ εἰκονικῆς ἱστορίας ἡμῖν διηγοῦν- C ται, καὶ ἀνοίγουσι τὸν νοῦν ἡμῶν, πρὸς τὰς αὐτῶν ἀῤῥήτους καὶ ἀφράστους ζηλοτυπίας.

Ἐπεὶ εἰπέ μοι, ἐὰν ἴδῃς διὰ εἰκονικῆς τυπώσεως τὴν δευτέραν Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν παρουσίαν, πῶς μετὰ δόξης ἔρχεται, καὶ τὰς τῶν ἀγγέλων μυριάδας ἔμπροσθεν τοῦ θρόνου αὐτοῦ παρεστώσας μετὰ φόβου καὶ τρόμου· ποταμὸν δὲ ἐκπορευόμενον πύρινον ἐκ τοῦ θρόνου αὐτοῦ κατεσθίοντα τοὺς ἁμαρτωλούς· πάλιν δὲ ὅταν θεάσῃ ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ τῶν δικαίων τὴν χαρὰν καὶ τὴν εὐφροσύνην, καὶ πῶς ἀγάλλονται ἔμπροσθεν τοῦ νυμφίου· εἰπέ μοι οἷος σκληρὸς καὶ ἀμείλικτος τὸν νοῦν, καὶ τὴν καρδίαν ὑπάρχῃ, οὐ μὴ κατανυγῇ D ἡ καρδία ἐκ τῆς φοβερᾶς ἐκείνης ὥρας; καὶ ἐνθυμηθεὶς, τῶν πράξεων αὐτοῦ τὰς βίβλους ἀναπτύξῃς· καὶ στενάξας, τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ δακρύων πληρώσῃς; ἰδοὺ γὰρ λαλεῖ αὕτη ἡ εἰκονικὴ μορφὴ, εὐσεβῶν τὰς ἀριστείας, καὶ τῶν ἀσεβῶν τὰς πράξεις. βλέπεις θεωρίαν ἀκριβῆ; οὐχ ὁρᾷς τὴν ὥραν ἐκείνην, ὅταν ἵστασαι, καὶ θεωρεῖς αὐτά; ὅτι πρὸς τοῦ Χριστοῦ τὴν ἡμέραν καὶ τὴν ἀπολογίαν, ἐν ᾗ μέλλεις ἐξετάζεσθαι παρίστασαι; ἀνάνηψον ὀψέ ποτε, ἄθλιε, καὶ τοῦ σκότους, οὗ περίκεισαι, ἄνελε τὸ κάλυμμα· καὶ ὡς ἐγένου ἡμῖν κοινωνὸς τοῦ βαπτίσματος, καὶ τοῦ τιμίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ, γενοῦ καὶ τῆς προσκυνήσεως· καὶ μὴ τὰ τῶν χριστια- E νῶν πιστεύων, καὶ ταῖς ἐκκλησίαις ἐνσείων, ἄλλα μὲν πιστεύοις, ἄλλα δὲ ἀποβάλλῃ, καὶ οὐ γίνῃ ὡς τέλειον αὐτῆς τέκνον.

Θέλεις λέγειν, ὅτι ἐγὼ χειροποίητα οὐ προσκυνῶ· καὶ οὐ γινώσκεις τί λαλεῖς, ἢ τί προσκυνεῖς. εἰπέ μοι, ἡ ἐκκλησία οὐκ ἔστι χειροποίητη, καὶ ὁ σταυρὸς, καὶ τὸ εὐαγγέλιον, καὶ τὸ θυσιαστήριον, καὶ τὰ λοιπὰ σκεύη τῆς ἐκκλησίας; οὐχὶ παρὰ ἀνθρωπίνων χειρῶν, ὃ μὲν κατασκευάζεται, ὃ δὲ οἰκοδομεῖται; καὶ ἄλλα καταρτίζονται εἰς Θεοῦ ὑπηρε-

A gine cruci affixum, non adoret? Objiciendum occurrit illud Moysis Prophetæ: [a] *Non facies tibi omnem similitudinem, neque quæ in cælo, neque quæ in terra?* Ita vero: nihil quippe ejusmodi fecimus, aut venerati sumus; neque solem, neque lunam, neque stellas, nec ea quæ sunt in terra; non bestias, non jumenta, non reptilia; non horum quidquam fecimus, vel coluimus, aut vero iis gentilium more servivimus. Subit ut dicas ceu ex verbis Davidis prophetæ: *Simulacra gentium, argentum & aurum; opera manuum hominum. Os habent, & non loquentur, &c.* Ac vero, sic illa habebant, ut ait Propheta. Verum gentiles, ea deos nominabant, ac tamquam deos colebant; nec B Deum ullo modo agnoscebant. Nos autem, non ita: Absit. Immo, ut paullo ante dicebam, sanctam ac individuam inconfusamque colo Trinitatem; sanctamque Dei genitricem, ac Sanctos omnes: venerandas autem ac sacras eorum imagines, propter desiderium multamque in eos dilectionem, adoro ac osculor; non tamquam deos more gentilium: Absit: sed uti dicebam, ut summariam picturæ arte descriptionem, & quam facile interpreteris, quomodo Ecclesia imagines recepit. Proinde etiam loquuntur, nec mutilæ sunt ac sensu orbæ, uti idola gentilium. Omnis enim pictura quam in Ecclesia legimus, aut Christi ad nos demissionem, aut Dei genitricis miracula, aut Sanctorum certamina ac C res gestas, velut imagine eloquente, enarrat, aperitque & acuit animum, ut miris eos ac inenarrabilibus modis imitemur.

XI. Nam rogo, ubi repræsentante imagine secundum Christi Dei nostri adventum aspexeris, quomodo veniat in majestate; Angelorum quoque innumeram multitudinem timore ac tremore ejus assistentium throno; igneumque flumen, quod de throno egrediens peccatores devoret; rursus vero, ubi ad ejus dexteram justorum gaudium ac lætitiam videris, atque ut exsultent in conspectu sponsi: quis quæso sic animo durus ac obstinatus exsistis, ut ex tremendæ illius horæ memoria cor tuum non com- D pungatur; nec apud te reputans, actionum tuarum explices libros; ac gemens, tractoque ex imis suspirio, non lacrymis oppleas oculos? Ecce enim loquitur expressa hæc in imagine figura, cum egregia piorum gesta, tum impiorum facinora. Vides accuratam repræsentationem? Nonne illam horam velut oculis aspicis, dum stas, & hæc contueris? ita nimirum habens, tamquam ad Christi diem ac judicium, in quo abs te exigenda est ratio, actutum sistaris. Ad meliorem tandem frugem, o miser, revertere, offusasque tenebras obnubentes amove: ac sicut una nobiscum baptismi gratiam consecutus es, pretiosique corporis ac sanguinis Christi perceptione donatus, ita eodem quoque modo ado- E res: nec vero quæ sunt fidei Christianæ credens, & Ecclesiis minitans, alia quidem credas, alia vero rejicias, ejusdemque perfectus filius minime efficiaris.

XII. Verum ais: Non adoro manufacta. Nec nosti quid loquaris, aut quid adores. [2] Nam rogo, nonne Ecclesia manufacta est, crux item, evangelium, altare, ac reliqua Ecclesiæ vasa? Nonne hæc hominum manibus, qua componuntur, qua scribuntur, qua ædificantur, qua denique aptantur in Dei ministerium? Universa in Ecclesia posita, manufa-

a Exod. xx. 4.

1. Lege Μωϋσέα.

2. Confer §. III. superioris orationis.

σίαν ; πάντα τὰ ὄντα ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, χειροποίητά εἰσι καὶ ὁρατά· καὶ εἰ ταῦτα φρονεῖς, οὐδένα τὰ ἐν αὐτοῖς ὁραθέντα προσκυνήσεις. τί γὰρ ὑπάρχεις; οὐχὶ ὁρατοὺς κέκτησαι καὶ ὀφθαλμοὺς, καὶ χεῖρας, καὶ πόδας, καὶ πᾶν μέλος; πῶς ὁ ὁρατὸς προσκυνεῖς ἀόρατα; ἔστι γὰρ καιρὸς ὅτε προσκυνήσεις τὰ ἀόρατα, ὅταν ἐν τῇ ψυχῇ σου, ἀναπετάσῃς τὸ ὀπτικὸν τοῦ νοῦ, πρὸς τὸν μόνον ἄϋλον καὶ ἀόρατον Θεὸν, ἐν διανοίᾳ σου, καὶ ἐκ καθαρᾶς καρδίας. εἰ ταῦτα ἔχεις ἐν τῇ διανοίᾳ σου, ἄνθρωπε, οὐδὲν προσκυνήσεις τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ· ἀλλὰ πάντα βδελύξῃ· καὶ ὁ ἔχων ὑψηλὸν τὸ φρόνημά σου πρὸς τὴν πίστιν, καὶ μεγαλαυχῶν, εὑρέθη ὡς ἄθεος.

A cta sunt, ac oculis subjecta: ac siquidem ea sententia es, nulla eorum quæ in ipsis talia sunt adorabis. Nam quid tibi videris? Nonne visibiles oculos habes, manusque, ac pedes, membraque omnia? Quomodo qui es visibilis adoras invisibilia? Est enim tempus cum invisibilia adorabis; cum nimirum, in tuo ipse animo, ad solum materia expertem ac invisibilem Deum, in mente tua, ac ex mundo corde, perspicacem animæ oculum aperueris. Ut hoc solum, ac sic cogites, o homo, nihil eorum quæ habet Ecclesia, adoraturus es; sed omnia exsecraberis: ac ita, qui more tuo altum ad fidem sapit, ac fastu gloriatur, impius inventus fuerit.

Εἰπέ μοι ἄνθρωπε, ἐὰν ἐκ τῶν ἐθνῶν ἔλθῃ τις λέγων σοι· δεῖξόν μοι τὴν πίστιν σου ἵνα πιστεύσω κἀγώ· τί αὐτῷ δεικνύεις; οὐχὶ ἐκ τῶν αἰσθητῶν ἀνάγεις αὐτὸν εἰς τὰ ἀόρατα πρὸς τὸ δέξασθαι αὐτὰ ἠρέμως; ἐὰν γὰρ εἴπῃς αὐτῷ, ἀόρατός ἐστι, τί ἰδὼν ἔχει πιστεῦσαι, πρὸς τὴν σὴν συνείδησιν καὶ πίστιν; ἀλλὰ πρῶτον, ἐκ τῶν αἰσθητῶν εἰσάγεις αὐτὸν, καὶ οὕτως κατὰ μικρὸν ἀνάγεις πρὸς τὰ ἀόρατα· καὶ ὅπως; ἄκουε. φέρεις αὐτὸν εἰς τὴν ἐκκλησίαν· δεικνύεις αὐτῷ τὸν κόσμον ὃν περιβέβληται· ἀναπετάζεις αὐτὸν πρὸς τὰς τῶν ἁγίων εἰκόνων μορφάς. ὁρᾷ αὐτὸς ὁ ἄπιστος, καὶ λέγει· τίς ἐστιν οὗτος ὁ σταυρούμενος; τίς ἐστιν οὗτος ὁ ἀνιστάμενος, καὶ καταπατῶν τὴν κεφαλὴν τοῦ γηραιοῦ τούτου; οὐχὶ ἐκ τῆς εἰκόνος αὐτὸν διδάσκεις, λέγων· οὗτος ὁ ἐσταυρωμένος, υἱὸς τοῦ Θεοῦ ἐστιν, ὃς διὰ τὰς ἁμαρτίας τοῦ κόσμου ἐσταυρώθη· οὗτος ὁ ἀνιστάμενος, αὐτὸς ὑπάρχει, ὁ συνεγείρων τὸν προπάτορα τοῦ κόσμου Ἀδάμ, ὃς πέπτωκε διὰ τῆς παρακοῆς· καὶ συμπατεῖ τὸν ᾅδην τὸν κατέχοντα τοσούτους χρόνους τὸν δεδεμένον δεσμοῖς καὶ μοχλοῖς ἀλύτοις ἐν τοῖς καταχθονίοις· καὶ οὕτως πως, φέρεις αὐτὸν εἰς τὴν τοῦ Θεοῦ ἐπίγνωσιν.

B XIII. Quæso te, o homo, cum te gentilis aliquis adiens, rogaverit: Ostende mihi tuam fidem, ut & ego credam: quid es ostensurus? Nonne eum a rebus sensui subjectis ad invisibilia subvehis, quo ea placide acceptet? Nam si dicas; Is in quem credimus, invisibilis est; quo viso moveatur, ut in tuam conscientiam ac fidem credat? Sed ei primum sensibilia proponis ceu rudimenti loco, tumque paullatim ad invisibilia evehis. Quei id vero? Audi. Ducis eum in Ecclesiam: ejus ei ornatum ostendis: sacrarum ei imaginum figuras aperis. Videt ipse infidelis, aitque: Quisnam est iste, qui cruci affixus est? Quis hic qui resurgit, ac senis illius caput calcat? C Nonne eum per imaginem instruens, ais: Hic qui est cruci affixus, Dei filius est, qui ad tollenda mundi peccata eo fuit supplicio affectus. Hic qui resurgit, ipse est, qui una secum primum mundi parentem Adamum, ob prævaricationem lapsum mortuumque, resuscitat; quique infernum, tot jam sæculis vinctum detinentem, insolubilibus vinculis ac vectibus in inferioribus terræ partibus, triumpho proterit: ac ita modicum quid ad Dei eum agnitionem provehis.

A Dei voluntatem administrare hierarchicam ordinationem, gloriosa ubique fama vulgatum est. Ait enim per prophetam magnus & primus pontifex Christus Deus noster: *Vivo ego, quoniam qui glorificant me glorificabo.* Nosti enim, *o vir desideriorum Spiritus*, tolerabiliorem esse Macedonii, & qui cum illo sentiunt, Pneumatomachorum impiam hæresin. Dum enim illi creaturam & servum Dei ac Patris sanctum Spiritum nugantur, isti suum ipsorum, ut videntur, servum illum efficiunt. Quivis namque dominus, quidquid habeat, si velit, vendit, sive servum sive aliud quid eorum quæ possidet. Haud aliter emtor quoque, cum velit esse dominus rei emtæ, pretio argenti eam sibi acquirit. B Eodem modo qui hujusmodi impiam mercaturam profitentur, vilipendunt Spiritum sanctum, eadem ratione peccantes atque ii, qui blasphemabant in Beelzebub ejicere dæmonia Christum: atque adeo similes sunt Judæ proditori, qui deicidis Judæis pecunia Christum vendidit. Ut igitur Spiritus sanctus consubstantialis est Christo Deo nostro, sic omnibus liquet, hos eamdem cum illis partem consequuturos fore, quemadmodum demonstratum est. Etsi autem reipsa non venditur, (patet enim hoc nullatenus fieri posse) sine contradictione tamen non est in viris talibus gratia sancti Spiritus, aut sacerdotii sacrum munus, neque acceperunt, aut habent. Meminerint enim sancti Petri C ad hominem qui rem talem studebat, sic dicentis: [a] *Non est tibi pars, neque hereditas in sermone isto.* Si enim venditur sacerdotii dignitas, ergo superflua est istis veneranda vitæ politia, conversatioque in sanctitate & virtute: superfluus item secundum ipsos Paullus divinus ille apostolus qui docet, oportere episcopum irreprehensibilem esse, prudentem, ornatum, doctorem, continentem, sobrium, retinentem fidelem sermonem secundum doctrinam, ut potens sit etiam exhortari in sana doctrina, & contradicentes confutare. Evanescunt igitur universa hæc a mercatore & venditore sacerdotii. Subjectæ igitur & ex sanctis collectæ auctoritates alienum omnino a sacerdotio decernunt dantem D accipientemve quocumque tempore, sive ante ordinationem sive etiam post. Semper enim accipere est accipere. Sed & omnes promotiones ecclesiasticas quæ sub datione munerum fiunt, tollunt.

Κανὼν κθ'. τῶν ἁγίων ἀποστόλων.

Εἴ τις ἐπίσκοπος διὰ χρημάτων τῆς ἀξίας ταύτης ἐγκρατὴς γένηται, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, καθαιρείσθω καὶ αὐτὸς, καὶ ὁ χειροτονήσας, καὶ ἐκκοπτέσθω παντάπασι τῆς κοινωνίας, ὡς Σίμων ὁ μάγος.

I. Canon XXIX. sanctorum apostolorum.

Si quis episcopus per pecuniam hanc dignitatem obtineat, sive presbyter, sive diaconus; deponitor & ipse & Ordinans, atque exciditor prorsus a communione, ut Simon magus.

Ἐκ τῶν πράξεων τῶν ἁγίων ἀποστόλων.

E Ἰδὼν δὲ ὁ Σίμων, ὅτι διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τῶν ἀποστόλων δίδοται τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, προσήνεγκεν αὐτοῖς χρήματα, λέγων· δότε κἀμοὶ τὴν ἐξουσίαν ταύτην, ἵνα ᾧ ἂν ἐπιθῶ τὰς χεῖρας, λαμβάνῃ πνεῦμα ἅγιον. Πέτρος δὲ εἶπε πρὸς αὐτόν. τὸ ἀργύριόν σου σὺν σοὶ εἰς ἀπώλειαν, ὅτι δωρεὰν τοῦ Θεοῦ ἐνόμισας διὰ χρημάτων κτᾶσθαι. οὐκ ἔστι σοι μερὶς, οὐδὲ κλῆρος ἐν τῷ λόγῳ. ἡ γὰρ καρδία σου οὐκ ἔστιν εὐθεῖα ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. μετανόησον οὖν ἀπὸ τῆς κακίας σου ταύτης, καὶ δεήθητι τοῦ Θεοῦ, εἰ ἄρα ἀφεθήσεταί σοι ἡ ἐπίνοια τῆς καρδίας σου· εἰς γὰρ χολὴν πικρίας, καὶ σύνδεσμον ἀδικίας ὁρῶ σε ὄντα.

II. Ex actibus sanctorum apostolorum.

[b] *Cum vidisset autem Simon, quod per impositionem manuum apostolorum datur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: Date & mihi facultatem hanc, ut cuicumque imponam manus, accipiat Spiritum sanctum. Petrus vero ait ad eum: Argentum tuum tecum in perditionem, quoniam donum Dei reputasti per pecuniam comparare. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto. Cor tuum enim non est rectum coram Deo. Pœnitentiam ergo age de malitia tua ista, & precare Deum, si forte remittatur tibi cogitatio cordis tui. In bilem enim amaritudinis, & vinculum iniquitatis video te esse.*

a Act. VIII. 21. b Ibid. V. 18. seqq.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 786.

A

Εκ τῆς τρίτης τῶν Βασιλειῶν.

Καὶ οὐκ ἐπέστρεψεν Ιεροβοὰμ ἀπὸ τῆς κακίας αὐτοῦ, καὶ ἐπέστρεψε καὶ ἐποίησεν ἐκ μέρους τοῦ λαοῦ ἱερεῖς ὑψηλῶν. ὁ βουλόμενος ἐπλήρου τὴν χεῖρα αὐτοῦ. καὶ ἐγένετο τοῦτο τὸ ῥῆμα εἰς ἁμαρτίαν τῷ οἴκῳ Ιεροβοὰμ, καὶ εἰς ὄλεθρον καὶ ἀφανισμὸν ἀπὸ προσώπου τῆς γῆς.

III. *Ex tertio regnorum.*

[a] *Et non est conversus Jeroboam a malitia sua, iterumque fecit ex portione populi sacerdotes excelsorum. Qui volebat initiabatur. Fuitque hæc res in peccatum domui Jeroboam, & in iteritum & perditionem a facie terræ.*

Εκ τῆς τετάρτης τῶν Βασιλειῶν.

Καὶ ἐπέστρεψε Νεεμὰν πρὸς Ελισσαιὲ, αὐτὸς καὶ πᾶσα ἡ παρεμβολὴ αὐτοῦ, καὶ ἦλθε, καὶ ἔστη ἐνώπιον αὐτοῦ, καὶ εἶπεν· ἰδοὺ ἐγὼ ἔγνωκα, ὅτι οὐκ ἔστι Θεὸς ἐν πάσῃ τῇ γῇ, ἀλλ' ἢ ἐν τῷ Ισραὴλ, καὶ λάβε τὴν εὐλογίαν παρὰ τοῦ δούλου σου. καὶ εἶπεν Ελισσαιὲ, ζῇ κύριος, ᾧ παρέστην ἐνώπιον αὐτοῦ, εἰ λήψομαι. καὶ παρεβιάσατο αὐτὸν λαβεῖν, καὶ ἠπείθησε. καὶ μετ' ὀλίγον· καὶ εἶπε Γιεζῆ τὸ παιδάριον Ελισσαιέ· ἰδοὺ ἐφείσατο ὁ κύριός μου Νεεμὰν τοῦ Σύρου, τοῦ λαβεῖν ἐκ χειρὸς αὐτοῦ ὃ ἐνήνοχε· ζῇ κύριος, εἰ μὴ δραμοῦμαι ὀπίσω αὐτοῦ, καὶ λήψομαι παρ' αὐτοῦ τι. καὶ ἐδίωξε Γιεζῆ, ὀπίσω Νεεμάν. καὶ μετὰ βραχύ· καὶ εἶπε Νεεμάν· λάβε διτάλαντον ἀργυρίου. καὶ ἔλαβε δύο τάλαντα ἀργυρίου ἐν δυσὶ θυλάκοις, καὶ δύο ἀλλασσομένας στολάς. καὶ μεθ' ἕτερα. καὶ εἶπε πρὸς αὐτὸν Ελισσαιέ· πόθεν Γιεζῆ; καὶ εἶπε Γιεζῆ· οὐ πεπόρευται ὁ δοῦλός σου ἔνθα καὶ ἔνθα. καὶ εἶπε πρὸς αὐτὸν Ελισσαιέ· οὐχὶ ἡ καρδία μου ἐπορεύθη μετὰ σοῦ, καὶ οἶδα, ὅτι ἐπέστρεψεν ὁ ἀνὴρ ἀπὸ τοῦ ἅρματος εἰς συνάντησίν σου; καὶ νῦν ἔλαβες καὶ ἀργύριον, καὶ λήψῃ ἐν αὐτῷ κήπους καὶ ἀμπελῶνας καὶ ἐλαιῶνας, καὶ πρόβατα καὶ βόας καὶ παῖδας καὶ παιδίσκας· καὶ ἡ λέπρα Νεεμὰν κολληθήσεται ἐν σοὶ, καὶ ἐν τῷ σπέρματί σου εἰς τὸν αἰῶνα· καὶ ἐξῆλθεν ἐκ τοῦ προσώπου αὐτοῦ λελεπρωμένος ὡσεὶ χιών.

IV. *Ex quarto Regnorum.*

[b] *Et rediit Naaman ad Elisæum, ipse & omnis exercitus ejus, & venit ac stetit coram illo, &* B *ait: Ecce ego novi, quod non est Deus in omni terra, præterquam in Israel, & accipe munusculum a servo tuo. Et ait Elisæus: Vivit Dominus, in cujus conspectu steti, si accipiam. Et coegit eum ut acciperet, & renuit.* Ac post pauca: *Et ait Giezi puer Elisæi: Ecce pepercit dominus meus Naaman Syro, ne acciperet de manu ejus quod attulerat. Vivit Dominus, si non curram post eum, & accipiam ab ipso aliquid. Et sequutus est Giezi post Naaman.* Ac paullo infra: *Aitque Naaman: accipe duo talenta argenti. Et accepit duo talenta argenti in duobus marsupiis, geminasque mutabiles stolas.* Et post alia: *Et ait ad eum Elisæus: Undenam Giezi? & dixit Giezi: non abiit servus* C *tuus huc vel illuc. Et ait ad eum Elisæus: Nonne cor meum abiit tecum? & novi, quod conversus sit vir ille a curru in occursum tuum. Et jam accepisti etiam argentum, & comparabis illo hortos & vineas & oliveta, & oves & boves & pueros & puellas. Et lepra Naaman adhærescet in te, & in semine suo in sæculum. Et exiit ex facie ejus leprosus ut nix.*

Τοῦ ἁγίου Βασιλείου. ἐκ τῆς εἰς τὸν Ησαΐαν ἑρμηνείας.

Νόμον ἔδωκεν εἰς βοήθειαν, ἵνα εἴπωσιν· οὐχ ὡς D τὸ ῥῆμα τοῦτο, περὶ οὗ οὐκ ἔστι δῶρα δοῦναι περὶ αὐτοῦ. οὗτος δὲ ὁ νόμος οὐκ ἔστιν ὡς τὸ ῥῆμα τοῦτο τοῦ ἐγγαστριμύθου. οὐ γὰρ πρὸς ἀπάτην ἐπινενόηται, ὥσπερ ἐκεῖνα, ἀλλὰ ἀληθείας ἐστὶ διδάσκαλος· κἀκεῖνοι μὲν ἐπ' ἀργυρίῳ μαντεύονται· τοῦτο γάρ ἐστι τὸ καταγέλαστον, ὅτι καὶ ἀργύριον αὐτοῖς τελοῦσι μισθὸν τοῦ ψεύδους οἱ ἀπατώμενοι· τὸ δὲ ῥῆμα τοῦ νόμου οὐκ ἔστι τοιοῦτον, ὥστε δῶρα δοῦναι περὶ αὐτοῦ. οὐδεὶς γὰρ τὴν χάριν ἀποδίδοται. δωρεάν, φησιν, ἐλάβετε, δωρεὰν δότε. ὁρᾷς πῶς ἠγανάκτησε Πέτρος ἐπὶ Σίμωνι, ἀργύριον ἐπὶ τῆς τοῦ πνεύματος χάριτος προκομίσαντι; τὸ ἀργύριόν σου σὺν σοί, φησιν, εἰς ἀπώλειαν, ὅτι ἐνόμισας τὴν δωρεὰν τοῦ Θεοῦ διὰ χρημάτων κτᾶσθαι. E οὐκ ἔστιν οὖν ὁ τοῦ εὐαγγελίου λόγος ὡς τὰ πωλούμενα ῥήματα τῶν ἐγγαστριμύθων. τί γὰρ ἄν τις δοίη ἄξιον αὐτοῦ ἀντάλλαγμα; ἄκουε τοῦ Δαβὶδ διαποροῦντος καὶ λέγοντος· τί ἀνταποδώσω τῷ κυρίῳ περὶ πάντων, ὧν ἀνταπέδωκέ μοι; οὐκ ἔστιν οὖν δῶρα δοῦναι περὶ τούτου ἀντάξια τῆς αὐτοῦ χάριτος. ἓν δῶρον ἄξιον, ἡ φυλακὴ τοῦ δωρηθέντος, ὁ δούς σοι τὸν θησαυρὸν, οὐχὶ τιμὴν ἀπαιτεῖ τοῦ δοθέντος, ἀλλὰ φυλακὴν ἀξίαν τοῦ δεδομένου.

V. [1] *Sancti Basilii. Ex commentariis in Isaiam.*

Legem dedit in auxilium, ut dicant: [c] *Non ut verbum istud, de quo non est dona dare de illo. Hæc autem lex non est ut verbum hoc ventriloqui. Non enim ad deceptionem excogitatum est, quo modo illa, sed veritatis est magister. Et illi quidem propter argentum vaticinabantur: (hoc enim est quod deridiculo esse debeat, quia pecuniam quoque ipsis solvunt pro mercede falsitatis ii qui decipiuntur:) at verbum legis non est hujusmodi, ut dona dentur pro illo. Nemo enim gratiam vendit.* [d] Gratis *inquit* accepistis, gratis date. *Vides quomodo ægre tulerit Petrus ob Simonem, argentum pro Spiritus gratia proferentem:* [e] Argentum tuum tecum, *inquit*, in perditionem, quoniam cogitasti donum Dei pecuniis comparare. *Non est ergo Evangelii sermo, ut quæ venduntur verba ventriloquorum. Quam enim quis dare posset dignam illo commutationem? Audi Davidem dubitantem ac dicentem:* Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? *Non est ergo dona dare pro eo paria gratiæ illius. Unicum exstat donum dignum, custodia ejus quod donatum est. Qui dedit tibi thesaurum non pretium postulat dati, sed dati dignam custodiam.*

a III. Reg. XIII. 33. 34. *b* IV. Reg. V. 9. seqq. *c* Isa. VIII. 20. τοῖς LXX. *d* Matth. X. 8. *e* Act. VIII. 20.

1. In Append. cap. VIII. num. 220. *Vid.* Garnierum *in pref.*

A

Τοῦ αὐτοῦ. ἐκ τῆς ἐπιστολῆς, τῆς πρὸς τοὺς ὑφ' ἑαυτὸν ἐπισκόπους, ὥστε μὴ χειροτονεῖν ἐπὶ χρήμασι.

Νομίζουσι μὴ ἁμαρτάνειν, τῷ μὴ ἅμα προσλαμβάνειν, ἀλλὰ μετὰ τὴν χειροτονίαν λαμβάνειν. λαβεῖν δέ ἐστιν ὁπηδήποτε λαβεῖν. παρακαλῶ οὖν ταύτην τὴν πρόσοδον, μᾶλλον δὲ τὴν προσαγωγὴν τὴν ἐπὶ γέενναν, ἀπόθεσθε, καὶ μὴ τὰς χεῖρας μολύνοντες τοῖς τοιούτοις λήμμασιν, ἑαυτοὺς ἀναξίους ποιήσητε τοῦ ἐπιτελεῖν τὰ ἅγια μυστήρια.

VI. *Ejusdem. Ex* [1] *epistola data ad subjectos sibi episcopos, ne propter pecuniam ordinationes facerent.*

Putant se non peccare, propterea quod ipso ordinationis tempore non accipiunt, sed accipiunt post manuum impositionem. Sed accipere est quandocumque accipere. Precor igitur, hujusmodi redditum, atque adeo deductionem in geennam abjicite, nec manus contaminantes hujusmodi lucris, vos indignos faciatis celebrandi sacra mysteria.

Ἐκ τοῦ βίου τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ Χρυσοστόμου.

B

Προσῆλθεν ὁ τῆς μακρηγορίας ἡμῖν αἴτιος τοῖς ἐπισκόποις πᾶσιν Εὐσέβιος, ὁ κατήγορος τῶν ἓξ λοιπῶν ἐπισκόπων, ἀξιῶν δεχθῆναι εἰς κοινωνίαν. προσαντιλέγουσί τινες τῶν ἐπισκόπων, μὴ δεῖν αὐτὸν δεχθῆναι, ὡς συκοφάντην. ἐπὶ τούτοις ἱκέτευε, λέγων· ἐπειδὴ ἡ δίκη τὸ πλεῖστον μέρος ἐπὶ ἔτη δύο ἐβασανίσθη, εἰς μάρτυρας δὲ γεγένηται ἡ ὑπέρθεσις, δέομαι τῆς ὑμετέρας θεοφιλίας, σήμερον παρ' αὐτὰ δοῦναί με τοὺς μάρτυρας. εἰ γὰρ καὶ Ἀντωνῖνος τετελεύτηκεν ὁ ἐπίσκοπος, ὁ λαβὼν τὸ χρυσίον καὶ χειροτονήσας, ἀλλ' οὖν γε μένουσιν οἱ δεδωκότες καὶ χειροτονηθέντες. ἐδικαίωσεν ἡ παροῦσα σύνοδος ζητηθῆναι τὸ πρᾶγμα. καὶ ἄρχεται ἡ ὑπόθεσις ἐξ ἀναγνώσματος τῶν πρώην πραχθέντων ὑπομνημάτων. εἰσῆλθον οἱ μάρτυρες, καὶ εἰσῆλθον οἱ ἓξ τῶν δεδωκότων καὶ χειροτονηθέντων. ἐν ἀρχῇ ἠρνοῦντο. ἐπιμενόντων δὲ τῶν μαρτύρων, τῶν μὲν λαϊκῶν, τῶν δὲ πρεσβυτέρων, οἷς ἔδοξαν τεθαρρηκέναι, πρῶτον μὲν ἠρνοῦντο. ὡς δὲ οἱ μάρτυρες ἔλεγχον τόπων αὐτοὺς ὑπομιμνήσκοντες καὶ καιρῶν, καὶ τὰ εἴδη τῶν ἐνεχύρων λέγοντες καὶ τὴν ποσότητα, οὐ πάνυ καλῶς αὐτῶν διακειμένης τῆς συνειδήσεως, αὐθαίρετοι ὁμολογοῦσι δίχα πολλῆς ἀνάγκης· ὅτι δεδώκαμεν ὁμολογοῦμεν, καὶ γεγόναμεν τοιαύτην νομίσαντες ἀκολουθίαν εἶναι, ἵνα τῆς λειτουργίας τῆς δημοσίας ἐλευθερωθῶμεν. καὶ νῦν δεόμεθα, εἰ μή ἐστιν ὅσιον ἡμᾶς εἶναι ἐν τῇ λειτουργίᾳ τῆς ἐκκλησίας, ἐπεὶ κἂν τὸ χρυσίον ὃ δεδώκαμεν, ἵνα λάβωμεν. τῶν γὰρ γυναικῶν ἡμῶν δεδώκαμέν τινα σκεύη. ὁ Ἰωάννης πρὸς ταῦτα ὑπέσχετο τῇ συνόδῳ, ὅτι τοῦ μὲν βουλευτηρίου ἐγὼ αὐτοὺς ἀπαλλάσσω, ἀξιώσας τὸν βασιλέα· ὑμεῖς δὲ προστάξατε λαβεῖν αὐτοὺς ὃ δεδώκασι παρὰ τῶν Ἀντωνίνου κληρονόμων, κοινωνεῖν δὲ ἔντον τοῦ θυσιαστηρίου, εἶναι δὲ ἀπὸ ἱερέων. ἵνα μὴ τούτων συγχωρηθέντων, ἔθος γένηται Ἰουδαϊκόν, τὸ πωλεῖν καὶ ἀγοράζειν τὴν ἱερωσύνην. φασὶ γὰρ τὸν λυμεῶνα καὶ ψευδώνυμον πατριάρχην τῶν Ἰουδαίων κατ' ἔτος ἀμείβειν ἢ παρ' ἔτος τοὺς ἀρχισυναγώγους, ἐπὶ συλλογῇ τοῦ ἀργυρίου· ὁμοίως καὶ τὸν ζηλωτὴν τούτου, τῶν Αἰγυπτίων πατριάρχην, ἵνα πληρωθῇ τὸ προφητικόν· οἱ ἱερεῖς αὐτῆς μετὰ δώρων ἀπεκρίναντο, καὶ οἱ προφῆται αὐτῆς μετ' ἀργυρίου ἐμαντεύοντο.

VII. *Ex vita sancti Joannis Chrysostomi.*

Accessit, qui caussa est nobis longi sermonis, ad episcopos omnes Eusebius delator sex reliquorum episcoporum, petens in communionem recipi. Contradicunt nonnulli episcoporum, non oportere recipi, tamquam calumniatorem. Ad hæc orabat, dicens: Quoniam lis maximam partem per biennium agitata est, & ad testes comperendinatio facta est, precor vestram pietatem, quo hodie statim testes exhibeam. Quamvis enim Antoninus mortuus est episcopus qui pecuniam accepit & manus imposuit, superant tamen qui dedere & ordinati sunt. Approbavit præsens Synodus ut in rem quæstio fieret. Ordiuntur ergo negotium a lectione actorum quæ prius facta fuerant. C *Introeunt testes, & introeunt sex illi qui dederant & ordinati fuerant. A principio negabant. Instantibus vero testibus qua laicis qua presbyteris, quibus confidere visi sunt, primum quidem negabant. Ubi vero testes convincebant, revocatis in memoriam eorum locis & temporibus; immo vero etiam speciebus arrharum recensitis & quantitate; cum illorum conscientia non multum bene haberet, sponte confitentur, haud ita magna coactione, dedisse se confitentes, at ratos hanc esse sequellam quamdam, ut a ministeriis publicis immunes essemus. Nunc vero precamur, si non est fas non esse in ministerio Ecclesiæ, ut saltem aurum quod dedimus, recipiamus. Uxorum enim nostrarum dedimus quamdam suppelle-* D *ctilem. Joannes ad hæc promisit Synodo: A curia quidem ego illos liberabo imperatorem deprecans: vos vero jubete ut recipiant ipsi quod dederunt ab heredibus Antonini, communicent autem intra altare, ac sint exsacerdotes. Ne concessis bis, consuetudo inolescat Judaica vendendi emendique sacerdotium. Ferunt enim perditum & falsum Judæorum patriarcham singulis aut certe alternis annis mutare archisynagogos, ad comparandam pecuniam. Haud aliter æmulatorem ejus, Ægyptiorum patriarcham fecisse putamus; ut impleretur illud Prophetæ:* Sacerdotes ejus ex muneribus respondebant, & prophetæ ejus ex argento vaticinabantur.

E

Ἐκ τῶν κανόνων τῶν χλ'. ἁγίων πατέρων, τῶν ἐν Χαλκηδόνι συνελθόντων.

Εἴ τις ἐπίσκοπος ἐπὶ χρήμασι χειροτονίαν ποιήσαιτο, καὶ εἰς πρᾶσιν καταγάγῃ τὴν ἄπρατον χάριν, καὶ χειροτονήσει ἐπὶ χρήμασιν οἰκονόμον, ἢ ἔκδικον, ἢ παραμονάριον, ἢ ὅλως τινὰ τοῦ κανόνος, δι' αἰσχροκέρδειαν οἰκείαν ὁ τοῦτο ἐπιχειρήσας, ἐλεγχθεὶς κινδυνευέτω περὶ τὸν οἰκεῖον βαθμόν, καὶ ὁ χειροτονούμενος μηδὲν ἐκ τῆς κατ' ἐμπορίαν ὠφελείσθω χειροτονίας, ἢ προβολῆς. ἀλλ' ἔστω ἀλλότριος τῆς ἀξίας, ἢ τοῦ φροντίσματος, ὅπερ ἐπὶ

VIII. *Ex canonibus DCXXX. sanctorum Patrum, qui Calcedonem convenerunt.*

Si quis episcopus propter pecuniam ordinationes fecerit, & ad venditionem deducat gratiam quæ vendi nequit, manusque imposuerit propter pecuniam Œconomo, Procuratori vel Mansionario, vel alicui omnino qui sub canonibus censetur, ob propriam avaritiam; qui hoc attentaverit, convictus, proprii gradus in discrimen venito: & qui [illegible]*, nihil utilitatis ex quæstuaria ordinatione* [illegible]*, aut promotione. Sed esto alienus a dignitate vel officio, quod*

[1] Epist. LIII. alias LXXVI.



χρήμασιν ἔτυχεν. εἰ δέ τις καὶ μεσιτείων φανῇ τοῖς οὕτως αἰσχροῖς καὶ ἀθεμίτοις λήμμασι· καὶ οὗτος, εἰ μὲν κληρικὸς, τοῦ οἰκείου ἐκπιπτέτω βαθμοῦ, εἰ δὲ λαϊκὸς ἢ μονάζων, ἀναθεματιζέσθω.

A per pecuniam consequutus est. Si quis autem etiam mediator exstitisse appareat adeo turpium & illegitimorum quæstuum; iste quoque, si quidem clericus fuerit, a proprio gradu excidito; sin vero laicus vel monachus, excommunicator.

Ἐκ τῆς ἐγκυκλίου ἐπιστολῆς Γενναδίου τοῦ ἁγιωτάτου ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως, καὶ τῆς σὺν αὐτῷ συνόδου.

IX. Ex epistola encyclica Gennadii sanctissimi archiepiscopi Constantinopolitani, ejusque Synodi.

Ἔστω τοίνυν, καὶ ἔστιν ἀποκήρυκτος, καὶ πάσης ἱερατικῆς ἀξίας καὶ λειτουργίας ἀλλότριος, καὶ τῇ κατάρᾳ ἀναθέματος ὑποκείμενος, ὅ, τε κτᾶσθαι ταύτην τὴν ἱερωσύνην διὰ χρημάτων οἰόμενος, καὶ ὁ ταύτην παρέχειν ἐπὶ χρήμασιν ὑπισχνούμενος, εἴτε κληρικὸς, εἴτε λαϊκὸς εἴη, κἂν ἐλέγχοιτο, κἂν μὴ ἐλέγχοιτο ποιεῖν. οὐ γὰρ οἷόν τε συμβιβασθῆναί ποτε τὰ ἀσύμβατα, οὐδὲ Θεῷ συμφωνῆσαι τὸν μαμωνᾶν, ἢ τοὺς τούτῳ δουλεύοντας, δουλεῦσαι Θεῷ. δεσποτικὴ καὶ αὕτη ἐστὶν ἀπόφασις ἀναμφίλεκτος· οὐ δύνασθε Θεῷ δουλεύειν, καὶ μαμωνᾷ.

Esto igitur & est abdicatus, omnisque sacerdotalis dignitatis atque ministerii alienus, dirisque anathematis subjectus, & qui comparare hujusmodi sacerdotium per pecuniam existimat, & qui illud conferre ex pecunia pollicetur, sive clericus sive laicus fuerit, sive convincatur sive non convincatur fecisse. Neque enim possibile est ut concilientur quæ conciliari nequeunt, nec Deo concordet mamona, vel ut qui huic serviunt, Deo serviant. Est enim hæc quoque dominica sententia, cui non potest contradici: Non potestis Deo servire & mamonæ.

B

Ἐκ τῶν κανόνων τῆς ἁγίας ς′. συνόδου.

X. Ex canonibus sanctæ VI. Synodi.

Τοὺς ἐπὶ χρήμασι χειροτονουμένους, εἴτε ἐπισκόπους, ἢ οἱουσδήποτε κληρικοὺς, καὶ οὐ κατὰ δοκιμασίαν καὶ τοῦ βίου αἵρεσιν, καθαιρεῖσθαι προστάσσομεν. ἀλλὰ καὶ τοὺς χειροτονήσαντας.

Per pecuniam ordinatos, sive episcopos, sive quoscumque clericos, & non per examen & vitæ electionem, deponi præcipimus. Item eos qui ordinarunt.

C

Ἀκούσωμεν ταῦτα πάντες, ἐνωτισώμεθα οὐ μόνον ἀρχιερεῖς, ἀλλὰ καὶ οἱ ἐν τῷ κλήρῳ κατηριθμούμενοι, καὶ πάντες οἱ κατοικοῦντες τὴν οἰκουμένην. δεῖ γὰρ περισσοτέρως ἡμᾶς προσέχειν τοῖς ἀκουσθεῖσι, μή ποτε παραῤῥυῶμεν. ὅτι οὐ φθαρτοῖς, χρυσίῳ ἢ ἀργυρίῳ, ἠγοράσθημεν ἐκ τῆς ματαίας πατροπαραδότου ἀναστροφῆς, ἀλλὰ τιμίῳ αἵματι ὡς ἀμνοῦ ἀμώμου καὶ ἀσπίλου Χριστοῦ· οὕτω καὶ ἡμᾶς δίδαξον, ἄνερ ἱερώτατε, ἕπεσθαι τοῖς γραφικοῖς καὶ εὐαγγελικοῖς καὶ ἀποστολικοῖς τε καὶ πατρικοῖς παραγγέλμασι. πειθόμεθα γὰρ τοῖς ῥήμασι τοῦ στόματος ὑμῶν. ἐπὶ τῶν ὑψηλῶν ἀνάβηθι, ὕψωσον ἐν ἰσχύϊ τὴν φωνήν σου, πορεύθητι ἐν πλατυσμῷ, κήρυξον μετὰ παῤῥησίας, ὅπως ἐξαρθῇ, καὶ εἰς ἀφανισμὸν οἰχήσηται ἡ διὰ χρημάτων χειροθεσία, καὶ πᾶν εἴτι διὰ φιλαργυρίαν ταύτῃ ἀδικίαν τε καὶ ἐμπορίαν αἰσχροκερδῆ παρέπεται· ταύτης γὰρ μετὰ τῶν συστοιχούντων αὐτῇ ἐξαιρουμένης ἐκ τοῦ περιουσίου λαοῦ, ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Χριστοῦ κεκλημένου, καὶ δωρεὰν τυχόντος τῆς ἀπολυτρώσεως, πάντα τὰ τῇ κακίᾳ συνεπόμενα μιάσματα πρόῤῥιζα συνεκτμηθήσονται. καὶ οἱ ἱερεῖς ὡς φοῖνιξ ἀνθήσουσι, Χριστοῦ εὐωδίαν τοῖς σωζομένοις ἐμπνέοντες, καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ ἐπινικίως προσᾴδοντες· περιεῖλε κύριος ἐκ σοῦ τὰ ἀδικήματά σου. ἔτι δὲ καὶ τοὺς δρεπομένους καρποὺς γλυκάζοντες, πληθύνοντές τε αὐτοὺς ἐν γήρᾳ πίονι, τῆς μακαρίας ἐκείνης λέγω, καὶ ἀκηράτου ζωῆς κληρονόμους ἀναδεικνύντες.

Audiamus ista omnes, auscultemus non modo pontifices, sed & qui in clero censentur, & *omnes qui habitant terram.* Oportet enim abundantius nos attendere iis, quæ audita sunt, ne quando dilabamur. *Quoniam non corruptibilibus auro & argento emti sumus de vana a patribus tradita conversatione, sed pretioso sanguine tamquam agni immaculati & incontaminati Christi.* Sic & nos doce, vir sacratissime, ut sequamur scripturæ, evangelii, apostolorum ac patrum præcepta. Obtemperamus enim verbis oris vestri. *In excelsa conscende, exalta in fortitudine vocem tuam, ambula in latitudine,* prædica cum confidentia, ut e medio tollatur evanescatque simoniaca ordinatio, & quidquid propter avaritiam hujus, injustitiamque & mercimonium turpissimum in sequellam venit. Ea enim, cum iis qui pro ea militant, sublata ex populo acquisitionis, qui de Christi nomine vocatur, & gratis redemtionem est consequutus; omnes quæ hujusmodi malo conjunctæ sunt contaminationes, radicitus simul succidentur. Et sacerdotes ut phœnix florebunt, Christi bonum odorem iis qui salvantur inspirantes, & Ecclesiæ victoriæ hymnum cantantes: *Abstulit Dominus a te iniquitates tuas:* præterea, qui decerpuntur fructus dulces reddentes, multiplicantesque eos in senecta uberi, beatæ illius dico, & immortalis vitæ heredes constituentes.

D

ΔΟΓΜΑΤΑ ΟΡΘΟΔΟΞΑ

ΑΠΕΡ ΕΞΕΘΕΝΤΟ

ΟΙ ΑΓΙΟΙ ΑΠΟΣΤΟΛΟΙ

Καὶ πάντες οἱ ἅγιοι πατέρες, καὶ οἰκουμενικοὶ διδάσκαλοι.

DOGMATA ORTHODOXA

QUÆ EXPOSUERUNT

SANCTI APOSTOLI

Omneſque SS. Patres, atque Œcumenici doctores.

Πιστεύομεν, καθὼς ἐβαπτίσθημεν εἰς πατέρα A καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα, τὸν ἕνα Θεόν. εἰ γὰρ καὶ Θεὸς ὁ πατὴρ, καὶ Θεὸς ὁ υἱὸς, καὶ Θεὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἀλλ᾽ οὐ παρὰ τοῦτο τρεῖς θεοὶ, ἀλλὰ μία θεότης τρισυπόστατος. ἐπὶ γὰρ τῆς ἁγίας τριάδος ὁμολογοῦμεν μίαν φύσιν, μίαν ὑπερούσιον οὐσίαν, μίαν μορφὴν, μίαν βασιλείαν, μίαν ἐξουσίαν, μίαν θέλησιν, καὶ μίαν ἐνέργειαν, ἓν κράτος, καὶ ἓν ἔξαλμα τῶν τριῶν ὑποστάσεων ἀκίνητον, δι᾽ ἀκινησίας δὲ τὰ πάντα τῷ θείῳ αὐτοῦ προστάγματι κινοῦν, πάντων προνοητικόν· διὰ πάντων διήκουσαν τὴν ὑπέρθεον θεότητα, καὶ πᾶσι κατὰ τὸ συμφέρον οἰκονομοῦσαν, εἰ καὶ ἄγνωστα ἡμῖν εἰσι. τρεῖς δὲ αὐτῆς ὁμολογοῦμεν τὰς ἁγίας ὑποστάσεις, τρία πρόσωπα, ἤτοι τρία ἄτομα, B οὐκ ἄλλο καὶ ἄλλο τὴν φύσιν, ἄλλο δὲ μᾶλλον καὶ ἄλλο τὴν ὑπόστασιν, οὐ φύσει διαφέροντα ἀλλήλων, ἰδιότητι δὲ μᾶλλον. ἴδιον γὰρ τοῦ πατρὸς τὸ ἀγέννητον, ἴδιον δὲ τοῦ υἱοῦ τὸ γεννητὸν, καὶ ἴδιον τοῦ ἁγίου πνεύματος τὸ ἐκπορευτόν. οὐ τοῦ πατρὸς ἐκστάντος εἰς υἱὸν, οὐδὲ ὁ υἱὸς γέγονε τοῦ Θεοῦ πατὴρ, ἢ μήτηρ, οὐδὲ τὸ ἅγιον πνεῦμα γέγονε πατὴρ, ἢ υἱός· ἀλλ᾽ ἦν, καὶ ἔστι, καὶ ἔσται ὁ πατὴρ, πατὴρ, καὶ ὁ υἱὸς, υἱὸς, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, πνεῦμα ἅγιον. καὶ προσκυνοῦμεν, καὶ ὁμολογοῦντες δοξάζομεν τὴν μακαρίαν καὶ ὑπέρθεον θεότητα ἐν πατρὶ καὶ υἱῷ καὶ ἐν ἁγίῳ πνεύματι· καὶ τὰς τρεῖς ταύτας ὑποστάσεις ἐν μιᾷ θεότητι, καὶ οὔτε διὰ τὴν C μοναρχίαν ἰουδαΐζομεν, οὔτε διὰ τὴν ἀφθονίαν τῶν τριῶν ὑποστάσεων ἑλληνίζομεν. οὐ λέγομεν δὲ ἐπὶ τῶν ἁγίων τῆς θεότητος ὑποστάσεων μεῖζον, ἢ ἔλαττον, ἢ ὑποχείριον· ἀλλὰ συνάναρχα ταῦτα δοξάζομεν καὶ σύνθρονα καὶ συναΐδια· ἀνελλιπὲς γὰρ τὸ θεῖον καὶ πάσης ἐπέκεινα φύσεως καὶ χρόνου.

Πιστεύομεν δὲ, ὅτι ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ ἐγεννήθη ἐκ τοῦ πατρὸς πρὸ πάντων τῶν αἰώνων ἀρρεύστως καὶ ἀπαθῶς, χωρὶς μητρὸς, καὶ δι᾽ αὐτοῦ τὰ πάντα ἐγένετο. καὶ ἐπ᾽ ἐσχάτων δὲ τῶν χρόνων εὐδοκίᾳ τοῦ πατρὸς καὶ συνεργείᾳ τοῦ ἁγίου πνεύματος κατῆλθεν ὁ υἱὸς καὶ λόγος τοῦ Θεοῦ, καὶ ἐσαρκώθη ἐκ τῆς ἁγίας θεοτόκου καὶ ἀεὶ παρθένου Μαρίας, οὐ τραπεὶς τῇ θεότητι, οὐδὲ φαντάσας τὴν οἰκονομίαν· ἀλλὰ Θεὸς ὢν τέλειος, γέ-

A Credimus, quemadmodum baptizati [1] ſumus in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, unum Deum. Quamquam enim Deus eſt Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus, non tamen idcirco tres Dii ſunt, ſed una divinitas, tres habens perſonas. In ſancta enim Trinitate confitemur unam naturam, unam ſuperſubſtantialem eſſentiam, unam formam, unum regnum, unam poteſtatem, unam voluntatem, atque unam operationem, unum imperium, unamque trium perſonarum immobilem quidem exaltationem [2], per immobilitatem autem omnia divino ipſius imperio moventem, omnibus providentem: per omnia [3] eminentem diviniſſimam Deitatem, atque omnia ſecundum utilitatem admini- B ſtrantem, etſi hæc ſint nobis incognita. Verum tres confitemur ipſius ſanctas hypoſtaſes, tres perſonas, ſive tria individua; non aliud & aliud ſecundum naturam, ſed aliud potius & aliud ſecundum hypoſtaſin: non natura, magis vero proprietatibus inter ſe differentia. Etenim proprium Patris eſt eſſe ingenitum, proprium Filii eſſe genitum, & eſt proprium Spiritus ſancti eſſe procedens. Non Patre tranſeunte in Filium, nec Filius fuit Dei pater aut mater; neque Spiritus ſanctus fuit pater aut filius: ſed erat, & eſt, & erit Pater, Pater; Filius, Filius; Spiritus ſanctus, Spiritus ſanctus. Et adoramus & confitentes glorificamus beatam & diviniſſimam deitatem in Patre, & Filio, & Spiritu C ſancto, & tres has perſonas in una Divinitate, neque per monarchiam [4] cum Judæis, neque per trium perſonarum pluralitatem cum [5] Græcis ſentimus. Non dicimus autem in ſanctis hujus Divinitatis perſonis majus, aut minus, aut ſubditum; ſed omnes ipſas principio temporis carentes, uno in throno ſedentes & coæternas glorificamus: indeficiens enim Divinitas eſt, & ſupra omnem naturam & tempus.

Credimus autem quod Dei Filius genitus fuit a Patre ante omnia ſæcula abſque matre, ſine corruptione atque paſſione, & per ipſum omnia facta ſunt. Ultimis vero temporibus voluntate Patris, & cooperatione Spiritus ſancti deſcendit Filius & Verbum Dei, & incarnatus eſt ex ſancta deipara, ſemperque virgine Maria, non mutatus in Divinitate, neque ementitus humanæ naturæ adſumtionem; ſed Deus exſiſtens perfectus, factus eſt per-

1. Confer Baſil. epiſt. LXXVII. Theophyl. in cap. x. Joan.
2. Ἔξαλμα, eſt eruptio, vis, impetus, ſeu percitiſſima mobilitas.

4. *Potius* penetrantem.
4. *H. e.* ſingularitatem, *quæ nempe trinitati opponitur*.
5. *Vertendum erat* idololatris, gentilibus.

Sæc. VIII. CIRCA ANN. CHR. 791.

γονε τέλειος ἄνθρωπος, ἔννους, καὶ ἔμψυχος· οὐ κατενεγκὼν τὴν σάρκα ἐξ οὐρανοῦ, ὡς ἄθεοι ἔφησάν τινες τῶν αἱρετικῶν, καὶ ὡς διὰ σωλῆνος διελθὼν ἀπὸ τῆς ἁγίας Θεοτόκου· ἀλλὰ ἀπὸ τῆς ἀχράντου Θεοτόκου ταύτην ἀνέλαβε, καὶ ἐγεννήθη ἐξ αὐτῆς, φυλάξας ταύτην παρθένον καὶ μετὰ γέννησιν, ἀμήτωρ μὲν τὸ πρότερον, ἀπάτωρ δὲ τὸ δεύτερον. ὅθεν δύο αὐτοῦ τὰς γεννήσεις ὁμολογοῦμεν. ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν φαμὲν Θεὸν καὶ ἄνθρωπον. οὐ δύο δὲ αὐτοῦ λέγομεν τὰς ὑποστάσεις, ὡς ὁ ἀσεβὴς ἐτόλμησεν εἰπεῖν Νεστόριος, καὶ οἱ σὺν αὐτῷ· ἀλλὰ μίαν αὐτοῦ λέγομεν τὴν ὑπόστασιν καὶ μετὰ σάρκωσιν. ἡ γὰρ ἁγία αὐτοῦ σάρξ ἐν τῇ αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ λόγου ὑπέστη ὑποστάσει, καὶ ταύτην ἔσχε καὶ ἔχει ὑπόστασιν· ὅθεν ὁμολογοῦμεν ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν Θεὸν καὶ ἄνθρωπον, τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν. αὐτὸς γάρ ἐστιν ὁ χρίων καὶ ὁ χριόμενος· χρίων μὲν ὡς Θεὸς, χριόμενος δὲ ὡς ἄνθρωπος· Χριστὸς δὲ τότε ἐκλήθη ἐν τῇ δευτέρᾳ αὐτοῦ γεννήσει, καὶ οὐχ ὡς Ὠριγενιασταὶ λέγουσι, πρὸ τῶν αἰώνων. λέγομεν δὲ καὶ ὁμολογοῦμεν αὐτὸν διπλοῦν τῇ φύσει, Θεὸν τέλειον καὶ ἄνθρωπον τέλειον, παθητὸν μὲν τῇ ἀνθρωπότητι, ἀπαθῆ δὲ τῇ θεότητι· πεινάσαι τε καὶ διψῆσαι, καὶ φαγεῖν, καὶ πιεῖν, καὶ κοπιάσαι, καὶ ὑπνῶσαι ἑκουσίως καὶ νόμῳ φύσεως. καὶ ὡς μὲν Θεὸς ἔπραττε τὰ θεῖα καὶ ἔνδοξα, τὸ ποιῆσαι τὸ ὕδωρ οἶνον, καὶ τὸ ὀμματῶσαι τυφλὸν, καὶ ἀναστῆσαι τοὺς νεκροὺς, καὶ πεζεῦσαι ἐπὶ τῆς θαλάσσης ἀβρόχοις ποσὶ, καὶ τὰ λοιπά· ὡς ἄνθρωπος δὲ ἔπραττε τὰ ἀνθρώπινα. δύο δὲ αὐτοῦ δοξάζομεν τὰς θελήσεις, καὶ τὰς ἐνεργείας, θείαν καὶ ἀνθρωπίνην. θελήματα δὲ δύο ἀκούσας ἐπὶ τοῦ κυρίου, μὴ μαχόμενα, μηδὲ ἐναντιούμενα ἀλλήλοις νόει. ἀλλὰ ταῦτα θέλουσα ἔπραττεν ἡ ἀνθρωπίνη φύσις, ἅπερ ἡ θεία αὐτοῦ ἤθελε θέλησις· ὅσα γὰρ ἤθελεν, ἠδύνατο καὶ ἐποίει· οὐ γὰρ ἐδέετο ἑτέρου. ἔπαθε δὲ ἑκουσίως, ἐφραγγελώθη, ἐνεπτύσθη, καὶ ἐσταυρώθη, ἐκεντήθη λόγχῃ τὴν πλευρὰν, ἐπήγασέ τε ἐξ αὐτῆς αἷμα καὶ ὕδωρ, σωτηρίας πρόξενον, καὶ ἀπέθανεν, ὡς ἄνθρωπος. ὡς δὲ Θεὸς ἀνέστη αὐτεξουσίως, ἀναστήσας τοὺς ἀπ' αἰῶνος κεκοιμημένους, οὐ πάντας, ἀλλὰ τοὺς ἀξίους. ἐπὶ ἡμέραις δὲ τεσσαράκοντα συνανεστράφη τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ μαθηταῖς, μετὰ τὴν ἐκ νεκρῶν αὐτοῦ ἀνάστασιν, συναυλιζόμενος αὐτοῖς, καὶ ἀνελήφθη εἰς οὐρανοὺς μετὰ τοῦ ἀχράντου καὶ ζωαρχικοῦ αὐτοῦ σώματος, ὁρώντων τῶν ἁγίων αὐτοῦ μαθητῶν. πιστεύομεν δὲ πάλιν ἐλθεῖν αὐτὸν μετὰ δόξης ἀσυγκρίτου κρῖναι πάντας ὡς Θεὸς, καὶ ἀποδοῦναι ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ. προσκυνοῦμεν δὲ αὐτοῦ τὰ τίμια καὶ ἅγια πάθη, δι' ὧν ἡμᾶς ἐτίμησε, δοξάζοντες αὐτοῦ καὶ τὴν ἀνάστασιν, καὶ εὐλογημένον τὸ κράτος καὶ βασιλείαν αὐτοῦ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν.

Ὁμολογοῦμεν καὶ ἓν βάπτισμα εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, ἀμήν.

Ὁμολογοῦμεν δὲ ἀνάστασιν νεκρῶν, καὶ ζωὴν τοῦ μέλλοντος αἰῶνος.

Ἰστέον, ὅτι ἀχώριστος ἔμεινεν ἡ θεότης τοῦ λόγου τῆς ἁγίας αὐτοῦ σαρκὸς, καὶ ἐν καιρῷ τοῦ πάθους, καὶ ἐν τῷ θανάτῳ, καὶ ἐν τῷ τάφῳ ἦν μετὰ τοῦ σώματος, καὶ ἐν τῷ ᾅδῃ μετὰ τῆς ἁγίας αὐτοῦ ψυχῆς, καὶ ἐν τῷ οὐρανῷ μετὰ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ πνεύματος, καὶ πανταχοῦ ὡς Θεὸς καὶ Θεοῦ υἱὸς, τῆς θεότητος αὐτοῦ ἀπαθοῦς μενούσης. καὶ ἐθέωσε τὴν αὐτοῦ σάρκα ἀσυγχύτως καὶ ἀφύρτως, ὁ αὐτὸς περίγραπτος καὶ ἀπερίγραπτος.

A fectus homo, intellectualis & animatus; non deferens carnem [1] e cælo, ut impii quidam hæretici dictitarunt, neque tamquam per tubum exiens ex sancta deipara; sed ab intemerata eam accepit deipara, & ex ipsa natus est, servans eamdem Virginem etiam post partum, matris quidem expers antea, patre vero carens postea; unde duas ipsius generationes confitemur. Unum quoque ipsum dicimus Deum & hominem. Non autem duas ejusdem esse hypostases prædicamus, velut impius effutire ausus est Nestorius cum asseclis; sed unam ipsius dicimus hypostasin etiam post incarnationem. Sancta enim ejusdem caro in ipsius Verbi Dei subsistit hypostasi; & hanc hypostasin habuit & habet; quare B confitemur unum & ipsum Deum & hominem Dominum nostrum Jesum Christum. Ipse enim est ungens & unctus: ungens quidem, ut Deus; unctus vero, ut homo. Christus [2] enim vocatus fuit in altera ejusdem generatione, non autem, ut Origeniani dictitant, ante sæcula. Dicimus autem & confitemur eum duplicem natura, scilicet perfectum Deum perfectumque hominem, passibilem quidem quod ad humanitatem, impassibilem vero quod ad divinitatem; esurivisse, & sitivisse, & comedisse, & bibisse, & laborasse, & dormivisse sponte & secundum naturæ legem. Et tamquam Deus divina fecit, & gloriosa: aquam vertit in vinum, oculos cæco aperuit, mortuos ad vitam revocavit, siccis C pedibus super mare ambulavit, & cetera. Ut homo vero humana patravit. Duas ergo voluntates ipsius statuimus, duasque operationes, divinam atque humanam: & quum duas audieris in Domino voluntates, ne existimes esse inter se pugnantes ac contrarias; verum ea volens faciebat humana natura, quæ divina ejus voluit voluntas: quæcumque enim volebat, poterat, ac faciebat; non enim alterius indigebat. Sponte autem passus est, flagellatus, consputus & crucifixus, lancea in latere vulneratus, unde sanguis & aqua exivit, salutis conciliatrix, & velut homo mortuus est. Ut Deus vero surrexit sua ipsius voluntate, excitans, qui a sæculo dormierant, non omnes, sed dignos. Qua- D draginta autem diebus una conversatus est cum sanctis discipulis suis post resurrectionem, & convescens cum eis adsumtus est in cælum una cum immaculato suo & principe viventium corpore, videntibus sanctis ipsius discipulis. Credimus vero eumdem rursus venturum cum incomparabili gloria, ut judicet tamquam Deus omnes, & reddat unicuique juxta opera sua. Adoramus vero pretiosam ejusdem & sanctam passionem, per quam nos adfecit honore, glorificantes resurrectionem ejusdem, benedictum imperium & regnum in sæcula sæculorum. Amen.

Confitemur etiam unum Baptisma [3] in remissionem peccatorum. Amen.

Confitemur resurrectionem mortuorum, [4] & vi- E tam futuri sæculi.

Sciendum est, quod inseparabilis mansit divinitas Verbi ab sancta illius carne, etiam tempore passionis, & in morte; & in sepulcro erat cum corpore, & in inferis una cum sancta ipsius anima, & in cælo una cum Patre, & Spiritu sancto, & ubique ut Deus, & Dei Filius, permanente impassibili sola ejusdem Divinitate; deificavitque suam carnem inconfuse, & non immixtim, ipse circumscriptus, & incircumscriptus.

1. De hoc errore Valentini vide sis Epiph. hær. 31. & Damascen.
2. Ex Damasceno lib. IV. Orthod. fidei cap. VI p. 388. Consule Suicerum in Lex. vers. Χριστός. Et Basilium lib. V. contra Eunomium, tom. II. pag. 117.
3. Confer Tertull. lib. de præscript. Marcio plures indulgebat baptismos.
4. Valentiniani carnis resurrectionem negabant. Damascen. hær. 31. Vid. & hær. 34. 36.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 791.

A Ἔκθεσις θεολογίας, ἣν ἐμυήθη ὁ θαυματουργὸς Γρηγόριος παρὰ τῆς δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου καὶ ἀεὶ παρθένου Μαρίας, καὶ τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ θεολόγου καὶ εὐαγγελιστοῦ.

Εἷς Θεὸς, πατὴρ λόγου ζῶντος, σοφίας ὑφεστώσης, καὶ δυνάμεως, καὶ χαρακτῆρος ἀϊδίου· τέλειος τελείου γεννήτωρ, πατὴρ υἱοῦ μονογενοῦς. εἷς κύριος, μόνος ἐκ μόνου, Θεὸς Θεοῦ, χαρακτὴρ καὶ εἰκὼν θεότητος, λόγος ἐνεργὴς, σοφία τῆς τῶν ὅλων συστάσεως περιεκτικὴ, καὶ δύναμις τῆς ὅλης κτίσεως ποιητική. υἱὸς ἀληθινὸς ἀληθινοῦ πατρός· ἀόρατος ἀοράτου, καὶ ἄφθαρτος ἀφθάρτου, ἀθάνατος ἀθανάτου, καὶ ἀΐδιος ἀϊδίου. ἓν πνεῦμα ἅγιον, ἐκ Θεοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχον, καὶ B διὰ υἱοῦ πεφηνὸς, δηλαδὴ τοῖς ἀνθρώποις, εἰκὼν τοῦ υἱοῦ τελείου τελεία, ζωὴ ζώντων αἰτία· ἁγιότης ἁγιασμοῦ χορηγός. ἐν ᾧ φανεροῦται Θεὸς ὁ πατὴρ, ὁ ἐπὶ πάντων καὶ ἐν πᾶσι. καὶ Θεὸς ὁ υἱὸς, ὁ διὰ πάντων. τριὰς τελεία, δόξῃ, καὶ ἀϊδιότητι, καὶ βασιλείᾳ, μὴ μεριζομένη, μηδὲ ἀπαλλοτριουμένη. οὔτε οὖν κτιστόν τι, ἢ δοῦλον ἐν τῇ τριάδι, οὐδὲ ἐπείσακτον, ὡς πρότερον μὲν οὐχ ὑπάρχον, ὕστερον δὲ ἐπεισελθόν. οὔτε γὰρ ἐνέλιπέ ποτε ὁ υἱὸς πατρὶ, οὔτε τῷ υἱῷ πνεῦμα. [3] οὔτε ηὐξήθη μονὰς εἰς δυάδα, ἢ δυὰς εἰς τριάδα· ἀλλ' ἄτρεπτος, καὶ ἀναλλοίωτος ἡ αὐτὴ τριὰς ἀεί.

C Ἰστέον, ὅτι φύσις, καὶ μορφὴ, καὶ οὐσία, ἓν καὶ ταυτόν ἐστιν. ὑπόστασις δὲ καὶ πρόσωπον καὶ ἄτομον, καὶ χαρακτὴρ, ἓν καὶ ταυτόν εἰσι.

Τὴν δὲ ἁγίαν Μαρίαν τὴν τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν γεννήσασαν προσκυνοῦμεν καὶ σεβόμεθα, ὡς Θεοῦ μητέρα, καὶ θεοτόκον αὐτὴν τρανῶς ἀνακηρύττομεν. ὅς τις γὰρ τὴν ἁγίαν θεοτόκον Μαρίαν τὴν μητέρα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ θεοτόκον οὐχ ὁμολογεῖ, ἔχει τὸ ἀνάθεμα, καὶ ἐν τῇ σφοδροτέρᾳ καὶ ἐπιπονωτέρᾳ κολάσει καταδικασθείη· ἀνθ' ὧν ἠθέτησε τὴν μόνην τετιμημένην, τὴν ἐνδοξοτέραν τῶν χερουβὶμ, καὶ τιμιωτέραν τῶν σεραφὶμ, τὴν δέσποιναν πάντων ποιη- D μάτων. τὸν δὲ τίμιον καὶ ζωοποιὸν σταυρὸν προσκυνοῦμεν· ἐν αὐτῷ γὰρ ἐσταυρώθη ὁ Θεὸς ἡμῶν καὶ ἡγίασεν αὐτόν· καὶ οἱ ἀσπαζόμενοι αὐτὸν φωτισμοῦ καὶ ἁγιασμοῦ πληρούμεθα. τοὺς δὲ ἁγίους ἀγγέλους, ἤγουν πάσας τὰς οὐρανίους δυνάμεις, προσκυνοῦμεν, ὡς οἰκείους, δούλους καὶ θεράποντας καὶ ὑπηρέτας τοῦ Θεοῦ, ὡς δι' αὐτῶν τειχιζόμενοι καὶ φρουρούμενοι, ἔχοντες αὐτοὺς προστάτας καὶ φύλακας. προσκυνοῦμεν δὲ καὶ τιμῶμεν τὸν ἅγιον Ἰωάννην τὸν πρόδρομον τοῦ Χριστοῦ, καὶ τοὺς ἁγίους ἀποστόλους, προφήτας τε καὶ μάρτυρας καὶ τοὺς ἀοιδίμους πατριάρχας καὶ διδασκάλους, ὁσίους καὶ δικαίους, ὡς γνησίους δούλους καὶ φίλους τοῦ Θεοῦ ἡμῶν. προσκυνοῦμεν δὲ καὶ τὴν ἁγίαν εἰκόνα τοῦ E κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, οὐ θεοποιούμενοι ταύτην, ἀλλ' ὡς αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ ἡμῶν εἰκόνα, γινώσκοντες, ὅτι ἡ τῆς εἰκόνος τιμὴ εἰς τὸ πρωτότυπον διαβιβάζεται. προσκυνοῦμεν δὲ καὶ ἀσπαζόμεθα τὴν ἁγίαν εἰκόνα τῆς ἀχράντου θεοτόκου, καὶ ἐξ αὐτῆς λαμβάνομεν ἁγιασμὸν καὶ ἰάσεις ποικίλους ψυχικῶς καὶ σωματικῶς. προσκυνοῦμεν δὲ καὶ τὰς ἁγίας εἰκόνας τῶν τε ἁγίων ἀγγέλων, καὶ πάντων τῶν ἁγίων.

Ἡ δὲ ἁγία δωρεὰ, ἧς μεταλαμβάνομεν οἱ χρι-

A Expositio [1] Theologiæ, quam edoctus fuit Gregorius Thaumaturgus a domina nostra deipara semperque virgine Maria, & sancto Joanne Theologo & Evangelista.

[2] Unus Deus, Pater Verbi viventis, sapientiæ subsistentis, & potentiæ, & characteris sempiterni: perfectus perfecti genitor, Pater Filii unigeniti. Unus Dominus, solus ex solo, Deus de Deo. Character & imago Deitatis, Verbum efficax. Sapientia constitutionis rerum universarum comprehensiva: & virtus atque potentia universæ creaturæ effectiva. Filius verus veri Patris; invisibilis, ejus qui est invisibilis; & incorruptibilis, corruptioni non obnoxii; ac immortalis, mortis prorsus nescii; & B sempiternus, sempiterni. Unusque Spiritus Sanctus ex Deo exsistentiam habens, & qui per Filium adparuit, scilicet hominibus, imago Filii perfecti perfecta, vita viventium caussa, sanctitas sanctificationis suppeditatrix, in quo manifestatur Deus Pater, qui super omnia est, & in omnibus: & Deus Filius, qui per omnia est: Trinitas perfecta, quæ gloria, & æternitate, ac regno, atque imperio non dividitur, atque abalienatur. Non igitur creatum quid, aut servum in Trinitate, neque superinductitivum aliquid, & adventitium, quasi prius non exsistens, posterius vero adveniens. Non ergo defuit umquam Filius Patri: neque Filio Spiritus sanctus: neque aucta est umquam unitas in dualitate, aut C dualitas in Trinitate; sed immutabilis & invariabilis eadem semper manet Trinitas.

Sciendum, quod natura, forma, & essentia unum & idem est: hypostasis, persona, individuum, & character unum & idem sunt.

Sanctam vero Mariam, quæ genuit Dominum nostrum Jesum Christum, adoramus & colimus, sicuti Dei matrem, ipsamque Deiparam manifeste prædicamus. Quicumque enim sanctam Deiparam Mariam matrem Domini nostri Jesu Christi, Deiparam non confitetur, anathema sit, & vehementiori & laboriosiori ultione damnatus sit: propterea quod contemsit solam honorandam, gloriosiorem Cherubim, magnificentioremque Seraphim, omnium rerum crea- D tarum dominam. Pretiosam etiam & vivificam crucem adoramus; in ipsa enim crucifixus est Deus noster, ipsamque sanctificavit: siquidem eam deosculantes lumine & sanctificatione adimplemur. Sanctos vero Angelos, videlicet omnes cælestes virtutes veneramur tamquam domesticos, servos, famulos, & administros Dei, veluti per ipsos muro septi, ac defensi, habentes eosdem præsides, & custodes. Insuper adoramus & colimus sanctum Joannem Christi præcursorem, sanctosque Apostolos, Prophetas, Martyres, venerabiles Patriarchas, & Doctores, Sanctos, & Justos, tamquam sinceros servos, & amicos Dei nostri. Adoramus etiam sanctam imaginem Domini Jesu Christi, non ipsam Deum existiman- E tes, sed tamquam imaginem ejusdem Christi & Dei nostri; scientes, quod imaginis honor refunditur in prototypum. Adoramus vero & veneramur sanctam imaginem immaculatæ Deiparæ, & ex ipsa recipimus sanctificationem & varias cum animæ, tum corporis curationes. Adoramus autem etiam sacras imagines sanctorum Angelorum, omniumque sanctorum.

Sacrum vero donum, quod nos Christiani parti-

1. Titulus sic habet in Codice Richardiano; sed in Conciliis Labbei tom. I. pag. 863. legitur: Ἔκθεσις πίστεως κατὰ ἀποκάλυψιν Γρηγορίου ἐπισκόπου Νεοκαισαρείας. *Expositio fidei juxta revelationem Gregorii episcopi Neocæsareæ.*

2. Vide Fabricium Bib. gr. tom. V. pag. 249. Versionem hujus apocalypsis dedit Becuccius ex Gher. Vossio.

3. Hæc verba, οὔτε ηὐξήθη μονὰς εἰς δυάδα, quæ sunt in Codice, desunt apud Labbeum loco excitato.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 791.

ϛιανοὶ, οὐκ ἀντίτυπός ἐστι τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ Θεοῦ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· ἀλλ' αὐτὸ ἐκεῖνό ἐστι τὸ ἅγιον σῶμα, καὶ τίμιον αἷμα τοῦ κυρίου· ὅθεν καὶ οἱ μεταλαμβάνοντες τούτου ἀξίως, ἁγιασμοῦ καὶ δόξης τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ πληροῦνται.

Τοὺς δὲ ὀρθοδόξους ἱερεῖς, ὡς ἀγγέλους Θεοῦ τιμῶμεν. τὰ δὲ ἅγια τῶν μαρτύρων καὶ πάντων τῶν ἁγίων λείψανα, ὡς αὐτοὺς τοὺς ἁγίους τιμῶμεν καὶ σεβόμεθα. εἰ γὰρ καὶ ὀστᾶ γυμνὰ δοκεῖ εἶναι, ἀλλ' ἐκβλύζουσιν ἰάματα. οὕτως γὰρ ἐγὼ πιστεύω, οὕτως δοξάζω· οὕτως γὰρ παρέλαβον ἀπὸ τῶν προγόνων μου, καὶ ἀπὸ τῶν μακαρίων καὶ ἁγίων καὶ οἰκουμενικῶν διδασκάλων. πιστεύω μὲν οὖν τὰ παρὰ τῶν ἁγίων ἀποστόλων κηρυχθέντα, καὶ τοῦ μεγάλου Βασιλείου, τοῦ ἐν θεολογίαις Γρηγορίου, Λέοντος πάπα Ῥώμης, Ἀθανασίου, Κυρίλλου Ἀλεξανδρείας, Γρηγορίου τοῦ Νύσσης, Ἰωάννου τοῦ τρισμακαριστοῦ Χρυσοστόμου, καὶ τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου μοναχοῦ τοῦ Δαμασκηνοῦ, καὶ τῶν λοιπῶν θεολόγων. τοὺς δὲ μὴ πιστεύοντας τοῖς δόγμασι τούτων, ἀναθεματίζω, ὡς ἀσεβεῖς καὶ ἐχθροὺς τοῦ Θεοῦ· εὐλογῶ γὰρ οὓς ηὐλόγησαν, καὶ καταρῶμαι, οἷς κατηράσαντο.

Καὶ ἐγὼ μὲν, τέκνα μου ἀγαπητὰ, ἐξεθέμην ὑμῖν τὰ ἅγια ταῦτα δόγματα, ἀναλεξάμενος ταῦτα ἀπὸ πολλῶν βιβλίων· ἅ τινα καὶ ἐν ἐπιτόμῳ ἐξεθέμην, ὡς ἂν ἀναγινώσκητε ταῦτα καθεκάστην, καὶ ἐκ τούτων στερεωθῶσιν ὑμῶν αἱ καρδίαι εἰς τὴν ὀρθόδοξον πίστιν καὶ ἀληθινήν· ἔχοντες πληροφορίαν, ὡς ὁ γεννήσας ὑμᾶς οὕτως ἐπίστευε. καὶ ἐν τούτοις ἦν ἡ ἐλπίς μου, οὐ μόνον ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ μέλλοντι, ὁπόταν ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ ἀληθινὸς Θεὸς ἔλθῃ ἐν ἀπείρῳ δόξῃ κρῖναι τὸν κόσμον, καὶ ἀποδοῦναι ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ, παρισταμένων αὐτῷ ἐν φόβῳ καὶ τρόμῳ τῶν ὑπερκοσμίων δυνάμεων, τὸν δὲ ἄρχοντα τοῦ σκότους καὶ τὰ ὑπ' αὐτὸν ἀποστατικὰ πνεύματα, ταρτάρῳ καὶ αἰωνίῳ κολάσει παραδοῦναι σὺν τῷ ἀντιχρίστῳ.

A cipamus, non eſt figura corporis & ſanguinis Dei noſtri Jeſu Chriſti; ſed illud idem eſt ſanctum corpus, & pretioſus ſanguis Domini; unde, qui ejuſdem digne participes fiunt, ſanctitate & gloria Filii Dei adimplentur.

Orthodoxos vero ſacerdotes, velut angelos Dei veneramur. Sanctas inſuper martyrum atque omnium ſanctorum reliquias, tamquam eoſdem ſanctos veneramur & colimus: etſi enim oſſa nuda eſſe videntur, attamen remedia effundunt. Ita ego credo: ita mea fert opinio: ita enim accepi a meis majoribus, & a beatis & ſanctis generalibus magiſtris. Credo igitur quæcumque a ſanctis Apoſtolis prædicata ſunt, & a Magno Baſilio, Gregorio Theo-B logo, Leone Papa Romæ, Athanaſio, Cyrillo Alexandrino, Gregorio Nyſſeno, beatiſſimo Joanne Chryſoſtomo, & ſancto patre noſtro Joanne monacho Damaſceno, & a reliquis theologis. Eos autem, qui eorum dogmatis fidem non habent, excommunico, tamquam impios, & Dei inimicos. Etenim benedico quibus benedixerunt ii, & maledico quibus illi maledixerunt.

Ceterum ego quidem, filii mei dilecti, hæc ſancta dogmata vobis expoſui, quæ ex multis libris collegi; quæque compendioſe explicui, ut eadem quotidie perlegatis, & ut ex his firmentur corda veſtra in vera & orthodoxa fide; pro certo & com-C perto habentes, quod & ille qui [1] vos genuit, ſic credidit. In his profecto ſpes mea, non ſolum in præſenti ſæculo, ſed & in futuro; quando Dominus noſter Jeſus Chriſtus verus Deus venerit cum immenſa gloria judicaturus mundum, & redditurus unicuique ſecundum opera ſua, adſtantibus illi in timore & tremore ſuperioribus virtutibus, principem vero tenebrarum, & qui ſub ipſo ſunt rebelles ſpiritus in tartara, & ſempiternam ultionem traditurus una cum Antichriſto.

ΟΡΟΣ ΠΙΣΤΕΩΣ ΟΡΘΟΔΟΞΙΑΣ.

Πιστεύω εἰς πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα, τριάδα ὁμοούσιον, μίαν θεότητα, μίαν δύναμιν, μίαν ἐξουσίαν, μίαν θέλησιν, μίαν ἐνέργειαν, τουτέστιν ἕνα Θεὸν ἐν τρισὶ γνωριζομέναις ὑποστάσεσι, νοεραῖς, τελείαις, καθ' αὑτὰς ὑφεστώσαις, ἀριθμῷ διαιρεταῖς, καὶ οὐ διαιρεταῖς θεότητι, ἓν γὰρ ἐν τρισὶ ἡ θεότης, καὶ τὰ τρία ἕν, τὰ ἐν οἷς ἡ θεότης. ὁμολογῶ δὲ καὶ πιστεύω τὸν ἕνα τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου τριάδος τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν μονογενῆ τοῦ Θεοῦ υἱὸν, προαιωνίως μὲν ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα ἀχρόνως, καὶ ἀσωμάτως, ἐπ' ἐσχάτων δὲ τῶν ἡμερῶν δι' ἡμᾶς καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν σαρκωθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου, καὶ Μαρίας τῆς παρθένου καὶ ἀληθῶς θεοτόκου, σαρκὶ ἐμψυχωμένῃ ψυχῇ λογικῇ καὶ νοερᾷ, γενόμενον ἄνθρωπον κατὰ πάντα καθ' ὁμοιότητα χωρὶς ἁμαρτίας· τέλειον ἐν θεότητι καὶ τέλειον τὸν αὐτὸν ἐν ἀνθρωπότητι· ὁμοούσιον τῷ πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, καὶ ὁμοούσιον ἡμῖν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα· ἐκ δύο φύσεων καὶ ἐν δυσὶ ταῖς φύσεσι γνωριζομέναις ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως.

DEFINITIO FIDEI CATHOLICÆ.

Ex Lat. verſione Viri Cl. Io. Lamii. [2]

D Credo in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, Trinitatem conſubſtantialem, unam divinitatem, unam virtutem, unam potentiam, unam voluntatem, unam actionem, hoc eſt, unum Deum in tribus indicatis [3] perſonis, intellectualibus, perfectis, ſecundum ſeipſas exſiſtentibus, numero diſtinctis, ſed non diſtinctis divinitate: una enim in tribus divinitas, & hæc tria unum, in quibus quæcumque ſunt, divinitas eſt. Confiteor vero, & credo unum ex ſancta & conſubſtantiali Trinitate Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, unigenitum Dei Filium, ante ſæcula quidem ex Patre genitum intemporaliter, & incorporaliter; ultimis vero diebus E propter nos, & propter noſtram ſalutem incarnatum de Spiritu ſancto ex Maria virgine & vere Deipara, carne animata anima rationali & intellectuali, & factum hominem per omnia ſecundum ſimilitudinem, excepto peccato; perfectum in divinitate, & perfectum eumdem in humanitate; conſubſtantialem Patri ſecundum divinitatem, & conſubſtantialem nobis ſecundum humanitatem: ex duabus naturis, & in duabus naturis [4] indicatis, inconfuſe, inconvertibiliter, indiviſibiliter [5].

1. Plauſibiliter hinc inferas a parente aliquo pro liberis ſuis factam hanc collectionem.
2. *Delic. Erudit. tom. I. pag.* 283. Confer Fabric. l. c.
3. Γνώρισμα etiam apud Baſil. *epiſt.* XLIII. *diſtinctionem* perſonarum in Deo, *notionem* aut *proprietatem* ſignificat. Mox *διαιρεταῖς aliis* verte.
4. Diſtinctis.
5. Haſtenus verſio Lamii.

SÆC. VIII. CIRCA ANN. CHR. 791.

A

ΕΚΘΕΣΙΣ ΠΙΣΤΕΩΣ ΕΝ ΣΥΝΤΟΜΩ.

Ερώτ. Πόσας φύσεις ὁμολογεῖς ἐπὶ τῆς ἁγίας ϗ ὁμοουσίου ϗ ἀκτίστου τριάδος;

Απόκ. Μίαν φύσιν ὁμολογῶ.

Ερώτ. Πόσας οὐσίας;

Απόκ. Μίαν οὐσίαν.

Ερώτ. Πόσας μορφάς;

Απόκ. Μίαν μορφήν.

Ερώτ. Πόσα θελήματα;

Απόκ. Εν θέλημα.

Ερώτ. Πόσας ὑποστάσεις, ἢ πρόσωπα;

Απόκ. Τρεῖς ὑποστάσεις ὁμολογῶ, πατρός, υἱοῦ, ϗ πνεύματος.

B

Ερώτ. Τίς ἐκ τῆς ἁγίας τριάδος ἐνανθρώπησεν;

Απόκ. Ο' υἱὸς καὶ λόγος.

Ερώτ. Πόσας φυσεις ὁμολογεῖς ἐπὶ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, τοῦ δι' ἡμᾶς ἐνανθρωπήσαντος;

Απόκ. Δύο φύσεις ὁμολογῶ, θεότητος ϗ ἀνθρωπότητος.

Ερώτ. πόσας οὐσίας;

Απόκ. Δύο οὐσίας ὁμολογῶ, ὁμοούσιον τὸν υἱὸν τῷ πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, ϗ ὁμοούσιον ἡμῖν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα.

Ερώτ. Πόσα θελήματα;

Απόκ. Δύο θελήματα, θεότητος ϗ ἀνθρωπότητος.

C

Ερώτ. Πόσας ἐνεργείας;

Απόκ. Δύο ἐνεργείας ὁμολογῶ.

Ερωτ. Πόσας ὑποστάσεις;

Απόκ. Μίαν ὑπόστασιν τοῦ Θεοῦ λόγου.

Ερώτ. Πόσας γεννήσεις;

Απόκ. Δύο γεννήσεις ὁμολογῶ, τὴν προαιώνιον ἐκ τοῦ πατρὸς ἀχρόνως ϗ ἀσωμάτως ἐκλάμψαν ἐκ πατρός, ὡς ἐξ ἡλίου τὸ φῶς [1].

1. Cetera desunt; ac lege ἐκλάμψασαν.

COMPENDIARIA FIDEI EXPOSITIO.

Inter. Quot naturas confiteris in sancta & consubstantiali & increata Trinitate?

Resp. Unam naturam confiteor.

Inter. Quot substantias?

Resp. Unam substantiam.

Inter. Quot formas?

Resp. Unam formam.

Inter. Quot voluntates?

Resp. Unam voluntatem.

Inter. Quot hypostases, seu personas?

Resp. Tres hypostases confiteor, Patris, Filii, & Spiritus sancti.

Inter. Quisnam ex sancta Trinitate homo factus est?

Resp. Filius & Verbum.

Inter. Quot naturas confiteris in Dei Filio, qui propter nos factus est homo?

Resp. Duas naturas confiteor, Dei, & hominis.

Inter. Quot substantias?

Resp. Duas substantias confiteor, Filium consubstantialem Patri secundum divinitatem, consubstantialem vero nobis secundum humanitatem.

Inter. Quot voluntates?

Resp. Duas voluntates, divinam, atque humanam.

Inter. Quot operationes?

Resp. Duas operationes confiteor.

Inter. Quot hypostases?

Resp. Unam hypostasin Verbi Dei.

Inter. Quot generationes?

Resp. Duas generationes confiteor, alteram ante sæcula ex Patre intemporaliter & incorporaliter, tamquam ex sole lucem, emicantem ex Patre.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 795.



LEIDRADI
EPISCOPI LUGDUNENSIS
LIBER
DE SACRAMENTO BAPTISMI
Ad Carolum magnum imperatorem.

DOmino christianissimo & gloriosissimo Carolo imperatori, felicissimo, augusto. Præcipere [1] nobis dignati estis, ut aut per nostra scripta aut per nos ipsos cognoscatis, qualiter nos & suffraganei nostri doceamus & instruamus sacerdotes Dei, & plebem nobis commissam de baptismi sacramento, & ceteris quæ circa baptismum celebrantur. Deinde si in hoc quod prædicamus, nos ipsos custodiamus. Quæ omnia sicut difficilia sunt & ardua ad cognoscendum, ita quoque perplexa & laciniosa ad innotescendum: præcipue nobis, quos & tenuitas ingenii angustat, & magnitudo rei ita opprimit, ut ante ruendum sit, quam levandum. Sed quia ille jussit, qui nec falli potest tergiversatione, nec contemni silentio; aggrediendum est opus, & juxta facultatem virium exponendum quod in regenerationis sacramento percipimus tenendum. Quidquid autem secus, quam decet a nobis profertur, non est caussa temeritatis, sed timiditatis: quia ei respondemus, ad cujus interrogationem tacere non audemus. Illi scientiam nostram offerimus, qui magis solet docere, quam reprehendere: cujus reprehensio vita est saluberrima, ut magis quisque ex ea erudiatur, quam confundatur; cujus eruditio ad sermonis sui consortium cunctos clementer invitat, injuste nullum deterret. Vestræ ergo constantissimæ modestiæ freti favore, in quantum adtingere de his rebus possumus; licet parum digne possimus dicere; exponimus quod nobis jussum fuisse a vobis advertimus, maxime verbis sanctorum patrum ex diversis opusculis sumtis. Et priusquam ad cetera veniamus, liber pauca de his quæ ab exordio mundi ad potentiam baptismi pertinentia præfigurata sunt, ponere, & nativitatis secundæ, immo in Christo primæ, digerere sacramenta, ac deinceps de ceteris rebus tractare: maxime quia dicitis vos velle cognoscere qualiter doceamus & instruamus plebem & sacerdotes.

CAPUT I.

De significationibus sacri baptismatis.

IGitur rudis mundus, necdum sole rutilante, nec pallente luna, nec astris micantibus, incompositam & invisibilem materiam abyssorum magnitudine, & deformibus tenebris opprimebat. Solus *Spiritus Dei* in aurigæ modum *super aquas ferebatur*, & nascentem mundum in figura baptismi parturiebat. Inter cælum & terram medium exstruitur firmamentum, & juxta hebraici sermonis etymologiam, cælum, id est *Samaim*, ex aquis sortitur vocabulum, & *aquæ quæ super cælos sunt* in laudes Domini separantur. Unde & in Ezechiel crystallum super Cherubim videtur extensum, id est

A compactæ & densiores aquæ. Primum de aquis quod vivat egreditur, & pennatos fideles de terra ad cælum levat. Fabricatur homo, & inter manus Dei aquarum sacramenta versantur. Plantatur paradisus in Edem, & unus fons in quatuor principia dividitur, qui postea secundum visionem Ezechielis prophetæ egrediens de templo, & contra solis ortum vadens, amaras aquas mortuasque vivificat. Peccat mundus, & sine aquarum diluvio non purgatur: statimque columba Spiritus sancti expulso alite teterrimo, ita ad Noe, quasi ad Christum in Jordanem devolat, & ramo refectionis ac luminis pacem orbis adnunciat. Pharao cum exercitu suo nolens populum Domini exire de Ægypto, B in typo baptismatis suffocatur; & in psalmis de interfectione illius scribitur: [a] *Tu confirmasti in virtute tua mare, contrivisti capita draconem in aquis.* Unde & reguli & scorpiones arentia quæque sectantur: in ara mutatur sacramentum crucis, & LXX. palmæ apostolorum dulcoratis legis gurgitibus irrigantur. Abraham & Isaac puteos fodiunt; repugnant allophyli, & Bersabeæ civitas juramenti, regnumque Salomonis nomen sumit a fontibus. Rebecca invenitur ad puteum, Rachel propter aquas subplantatoris osculo salutatur, Moyses filias sacerdotis Madian aperto puteo ab injuria vindicat. *Vox Domini super aquas. Dominus super aquas multas. Dominus diluvium inhabitare facit. Dentes ejus sicut* C *grex detonsarum ovium, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellos habentes, & sterilis non est in eis.* Micheas de gratia baptismi vaticinatur: [b] *Miserebitur nostri, demerget iniquitates nostras, & projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Ezechiel ait: [c] *Tollam vos quippe de gentibus, & congregabo vos de universis terris, & effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris.* Ipse salvator post baptisma & sanctificatas suo lavacro aquas Jordanis, primum signum ex aquis facit; & qui ab aquis cœperat, finivit in aquis. Latus percutitur lancea, & baptismi pariter atque martyrii sacramenta funduntur. Post resurrectionem suam mittit discipulos in mun- D dum universum, & dicit eis: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Et iterum: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.*

Ex illo ergo tempore cœperunt apostoli docere & baptizare; gentes autem credere & baptizari. Ergo qui baptizandus est, prius docetur ut credat, id est instruatur fide: hoc est enim Catechumenum esse, id est instructum. Catechizare est instruere. Sic filii Israel antequam ad mare rubrum venirent, instructi sunt a Moyse de agni immolatione & ejus sanguine. Unde est ut is, cui per sacerdotem, quasi per Moysem Deus primum loquitur, Catechume-

a Psalm. LXXIII. 13. b Mich. VII. 19. c Ezech. XXXVI. 24. 25.

1. Immo & ceteris præsulibus, ut patet ex epistola ad Odilbertum, apud Mabil. Anal. tom. I. pag. 21.

nus, id est Audiens, nominetur. Nam Catechumenum, & instructum & audientem dicunt interpretari. Exorcizantur primum, deinde salem accipiunt & unguntur. Exorcizare græce dicitur, latine autem adjurare vel increpare. Per peccatum enim in primo homine lapsi sumus, & in mortis hereditatem omnes devenimus. Impleti sumus timoribus & erroribus merito peccati, cum quo nascimur. Ideo & parvuli exsufflantur & exorcizantur, ut pellatur ab eis diaboli potestas inimica, quæ decepit hominem, ut possideret homines. Non ergo Dei creatura in infantibus exorcizatur, vel exsufflatur: sed ille, sub quo omnes cum peccato nascuntur. Est enim princeps peccatorum. Exorcismus autem est sermo increpationis & adjurationis contra immundum spiritum pro [1] energumenis sive catechumenis factus, per quem ab illis diaboli nequissima vis & inveterata malitia, vel violata incursio expulsa fugatur. Hoc enim significavit lunaticus ille, quem increpavit Dominus Jesus, & exiit ab illo dæmonium. Potestas ergo diaboli exorcizatur & insufflatur in eis, ut ei renuncient; atque erepti a potestate tenebrarum, in regnum Domini sui per sacramentum baptismatis transferantur.

Sal autem in ministerio Catechumenis dandus a patribus ideo est institutus, ut ejus gustu condimentum sapientiæ percipiant, neque desipiant a sapore Christi; ne sint fatui, & retro respiciant, sicut uxor Lot, quæ versa est in statuam salis; ut ejus signo condirentur hi, qui per fidem mundo & actibus desideriisque ejus renunciant; ut affectiones pristinæ non recordentur, neque ad sæculi inlecebras revertantur. Unde legis mandatum est, ut omne sacrificium salis adjectione condiretur, dicente legislatore: *Nec auferes sal fœderis de sacrificio Domini*. Propter quod & Dominus in Evangelio ait: *Omnis victima sale salietur*. Et in alio loco: *Habete in vobis salem, & pacem habete inter vos*. Æstimant namque quidam, quod etiam apud quosdam gentilium antiqua erat consuetudo, ut qui fidelitatem regibus promittebant, salem adjuratum vel consecratum in præsentiam eorumdem regum quibus fidem promittebant, comederent. Unde in libro Esdræ scriptum est, quod principes Samaritanorum regi Persarum, cum de accusatione Judæorum scriberent, dixerint: [a] *Memores sumus salis, quod in palatio comedimus*.

Differt sane inter [2] Catechumenos & Competentes. Catechumeni itaque sunt, qui primum de gentilitate veniunt, & habentes voluntatem credendi in Christo audiunt verbum fidei, sed nondum appellantur fideles. Competentes autem sunt, qui jam post doctrinam fidei, post continentiam vitæ, gratiam Christi percipere festinant. Ideoque appellantur Competentes, id est gratiam Christi petentes. Illi petunt & accipiunt, catechizantur & instruuntur instructione sacramentorum: istis salutare symbolum traditur, quasi commonitorium fidei, & sanctæ confessionis indicium, quo instructi agnoscant, quales jam ad gratiam Christi exhibere se debeant. Hæc tota actio, quæ super Catechumenis & competentibus celebratur, a quibusdam Scrutinium nominatur, non ob aliud, ut putamus, nisi a scrutando, juxta illud Psalmistæ: *Scrutans corda & renes Deus*. Eo quod ibi scrutarentur corda credentium & dubitantium a sacerdotibus, ut intelligerent quis ad baptismum jam rite admitteretur, qui adhuc differretur. Juxta hoc & Dominus in evangelio ait: *Scrutamini scripturas*.

CAPUT II.

De tactu narium & aurium: ob quam caussam secundum traditionem ecclesiasticam ab omnibus catholicis Christi sacerdotibus fiat.

INtroitus fidei & totius sanctæ doctrinæ ad animum per aures admittitur, & de auditu intellectus exoritur. Neque enim potest aliquis fidei sacramenta cognoscere, nisi audiat prædicantem, affirmante beato Apostolo qui dicit: *Fides ex auditu; auditus autem per verbum Dei*. Recte ergo ejus sensus organa sanctificantur, sine quo fides ad animum non potest pervenire. Sciendum tamen, quod de hac re in diversis regionibus diversus teneatur usus. Alii namque oleo sancto tangunt Catechumenorum aures & nares; alii vero sputo; alii absque sputo & oleo; alii etiam os tangunt oleo, ad exemplum dominicum. Unde scriptum est in Evangelio de surdo & muto: *Misit digitos suos in auriculas ejus*. Sed sive tactu olei, sive aliter, ideo sanctificantur aures, ut venturi ad baptismum ab omni malo & turpi verbo aures suas impollutas custodiant, sicut scriptum est: [b] *Sepi aures suas spinis, & noli audire linguam nequam*. Et rursus: [c] *Da in disciplinam cor tuum, & para aurem tuam verbis prudentiæ*. Ergo sanctificatio aurium significat, ut omnes extra disciplinam sermones, quasi doctrinæ Christi obloquentes, aversentur fideles ac fugiant, seque ad sola Dei verba audienda convertant: quia auditum suum Christi eloquiis consecrarunt. Nares quoque similis tactu sanctificantur, ut hi qui ad baptismum veniunt, admoneantur tanti mysterii sacramentum usque ad mortem inviolatum atque integrum custodire: ut quamdiu spiritum vitæ hujus naribus suis adtrahunt, a Christi Domini nostri cultura & servitio non recedant. Unde & Job vir sanctus loquitur: *Donec superest halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea loquetur mendacium*. Sed adhuc subtilior intellectus in hac narium sanctificatione signatur. Ille enim tactus ad odoratum fideles provocat spiritalem, ut non corporis sed mentis sensibus Christum inæstimabili suavitate sentire possint, & dicere ei: [d] *Post te in odorem unguentorum tuorum curremus*. Hunc odorem commendat Apostolus Christianis, cum dicit: *Deo autem gratias, qui triumphat nos in Christo Jesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo*. Debent ergo fideles ita vivere, ut suavissimus ad Deum odor ex eorum vitæ sanctitate conscendat.

Unguntur etiam nunc Catechumeni in pectore & inter scapulas oleo exorcizato, cum abrenunciant satanæ & operibus ac pompis ejus. Quod ideo fieri arbitramur, ut habitaculum cordis ante & retro signetur, quo signo diabolus auctor perfidiæ pellatur, & Christus largitor fidei & caritatis ingrediatur. Nam cor hominis est sedes erroris & vitiorum cum a diabolo possidetur: & ipsum efficitur habitaculum fidei, spei & caritatis cum a Christo defenditur & illustratur: Sicut enim scriptum est: *De corde exeunt cogitationes malæ, adulteria, fornicationes, homicidia*. Et: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto*

a I. Esdr. IV. 14. b Eccli. XXVIII. 28. c Eccli. II. 2. d Cant. I. 3.

1. Hinc patet quid sit collata Exorcistis potestas in eorum ordinatione imponendi manus super energumenos. Confer *Berardum* in Cann. II. 15-20. dist. 23. part. I. c. XV. §. 4.

2. Confer Jesse Ambian. epistolam.

SÆC. VIII. CIRCA ANN. CHR. 795.



corde. Bene ergo in abrenunciatione diaboli unguntur corda Catechumenorum, ut recedat ab eis cum omnibus operibus & pompis ejus.

CAPUT III.

De abrenunciatione satanæ: vel quæ sint opera ejus & pompæ.

ABrenunciatio, est abdicatio & repudiatio. Et cum dicimus: *Abrenuncias satanæ?* quid aliud dicimus, nisi, Resistis diabolo? sicut Apostolus ait: *Resistite diabolo, & fugiet a vobis*, ut sequatur; *Adpropinquate Deo, & adpropinquabit vobis*. Resistendum est autem diabolo, spernenda sunt opera B ejus, abdicandæ pompæ, ut non inveniat unde dominetur nobis, sed excludatur de cordibus Catechumenorum, ut mundetur domus conscientiæ; mundetur autem domus, ut Christus introiens eam, mundam inveniat. In hac professione abrenunciationis, non hominibus sed Deo & angelis ejus conscribentibus dicitur: *Abrenuncio*. Abrenunciandum est non solum vocibus, sed etiam moribus, non tantum sono linguæ, sed & actu vitæ. Postquam autem homo renunciando diabolo exclusit pessimum invasorem, introducat optimum possessorem.

Differt autem inter opera & pompas. Opera enim diaboli, sunt ritus profanus qui idolis exhibebatur; deinde homicidium, furtum, rapina, fraus, perju- C rium, adulterium, inimicitiæ, discordiæ, iræ, rixæ, dissensiones, & cetera hujusmodi. Ad pompam vero diaboli pertinent spectacula, insana gaudia, inverecundus lepor, variæque pestes lividorum sensuum. Sic enim antiquos patres novimus prædicasse fidelibus de pompis diaboli fugiendis: *Diabolus spectaculorum insaniam, studiorum ac turpium voluptatum muscipulam quave proponit? nisi ut his delectationibus capiat, quos amiserat. Fugite dilectissimi spectacula, fugite caveas turpissimas diaboli, ne vos vincula teneant maligni. Amator est quispiam circi? Quid delectat circo aurigas videre certantes? populos insana furia anhelantes? quemlibet præcedentem adversarii sui equum frangentem? Ista* D *est omnis delectatio, clamare Quia vicit in theatris. Labes morum est discere turpia, audire inhonesta. Chorus ille & cantio pantomimi inlicit auditum, sed expugnat sanum affectum.* Pompæ diaboli sunt quæque inlicita desideria quæ turpant, non quæ exornant animam; ut sunt desideria carnis, desideria oculorum, ambitiones sæculi. Ad concupiscentiam carnis pertinent, inlecebræ, voluptates; ad concupiscentiam oculorum, nugacitas spectaculorum; ad ambitionem sæculi insana superbia: ubi est fumus inflatus, ut homo positus in aliqua potestate, hominem se esse non agnoscat, cum de homine judicat. Qui vult ergo vincere tria ista, vincat quæ sunt in mundo: & per hæc illum vincit etiam, qui E suadendo per superbiam decepit mundum.

CAPUT IV.

De Symbolo.

SYmbolum græce, latine vero interpretatur Indicium, vel Conlatio; hoc est, Quod plures in unum conferunt. Id enim fecerunt apostoli in his sermonibus; in unum conferendo unusquisque quod sensit. Indicium autem vel signum idcirco dicitur, quia in illo tempore multi simulabant se esse apostolos Christi, nominantes quidem Christum, sed non eum vera fide nunciantes. Idcirco posuerunt symbolum, indicium per quod agnosceretur is, A qui Christum vere secundum apostolicas regulas prædicaret. Discessuri enim apostoli ad evangelizandum in gentibus, hoc sibi prædicationis signum vel indicium posuerunt. Continet autem confessionem Trinitatis & unitatem Ecclesiæ, & omnem Christiani dogmatis confessionem. Quod symbolum fidei nostræ non reliquerunt apostoli scriptum atramento in charta, sed in tabulis cordis carnalibus.

CAPUT V.

De credulitate.

POst apostolicum Symbolum certissima fides, quam magistri ecclesiarum tradiderunt, hæc est scilicet, ut profiteatur Patrem & Filium & Spiritum sanctum unum Deum invisibilem, unius essentiæ & potestatis ac sempiternitatis: itaut, singulis personarum proprietate servata, nec substantialiter Trinitas dividi, nec personaliter debeat omnino confundi. Patrem quoque confiteri ingenitum, Filium genitum, Spiritum autem sanctum nec genitum nec ingenitum, sed ex Patre & Filio procedentem. Filium a Patre nascendo procedere, Spiritum vero sanctum procedendo non nasci. Ipsum quoque Filium ex virgine sine peccato hominem suscepisse, ut quem sola bonitate creaverat, sponte lapsum misericorditer repararet. Quem veraciter crucifixum, & tertia die resurrexisse, & cum eadem ipsa carne glorificata ascendisse ad cælum credimus. In qua carne ad judicium vivorum & mortuorum exspectatur venturus. Et quod in divina humanaque substantia unam Christi gestaverit personam: quam non geminavit utriusque substantiæ integritate, sicut non confundit geminam substantiam personæ unitate.

Post incarnationem & passionem atque resurrectionem Christi, sequitur, in Symbolo commendatio *sanctæ Ecclesiæ Catholicæ*. Quia demonstratus est Deus, demonstretur & templum ipsius, quod est Ecclesia, sancta, una, vera, catholica, contra omnes hæreses pugnans, numquam expugnata. Hæreses omnes de illa exierunt, tamquam sarmenta inutilia de vite præcisa: ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in caritate sua, & portæ inferi non vincent eam.

Credimus *remissionem peccatorum*. Sine ista fide si quis ad baptismum accedit, ipse contra se januam indulgentiæ claudit. Omnia prorsus delicta delet sanctum baptisma, & originalia & propria, facta, cogitata, cognita, incognita, omnia dimittuntur. Innovat hominem qui fecit omnia; donat delicta, qui non quærit merita; prævenit gratia etiam ipsam infantiam, ut sint liberi per Christum, qui in Adam a diabolo tenebantur ante captivi. Propter omnia peccata baptismus inventus est. Propter levia, sine quibus esse non possumus, Oratio dominica inventa est. Semel abluimur baptismate, cotidie abluimur oratione. Propter scelera autem, aut aliqua facta immania, id est peccata criminalia, agenda est pœnitentia ab his qui ea commiserunt, pro quibus necesse est, ut a Christi corpore separentur. Ergo tribus modis dimittuntur peccata in ecclesia: in baptismate, in oratione, in humilitate majore pœnitentiæ. Tamen Deus non dimittit peccata, nisi baptizatis.

Credimus etiam *resurrectionem carnis*; quæ præcessit in Christo, ut hoc etiam speret corpus, quod præcessit in capite. Omnis spes fidei nostræ hæc est, quoniam resuscitabimur. Resurgent boni, resurgent mali: sed boni ut sempiterna beatitudine fruantur; mali, ut perpetuo igne puniantur.

Credimus *vitam æternam*, in qua incorrupti æqua-

les erunt angelis Dei, ut vivant cum ipsis in æterna vita, in unam immortalitatem ac sempiternam patriam, in qua patria vita nostra æterna ipse Christus erit. Quid sit autem illud bonum quod promisit Deus sanctis suis, quis explicet verbis? Facilius tamen possumus dicere, in illa vita æterna quid ibi non sit, quam quid ibi sit. Non est ibi mors, non luctus, non lassitudo, non infirmitas, non fames; nulla sitis, nulli æstus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla mæstitia, nulla tristitia. De his igitur quibus catechumenos interrogamus quando baptizantur, sic credimus, & sic eis post baptismum prædicamus.

CAPUT VI.

De Baptismo.

Baptismus græce, latine tinctio interpretatur. Quæ idcirco tinctio dicitur, quia ibi homo spiritu gratiæ in melius immutatur, & longe aliud quam erat efficitur. Prius enim fœdi eramus deformitate peccatorum: in ipsa tinctione reddimur pulcri dealbatione virtutum. Per baptismum restauratur [1] corpus hominis ad priorem statum primi illius hominis ante peccatum; sed non ita, ut securus post baptismum vivat. Nam ad agones producitur contra diabolum vitiorum principem dimicaturus in arena hujus mundi; ubi [a] *spectaculum facti sumus huic mundo & angelis & hominibus*. Utramque enim partem, Christi scilicet & diaboli, infinita populi multitudo spectat luctantem. Duæ sunt namque pactiones credentium. Prima pactio est, in qua renunciavit diabolo & pompis ejus, & universæ conversationi illius: secunda pactio est, in qua se profitetur credere in Deum Patrem omnipotentem, & in Jesum Christum filium ejus, & in Spiritum sanctum. Sed non est ibi finis victoriæ. Has pactiones fideles in curiam proferunt angelicam nomina profitentium: in libro excipiunt vitæ, non a quolibet homine, sed a superiore cælitus potestate. Jam deinde tirones Dei & milites Christi arma sacramentorum suscipiunt, ut pugnam gerant adversus diabolum. Sed fortissimum munimentum eorum ipse est Christus, quem in baptismo induerunt, sicut ait Apostolus: *Qui in Christo baptizati estis, Christum induistis*. Qui vult vincere manu, fortis inveniatur in bono opere: figat pedes: non nutent vestigia, ut possit implere victoriam.

Unde & duo sunt genera baptismi. Primum baptismum, quo sordes peccatorum per regenerationis lavacrum abluuntur: secundum, quo quis sanguine suo per martyrium baptizatur. Quo baptismo Christus baptizatus est; ut & in hoc, sicut & in ceteris, formam credentibus daret, sicut ait Apostolus: *Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum*. De hoc igitur baptismo ipse Dominus ait: [b] *Baptismo habeo baptizari. Et quomodo coarctor, usquedum perficiatur!* Filiis Zebedæi: [c] *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, & baptismo quo ego baptizor, baptizari?* Baptismus autem aquæ est, quæ tempore passionis de latere Christi profluxit: nullumque aliud elementum est, quod in hoc mundo purget cuncta, quod vivificet universa. Ideoque cum baptizamur in Christo, per ipsum renascimur, ut purificati vivificemur. Fons iste origo est omnium gloriarum: fons iste similitudo est fontis æterni. Aqua illa non solum sordes lavat, sed & animam a peccatis liberat.

Sanctificatur hæc per consecrationem verbi. Tolle autem verbum, & quid est aqua, nisi aqua? [2] *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Virtus verbi per aquam mundat nos. Ait enim Apostolus: *Accedamus ad Deum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corde a conscientia mala, & abluti corpus aqua munda.*

Sciendum autem, quod ordo & usus baptizandi diversis temporibus aliter atque aliter fuit; tamen *una semper fides, unum baptisma*. Aliter baptizavit Joannes; aliter ipse Dominus; aliter apostoli ante passionem Salvatoris, & antequam ex latere ejus sanguis & aqua fluerent; aliter postquam dictum est illis: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*. Apostolus quoque baptizatos dicit patres, qui ab Ægypto profecti sunt: *Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari*. Et re vera egressi de Ægypto ducuntur in manu forti & brachio excelso, & venientes ad mare rubrum antecedit Moyses famulus Dei portans virgam, quam a Domino acceperat: percutit aquas, & statim cogitur fluctus in cumulum, & unda in semetipsa repressa curvatur: soliditatem recipit liquor, & solum maris arescit in pulvere. Ingressi sunt alii salvandi, alii puniendi. Unum elementum aquarum, auctore totius creaturæ jubente, judicavit utrosque, separavit pios ab impiis. Moyses figuram habuit Domini Christi: in virga agnoscimus crucem; mare rubrum accipimus baptismum Christi sanguine purpuratum; regem Ægyptiorum populosque ejus, auctorem peccatorum diabolum cum omnibus ministris ejus.] Sed baptismus imago mortis Christi est & sepulturæ, sicut Apostolus testatur: *An ignoratis, fratres, quoniam quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in morte, ut quomodo resurrexit a mortuis per gloriam patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus: hoc scientes, quia vetus noster homo simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato. Qui enim mortuus est, justificatus est a peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum Christo.*

Quidam enim senserunt, trinam fieri mersionem propter Trinitatis venerationem: quidam autem propter triduanæ sepulturæ sacramentum. Sed beatus Gregorius papa cuidam se interroganti [3] de trina & simpla mersione, sic respondit: *De trina vero mersione baptismatis nihil responderi verius potest, quam ipsi sensistis; quia in una fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa. Nos autem quod tertio mergimus, triduanæ sepulturæ sacramenta signamus: ut dum tertio ab aquis infans educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quod si quis forte etiam pro summæ Trinitatis veneratione æstimet; neque ad hoc aliquid obsistit baptizando semel in aquis mergere: quia dum in tribus subsistentiis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismate vel ter vel semel mergere; quando & in tribus mersionibus personarum*

a I. Cor. IV. 9. b Luc. XII. 50. c Marc. X. 38.

1. Forte *spiritus*.
2. Sententia S. Augustini Tract. LXXX. in Joan.
3. Erat is Leander Hispalensis, ad quem est epist. .. lib. I.

Sæc. VIII.
circa
Ann. Chr.
795.



trinitas, & in una potest divinitatis singularitas designari. Sed quamvis in morte Christi secundum Apostolum baptizamur, si prætermissa qualibet Trinitatis persona baptismus detur in regenerationis solemnitate, nihil agitur; nisi tota Trinitas invocetur. Quia nonnisi in uno nomine Patris & Filii & Spiritus sancti baptismi sanctificatur officium.

Baptismus autem non est hominis, sed Christi. Ideoque nihil interest hæreticus an fidelis baptizet; quia sacramentum tam sanctum est, ut nec homicida ministrante polluatur. Habet quidem baptismum Christi hæreticus; sed quia extra unitatem fidei est, nihil illi prodest. At ubi ingressus fuit, statim baptismum quod haberet foris ad perniciem, incipit illi jam prodesse ad salutem. Quia sic habent baptismum hæretici, quomodo desertor habet characterem: & tamen si desertor ipse correctus incipiat militare, non ei audet quisquam characterem mutare.

CAPUT VII.

De sacra unctione.

Post lavacrum ungimur, ut Christi nomine censeamur. Chrisma enim unctio interpretatur, sicut & Christus, unctus; qua unctione efficimur genus regium. In veteri namque testamento non solum reges & sacerdotes ungebantur, sed etiam tabernaculum testimonii, quod Domino præcipiente institutum est, sacra unctione sanctificatum est, dicente Domino ad Moysem: *Circumdabis atrium tentoriis & ingressum ejus, & adsumto unctionis oleo unges tabernaculum cum vasis suis ut sanctificentur; altare holocausti, & omnia vasa ejus, labrum cum basi sua, omnia unctionis oleo consecrabis, ut sint sancta sanctorum*. Non solum altare, verum etiam omnia vasa oleo consecrantur: quia omnia membra ecclesiæ per chrisma Christiani efficiuntur. Sacerdotes quoque, id est Aaron & filii ejus, in typo baptismi antea aqua lavantur, & postea unguntur, sicut Dominus ad Moysem ait: *Applicabis Aaron & filios ejus ad fores tabernaculi testimonii, & lotos aqua indues sanctis vestibus, ut ministrent mihi, & [a] unctio eorum in sacerdotium proficiat sempiternum*. In quibus verbis notandum valde est, quod unctio illa typica in sacerdotium proficiat sempiternum, quod est Christi & Ecclesiæ. Nam sacerdotium illud Leviticum nullatenus potest dici sempiternum, quia veniente veritate figura cessavit. De hoc unguento quod in sacerdotium proficit sempiternum, & psalmista ait: *Sicut unguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron*. Hujus ergo unctionis quæ in Christo veraciter completa est, & in membris ejus quotidie impletur, figura exstitit unctio illa, de qua in veteri testamento legimus ita: *Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit super caput ejus*, id est Saulis, & deosculatus ait: *Ecce! unxit te Dominus super hereditatem suam in principem*. Et iterum: [b] *Tulit igitur Samuel cornu olei, & unxit eum*, id est David, *in medio fratrum ejus, & directus est spiritus Domini in David a die illa & in reliquum*. In quibus quoque verbis notandum est, quod post unctionem, immo per unctionem dirigatur spiritus Domini in David, sicut in ecclesia credimus per chrismatis unctionem, & manus impositionem dari Spiritum sanctum. Nam sicut in baptismo peccatorum remissio datur; ita per unctionem sanctificatio Spiritus adhibetur. Et hoc quod dictum est de pristina disciplina, qua ungi in sacerdotium & in regnum solebant, quæ dum carnaliter fit, spiritaliter proficit: quomodo & in ipsa baptismi gratia, visibilis quidem actus quod in aquam mergimur; sed spiritalis effectus quod delictis mundamur. Propter quod & sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum virtus divina secretius salutem eorumdem sacramentorum operetur. Quod autem presbyteris licet capita baptizatorum chrismate ungere, quod tamen ab episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem signare, quod solis debetur episcopis cum tradunt Spiritum paraclitum, hæc caussa est: Nam licet sint & presbyteri sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent. Hoc autem solis pontificibus deberi, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat; verum etiam Actuum apostolorum lectio, quæ asserit, Petrum & Joannem apostolos Samariam fuisse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum sanctum. De quibus etiam dicitur: *Oraverunt pro illis ut acciperent Spiritum sanctum*. Ex quo ostenditur, quia Spiritum sanctum accipere possumus, dare non possumus; sed ut detur Dominum invocamus. Et propterea fit manus impositio, ut per orationem & benedictionem advocatus invitetur Spiritus sanctus: & tunc ille paraclitus, post munda, benedicta & uncta corpora, libens a Patre descendit.

Quæri autem a quibusdam solet, cum fons baptismatis sine Spiritu sancto nullatenus sanctificetur, neque sine eo peccatorum remissio donetur; cur necesse est postea fieri manuum impositionem? Sed sciendum multis modis dari Spiritum sanctum, non solum in baptismo, sed etiam post baptismum. Nam etiam ipsis apostolis credimus in baptismo donatum Spiritum sanctum, ut remitterentur eorum peccata, sive per originem [1] tracta, sive voluntate perpetrata. Iterum post resurrectionem Domini, adhuc ipso Domino in terra consistente, acceperunt Spiritum sanctum, ut haberent potestatem vel dimittere vel detinere aliorum peccata. Sicut scriptum est: *Accipite Spiritum sanctum. Quorum dimiseritis peccata, dimittentur; & quorum detinueritis, detenta erunt*. Tertio acceperunt Spiritum sanctum jam Domino in cælo sedente, ut haberent dona diversa in eodem Spiritu; id est, *gratiam sanitatum, operationem virtutum, prophetiam, discretionem spirituum, genera linguarum, interpretationem sermonum*. Non solum autem ad hæc sublimia dona percipienda, sed etiam ad omne opus bonum credimus dari Spiritum sanctum. *Quicumque enim*, ait Apostolus, *Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei*. Ergo in baptismo fit remissio peccatorum, in impositione manuum conferuntur dona virtutum, sicut Petrus apostolus ait: [c] *Baptizetur quisque vestrum in nomine Domini nostri Jesu Christi in remissionem peccatorum, ut accipiatis donum Spiritus sancti*. Nam quæ sit differentia baptismi & chrismatis, beatus Augustinus exponit, dicens: *Quando exorcizantur infantes velut frumentum moluntur; quando baptizantur, consperguntur; quando chrismantur, coquuntur*. Pulcra comparatio! Dum moluntur per exorcismum, a potestate diaboli eruantur: dum consperguntur per baptismum, a peccatorum sordibus emundentur: dum per chrisma coquun-

a Exod. xl. 13. *b* I. Reg. XVI. 13. *c* Actor. II. 38.

1. Non erant cum peccato originali apostoli quando baptizati sunt. Sensus ergo est, talem fuisse eis datum Spiritum, qui omne genus peccatorum remittere posset.

tur, sancti Spiritus gratia inlustrentur & confirmentur.

CAPUT VIII.

De vestimentis albis.

Baptizati albis induuntur vestibus, ut ipso etiam habitu exterioris hominis demonstrent innovationem & emundationem interioris. Qui enim de potestate tenebrarum transfertur in regnum lucis & claritatis, consequenter utitur vestimentis albis ad exemplum Jesu non solum filii Josedech, sed & Jesu Filii Dei. Nam in Jesu filio Josedech præfiguratum est quod in Jesu Filio Dei erat implendum. Ait ergo propheta Zacharias: [a] *Et Jesus erat indutus vestibus sordidis, & stabat ante faciem angeli.* Qui respondit & ait ad eos qui stabant coram se, dicens: *Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum: Ecce abstuli a te iniquitatem tuam; & indui te mutatoriis, & dixi: Ponite cidarim mundam super caput ejus. Et induerunt eum vestibus.* Quæ licet in Domino Jesu Christo ex parte impleta sunt; magis tamen in membris ejus quotidie implentur. Erat quidem aliquo modo & Dominus indutus vestibus sordidis: quia cum *non fecisset peccatum, pro nobis peccatum factus est, & ipse infirmitates nostras portavit, & pro nobis doluit.* Tamen quia in illo nulla fuit iniquitas quæ auferretur, sed *vulneratus est propter iniquitates nostras*; sordida vestimenta auferuntur a nobis, cum nostra peccata delentur, ut resurgentes in eo, audiamus post baptisma: *Ecce indui te mutatoriis.* Et illud quod in Cantico dicitur Canticorum. *Quæ est ista, quæ ascendit dealbata?* Et postquam in capite ungimur, quasi impletur in nobis quod dicitur: *Ponite cidarim mundam super caput ejus, & induerunt eum vestibus.* Ut audiamus: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Qui per baptismum tenebras Ægyptiorum evadit, & corpus Christi efficitur, merito vestimentis albis induitur; quia & caro Christi mundo linteo involuta sepulta est. Qui cum Christo surgit a morte per transitum sacri fontis, merito albis induitur: quia & testes resurrectionis illius sancti angeli in albis apparuerunt vestibus.

Albæ autem vestes baptizatorum tres significationes gestant. Unam de præterito, quæ facta est per innovationem baptismatis. Aliam de præsenti, quæ fit per candorem virtutum, sicut scriptum est: *Omni tempore sint vestimenta tua candida.* De quibus iterum dicitur: *Beatus qui vigilat & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet.* Tertiam de futuro, quæ speratur in æterna vita per claritatem immortalitatis. Unde Joannes apostolus vidisse se dicit innumerabiles stantes ante thronum in conspectu Agni amictos stolis albis, & interrogari ab uno de senioribus: *Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt & unde venerunt?* & ab eo audisse: *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas in sanguine agni.* Propter has igitur dealbationes renatorum, dicuntur per Prophetam filii Sion [b] *candidiores lacte, rubicundiores ebore pretioso.* Et Dominus angelo Laodiciæ scribi jubet per Joannem: [c] *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias, & vestimentis albis induaris.* Vigintiquatuor quoque seniores sedere di-

A cuntur super thronos vigintiquatuor circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ. Et omnibus in commune victoribus promittitur: *Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis.*

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 795.

CAPUT IX.

De corpore Dominico ac sanguine.


Oportet renovatos per baptismum mensæ dominicæ applicari, ut sumentes panem qui *cor hominis confirmat, & vinum quod lætificat*, dicere possint cum Psalmista: *Super aquam refectionis eduvit me, animam meam ibi convertit.* Et post paul-B lulum: *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me.* Qui enim dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum*; dixit: *Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis.* Omnis ista sententia tenet, ut sine corpore & sanguine filii hominis vitam habere non possint. Dicit iterum Dominus: *Panis quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita. Sæculi vita* nomine homines significantur, qui nascendo in hoc sæculum veniunt: ac per hoc pro hominum vita caro Christi data est, quam nisi manducaverint, non habebunt vitam æternam. Beatus namque Augustinus in quodam [1] loco ait: C *Optime Punici Christiani baptismum ipsum nihil aliud quam Salutem; & sacramentum corporis Christi nihil aliud, quam Vitam vocant. Unde? nisi ex antiqua, ut æstimo, & apostolica traditione, qua ecclesiæ Christum insitum tenent, per baptismum & participationem mensæ dominicæ, non solum ad regnum Dei, sed nec ad salutem & vitam æternam posse pervenire. Hoc enim & scriptura testatur. Nam quid aliud tenent qui baptismum nomine Salutis appellant, nisi quod dictum est: Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis? Quid aliud etiam qui sacramentum mensæ dominicæ vitam vocant, nisi quod dictum est: Panis quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita? Idem Dominus in evangelio: Caro* D *enim mea, inquit, vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* [2] *Cum enim cibo & potu id appetant homines, ut non esuriant neque sitiant; hoc veraciter non præstat, nisi iste cibus & potus, qui eos a quibus sumitur immortales & incorruptibiles facit; ita tamen, si ante omnia hi qui sumunt impleant illud quod sequitur: Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo. Nam hoc est veraciter manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo scilicet manere, & illum manentem in se habere. Ac per hoc qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat ejus carnem, nec bibit ejus sanguinem*, etiamsi tantæ rei sacramen-E tum ad judicium sibi manducet & bibat. Aliud est enim Sacramentum, aliud virtus sacramenti. Salus autem & vita æterna non est exterius in sacramento; nam hoc etiam infideles sumere possunt; sed interius summi non potest in virtute sacramenti, quæ non sumitur nisi ab his, qui veraciter sunt pii & fideles, & *imitatores Dei sicut filii carissimi, & ambulant in dilectione, sicut & Christus dilexit nos.*

Hunc panem, qui vitam tribuit mundo, significavit illud manna quo aliti sunt filii Israel in de-

a Zachar. III. 3. 4. 5. b Thren. IV. 7. c Apoc. III. 18.

1. Expos. inchoat. Epist. ad Rom. num. 13. 2. August. Tract. xxvi. in Joann.

SÆC. VIII. CIRCA ANN. CHR. 795.



serto, & de quo Dominus ait Judæis: ᵃ *Patres vestri manducaverunt in deserto manna, & mortui sunt.* Cum ergo perspicuum sit, quod Dominus non de morte corporis loqueretur, qua & nos morimur, qui panem de cælo descendentem manducavimus, sed de morte animæ: cur dicitur, quod qui manducaverunt manna mortui sunt? Numquid & Moyses & ceteri sancti qui ibi fuerunt, mortui sunt? Sed illos dicit mortuos, qui sacramentum sine virtute sacramenti perceperunt. Quod autem interius sit virtus sacramenti, quæ invisibiliter præstat ablutionem, sanctificationem & vitam, sicut aqua baptismatis, unctio chrismatis, & corpus ac sanguis Domini, nullus utique ignorat fidelium. B Unde intelligitur, quod & illis antiquis patribus qui *baptizati* dicuntur *in nube & in mari*, sic datum est salvari, mundari & sanctificari in virtute sacramentorum. Propter quod nullus esse securus debet de perceptione sacramentorum, nisi virtutem invisibiliter teneat & custodiat. Hæc igitur omnia ideo tali modo dicimus, quia nisi sumus exponere, quomodo plebem doceamus nobis commissam.

CAPUT X.

De infantibus, vel his qui pro se respondere non possunt.

Consuetudo ecclesiæ habet, & doctores tradunt, ut omnino eisdem sacramenti verbis in infantibus, quibus & in majoribus, baptismi mysteria celebremus. Hinc est enim, quod sacerdos eadem sacramenta agens, non unum pro altero interrogat, id est majorem pro parvo, utrum abrenunciet diabolo, aut credat in Deum: sed ipsum quem baptizaturus est interrogat, dicendo: *Abrenuncias?* aut, *Credis?* Is vero qui eum suscipit, non quasi unus pro altero respondet ac dicit, Abrenunciat, aut Credit: sed *Abrenuncio*, aut, *Credo*. Et hæc caussa est, ut parvuli & pœnitentes possint dici & fideles. Unde quibusdam hæc negantibus, ita a patribus invenitur responsum: Si propterea pœnitentes dicendi non sunt, quia sensum pœnitendi non habent; nec fideles dicendi sunt, quia similiter sensum credendi non habent. Si autem propterea recte fideles vocantur, quoniam fidem per verba gestantium quodammodo profitentur; cur non prius etiam pœnitentes habentur, cum per eorumdem verba gestantium, diabolo & huic sæculo renunciare monstrantur? Totum hoc in spe fit vi sacramenti & divinæ gratiæ, quam Dominus donavit ecclesiæ, cum baptizantur, propter virtutem celebrationemque tanti sacramenti, quamvis suo corde atque ore non agant, quod ad credendum confitendumque pertineat. Tamen in numero credentium computantur. Plerisque accidit, ut catholico animo & corde ab unitate pacis non alienato, aliqua necessitate mortis urgente in aliquem hæreticum irruerent, & ab eo Christi baptismum sine illius perversitate perciperent, & sive defuncti sive liberati, nequaquam apud eos manerent, ad quos numquam corde transierant. Unde hoc fieri potest, ut quod unus perniciose tradit, alter salubriter accipiat? nisi quia secundum fidem accipientium sacramentum acceptum judicatur, non secundum fidem dantis. Et propter hanc caussam fit, ut hi qui surdi aut muti nati sunt, aut catholicorum aut in hæreticorum numero reperiantur. Et cum apostolus dicat: *Quomodo credent nisi audierint?* A & iterum: *Ergo fides ex auditu*; miro tamen modo, sive sint surdi, sive muti, sive infantes, per corda & ora offerentium & suscipientium numero adgregantur fidelium.

CAPUT XI.

De disciplina vivendi & docendi.

De hoc autem quod quæritur a nobis, ut similiter dicamus, si in hoc quod prædicamus, nos ipsos custodiamus; nos hactenus nescivimus & adhuc nescimus, utrum possit homo suam profiteri custodiam, quam habet erga divina mandata. Nam cum quotidie vitæ continentiam consequi conemur, & quotidie aut oblivione, aut subreptione, aut infirmitate, aut quod pejus est, voluntate peccemus; quomodo possumus profiteri ea, quæ volentes, quando neque ea, quæ nolentes agimus, intelligimus? sicut scriptum est: *Delicta quis intelligit?* Nam etsi dictum est: *Deus, vitam meam enunciavi tibi*, nos putamus quod de criminibus id possumus facere, non de aliis actibus nostris, sicut scriptum est: *Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino*, qualiter nos in his quæ prædicamus custodiamus, qui quotidie peccamus: & sic peccatum iniquitas est, confirmante Apostolo qui ait: *Omnis qui* C *facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas.* Ergo iniquitatem operamur; & si iniquitatem operamur, in viis Domini non ambulamus, dicente Psalmista: *Non enim qui iniquitatem operantur, in viis ejus ambulaverunt.* Cum hæc ergo ita sint, quid de custodia mandatorum, id est qualiter nos in his quæ prædicamus, custodiamus, dicere melius possumus, nisi illud quod idem Psalmista ait: *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas!* Quis enim implere potest, quod nobis præcipitur: *Diliges proximum tuum sicut teipsum:* & iterum, *Diligite inimicos vestros?* nisi cujus Dominus dilataverit per infusionem sancti Spiritus cor in caritate, ut ei possit dicere: *Viam* D *mandatorum tuorum cucurri, cum dilatares cor meum.* Terribiliter valde Dominus in evangelio proponit modum humilitatis & simplicitatis, dicendo: *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Juxta quem modum & Apostolus præcipit: *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote.* Sed quis ad tantam innocentiæ perfectionem pervenire potest, nisi is, quem tanta Dei gratuita benignitas prævenerit, ut ex intimis visceribus dicere possit: *Dilexi quoniam exaudivit Dominus vocem orationis meæ, quia inclinavit aurem suam mihi.* Et post pauca: *Custodiens parvulos Dominus; humiliatus sum & libera-* E *vit me.* Ac deinde securus: *Convertere*, inquit, *anima mea in requiem tuam.* Dicunt ecclesiastici doctores, speculum animæ esse mandata divina, ut unaquæque fidelissima in eo se intuens, deprehendat in semet ipsa vel fœditatem vitiorum, vel pulcritudinem virtutum. Et idcirco Psalmista ait: *Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.* Subauditur, *si direxeris vias meas ad custodiendas justificationes tuas.* Sed quis nostrum absque hac confusione cantare potest: *Domine Dominus noster si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis?*

De hac igitur confusione nos Dominus ad gaudium vult levari cum dicit: *Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persequuti vos fuerint,*

ᵃ Joann. VI. 59.

& dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me: gaudete & exsultate. Et in alio loco: *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii patris vestri, qui in cælis est.* Quicumque hoc ex medullis cordis implere potuerit, ille *non confundetur, cum perspexerit in omnibus mandatis Dei* tamquam in speculo. Joannes namque apostolus ait: *Qui dicit se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est.* Et iterum: *Qui dicit se in ipso manere, debet sicut ille ambulavit, sic & ipse ambulare.* Sed ad hæc quid aliud nobis agendum est, nisi ut ingemiscentes dicamus: *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum. Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua: secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me.* Igitur sicut supradictus apostolus docet: *Qui non diligit fratres, manet in morte.* Quæ est autem dilectio, qua fratres debemus diligere, ipse post pauca ostendit dicens: *In hoc cognovimus caritatem Dei; quoniam ille pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Et iterum: *Non diligamus verbo nec lingua, sed opere & veritate.* Sed quia hanc tam summam dilectionem implere non possumus, & non ita diligendo fratres manemus in morte; timore perterriti clamamus ad omnipotentem: *Adhæsit pavimento anima mea; vivifica me secundum verbum tuum.* Et, *Domine si vis, potes me salvare.*

Sunt etenim in divinis præceptis adhuc sublimiora & difficiliora ad implendum mandata: sed si propterea quia nos ea implere non possumus, aliis non prædicaverimus, duplex ut putamus malum erit. Neque enim nos ambigere oportet esse in plebe cui prælati sumus, aliquos vasa divinæ misericordiæ effectos, in quibus ostendat Deus divitias bonitatis suæ; qui solet etiam de sterquilinio proferre præclaras margaritas ornamento supernæ civitatis aptandas, pro quibus taceri non debent scripturæ. Sciunt enim doctores nullam esse in hominibus conditionem, nullum ordinem, nullam ætatem, nullum ingenium, unde non pereant, & unde non salventur in vitam. Et hoc ex judicio justitiæ, & gratuita misericordia Dei *hunc humiliantis & hunc exaltantis, quia calix in manu ejus vini meri plenus mixto, & inclinat ex hoc in illud.* Et propterea debent prædicari scripturæ, debet sonare evangelium, debent annuntiari & terrores comminationum, & blandimenta consolationum. Quia in plebe ecclesiastica exsistunt & duricordes, quibus utilia sunt tonitrua & grando sermonum Dei, quæ primum percutiant & postea irrigent. Exsistunt & mites, quibus tantummodo lenis & placidus sermo verbi divini expediat. Sic enim in hoc mundo vivimus, ut semper soliciti Deo dicere non cessemus: *Sitivit in te anima mea; quam multipliciter tibi caro mea! in terra deserta, & invia & inaquosa.* Vascula enim sunt animæ nostræ. Ergo levanda sunt ad Deum a nobis petentibus & quærentibus, & dicendum: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.*

Ecce hæc juxta exiguitatem sensus nostri ad interrogata respondimus breviter, significantes quomodo plebem nostram doceamus, & ea quæ docemus, qualiter nos ipsi custodiamus. Nunc autem maximas vobis referimus gratias, constantissime & gloriosissime Imperator, semper felix, optime, auguste, qui nos pia vestra sollicitudine tamquam dormientes excitatis, & torporem mentis nostræ excutitis, & ad sanctum exercitium provocatis, quasi cum Propheta sanctæ dicentes ecclesiæ, pro cujus defensione vos Dominus Jesus Christus conservare dignatur: *Excutere de pulvere, consurge, sede Jerusalem*; ad cujus fastigium in sempiterna gloria participandum, vos, utpote carissimum membrum ejus, perducere dignetur, transferendo de regno ad regnum, *rex regnum & dominus dominantium.*

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 795.

EPISTOLÆ LEIDRADI

ARCHIEP. LUGDUNENSIS.

EPISTOLA I.

[1] Ad Carolum magnum Imperatorem.

Summo Carolo Imperatori Leidradus Episcopus Lugdunensis salutem. Domine noster, constans & sacer Imperator, supplico clementiæ celsitudinis vestræ, ut hanc brevem suggestiunculam meam vultu serenissimo audiatis: quatinus quæ heic inserta sunt, piissimæ prudentiæ vestræ nota fieri queant, & intentio meæ postulationis ab ingenua clementia vestra reminiscatur. Olim me exiguissimum famulorum vestrorum ad regimen Ecclesiæ Lugdunensis destinare voluistis, cum ego huic officio impar exsisterem, & indignus. Sed vos, qui non attenditis hominum merita, sed vestram solitam clementiam, egistis de me sicut ineffabili pietati vestræ placuit, nullo exsistente merito meo; meque admonere dignati estis, ut ego sollicitudinis curam gererem, & ut negligentiæ, quæ in prædicta Ecclesia perpetratæ noscebantur, emendarentur, & perpetrandæ vitarentur. Erat enim dicta Ecclesia multis in rebus destituta interius exteriusque, tam in officiis, quam in ædificiis, & ceteris ecclesiasticis ministeriis. Ego humillimus servulus vester, postquam ibidem perveni, quæ cum Dei adjutorio & vestro peregi audite. Quoniam, ut inspector conscientiarum Dominus omnipotens mihi testis est, non tali intentione ea vobis patefacio quæ dicturus sum, ut propterea in rebus augeri merear; neque aliud tale in cogitatione mea composui, ut acquisitionis mihi occasio fit, nec suggero; quoniam quotidie exitum a rebus humanis suspicor, propter infirmitatem meam, & incessanter de morte suspectus sum. Et ideo hæc

1. Ex Baluzio prima.

SÆC. VIII. CIRCA ANN. CHR. 795.

suggero, ut cum benignissimis auribus vestris præsentata fuerint, & clementer inspecta, si qua bene & secundum voluntatem vestram gessi, post meum discessum non deficiant, aut pereant.

Denique postquam, secundum jussionem vestram, sæpedictam Ecclesiam suscepi, juxta vires parvitatis meæ omni industria egi, ut Clericos officiales potuissem sicut jam Deo favente ex magna parte mihi habere videor. Et ideo officio vestræ pietatis placuit ut ad petitionem meam mihi concederetis redditus qui ab antiquo fuerant de Lucdunensi Ecclesia: per quam, Deo juvante, & mercede vestra annuente, in Lucdunensi Ecclesia est ordo psallendi instauratus, ut juxta vires nostras secundum ritum sacri Palatii omni ex parte agi videatur quicquid ad divinum persolvendum officium ordo exposcit. Nam habeo scholas Cantorum; ex quibus plerique ita sunt eruditi, ut alios etiam erudire possint. Præter hæc vero habeo scholas Lectorum, non solum qui officiorum lectionibus exercentur, sed etiam in divinorum librorum meditatione spiritalis intelligentiæ fructus consequantur; ex quibus nonnulli de Libro Evangeliorum sensum spiritalem etiam ex parte adipisci possunt. Plerique vero librum Prophetarum secundum spiritalem intelligentiam adepti sunt. Similiter libros Salomonis, vel libros Psalmorum, atque etiam Job. In libris quoque conscribendis, in eadem Ecclesia, in quantum potui, elaboravi. Similiter vestimenta sacerdotum vel ministeria procuravi.

De restauratione etiam Ecclesiarum, in quantum valui, non cessavi; ita ut ejusdem civitatis maximam Ecclesiam, quæ est in honorem sancti Joannis Baptistæ, a novo operuerim, & macerias ex parte erexerim. Similiter Ecclesiæ sancti Stephani tegumentum de novo instauravi. Ecclesiam quoque sancti Nicetii de novo etiam ædificavi. Similiter Ecclesiam sanctæ Mariæ. Præter monasteriorum restaurationes, domus quoque episcopales, inter quas unam restauravi, quæ jam pene destructa erat, quam operui. Aliam quoque domum cum solario ædificavi, & duplicavi; & hanc propter vos paravi; ut si in illis partibus vester esset adventus, in ea suscipi possetis. Claustrum quoque Clericorum construxi, in quo omnes nunc sub uno conclavi manere noscuntur. In eadem civitate alias restauravi Ecclesias: unam quidem in honorem sanctæ Eulaliæ, ubi fuit monasterium puellarum, in honorem sancti Georgii, quam de novo operui, & ex parte macerias ejus a fundamentis erexi. Alia quoque domus in honorem sancti Paulli de novo operta est.

Monasterium quoque puellarum in honorem sancti Petri dedicatum, ubi corpus sancti Annemundi martyris humatum est, quod ipse sanctus martyr & Episcopus instituit, ego a fundamentis tam Ecclesiam quam domum restauravi, ubi nunc sanctimoniales numero triginta duæ, secundum institutionem regularem viventes, habitare videntur. Et monasterium regale Insulæ Barbaræ, (situm in medio Araris fluvii, quod antiquitus est dedicatum in honorem sancti Andreæ Apostoli, & omnium Apostolorum, nunc autem in honorem sancti Martini recens videtur esse fundatum jussu Domni Karoli Imperatoris, qui ibidem præfecit dominum Benedictum Abbatem, cum quo simul direxit ibi suos codices) ita restauravi, ut tecta de novo fuerint, & aliqua de maceriis a fundamentis erecta; ubi nunc monachi secundum regularem disciplinam numero nonaginta habitare videntur. Cui etiam Abbati tradidimus potestatem ligandi & solvendi uti habuerunt prædecessores sui, scilicet Ambrosius, Maximinus, Licinius, clarissimi viri, qui ipsum locum rexerunt: quos Eucherius, Lupus, atque Genesius, ceterique Episcopi Lucdunenses, ubi ipsi deerant, aut non poterant adesse, mittebant cognituros utrum catholica fides recte crederetur, ne fraus hæretica pullularet. Quibus illis in tantum erat commissa cura, ut si Ecclesia Lucdunensis viduaretur proprio patrono, ipsi in cunctis adessent rectores, & consolatores, quousque Ecclesia a Domino dignissimo illustraretur pastore. Nos similiter posteris illorum hanc potestatem tradidimus. Insuper jussimus fieri decreta priscorum Regum Franciæ, ut quemadmodum ipsi statuerunt monimenta emendi & augendi locum in omnibus rebus, quas ad præsens habere videntur, vel in futuro, Deo auxiliante, acquirere poterunt, sine ulla querimonia per sæcula possideant.

[1] E P I S T O L A II.

[2] *Ad Carolum Imperatorem.*

Domino gloriosissimo & vere piissimo Imperatori, & in Christo victori, ac triumphatori invictimo, semper augusto, Leidradus, licet indignus, divina tamen dispensatione, & vestra miseratione Lugdunensis Ecclesiæ episcopus.

I. Christianissima & admirabilis religio vestra, atque in Deum ardentissima fides divina inspiratione adtacta, & piissima sollicitudine permota, jussit nuper aliquid nos de sacramentis nostræ renovationis ad vestras sagacissimas inquisitiones respondere. Ad quas nos nihil condignum intelleximus, nisi quod nec respondere facilitatis, nec dissimulare facultatis nostræ esse perspeximus. Tandem licet ad neutrum idonei, juxta exiguitatem tamen ingenioli, fidei nostræ rationem confidenter vobis, juxta quod sentimus, patefecimus, prudentissimo utique justissimo ac piissimo dictorum judici. Vos autem consueta bonitate, auditis responsionibus nostris, quas nos absque reprehensione utique dicere non potuimus, juxta benignitatem vestram, qua cunctos mortales anteitis, tamquam vobis placitas laudare dignati estis. Nec tamen inter hæc negastis nobis affluentissimam eruditionem vestram, quominus judicaretis, quod in his, ad quæ vos avidius audienda parabatis, nostra imperitia minime satisfecerit. Tunc demum non tam imperiali, quam paterna ammonitione innotescere nobis dignati estis, minus nos dixisse de abrenunciatione diaboli, & earum quæ ejus sunt rerum, quam vestra pietas optabat. Intelleximus itaque post vestram benignissimam ammonitionem, quia de operibus & pompis diaboli multiplicius respondendum erat, quam de ceteris rebus: quoniam per eas cupiditates, & per cupiditates scandala mundi crebrescunt quotidie, & quod pejus est, inter ecclesiæ rectores, & reipublicæ ad-

1. Hæc censeri debet quasi altera pars superioris libelli de Baptismo.

2. Ex Analectis Mabil.

ministratores discordiæ oriuntur; & quod adhuc A horum est pessimum, inter doctores & auditores odia se interserunt, inimicitiæ concitantur, detractiones agitantur.

II. Vestram itaque sapientissimam ammonitionem omni amore amplexati, valde admirati sumus profunditatem vestræ sanctæ considerationis. Inter hæc igitur, cum ingenioli nostri præpediente tarditate non satis advertere potuissemus, utrum ista vestra laudabilis ammonitio responsionem a nobis vellet, an tantummodo nostram nobis imperitiam cognoscendam commendare: hac ambiguitate suspensi, nullum probabilius consilium, ut nobis tamen visum est, reperire potuimus, quam ut ea quæ per B vos cognovimus non legitime a nobis fuisse responsa prius, juxta pusillitatem sensus nostri, in quantum videbatur explicaremus; ac deinceps his literis serenissimæ clementiæ vestræ indicaremus, quæ dubitatio, vel potius quæ necessitas nos arctaverat ad scribendum ea, quæ in prioribus responsionibus nostris minus fuisse per vos cognovimus. Deinde gloriosissimo conspectui vestro destinatis, si secundum jussionem vestram fecimus aut non, ecce adsunt in conspectu gloriæ vestræ, & ea quæ in prioribus minus fuerunt, & quare nunc ea scribere & transmittere ausi, immo coacti sumus. Quod si ea aliquatenus vestræ voluntati convenientia judicatis, C secundum indeficientem thesaurum bonitatis vestræ id facitis. Sin autem vana & minus utilia, sicut forsitan sunt; nos novimus & confitemur multitudinem id promereri imperitiæ nostræ, qui vestram voluntatem, & tenorem servitutis nostræ minus advertere possumus. Quamquam etsi advertamus, nequaquam simul idonei ad respondendum vestræ tam sublimissimæ & inimitabili investigationi; tamen oramus, ut vos non lateat, quæ nos caussa compulerit ad scribendum de his, quæ vestra nos clementia & paterna sollicitudine ammonente cognovimus minus fuisse in prioribus illis responsionibus.

III. Dominus noster Jesus Christus, cujus *egressio a summo cæli*, postquam *processit tamquam sponsus de thalamo suo*, insignitus humilitate & infirmitate substantiæ nostræ, bellum gesturus adversum principem hujus mundi, ac mundum debellaturus *Dominus fortis & potens*, *Dominus potens in prælio* futuris militibus suis, fugientibus mundi ac principis ejus dominatum, initia pactionis & expeditionis exponens, immo proponens ait: *Qui non renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus*. Quod quidam audiens, ait illi: *Sequar te Domine; sed primum permitte mihi renunciare his qui domi sunt*. Sancta vero mater universalis Ecclesia non aliter suscipit in gremium ad se convertentes, nisi prius abrenuncient diabolo & omnibus angelis ejus, operibus quoque atque universis pompis ejus.

IV. Discernenda sunt igitur hæc duo; quid inter se differant *renuntiare*, & *abrenunciare*. Quorum differentia in eo vel maxime apparet, quod *renunciamus* rebus licitis, *abrenunciamus* autem inlicitis: renunciamus affectionibus, abrenunciamus autem inlecebris: renunciamus parentibus, abrenunciamus autem diabolo. Renunciat ergo omnibus quæ possidet, qui sic tenet ea quæ mundi sunt, ut tamen per ea non teneatur a mundo: habet rem temporalem in usum, æternam in desiderio; & exclusa cupiditate mundi, divina in eo caritas augetur atque perficitur. Ergo qui Deum vult possidere renunciat mundo; non autem renunciat mundo, qui terrenis facultatibus ex delectatione succumbit. Quicumque ergo volunt esse discipuli Christi, præ amore illius omnia quæ in mundo sunt, etiamsi habeant, fastidiunt, ut sint *habentes tamquam non habentes*: & discunt non *superbe sapere, neque sapere in incerto divitiarum*, sed in Deo vivo qui præstat nobis omnia: sicque facultates terrenas ad sustentationem possident, ut tamen etiam ex eis Deo serviant, cujus æterna bona desiderant. Et quia in divinis literis cupiditas reprehenditur, non facultas; sollicita mente perpendunt, ut ea quæ habent, non habeant amore possidendi, sed necessitate vivendi. Ea autem quibus abrenunciandum est, nullo nobis pacto haberi conceduntur, quia nullo modo haberi possunt cum Deo: sed ex toto corde abrenunciandum diabolo, operibus ac pompis ejus, ut nulla nobis cum illis communio relinquatur, ne eorum actione rursus cogamur in ejus regnum dilabi, *cujus invidia mors intravit in mundum*, qui *erat homicida ab initio*, incentor mali, conlator peccati.

V. Contulit namque primo homini fœnus peccati, quotidianas ab illo exacturus usuras. Creditor malus fecit sibi uxuris obnoxium genus humanum, cui miser debitor solvit peccando non solum ea, quæ illo instigante didicit, verum etiam adinventiones proprias, quas ad cumulum scelerum addidit. Et idcirco cum per gratiam illius, qui *ex usuris & iniquitate redemit animas nostras*, eruimur de potestate mali creditoris, ac per hoc improbi exactoris; abrenunciandum est illi, ac denunciandum nihil nos ei deinceps debere.

VI. Quæ sit autem origo & initium operum atque pomparum diaboli, scriptura manifestissime docet, quæ ait: [a] *Initium omnis peccati superbia*. Quid apertius, quid probabilius dici potest? *Initium*, inquit, non alicujus, sed *omnis peccati superbia*: ut evidenter ostenderet, quod ipsa sit omnium peccatorum caussa. Quoniam non solum peccatum est ipsa, sed etiam nullum peccatum fieri potuit, potest aut poterit sine ipsa: & ideo *initium dicitur omnis peccati*, quia ipsa præcessit in diabolo, & per ipsam subversus est homo. Non enim ederet de ligno prohibito, nisi concupisceret; nec concupisset nisi tentatus; nec tentaretur, nisi desertus; nec desereretur a Deo, nisi prius ipse desereret; nec desereret Deum, nisi superbiret, & similitudinem Dei damnabiliter appetisset. [b] *Fecit* itaque *Deus*, sicut scriptum est, *hominem rectum*, ac per hoc voluntatis bonæ. Non enim rectus esset, bonam non habens voluntatem. Bona igitur E voluntas opus est Dei; cum ea quippe ab illo factus est homo. Mala vero voluntas, quoniam omnia opera mala præcessit in homine, defectus potius fuit quidam ab opere Dei ad sua opera, quam opus illius. Et ideo mala opera, quia secundum se, non secundum Deum: ut eorum operum tamquam fructuum malorum voluntas ipsa esset velut arbor mala.

VII. Apostolus quoque ait: [c] *Radix omnium malorum est cupiditas*. Sollicite itaque considerare debemus, quare *initium peccati* dicatur *superbia*: *radix omnium malorum est cupiditas*. An forte sermonem propheticum Paullus apostolus, ut solet, exposuit; quandoquidem sive *initium omnis peccati*,

a Eccli. X. 15. b Eccl. VII. 30. c I. Tim. VI. 10.

sive *radix omnium malorum* dicatur, unum idemque significat? Porro cupiditas atque superbia in tantum unum est malum, ut nec superbia sine cupiditate, nec sine superbia possit inveniri cupiditas. Quandoquidem & diabolus in quo tenet superbia principatum, propriæ potestatis ac perditionis humanæ cupidus fuit: & ipse homo per appetitum arboris interdictæ, ac divinæ similitudinis affectatione morbosæ cupiditatis ostendit affectum. Et de diabolo quidem, quod malo superbiæ ceciderit, nullus qui ambigat. De primis tamen hominibus diligenti consideratione invenitur, quia in occulto prius mali esse cœperunt, ut in apertam inobedientiam laberentur. Non enim ad malum opus perveniretur, nisi præcessisset voluntas mala. Porro malæ voluntatis initium, quod potuit esse, nisi superbia? Quid est autem superbia, nisi perversæ celsitudinis appetitus? Perversa enim est celsitudo, deserto eo cui debet animus inhærere principio, sibi quodammodo fieri atque esse principium. Hoc fit cum sibi animus placet: sibi vero placet, cum ab illo bono immutabili deficit, quod ei magis placere debuit, quam ipse sibi. Spontaneus autem est ille defectus: quoniam si voluntas in amore superioris immutabilis boni, a quo inlustrabatur ut videret, & accendebatur ut amaret, stabilis permaneret; non inde ad sibi placendum averteretur, & ex hoc tenebresceret, aut frigesceret, ut vel illa crederet verum dixisse serpentem, vel ille Dei mandato uxoris præponent voluntatem, putaretque se venialiter transgressorem esse præcepti, si vitæ suæ sociam non desereret etiam in societate peccati. Non ergo malum opus factum est, id est illa transgressio, ut cibo prohibito vescerentur, nisi ab eis qui jam mali erant. Patet ergo manifestissime non solum in diabolo, verum etiam in primis hominibus, malum superbiæ præcessisse in abdito, ut sequeretur hoc malum, quod perpetratum est in aperto. Verum est enim quod scriptum est: [a] *Ante ruinam exaltatur cor, &* [b] *ante gloriam humiliatur*. Prorsus ruina quæ fit in occulto, præcedit ruinam quæ fit in manifesto, dum illa ruina esse non putatur. Quis enim exaltationem ruinam putat, cum jam ibi sit defectus, quo est relictus excelsus? Quis autem ruinam esse non videat, quando fit mandati evidens, atque indubitata transgressio?

VIII. Quam primorum hominum transgressionem, si in sua quasi membra singula dividamus, non absurde creduntur etiam cetera ibi admissa peccata. Primo superbia est illic, quia homo in sua potius esse, quam in Dei potestate dilexit. Deinde avaritia, quia plus quam illi sufficere debuit, appetivit: & sacrilegium, quia non credidit: & homicidium, quia se præcipitavit in mortem: & fornicatio spiritalis, quia integritas mentis humanæ serpentina suasione corrupta est: & furtum, quia cibus prohibitus usurpatus est; & si quid aliud in hoc uno admisso diligenti consideratione inveniri potest. Hoc igitur primum creaturæ rationalis malum sequuta sunt, ignorantia rerum agendarum & concupiscentia noxiarum, quibus comites subinferuntur error & dolor: quæ duo mala quando imminentia sentiuntur, fugitantis ea animi motus vocatur metus. Porro animus cum adipiscitur concupita, quamvis perniciosa vel inania, quoniam id errore non sentit; vel delectatione morbida vincitur, vel etiam vana lætitia ventilatur. Ex his morborum non ubertatis sed indigentiæ, tamquam fontibus omnis miseria naturæ rationalis emanat in [1] quibus jacet, vel etiam volvitur, & de malis in mala præcipitatur.

IX. Ecce arbor malæ voluntatis, quæ superbiæ oritur semine, & in cupiditatis convalescit radice, quales multiplicat fructus! Ideoque si volumus consummare nostri certaminis cursum, caveamus in primis cupiditatem atque superbiam, non duo mala, sed unum, a quo trahitur omnis mali actus initium. Nam sine superbia, quæ possunt saltim inchoari peccata, cum dicatur *initium omnis peccati superbia?* Aut sine cupiditate omnium malorum radice, quæ possunt fieri mala cum sine radice, aut nulla deputentur aut mortua? Deinde si quodlibet peccatum perpetrare nullus potest, nisi propriæ delectationi consentiat, quod cupiditatis est proprium, & Dei præcepta contemnat, quod est superbiæ malum: quomodo non ex cupiditate, quæ *radix malorum omnium*; & ex superbia, quæ *initium omnis peccati* dicitur, procedit omne peccatum? Omnia igitur mala, quæ per seminarium superbiæ de radice oriuntur cupiditatis, in his duobus complectuntur, id est operibus & pompis. Neque inveniri potest ullum peccatum, quod non in aliquo horum adnumeretur. Et idcirco fidelibus ad emundationem baptismi accedentibus in his pronunciantur abrenuncianda.

X. Et quia de operibus diaboli facilis intelligentia est; dicendum prius quæ mala ad pompas diaboli pertinere noscantur: omnia videlicet quæ de lascivia atque luxuria oriuntur, aliqua vero quæ de libidine. Nam sunt multæ variæque libidines, quarum nonnullæ habent etiam vocabula propria, quædam vero non habent. Quis enim facile dixerit, quid vocetur libido dominandi? Est igitur libido ulciscendi, quæ ira dicitur: est libido habendi pecuniam, quæ avaritia est: est libido quomodocumque vincendi, quæ pervicacia; est libido gloriandi, quæ jactantia nuncupatur. Libido est nocendi, sive per contumeliam, sive per injuriam; & utrumque vel ulciscendi caussa inimico inimicus, vel adipiscendi alicujus extra commodi, sicut latro viatori; vel evitandi mali, sicut ei qui timetur; vel invidendo, sicut feliciori miserior, aut in aliquo prosperatu ejus quem sibi æquari timet, aut æqualem dolet; vel sola voluntate alieni mali, sicut spectatores gladiatorum, aut irrisores, aut inlusores quorumlibet, *qui lætantur cum male fecerint*, & exsultant in rebus pessimis, disruptis limitibus humanæ societatis. Nihil enim est infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas & mala voluntas, vel ut hostis interior roboretur.

XI. Omnia quoque quæ demulcent sensus corporis, & per eos inrumpunt ad vastandam mentem, ut ei liceat per latam & spatiosam viam quæ ducit ad mortem, ingredi, corporales quærens carpere voluptates. Velut cum theatrorum moles exstruuntur, & effodiuntur fundamenta virtutum: cum gloriosa est effusionis insania, & opera misericordiæ deridentur: cum ex his quæ divitibus abundant, luxuriantur histriones, & necessaria vix habent pauperes. Per quinque sensus corporis metropolis & arx mentis capitur, aspectu scilicet, auditu, gustu, odoratu & tactu. Si circensibus quis-

a Prov. XVI. 18. b Luc. XIV. 11.

1. S. August. in Enchir.

piam delectetur; si athletarum certamine, si mobilitate histrionum, si formis mulierum, si splendore gemmarum, vestium, metallorum, & ceteris hujusmodi, per oculorum fenestras animæ est capta libertas. A

XII. Rursum auditu, si vario organorum cantu & vocum flexionibus delinitur, & carmine poetarum & comœdiarum, mimorumque urbanitatibus & strophis, & quidquid per aures introiens virilitatem mentis effœminat. Odoris autem suavitate, & diversa thymiamatum, & amomum, & peregrini muris pellicula, quod dissolutis & amoribus convenit. Tactus autem alienorum corporum, & fœminarum ardentior appetitus [1] vitinus in fama est. B

XIII. Igitur cum per has portas quasi quidam perturbationum cunei ad arcem nostræ mentis intraverint, ubi erit libertas? ubi fortitudo ejus? ubi de Deo cogitatio? Maxime cum tactus depingat sibi etiam præteritas voluptates, & recordatione vitiorum cogat animam pati, & quodammodo exercere quod non agit. Peccata namque, quæ ad lasciviam pertinere noscuntur, commemorat Isaias propheta ex voce Domini comminantis, dicendo: [a] *Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant & plaudebant, ambulabant in pedibus suis, composito gradu incedebant; decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, discriminalia, & periscelides, & murænulas, & olfactoriola, & inaures, & anulos, & gemmas in fronte pendentes.* Quæ omnia propter superbum supercilium, & impudicos ac luxuriosos actus hominum dicuntur, qui diffusi per omnia desideria, corpus ducunt impurum. Item Isaias pompis lascivorum comminatur dicens: [b] *Ingemuerunt omnes qui lætabantur corde, cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ cum cantico, non bibent vinum: amara erit potio bibentibus illam, adtrita est civitas vanitatis.* C D

XIV. Nomen autem pompæ invenitur etiam in divinis literis, sicut est illud in psalmo [c] XXXIX. juxta hebraicam tamen translationem: *Beatus vir qui posuit Dominum confidentiam suam, & non est aversus ad superbias pompasque mendacii.* Quod alia translatio de græco ita expressit: *Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, & non respexit in vanitatis & insanias falsas.* Ubi utique & ipsa vana oblectamenta corporalium sensuum significat. In Amos quoque propheta, ubi ait: [d] *Væ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ optimates, capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel; qui separati estis in die malo, & adpropinquatis solio iniquitatis; qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris; qui comeditis agnum de grege, & vitulum de armentis; qui cantatis ad vocem psalterii sicut David. Putaverunt se habere vasa cantici bibentes in phialis vinum, & optimo unguento delibuti, & nihil patiebantur super contritionem Joseph.* E

XV. Pompæ diaboli faciunt hominem lascivum & vanum, per quæ efficitur a bono mutabilis, mali tenax, in verbo gravis, in animo turpis, ubique fallax, lætus ad prospera, fragilis ad adversa, inflatus ad obsequia, anxius ad opprobria, immoderatus ad gaudia, facilis ad humana, difficilis ad honesta. Desiderio comparandæ opinionis incensus, eis operibus quibus emitur favor humanus inservit, & morum bona contemnit, tantumque eum ardor humanæ laudis inflammat, ut laboriosa opera quæ populus admiratur, & quibus fama diffunditur, sine labore suscipiat, ut foris ubi potest magnus splendeat, cum intus ubi solus Deus videt, squaleat.

XVI. Sunt etiam quorum vitam lingua turpis inflammat, qui inverecundos sermones aut proferunt libenter, aut audiunt. Hoc loquuntur quod diligunt, & delectabiliter audiunt quod assiduis cogitationibus volvunt, & turpem conscientiam manifestant. Tales enim scriptura introducit, quæ ait: [e] *Dixerunt enim apud se cogitantes non recte.* Et post aliqua: *Venite ergo & fruamur bonis quæ sunt, & utamur creatura tamquam in juventute celeriter, vino pretioso & unguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo vestrum sit exsors luxuriæ nostræ: ubique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra & hæc sors.* Horum inlecebram sub specie mulieris adulteræ & Salomon ostendit, de qua dicit, quod vecordi juveni occurrat ornatu meritricio, præparata ad capiendas animas, garrula & vaga, quietis impatiens: quæ dicit se habere intextum funibus lectum, stratum tapetibus pictis ex Ægypto, adsparso cubili myrrha & aloe, & cinnamomo. Hæc & alia hujusmodi de pompis scripta reperiuntur.

XVII. De ceteris vero vitiis, sive sint spiritalia, ut hæreses, schismata, jactantia, invidia, animositas, elatio, odium; sive sint corporalia, id est quæ non solo animo sed corpore perpetrantur; ut est aviditas, ebrietas, intemperantia, fornicatio, adulterium: ecclesiastici doctores dicunt, quod de septem principalibus vitiis procedant, id est de inani gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, ventris ingluvie, atque luxuria. Quæ vitia habent matrem & reginam superbiam, cui quasi duces cum suis exercitibus obsequuntur. Hæc septem vitia significata per illas gentes, quas voluit Dominus deleri per filios Israel, Ethæos videlicet & Gergessæos, & Amorrhæos, & Chananæos, & Pheresæos, & Evæos, & Gebusæos. Et revera multas & varias per alios atque alios reges & populos Dominus aut transtulit aut vastavit atque delevit. Has autem gentes idcirco per filios Israel voluit exstingui, ut significaret in septenario numero hæc vitia ab electis suis vincenda atque calcanda. Hinc & Samson septem funes quibus ligatus putabatur disrupit, ut in septenario numero significarentur hæc vitia, & per hæc vitia omnia peccata generis humani, quæ Dominus noster Jesus Christus pertulit in corpore suo super lignum, ut illius vulnere sanarentur atque disrumperentur in nobis, & consequenter illi dicamus: *Dirupisti vincula mea; tibi sacrificabo hostiam laudis.* Nam quia his septem superbiæ vitiis nos captos doluit, idcirco Redemtor noster ad

a Isa. III. 16-21. b Isa. XXIV. 7-10. c Psalm. XXXIX. 5. d Amos VI. 1-6. e Sapient. II. 1. seqq.

1. Forte vitium infame est.

spiritale liberationis prælium Spiritu septiformis gratiæ plenus venit.

XVIII. Sed habent contra nos hæc singula exercitum suum. De cenodoxia, id est inani gloria, inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentiones pertinaciæ, discordiæ, & novitatum præsumtiones oriuntur. De invidia, odium, susurratio, detractio, exsultatio in adversis proximi, afflictio autem in prosperis nascitur. De ira, rixæ, tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blasphemiæ proferuntur. De tristitia, malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, vagatio mentis erga inlicita nascitur. De avaritia, proditio, fraus, fallacia, perjurium, inquietudo, violentia, & contra misericordiam obduratio cordis oriuntur. De ventris ingluvie, inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam propagatur. De luxuria, cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror autem vel desperatio futuri generantur. Ex quibus videlicet septem, duo sunt carnalia, id est ventris ingluvies & luxuria: quinque autem spiritalia. Sed unumquodque eorum tanta sibi cognatione jungitur, ut nonnisi unum de altero proferatur. Prima namque inanis gloria gignit invidiam: quia dum vani nominis potentiam appetit, ne quis hanc alius adipisci valeat, tabescit. Sic quoque de invidia generatur ira, tristitia autem ab avaritia dirivatur. De duobus vero quæ carnalia sunt, cunctis liquet, de ventris ingluvie luxuriam nasci. Quia dum unum inordinate reficitur, alterum proculdubio ad contumelias excitatur.

XIX. Alii autem, maxime sancti patres Ægyptii, octo dixerunt esse principalia vitia, & prima posuerunt ea quæ heic carnalia dicta sunt, id est gastrimargiam, quod sonat ventris ingluviem, & fornicationem, quod heic generali nomine luxuria nominatur. Tertium philargyriam, id est amorem pecuniæ, quod nos avaritiam nominamus. Quartum iram, quintum tristitiam, sextum acidiam, id est anxietatem seu tædium cordis, quod nostri inconstantiam vel vagatitatem nominare solent. Septimum cenodoxiam, quod nos inanem gloriam dicimus. Octavum superbiam. Prætermiserunt vero invidiam, maximam superbiæ prolem ac comitem; addiderunt autem acidiam, quod doctores ecclesiæ inter principalia vitia non posuerunt, sed magis illud de tristitia, sive luxuria nasci dixerunt: quia & revera quasi proprium videtur esse monachorum. Nam generaliter in cunctis fidelibus multo minus malum videtur esse, quam invidia: quia & in divivis literis majori detestatione notatum invenitur invidia, quam vagatio mentis. Ultimum posuerunt superbiam, quod alii caussam & originem omnium vitiorum esse dixerunt. Et revera perspicuum est non de inani gloria superbiam, sed de superbia inanem gloriam generari. Pari autem contentu utrique duplici ea divisione distinxerunt, id est carnalia & spiritalia: cum tamen Apostolus simul omnia opera carnis manifesta esse dixerit. Omnium quoque vitiorum efficientiam quadripartitam esse dicunt. Nam quædam nonnisi actu corporis consummari possunt, ut ventris ingluvies & fornicatio: quædam vero sine ulla corporis actione complentur, ut superbia & cenodoxia: quædam autem commotionis suæ caussas extrinsecus excipiunt, ut ava-

A ritia & ira: alia vero intestinis motibus excitantur, ut acidia atque tristitia.

XX. Hæc & multa hujusmodi vitia, quæ dividuntur in operibus & pompis diaboli, qui est auctor & princeps peccatorum, quibus in baptismo abrenunciavimus, & quod pejus est, ad ea iterum revertentes, earum inquinamentis sordidamur & oneribus deprimimur, ut merito dicamus: *Sicut onus grave gravatæ sunt super me. Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ. Miseriis afflictus sum usque in finem.* Quorum corruptione dilaniamur, & sicut sani gaudemus. Propter ista comminatur nobis *Deus judex justus,*
B *fortis & patiens, nisi convertamur*, pœnas æternas, ubi *vermis noster non moritur*; *& ignis non exstinguitur*. Propter ista adterimur & affligimur flagellis temporalibus in rebus humanis, bellis, captivitatibus, pestilentiis, fame, ægritudine. Propter ista incommoditas aerum, siccitas, exundantia pluviarum, inclementia frigoris, vehementia ardoris, defectio adjumentorum. Propter quæ non solum cælitus corripimur & castigamur, verum etiam præponuntur nobis a Deo potestates, quibus *subditi esse debemus, non solum propter iram, sed & propter conscientiam.* Qui propter ista emendanda promulgant leges, decernunt justa, proponunt supplicia, vincula, torturas, flagella, exsilia, amputa-
C tiones membrorum, amissiones rerum, diversi generis mortes; & auferri non possunt de mundo. Propter ista ecclesiasticus vigor, correptio, excommunicatio, de ecclesia exclusio, leges pœnitentiæ, anathematizatio; & auferri non possunt de ecclesia. Constituuntur judices, insistunt officia, mittuntur ultores, ut hæc corrigantur: & ad cumulum miseriarum, quibus mortalis vita exstat plenissima, ubi statuta justitia, nequitia condemnari & innocentia absolvi putatur, ignorantia fallente plerumque e contrario agitur, ut malitia victrix redeat, & innocentia puniatur.

XXI. Hæc prohibitio & eruditio contra eas cum
D quibus nascimur tenebras vigilant, & contra hos impetus opponuntur; plenæ tamen etiam ipsæ laborum & dolorum. Nam quid sibi volunt multimodæ formidines, quæ cohibendis etiam parvulorum vanitatibus adhibentur? quid pædagogi? quid magistri? quid ferulæ? quid [1] hora? quid virgæ? quid disciplina illa, qua scriptura sancta dicit dilecti filii latera esse tundenda, ne crescat indomitus, domarique jam durus aut vix possit, aut fortasse nec possit? Quid agitur his pœnis omnibus, nisi ut debelletur imperitia, & prava cupiditas infrenetur, cum quibus malis in hoc sæculum venimus?

E XXII. Quot & quantis pœnis aliis genus agitetur humanum, quæ non ad malitiam & nequitiam iniquorum, sed ad conditionem pertinent miseriamque communem, quis ullo sermone digerit, quis ulla cogitatione comprehendit? Quantus est metus a deceptionibus & mendaciis hominum, a suspicionibus falsis? Quanta putamus esse, quam misera, quam dolenda? Quandoquidem hi judicant, qui conscientias eorum de quibus judicant cernere nequeunt, & cum quis quæritur utrum sit nocens cruciatur, & innocens luit pro incerto scelere certissimas pœnas; non quod illud commisisse detegitur, sed quod non commisisse nescitur. Ac per hoc ignorantia judicis plerumque est calamitas innocentis; & quod

1. Forte *lora*.

eſt intolerabilius magiſque plangendum, rigandumque ſi fieri poteſt fontibus lacrymarum; cum propterea judex torqueat accuſatum, ne occidat neſciens innocentem, fit per ignorantiæ miſeriam, ut & tortum & innocentem occidat, quem ne innocentem occideret torſerat. Quia plerumque hi qui arguuntur, vi doloris ſuperati, de ſe falſa confeſſi etiam puniuntur innocentes, & utrum innocentem an nocentem judex occiderit, neſcit. Verum eſt quod ait ſcriptura: *Tentatio eſt vita hominis ſuper terram*. Et, *Propter iniquitatem corripuiſti hominem, & tabeſcere feciſti ſicut araneam animam ejus*. Oriuntur inter eccleſiæ rectores & reipublicæ adminiſtratores innumeræ contentiones, & inſtigante ſuperbia, cupiditate atque invidia & clauſis oculis zelamur & belligeramus ad invicem proximi quibus ...... *Nemini quicquam debeatis, niſi ut invicem diligatis*. Et tot ac tanta mala nobis imminentia conſentimus, quibus eſſe non debebat *adverſus carnem & ſanguinem colluctatio, ſed adverſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, adverſus ſpiritalia nequitiæ in cæleſtibus*. Indicta ſunt nobis innumera bella *principis & poteſtatis aeris hujus, qui operatur in filios diffidentiæ*, ſævit adverſum nos totis viribus.

XXIII. Terrores etiam divinæ comminationis intonant ſuper nos. Severitas legum & diſtrictio regum vigilant ad coercendos nos, & nihil horum adtendimus, niſi ut *invicem mordeamus & comedamus, ut ab invicem conſumamur*. Heu pro dolor! Tam ſecuri pergimus *ad tenebras exteriores*, quaſi ibi nobis cubicula exſtruantur, cubilia ſternantur, deliciæ præparentur, miniſtri procurentur, theſauri congerantur, ornamenta multiplicentur, cum ſcriptura dicat: *Quodcumque poteſt manus tua facere, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quo tu properas*. Unde nobis tam impudens ſuperbia, importuna cupiditas, infrunita laſcivia? niſi quia ad ea quibus in baptiſmo abrenunciavimus, imprudenter revertimur; & contingit nobis res veri proverbii: *Canis reverſus ad vomitum ſuum, & ſus lota in volutabro luti*. *Unde bella & lites*, ait Apoſtolus, *in vobis? Nonne hinc; ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris?*

XXIV. Manifeſtum eſt ergo, omnem contentionem inter nos ex cupiditate oriri: quoniam non eſt tale bonum quod heic amamus, ut nullas anguſtias faciat amatoribus ſuis. Ideo plerumque dividimur litigando, mortiferas aut certe mortales victorias requirendo, & cum quis vicerit ſuperbus extollitur. Si vero conditionem cogitans caſuſque communes, magis quæ accidere poſſunt adverſis angitur, quam eis quæ provenerint ſecundis rebus inflatur. Res enim qualibet terrena ſimul a multis

A poſſideri non poteſt; quia ſi unus poſſidet, ab ejus poſſeſſione alter excluditur. Res autem divinæ, quas Deus jubet ut amemus, ſic a multis poſſidentur, ut nulli creſcente numero poſſidentium, aliquid minuatur. Nullo enim modo fit minor, accedente ſeu permanente conſorte poſſeſſio bonitatis; immo poſſeſſio bonitas, quam tanto latius, quanto concordius individua ſociorum poſſidet caritas. Non habebit iſtam poſſeſſionem, qui eam noluerit habere communem: & tanto eam reperiet ampliorem, quanto ibi amplius potuerit amare conſortem. Quia ergo iſta quæ amare debemus inordinate amamus; ideo bella & lites ex concupiſcentiis noſtris oriuntur in nobis.

B

XXV. Sed ſciendum nobis eſt, omnibus modis non poſſe nos ad regnum pacis æternæ tranſire, niſi heic eam pacem tenuerimus, quam belli hujus, in quo caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, multis & variis certaminibus quærit. Hoc autem bellum numquam ullum eſſet, ſi natura humana per liberum arbitrium in rectitudine, in qua facta eſt, perſtitiſſet. Nunc vero quæ pacem felix cum Deo habere noluit, ſecum pugnat infelix, & cum ſit hoc .... melius eſt tamen quam priora vitæ hujus. Melius confligitur quippe cum vitiis, quam cum ſine ulla conflictione dominantur. Melius eſt inquam, bellum cum
C ſpe pacis æternæ, quam ſine ulla liberationis cogitatione captivitas. Cupimus quidem etiam bello carere, & ad capeſſendam ordinatiſſimam pacem, ubi firmiſſima ſtabilitate potioribus inferiora ſubdantur, igne divini amoris ſuccendimur; ſed ſi, quod abſit, illius tanta boni ſpes nulla eſſet, malle debuimus in hujus conflictionis moleſtia remanere, quam vitiis in nos dominationem, non eis reſiſtendo, permittere.

XXVI. Suſcipiendum eſt igitur bellum contra vitia, & gerendum acriter, ne ad damnabilia peccata perducant. Et ſiquidem nondum victoriarum conſuetudine roborata ſunt, facilius vincuntur &
D cedunt: ſi autem vincere atque imperare conſueverunt, laborioſa difficultate ſuperantur. Hæc eſt autem in fide Chriſti. Nam ſi lex jubens adſit, & ſpiritus juvans deſit; per ipſam prohibitionem deſiderio creſcente peccati atque vincente, etiam reatus prævaricationis accedat. Nonnumquam ſane apertiſſima vitia aliis vitiis vincuntur occultis, quæ putantur eſſe virtutes, in quibus regnat ſuperbia & quædam ſibi placendi altitudo ruinoſa. Sed tunc victa vitia deputanda ſunt, cum Dei amore vincuntur; quem niſi Deus ipſe non donat, nec aliter donat, niſi *per mediatorem Dei & hominum hominem Chriſtum Jeſum*, qui factus eſt particeps mortalitatis noſtræ, ut nos participes faceret divinitatis ſuæ.

Sæc. VIII.
circa
Ann. Chr.
795.

[1] EPISTOLA III.

Ad Sororem.

CAriſſimæ ac ſuſpicientiſſimæ in Chriſto ſanctæ ſorori Leidradus licet indignus Lucdunenſis Eccleſiæ Epiſcopus in Domino Jeſu Chriſto ſempiternam ſalutem. Cognoſcere dignetur prudentia almitatis tuæ nos juxta donum donantis Dei viribus corporis aliquantiſper prævalere; & ſecundum quod, ſi incerta ſalus propter ſuſpectos caſus vitæ hujus habet, de ſalute noſtra gratias Deo debere. Deinde ſecundum vires animi memores nos eſſe in orationibus noſtris pro ſalute veſtra temporali & æterna. Vos quoque, ſi bene valetis, & in orationibus veſtris, juxta quod de vobis confidimus, memores noſtri eſtis, immenſas Deo referimus gratias, eo quod ſecundum quod deſideramus eſſe vos conſtat. Novi autem animum veſtrum nuper vehementi dolore perculſum, poſt mortem filii, poſtea fratris. Et utique tanti ſolatii privatio nullo modo nos poteſt ſine gravi dolore affici; quoniam de quorum vita gaudemus, conſequenter de eorum morte dolemus; & tanto majore triſtitia cor noſtrum premit cujuſcumque mors, quanto majore lætitia ſublevabat vita. Neque enim jura naturæ penitus extinguere poſſumus, ne doleamus; ſed forſitan conſilio meliore lenire, ut toleremus; ne forte contingat ut dum amoris ſequax animus pro proximo dolet ut blandus, judiciis divinis efficiatur infenſus. Multa enim diſcretione opus eſt, ut in hujuſmodi damnis inter Deum judicantem & proximum morientem æquitatis tenorem non relinquamus; quatenus & juſtiſſimo judici ingrati non exſiſtamus, & mortuo proximo compaſſionis dolorem juxta menſuram exhibeamus. Audiendum omnino eſt conſilium beati Paulli Apoſtoli dicentis: *Nolo autem vos fratres contriſtari de dormientibus*, id eſt, morientibus, *ſicut & ceteri qui ſpem non habent reſurrectionis*. Aliud eſt enim infidelem infideliter flere mortuum, quaſi ex toto perditum, quem non ſperet eſſe victurum; aliud eſt fidelem fideliter mortuum interim condolere, quem non dubitat eſſe reſurrecturum. Et quamquam, ut ſuperius dictum eſt, fieri non poſſit ut ejus nobis non ſit mors amara, cujus dulcis eſt vita, & hinc ſit luctus humani & affectuoſi cordis, quaſi vulnus, aut ulcus; recte tamen huic ſanando adhibentur officioſæ conſolationes: eſt enim quod ſanetur: & quanto eſt animorum melior, tanto in eo citius faciliuſque ſanetur. Cum igitur de cariſſimorum mortibus, maxime quorum ſunt humanæ ſocietati officia neceſſaria, nunc mitius, nunc aſperius affligatur vita mortalium; tamen eis quos diligimus juſtius congratulamur, cum moriuntur, quam toleramus, cum a fide vel bonis moribus labuntur. Quia *tentatio eſt vita humana ſuper terram*. Et: *Væ mundo ab ſcandalis*.

A Et cum mors eorum nos contriſtat, ipſa iterum conſoletur; quia caruerunt malis, quibus in hac vita boni homines vel conteruntur, vel depravantur, vel in utroque periclitantur. Crede quia, ut mihi videtur, ex altera parte omni morienti congratulandum eſt; ne forte ſi vixiſſet, pejor obiiſſet. Sed quia id hominibus ſuaderi non poteſt, illud ſubtiliter conſiderandum eſt, quod cum omnes mortales & morituri naſcamur, alii moriuntur in uteris matrum, alii mox in hanc lucem effuſi; & deinceps non invenitur qui numeretur dies aut annus, in quo non mors occurrens intercipiat vitam ejus qui adhuc vivere vellet, ſeque vivere putaret. Cum hæc igitur ita ſint, diligenti conſideratione
B mutatur, quotidianas Deo debemus grates exſolvere, quia dedit quod viximus, quamdiu viximus, non dolere de hoc quod morimur, ultra quod numquam accepimus ut viveremus. Quis, rogo, non moritur? Si Salvator, dator ſalutis & vitæ, mortuus eſt; quis tam ſtultus eſt ut ſemper velit vivere, dum novit pro nobis mortem guſtaſſe? Vita naſcimur æquales, coæqualiter morimur omnes. Diverſa eſt merces poſt mortem, mors tamen omnibus una. Ploramus & gemimus, ſed prodeſſe ad invicem non valemus. Luctus adeſt oculis, & nullus fructus operis: quia non revelatur, cum plangimus. Surda & dura eſt mors: nec audit, nec
C condolet. Nulla poteſtas auxiliari ſibi poteſt. Figulus ille qui omnes de una terra plaſmavit, novit quale & quando vas frangat. Nullum tamen illi perit: quia qui fecit de pulvere, de pulvere reficiet. Ad juſſionem omnipotentis nemo poteſt eſſe rebellis. Qui adhuc vivit, conſideret unde poſſit prodeſſe mortuo. Quia & qui mortuus eſt, non eget infructuoſo luctu, ſed fructuoſo ſuffragio. Jam ſufficiat præterita damna ploraſſe. Demus operam, futuram nobis mortem levigare. Quod vitari non poteſt, non valde timendum eſt. Ea vero timenda ſunt mala, quæ & viventes vitare poſſumus, & poſt mortem ſunt mala. Nam mors, quæ in ſe
D mala eſt, malis propterea mala eſt, quia per eam ad pejora tranſeunt: bonis vero bona eſt, quia per eam ad meliora tranſeunt. Nemo ſibi vivit, & nemo ſibi moritur. Si vivimus, Domino vivimus: ſi morimur, Domino morimur. Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, ut & mortuorum & vivorum dominetur. Ergo cogitatione, locutione, operatione ea ſtudeamus, per quæ illi placeamus, cujus poteſtas eſt male viventes damnare, & bene morientes glorificare; quique tribuit male viventibus, per emendationem bene mori; numquam tribuit bene morientibus male vivere.

1. Ex Baluzio ſecunda.

JESSE
AMBIANENSIS EPISCOPI
[1] EPISTOLA.

Sacris Sacerdotibus, & in Chriſto omnibus Diœceſi noſtræ digne militantibus, Jeſſe humilis Epiſcopus in Domino ſalutem.

QUoniam quidem dubitor me loqui vobis, cum ſæpius fore cognoſco de divinis libris ac ſacerdotalis officii myſteriis, quamquam mihi cauſſa impoſſibilitatis impediat ac abſentiæ. Ideo breviter vobis, in quantum temporum adfuit ſpatium, qualiter a ſacri baptiſmatis unda per gradus perveniri debeatur, ſcribendo perſtrinximus. Scio vero quia multi ex vobis ejus bene noverunt myſteria, ſed propter exercitationem & ignorantiam, cauſſam convenientius mihi omnibus ſcribere videtur, quam aliquibus inſciis. Unde & rogo, ut vos qui capaciores ſenſu eſtis, inſtruatis & adhortetis eos, qui minoris ſunt ingenii, in ſpiritu manſuetudinis ac lenitatis, ut intente quæ in eo latent, perquirant, & ad fructum ſanctæ Dei Eccleſiæ, Domino favente, inquiſita perducant. Semper culmen beatitudinis veſtræ proſpere in Chriſto opto valere.

De Catechumeno primo dicendum eſt, quia ipſe primus efficitur in ordine.

INTERR. Catechumenus cur dicitur, & in qua lingua dicitur, & quo tempore vel ordine efficitur ſi neceſſitas non invenerit, & quot perſonæ qualeſve ad illud miniſterium ſunt adhibendæ?


RESP. Catechumenum ab audiendo vel ab inſtruendo dictum fore legitur. Audit namque doctrinam percipiendæ fidei, inſtituiturque qualiter ad ſacri baptiſmatis lavacrum pervenire debeat; unde & auditor vel inſtructus interpretatur. Catechumenus enim græce, latine audiens, ſive inſtructus dicitur. Fit enim hoc tempore, vel iſto ordine.

Tertia hebdomada in Quadrageſima, II. feria, hora tertia veniant ad Eccleſiam, & antequam ad Eccleſiam introeant, ſcribantur nomina infantum, & eorum, qui eos ſuſcepturi ſunt, ab Acolyto, & tunc vocentur ipſi infantes ab Acolyto infra Eccleſiam, nominentur per ordinem, ſicut ſcripti ſunt, & ſtatuantur maſculi ſeorſum ad dexteram partem, fœminæ vero ſeorſim in læva: & tunc veniens Presbyter faciat in ſingulorum frontibus crucem cum pollice, ita dicendo; *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Deinde ponat manum ſuper capita eorum, dicens orationem hanc: *Omnipotens ſempiterne Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti*, & reliqua. Deinde vertens ſe ad fœminas faciat ſimiliter. Et poſtea benedicat ſal hoc modo: *Exorciſo te creatura ſalis*, & reliqua. Benedicto autem ſale, mittat de ipſo in ore infantum per ſingulos, ita dicendo: *Tu ille accipe ſal ſapientiæ propitiatus in vitam æternam*. Hoc expleto exeant foras Eccleſiam, exſpectantes horam quando revocentur. Interim incipiat Clerus Antiphonam ad introitum eo die pertinentem, qua finita, dicat Sacerdos: *Oremus; Da, quæſumus Domine, electis noſtris*, & reliqua. Finita hac oratione, ſedeat in ſede ſua. Deinde dicat Diaconus: *Catechumeni procedant*. Et vocentur infantes ab Acolyto per nomina, & ordinem, ut ſcripti ſunt, & ſtatuantur ſicut prius. Poſtmodum vero admoneantur a Diacono dicente: *Orate electi, flectite genua*. Et poſtquam oraverint, dicat: *Levate;*
A *Complete orationem veſtram in unum, & dicite Amen*; & reſpondeant omnes, *Amen*. Item dicat Diaconus; *Signate illos; Accedite ad benedictionem*, & ſignent ipſos infantes in frontibus eorum ſuſceptores viri vel fœminæ, id eſt patrini vel matrinæ de pollice dicendo: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*; & imponat primum manum ſuper viros, poſtea ſuper fœminas, dans orationem excelſa voce his verbis: *Deus Abraham*, & reliqua. Poſt hæc vertens ſe ad fœminas faciat ſicut ſupra & dicat; *Deus cæli, Deus terræ*: & iterum annuntiet Diaconus dicens: *Orate electi*, & reliqua. Et ſignent ſuſceptores ut prius, & ſequatur Acolytus alius faciens per omnia ſicut ille primus
B fecit, & dicat: *Audi maledicte Satana*, ſuper viros primum, deinde ſuper fœminas ſeparatim, & iterum dicat: *Deus Abraham, & Deus Iſaac*, & reliqua. Item dicat Diaconus ut orent electi, & ſignent eos ſuſceptores ut prius. Poſthæc tertius Acolytus faciat ſicut illi priores fecerunt dicendo orationem hanc: *Exorciſo te immunde ſpiritus*, primum ſuper viros, poſtquam ſuper fœminas, qua expleta, iterum annunciet Diaconus, ut orent electi, &c. & faciant ſicut prius. His omnibus expletis, veniens Presbyter faciant crucem in frontibus ſingulorum, ponetque manum ſupra capita eorum data oratione hac: *Æternam ac juſtiſſimam pietatem tuam*, & reliqua. His vero conſummatis,
C iterum admoneantur a Diacono ita: *Orate electi, flectite genua*, & poſt puſillum dicat: *Levate, Complete orationem veſtram in unum, & dicite, Amen, Signate illos, ſtate cum diſciplina & ſilentio*. Poſt hæc revertatur Sacerdos ad ſedem ſuam, & lectio legatur, & pſallatur graduale pertinens ad ipſum diem. Poſtea vero taliter a Diacono admoneantur, *Catechumeni recedant. Si quis Catechumenus eſt, recedat*. Omnes Catechumeni recedant foras, & egrediantur electi exſpectantes pro foribus, quo uſque completa fuerit Miſſa. Deinde legatur Evangelium, & offerantur oblationes a parentibus, vel a ſuſceptoribus infantum, & ponat ipſas Sacerdos ſuper altare, dicatque orationem hanc ſecrete: *Mi-*
D *ſeratio tua, Deus, ad hæc percipienda myſteria*; & reliqua. At ubi dixerit; *Memento Domine famulorum, famularumque tuarum*, recitentur nomina virorum, ac mulierum, qui ipſos infantes ſuſcepturi ſunt. Item [2] in fractionem, *Hanc igitur oblationem expletam*, recitentur nomina virorum electorum, & poſtquam recitata fuerint, dicat, *hos fonte baptiſmatis innovandos*, & reliqua. Miſſa finita communicent omnes præter ipſos infantes. Iterum denunciet Presbyter, ut ipſa hebdomada, feria quali voluerit, veniant omnes ad Eccleſiam, qualem eis denunciaverit. Venientes autem ad Eccleſiam condictam faciant ſcrutinium alterum per ordinem, ſicut prius fecerunt. Similiter
E faciendum eſt de ſcrutinio tertio, quarto, vel quinto in illis tribus hebdomadis uſque in quarta feria ante palmas. In eadem autem IV. feria ſequente veniant ad Eccleſiam, qualemcumque dixerit, & tunc faciunt ſcrutinium ſextum per omnem ordinem, ſicut illa quinque fecerunt, uſque ad loc[um], ubi dicit, *Signate illos: ſtate cum diſciplin[a &] ſilentio*, & largatur in aurium apertione lectio I[ſai]æ

1. Ex Bibliotheca eccleſiaſtica Auberti Miræi.

2. Infra actionem.

SÆC. VIII. CIRCA ANN. CHR. 800.



Prophetæ: *Hæc dicit Dominus, audite audientes me, & comedite bonum*, usque, *quoniam multus est ad ignoscendum*. Sequitur Responsorium, *Venite filii*. Item alia lectio ad Colossenses, *Fratres, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis*, usque, *gratias agentes Deo Patri per Jesum Christum Dominum nostrum*. Sequitur Responsorium, *Beata gens*. Post hæc procedant quatuor Diaconi de Secretario cum quatuor libris Evangeliorum præcedentibus eis duobus candelabris, cum turibulis & incenso, & ponant ipsa Evangelia in quatuor angulis altaris, & antequam aliquis eorum legat, tractet Presbyter his verbis: *Aperituri vobis filii carissimi, Evangelia, id est gesta divina, prius ordinem insinuare debemus, quid est Evangelium, & unde descendat, & cujus in eo verba ponantur, & quare quatuor sunt qui hæc gesta scripserunt, vel qui sunt*, & reliqua ad hæc pertinentia. Tunc iterum dicat: *Ideo præmisimus, ne sine hujus ordinis ratione stuporem mentibus vestris relinqueremus: & quia ad hoc venistis, ut aures vobis aperiantur, ne sensus vester hebetando obtundatur*.

Hoc facto iterum adnunciet Diaconus dicens: *State cum silentio, & audientes intendite*. Tunc accipiens unus ex diaconibus de [1] Angelo Altaris, qui est ad lævam primus, librum Evangelii, præcedentibus duobus candelabris cum turibulis, ascendat ad legendum, & legat: *Initium sancti Evangelii secundum Matthæum*, usque, *ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*. Quo lecto suscipiat ab eo subdiaconus Evangelium in linteo, & deferat in secretarium. Deinde tractet presbyter his verbis: *Filii carissimi, ne morulam vobis innectamus, exponere vobis cupimus, quam rationem, figuramque unusquisque Evangelista in se contineat*. Et exponat singulorum Evangelistarum rationem, & cur ita figurentur. Expleta autem narratione sacerdotis, iterum annunciet diaconus; *State cum silentio, audientesque intendite*, & legatur *Evangelium secundum Marcum*, usque ad locum ubi dicit: *Ego vos baptizo aqua, ille vero baptizabit vos in Spiritu sancto*; & similiter exponat sacerdos de Marco, sicut de Matthæo. Post hæc iterum annunciet diaconus sicut supra, & legat, *Initium sancti Evangelii secundum Lucam*, usque, *parare Domino plebem perfectam*; & faciat sacerdos verbum de Luca sicut fecit de aliis. Iterum autem adnuncietur a diacono, ut supra, & legat, *Initium sancti Evangelii secundum Joannem*, usque, *plenum gratiæ & veritatis*: & exponat sacerdos de Joanne, sicut exposuit de aliis.

Post hanc iterum vero expositionem, adnuncietur eis a sacerdote præfatio Symboli his verbis, *Dilectissimi nobis, accepturi sacramentum baptismatis*, & reliqua. Qua expleta tunc accipiat acolytus unum ex ipsis infantibus masculum, tenens eum in sinistro brachio, ponatque manum super caput ejus, dicatque presbyter, *Adnuncia fidem illorum, & qualiter confiteantur Dominum Jesum Christum*: & dicat Symbolum decantando. Hoc finito faciat alius acolytus super unam de fœminis. Deinde subsequatur presbyter his verbis: *Hæc summa est fidei nostræ, dilectissimi nobis*, & reliqua. Et postea adnuncietur a diacono, ut supra; & tunc dicat presbyter Orationem dominicam ita; *Dominus & Salvator noster*, & reliqua. Diximus autem superius, quæ vel quot personæ ad hoc opus deputatæ sunt, scilicet specialiter: quatuor sunt personæ, secundum numerum librorum quatuor Evangeliorum, unde paullo superius mentio facta est, exceptis subdiaconibus, reliquisque ministris, ac ceteris. Sunt enim susceptores infantum, acolyti, subdiaconi, ac presbyteri. Catechumenus enim mysterium fidei jam accipiens, signaculum crucis in fronte portans, in Christum se credere profitetur, sed nondum, lavacri unda regeneratus, corpus & sanguinem Domini meretur percipere. Unde bene beatus Augustinus in sermone Evangelico ex verbis Domini ad Nicodemum ait: *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Ipsis ergo se credit Jesus, qui nati fuerint denuo. Ecce illi qui crediderant in eum, & Jesus non se credebat eis; tales sunt omnes Catechumeni. Ipsi jam credunt in nomine Christi, sed Jesus non se credit illis. Intendat & intelligat caritas vestra. Si dixerimus Catechumeno: Credis in Christum? respondet, Credo, & signat se, jam crucem Christi portans in fronte, & non erubescit de cruce Domini sui: ecce credit in nomine ejus. Interrogemus eum: Manducas carnem filii hominis, & bibis sanguinem filii hominis? nescit quid dicimus, quia Jesus non se credit eis*.

De Competente.

INTER. Inter Catechumenum, & Competentem quæ differentia est?

RESP. De Catechumeno, quid sit, super satis dictum est: sed de Competente, quid sit, breviter est dicendum. Competens est, qui diligenter instructus de fide, & adtente de credulitate imbutus, post traditam sibi doctrinam Christianitatis, & mysterium Symboli, & traditionem Orationis dominicæ, petit & rogat, ut possit consequi mysterium sacri baptismatis, & gratiam Christi, & particeps fieri sanctæ Dei Ecclesiæ, & in servitio cum fidelibus esse Christi: unde a petendo competens vocatur.

De Sale?

INTER. Cur Catechumenus accipit sal?

RESP. Adhibetur ergo sal, & mittitur in ora Catechumenorum, videlicet sal condimentum omnibus cibis præbet pulmentum, fatuitatem expellit, aviditatemque excitat, & appetitum in omnibus cibis facit. Ex illo enim totus victus delectatior & suavior efficitur gustu hominis. Congruenter autem sal ad officium Christianitatis adsumitur, de materia enim aquæ conficitur, & undecumque fit, in aqua resolvi potest. Sicut enim in lege mel in sacrificiis prohibetur offerri, & sal per omnia jubetur; ita oblaturis Domino, & hostia effecturis sal tribuitur, ut omnia, quæ ad Christi honorem cultumque offerimus, sal rationis ac discretionis sine oblatione mellis semper habeant. Ideo & ori Catechumeni sal corpore vere sacerdos imponit, ut significet sale divinæ Sapientiæ fluxa ac voluptuosa ejus peccata ab illo depelli, & omnia ejus eloquia condita esse ac perornata, Paullo attestante, qui ait: *Sermo vester in gratia Dei sale sit conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere*. Sal ergo in igne exsilit: nam quamvis sit in eum, ignem tamen fugit, naturam enim sequitur; quia ignis & aqua inimica sunt sibi. Bene autem baptizandis, & ab igne æterno elapsis sal tribuitur, ut relicta vanitate, ex qua infideles liberos suos per ignem lustrantes dæmonibus offerebant, ad aquam regenerationis perducti oblatique Deo ac consecrati, infidelitate rejecta, efficiantur filii Dei, & Christum, qui est pax vera, suscipiant, dicente ipso: *Sal habete in vobis*, id est, pacem. Et: *Vos estis sal terræ*. Bene autem convenit, quod sacerdotes Dei,

1. Forte *angulo*.

qui sunt condimentum populi, sal ad officium Christianitatis adponant, ut vitiis exclusis parvulos sale Sapientiæ bonæ conditos Deo pacificos offerant.

Exorcizatur, sive catechizatur infans.

INTER. Exorcismus cujus lingua est, & quid interpretatur? & quid catechizare?

RESP. Exorcismus græce, latine conjuratio sive increpatio dicitur. Increpatio, *Nec te latet satana imminere tibi pœnas*, & reliqua. Conjuratio simul & increpatio damnati & damnandi: *Da honorem Deo vivo, da honorem Jesu Christo, da honorem Spiritui sancto, & recede ab hoc, & ab hac famula Dei, in nomine nostri Jesu Christi*, & reliqua. Est enim contra diabolum dictum: ut discedat, & relinquat quem tenebat, sicut in Zacharia propheta manifestatur dicendo: *Ostendit Jesum sacerdotem stantem coram angelo Domini & satanas stabat a dextris ejus, & dixit Dominus ad satan; Increpet Dominus in te satan, qui elegit Hierusalem*: hoc est, Exorcismus, increpare & conjurare. Non enim creatura Dei in illis, qui non sunt, exorcizatur, sed malignus spiritus, ut relinquat Dei creaturam.

De Exsufflatione.

Ideo enim & exsufflatur, non homo, sed sub quo sunt omnes qui sub peccato nascuntur, quia ipse est auctor mali & princeps peccatorum. Recte enim exsufflatur, & projicitur, *tamquam pulvis a facie venti*, confusus in sua nequitia Diabolus, ut eo fugato homo renovandus, & vivificandus, calefactus flatu divino perducatur ad gratiam Christi, & in illo Christo Deo nostro dignus patefiat introitus. Catechizare enim est docere, vel castigare, unde & Apostolus: *Communicet autem is qui catechizatur verbum ei, qui se catechizat, in omnibus bonis*. Catechizatur qui discit, catechizat qui docet. Præcipit enim, ut doctori adhæreat, & communicet discipulis.

INTER. Quare de saliva tanguntur nares & aures?

RESP. De saliva tangitur ante baptismum homo, ut postea ad baptismum perducatur; Dominus autem quando cæcum a nativitate inluminavit, *exspuit in terram, & fecit lutum de saliva sua, & unxit oculos cæci*, & misit illum ad piscinam, & lavit, & vidit. *Quando inunxit*, Augustino dicente, *catechumenum fecit. Quando lavit, baptizatus est in Christo. Inunctus erat, & non videbat: lavit, & vidit. Quando enim in seipso quodammodo baptizavit, tunc inluminavit: sputum enim, quod ex capite suo descendit, Dominus terræ commiscuit, ut divinam ejus naturam, quæ ex Deo est, atque humanam, quæ ex hominibus adsumta est, designet, ut Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.*

Tanguntur autem nares, & aures digito, ut dona sancti Spiritus, hi qui a via veritatis aberraverant, audiant, & corde precipiant: & percepta, quam audierunt, in fide perdurent, ut dicere possint: *In auditu auris obedivit mihi*, unde & Dominus: *Qui habet aures audiendi, audiat*, id est qui habet intellectum intelligendi, intelligat, *Nam & Dominus surdum & mutum adprehendens de turba seorsum; misit digitos suos in auriculas*. Prima salutis janua, est infirmum, apprehendente Domino seorsum de turba educere, id est de conversatione gentili ad fidem provocare. Digitos in auriculas mittit, cum ad suscipienda & intelligenda per dona sancti Spiritus verba salutis, aures cordis aperit. Nares etiam tanguntur, ut per invocationem sancti Spiritus odorem bonorum operum, rejectis operibus scurrilibus & fœtidis, percipiant, & delectatione florum virtutum, adspirante Domino, frui me-

A reantur. Unde & ad Catechumenum faciendum preces funduntur ita: *Aperi ei Domine januam misericordiæ tuæ, & signo sapientiæ tuæ imbutus, omnium cupiditatum fœtoribus careat, atque ad suavem odorem præceptorum tuorum lætus tibi in Ecclesia tua deserviat.* Et effectis, secundum Apostolum, Christo bonus odor dicamus: *In odore unguentorum tuorum currimus.*

De unctione pectoris & scapularum ex oleo.

Tangitur etiam de oleo sancto pectus, ut immundo spiritui prohibeatur introitus. Scapulæ enim eodem signantur oleo, ut undique munitione crucis firmetur, & ad gratiam Christi perductus, par-
B ticipare mereatur & adhærere Christo Domino, *qui unctus est oleo lætitiæ præ participibus suis*. Inter scapulas tangitur, ut consecratus humerus cum scapulis totum se subjiciat potestati Dei & dominationi, *cujus principatus & regnum super humerum* esse *ejus* ostenditur: unde & crucem suam ipse portavit, habens *nomen super omne nomen*. Namque & nos humerum & cervices inclinemus, credentes & adorantes illum, cui omne genu flectitur. Portemus enim Crucem, & sequamur illum, *quia jugum ejus & onus suave & leve est*; ut audire credentes mereamur: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis*. Perducamus ad orationem opera nostra, ad fidem cum desiderio currentes; quia in humero &
C scapulis opus, in pectore ratio intelligitur: fides enim quæ capitur auditu, corde creditur, ore promittitur ad salutem, secreto mentis est conlocanda, & ipsis est nostri pectoris vitalibus committenda. *Corde* enim *creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Unde & Dominus tetigit linguam muti, & loquitur ac confitetur mutus. Linguam quippe muti Dominus tangit, cum ad confessionem fidei ore catechizatorum instruit, dicente ipso: *Dilata os tuum, & ego adimplebo illud*. Hoc est, dilata confidendo, & ego illud ipsius confessione replebo Sacramento, sermone mystico ditabo, ut & tu respondere possis: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.*

D

De abrenunciatione diaboli, & pompis ejus.

Prælibato hoc ordine officio, perducitur infans ad baptismi sacramentum, & interrogatur de credulitate Christi, & abrenunciatione diaboli, pompas autem, quas, diabolo nunciante & suadente, susceperat homo, abrenunciat, ut rejectis diaboli operibus & vitiis veternosis, renovandus exspolietur, qui pannis sordidis & conscissis mundatur, induatur albis & novis vestibus currat cum desiderio ad fontes. Pompæ diaboli sunt vitia mortifera, quæ primo homini, ipso consentiente, immisit, id est, superbia, vana gloria, & cætera, quæ ad omnes
E homines pervenerunt, secundum Apostolum: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransivit.*

Ad imaginem quippe Dei homo factus est, & indutus stolam mortalitatis, quam consentiendo diabolo admisit: nunc abjiciat, imaginem ejus ut habeat mundatus cælestem. Unde & Apostolus dicit: *Sicut portavimus imaginem terreni, ita portemus imaginem cælestis*. Sicut enim nummus habet imaginem imperatoris mundi, sic qui facit opera rectoris tenebrarum portat imaginem ejus, quam rejiciunt omnes in Christo baptizati, ut Christi portent imaginem vexillo Christi signati. Iste est enim fons sacri baptismatis, ubi hædi descendunt fœtidi & cœnosi, & ascedunt agni immaculati. De hoc enim baptismate Apostolus loquitur: *Quicumque enim*

baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti cum illo per baptismum. Mori enim oportet nos peccato, ut possimus consepeliri cum Christo. Mortuo enim sepultura debetur. Qui enim vivit peccato, consepeliri non potest Christo. *Exspoliantes ergo*, secundum Apostolum, *veterem hominem cum actibus ejus*, abrenunciando pompis, & operibus malis, *induamus novum, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate; quia semel vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato.* Dominus autem in sepulcro novo sepultus, & in sindone munda obvolutus est; & quicumque consepeliri vult Christo per baptismum, abjecta vetustate & immunditia, mundatus & novus induatur sindone nova, Apostolo præcipiente: *Renovamini spiritu, novitate mentis vestræ; & induite novum hominem.* Ibi etiam nominatur infans, sicut Joannes in Apocalypsi dicit, *& dabo illi calculum candidum*, id est, corpus baptismo candidatum, & in resurrectione incorruptionis gloria refulgens, *& in calculo nomen novum scriptum, ut filii Dei nominemur & simus.* Unde & idem Joannes: *Scribam super eum nomen novum*, hoc est nomen Christianum, ut a Christo Christianus deinceps vocetur: & renatus, novus qui effectus, omissis vitiis & pompis diaboli, nomen novum, id est, Christianum portet, & opera sequatur.

De Symbolo.

Symbolum itaque græce, latine signum vel cognitio interpretatur. Discessuri Apostoli ad Evangelizandum gentibus, hoc sibi prædicationis signum vel indicium posuerunt. Continet autem credulitatem Trinitatis, & unitatem Ecclesiæ, ac omnis Christiani dogmatis sacramentum; quod Symbolum fidei & spei nostræ non scribitur in charta & atramento, *sed in tabulis cordis carnalibus.* Sicut namque in bono Symbolum Ecclesia tradit nostræ saluti profuturum, ita infideles in malo, testante in Apocalypsi Joanne Apostolo: *Qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus*, id est, *mysterium iniquitatis*, mercandi aut vendendi in unitate malitiæ licentiam habet. Hoc signum Antichristi est, in quo totus satanas habitaturus est corporaliter. Aliis enim dicitur non licere vendere aut emere, nisi illo charactere signatis. Symbolum autem sacramenti divini nobis commissum, ideo non est committendum chartis, non scribendum litteris, quia chartæ & litteræ magis curam quam gratiam proloquuntur. Ubi vero Dei gratia, donatio divina consistit ad pactum, fides & altitudo cordis sufficit ad secretum, ut hoc salutis Symbolum, hoc in te semper pactum testis falsus ignores. Symbolum enim inter duos firmat semper geminata conscriptio, & in stipulationibus cautum reddit humana cautela, ne vi subrepat, neque decipiat perfidia contractibus semper inimica, sed hoc inter homines, inter quos fraus aut a quo facta est lædit: inter Deum vero & homines Symbolum fidei sola fide firmatur: non litteræ, sed spiritui creditur, quia divinum creditum humanam non indiget cautionem. Deus vero facere fraudem nescit, pati non potest. Sed forte dicitur, qui falli non potest cur exigit placitum? quid Symbolum? Quærit illud propter te, non propter se: non quia ille dubitat, sed ut tu credas. Quærit Symbolum; quia te modo non ad rem convocat, sed ad fidem; & per præsens placitum, futurum pertrahit ad lucrum, ex fide in fidem.

De trina mersione.

Abrenunciatis operibus diaboli, & mysterio credulitatis accepto, mergitur infans in aqua, & baptizatur. Baptismus græce, latine tinctio interpretatur; sub Trinitatis enim designatione fit, id est Patris, & Filii, & Spiritus sancti, dicente Domino ad Apostolos. *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Convenienti ergo in ratione sub trina mersione homo ad imaginem revocatur sanctæ Trinitatis, qui ad eamdem Deo cooperante in principio est creatus; & bene qui lapsus est in mortem tertio, gradu delicti, id est consensu, tertio a lavacro receptus recuperetur ad vitam. Quod autem per aquam baptismus datur, hæc ratio; voluit enim Dominus, ut res illa invisibilis per congruens, & profecto contractabile, & visibile impenderetur elementum, super quod etiam in principio ferebatur Spiritus sanctus. Nam sicut aqua purgatur exterius corpus, ita latenter ejus mysterio per Spiritum sanctum purificatur & animus. Invocato enim Deo descendit Spiritus sanctus de cælis, & medicatis aquis sanctificat easdem, ex ipso accipiunt vim purgationis, ut in eis caro & anima delictis coinquinata mundetur. *Baptismus enim talis est* (sicut Augustinus dicit) *qualis ille est, in cujus potestate datur; non qualis ille est, per cujus ministerium datur: non enim nocet si aliquis a malo homine baptizetur, si tamen recte baptizetur.*

De unctione capitis.

Baptizato autem facit Presbyter signum crucis de chrismate cum pollice in verticem capitis. Sicut enim in baptismo peccatorum remissio datur, ita per unctionem sanctificatio Spiritus adhibetur. Nam & in veteri testamento sacerdotes, & reges ungebantur, sicut Aaron a Moyse unctus est, & David a Samuele. In capite ungitur quia ex ipso omnes sensus procedunt, & ipse sensus capit. Nam mulier super caput Jesu unguentum fudit nardi pistici, ut fidem Ecclesiæ, & gentium ostenderet per unctos chrismate salutis.

De velamine capitis.

Pannus ornatus super caput baptizati ponitur. Sæpe enim nomine capitis mens solet intelligi. Unde & in Apocalypsi, circumamicti vestimentis albis in capitibus suis coronas aureas habere dicuntur, id est: bonis operibus induti perenni memoria mentis gaudia superna quærant. Jam tunc equus albus effectus, & sessor super illum habens arcum, id est, Ecclesiæ, quæ super nivem gratia baptismi dealbata est, Dominus præsidet, vexillum crucis habens.

De Confirmatione Episcopi.

Post hæc confirmet eum Episcopus in fronte de chrismate. Ideoque manus impositio fit, ut per benedictionem advocatus invitetur Spiritus sanctus super eos descendat, juxta exemplum Apostolorum: *Cum audivissent*, inquit, *Discipuli, qui Hierosolymis erant, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad illos Petrum & Joannes, qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum; nec dum enim in quemquam illorum supervenerat; sed baptizati tantum erant in nomine Domini nostri Jesu Christi. Tunc imponebant manus super eos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Sciendum est, quod Philippus, qui Samariæ evangelizabat, unus de septem fuerit: si enim Apostolus esset, ipse manum imponere potuisset, ut accipe-

rent Spiritum sanctum: hoc enim solum Pontificibus debetur. Nam presbyteri cum baptizant, chrismate baptizatos ungere licet; sed si ab episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis episcopis debetur quo tradant Spiritum Paraclitum baptizatis: *Postquam enim ascendit Dominus de aqua, vidit cælos apertos, & Spiritus sanctus tamquam columba descendit super eum.* Hoc mysterio expleto, si servaverit fidem Christianus, profecto beatus erit. [a] *Beatus*, in Apocalypsi, *qui habet partem in resurrectione prima.* Resurrectio prima est in baptismo, ut Apostolus dicit: *Si consurrexisti cum Christo, quæ sursum sunt quærite.* Non autem solum episcopis, & presbyteris dictum est, sed omnes qui servaverint, quo renati B sunt, christi dicuntur, propter mysticum chrisma, & sacerdotes nominantur, quia membra sunt Christi, qui est sacerdos summus & sanctus. De illis ait Petrus: *Gens sancta, regale sacerdotium.* Fidelis vero Christianus a Christo dicitur, si nomen factis sequatur: fidelis est qui veraciter credit id quod non videt: & inde dicta est fides si fiat quod dictum est aut promissum inter duos. Inter duos enim placitum factum, & ea, quæ sunt inter Deum & hominem, veræ fidei sunt, ideo quod promisit homo servare debet: quia & Deus quod promisit homini, si promiserit servare, non fraudabit.

De confirmatione corporis & sanguinis Christi.

Novissime autem corpore & sanguine Christi confirmatur infans, ut ejus possit esse membrum, qui pro eo passus est & resurrexit, ipso Domino attestante, qui dixit: *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo: quia caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Unde & Augustinus: *Si*, inquit, *in Christi corpore homo fuerit, accipiat Christi Spiritum. Sicut autem corpus nostrum sine spiritu vivere non potest, sic non habet spiritum vitæ, nisi qui in Christi corpore fuerit munitus: ideoque qui vult venire accedat, credat, vivat Deo: Deo* D *incorporetur, ut vivificetur.*

Item traditio baptisterii.

Primo paganus, postea Catechumenus fit. Accedens ad baptismum renuntiat maligno spiritui, & omnibus damnosis ejus pompis. Exsufflatur etiam, ut fugato diabolo, Domino præparetur. Exorcizatur, id est, conjuratur malignus spiritus, ut exeat, & excedat, dans locum Deo vero. Accipit Catechumenus salem, ut putrida & fluxa ejus peccata sapientiæ sale, divino munere, mundentur. Deinde Symboli apostolici traditur ei fides, ut vacua domus, & a prisco habitatore derelicta, fide or- E netur, & præparetur habitatio Dei. Tunc fiunt scrutinia, ut experiatur sæpius quam firmiter post renuntiationem satanæ, sacra verba data fidei radicitus corde defixerit. Tanguntur & nares, ut quamdiu spiritum naribus trahat in fide accepta perduret. Pectus quoque eodem perungitur oleo in sanctæ crucis signo; ut diabolo claudatur ingressus. Signantur & scapulæ, & undique muniuntur: item in pectoris & scapulæ unctione signatur fidei firmitas, & operum bonorum perseverantia; & in nomine sanctæ Trinitatis trina submersione baptizatus: & recte homo, qui ad imaginem sanctæ Trinitatis conditus, per invocationem ejusdem sanctæ Trinitatis, ad eamdem renovetur imaginem, &

A qui tertio peccati gradu, id est operatione, cecidit in mortem (cecidit homo per cogitationem, delectationem, & operationem) tertio elevatus de fonte per gratiam resurgat ad vitam. Tunc albis induitur vestimentis, propter gaudium regenerationis, castitatem vitæ & angelici splendoris decorem. Tunc sacro chrismate caput perungitur, & mystico tegitur velamine, ut intelligat diadema regni, & sacerdotii dignitatem portare, juxta Apostolum: *Vos estis genus regale, offerentes vosmet ipsos Deo vivo, hostiam sanctam & Deo placentem.* Sic corpore & sanguine Dominico confirmatur, ut illius sit membrum, quia pro eo passus est, & resurrexit. Novissime per impositionem manus a summo Sacerdote septiformis gratiæ Spiritum accepit, ut roboretur per Spiritum sanctum ad prædicandum aliis, qui fuit in baptismo per gratiam vitæ donatus æternæ. Videtis quam fideliter seu rationabiliter & prudenter hæc omnia nobis tradita sunt observanda. [1] *Nemo catholicus contra Ecclesiæ auctoritatem; nemo sobrius contra rationalem consuetudinem; nemo fidelis contra pietatis intelligentiam certare audet;* & ne schismaticus inveniatur, & non catholicus. Sequamur pro baptismate sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, ut unde catholicæ fidei initia accepimus, inde exemplaria salutis nostræ semper valeamus; ne membra a capite sepa- C rentur suo, ne claviger regni cælestis abjiciat, quos a suis diversos intelligit doctrinis.

Item de baptismo officioque ejus, auctoribus nominatim venientium ad fidem.

Oratio, quasi oris ratio, eo quod ex ore & ratione procedat, *super electos*, id est, advocatos, qui de gentilitate ad Christi fidem veniunt. *Catechumenus* Græcum est, audiens interpretatur sive [2] docens. *Omnipotens*, quia omnia potest, & omnia creavit absque malo & mendacio, *sempiterne Deus*, id est, quia sempiternus est, nec initium habet, nec finem; *respicere dignare*, id est, respectum misericordiæ habere; *super hunc famulum, quem ad rudimenta*, id est, ad novitatem, *fidei vocare*, id est appellare, *dignatus*, *cæcitatem*, id est, obscuritatem, vel tenebrosum, *cordis expelle*, projice, *disrumpe*, frange, *laqueos*, id est captiones vel muscipulam, *satanæ*, græcum est, quod interpretatur adversarius, quia semper est adversum nos conligatus, id est constrictus; *aperi ei Domine januam pietatis tuæ*, id est, ostium fidei, sicut Veritas in Evangelio ait: *Ego sum ostium, si quis per me introierit, salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet; ut signo sapientiæ tuæ*, id est, ut signum Christi possit intelligere, quomodo incarnatus, quomodo natus, quomodo passus, quomodo crucifixus, quomodo mortuus, quomodo descendit ad inferna, quomodo surrexit, quomodo in cælum ascendit, *imbutus*, id est, instructus vel doctus, *fætoribus*, id est, inspurcitiis vel inquinamentis, quæ ad cupiditatem sæculi pertinent, *careat*, habere non velit; *præceptorum*, id est, mandatorum, *lætus*, id est, hilaris, clarus vel lætabundus, *tibi in Ecclesia tua deserviat.* Est & alia ecclesia hæreticorum, quia non debet credere in ecclesia hæreticorum, sed in Ecclesia catholicorum. Propterea dixi, *In Ecclesia tua deserviat, & proficiat*, sive crescat, *in fide*, vel inaugmentum faciat, *de die in diem*, omni tempore vitæ præsentis, *ut idoneus*, id est, dignus vel sufficiens, sive

a Apoc. xx. 6.

1. S. Aug. de Trin. 4. 6.

2. Forte *discens*.

Sæc. VIII. circa Ann. Chr. 800.



purus, *efficiatur*, id est, possit accedere, id est, appropinquare, *perceptæ*, id est, receptæ, *medicinæ*, id est, sanitati. *Exorcizo te*, id est, increpo te, vel conjuro te, *ad tutelam*, id est, ad defensionem vel ad sanitatem. Sal elementum est, & postquam sanctificatum est, fit sacramentum, *in nomine Dei Patris omnipotentis*, id est, per Patrem, *& in caritate Domini nostri Jesu Christi*, id est, per Filium, *& in virtute Spiritus sancti*, id est, ad comparationem deorum mortuorum; *& per Deum verum*, id est, ad comparationem falsorum.

[1] PRima enim adnotatione percunctare curavimus; quid sit Canon, vel quid contineatur in Canone? Canon autem græce, latine regula nuncupatur: Regula autem dicta eo quod recte ducit, nec aliquando sine rectitudine stat. Canones tempore Constantini Imperatoris exordium habere cœperunt, propter Arium blasphemantem Dei filium, nam coæternum Patri esse denegabat; ex qua re in Nicæa civitate provinciæ Bithyniæ CCCXVIII. Episcopi convenerunt, ibique fidem catholicam exposuerunt; quam tota complectitur Ecclesia. Secunda Synodus Constantinopoli congregata est CL. Episcoporum sub Theodosio seniore contra Macedonium Spiritum sanctum Deum esse negantem. Tertia Synodus Ephesina prima CC. Episcoporum sub juniore Theodosio adversus Nestorium qui duas persona in Christo afferebat. Quarta Synodus Calcedonensis DCXXX. Episcoporum sub Martino Imperatore adversus Eutychen Verbi Dei & carnis unam naturam pronunciantem. Istæ igitur quatuor Synodi principales, quasi quatuor flumina paradisi emanant, & irrigant corda fidelium. Si qua vero alia Concilia sanctorum Patrum, pro necessitate caussarum, plena Spiritu Dei in unum congregata sanxerunt, custodienda & recipienda. Synodus Græcum est, in Latinum interpretatur comitatus vel cœtus. Nunc diximus quid sit Canon; restat ut dicamus, quid contineatur in Canone. Canon enim (ut dictum est) Regula nuncupatur, id est a recte vivendo, recte operando, recte in fide tenenda divinitatem & humanitatem Domini nostri Jesu Christi veraciter confitendo, hæreticorum pravitatem calcandam, & sanctorum orthoxodorum Patrum normam tenendam denuntiat. Docet enim Canon quomodo juste vivere quis debeat, vel qui declinat a via recta qualiter corrigendus sit. Est enim quodammodo lex legum, quia omnes præeminet leges, quæ humano arbitrio compositæ sunt.

Post cognitionem fidei Canonicæ, adnotandum est qualiter fides catholica & credatur & observetur ab omnibus, id est, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum tres personas confiteri; sed Trinitas est in vocabulis personarum; unitas vero numquam separetur a majestate, ab essentia, & ab æternitate, ita ut sit consubstantialis Pater videlicet, & Filius, & Spiritus sanctus & coæternus, & cooperator secundum fidem quæ exposita est in Nicæna Synodo a CCCXVIII. Episcopis constituens hunc modum; *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium & invisibilium, factorem cœli & terræ*, & reliqua; fidem etiam sancti Athanasii episcopi in hoc opere censuimus observandam, & Symbolum Apostolorum cum traditionibus & expositionibus sanctorum Patrum in his sermonibus adnotatis.

Cap. I. Primo omnium admonendi sunt de rectitudine fidei suæ, ut eam & ipsi teneant, & intelligant, & sibi subjectis populis vivo sermone adnuntient, & unusquisque eos, quos habet in suo ministerio cognoscat, sive viros, sive fœminas, & pueros, ut noverit singulorum confessiones & conversationem, quia pro omnibus redditurus est rationem Dei.

Cap. II. Secundo, ut ipsi Sacerdotes talem ostendant suam conversationem subjectis sibi populis, quæ imitabilis sit, videlicet, sicut Apostolus dixit: *In castitate, in sobrietate*; ut non deserviant gulæ & cupiditatibus hujus sæculi; ut quod alios monent observare, in seipsis ostendant; ut caveant se ab omni avaritia & cupiditate, quia multi diu noctuque laborant, ut adquirant temporalia, videlicet, mancipia, vinum, & annonam cum usura, a qua & Deus prohibet, & omnis scriptura divina, & sancti Canones: nec non mulierum declinent consortium, & secum habitare non permittant, ut auctaritas est Canonica.

Cap. III. Tertio, ut Orationem dominicam, id est, *Pater noster*, & *Credo in Deum omnipotentem*, sibi subjectis insinuent, & sibi reddi faciant tam viros & fœminas, quam pueros.

Cap. IV. Quarto, & ipsi presbyteri a comessationibus, & potationibus, ut Apostolus monet se subtrahant. Nam quidam illorum cum quibusdam vicinis suis .... usque ad mediam noctem & eo amplius cum ipsis bibendo morantur, & qui religiosi & sancti esse videntur non quidem tunc ibi manent, sed tamen saturati vel ebrii revertuntur ad Ecclesias suas, & neque in die, neque in nocte officium Deo in Ecclesia sibi credita persolvunt: nonnulli vero in eodem loco, ubi ad convivium pergunt, dormiunt.

Cap. V. Quinto, ut ipsi presbyteri tales scholarios habeant, id est, ita nutritos & insinuatos, ut si forte eis contingat non posse occurrere tempore competenti ad Ecclesiam suam officii gratia persolvendi, id est, Tertiam, Sextam, Nonam, & Vesperam, ipsi scholarii & signum in tempore suo pulsent, & officium honeste Deo persolvant.

Cap. VI. Sexto, ut diligenter resciatis post ordinationem uniuscujusque presbyteri, quantum quisque profecerit in suo ministerio: quia qui ante ordinationem pauperes fuerunt; post ordinationem vero de rebus, cum debuerant Ecclesiis servire, emunt sibi alodium, & mancipia, & ceteras facultates, & neque in sua lectione aliquid profecerunt: neque libros congregaverunt, aut ea quæ pertinent ad cultum religionis augmentaverunt, sed semper convitiis, & contentionibus, & rapina vivunt.

Cap. VII. Septimo, ut domesticos suos, id est, eos qui cum ipsis sunt in sua mansione, sive scholarios, sive alios servientes diligentissime prævidere studeant ab omnibus vitiis, & maxime de ebrietatibus, & luxuriis, & variis immunditiis: nam sicut dicit Apostolus: *Qui domesticorum suorum curam negligit*, aliorum non prodesse poterit conversationi.

Cap. VIII. Octavo, ut hospitales sint, quia multi, qui sciunt hospitem supervenire ad Ecclesiam suam, fugiunt: sed quod Apostolus jubet & cetera scriptura divina sectari, sequi illi e contrario fugiunt, & pauperibus subvenire metuunt.

Cap. IX. Nono, jubet Apostolus omnibus fidelibus, *ut sermo eorum in gratia sit, semper sale conditus*, id est, ut ea loquatur Christianus quæ religione conveniunt, unde aliorum mentem condire possit, & a putredine peccatorum emendare .... *Reliqua desunt*.

[1] Fortasse hæc ad alium auctorem pertineant, qui ante V. Synodum vixit.

SANCTI
AGOBARDI
ARCHIEPISCOPI LUGDUNENSIS
OPUSCULA VIGINTI SEPTEM
A BALUZIO V.C. EDITA.



ACCEDIT
S. GREGORII
DECAPOLITÆ
SERMO HISTORICUS.

S. AGOBARDI

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 810.



ARCHIEPISCOPI LUGDUNENSIS

LIBER

ADVERSUM DOGMA FELICIS EPISCOPI URGELLENSIS.

Ad Ludovicum Pium Imperatorem.

CHristianorum religiosissimo, benignorum benignissimo, mansuetorum tranquillissimo, Christi amatori, ideoque victori ac triumphatori piissimo Augusto, Domno gloriosissimo Ludovico Imperatori, Agobardus quidam ex ultimis fidelibus servulis vestris, subterannexum opusculum sincerissimo ac subtilissimo sacroque acumini prudentiæ vestræ dijudicandum direxi: quod edidi vel potius collegi adversus novam, immo ex veteri redivivam hæresim, propter quosdam, quibus illud expedire putavi, sicut ibi latius continetur. Pie igitur rector & domine, caput orbis, decus mundi, catholicorum omnium insignis gloriatio, qui inlustratis fidem, propagatis & pacem; obsecro mansuetudinem vestram, ut in contemplationem filii Dei, qui vestrum juvat imperium, præfatum opusculum perlustrare non dedignemini, ut vestro acerrimo ingenio probetur, aut improbetur. Quia si probatur, illis, quibus profuturum est, ad legendum commendatur; si autem improbatur, auctor ejus per vos emendatur. Apostolica namque doctrina omnes hortatur crescere in cognitione Domini nostri Jesu Christi, omnes jubet paratos esse ad satisfaciendum eis qui rationem poscunt de ea quæ in nobis est spe. Sacerdotem quoque esse vult *amplectentem eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere*. Quod si semper sectandum fuit; quanto magis nunc, quando jam propinquum esse cernimus tempus illud, de quo Dominus loquitur: *Verumtamen veniens filius hominis, putas inveniet fidem super terram?*


I. POst obitum Felicis illius qui fuerat quondam Episcopus in sede Orgelletana, inventa est a nobis quædam schedula ab eo edita sub specie interrogationis & responsionis: quam cum legentes consideraremus, inspeximus hominem diligenter & fraudulenter instaurasse, quantum in se fuit, omnem pravitatem dogmatis sui, in qua dudum fuerat detectus & convictus, & propter quam ab honore episcopatus depositus: qui licet aliqua verba, quæ prius imprudenter efferebat, postea suppresserit, aliqua tamen nunc addidit, quæ tunc reticuit. Quam schedulam ego, ut potui, juxta veritatem fidei cum reprehendissem, vel reprehendendam publicassem, quidam ex fratribus, ut comperi, indigne tulerunt, & non perversitate animi, ut puto, sed simplicitate ingenii, arbitrati sunt me non id fecisse zelo fidei, sed zelo invidentiæ; sicut moris est eorum qui inanis gloriæ cupidi, idcirco bonis detrectant, ut se illis superponere nitantur; & si detractionibus obtinuerint ne illi admirentur, isti admirationis gloriam consequantur. Et quoniam non desunt inter nos tales quibus necesse sit & integritatem fidei cognoscere, per quam valeant malum perfidiæ declinare, & rectis judiciis obtemperare, ut mereantur in dogmate pietatis proficere; opportunum putavi ea quæ prædictus vir male sensit, exaggeranda adsumere, & verbis ejus, in quibus a veritate fidei excessit, sanctorum Patrum sententias opponere; ut quisquis dignatus fuerit legere, agnoscat qua cautela catholicæ veritatis purissimum sensum sequatur.

II. Non ego hoc doctis & eloquentibus viris, qui cuncta hæc optime dijudicando, probanda aut improbanda demonstrare sufficiunt, dico, qui forsitan nec dignabuntur legere hoc opus, rustica simplicitate compositum; sed meis similibus, quibus vere scio expedire ut fidem suam subtilissime corrigant; qui incaute admirantes vitam prædicti Felicis, probanda putant cuncta quæ dixit; nescientes quia non ex vita hominis metienda est fides, sed ex fide probanda est vita. Quamquam enim multi bene credentes, male vivendo pereant; nullus tamen male credens, bene vivendo salvatur. Solius enim omnipotentis Dei est nosse occulta hominum, vel quis cum reprehensibili vita humilem mentem gestet, aut quis cum laudabili vita superbam. Neuter enim perfectus est. Sed quis e duobus magis auctori displiceat, illi soli suppetit nosse. Scimus namque quia qui infirmitatis suæ bene sibi sunt conscii, sanctos se esse, etiamsi ab aliis dicantur, non credunt. Qui autem propter bonam conversationem, dum laudantur ab aliis, sanctos se esse confidunt, & idoneos se putant ad judicandum ceteros, & alios quidem propter vitam carnalem, alios autem propter fatuitatem sensus despiciunt, omnibus tamen in commune detrahunt, non possunt illi placere qui dixit: *Discite a me quia mitis sum & humilis corde*. Qui autem vere placere Deo curat, subjiciat animam suam Deo cum omni humilitate. Fides est enim prima quæ subjugat animam Deo, deinde præcepta vivendi; quibus custoditis, spes nostra firmatur, & nutritur caritas. Cum ergo cognitio & actio beatum hominem faciant; sicut in cognitione vitandus est error, ita in actione cavenda est nequitia.

III. Quamobrem obsecro dilectionem vestram, quibus hoc opus necessarium esse dico, non vobis injiciant fastidium verba simplicia; sed potius delectet vos puritas fidei. Quoniam in verbis differentium, ut quidam Patrum ait, veritas amanda est, non verba: [1] *Quid enim prodest clavis aurea, si aperire quod volumus non potest? Aut quid obest lignea, si hoc potest, quando nihil quærimus, nisi patere quod clausum est?* Qui autem omnino dedignatur legere nostra, habet heic sufficienter sanctorum Patrum sententias adnexas, quibus conferat sensum Felicis. Tantum non negligat ad earum regulam fidem suam purificare: quia, ut beatus Athanasius ait: *fidem catholicam nisi quis integram inviolatam-*

1. August. de Doctr. Christian. lib. IV, cap. XI.

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 810.



quæ servaverit, absque dubio in æternum peribit. Et ut alius doctor dicit: [1] *Sicut virginitas carnis, corpus intactum est; ita virginitas animæ, fides incorrupta.* Ait etiam: [2] *Sic est veritas Christus, ut totum verum accipiatur in Christo, verum Verbum Dei, Deus æqualis Patri, vera anima, vera caro, verus homo, verus Deus, vera nativitas, vera passio. Si aliquid heic dixeris falsum, intrat putredo, de veneno serpentis nascuntur vermes mendaciorum, & nihil integrum remanebit. Quia ubi fuerit falsi alicujus corruptio, ibi veritatis integritas non erit.* Valent autem multum ad perpendendam subtilitatem veritatis, quæ dicturus sum in hoc loco; si tamen competenter valuissem explicare quæ dico.

IV. Nestorius hæreticus sic duas naturas in unico filio Dei Domino nostro Jesu Christo dividit ac separat, ut in disputatione dogmatis sui sic de uno quasi de duobus loquatur, quasi alium suspicans Deum Verbum, alium Emmanuel, licet plerumque unam horum fateatur personam. E contrario autem Eutyches in dogmate suo sic de unici filii Dei loquitur singulari persona, quasi de una substantia. Et quamquam sempiternam divinitatis ejus nativitatem confiteatur, temporalem quoque humanitatis non neget; ita tamen utramque substantiam permiscet atque confundit, ut una tantummodo prædicare intelligatur. Cum ergo utrumque, id est, Nestorium, & Eutychem, veritas fidei abjiciat, quæ medium inter eos tenet locum; beatus Cyrillus, ejusdem veritatis defensor, Alexandrinus antistes, dum vellet corrigere pravitatem Nestorii, propter obscuritatem verborum, utpote subtilissimæ rei, offendit beatum Joannem præsulem Antiochenæ Ecclesiæ, & eos qui cum illo erant; factaque est divisio inter Antiochenam & Alexandrinam Ecclesiam. Rogatus est autem ab Antiochenis Theodoretus Cyri episcopus, ut ageret adversum beatum Cyrillum. Et mirum in modum, dum utrique essent catholici, id est, & Antiocheni, & Alexandrini, beatus Cyrillus dum putatur esse hæreticus, quod non erat, inventus est a Theodoreto inter Nestorium hæreticum & Cyrillum catholicum medius locus, unde idem Theodoretus pugnans pro veritate, ageret contra veritatem; qui dum istis catholicis placeret, illis displiceret: quod tamen, Deo auxiliante, Joannes & Cyrilli industria correctum est.

V. Hæc itaque idcirco ad medium deduxi; ut quam subtiliter, quam humiliter, quam veraciter, quam timide fidei veritas inquirenda sit, sollicite perpendamus. Igitur antequam de eis quæ prædictus Felix scripta reliquit disputemus, præmittendum video, quomodo propriis verbis quibusdam, adhuc vivens, aliqua improbanda persuadere conatus est. Cœpit aliquando, ut dixi, quosdam docere, ut crederent Dominum nostrum Jesum Christum, secundum carnem veraciter nescisse sepulcrum Lazari, cum diceret sororibus ejus: [a] *Ubi posuistis eum*, & veraciter ignorare diem Judicii, veraciter etiam ignorasse quid conferretur a duobus discipulis ambulantibus in via de his quæ facta fuerant in Hierusalem; veraciter quoque ignorasse utrum plus diligeretur a Petro, quam ab aliis discipulis, cum diceret: [b] *Simon Petre, amas me plus his?* Hoc ut cognovi, [3] accessi ad eum coram ipsis quibus ista suadebat, & interrogavi eum, utrum ita prorsus sentiret. Quod cum confirmare tentaret, objurgavi eum, & detestatus sum pravos sermones ejus; ostendique, ut potui, ceteris qua custodia ista repudiarent, & quo sensu loca illa scripturarum intelligere deberent; ipsique Felici sumtas sanctorum Patrum sententias, quæ blasphemiis ejus contrairent, legendas direxi. Quibus lectis, promisit se omnis emendationis diligentiam sibimet adhibiturum. Propter quam rem silenter eum dimittens, non putavi necessarium esse easdem blasphemias ejus in exteros publicandas, quia nec ad me [4] pertinebat.

VI. Post mortem vero ejus, cognovi per quosdam fideles fratres, qui ab illo audierant, quod dixerit Deum Dei Patris filium nullatenus dici debere passum, aut crucifixum, sed ab eo hominem assumtum; confirmare hoc nitens exemplo Isaac, qui a patre ductus ad immolandum, non ipse sed aries pro eo est immolatus; tamquam in Isaac figuratus sit filius Dei, & in ariete filius hominis. Hæc autem faciebat sæpedictus Felix, quia nullatenus adquiescebat sentire, nec suadere sibimet ita valebat, ut crederet in uno Domino nostro Jesu Christo duarum naturarum unitionem substantialiter factam, & Deum Verbum secundum subsistentiam carni unitum; sicut liquido in consequentibus ex verbis illius apparebit. Contra quæ & nos obviantia sibi testimonia sanctorum Patrum, Deo auxiliante, posituri sumus. Timens enim permixtionem Eutychetis incurrere, corruit in divisionem Nestorii. Sed quia eum, de quo sermo est, corruisse diximus in Nestorii pessimam divisionem, opportunum puto esse in hoc loco ponere sententias Nestorii, antequam ad hujus dicta discutienda veniamus; ut prudens lector cognoscere valeat quam consona Felix Nestorio senserit, & ubicumque male utramque in uno Domino dividit substantiam, & confugit iterum quasi ad unitatem personæ dicendo: *Unus tamen in utroque, non duo*, quantum & in hoc eumdem Nestorium imitetur.

VII. Nestorius dicit, Dominum „ Spiritus sancti „ virtute in virginis vulva formatum, factum ex „ muliere, & factum sub lege, ut omnes nos a „ servitute legis redimeret; ante jam prædestina- „ tum, adoptionem accipientem, inenarrabiliter „ sibimet vivens, mori quidem eum secundum le- „ gem humanam faciens, suscitans vero ex mor- „ tuis, & perducens in cælum, & consedere fa- „ ciens ad dexteram Dei, unde super omnes con- „ stitutus principatus, & potestates, & virtutes, „ & dominationes, & omne nomen quod nomina- „ tur, non solum in hoc sæculo, verum etiam & „ in futuro, ab omni creatura accepit adorationem, „ sicut inseparabilem a divina natura habens copu- „ lationem, relatione Dei & intelligentia omni „ creatura adorationem exhibente. Et neque duos „ filios dicimus, neque duos Dominos; quoniam „ unus filius Patris secundum Verbum Deus unige- „ nitus filius Patris, sicut iste conjunctus & parti- „ ceps constitutus filio communicat nomine & ho- „ nore, Dominus secundum essentiam, Deus Ver- „ bum, cui iste conjunctus honore communicat. „ Et ideo neque duos filios hos dicimus, neque „ duos Dominos; quia manifesto constituto secun- „ dum substantiam Domino & Filio, inseparabi-

a Joan. XI. 34. b Joan. XXI. 16.

1. Augusti. in Psalm. 147.
2. Idem Tract. VIII. in Evang. Joan.
3. Lugdunum ubi exsulabat. Consule veterem editionem Adonis.
4. Felix enim Urgelitanus episcopus erat in prov. Narbonensi.

„ Iem tenet ad eum copulationem, qui caussa no- „ stræ salutis adsumtus confertur nomine & honore „ filio & Domino; non sicut unusquisque secun- „ dum seipsum constitutus est filius, unde & multi „ secundum beatum Paullum dicimur filii; sed so- „ lus præcipuum habens hoc quod ad Dei Verbi „ copulationem, adoptionem, & dominationem par- „ ticipans, auferens quidem omnem suspicionem „ dualitatis filiorum & Dominorum, præstato vero „ nobis in copulatione ad Deum Verbum omnem „ haberet ipsius fidem & intelligentiam & theo- „ riam, pro quibus & adorationem pro relatione „ Dei ab omni suscepit creatura. Verum igitur fi- „ lium dicimus & Dominum Jesum Christum, per „ quem omnia facta sunt, principaliter quidem „ Deum Verbum intelligentes substantialiter filium „ Dei. „ Iterum idem Nestorius: *Si quis eum qui est Emmanuel, Deum verum esse dixerit, & non potius Nobiscum Deus, hoc est, inbabitasse eam quæ secundum nos est naturam, per id quod unitus est nostræ quam de Maria virgine suscepit*: & post aliqua subjecit, *anathema sit*. Item ipse: *Si quis unum esse post adsumtionem hominis, naturaliter Dei filium audet dicere, cum sit Emmanuel, anathema sit.* Item ipse: *Si quis post incarnationem Deum Verbum alterum quempiam præter Christum nominaverit*, & post pauca subjunxit, *anathema sit*. Et item: *Si quis hominem qui in virgine creatus est, hunc esse unigenitum dixerit*, & post pauca subjunxit, *anathema sit*. Ecce habes sententias Nestorii: quas si & in conjunctione personæ, & in divisione naturarum, verbis Felicis conferas, invenies eos uno sensu incedere.

VIII. Videtur mihi etiam vestra caritas commonenda de hoc quod Felix frequenter gaudet dicere *hominem adsumtum*, vel *formam servi*. Quamquam enim & pie dici possit, sicut & frequentissime dictum a sanctis Patribus invenitur; tamen considerandum est quod etiam impie dici possit, secundum quod in Nestorio hæc verba nostris displicuerunt. Ad quod beatus Cyrillus ita respondit: [1] *Nos quæ meliora & veriora sunt sapere consueti, & subtiliores contingentes intellectus ad explanationem sacramenti, scientiamque perfectam, & secundum sacrarum placitum litterarum, & mansuetudines sanctorum Patrum, non hominem adsumtum dicimus a Deo Verbo, & copulatum ei secundum habitum extrinsecus, sed potius hominem factum esse decernimus. Hac itaque gratia a pietate dogmatum dicimus excessisse eos qui præsumunt dicere adsumtum hominem, & adfirmant oportere eum sicut alterum alteri coadorari filio Dei.* Item ipse: *Factus est igitur homo, non adsumsit hominem, sicut Nestorio placet. Et ut crederetur quia factus est homo, manens quod erat, videlicet Deus, juxta naturam; idcirco & esurire dicitur, & ex itineris labore lassessere*, & cetera.

IX. Dixit itaque Felix in suprascripta sua schedula, post aliqua quæ præmiserat, quasi interrogans: *Deus pater omnipotens, voluntate genuit filium, an necessitate?* & respondit: *Quantum ad divinitatis ejus essentiam pertinet, neque voluntate, neque necessitate, sed natura. In vero quippe filio de substantia patris genito, voluntas nativitatem præire non potest, ubi natura præcedit. Sed neque necessitate, quæ in Deo utique non est. Quantum vero ad humanitatis ejus substantiam convenit, eumdem filium suum, quia non ex semet ipso genuit, sed* A *de substantia matris virginis creavit, & nasci voluit, ob hoc, voluntate propter redemtionem nostram, non qualibet necessitate ejus filius creditur.*

X. In hac sententia Felix primum ex interrogatione superflua & vana, qua interrogat, utrum voluntate an necessitate genuerit Pater filium, occasionem sibi parat perveniendi ad id quod male sentit, & loquendo explicare non audet. Dicendo namque: *In vero quippe filio de substantia patris genito*, ita dividit divinitatem ab humanitate in Domino, ut eam in sola divinitate dicat verum filium, in qua & de patris substantia est genitus; B juxta humanitatem autem, in qua & dicit illum de substantia matris virginis creatum, sentiat eum non verum, licet loquendo explicare non audeat. Apparet enim hæc fraus in eo quod sic de substantia divinitatis loquitur, quasi de alia persona præter humanitatem. Dicens namque de sola divinitatis substantia: *In vero quippe filio*, vult demonstrare non eum esse in utraque substantia verum filium. Quod autem interponit dicens: *Voluntas nativitatem præire non potest ubi natura præcedit*, apertissimum mendacium profitetur. In omnipotente enim & sempiterno Deo omnia sempiterna sunt; neque ei qui fecit tempora, aliquid accessit ex tempore. Naturæ enim quæ initio caret & incremen- C to non indiget, quod est habere, hoc esse; & quod est esse, perpetuum est; & sicut nullum finem, ita nullam recipit mutabilitatem. Non ergo in illo natura præcedit voluntatem, neque voluntas consilium, neque consilium Verbum; quia sicut numquam fuit sine Verbo, ita numquam fuit sine sapientia, sine consilio, sine voluntate, vel quicquid de Deo veraciter dici potest.

XI. Nos autem Dominum nostrum, unicum filium Dei, sicut verum Deum confitemur, ita & verum filium credimus; quia non est alter ex patre, & alter ex matre; licet aliud sit divinitas, & aliud humanitas; sed idem in utroque unus & D verus, beato Cyrillo nos ita docente: *Unus ergo filius, unus Dominus Jesus Christus, & ante incarnationem, & post incarnationem. Non enim alter est filius Verbum Dei Patris, & alter iterum qui de sancta Virgine natus est; sed idem ipse qui est ante sæcula Deus, etiam secundum carnem ex muliere creditur editus: non quod ex ea initium deitas ejus acceperit ut sit, aut subsistendi principium de sancta virgine sumserit; sed potius, ut dixi, quod Verbum subsistens ante sæcula, secundum carnem dicitur ex ea progenitum. Propria enim facta est ejus caro, sicut & singulis nobis est proprium corpus.*

E XII. Quod autem totus verus Deus credatur, ita ipse beatus Cyrillus docet: „ [2] Si quis non con- „ fitetur Deum esse secundum veritatem Emma- „ nuel, & propterea Dei genitricem sanctam Vir- „ ginem genuisse eum carnaliter, carnem factum „ ex Deo Verbum, anathema sit. *Et iterum*: „ [3] Dicimus autem carni animam habenti ratio- „ nalem unitum Verbum, sed ultra mentem, & „ ineffabiliter, & sicut solus ipse novit. Ergo per- „ mansit Deus & in adsumtione carnis, & est unus „ filius Dei & Patris Dominus noster Jesus Chri- „ stus; idem ipse & ante omne sæculum & tem- „ pus, secundum quod intelligitur Verbum & splen- „ dor substantiæ ejus, & in novissimis temporibus „ dispensative homo propter nos. *Item ipse*: Fa-

1. Cyrillus in defensione XII. Anathem. adversus Theodoretum, cap. VIII.

2. Cyrillus Anath. I.
3. Idem in Declar. XII. Anathem.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 810.

„ ctus est caro ex Deo Patre Verbum, non per A „ transitionem aut conversionem suæ naturæ, sed „ propriam faciens carnem ex sancta Virgine sumtam; unusque & idem appellatus filius, ante humanationem quidem sine carne adhuc Verbum, „ post inhumanationem vero idem incorporatus. *Item ipse* : [1] Nestorio igitur ubique perimente „ Dei Verbi secundum carnem nativitatem, & solarum nobis dignitatum unitatem introducente, hominemque Deo copulatum dicente filiationis homonymia, hoc est, univocatione honoratum; necessario nos dictis illius repugnantes secundum subsistentiam unitatem dicimus factam; hoc secundum subsistentiam, nihil aliud declarantes, nisi quod sola Verbi natura sive B subsistentia, quod ipsum Verbum humanæ naturæ secundum veritatem unitum, sine ulla conversione atque confusione, sicuti sæpe diximus, unus intelligitur, & est Christus, idem Deus & homo. *Item ipse* : Unum atque eumdem adorantes; quia non alienum corpus a Verbo, sed ei magis est proprium, cum quo consedet Patri; non sicut duobus filiis consedentibus, sed sicut uno cum carne propter unitatem. Si vero subsistentialem unitatem recusamus, irruimus ut duos filios prædicemus. Necesse est enim cuncta dividere, & dicere hominem quidem specialiter filii prædicari, & rursus specialiter Deum Verbum filii nomen atque appellationem naturaliter C habere. Non ergo in duos filios unus Dominus Jesus Christus dividendus est. Nullo modo enim oportet rationem rectæ fidei sic habere, sed nec personarum unitatem, sicut aliqui opinantur. *Item* : Processit homo ex muliere, Deus esse non definens, & ex Deo patre progenitus, sed in adsumtione carnis, quod fuerat perseverans. Istud adlegat ubique subtilis fidei ratio. *Item ipse* : Cum scriptura divinitus inspirata unum dicat filium, atque Dominum. Quocirca post ineffabilem unitatem, si Deum nomines Emmanuel, incarnatum & hominem factum intelligimus nos ex Deo patre Verbum. Sive hominem dicas, nihilominus illum ipsum in mensuris humanita- D tis participatum dispensative cognoscimus. Factum vero dicimus palpabilem qui impalpabilis est, visibilem qui invisibilis est. Non enim fuit extraneum ei unitum ipsi corpus, quod etiam dicimus esse palpabile & visibile. Qui autem ita non credunt, distinguunt autem, sicut dixi, subsistentias post unitatem, & puram eis copulationem subintelligunt secundum solam dignitatem sive auctoritatem, alienat eos ab his qui recte sapere consueverunt præsens anathematismus. „

XIII. Interrogat Felix : *Utrum Maria Virgo Deum & hominem, sicut pariter, ita & similiter genuit; E an aliter genitrix deitatis, & aliter humanitatis esse credatur*. Respondetque sibimet ipsi dicens: *Licet eadem gloriosa Virgo Dei & hominis genitrix fideliter credatur, aliter tamen Dei genitrix, & aliter hominis recte profitetur*.

XIV. Ad hæc verba nos respondemus, quod non solum sint blasphema, & omni odio digna, verum etiam nova & inaudita. Quomodo enim aliter Dei genitrix, & aliter hominis esse potuit? Certe Deum genuit incarnatum, cui uni uno est modo genitrix, non duobus; eo scilicet quo Deus in illa & ex illa factus & natus est homo. Nec est usus catholicus, hominis eam genitricem nominare, sed semper Dei genitricem. Si Deus homo factus, ex illa natus est, duobus utique modis non est natus. Nam si duobus modis nasceretur, duabus & vicibus nasceretur: quod dici nefas est. Immo si aliter Deus ex ea, & aliter homo natus est; duo sunt, alter Deus, & alter homo, id est, non idem Deus qui homo, nec idem homo qui Deus. Nestorius hæreticus, qui ita sensit, non dixit Deum ex Maria natum, sed hominem ex semine David. Iste autem, si catholicus esset, unum eumdemque esse & Deum & hominem, & unum uno modo, & semel tantum natum crederet. Si autem esset Nestorianus, aut Paullianista, sive Photinianus, solum hominem crederet ex ea natum, & semel tantum. Nunc autem quia dicit sanctam Virginem aliter Dei esse genitricem, & aliter hominis, ego puto quia sicut nec usitato more loquitur, ita nec catholico. Certe catholici prædicant Dominum nec in divinitate habere matrem, nec in humanitate patrem. Iste autem qua ratione sequestrando ab humanitate divinitatem, aliter eam Dei, & aliter hominis genitricem esse credit, & heic ex parte aperit dicendo : *Natura quippe humanitatis adsumtæ propriam eam esse genitricem, Dei vero matrem gratia & dignatione divinitatis factam*, & in subsequentibus & pejus & evidentius patefaciet, ubi & nos oportunius ad ista responsuri sumus.

XV. Nunc autem quia aliter Dei & aliter hominis eam genitricem dicit esse, cum numquam fuerit usus in ratione fidei hominis eam genitricem nominari; quippe cum nec mirabile sit, cum certe omnium hominum matres hominum genitrices sint, illa qualiter hominis facti, id est, Verbi caro facti genitrix prædicetur, ex sanctorum Patrum sententiis audiamus. Ait namque præcipuus ille expugnator Nestorianæ impietatis doctissimus & beatissimus Cyrillus : „ Affirmamus igitur ex Deo patre Verbum in adsumtione factum, sanctæ & animatæ carni unitum, secundum veritatem inconfuse ex vulva ipsa processisse hominem, permansisse autem etiam secundum Verbum. Ideoque & Dei genitrix est sancta Virgo. Superfluum autem arbitror oportere existimandum, & hominis genitricem eam dici. Siquidem essent aliqui ex multa nimis vesania, qui dicerent Dei Verbi naturam, fontem veluti quemdam & propriæ essentiæ principium habuisse carnem. Forte fuisset aliquando non absurda & contemnenda ratio volentibus eam etiam hominis nominari oportere genitricem. Quia vero abominabilis & odiosa quidem apud omnes est hujusmodi sententia, intelligiturque non aliter Dei genitrix sancta Virgo, nisi primo susceperit quisquam fidem, hoc est, quia factus est caro, hoc est, homo Verbum ex Deo patre. Non enim quodammodo divinitatem nudam, sicuti dixi, peperit Virgo. Quæ hujus instantiæ videtur utilitas dicentium oportere nominari eam & hominis genitricem. Sed, sicut apparet, inventa quædam ab eis est contra Christum hæc machinatio. Non enim patiuntur sapere, vel dicere ipsum qui ex Deo patre est ante sæcula filius, in novissimis sæculi temporibus inconfuse, inconvertibiliter ex vulva unitum carni animam habenti rationalem, sicque factum nostrum secundum hominem. „

XVI. Iterum post aliqua interrogando Felix quærit, Utrum Christus Dominus in utraque natura fi-

1. Cyrillus in Defens. XII. Anath. adversus Theodor. cap. II.

militer sit filius Dei, an dissimiliter: & subjungit respondendo, non similiter, sed dissimiliter. Quærit deinde, quo ordine id fiat: & respondendo affirmat dicens: *Quia sicut in se continet duas naturas, id est, divinitatis suæ, & humanitatis nostræ, ita duobus modis unus creditur Dei filius.* In quo loco obsecro & ammoneo lectorem, si tamen fuerit qui legere dignetur, ut penset attente quod dicitur. Supra dixit sanctam Virginem aliter Dei esse, & aliter hominis genitricem. Nunc dicit duobus modis esse filium Dei Dominum nostrum, & in ipsis dissimiliter. Ecce quatuor modi, & inter se dissimiles, quibus dicit Dominum esse filium Dei patris, & hominis matris. Forsitan qui plura, quam ego, legit, invenit aliquid huic rei simile. Ego tamen neque in catholico neque in hæretico dogmate hujuscemodi rem legisse me novi. Sed inspiciamus & sequentia, utrumne ad istos quatuor modos & alios plures augeat.

XVII. Interrogat itaque Felix dicens: *Prosequere quibus subauditur modis*: & respondendo subjungit: *Secundum divinitatis essentiam, natura, veritate, proprietate, genere, nativitate, atque substantia: juxta humanitatem vero non natura*, ait, *sed gratia, electione, voluntate, placito, prædestinatione, assumtione, & cetera*, inquit, *his similia.* Ecce dum quatuor prædicaret modos nativitatis dominicæ, duos ex matre virgine, duos ex patre Deo, inventi jam sunt duodecim, sex videlicet ex patre, & sex ex matre. Qua autem faciat intentione, bene considerantibus perspicuum est, videlicet quia cuncta quæ nativitati divinitatis tribuit, humanitati adimit. Quod si propterea fecisset, ut ostenderet aliud esse humanitatem, aliud divinitatem, haberet profecto faciliorem & usitatiorem loquendi paternum modum, quo id ostendere potuisset: quem si secutus fuisset, nec nova diceret, nec mendacium incurreret. Dicendo namque secundum divinitatis essentiam veritate esse filium, & proprietate, & ceteris quæ ibi conjungit; vult eum esse secundum humanitatem nec verum, nec proprium, sed e contrario omnia.

XVIII. Sed quia hæc in subsequentibus manifestius aperit, intueamur nunc quare eum vult juxta humanitatem esse filium Patris, non natura, non nativitate, non genere, non veritate; sed gratia, electione, voluntate, placito, prædestinatione, assumtione. Quicumque igitur antiquos illius errores cognovit, quid & nunc utique velit cognoscit. Dixerat namque Dominum nostrum Jesum Christum secundum humanitatem adoptivum esse filium Patri. Et quia licet & alia adhuc pejora diceret & sentiret, nescio qua exsistente caussa de solo adorationis nomine discussus est, quod & compulsus est negare convictus, & non solum ter aut quater, sed [1] multoties de hoc convictus, coactus est ad negandum hoc quod prave ausus fuerat docere. Sed quia id ex intimo cordis sui sensu & promta voluntate non fecit, arbitratus est apud semetipsum bene se prius sensisse, & postea male negasse. Ac per hoc quia illic trepidavit timore, ubi non erat timor, idcirco in his suis litteris nunc elaborat, ut ostendat Dominum secundum humanitatem, nec verum Deum esse nec verum filium Dei, nec proprium. Sed quia contra hæc omnia sententias sanctorum Patrum, Deo adjuvante, oppposituri sumus, per quas dinosci valeat in quantum a catholica veritate discesserit; nunc sequentia ejus verba ponamus, ut tota illius pravitas detegatur, & postea veris sensibus mendacia illius expugnentur.

XIX. Interrogat iterum Felix: *Christus Dominus ac Redemtor noster, sicut in divinitate creditur verus & proprius filius Dei, ita & in humanitate, an aliter?* & respondendo subjungit: *Verus & proprius filius ille veraciter creditur, qui de substantia patris est genitus, non aliunde assumtus, cui generatio dat nomen filii, non electio, vel gratia, sive adoptio, aut voluntas.* Ecce jam patefecit omnem errorem, quem occultum corde gestabat. Dicendo namque, *Verus & proprius filius ille veraciter creditur, qui de substantia Patris est genitus, non aliunde assumtus*, duos se filios credere prodit, unum genitum alterum assumtum, unum cui generatio dat nomen filii, alterum cui electio, vel gratia, sive adoptio. Forte dicat aliquis favens partibus illius: Non sensit Felix duos, ut tu dicis, qui statim subjunxit, *Unus tamen in utroque, non duo.* Cui ego respondeo, non esse morem dicendi umquam *ille*, & *cui*, sicut in hoc loco Felix scripsit, nisi cum agitur de personis; & quem ita divisum in corde tenebat, bene unire verbis supervacuis non poterat. Jam enim superius ostendimus ex verbis Nestorii, ita & illi esse morem loquendi, *idem unum esse in utroque, non duos.* Sed certe beatus Cyrillus, & ceteri qui idonei exstiterunt ad detegendam fraudem illius, & expugnandam vesaniam, non illi crediderunt unum Dominum posse tenere in fide, de quo ita aperte loquebatur, sicut de duobus.

XX. Sed esto, consentiamus ei qui conatur asserere unum filium Felicem sapuisse, non duos. Quid ergo est quod unum eumdemque dicit verum & non verum, proprium & non proprium, nativitate & adoptione, genere & electione, substantia & assumtione? Certe talis unitas non est unitas, sed dualitas; sic conjungere, dividere est; ita copulare, separare est. Rogo, ubi umquam legisti in divinis litteris, vel in dogmatibus catholicorum Patrum, quod Dominus noster secundum humanitatem suam, assumtione, electione, vel gratia dicatur esse filius Dei Patris? Certe ego numquam legi. Et si dicit Scriptura; [a] *Beatus quem elegisti & assumsisti*: aut: [b] *Exaltavi electum de plebe mea*; numquid talem sensum introducit, ut nos eum dicere & confiteri debeamus electivum vel assumtivum filium Dei Patris? Et si Evangelista dicit eum plenum gratiæ & veritatis; numquid docet ut Deo Patri gratia esse filium secundum humanitatem eum confiteri debeamus? Ergo & quia Apostolus dicit de illo, *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens*, acceptivum filium Deo Patri esse eum dicemus secundum humanitatem. Penset diligenter quis, & quid, aut quare assumsit, suscepit. Suscepit certe Verbum Dei coæternum Patri substantiam nostram; sed non ideo ut ipse sibi filius esset; non ideo ut Deo Patri alio modo inciperet esse filius, quam erat ante incarnationem; non ideo ut filiationis modos & nomina multiplicaret: quia nec se ipsum dualitatis copulatione duplicavit. Non enim alter est suscipiens, & alter susceptus: non est al-

a Psalm. LXIV. 5. b Psalm. LXXXVIII. 20.

1. Nempe in Concilio Narbon. anni 788. Ratisbonensi ann. 792. Francofordiensi an. 794. Romæ sub Hadriano, & anno 799. &c.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 810.

ter pro nobis pauper factus, nisi qui erat dives & ante susceptionem paupertatis: non est alter pro nobis peccatum factus, nisi qui erat antea nesciens peccatum: ut, sicut Apostolus exponit, cælestis medicus ex nobis acciperet per quod contraria medicamenta nobis adhiberet, scilicet ut salva impassibilitate sua, immortalitate, & incommutabilitate, sua nos morte vivificaret, sua paupertate ditaret, suis contumeliis honoraret, suis vulneribus sanaret, & cetera hujusmodi. Sic & in quodam loco beatus scribit Hieronymus: *Quæ autem potest major esse dementia, quam ut filius Dei, hominis filius nasceretur, decem mensium fastidia sustineret, partus exspectaret adventum, involveretur pannis, subjiceretur parentibus, per singulas adoleret ætates, & post contumelias vocum, alapas, & flagella, crucis quoque nobis fieret maledictum, ut nos a maledicto legis absolveret, Patri factus obediens usque ad mortem?* Sed quia cuncta supra scripta Felicis male sensa verbis Patrum destruere debemus, legat cui placet jam adnexas Patrum sententias. Interim tamen, quia memini me supra dixisse nullo modo Felicem sibimet suadere potuisse, ut in uno Domino duarum naturarum conjunctionem naturaliter ac substantialiter factam crederet, & verbis beati Cyrilli ostendimus quomodo naturaliter facta credatur, habet lector de eadem re beati [1] Hieronymi satis politam & enucleatam sententiam, cum de illo divinæ scripturæ loco ageret, ubi dictum est: [a] *Ponam inimicitias inter te & inter mulierem, & inter semen tuum & semen mulieris. Ipsa tuum calcabit caput, & tu insidiaberis calcaneo ejus. Nonne*, inquit, *conspicis, nonne consideras, quod jam tunc illi minabatur in Christo? Alium enim semen mulieris, nullum prorsus accipio, nisi illum quem Apostolus ait factum ex muliere, factum in carne, illum, qui ut Evangelista refert, Joseph filius putabatur esse, sed non erat, illum utique qui Verbum caro factum est. Nam si generandi publicam istam & naturalem circumspicimus rationem, semina non habent mulieres. Denique nulla concipit sine viro. Ac per hoc, quoniam jam tunc in Adam semen humanæ generationis esset transgressione vitiatum, semen cæleste promittitur, ut Apostolus sentit, non ex corruptione viri, sed ex Deo, quod tamen caro fieret in muliere, & elementa prima illa corporea substantiæ, id est, humoris & sanguinis, in ipso sibi vasculo, in quo ipsa elementa sita sunt, naturaliter aptaret.* Beatus quoque Augustinus: [2] *Illa enim natura*, inquit, *quæ semper genita manet ex Patre, nostram naturam sine peccato suscepit, ut nasceretur ex virgine. Neque enim natura æterna atque divina temporaliter concipi & temporaliter nasci ex natura humana ullatenus posset, nisi secundum susceptionem veritatis humanæ veram temporaliter conceptionem atque nativitatem ineffabilis in se divinitas accepisset. Sic est Deus æternus ac verus, veraciter secundum tempus conceptus, & natus ex virgine. Dum enim venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus; illo scilicet Deo facto naturaliter filio hominis, qui unicus est naturaliter filius unigenitus Dei patris.*

XXI. Contra illud vero quod Felix dicit, duobus modis Deo patri unum esse filium, & duobus modis matri: quæ dicendo, illuc tendit, ut ostendat eum secundum divinitatem quidem esse verum, secundum humanitatem autem non esse verum: quod quam falsum sit, jam supra positis sententiis beati Cyrilli ostensum est; & nunc ejusdem & aliorum ponenda sunt testimonia, per quæ ostendendum est, & unicum Dominum nostrum totum esse Deum, & Dei filium, hominem quoque & hominis filium, salva tamen proprietate utriusque substantiæ, totumque esse verum quod est; ut quicumque diversos modos filiationis Dei in fide nobis introducere voluerit, videat an locum inveniat. Beatus Cyrillus: „ Libet, *ait*, eum percontari utrum unitatem Verbi ad humanitatem Verbi, sive ad sanctum corpus animatum intelligibiliter factam dicat secundum veritatem, an potius cum aliis simul, & ipse secundum copulationem, quæ per habitudinem est sermo docibilis & inexsistentis formæ ad inexsistentem & divinam formam. Unum namque unitas demonstravit, & in duos dividere refutamus. Nam licet factum est caro Verbum secundum scripturas; attamen est etiam sic filius unigenitus secundum unitatem veram, quæ ultra mentem & rationem est. Ipse igitur unus & verus Christus Jesus, tamquam per instrumentum proprii corporis operatus est signa divina, & non operatum in eo. *Item Cyrillus*: Dominus noster Jesus Christus unus, *inquit*, & solus vere filius exsistens Dei patris, caro factus, & principat omnium simul cum proprio genitore, flectiturque ei omne genu cælestium, terrestrium, & infernorum, & confitetur omnis lingua, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei patris. Est igitur ipse Dominus quidem omnium, secundum quod intelligitur & est Deus, licet non sine carne post inhumanationem. Ipse vero rursus nec Deus nec Dominus. Est enim absurdissimum, magis autem omni impietate vere completum, ita sapere vel dicere. *Item ipse*: Dispensationis unigeniti cum carne sacramentum, a nobis jam factis, nunc nihilominus copulare sermonibus dignum est, & eos non sine decenti ratione monstrare. *Et post pauca*: Cum Nestorius igitur ita scripserit de Christo, Ergo qui passus est pontifex misericors, nam vivificator ejus qui passus est Deus, & Deum Christi Deum Verbum nominaverit, adjeceritque his, Erat autem ipse & infans, & infantis Dominus, non affirmamus, quia non decentior natu, magis autem impie nimis ejus verba prolata sunt. Si enim Deus est Christi ex Deo patre Verbum, duo modis omnibus erunt, & indubitanter. Quomodo autem intelligitur & infans ipse, & Dominus infantis? Non ergo dicitur & Deus suimet ipsius, & dominus Emmanuel, si est idem Deus simul & homo, tamquam inhumanatum & incarnatum Dei Verbum. „

XXII. Beatus quoque Augustinus: „ Ego enim, *inquit*, Salvatorem nostrum non divido, non confundo, ne aut incorpoream & imaginariam carnem, aut carnalem & mortalem prædicem deitatem. Non separo; ne Dei patris unam secundum carnem, & alteram secundum majestatem introducere videar prolem; quia idem Dei filius & sine initio processit ex Patre, & secundum tempus nasci est dignatus ex Virgine. Impassibilis in suo, passus in nostro, dum incomprehensibilem majestatem velut quoddam indumentum carnis vestire est dignatus ex utero. Mediatoris

a Genes. III. 15.

1. Epist. VII. ad amic. ægrot. de viro perfecto: quam Agobardus genuinam censebat.

2. August. sive Fulgentius in lib. de fide ad Petrum cap. II.




„ una persona, non una substantia; una inquam „ persona, ne sit non unus Christus; non una substantia, ne mediatoris dispensatione submota, aut „ Dei tantum dicatur aut hominis filius. *Et post pauca*: Quibus in unam personam incomprehensibili mediatoris dispensatione conjunctis, servavit „ singulis propria, sed conjunxit propriis aliena. „ Servavit propria, dum non amisit immensitatem „ divinitatis, & infirmitatem non respuit carnis. „ Conjunxit propriis aliena, dum idem atque inseparabilis Christus, & proprio carnis occiditur, „ & proprio deitatis apud inferos non tenetur. Proprio carnis gustavit vita mortem, proprio deitatis perpetuam reddidit carnem. Non ergo recte „ dicitur, In filio Pater est passus; quoniam in carne, quæ ei non est cum Patre communis, passus „ est filius. Itaque glorificata est caro majestate, „ dum majestas humiliata docetur in carne. Sed „ utrumque non de duobus Christis, sicut putas, „ sed de uno atque eodem ipso, quem post partum „ Virginis Deum & hominem novimus, nos certum est prædicare. „ Ecce beatus Augustinus asserit, quia qui Salvatorem nostrum confundit, aut incorpoream & imaginariam carnem, aut carnalem & mortalem prædicat deitatem; qui vero separat, unam secundum carnem, & alteram secundum majestatem Dei patris, introducere videtur prolem. Certum est ergo separare te Salvatorem nostrum qui duos modos tenes filiationis, ut aliter sit filius secundum deitatem, & aliter secundum carnem. Quod si unus atque idem est inseparabilis Deus & homo, qui & proprio carnis occiditur, & proprio deitatis inseparabilis permanet, ubi habebunt locum tui modi?

XXIII. Item beatus Augustinus: *Filiorum namque alii*, inquit, *sunt adoptivi, alii naturales. Hi, quia geniti ab initio, filii semper ac proprii. Illi, primo alieni, post filii, cum per adoptionem in familiam videantur adsciscí. Quibus ergo comparandus est filius Dei? Si adoptivis; erit apud Patrem similis nobis. Si propriis; ex substantia exstitisse dicendus est genitoris.* Ecce beatus Augustinus aperte docet, quia adoptari in filio non potest, nisi qui antea exstitit alienus; nec potest quisquam per adoptionem accipere patrem, nisi qui habuit proprium. Tu qui duobus modis unicum Dominum prædicas esse filium Patri, id est, proprietate & adoptione, ostende ex illa parte qua adoptivus est, quem habuit proprium, aut ostende fuisse illum antequam adoptaretur; sicut beatus Augustinus adoptivos distinxit a propriis. Item beatus Augustinus: [1] *Proinde*, ait, *Christus Jesus Dei filius, Deus est & homo. Deus ante omnia sæcula, homo in nostro sæculo; Deus, quia Dei Verbum: Deus enim erat Verbum. Homo autem, quia in unitatem personæ accessit Verbo anima rationalis, & caro. Quocirca in quantum Deus est, ipse & Pater unum sunt: in quantum autem homo est, Pater major est illo. Cum enim esset unicus Dei filius, non gratia, sed natura, ut esset etiam plenus gratia, factus est & hominis filius, ipse idem utrumque ex utroque unus Christus.* Si aliquando beatus Augustinus debuisset prædicare Dominum nostrum gratia esse filium Patris secundum humanitatem, in hac sententia haberet præcipuum & congruum locum. Dicens ergo, *Cum enim esset unicus Dei filius, non gratia, sed natura*, adjungeret ut esset etiam filius gratia, *factus est & hominis filius*. Non autem dixit ita. Sed ait, *Ut esset etiam plenus gratia, factus est & hominis filius*. Qua autem ratione dicat eum factum filium hominis, propterea ut esse posset plenus gratia, in subsequenti sententia diligenter exponit, dicens: „ Heic omnino granditer & evidenter Dei „ gratia commendatur. Quid enim natura humana „ in homine Christo meruit, ut in unitatem personæ „ unici filii Dei singulariter esset assumta? Quæ „ bona voluntas, cujus boni propositi studium, „ quæ bona præcesserunt, quibus mereretur iste homo una fieri persona cum Deo? Numquid antea „ fuit homo; & hoc ei singulare beneficium præstitum est, cum singulariter promereretur Deum? „ Nempe ex quo homo cœpit esse, non aliud cœpit esse quam Dei filius; & hoc unicus, & propter Deum Verbum, quod illo suscepto caro factum est, utique Deus; ut quemadmodum est „ una persona quilibet homo, anima scilicet rationalis & caro; ita sit Christus una persona, Verbum & homo. Unde naturæ humanæ tanta gloria, nullis præcedentibus meritis sine dubitatione „ gratuita, nisi quia magna heic & sola Dei gratia fideliter ac sobrie considerantibus evidenter „ ostenditur; ut intelligant homines per eamdem „ gratiam se justificari a peccatis, per quam factum est ut homo Christus nullum posset habere „ peccatum? Sic ejus matrem Angelus salutavit, „ quando ei futurum nuntiavit hunc partum. Ave, „ inquit, gratia plena: & paullo post, Invenisti, „ inquit, gratiam apud Dominum. Et hæc quidem „ gratia plena, & invenisse apud Deum gratiam „ dicitur, ut Domini sui, immo Domini omnium, „ mater esset virginitate servata. *Et post pauca*: „ Veritas quippe ipsa, unigenitus Dei filius, non „ gratia, sed natura, gratia suscepit hominem tanta unitate personæ, ut idem ipse esset etiam hominis filius. „ In hoc etiam loco ubi dicit *Dei filius non gratia, sed natura*, poterat subjungere, *gratia etiam factus est filius Dei, suscipiendo hominem*, si eum gratia filium Dei Patris secundum humanitatem esse deberemus credere. Sed non dixit aliquid tale. Immo ait: *Gratia suscepit hominem*. Qui suscepit; utique Filius Dei Verbum Dei. Certe gratia suscepit hominem. Misericordia factus est homo; quia misericordia natus, non conditione; misericordia mortuus, non debito. Numquid heic aliquid referimus ad Patrem, ut dicere possimus gratia esse eum filium Dei Patris? Nam sicut credere deberemus gratia, adoptione, vel assumtione, aut quicquid secundum hæc dici potest, filium Dei secundum humanitatem, supra fuisset beato Augustino ad proferendum aptissimus locus, ubi dixit de homine assumto, *nempe ex quo esse homo cœpit, non aliud cœpit esse quam Dei filius*, ut adderet, *gratia, adoptione, electione*, aut aliquid hujusmodi. Sed non fecit ita. Quod ergo addidit, videamus utrum possit ad ista pertinere. Ait enim: *Nempe ex quo homo esse cœpit, non aliud cœpit esse quam Dei filius, & hoc unicus, & propter Deum Verbum, quod illo suscepto caro factum est, utique Deus*. Ecce beatus Augustinus hominem dicit unam factum personam cum Deo, & esse filium Dei unicum, & Deum. Num quid significavit heic nobis ut credere eum debeamus non verum filium Dei, non verum Deum, sicut Felix docet? Certe ego puto quia cum diceret, *ex quo esse cœpit, non aliud cœpit esse quam Dei filius*, propterea addidit, *& hoc unicus*, ut nos eum verum filium Dei credamus, & totum verum, & totum proprium, non medium proprium, & medium adoptivum.

1. August. in Enchirid. cap. XXXV.

SÆCUL. IX.
CIRCA
ANN. CHR.
810.



XXIV. Si autem in hoc loco inusitato more ego A alicui loqui videor, quia dico totum Dominum; audiat, quisquis ille est, similem huic sententiam Symmachi Papæ ad Anastasium Imperatorem: *Christus itaque Deus veraciter totus, & totus homo est, sic conceptus, sic editus, sic conversatus in sæculo, sic passus, sic apud inferos, sic resuscitatus, sic cum discipulis apparens, sic elevatus in cælum, sic exinde dictus est esse venturus, sic hodieque in cæli regione persistit, dicente Apostolo, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Et certe de eo dicit quod nunc est ipse. Ergo ille est minimus qui credit in Christo, qui in hujusmodi Christum credit, qui in integrum Christum credit, non in semi-Christum, & ideo non Christum, quia Christus non nisi* B *integer, integer autem non nisi hujusmodi.* Ecce & beatus Papa Symmachus totum Christum dicit veraciter Deum esse, & totum hominem. Si ergo totus veraciter Deus, totus utique verus Deus, & proprius filius Dei; quia tota generatio dedit nomen filio, non medio, ut vult Felix, quamquam nec humanitas sit de substantia patris, nec divinitas de substantia matris. Sed quia Verbum Dei, unius cum patre substantiæ, in unitate personæ suæ suscepit nostram substantiam, non erit alio modo filius post humanitatis assumtionem, nisi quo erat & ante incarnationem.

XXV. Item beatus Augustinus: „ In terra, *in-* C
„ *quit*, erat, & in cælo se esse dicebat, & quod
„ est majus, in cælo filius hominis, in cælo filius
„ Dei, ut unam demonstraret in utraque natura
„ personam; & in eo quod Dei filius erat, æqua-
„ lis Patri, Verbum Dei, in principio Deus apud
„ Deum, & in eo quod filius hominis erat, & as-
„ sumens animam humanam & carnem humanam,
„ & indutus hominem exiens ad homines; quia in
„ hoc utroque non duo Christi sunt, nec duo filii
„ Dei, sed una persona, unus Christus filius Dei;
„ idem unus Christus, non alius hominis, & alius
„ Dei filius; sed Dei filius secundum divinitatem,
„ hominis filius secundum carnem. Quis autem no-
„ strum, qui parum sentimus, aut parum sapimus, D
„ non potius ita vellet distinguere: Filius Dei in
„ cælo, & filius hominis in terra? Sed ne sic di-
„ videremus, & ita dividendo duas personas indu-
„ ceremus, non ascendit in cælum nisi qui de cælo
„ descendit. Quis? Filius hominis. Filius ergo ho-
„ minis descendit de cælo. Nonne filius hominis
„ in terra factus est? Nonne filius hominis per Ma-
„ riam factus est? Sed o homo noli, inquit, sepa-
„ rare, quem volo copulare. Parum est, quia filius
„ hominis descendit. Christus enim descendit; idem-
„ que filius qui filius Dei est. Sed est in cælo qui
„ ambulat in terra. In cælo erat, quia ubique est
„ Christus; idemque Christus & filius Dei, & filius
„ hominis. *Item beatus Augustinus ait*: Prædesti- E
„ natus est ergo Jesus, ut qui futurus erat secun-
„ dum carnem filius David, esset tamen in virtute
„ filius Dei secundum spiritum sanctificationis, quia
„ natus est de Spiritu sancto, & per virginem Ma-
„ riam illa ipsa ineffabiliter facta hominis a Deo
„ Verbo susceptio singularis, ut filius Dei esset
„ filius hominis simul, & filius hominis propter
„ susceptum hominem, & filius Dei propter susci-
„ pientem unigenitum Deum veraciter & proprie
„ dicitur, ne non trinitas, sed quaternitas crede-
„ retur. Prædestinata est naturæ ista humanæ tanta
„ & tam celsa & summa subvectio, ut quo adtol-
„ leretur altius, non haberet; sicut pro nobis ipsa
„ divinitas quo usque se deponeret, non haberet hu-
„ milius. *Item beatus Augustinus*: [1] Hi sunt filii
„ Dei quotquot spiritu Dei aguntur, sed gratia,
„ non natura. Unicus enim natura Dei filius, pro-
„ pter nos misericordia factus est hominis filius,
„ ut nos natura filii hominis, filii Dei per illum
„ gratia fieremus. Manens quippe ille immutabilis,
„ naturam nostram, in qua nos susciperet, susce-
„ pit a nobis, & tenax divinitatis suæ, nostræ in-
„ firmitatis particeps factus est; ut nos in melius
„ commutati, quod peccatores mortalesque sumus,
„ ejus immortalitatis & justitiæ participatione amit-
„ tamus; & quod in natura nostra bonum fecit,
„ impleti summo bono in ejus naturæ bonitate ser-
„ vemus. Sicut enim per unum hominem peccan-
„ tem in hoc tam grave malum devenimus, ita
„ per unum hominem eumdemque Deum justifican-
„ tem ad illud bonum tam subtile venimus. *Item*
„ *beatus Hieronymus*: Propheta ait: Virga tua &
„ baculus tuus ipsa me consolata sunt. Virga, ma-
„ ter est Domini; ex qua baculus iste, fesso jam
„ per ætatem mundo qui eum sustentaret, exiit.
„ Illum ergo in Virginis uterum delapsum, ut to-
„ tam redemtionis nostræ historiam retexamus,
„ partu effusum hominem se exhibuisse pro homi-
„ ne, & creaturam suam se de creatore fecisse, il-
„ lum formam servi accepisse, exinanisse se pote-
„ statis voluntate, non natura deitatis, per quam
„ non poterat non esse quod fuerat, illum maledi-
„ cta pro salutaribus meruisse miraculis, illum spu-
„ ta, illum palmas, illum coronam spineam, illum
„ postremo crucem pro nobis fuisse perpessum, il-
„ lum inferna penetrasse, illum die tertia resurre-
„ xisse in id corpus quod cruci fuerat adfixum,
„ illum hominem Deum post mortem, mortis cæ-
„ lum petiisse victorem, sedere ad dexteram Dei,
„ venturum suo tempore ad judicium faciendum,
„ illum spiritum Dei per sanctorum suorum quoti-
„ die ora celebrari. Hæc cogitasse, vixisse est; hæc
„ meditatio, partus est animæ; in hæc relabi vel
„ recurrere, cum Domino jungi est, & cum ipso,
„ per hæc humiliari est, cum ipso pati est, cum
„ ipso mori est, cum ipso est etiam suscitari. „

XXVI. Beatus quoque Vigilius: „ [2] Nos unum,
„ *inquit*, Christum eumdemque Dei filium, & ho-
„ minis filium, non duos profitemur, & ita Ver-
„ bum intra Virginis uteri secreta carnis sibi ini-
„ tia consevisse, id est, vere incarnatum fuisse, ut
„ tamen Verbi natura non mutaretur in carnem;
„ itemque carnis naturam ita per suscipientis com-
„ mixtionem in Verbi transisse personam, ut non
„ tamen fuerit in Verbo consumta. Manet enim
„ utraque, id est, Verbi carnisque natura; & ex
„ his duabus hodieque manentibus unus est Chri-
„ stus, unaque persona. Quis enim sacrilega opi-
„ nione indutus, eo usque desipiat, quis in tam
„ abruptum erroris barathrum semetipsum injiciat,
„ ut filium Dei sine sua propria carne, quam in
„ sacræ Virginis utero ineffabili societatis per se
„ mixtione ita sibimet adunavit, ut & Verbum
„ homo, & homo Deus, idemque unus, non mu-
„ tatis generibus naturæ fieret, neget hodie sedere
„ ad dexteram Patris, venturumque judicare vivos
„ & mortuos, cum ipsum Dominum dixisse non
„ nesciat, Cum venerit filius hominis in gloria Pa-
„ tris sui? *Item ipse*: Nam cum Jesus Christus non
„ Verbi sed carnis proprium sit nomen, & Deus

1. S. August. lib. XXI. de Civ. Dei cap. xv.
2. Vigilius Tapſ. lib. I. adversus Eutych. cap. iv. Vide ejus Editorem Chifletium, & Sirmondum in notis ad Theodulfum pag. 277.

„ proprium Verbi non carnis constet esse vocabu- A „ lum; tamen & Verbum propter carnem suam, „ homo Jesus Christus; & caro propter Verbum „ Deum, Deus Verbum est. *Item ipse*: Diversum „ est initium non habere, & ex initio subsistere; „ mori, & mori non posse. Et tamen sicut ipsi „ Christo proprium est utrumque, ita non ipsi, sed „ in ipso est utrumque commune. Si enim dicamus, „ quia ipsi est commune, necesse est ut exigatur a „ nobis dare & ostendere alium, cum quo sit ei „ hoc ipsum commune: quæ professionis necessitas „ in Nestorii vergit impium dogma. Melius igitur „ & catholice dicimus in ipso, & non ipsi, esse „ commune: & melius ipsi, & non in ipso, dici- B „ mus proprium esse. Ergo proprium est illi mo- „ ri, qui propter naturam Verbi, mori non po- „ test. Item propter ineffabile mysterium unius per- „ sonæ, utrarumque naturarum communis in ipso „ fuit mortalitas carnis Verbi naturæ, quæ mori „ non potuit, & communis in ipso est immortalitas „ Verbi naturæ carnis, quæ morti succubuit. Ergo „ sicut illi mori & non mori ex utrisque naturis „ est proprium; ita commune est in ipso utrisque „ naturis, quod illarum est proprium. „

XXVII. Sanctus Hilarius confessor: „ Natus er- „ go, *inquit*, unigenitus Deus ex Virgine homo „ secundum plenitudinem temporum, in semetipsum C „ provecturus in Deum hominem, hunc per omnia „ evangelici sermonis modum tenuit, ut se Dei „ filium credi doceret, & hominis filium prædicari „ ammoneret; locutus & gerens homo universa „ quæ Dei sunt loquens, deinde & gerens Deus „ universa quæ hominis sunt: ita tamen ut ipso illo „ utriusque genere sermonis numquam nisi cum „ significatione & hominis locutus & Dei sit. „ Ecce aperte beatus Hilarius dicit Dominum nostrum Jesum Christum docentem in Synagogis & ubique hunc modum sermonis per omnia tenuisse, ut se Dei filium credi doceret, & utique verum: quod si verum, & proprium: alioquin, quare ex illo D tempore non sunt inventi quatuor modi quibus crederetur, duobus videlicet Patri, & duobus matri? Beatus autem Proculus Constantinopolitanus episcopus, cum exponeret verba Apostoli, ubi loquitur de Judæis dicens: „ [a] Quorum Patres, „ ex quibus Christus secundum carnem, qui est „ super omnia Deus benedictus in sæcula, *ait*: „ Hæc Paulli verba, quam subreptionem calumniæ „ eorum qui prava diligunt habere mittunt! Dixit „ enim Christum, ut ostendat quoniam secundum „ veritatem Deus factus est homo. Dicit eum ex „ Judæis secundum carnem, ut insinuet quia non „ ex illo tempore quo est incarnatus exstitit. Di- „ xit eum qui est, ut eum sine initio declaret. E „ Dixit eum super omnia, ut totius creaturæ Do- „ minum prædicet. Dixit eum Deum, ne passio- „ nibus habituque traducti intemeratam ejus au- „ deamus negare substantiam. Dixit benedictum, „ ut adoremus eum tamquam omnipotentem sup- „ pliciter, nec ut conservum calumniis appeta- „ mus. Dixit eum in sæcula, ut demonstret quod „ is qui nos verbo creavit, pro sua divinitate ju- „ gi a nobis honore celebretur. Habentes itaque „ Christum & exsistentem, & Deum, & benedi- „ ctum in sæcula, veneremur eum Deum & Do- „ minum, dicentes assertoribus exterorum dogma- „ tum, si quis spiritum Christi non habet, hic non „ est ejus. „

XXVIII. Iterum interrogat Felix dicens: *Quid differt inter propria naturaliaque nomina divinitatis in uno filio Dei, atque accedentia humanitatis ejus?* Respondetque subjungens: *Hoc differt, quod in divinitate sicut verus est filius Dei, ita & verus Deus. In humanitate vero sicut verus est homo, ita verus est filius hominis*. Videtur mihi Felix rem in hoc loco fecisse ridiculosam. Differentiis namque nominum interrogavit divinitatis & humanitatis, & respondit hoc differre quod in divinitate verus sit Deus, & in humanitate verus homo. Hoc non est differentia nominum, sed potius separatio substantiarum. Nam si, ut ait, divinitatis nomen est Deus, & humanitatis homo, debuit utique dicere quid differat inter utrumque nomen, id est, Deus & homo; & ut in sequentibus ait, *in divinitate unigenitus, in humanitate primogenitus*, debuit certe dicere quid differat inter unigenitum & primogenitum. Sed ponamus ipsius Felicis verba quæ prosequitur, ut ex ipsis lector cognoscat quomodo separando nomina, dividit substantias. *In illa*, inquit, *Deus super omnia, in ista vero homo intra omnia; & ut brevi compendio plurima concludam, in illa, id est in essentia divinitatis, Deus, Dominus, Patris Verbum, Patris veritas, sapientia, virtus, imago Patris, invisibilis splendor Patris, lumen ex lumine, consubstantialis Patri, consimilis ei, æqualis per omnia, invisibilis ut Pater, immensus, incircumscriptus, omnipotens, creans omnia cum Patre & Spiritu sancto, factor, vivificans quos vult, sicut & Pater, eligens cum Patre quos vult, prædestinans cum Patre quos præscit, sanctificans, deificans, glorificans quos vult, & reliqua his similia plurima. Accedentia vero illi sunt, homo, infans, puer, adolescens, juvenis, minister legis, servus Patris, minor Patre, subjectus, frater electorum, particeps eorum, coheres, propinquus illorum, conformis, consimilis per omnia, excepto peccato, mediator Dei & hominum, Propheta, Evangelista, Apostolus, Sacerdos, Pontifex. Hæc omnia, & his similia accedentia sunt illi secundum dispensationem carnis, non propria secundum potestatem deitatis*.

XXIX. Ecce, ut lectio ipsa demonstrat, Felix aperte testatur hæc nomina secundum dispensationem carnis, non esse propria secundum potestatem deitatis. Si caro ipsa propria dicitur, & est Verbi; quare carnis nomina non erunt propria ei cujus est caro ipsa propria? Ut mihi videtur, intellexit Felix quod ista nomina, id est, homo, infans, puer, apostolus, & pontifex, non essent Domini & Salvatoris nostri, nisi incarnaretur: quod utique verum est. Non tamen intellexit quod postquam incarnatus est, propria facta sint Dei, quia Deus ipse factus est hæc, id est, Deus Verbum factus est homo, infans, & puer: ipse factus est Apostolus, ipse factus est Pontifex. Sed quia, ut dixi, bene potuit dicere Felix quod ipsa nomina non sint in Domino ex natura divinitatis, sed ex humanitatis; non tamen bene dixit quod non sint propria; quia propria facta sunt, propter carnem propriam quam assumsit.

XXX. Nos tamen, quam cautelam sanæ fidei in hac re tenere debemus, ex verbis Patrum ostendamus. Beatus itaque Vigilius episcopus in expugnatione Acephalorum hæreticorum sic dixit: „ [1] Si- „ cut illi mori & non mori ex utrisque naturis est

a Rom. IX. 5.

1. Vigilius in lib. V. adversus Eutych. cap. VIII.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 810.



„ proprium, ita commune est in ipso utrisque naturis quod illarum est proprium. Et ut exempli gratia dixerim; proprium mihi est notam livoris cujusque verberis gestare in corpore meo per naturam carnis meæ; & proprium mihi est hanc eamdem notam non gestare in spiritu meo per naturam animæ meæ. Item, proprium mihi est plagam verbi, id est, sermonem durum gestare in mente mea per naturam animæ meæ, & proprium mihi est eamdem plagam non portare in corpore meo per naturam carnis meæ. Et cum sit mihi utrumque proprium; & corpori, & animæ meæ, utrumque alienum; quia nec corpus durum lætumve sermonem intelligit, nec anima flagelli vulnere livescit. Utrumque tamen commune est in semetipso, & animæ & corpori meo: quia nec anima extra corpus, a quo ei sentire proprium fuerat, sentit; nec corpus citra animæ consortium plagarum indicia gestavit. Quod ergo proprium mihi in singulis, & alienum est singulis, id commune est in me ipso singulis, quod proprium est singulis. Et tamen ego ipse unus sum in utrisque, in me ipso communibus; & ego ipse unus sum in singulis mihimet ipsi propriis. Quæ cum ita sint, series nobis divinarum percurrenda est litterarum, & plurima testimonia congreganda, quibus demonstretur quam sit impium & sacrilegum, ea quæ sunt propria carnis Christi, ad naturam Verbi proprietate referre, & quæ sunt propria Verbi proprietate naturæ carnis adscribere: & quam sit nihilominus impium, ea quæ sunt propria carnis per exceptionem proprietatis alienare a Verbo, & quæ sunt propria Verbi, eadem exceptionis lege alienare a carne; cum sit eis in Christo utrumque commune, & Christus sit utrumque. „

XXXI. Felix in sola humanitate dicit Dominum Apostolum & Pontificem fuisse. Beatus autem Cyrillus contra hoc ita docet, dicens: „ Scripturæ namque divinitus inspiratæ Deum nobis inhumanatum prædicant Emmanuel, participatumque carne & sanguine proxime nobis Dei & Patris affirmant Verbum factum, hoc est, hominem, non per conversionem, seu mutationem, sed virtute ineffabili unitatis. Ideoque & unum dicimus Dominum Jesum Christum, unamque fidem, & unum sanctum baptisma. Qui autem a dogmatibus sic rectis recedunt, & contra sacras litteras durum atque superbum objiciunt sensum, & hoc solum quod bene se habere arbitrantur inspiciunt; hominem vero assumtum a Deo Verbo dicunt, secundum illud puto quod per unum sanctorum dictum est prophetarum: Non eram Propheta, neque filius Prophetæ, sed caupo eram fricans sicamina, & assumsit me ex ovibus. Et sicut ait beatus David, Suscipiens mansuetos Dominus. Per habitum quippe & familiaritatem spiritalem, tamquam in voluntate & gratia & sanctificatione, sicut & nos ipsi adhærentes Domino, unus spiritus sumus, secundum quod scriptum est. Sed non est hoc humanari Dominum, sed neque proxime nobis carne & sanguine participare, sed magis proprium facere hominem, & non secundum alium modum quem dici poterit prophetas & apostolos & alios sanctos omnes. Putasne sanctus Paullus seducebat sanctificatos per fidem apertissime dicens de unigenito, quia cum esset dives, pauper est factus propter nos? Absit. Vere namque dicit omnino veritatis præco, qui est dives, Et quomodo pauper factus est? Etiam nunc sermo hic a nobis examinetur. Siquidem, sicut & sapere & dicere ipsi præsumunt, homo assumtus a Deo est, quomodo pauper est factus qui assumtus est, & ultra naturam dignitatibus declaratus. Glorificatus est enim; aut si non est hoc verum, derogabitur ab eis assumtioni tamquam deportanti ad minorem partem, & inhonestiorem mensuram humanitatis. Sed ita sapere dissonum est. Ergo non est pauper factus, qui assumtus est. Restat enim dicere, quia factus est in paupertate nostra, qui dives est tamquam Deus. *Et iterum*: Respicienda itaque sunt non illorum multiloquia, sed recta & immaculata fides evangelicæ atque apostolicæ sanctionis. Deus est in carne & in sanguine, humanitatisque mensuram per ea quæ humana sunt cognoscimus. Millia millium enim angelorum sanctorum ministrant ei, & sacram ejus sedem circumstant Seraphim. Quia vero factus est homo, appellatusque summus sacerdos, non tamquam majori Deo offerens sacrificium, sed sibimet & Patri, fidei nostræ negotiatus confessionem. *Et iterum*: Intuere siquidem eum immolantem quidem secundum humanitatem, assidentem vero sicut Deum. Quid enim ait beatus Paullus? Talem Pontificem habemus, qui sedet in dextera sedis majestatis in excelsis. Scientes igitur quia cum Deus esset, factus est homo, est autem unus atque idem filius, ipsi omnia tribuimus tamquam uni, & dispensationis non ignoravimus modos, sensuum virtutem artificiose atque prudenter in ejus semper convertentes obedientiam. „

XXXII. Felix soli divinitati tribuit vivificationem, dicens Dominum secundum divinitatem vivificantem quos vult; & non recordans quod & caro vivificatoris Verbi, vivificatrix credenda est, beato Cyrillo docente ita: „ Proprium ergo corpus factum dicimus Verbi, & non hominis alicujus seorsum, & separati alterius citra eum qui intelligitur Christus & filius. Sicut autem proprium nostrum uniuscujusque dicitur corpus seorsum ejus cujus est, & in uno Christo intelligendum utique exsistens nostris corporibus cognatum sive consubstantiale. Factum enim ex muliere proprium ejus, sic ut dixi intelligitur & dicitur. Quoniam vero secundum naturam est ex Deo patre Verbum, vivificatricem ostendit suam carnem; idcirco facta est nobis benedictio. Vivificans denique dicebat Christus: Amen dico vobis: Ego sum panis vivus qui de cælo descendi, & vitam dedi mundo. Et rursus: Panis autem quem ego dedero, caro mea est pro mundi vita. Et iterum: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. *Item beatus Cyrillus*: Uti ne videar ego solus Verbi corpus proprium nominare, etiam sanctorum Patrum volui ponere testimonia, ut sciant adversarii quia inaniter nos inclamant sequentes ubique illorum voces. Ait itaque famosissimus noster pater & episcopus Athanasius in libro de sancta Trinitate: Et apparebat quia non erat phantasia, sed vere habebat corpus. Decebat enim Christum induentem humanam carnem, hanc cum propriis passionibus ejus indui totam; ut sicut totam proprium ejus dicimus esse corpus, ita & corporis passiones propriæ solum ejus dicantur, licet non contingerent secundum divinitatem ejus. „

XXXIII. Interrogat Felix dicens: *Recurrunt propria nomina ad accidentia, seu accidentia ad propria,*

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 810.



an non? Respondet, *recurrunt*. Interrogat, *quo ordine?* Respondet: *Propter singularitatem personæ, in qua divinitas filii Dei cum humanitate sua communes habent actiones; qua ex caussa aliquando ea quæ divina sunt referuntur ad humana, & ea quæ humana fiunt, interdum ascribuntur ad divina, & hoc ordine aliquando Dei filius in hominis filio filius hominis appellari dignatur, & hominis filius in Dei filio filius Dei nuncupatur*. Heic ammoneo lectorem, ut istum Felicis recursum nominum conferat cum relatione Nestorii, & perpendat ne forte similia sint. Sicut enim supra [1] posuimus verba Nestorii, dicit ille: *Sicut inseparabilem a divina natura habens copulationem relatione Dei & intelligentia omni creatura adorationem exhibente; & neque duos filios dicimus, neque duos Dominos*. Et post aliqua iterum Nestorius ait: *Sed solus præcipuum habens hoc quod ad Dei Verbi copulationem, adoptione & dominatione participans, auferens quidem omnem suspicionem dualitatis filiorum & Dominorum, præstito vero nobis in copulatione ad Deum Verbum, omnem haberet ipsius fidem & intelligentiam & theoriam, pro quibus & adorationem pro relatione Dei ab omni suscepit creatura*. Ecce Nestorius dicit Dominum relatione Dei theoriam suscepisse, id est, deitatem & adorationem. Felix vero dicit recurrere nomina propter unitatem personæ, & propterea appellari Dei filium hominis filium, & hominis filium Dei filium nuncupari. Videtur namque mihi, quia licet utriusque, Nestorii videlicet atque Felicis, nova & inusitata atque confusa sint verba, unus tamen eorum aut similis in hoc loco est sensus. Deinde diligenter considerandum est hoc quod Felix dixit: *Aliquando Dei filius in hominis filio filius hominis appellari dignatur*. Quid est hoc? Numquid aliquando, & non semper? Numquid appellari & non esse? Deinde ait, *& hominis filius in Dei filio filius Dei nuncupatur*. Numquid nuncupatur tantum, & non est?

XXXIV. Sed quia scio horum verborum quamdam similitudinem esse in dictis beati Hieronymi, quæ iste in prima sua contentione pravo sensu efferre solebat; videamus, si ab illo istius sensus & verba non discrepant. Ait namque beatus Hieronymus: [2] *Hic filius hominis per Dei filium, Dei esse filius in Dei filio promeretur*. Ecce beatus Hieronymus dicit *esse promeretur*. Felix dicit *appellatur*, & *nuncupatur*. Certe multum differt inter *esse promeretur*, & *appellatur*, aut *nuncupatur*. *Filius*, inquit, *hominis in Dei filio filius Dei esse promeretur*. Certe sic cuncta Christi Ecclesia catholica credit & confitetur. Qui esse promeretur, vere & proprie esse cœpit: quia, ut jam supra dictum est, *ex quo esse cœpit, non aliud cœpit esse quam Dei filius*, & *hoc unicus*. Qui autem appellantur & nuncupantur, spiritum adoptionis acceperunt, ut filii Dei vocarentur: quia ex quo esse cœperunt esse filii Dei, sed filii Adam; filii iræ, & filii hujus sæculi; & dum ista essent, prævenit eos misericordia Dei antequam illi ulla bona velle aut eligere possent; & sicut eos præscivit & prædestinavit ante mundi constitutionem, & vocavit tempore constituto, ac justificavit per adoptionem & redemtionem animarum, deinde glorificaturus est per adoptionem & redemtionem corporum in ultima resurrectione. Hæc fiunt in illis qui per gratiam adoptionis filii efficiuntur & appellantur Dei, per illum qui ante sæcula naturaliter natus, & in sæculo naturaliter factus est unicus filius Dei, qui nascendo est filius Dei, non renascendo, cui nomen filii generatio dedit, non regeneratio, qui ex illa substantia qua esse cœpit, ex quo esse cœpit, non aliquando nuncupatur filius Dei, ut Felix vult, sed semper est, ut catholici credunt. Ita nos, sicut beatus Hieronymus ait, Deum hominemque jungentes, & filium hominis in Jesu, & filium Dei tenemus in Christo. Heic sapientia vertetur, ut Apocalypsis ait. Heic promissæ antidoti aperienda virtus. Heic Manichæorum virus, terrestre germen Arianorum, divino, si dici fas est, semine superandum est.

XXXV. Memoratur item Felix dicti dominici, quo ait: *Nemo ascendit in cælum nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo*. Et subjungit dicens: *Certe quando hæc loquebatur, nondum erat filius hominis in cælo per naturam in suscipiente se, hoc est, in filio Dei*. Sed quia ego in hæc verba advertere non possum quid dicere voluerit, aut quid senserit, ista indiscussa prætermittenda, & ad alia ejus transeundum est; maxime quia prædicta dominica verba exposita verbis beati Augustini supra posuimus.

XXXVI. Item Felix: *Certe*, ait, *Catholica fides credit quod non proprius Dei filius, qui de substantia Patris genitus est, & per omnia Patri similis, pro nobis traditus sit, sed homo assumtus ab eo*. Hæc Felix. Nos autem dicimus: Absit, absit, ut ita catholica fides credat, quæ sine intermissione decantat, dicens: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, & in Jesum Christum filium ejus unicum Dominum nostrum, natum de Spiritu sancto & Maria virgine, passum sub Pontio Pilato, crucifixum & sepultum*. Ita enim catholica fides credit, quod ipse qui filius Dei Patris omnipotentis est, & natus est de Spiritu sancto & Virgine, ipse sit pro nobis traditus, ipse passus, ipse crucifixus, mortuus, & sepultus, ipseque resurrexerit, ascenderit ad cælos, & sedeat nunc ad dexteram Patris, & inde, hoc est, de dextera Patris, venturus sit ad judicandos vivos & mortuos. Sed quia, ut superius [3] verbis beati Hieronymi dictum est, hæc cogitasse, vixisse est, hæc meditatio, partus est animæ, in hæc relabi vel recurrere, cum Domino jungi est, & cum ipso per hæc humiliari est, cum ipso pati est, cum ipso mori est, cum ipso est etiam suscitari, bonum & jocundum est de hac re Patrum quoque heic sententias subnectere. Beatus Augustinus de hoc ita dicit: [4] „ Cujus & nativitatem futuram secundum carnem, & mortem, & resurrectionem, atque ascensionem in cælis, Lex & Prophetæ prænuntiare numquam destiterunt, prout ipse præcipiebat, obedientes & verbis & factis. Nam & sacrificiis carnalium victimarum, quæ sibi ipsa sancta Trinitas, quæ unus est Deus novi & veteri Testamenti, a Patribus nostris præcipiebat offerri, illius sacrificii significabatur gratissimum munus, quod pro nobis se ipsum solus Deus filius secundum carnem esset misericorditer oblaturus. Ipse enim secundum apostolicam doctrinam obtulit semet ipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis. Ipse verus Deus, & verus Pontifex, qui pro nobis, non in sanguine taurorum & hircorum, sed in sanguine suo semel introivit in sancta: quod tunc Pontifex ille significabat, qui cum

1. Supra cap. VII.
2. Vide integrum locum Hieronymi infra cap. XXXIX.
3. Supra cap. XXV.
4. August. de Fid. ad Petr. diac. cap. XII.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 810.

„ sanguine sancta sanctorum per annos singulos introibat. Iste igitur est qui in se uno tantum exhibuit quod esse necessarium ad redemtionis nostræ sciebat effectum. Idem sacerdos & sacrificium, idem Deus & homo; sacerdos, per quem sumus reconciliati; sacrificium, quo reconciliati; templum, in quo reconciliati; Deus, cui reconciliati. Solus tamen sacerdos, sacrificium, & templum; quia hæc omnia Deus secundum formam servi. Non autem solus Deus, quia hoc cum Patre & Spiritu sancto secundum formam Dei. Reconciliati igitur sumus per solum filium secundum carnem, sed non soli filio secundum divinitatem. *Beatus quoque Vigilius:* [1] Ita Verbum Dei jure dicimus passionis injurias pertulisse, non tamen passionem ullo modo sensisse. Dicam adhuc manifestius. Confixa est divinitas clavis; sed ipsa penetrari non potuit, sicut caro ejus potuit. Siquidem vulneri locum caro patefacta aperuit. Nam deitas indivisibilis atque impenetrabilis mansit. Ita ergo suscipiendo passiones, & earum non cedendo effectibus, apparet Dei Verbum impassibiliter passum. Sed quia caro ejus hæc omnia non solum pertulit, sed & sensit, & cessit, jure ac merito dicimus Deum his omnibus passionum conditionibus sensibiliter affectum in carne sua, sine sensu vel mutatione divinitatis suæ. Vide ergo: perferre passionem, naturæ est utriusque; sed cedere passioni, non est utriusque naturæ, cum sit unius ejusdemque personæ. *Beatus quoque Athanasius ita dicit:* Et ostensum est omnibus, quia non corpus erat Verbum, sed corpus erat Verbi; & hoc palpavit Thomas postquam eum resurrexisse vidit a mortuis, & vidit in eo fixuras clavorum quas pertulit, ipsum Verbum in suo corpore dum crucifigeretur aspiciens; & cum posset prohibere, non prohibuit, sed etiam propria sua faciebat quæ erant propria corporis, tamquam sua, Verbum incorporale, denique cæso corpore a ministro, sicut ipse patiens dicebat: Dorsum meum dedi ad verbera, & faciem meam non averti a confusione sputorum. Quæ enim humanitas patiebatur Verbi, hæc inhabitans Verbum ad se referebat, ut nos deitatis Verbi participes esse possemus. Et erat admirabile, quia ipse erat patiens & non patiens; patiens quidem, quoniam proprium ejus corpus patiebatur; & in ipso qui patiebatur erat non patiens, propterea quia natura Deus manens Verbum, est impassibile; & ipse quidem incorporalis erat in corpore passibile; corpus autem habebat in se Verbum impassibile, destruens infirmitates ipsius corporis. „

XXXVII. Felix dicit: *Ita divina scriptura loquitur, ut ea quæ capitis sunt, id est, Christi, referantur ad corpus, id est, Ecclesiam, & ea quæ corporis sunt, adscribantur capiti.* Hoc ex parte verum esse potest. Sed verius diceret, si dixisset: Aliquando ex voce corporis loquitur caput, sicut est illud, *Saule Saule, quid me persequeris?* Et, *Esurivi, & dedistis mihi manducare*, & cetera hujusmodi. Ceterum ea quæ proprie excellentiæ capitis sunt, non sic referuntur ad corpus, ut iste dicit: quoniam ista communio capitis & corporis magis est in vocibus scripturarum, quam in actibus & rebus, sicut est illud in psalmo: *Longe a salute mea verba delictorum meorum.* Et: *Deus, tu scis* A *insipientiam meam, & delicta mea a te non sunt abscondita.* In quibus Dominus pro corpore suo solam vocem suscepit, non actum, aut rem. Iste autem, ut mihi videtur, propterea elaborat in tantum conjungere caput & corpus, ut etiam unam hæc personam dicat, & ex hoc confirmari videatur sensum ejus, quo Dominum secundum humanitatem eisdem tantummodo modis credat filium Dei patris, quibus & ceteri sancti fiunt filii Dei, id est, gratia, adoptione, electione, prædestinatione, & ceteris, ut ipse superius aperte de Domino dixit. Propter quod apparet in verbis ejus, quod plus quodammodo conjungat corpus Salvatoris Ecclesiæ, quam sanctæ Trinitati. Unde & his verbis subjun- B git in conclusione operis sui dicens: *Nihil enim habere potest Ecclesia quod ad vitam & pietatem pertineat, nisi quod a capite suo, id est, Christo, acceperit, Apostolo teste, qui in epistola ad Ephesios scribens ait: Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cælestibus in Christo, qui elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipso.* Verum est omnino quod Christus & Ecclesia caput & corpus dicuntur ab Apostolo frequenter. Et ideo una persona sunt; quia & corpus, capitis corpus dicitur; & caput, corporis utique caput. Non enim ad se dicitur caput, sed ad cor- C pus. Sed tamen modus & discretio tenenda est, qualiter dicantur una persona. Neque enim eodem modo quo in filio Dei Verbum, & carnem, unam credimus omnino esse personam, non conjunctam ex duabus personis, sed ex duabus substantiis; eodem etiam modo creduntur Christus & Ecclesia una esse persona, quæ conjuncta est ex multis personis, quæ unitas personæ, id est, Christi atque Ecclesiæ, in spiritu utique est, non in corpore. Sic enim docet diligenter Apostolus, dicens: [a] *Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto. Divisiones vero gratiarum insunt, idem autem Spiritus. Et divisiones ministrationum sunt; idem autem Dominus. Et divisiones operationum sunt;* D *idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum in uno Spiritu, alii operatio virtutum, alii Prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum corpus sunt; ita & Christus. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles,* E *sive servi, sive liberi, & omnes uno Spiritu potati sumus. Nam & corpus non est unum membrum, sed multa.* Ecce Apostolus evidenter ostendit quomodo credantur Christus & Ecclesia una persona; videlicet, quia uno Spiritu potati, in uno Spiritu baptizati, unum corpus effecti per Spiritum Christi secundum eumdem, & in eodem in uno Spiritu singulis hominibus diversæ gratiæ dantur; ita ut unus ex corpore homo, non omnes gratias habeant, omnes ministrationes, omnes operationes infusas in corpore per unum caput Christum. Propter quod dicit in alio loco: *Si quis autem Spiritum Christi non*

a I. Cor. XII. 3. seqq.

1. Vigilius lib. II. adversus Eutych. cap. IX.

habet, hic non est ejus. Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem. Ecce per Spiritum Christi efficimur ejus membra. Effecti autem membra ejus, Christus in nobis est, & hoc modo caput est nostrum, id est, Ecclesiæ, qui operatur omnia non in singulis, sed in omnibus. In singulis ergo non omnia, sed aliqua, sicut in omnibus non aliqua, sed omnia. Divinus Spiritus gratias, dividit Dominus ministrationes, dividit Deus operationes. Sancta Trinitas, unus videlicet Deus, qui & nunc operatur omnia in omnibus, & in futuro erit omnia in omnibus, & in singulis. Sed quia omnia per mediatorem Dei & hominum fiunt, qui est utique Deus & homo; ideo dicitur & est ipse mediator Christus, caput Ecclesiæ. [a] *Omnis viri caput Christus est*, ait Apostolus, (omnis scilicet viri ex quibus constat omnis Ecclesia) *caput vero Christi Deus*. Hoc itaque modo nos Christum & Ecclesiam unam fateamur esse personam. Felix autem, quia quadam indecenti ratione referri dicit ad corpus ea quæ capitis sunt, confirmare nititur quod ea quæ a Christo accipit Ecclesia, illa sint quæ Christi esse astruit, id est, gratia, adoptio, electio, & cetera. Propter quod & testimonio apostolico confirmat & concludit dicens: [b] *Qui elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipso*. Quasi Apostolus diceret: Deus in Christo nos elegit, quando illum elegit; in ipso nos per ipsum prædestinavit in adoptionem filiorum, quando & illum prædestinavit in adoptionem filii, ut esset secundum humanitatem adoptivus filius. Talis omnino fuit sensus Felicis; & propterea de unitate Christi & Ecclesiæ loquens, ea quæ capitis sunt referri dixit ad corpus; de quibus jam supra sufficienter diximus, congrua adjungentes Patrum testimonia, quæ ostenderent mutuo aliter intelligendum, ubicumque gratia, electio, prædestinatio, assumtio, vel adoptio sonat in dictis sanctorum Patrum.

XXXVIII. Quod ut facilius nunc iterum ostendamus, dicamus exempli caussa. Legit Felix in beato Augustino: *Verbum Dei gratia suscepit hominem*; sed non bene novit discernere cujus sit ista gratia, a quo, aut cui largitur. Largitur utique a Deo, a Verbo Dei naturæ humanæ, ut suscipiatur in filio, ut sit cum filio unus filius, & habeamus nos in illo primitias substantiæ nostræ, qui est verus filius, & proprius filius. Non enim merito humanitatis illius susceptæ sunt in persona Verbi ipsæ nostræ primitiæ, sed misericordia & gratia ejus pro nostra redemtione. Et hæc est gratia illa quam commendat catholicus doctor. Felix autem non ita intellexit; sed putavit e contrario hanc gratiam a Patre filio largitam, ut dignaretur eum ex humanitatis susceptione gratia sibi adoptare in filium. Et hic error necessario exigebat ab illo ut unum e duobus malis incurreret, id est, ut aut duos filios crederet, unum hominem, & alterum Deum, aut cum unum filium diceret, duobus eum modis esse filium Patris confiteretur, verum scilicet & non verum, proprium & adoptivum, natura & gratia, quæ duo mala advertuntur in litteris ejus: quæ utique non adverterentur, nisi illa aliquando ad istum, aliquando ad illum cor inclinaret, occultissimo Dei judicio permittente. Et quia error terminum habere nescit, ad hoc devolutus est, ut sicut eum dixit Patri duobus modis filium esse, ita diceret & sanctam Dei genitricem aliter genuisse Deum, & aliter hominem, quasi extra Deum hominem genuerit.

XXXIX. Legit etiam Felix in sanctorum Patrum Hieronymi, Augustini, Ambrosii, Hilarii, & Aviti libris, cum de incarnatione Salvatoris tractaret, intromissum nomen adoptionis, sed juxta modum assumtionis vel susceptionis ab eis positum, quod ille alio & e contrario hausit sensu. De qua re ut ea quæ sentimus, congruentius proferamus; ponamus aliquam ex illis sententiam tam plenariam, ut ubi adoptio dicitur, qualiter accipienda sit, ex præcedenti & subsequenti sensibus colligatur. Ait itaque beatus Hieronymus in suo brevi & elegantissimo tractatu de similitudine carnis peccati contra Manichæos: „ Denique hoc confirmat propositA ipsa sententia, quæ primum Adam in animam viventem factum esse testatur, novissimum in spiritu vivificantem. Ecce quur tam post innumeros annos & incomprehensa curricula sæculorum ab omnibus mortalibus, a quibus ut qui secundum carnem natus est separatur, quod ille primus vivens, hic novissimus vivificans; ille sibi data vix possidens, hic possidenda condonans. Quod & Psalmista duobus versiculis explanavit, dicens: Quid est homo quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Homo, Adam accipiendus est; filius hominis, Dominus intelligendus est: qui in memoriam veteris visitatur, & in defuncti recordatione spiritu salutationis impletur: quod ipsa verba exprimunt: ut rem planam videre non mirum sit, dum & homini memoria conjungitur, & filio hominis visitatio copulatur. Illi mortali quid aliud poterat superesse? huic vivificanti quid aliud oportebat infundi? Nam defunctis memoria debetur, visitatio viventibus exhibetur: quod utrumque in Domino per incarnationem constat impletum, cum ob primi commemorationem novissimus visitatur, & per novissimi visitationem salvatur & primus. Huic sensus germana est illa sententia: Primus homo de terra terrenus, secundus e cælo cælestis. Quis est iste cælestis? Sine dubio ille qui eum quem gestabat in baptismate fecit audire quod ante ipsum nullus audierat: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et qualiter dicitur hodie, si in principio Verbum, & Verbum apud Deum, & Deus erat Verbum? quia non est istud Verbum quod semper in Patre, & apud Patrem, & cum Patre fuisse esse credendum est; sed homo, quem in gratiam salutis Deus Verbum susceperat, audivit. Hic filius hominis per Dei filium, Dei esse filius in Dei filio promeretur: nec adoptio a natura sejungitur, sed natura cum adoptione conjungitur: quoniam cum Verbum caro factum est, non per assumtam decrevit assumtor, sed in assumente crevit assumtio. Creaturæ enim poterat per creatorem infirmitatis substantia commutari, creatoris autem in creaturam non poterat æternitatis natura converti. Et ideo cum dicitur; Prior homo de terra terrenus, secundus e cælo cælestis; non corporis materia separatur, sed forma vitalis; nec caro tollitur, sed carnis susceptor ostenditur, ille, inquam, qui in Evangelio ait: Vos de inferioribus estis, ego de superioribus sum. De superioribus ait, non utique siderea carne, sed virtute divina. „ Ecce

a I. Cor. XI. 3. b Ephes. I. 4.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 810.



beatus Hieronymus, postquam dixit, *nec adoptio sejungitur a natura, sed natura cum adoptione conjungitur*, ut ostenderet quæ esset hæc adoptio, adjunxit: *Quoniam cum Verbum caro factum est, non per assumtam decrevit assumtor, sed in assumente crevit assumtio*. Quod supra dixit *adoptio*, hoc inferius subjecit *assumtio*; & quam supra dixerat *naturam*, explanavit subdendo *assumtorem* & *assumentem*. Nihil ergo aliud heic significat adoptio quam quod assumtio; & nihil omnino aliquid tale heic demonstrat tota beati Hieronymi sententia, per quod suspicari possimus ita eum sensisse, ut Dominum nostrum Jesum Christum secundum humanitatem Dei patris adoptivum filium credendum doceret. Quia cum dicit *adoptio*, & *natura assumens*, & *assumtio*, *assumta*, & *assumtor*; nihil horum ad Patrem referri videtur, sed de duobus tantum substantiis, ex quibus constat una persona unici & veri filii Dei, tractari cognoscitur. Et ut plenius dicamus quod sentimus, adoptata est natura humana, id est, suscepta vel assumta in persona filii a filio; ut cum ipse esset filius, non alio, sed eo modo quo erat & ante filius: & hoc est quod dicitur, *non per assumtam decrevit assumtor, sed in assumente crevit assumtio*.

XL. Juxta igitur hunc modum & ceteros doctores dixisse & sensisse, ubicumque nomen & verbum adoptionis in fidei dogmatibus inseruerunt, credimus. Dicit itaque beatus Hilarius: [1] *Parit virgo, partus a Deo est. Infans vagit, laudantes Angeli audiuntur. Panni sordent, Deus adoratur. Ita potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur*. Sed statim post paullulum subjungit dicens eum in carnis assumtione hominem, Deum vero in gestis rebus exsistere. Paullo namque superius dixit: *Postremo una cum Judæis irascantur iidem hæretici, quod Christus sibi proprium Patrem confitens, Deum æqualem se fecerit Deo; & una cum his audiant, Vel operibus credite meis, quia ego in Patre, & Pater in me est. Unum igitur est hoc immobile fundamentum, una hæc felix fidei petra, Petri voce confessa, Tu es Filius Dei vivi*. Ecce admirandus doctor dicit quod Christus proprium sibi Patrem confiteatur Deum. Nempe si proprius Pater, non adoptans, sed generans, proprius filius, non adoptatus, sed natus.

XLI. Beatus quoque Avitus, Photinianorum hæreticorum validissimus expugnator, scripsit dicens: [2] *Certe circumfrementibus Judæis & in Dominum nostrum exserta blasphemiarum tela vibrantibus, quem respondisse credimus, Amen dico vobis, ante Abraham ego sum, nisi quia per concordiam genitoris & generis ipse per traducem maternorum parentum descendit ex Abrahæ semine, qui sine annorum numero Abraham præivit æternitate? Qui maximus Patriarcharum, cum videret illum diem, in quo sine fine permanet Deus, concupivit tamen illum videre quo homo unitus est Deo. Vidit, inquit, & gavisus est: quia sicut cernebat illum in quo erat genuina majestas, ita & istum desiderio conceperat, in quo adoptata illustrabatur humilitas*. Sed quia hæc dicens, nec credidit nec docuit Dominum nostrum adoptivum esse filium juxta humanitatem, apparet ex eo quod ibidem præmisit dicens: [3] *Apostolus autem dicit, Postquam vero venit plenitudo temporum, misit Deus filium suum. Enimvero qui mittitur, erat antequam mitteretur. Quia si ante Mariam non fuisset, hunc similem ceteris adoptio faceret Dei filium, non natura. Nec in Evangeliis ipse dixisset: Tantum dilexit Deus mundum, ut filium suum unicum daret. Non electum ergo ab ipsa ineffabili paternitate, sed genitum; cui tam Deo quam homini vero, in utraque natura fideliter proprio, in divinitate emanasse de Patre, in corpore cœpisse de matre*. Ecce catholicus doctor veridice contra Felicem testatur, quod Dominus noster nec adoptione nec electione sit filius Patris, sed genere & proprietate.

XLII. Beatus etiam papa Gregorius cum exponeret verba Heliu, ubi dicit: *Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, & nullus ei similis in legislatoribus*, dixit: [4] *Legislatores cunctos dicere possumus, quos ex lege admonuisse recta populum scimus. Sed huic mediatori in legislatoribus similis nullus est. Quia isti gratuite vocati, ex peccatis ad innocentiam redeunt; & ab his quæ in semet ipsis experti sunt prædicando alios reducunt. Redemtor autem noster, homo sine peccato est, filius sine adoptione*. Ecce eximius doctor dicit Dominum nostrum filium sine adoptione: qui profecto si sciret duobus modis eum esse filium Patris, id est, secundum humanitatem adoptione, secundum divinitatem natura, numquam illum diceret filium sine adoptione.

XLIII. Fidentius [5] vero quidam catholicus doctor cum similiter doceret proprium & verum esse filium Dei Dominum nostrum, exponens locum illum Evangelii, ubi transfigurato Domino in monte, facta est vox Patris ad Apostolos dicens: *Hic est Filius meus dilectus*, dicit: *Ideo, elevantes oculos Apostoli, neminem viderunt nisi solum Jesum, ne & ipse filius hominis, sicut Moyses & Helias, vel ceteri sancti, putaretur homo Dei, & æquaretur cum adoptivis Dominus majestatis*. Ecce & hic pietatis doctor eum quem dicit non æquandum adoptivis, filium hominis nominat: quem utique si sciret adoptivum secundum carnem, nominans eum filium hominis, non sic discerneret ab adoptivis ut Dominum majestatis.

XLIV. Beatus quoque Augustinus, cum exponeret epistolam beati Paulli apostoli ad Galatas, & pervenisset ad locum ubi dicitur: *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionum filiorum reciperemus*, post aliqua quæ ad expositionem horum verborum pertinebant, subjunxit dicens: *Nec dixit idem Apostolus, ut adoptionem filiorum acciperemus, sed reciperemus; ut significaret hoc nos amisisse in Adam, ex quo mortales sumus. Heic enim adoptionem recipimus: quod ille unicus non dedignatus est participatione naturæ nostræ, factus ex muliere*. Sed si prædictus doctor in his verbis ita nos sapere voluisset, ut unicum filium Dei Dominum nostrum duobus modis Deo patri filium confiteremur, id est, natura, & adoptione, numquam iterum taliter doceret, ut in expositione psalmi octogesimi octavi docuit, dicens: *Quis in nubibus æquabitur Domino? Et quis similis erit Domino in filiis Dei? Ergo nemo in filiis Dei similis erit filio Dei. Et ipse prædictus est filius Dei, & nos dicti sumus filii Dei. Sed quis similis erit Domino in filiis Dei? Ille unicus, nos multi; ille unus, nos in illo unum;*

1. Hilarius lib. II. de Trinit. sub finem.
2. Avitus epist. II.
3. Idem epist. XXVIII.
4. S. Gregor. lib. XXVII. Mor. in Job cap. I.
5. Forte episcopus ille, & martyr, cujus meminit Augustinus serm. XXX. inter Sirmondianos.

ille natus, nos adoptati; ille ab æterno filius genitus per naturam, nos a tempore facti per gratiam; ille sine ullo peccato, nos per illum liberati a pecto. Quis ergo in nubibus æquabitur Domino, aut quis similis erit Domino inter filios Dei? Ecce illustris doctor prædicat Dominum nostrum nativitate esse filium, non adoptione, dicens: *Ille natus, nos adoptati; ille ab æterno filius genitus per naturam, nos a tempore facti per gratiam.* Quia proculdubio qui nascitur, non adoptatur ei de quo natus est; & qui adoptatur, non de illo nascitur a quo adoptatus est; sed nisi natus, adoptari non potest. Natus enim de altero, adoptatur de altero. Dominus autem noster, quia non est natus de altero patre, non adoptatur a Deo patre. Quia vero nascitur ex Deo patre, nec cum homo sit, adoptatur a Patre; quia in assumtione carnis non fit alter; sed is qui erat Deus, efficitur homo, Deus natus sine initio propter se, homo natus a certo initio propter nos, unus & unicus, proprius & verus. Nec propterea, quia particeps fieri dignatus est substantiæ & mortalitatis nostræ, particeps etiam factus credendus est & conditionis; cum nos, ut supra jam dictum est, conditione nascamur, ille misericordia, nos debito moriamur, ille potestate; nos illius potestate de filiis iræ efficiamur filii Dei, ille numquam talibus obnoxius, nihil aliud esse possit, nisi filius proprius & verus æterna nativitate. Propter quod etiam cum ipsa assumta humanitate unus est verus Deus cum Patre, non posterior, non minor Patre, aut Spiritu sancto, non differens majestate, non impar potestate, non discrepans operatione. Sancta enim hæc Trinitas, discreta personis, non separabilis, unum sunt. Unus est, non in una essentia, sed una essentia, una substantia, uno nomine, una natura, vivens & regnans, sine recordatione præteritorum, sine exspectatione futurorum, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

AD EUMDEM IMPERATOREM,

De insolentia Judæorum.

I. CHristianissimo, & vere piissimo, & in Christo victori ac triumphatori Hludovvico Imperatori felicissimo, semper Augusto, Agobardus abjectissimus omnium servorum vestrorum. Cum Deus omnipotens, qui vos ante tempora præscivit & præordinavit rectorem pium futurum temporibus valde necessariis, sublimaverit prudentiam vestram & studium religionis supra ceteros vestri temporis mortales; dubium non est præparatum vos ad remedium temporibus periculosis, de quibus Apostolus loquitur: *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati*, & cetera, *& habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes;* de quibus nihil est exspectandum quod jam non videatur, nisi solutio satanæ, & publica calcatio sanctæ civitatis mensibus quadraginta duobus, quæ futura est per caput omnium iniquorum Antichristum. Cum hæc igitur ita se habeant, obsecro tranquillissimam longanimitatem vestram, ut præbeatis patientissimam aurem vestram verbis quibus ego infimus servorum vestrorum nimis necessarium puto admonendam sanctissimam sollicitudinem vestram de re tam necessaria, quæ aut sola, aut præcipua est, cui præ ceteris succurrere debeat gubernatio vestra; cujus narrationem si prosequi potuissem tacitis nominibus auctorum, vellem omnino. Sed quia fieri non potest, committo me bonitati & patientiæ vestræ, dando me periculis, & innotescens vobis quæ tacere perniciosum est.

II. Venerunt [1] Gerricus & Fredericus, quos præcurrit Eurardus, Missi quidem vestri non tamen per omnia vestra agentes, sed ex parte alterius; & ostenderunt se Christianis terribiles, & Judæis mites, maxime Lugduni, ubi partem persecutionis adversus Ecclesiam depinxerunt, quam multis gemitibus, suspiriis, & lacrymis stimulaverunt. Quæ persecutio, quia præcipue adversum me acta est, tota a me prodenda non est; nisi forte clementissima sollicitudo vestra scire voluerit. Tamen in quantum Ecclesiæ Christi noxia est, si vestra patitur mansuetudo, breviter intimare exordiar. Venientes itaque primum Judæi, dederunt mihi [2] Indiculum ex nomine vestro, & alterum ei qui pagum Lugdunensem vice comitis regit, præcipientem illi, ut auxilium ferret Judæis adversum me. Quos Indiculos, licet ex sacro nomine vestro recitarentur, & vestro anulo essent signati, nullatenus tamen credidimus ex judicio vestro tales prodisse. Cœperunt autem efferri quadam odibili insolentia Judæi, comminantes omnibus injuriis nos afficiendos per Missos quos adepti fuerant ad exsolvendam vindictam de Christianis. Post eos venit Eurardus, eadem iterans, & dicens majestatem vestram commotam esse valde adversum me propter Judæos. Deinde venerunt & prædicti Missi, habentes in manibus [3] tractoriam stipendialem, & [4] capitularia sanctionum, quæ non putamus vestra jussione exsistere talia. His caussis lætificati sunt Judæi ultra modum, & contristati Christiani, non solum illi qui fugerunt, aut qui absconditi sunt, vel qui districti, sed & ceteri qui viderunt, vel audierunt; maxime ideo, quia sententia Judæorum ita confirmata est, ut auderent irreverenter prædicare Christianis quid potius credendum esset ac tenendum; blasphemantes coram eis Dominum Deum ac Salvatorem nostrum Jesum Christum.

III. Roboratur quoque hæc perversitas ex verbis Missorum, quibus susurrabant quorumdam auribus, dicentes, quod Judæi non abominabiles, ut plerique putant, sed cari essent in oculis vestris, & hominibus eorum dicentibus ex parte meliores eos habitos quam Christianos. Et ego quidem indignus servus vester non eram Lugduni; sed aberam longe, caussa Nantuadensium monachorum, qui quadam dissimultate inter se laborabant. Tamen direxi

1. Is anno 813. ab Aquitania a Ludovico in Germaniam ad Carolum missus dicitur in vita Ludovici Pii.
2. Diploma principis in præsens datum.
3. Epistolam vi cujus suscipiebantur, & pensitationem accipiebant.
4. Instructiones Missis vel Legatis datæ.

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 810.

Missos nostros, & litterulas ad illos, ut præciperent quidquid vellent, aut eis injunctum esset, & nos obediremus. Sed nihil veniæ adepti sumus; ita ut etiam aliqui ex sacerdotibus nostris, quibus nominatim minabantur, non auderent præsentiam suam eis exhibere. Hæc passi sumus a fautoribus Judæorum, non ob aliud, nisi quia prædicavimus Christianis, ut mancipia eis Christiana non venderent, ut ipsos Judæos Christianos vendere ad Hispanias non permitterent, nec mercenarios domesticos habere, ne feminæ Christianæ cum eis sabbatizarent, & ne diebus Dominicis operarentur, ne diebus Quadragesimæ cum eis pranderent, & mercenarii eorum iisdem diebus carnes manducarent, ne quilibet Christianus carnes a Judæis immolatas & deglubatas emeret, & aliis Christianis venderet, ne vinum illorum biberent, & alia hujusmodi. Est enim Judæorum usus, ut quando quolibet pecus ad esum mactant, ut subactum idem pecus tribus incisionibus non fuerit jugulatum; si apertis interaneis jecur læsum apparuerit, si pulmo lateri adhæserit, vel eum insufflatio penetraverit; si fel inventum non fuerit, & alia hujusmodi; hæc tamquam immunda a Judæis repudiata, Christianis venduntur, & insultario vocabulo Christiana pecora appellantur.

IV. De vino vero, quod & ipsi immundum fatentur, & non eo utuntur nisi ad vendendum Christianis, si contigerit ut in terram defluat quolibet loco licet sordido, festinantes hauriunt iterum de terra, & ad conservandum in vasa remittunt. Qualiter vero & alia improbanda circa illud agant, non solum de Christianis, sed & de Judæis multi sunt testes. Quod autem Dominum nostrum Jesum Christum & Christianos in omnibus orationibus suis sub Nazarenorum nomine cotidie maledicant, non solum beatus Hieronymus, qui se scribit novisse illos intrinsecus & in cute, testis est, sed & de ipsis Judæis plerique testantur. In hac re sumens exempli gratiam, dixi Christianis hoc modo: Si aliquis homo seniori suo vel domino fidelis & amator exsistat, & quempiam hominum senserit illi esse inimicum, detractorem, convitiatorem, & comminatorem, non vult ei esse amicus, nec socius mensæ, nec particeps ciborum. Quod si fuerit, & hoc senior ipsius vel dominus deprehenderit, nec fidedem sibi eum esse existimat. Et ideo cum proculdubio noverimus blasphematores & ut ita dicam, maledictores esse Judæos Domini Dei Christi & fidelium ejus Christianorum, non debemus eis conjungi participatione ciborum & potuum, juxta modum dumtaxat a sanctis Patribus & exemplis datum & verbis præceptum. Ceterum, quia inter nos vivunt, & maligni eis esse non debemus, nec vitæ aut sanitati vel divitiis eorum contrarii; observemus modum ab Ecclesia ordinatum, non utique obscurum, sed manifeste expositum, qualiter erga eos cauti vel humani esse debeamus.

V. Hæc, piissime domine, de multis pauca dixi de perfidia Judæorum, de ammonitione nostra, de læsione Christianitatis, quæ fit per fautores Judæorum, nesciens utrum pervenire possit ad vestram notitiam. Tamen summopere necesse est ut sciat piissima sollicitudo vestra, quomodo nocetur fides Christiana a Judæis in aliquibus. Dum enim glo- A riantur, mentientes simplicibus Christianis, quod cari sint vobis propter Patriarchas; quod honorabiliter ingrediantur in conspectu vestro, & egrediantur; quod excellentissimæ personæ cupiant eorum orationes & benedictiones, & fateantur talem se legis auctorem habere velle, qualem ipsi habent; dum dicunt consiliatores vestros commotos adversum nos eorum caussa, eo quod prohibeamus Christianos vinum eorum bibere; dum hoc adfirmare nitentes, plurimas argenti libras ob emtionem vini se ab eis accepisse jactant; & decursis canonibus non inveniri quare Christiani debeant abstinere a cibis eorum & potibus; dum ostendunt Præcepta ex nomine vestro, aureis sigillis signata, B & continentia verba, ut putamus, non vera; dum ostendunt vestes muliebres, quasi a consanguineis vestris vel matronis Palatinorum uxoribus eorum directas; dum exponunt gloriam parentum suorum; dum eis contra legem permittitur novas synagogas exstruere; ad hoc pervenitur, ut dicant imperiti Christiani, melius eis prædicare Judæos quam presbyteros nostros; maxime cum & supradicti Missi, ne sabbatismus eorum impediretur, mercata, quæ in sabbatis solebant fieri, transmutari præceperint, & quibus diebus deinceps frequentari debeant, in illorum opinione posuerint, dicentes hoc Christianorum utilitati propter diei Dominici vacationem congruere; cum Judæis magis probetur inutile: quia C & hi qui prope sunt, sabbato ementes victus necessaria, liberius die Dominico Missarum solemnitatibus & prædicationibus vacant; & si qui de longe veniunt, ex occasione mercati tam vespertinis quam matutinis occurrentes officiis, Missarum solemnitate peracta, cum ædificatione revertuntur ad propria. Nunc igitur, si placet benignissimæ mansuetudini vestræ audire, dicamus quid Ecclesiæ Galliarum, & rectores earum, tam reges, quam episcopi, de discretione utriusque religionis, Ecclesiasticæ videlicet, & Judaicæ, tenuerint, tenendumque tradiderint, & scriptum posteris reliquerint, & quomodo consonum sit auctoritati vel actibus apostolicis, & a veteri testamento originem tra- D hens. Ex quibus demonstratur quam detestabiles habendi sint inimici veritatis, & quomodo pejores sint omnibus incredulis, scripturis divinis hoc docentibus, & quam indigniora omnibus infidelibus de Deo sentiant, & rebus cælestibus. Quæ omnia cum confratribus contulimus, & amplissimæ Eccellentiæ vestræ præsentanda direximus.

VI. Et cum præcedens schedula dictata fuisset, supervenit quidam homo fugiens ab Hispaniis de Cordoba, qui se dicebat furatum fuisse a quodam Judæo Lugduno ante annos viginti quatuor, parvum adhuc puerum, & venditum, fugisse autem anno præsenti cum alio qui similiter furatus fuerat E Arelate ab alio Judæo ante annos sex. Cumque hujus, qui Lugdunensis fuerat, notos quæreremus, & inveniremus, dictum est a quibusdam & alios ab eodem Judæo furatos, alios vero emtos, ac venditos; ab alio quoque Judæo anno præsenti alium puerum furatum & venditum: qua hora inventum est plures Christianos a Christianis vendi, & comparari a Judæis, perpetrarique ab eis multa infanda quæ turpia sunt ad scribendum.

E P I S T O L A

AGOBARDI, [1] BERNARDI, & [2] EAOF

EPISCOPORUM,

AD EUMDEM IMPERATOREM,

De Judaicis superstitionibus.

I. CHristianissimo & gloriosissimo Domino nostro Hludovvico Imperatori perpetuo Augusto, Agobardus, Bernardus, & Eaor, indigni episcopi, supplices servuli vestri. Sicut in præmissa schedula in brevi significatum est, insolentia & importunitate Judæorum in quorumdam simplicium Christianorum pectoribus tranquillitas fidei propulsata compulit nos mansuetissimæ ac prudentissimæ sollicitudini vestræ scribere de cautela Christianorum, qualis esse debeat erga Judaicam perfidiam, & superstitiones, atque innumerabiles errores, in quantum extremitas nostra invenire potuit ex usu & institutione priorum Gallicanarum Ecclesiarum rectorum. Et quidem si, sicut nunc multa necessitas poscit, ausi essemus aut valuissemus auribus vestris ingerere damna animarum, quæ per vasa diaboli, mentes videlicet Judæorum, fidelibus inferuntur, adhiberi omnino juberet pietas vestra remedium. Nunc autem (quia periculosissimum nobis est dicere & innotescere, quod sicut tempore passionis suæ Dominus noster Jesus Christus pacificaturus omnia per sanguinem crucis suæ, venditus est a falso discipulo, & comparatus a veris persecutoribus ad illudendum & crucifigendum, ita nunc comparetur ab impiis Judæis quodam modo ad vituperandum licentius & blasphemandum) scribimus tantum pauca de exemplis & statutis Patrum, ac deinde de Actis apostolicis, sive de Evangeliis & veteris testamenti Scripturis, ad confirmandam piam gubernationis vigilantiam bonorum Pastorum.

II. Beatus confessor Hilarius (de quo sanctus Hieronymus ita loquitur in epistola ad Lætam de instructione dicens: *Cypriani opuscula semper in manu teneat. Athanasii epistolas & Hilarii libros inoffenso currat pede. Illorum tractatibus, illorum delectetur ingeniis, in quorum libris pietas fidei non vacillat. Ceteros sic legat, ut magis judicet, quam sequatur:*) qua cautela Judæorum semper & hæreticorum devitaverit profana consortia, vita ejus scripta fatetur; quod ita scilicet hujusmodi hostes Ecclesiæ fuerit exsecratus, ut non solum convivium, sed ne salutatio quidem ei exstiterit cum his prætereunti communis. De sancto quoque Ambrosio vitæ ejus sacra narrat historia, quod & heic inserere dignum est, & Christianis mentibus scire religiosum: „ In partibus, *inquit*, Orientis in quodam castello a Christianis viris synagoga Judæorum & Lucus Valentinianorum incendio concremata sunt, propterea quod Judæi vel Valentiniani insultarent monachis Christianis. Valentinianorum enim hæreses triginta deos colunt. Sed de hujusmodi facto Comes Orientis ad Imperatorem relationem direxit, quia Imperator præceperat ut synagoga ab episcopo ædificaretur. Sed hujus præcepti tenor cum ad aures pervenisset venerabilis viri Ambrosii episcopi, direxit ad A Imperatorem epistolam, (quia ipse in tempore excurrere non poterat) qua illum commonet, ut id quod ab eodem statutum fuerat revocaretur, servarique sibi deberi ab eo audientiam: qui si dignus non esset qui ab eo audiretur, dignus etiam non esset qui pro illo audiretur, vel cui preces suas aut cui sua vota committeret. Paratum etiam se esse pro tali negotio mortem subire, ne dissimulatione sui prævaricatorem faceret Imperatorem, qui tam injusta contra Ecclesiam præcepisset. Postea vero cum Mediolanum revertitur, posito Imperatore in Ecclesia, de eadem caussa tractavit in populo: [3] in quo Tractatu introduxit Domini personam loquentis, Ego te ex ultimo B Imperatorem feci, ego tibi exercitum inimici tui tradidi, ego copias quas ille adversum te exercitui suo præparaverat dedi, ego inimicum tuum in potestatem tuam redegi, ego de semine tuo supra solium regni constitui, ego te triumphare sine labore feci; & tu de me inimicis meis donas triumphos? Cui descendenti exedra Imperator ait: Contra nos proposuisti hodie, episcope. At ille respondens, ait, non se contra ipsum, sed pro ipso fuisse locutum. Tunc Imperator: Revera, inquit, dura præceperam contra episcopum de synagoga reparanda. In monachos vero vindicandum esse a comitibus, qui in tempore aderant, dicebatur. Quibus episcopus: C Ego quidem cum Imperatore nunc ago. Vobiscum vero mihi aliter agendum. Atque ita obtinuit, ut illa quæ statuta fuerant, revocarentur. Nec prius ad altare accedere voluit, nisi fide sua Imperator illum agere debere testaretur. Cui episcopus: Ergo ago fide tua. Respondit Imperator: Age fide mea. Qua sponsione iterata, jam securus peregit sacerdos divina mysteria. „ Ecce duæ maximæ Ecclesiarum Dei columnæ, Hilarius videlicet, & Ambrosius. Alter ex his suo nos docet exemplo non a cibis solummodo, verum etiam a salutatione Judæorum, quæ ab omnibus in invicem communiter exhibetur, diligentius abstinere debere. Alter vero, pro eo quod exusta a Christia- D nis synagoga Judæorum, labore episcopi ab Imperatore jussa fuerat restaurari, morti se offerre non dubitat, & (quod leve forsitan putaretur, si hodie contingeret) vir sanctus in tantum exhorruit, & abominatus est, ut mortem pro tali negotio susceptam martyrii loco non dubitaret sibi esse cessuram. Prævaricatorem etiam indicavit tam injusta contra Ecclesiam præcipientem; & nisi sibi locum audientiæ reservasset, solitam pro eo intercessionem [4] se intermissurum testatus est. Quid heic igitur vir Dei credendus est fuisse facturus, si vidisset suo tempore Judæorum infidelium caussa canonica statuta conveli?

III. Nec sanctissimus Cyprianus, & homo Dei

1. Viennensis Archiep. ad quem sunt litteræ Paschalis I. & Eugenii II.
2. *Al.* Eaor, & forte is est qui Faova episcopus Cabilon. anno 834. subscripsit privilegio Aldrici.
3. Sozom. Hist. Tripart. lib. VII. c. VIII. & lib. IX. c. XXX.
4. Commemorationem inter sacra mysteria.

Athanasius, minore illos odio abominantur. Quin potius, sicut eorum litteræ testes sunt, infidelitatis eorum obstinatissimam impietatem supra omnem Gentilium exsecrantur errorem. Quorum religiosissimam fidem, & Christo deditam devotionem, omnes ecclesiarum Gallicanarum reverentissimi gubernatores secuti, totam Judæorum ex integro pollutissimam societatem fugiendam penitus Christianis omnibus esse sanxerunt: quorum nos de hac re sententias ponere, & ex his quam sit exsecrabile ipsorum consortium decrevimus e vestigio demonstrare.

IV. Alchimus Avitus Ecclesiæ Viennensis episcopus, quam eximius doctor orthodoxus & facundus exstiterit, pene tota novit Ecclesia Christi. Sanctus Apollinaris episcopus Ecclesiæ Valentinæ, quantus fuerit & sit, non solum gesta de eo scripta, sed & crebra ejus miracula usque hodie sublimiter testantur. Sanctus Gregorius Lingonicæ Ecclesiæ episcopus, quantæ sanctitatis & veritatis fuerit, vita ejus scripta, & finis vitæ atque honor ei ab Ecclesia delatus, usque hodie testes sunt. Viventiolus Ecclesiæ Lugdunensis episcopus, cujus doctrinæ fuerit, non solum ipsa, sed & aliorum de eo scripta testantur. Hi ergo cum aliis viginti [1] reverentissimis episcopis in nomine Domini congregati pro defensione & statu Ecclesiæ, de re superius memorata inter cetera statuerunt: „ [2] Si superioris loci clericus hæretici cujuscumque convivio interfuerit, anni spacio pacem non habeat: quod juniores clerici si præsumserint, vapulabunt. A Judæorum vero conviviis etiam laicos constitutio nostra prohibuit; nec cum ullo clerico nostro panem comedet, quisquis Judæorum convivio fuerit inquinatus. *Et in conclusione statutorum suorum, confisi de præsentia Domini, sicut ipse ait:* „ Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum ego in medio eorum; *ita sanxerunt:* Quocirca hæc quæ superna inspiratione communi consensu placuerunt, si quis sanctorum antistitum, qui statuta præsentia subscriptionibus propriis firmaverunt, necnon & quos eorum Deus esse voluerit successores, relecta integritate observationis excesserit, reum se divinitatis pariter & fraternitatis judicio futurum esse cognoscat. „

V. Sanctus Cæsarius Ecclesiæ Arelatensis episcopus, cujus meriti & doctrinæ fuerit, multa ejus præclara monimenta designant. Hic cum triginta quinque episcopis & vicariis episcoporum congregatis in unum in nomine Domini, pro defensione & confirmatione catholicæ veritatis, inter cetera statuit ita: „ [3] Omnes deinceps clerici, sive laici, Judæorum convivia evitent, & nec eos ad convivium quis accipiat: quia cum apud Christianos cibis communibus non utantur, indignum est atque sacrilegum eorum cibos a Christianis sumi, cum ea quæ Apostolo permittente nos sumimus, ab illis judicentur immunda; ac sic inferiores incipiant esse catholici, quam Judæi, si nos his quæ ab illis apponuntur utamur, illi vero a nobis oblata contemnant. „

VI. Priscus Ecclesiæ Lugdunensis episcopus, Artemius Senonicæ, Remedius Beturicæ, & sanctus Siagrius Æduorum episcopus, cum ceteris pluribus, A statuta ecclesiastica renovantes, ita definierunt: „ [4] Ne Judæi Christianis populis judices deputentur, aut telonarii esse permittantur, per quod illis (quod Deus avertat) Christiani videantur esse subjecti. Ut Judæis a cœna Domini usque prima pascha, secundum edictum bonæ recordationis domni Childeberti regis, per plateas aut forum quasi insultationis caussa deambulandi licentia denegetur, & ut reverentiam cunctis sacerdotibus Domini vel clericis impendant, nec ante sacerdotes consessum nisi ordinati habere præsumant. Quod si facere fortasse præsumserint; a judicibus locorum, prout persona fuerit, distringantur. Et ut nullus Christianus Judæorum B conviviis participare præsumat. Quod si facere quicumque, quod nefas est dici, clericus aut sæcularis præsumserit, ab omnium Christianorum consortio se noverit coercendum, quisquis eorum impietatibus fuerit inquinatus. Et licet quid de Christianis qui aut captivitatis incursu, aut quibuscumque fraudibus, Judæorum servitio implicantur, debeat observari, non solum canonicis, sed & legum beneficiis jampridem fuerit constitutum: tamen quia nunc ita quorumdam querela exorta est, quosdam Judæos per civitates aut municipia consistentes in tantam insolentiam & proterviam prorupisse, ut nec reclamantes Chri- C stianos liceat ad precium de eorum posse servitute absolvi; idcirco præsenti Concilio, Deo auctore, sancimus, ut nullus Christianus Judæo deinceps debeat deservire; sed datis pro quolibet bono mancipio XII. solidis, ipsum mancipium quicumque Christianus, seu ad ingenuitatem, seu ad servitium, licentiam habeat redimendi. Quia nefas est, ut quos Christus Dominus sanguinis sui effusione redemit, persecutorum vinculis permaneant irretiti. Quod si adquiescere his quæ statuimus quicumque Judæus noluerit; quamdiu ad pecuniam constitutam venire distuleris, liceat mancipio ipsi cum Christianis ubicumque voluerit habitare. Illud etiam specialiter san- D cientes, quod si quis Judæus Christianum mancipium ad errorem Judaicum convictus fuerit persuasisse, & ipso mancipio careat, & legali damnatione plectatur. „

VII. Sanctus Lupus cum aliis viginti & quatuor episcopis, vel vicariis episcoporum, similiter in nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis pro caussis corporis ejus, quod est Ecclesia, inter multa hæc etiam statuit: [5] *Quia Deo propicio sub catholicorum regum dominatione consistimus, a die cœnæ Domini usque in secunda sabbati in pascha, hoc est, ipso quatriduo, procedere inter Christianos, ne-* E *que catholicis populis se ullo loco, vel quacumque occasione miscere præsumant.*

VIII. In Concilio Laodiceno statutum est, [6] *quod non oporteat a Judæis, vel hæreticis, ea quæ mittuntur munera festiva suscipere, nec cum eis festa celebrare, & quod non oporteat azymam a Judæis accipere, & communicare impietatibus eorum.* Et in alio Concilio: [7] *Ut si quis Judaicæ pravitati jugali societate conjungitur, id est, sive Christiano Judæa, sive Judæo Christiana mulier carnali consortio misceatur; quicumque horum tantum nefas admisisse noscuntur, a Christiano cœtu neque*

1. Universim XXV. numerantur episcopi hujus Synod. Epaon. anno 517.
2. Synod. Epaon. cap. XV.
3. Concil. Agath. cap. XL. anno 506.
4. Concil. I. Matisc. cap. XIII. & seqq. ann. 581.
5. Concil. III. Aurelian. cap. XXX.
6. Concil. Laodic. capp. XXXVII. XXXVIII.
7. Concil. I. Aurelian. cap. XIX. & Arvern. I. cap. VI.

convivio & a communione Ecclesiæ protinus segregentur.

IX. Et quia ecclesiastica statuta per apostolica acta firmanda sunt, & nova per vetera; videamus quid de beato Joanne, quem diligebat Jesus plurimum, Apostolo & Evangelista, antiquissimus & apostolicus doctor ac martyr Christi & Ecclesiæ Lugdunensis episcopus Irenæus dicat. Ait ergo: „ [1] *Et* „ Polycarpus vero, non solum apostolorum in con„ discipulatu eruditus, & conversatus cum multis „ qui Dominum viderunt, sed & ab Apostolis col„ locatus Asiæ apud Smyrnensium Ecclesiam epi„ scopus, quem & nos vidimus in prima nostra „ ætate, (diu etenim mansit, & valde senectute „ præ ceteris longævus gloriose & luculenter testa„ tus obiit vita) hæc docuit semper quæ ab Apo„ stolis didicit, quæ & Ecclesiæ tradidit, quæ & „ sola sunt vera; & sunt qui audierint eum quod „ Joannes Domini discipulus ad Ephesum dum per„ geret lavatum, ut vidit intus Cerinthum, exsi„ livit a balneo non lotus, dicens quia timeret ne „ balneum corrueret, posito intus Cerintho verita„ tis inimico. Et ipse vero Polycarpus Marcioni „ quondam in faciem ipsi venienti, & dicenti, „ Cognosce nos, ei respondit, Cognosco, cogno„ sco primitivum satanæ. Tantum Apostoli & di„ scipuli eorum habuere reverentiam, ut ne verbo „ quidem communicarent cuiquam incaraxanti ve„ ritatem. „ Ad hæc si forte aliquis dicit Cerinthum hæreticum fuisse, non Judæum; noverit temporibus Apostolorum non fuisse hæreticos, nisi ex Judæis & Samaritanis. Sicut fuerunt Simon & Menander, Hebion & Nicolaus. Sed ex erroribus supradicti Cerinthi cognoscat, quod omnia sint Judaica quæ astruebat. [2] Prædicabat Dominum nostrum Jesum Christum purum fuisse hominem, nec resurrexisse, & circumcidi oportere. Post resurrectionem dicebat terrenum futurum esse regnum Christi in Hierusalem, & homines in carne iterum concupiscentiis & vitiis subjectam conversationem habituros ad legales festivitates rursum celebrandas, & hostias carnales iterum jugulandas. Sed & ex suprascriptis statutis advertat multo detestabilius exsecranda & vitanda consortia Judæorum, quam ceterorum hæreticorum. Quia si omnes propterea detestandi sunt, quoniam inimici veritatis exsistunt; multo illi magis, qui majores exercent inimicitias. Re etenim [3] vera proprium est hæreticorum in aliquibus communiter sentire cum Ecclesia, in aliquibus dissentire ab ea, hoc est, ex parte blasphemare, ex parte veritati consonare; Judæorum autem ex toto mentiri, ex toto blasphemare Dominum & Deum nostrum Jesum Christum & Ecclesiam ejus, & nihil de eo verum credere nisi mortem: quamquam nec in eo verum credant, eo quod mortem ejus ceterorum hominum mortibus similem dicant, hoc est, ex necessitate naturæ, non ex voluntate misericordiæ. Propter hoc maledicere eos Dominum & corpus ejus in omnibus orationibus suis; sicut & ante prophetatum est voce Domini dicentis ad Patrem: *Maledicent illi, & tu benedices.* Si ergo hostes catholicæ fidei propterea exsecrandi sunt & cavendi, quia inimici sunt veritatis; super omnes infideles, incredulos, vel hæreticos, detestandi sunt Judæi, quia nullum genus hominum invenitur cui ita libeat maledicere Dominum. Quod nobis non

A minime notum est, qui coditie pene cum eis loquentes, mysteria erroris ipsorum audimus.

X. Dicunt denique Deum suum esse corporeum, & corporeis liniamentis per membra distinctum, & alia quidem parte illum audire ut nos, alia videre, alia vero loqui, vel aliud quid agere; ac per hoc humanum corpus ad imaginem Dei factum, excepto quod ille digitos manuum habeat inflexibiles ac rigentes, utpote qui nil manibus operetur. Sedere autem more terreni alicujus regis in solio, quod a quatuor circumferatur bestiis, & magno quamvis palatio contineri. Cogitare etiam illum multa superflua & vana; quæ quia ad effectum cun-
B cta venire nequeant, vertantur in dæmones. Sed & innumera infanda de Deo, ut diximus, suo prædicant, ac tale colunt simulacrum, quod ipsi sibi in cordium suorum simulacra finxerunt & statuerunt, non verum, inconvertibilem, atque immutabilem Deum, quem penitus ignorant. Litteras quoque alphabeti sui credunt exsistere sempiternas, & ante mundi principium impetrasse diversa ministeria, quibus eas oporteat in sæculo præsidere. Legem vero Mosaicam multis annorum curriculis ante mundum fuisse scriptam. Nec non adfirmant plures esse terras, plura inferna, pluresque cælos: quorum unum, quod ipsi vocant [4] Racha, id est, Firmamentum, molas Dei sustentare asserunt, quibus
C manna sumendum angelis molatur in escam. Alterum vero appellant Araboth, in quo Dominum astruunt residere, & hoc esse in Psalmo secundum illos: [a] *Iter facite ei qui caballicat super Araboth.* Habere Deum propterea septem tubas, quarum una mille ei cubitis metiatur. Et quid plura? Nulla veteris Testamenti pagina, nulla sententia est, de qua vel a majoribus suis non habeant conficta & conscripta mendacia, vel ipsi usque hodie nova semper superstitione confingant, & interrogati respondere præsumant. Nam & in doctrinis majorum suorum legunt, Jesum juvenem quemdam fuisse apud eos honorabilem, & magisterio baptistæ Joannis eruditum, quamplures habuisse discipulos, quorum uni
D propter duritiam & hebitudinem sensus, Kephæ id est Petræ nomen imposuerit. Et cum exspectaretur a populo ad diem festum, quosdam ei de schola sua pueros occurrisse, qui illi ex honore & reverentia magistri cantaverint, *Osanna filio David.* Ad extremum vero, propter plura mendacia accusatum, Tiberii judicio in carcerem retrusum, eo quod filia ipsius (cui, sine viro, masculi partum promiserat) lapidis conceptum intulerit. Inde etiam, veluti magum detestabilem, furca suspensum; ubi & petra in capite percussum; atque hoc modo occisum, juxta quemdam aquæductum sepultum, & Judæo cuidam ad custodiam commendatum; noctu vero subita aquæductum inundatione sublatum, Pi-
E lati jussu per duodecim lunas quæsitum, nec usque inventum. Tunc Pilatum hujusmodi ad eos promulgasse legem: *Manifestum est*, inquit, *resurrexisse illum sicut promiserat, qui & a vobis per invidiam peremtus est, & neque in tumulo, neque in ullo alio invenitur loco. Et ob hanc caussam præcipio ut adoretis eum. Quod qui facere noluerit, partem suam in inferno futuram esse cognoscat.* Hæc autem omnia ideo & seniores eorum confinxerunt, & ipsi stulta obstinatione lectitant, ut talibus commentis tota & virtutis & passionis Christi veritas evacuetur, & ut


a Psalm. LXVII. 5.

1. Apud Euseb. lib. IV. cap. XIV. Hist. Eccles. Vide Baronium ad an. 74.

2. Vide Epiphan. lib. I. tom. II. Hæres. XXVIII. & Iren. lib. I. cap. XXV.

3. August. in Matth. lib. I. cap. XI.

4. רקיע *Rakiah*, firmamentum.



adoratio non ei ut Deo veraciter exhiberi debeat, sed Pilati tantum lege illi delata sit. Sed & Petrum nequaquam per angelum, secundum fidem nostram, de carcere eductum, sed Herodis misericordia, apud quem plurimum ejus sapientia fuerit conlaudata. Denique & Christianos idola afferunt adorare, & virtutes quæ apud nos sanctorum intercessionibus obtinentur, a diabolo fieri dicere non exhorrescunt. Pro quibus omnibus summo eos odio dignissimos esse quis ambigat? sicuti & odiendos illos demonstrat scriptura, quæ dicit juxta Hebraicam videlicet veritatem: [a] *Qui contradicunt tibi, scelerate elati sunt frustra adversarii tui*. [b] *Nonne & odientes te, Domine, odivi? Et contra adversarios tuos distabui? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi*. Quo zelo Dei fervens beatus Hieronymus in quodam loco sic de ipsis ait: „ Si „ expedit odisse homines & gentem aliquam detestari, miro odio aversor Concisionem. Usque hodie enim persequuntur Dominum nostrum Jesum „ Christum in synagogis satanæ. *Itemque alibi*: „ [1] Quantæ, *inquit*, traditiones Pharisæorum, quas „ hodie deuteroseis vocant, & quam aniles sint fabulæ, revolvere nequeo. Pleraque tam turpia „ sunt, ut erubescam dicere. Dicam autem unum „ in ignominia gentis inimicæ. Præpositos habent „ synagogis sapientissimos, quosque fœdo operi delegatos, ut sanguinem virginis sive menstruatæ, „ mundum vel immundum, si oculis discernere non „ potuerint, gustu probent. Præterea, quibus jussum est ut diebus sabbatorum sedeat unusquisque „ in domo sua, & non egrediatur, nec ambulet „ de loco in quo habitat; si quando ea juxta litteram cœperimus arctare ut non ambulent, non „ jaceant, non stent, sed tantum sedeant, si velint præcepta servare; solent respondere & dicere, Rab Achibas & Simeon & Hillel magistri „ nostri tradiderunt nobis ut duo millia pedes ambulemus in sabbato, & cetera hujusmodi, doctrinas hominum præferentes doctrinæ Dei. „

XI. Cum igitur tot tantisque immundiciis & sensuum & operum polluantur, impletur prorsus in eis sermo Aggæi prophetæ, quo præcipiente sibi Domino ita interrogat sacerdotes: [c] *Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his*, panem videlicet, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum, *numquid contaminabitur? Et responderunt sacerdotes, & dixerunt: Contaminabitur. Et respondit Aggæus & dixit: Sic populus iste, & sic gens ista ante faciem meam, dicit Dominus, & sic omne opus manuum eorum*. Quod autem horum omnium caussa inter carnales Israelitas & spiritales Judæos necessario divisionem fieri oportet, mystice Dominus per Zachariam prophetam designat dicens: [d] *Et præcidi virgam meam secundam, quæ appellatur funiculus, ut dissolverem germanitatem inter Judam & Israel*. Nam, juxta Apostolum, quæ pars fideli cum infidele? quæ societas luci ad tenebras? quæ conventio Christi ad Belial? In quo advertendum est, quia sicut infideles sponte sequestrantur ab ecclesiastica communione, ut in nullis velint mysteriis participare fidelibus; ita & fideles devote separare se debent & convictu & societate infidelium; & si locis necdum valent, donec tempore ut & locis segregentur, sicut idem fideles, quod est Ecclesia, ad Deum clamant dicentes: *Judica me Deus, discerne caussam meam de gente non sancta*: quod tunc perfecte implebitur, quando fiet illud quod Joannes Baptista Dominum prædicit esse facturum, sic loquens: *Cujus ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum, paleas autem combures igni inexstinguibili*. Ante passionem enim suam Dominus nolens adhuc sumere panem filiorum de mensa, & mittere canibus, ajebat discipulis: *Non sum missus, nisi ad oves quæ perierant domus Israel*. Et mulieri Chananææ loquebatur: *Sine prius saturari filios*. Ac si diceret: Offeratur primum panis, qui de cælo descendit, filiis qui nutriendi sunt ad vitam; illisque assumtis, ceteri qui remanserint fastidiosi, cum dixerint: *Durus est hic sermo: Quis potest eum audire? Quomodo potest hic dare nobis carnem suam ad manducandum?* transeant ministri mensæ dominicæ ad canes esurientes, id est, Apostoli ad gentes, sicut beata Maria Dei genitrix repleta Spiritu sancto prædixerat: [e] *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes*. Et multo ante Anna genitrix Samuelis: *Repleti prius, pro panibus se locaverunt, & famelici saturati sunt*. Et inter has medius propheta Isaias ait: [f] *Ecce dominator Dominus exercituum auferet ab Hierusalem, & ab Juda omne robur panis*.

XII. Quod tali ordine cœpit impleri. Dixit primum Dominus prædicatoribus suis: *In vias gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis*. Ascensurus vero ad cælos ait: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ*. Ut scilicet prius a Judæa Apostolorum repulsa prædicatio, tunc nobis in adjutorium fieret, cum hanc illa ad damnationis suæ testimonium superbâ repulisset. Cumque hoc impleri cœpisset, & jam tempus advenisset ut implerentur prophetiæ de assumtione gentium & repulsione Judæorum, prædicantibus Paullo & Barnaba, & concurrentibus audire verbum Domini, sicut scriptum est in Actibus Apostolorum: „ Videntes turbas Judæi, repleti sunt „ zelo, & contradicebant his quæ a Paullo dicebantur, blasphemantes. Tunc constanter Paullus & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei. Sed quoniam repellitis „ illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, „ ecce convertimur ad gentes. Sic enim præcepit „ nobis Dominus: Posui te in lumen gentibus, ut „ sis in salutem usque ad extremum terræ. Audientes autem gentes, gavisæ sunt, & glorificabant verbum Domini; & crediderunt quotquot „ erant præordinati ad vitam æternam. Disseminabatur autem verbum Domini per universam regionem. Judæi autem concitaverunt mulieres religiosas & honestas, & primos civitatis, & excitaverunt persecutionem in Paullum & Barnabam, & ejecerunt eos de finibus suis. At illi „ excusso pulvere pedum in eos, venerunt Iconium. Discipuli quoque replebantur gaudio & „ Spiritu sancto. *Item in eodem libro*: Instabat, „ *inquit*, verbo Paullus, testificans Judæis esse Christum Jesum. Contradicentibus autem eis & blasphemantibus, excutiens vestimenta sua dixit ad „ eos: Sanguis vester super caput vestrum, mundus ego, ex hoc ad gentes vadam. Et migrans „ inde, intravit in domum cujusdam nomine Titi „ Justi. *Item ibi*: Ingressus autem synagogam Paullus, cum fiducia loquebatur per tres menses disputans, & suadens de regno Dei. Cum autem

a Psalm. LXXXII. 3. *b* Psalm. CXXXVIII. 21. 22. *c* Aggæi II. 14. *d* Zachar. XI. 14. *e* Luc. I. 53. *f* Isa. III. 1.

1. Hieron. epist. CLI. quæst. 10.

„ quidam indurarentur, & non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine, discedens ab eis, segregavit discipulos. „ In quibus verbis subtilissime pensandum est, quia sicut paullatim crescebat numerus fidelium ex gentibus, & duriores fiebant Judæi adversus verbum Domini, desinebantque credere, sic paullatim ostensa est & segregatio prædicatorum ab eis. Nam & vestimenta sua & pedum pulverem excusserunt in eos; adimplentes præceptum Domini, qui discipulos ad prædicandum mittens, ait: *Et quicumque non receperit vos, nec audierit sermones vestros; exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati.* Pulverem vero de pedibus jubentur excutere in testimonium laboris sui, quod ingressi sunt civitatem, & prædicatio apostolica ad illos usque pervenerit. Sive excutitur pulvis ut nihil ab eis accipiant, ne ad victum quidem necessarium, qui Evangelium spreverint. Sic enim a doctoribus exponitur excussio pulveris, non solum in Evangelio, ubi præcipitur, sed & in Actibus apostolorum, ubi perficitur.

XIII. Et inde est quod in primis quidem, quando segregati sunt in opus Paullus & Barnabas, per singulas civitates leguntur intrasse synagogas Judæorum, & sabbatis disputasse de regno Dei, id est, quando collectæ fiebant Judæorum. In secunda autem [1] circumcisione per singula iterum loca Paullus & Silas leguntur suscepti esse a fratribus, & mansisse apud fratres. Unde & ascendentibus Paullo & sociis ejus Hierusalem, ierunt cum eis aliqui ex discipulis a Cæsarea, deducentes secum, ut hospitarentur, Mnasonem quemdam Cyprium antiquum discipulum. Et cum venissent Hierosolymam, exceperunt eos fratres.

XIV. Atque istius regulæ districtionem servat ubique Vas electionis, & magister gentium Paullus: quod diligenti cuique lectori, vel auditori, facile est ex ipsis gestis ejus agnoscere. Denique & in Philippis cum prædicaret, nec in domum Lydiæ purpurariæ, licet colentis Deum, introisse legitur, aut mansisse, prius quam cum omni domo sua in Christum credens baptizaretur: nec in illius similiter domum qui custos erat carceris ingressus est, aut humanitatis ejus obsequiis usus est, donec etiam ipse credens Domino, cum omni domo sua baptizatus, dignus fieret tantum Apostolum habere convivam. Sed & cum venisset Tyrum, non nisi cum discipulis septem scribitur mansisse diebus. Similiter autem & apud Cæsaream in domo Philippi evangelistæ, cui quatuor erant filiæ virgines prophetantes, hospitio functus esse memoratur, ubi & per aliquantum temporis, cum custodia detineretur, sui illi tantummodo leguntur ministrasse. Apud Sidonem quoque humane tractatus a Julio Centurione, ad amicos tantummodo refertur isse, qui erant utique fideles, & sui curam egisse. Itemque cum venisset Puteolis, diebus septem apud fratres mansisse perhibetur. In ipsa autem Roma biennio in suo habitasse conductu. Sed & semper tam ipsi, quam his qui secum erant, necessaria quæque suis se fatetur manibus ministrare. Et cum apud alios prima verbi Dei jaceret fundamenta, ab Ecclesiis fidelium invenitur accepisse stipendia. Necessaria vero, quæ ipsi & suis a patre Publii ceterisque Mitilinensis insulæ cultoribus imposita narrantur, quis non videat nequaquam ab infidelibus, sed a fidelibus fuisse suscepta? Nam & patrem Publii salvavit; & tantas apud eamdem insulam infirmitatum curationes exercuit, ut dubium non sit plurimos ex loci illius incolis Christi fidei subjugatos, ac salutis suæ nuntium innumeris honoribus prosecutos. Et hæc quidem ab apostolo Paullo ita constat esse servata.


XV. Si quis vero & principis apostolorum Petri gesta consideret, videbit etiam ingressum ipsum aliquando ad Cornelium, & eos qui cum ipso aderant, non prius apud illos mansisse aut accepisse cibum, quam sancto Spiritu repleti, & in Christi nomine baptizati, fidelium digni fierent convictu & societate. Sed & apud Joppen, in domo fidelis cujusdam Simonis coriarii hospitatum, esurientem gustare voluisse, ubi & vas linteum plenum diversis animantibus cælitus delapsum vidit, facta ad se voce: *Quod Deus mundavit, tu ne commune dixeris.* Hoc autem per ter factum esse narratur, ut per fidem sanctæ Trinitatis, cunctarum gentium futura mundatio præsignaretur, sicuti jampridem Apostolis a Domino præceptum fuerat, ut euntes docerent omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Tales ergo jam erant & gentiles illi, credentes, baptizati & mundati; cum quibus, ne scandalizarentur hi qui ex circumcisione crediderant, illis absentibus edebat, præsentibus edere dissimulabat. Ubi & illud fideliter considerandum est, quod si talis ac tantus Apostolus, ne Judæos fideles scandalizaret, qui adhuc carnalibus legis observationibus utebantur, a gentilium fidelium se convivio subtrahebat, ne contra morem, scilicet Judæorum, videretur agere, cum gentibus convivando; quo studio Christiani nunc a convictu se debent subtrahere infidelium Judæorum, ne exemplo hujus inlicitæ communionis scandalizent socios & participes Christianæ religionis, talique facto vel Judaicis videantur superstitionibus favere, vel ecclesiastica convincantur statuta dissolvere?

XVI. Sed & in libris Clementis [2] Ecclesiæ Romanæ pontificis inveniuntur aliqua a supramemorato Apostolo de hujus rei observatione dicta, quæ in his inserere non incongruum existimavimus. Nam licet iidem libri judicentur apocryphi, pleraque tamen ex his testimonia inveniuntur a doctoribus usurpata. Introducit ergo Clemens, cum necdum esset baptismi gratia purificatus, & ob hoc a mensa Petri cum ceteris similibus sequestratus, eumdem Apostolum loquentem sibi his verbis: *Non pro superbia, o Clemens, convivium non ago cum his qui nondum purificati sunt. Sed vereor, ne forte mihi quidem noceam, ipsis autem nihil prosim.* Et paullo post: *Nemo ergo vestrum contristetur*, ait, *a convivio nostro separatus. Parvo enim tempore sequestratur qui cito voluerit baptizari, multo autem qui tardius. Et ideo in vobis est quando velitis ad nostram convenire mensam, & non in nobis, quibus permissum non est sumere cum aliquo cibum, nisi prius fuerit baptizatus.* Hæc de scriptis Clementis necessario a nobis prolata sint, volentibus evidenter ostendere ab Apostolis traditam hujus rei antiquissimam observationem. Vera enim & ista ducenda sunt, & eo maxime quo ab apostolicis actibus in nullo videntur discrepare.

1. Forte *circumitione*.

2. Clemens in fine libri II. Recognitionum.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 810.



XVII. An putandi sunt electi Christi Apostoli cum Judæis infidelibus communem habere voluisse mensam, aut potuisse cum eis gratum convivium ducere, de quibus magister gentium Paullus Thessalonicensibus ita loquitur: *Vos enim imitatores facti estis, fratres, Ecclesiarum Dei quæ sunt in Judæa in Christo Jesu; quia eadem passi estis & vos a contribulibus vestris, sicut & ipsi a Judæis, qui & Dominum occiderunt Jesum, & prophetas, & nos persecuti sunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus adversantur, prohibentes nos gentibus loqui ne salvæ fiant, ut impleant peccata sua semper, pervenit autem ira Dei super illos usque in finem.* Cum talibus ergo (quos occisores Jesu & prophetarum, persecutores Apostolorum, Deo non placentes, o- B mnibus hominibus adversantes, peccata sua semper implentes, & sub ira Dei usque in finem sæculi gementes, Vas electionis appellat) vel Apostoli credendi sunt commune habuisse convivium, vel fidelium quisque illud debet retinere consortium?

XVIII. Verum quoniam Ecclesiarum quæ in Judæa erant in Christo, id est, eorum qui ex Judæis crediderant, fecit Apostolus mentionem; videndum etiam de illis, utrum & ipsi hæc inter suos positi contribules observarent. Et facile hoc ex verbis sancti Lucæ possumus agnoscere; quibus ait: *Multitudinis autem credentium erat cor & anima una, nec quisquam horum aliquid suum dicebat, sed erant illis omnia communia.* C Et paullo post: *Quotquot*, inquit, *possessores domorum aut agrorum, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat.* Et post aliqua rursum ait: *Et erant omnes unanimiter in porticu Salomonis. Ceterorum autem nemo audebat se conjungere illis, sed magnificabat eos populus.* Neque igitur communem cum eis ducebant victum, cum quibus non habebant ne commune quidem habitationis consortium. Omnia vero quæ ipsis erant communia, non undecumque quæsita, sed ex sola fidelium fuerant conlatione & oblatione suscepta. Sed & in maxima necessitate famis quæ sub Claudio facta esse memoratur, D a Judæis quidem incredulis, inter quos morabantur, neque expetisse aliquid neque accepisse referuntur; ab his vero qui ex gentibus ad fidem Christi venerant, ne eos ministri, oblationes fidelium pertulerunt. Jam enim tempus instabat ut diceretur fidelibus omnibus, de omnibus inimicis fidei Christianæ: *Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, & Ave illi nolite dicere. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis.* Secundum quam sententiam, si is qui *Ave* illi dicit qui a doctrina apostolica exsistit alienus, communicat ab operibus ejus malignis; quanto amplius Judaicæ communicat malignitati, qui cum his commune etiam con- E vivium celebrat?

XIX. Et adhuc, ut ab inquinationibus hæreticorum vel Judæorum Christiani fierent cautiores, dicebatur immo & semper dicitur eis: *Carissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint; quoniam multi pseuprophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoscitur Spiritus Dei. Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est; & omnis spiritus qui solvit Jesum ex Deo non est; & hic est Antichristus.* Itemque ibi: *Quis enim est mendax, nisi is qui negat quoniam Jesus non est Christus? Hic est Antichristus,* A *qui negat Patrem & Filium. Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet; qui confitetur Filium, & Patrem habet.* Ex quibus verbis evidentissime declaratur non solum mendaces sed & Antichristos esse Judæos, qui cum negent Filium, frustra confitentur Patrem; non autem confitentes Filium, nec Patrem habere merentur; super omnia vero Jesum, qui ex Maria virgine ortus est, Christum esse negantes, Antichristi sibi & nomen pariter & eloquium vindicarunt. Nam quid aliud Antichristus dicturus est, nisi Jesum quidem non fuisse Christum, se autem esse quod ille veluti falso creditus fuerit? In hoc ergo solo blasphemiam Judæorum superat Antichristus, quod se præsumit nuncupare B Christum. In hoc autem Judæi nequitiam æquiparant Antichristi, quod Jesum negare audent fuisse Christum. In tantum igitur Antichristi, in quantum blasphemiæ ipsorum blasphemiis consonant Antichristi. Quis autem cum Antichristo mensam habeat communem, & Christo se asserat servare fidem? Aut quis non libenter eorum fugiat necessitatem, quos suum videat blasphemare Salvatorem? & quibus ipsum terribiliter audiat denuntiantem: *a Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida; quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere & in cilicio pœnitentiam egissent. Verumtamen dico vobis, Tyro & Sidoni remissius erit quam vobis in die judicii. Et tu* C *Capharnaum, numquid usque in cælum exaltaberis? usque in infernum descendes. Quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque ad hanc diem. Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicii, quam tibi.*

XX. Corozaim namque, & Bethsaida, & Capharnaum, urbes Galilææ, idcirco a Salvatore planguntur, quod post tanta signa, atque virtutes, non egerint pœnitentiam. Præferuntur autem eis Tyrus & Sidon, quod naturalem tantum legem calcaverint, istæ vero post transgressionem naturalis legis urbes idololatriæ & vitiis deditæ. Et præferuntur ideo, D quod Tyrus & Sidon & scriptæ, etiam signa quæ apud eas facta sunt, parvi duxerunt. Et quia revera, licet & non audire veritatem & auditam contemnere perniciosum sit, multo tamen & incomparabiliter pejus est auditam & cognitam contemnere, & contemtam persequi insuper, & blasphemare. Quod apertissime beatus Petrus ostendit, de talibus dicens: *Melius fuerat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post cognitionem retrorsum reflecti.* Hoc autem multo adhuc evidentius demonstratur verbis Domini per parabolam sic loquentis: *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non invenit. Tunc dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et* E *veniens invenit vacantem, scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus nequiores se, & intrantes habitant ibi, & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus: sic erit & generationi huic pessimæ.* Ex quo perspicuum est immundum idololatriæ spiritum de corde quondam populi Judaici, cum ei lex data est, recessisse, & ambulasse eum diu per loca arida, corda videlicet gentilium infructuosa, atque in his securam sibi voluisse facere mansionem. Sed & inde in adventu Christi, cunctis in eum credentibus nationibus, expulsum, ad pristinam domum reversum, quam invenit Deo quidem vacuam, carnalibus vero legis observationibus ornatam, a Pharisaicis traditionibus

a Matth. XI. 21. 23.



veluti mundatam. Et quia vidit eam sui habitatione dignissimam, septem alios nequiores se spiritus assumsit; & cum his intima ipsius penetrans, novissima ejus pejora fecit prioribus. Majori quippe nunc domus illa plebis Judaicæ dæmonum numero possidetur, blasphemans in synagogis suis Christum, quam in Ægypto possessa fuerat ante legis notitiam.


XXI. Frustra igitur fautores Judæorum, nos contristantes, & illos lætificantes, patriarcharum caussa honorandos eos putant, & Christianis dicere audent meliores; cum legamus] etiam Agarenos, qui nunc corrupto vocabulo Saracenij vocantur, Amalachitas quoque, & Madianitas, atque Afros, ex Abraham genus ducere, ideoque nec eos quisquam vel honorandos vel meliores Christianis debeat existimare. Non solum autem Judæi meliores nobis esse nequeunt, sed & his, quas supra enumeravimus, nationibus pejores inveniuntur: quia illæ quidem nec legem acceperunt, isti vero post datam sibi legem, post missos ad se prophetas, etiam Dei filium occiderunt. Si vero, juxta Apostolum, *non qui filii carnis, hi filii sunt Dei, sed qui filii promissionis, hi æstimantur in semine*; ergo Judæi, quantum a promisso Abrahæ semine, id est, Christo, exsistunt alieni, tantum & filiorum Dei gloria probantur indigni; nec Hierusalem cælestem matrem sortiti sunt, sed Hierusalem terrestris & Agar ancillæ, quæ in servitutem generat, filii remanserunt.

XXII. Sed quid dicit scriptura? *Ejice ancillam, & filium ejus. Non enim heres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* Expulsus ergo est de paterna domo Judaicus populus, atque ab hereditate filiorum Ecclesiæ, quæ per Christum libera effecta est, segregatus. Nam sicut Dominus ait, *servus non manet in domo in æternum, filius manet in æternum. Omnis autem qui facit peccatum, servus est peccati*; nec potest a jugo servitutis istius absolvi, nisi per Dei filium meruerit liberari. Judæi igitur (qui, dicente Domino: *Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis*, ipsi quidem non credunt, se autem semen Abrahæ esse & nemini umquam servisse gloriantur) non solum a libertate spiritus efficiuntur extranei, sed & carnalis servitutis inveniuntur obnoxii. Neque hoc solum; sed & filii perseverant diaboli; sicut & Dominus ostendit, dicens eis: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* An non patris sui desiderio cotidie satisfaciunt, contemnentes legem, spernentes prophetas, persequentes Ecclesiam, atque ipsum Dei filium blasphemantes? Cum hæc ergo ita se habeant, qua ratione servis Dei servi peccati, filiis liberæ filii ancillæ, heredibus exheredati, Dei filiis filii diaboli præferentur? Quos Dominus per Esaiam prophetam tanta a servis suis divisione sejungit, ut & nomen pristinum eos amisisse, & inter mortuos ostendat jam deputatos esse, his verbis: *Ecce servi mei comedent, & vos esurietis. Ecce servi mei bibent, & vos sitietis. Ecce servi mei lætabuntur, & vos confundemini. Ecce servi mei clamabunt præ exsultatione cordis, & vos ululabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus ululabitis, & dimittetis nomen vestrum in juramentum electis meis; & interficiet te Dominus Deus tuus, & servos suos vocabit nomine alio; in quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo amen; & qui jurat in terra, jurabit in Domino amen.* Nomine itaque pristino populus Judaicus spoliatus, & incredulitatis suæ gladio peremtus, electis Dei nomine alio vocatis, & Christiano vocabulo benedictis, atque in Christi sacramenta juratis, nec exæquari potest, nec corporali saltem victu sociari debet, quibus ne ipsa quidem servitutis appellatione meruit copulari.

XXIII. Si vero & hoc consideremus, quibus virtutibus tabernaculi Dei habitatio, & sancti montis ejus ascensio valeat comparari; non minimum inter eas virtus illa obtinet locum, qua vir justus ita dignus est conlaudari: *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, timentes autem glorificat.* Fideles itaque & timentes Deum glorificandi sunt in omnibus atque honorandi. Populus autem ille qui totus est positus in maligno, quique Dei virtutem & Dei sapientiam non cognovit, ac per hoc in malignitatis & erroris vetustate remansit, pro nihilo in conspectu omnium credentium est habendus; nec pecuniæ aut divitiarum suarum caussa cuiquam honorandus; sed ob earum potius cupiditatem lepra Naaman aspersus, ab omni fidelium populo per verum Eliseum aquis baptismatis expiato, ut vere sordidissimus atque immundissimus exsecrandus; insuper vero & anathema ei semper & ubique dicendum voce Apostoli, qui ait: *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema maranatha.* Nam si is qui non amat Dei filium, anathema est; ergo qui odit, qui persequitur, qui blasphemat, multo adhuc detestabilius anathematizandus est. Si quis porro amicitiis libenter ipsius indulget, nec ferre illi impiæ societatis auxilium erubescit, merito & ipse audiet quod Josaphat rex per prophetam Domini increpatus audivit: *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia jungeris, & idcirco iram Domini mereris.* Et quidem rex ille in ceteris omnibus justitiæ testimonium accepit; sed in hoc solummodo offendit, Deique iram promeruit, quod impiis & Deum odientibus auxilium præbere & amicitias non exhorruerit copulare: quos utique non esse alios, quam eos, qui a domo David se ipsos exciderant, evidenter scriptura designat; sicut & hi impii, & inimici semper Dei filio Judæi, a veri David domo, quæ est Ecclesia, se ipsos segregant, & a regno Christi abscisi, regnum exspectant ac desiderant Antichristi, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, & destruet inlustratione adventus sui. Non solum autem ipsum, sed & istos qui voluerunt regnare super se, secundum Evangelii parabolam, accepto cælorum regno, regrediens jubebit interfici se præsente.

XXIV. Erepti igitur de potestate tenebrarum Christiani, & translati in regnum filii caritatis Dei, nullatenus debemus eorum convictu & societate pollui, a quorum erroribus omni genere probamur absoluti. Meminisse etenim nos oportet quomodo & propheta ille, qui de Juda missus fuerat in Bethel, ubi ab Jeroboam rege Samariæ vitulus aureus colebatur, a Deo prohibitus ne illic comederet vel biberet, etiam invitanti se regi responderit: *Si dederis mihi mediam partem domus tuæ, non manducabo panem, neque bibam aquam in loco isto.* Insuper & munera oblata sibi ab eodem rege suscipere recusavit. Verum quia postea seductus a pseudopropheta quodam, contra præceptum Domini in eodem loco comedit & bibit, Dei judicio leoni traditus, & ab eo interemtus occubuit. Nam quod in veteri testamento religiosi Judæi diligenter abstinuerunt a cibo & potu infidelium, ubi illis

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 810.

præceptum sit a Domino non facile advertitur; documenta tamen exstant de exemplis sanctorum, sicut de Daniele scriptum est: *Proposuit autem Daniel in corde suo ne pollueretur de mensa regis, neque de vino potus ejus; & rogavit eunuchorum præpositum, ne contaminaretur*.  Concessumque est Danieli, Ananiæ, Azariæ, & Misaheli, cum ceteri pueri Israelitæ vescerentur cibo regio. Quæ observantia in tantum inolevit apud Judæos, ut tempore adventus Domini generalis esset omnium; ita ut dicerent impii Judæi discipulis Domini: *Quare cum publicanis & peccatoribus manducatis & bibitis?* Et non solum hi, sed etiam infideles disceptarent adversus Petrum, qui erant ex circumcisione, dicentes: *Quare introisti ad viros præputium habentes, & manducastis cum illis?* Quibus reddita ratione subjunxit, respondisse sibi vocem de cælo secundo: *Quæ Deus mundavit, tu ne commune dixeris*. Ex quo tempore cœpit declarari quod beatus Paullus scripsit: [a] *Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum*. Quo testimonio licet plerique in contrarium utantur, id est, ut propter hoc putent sibi licitum infidelium sumere cibos, tamen nostram omnino confirmat observantiam, ut immundorum immundas noverimus esse mensas, quia inquinatæ sunt eorum & mens & conscientia. Quomodo autem immundæ non erunt mensæ, quorum maledicta sunt horrea & apothecæ?

XXV. Sed quia ad maledictiones infidelibus Judæis a Deo impositas scribendo pervenimus, paullo diligentius a superioribus eas repetamus. Ait itaque Moyses omni populo Israelitico trans Jordanem in solitudine campestri: *En propono in conspectu vestro hodie benedictionem & maledictionem; benedictionem, si obedieritis mandatis Domini; maledictionem, si non audieritis mandata Dei vestri. Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram ad quam pergis habitandam, pones benedictionem super montem Garizim, maledictionem super montem Hebal, qui sunt trans Jordanem*. Quæ verba cum permagnificis sensibus plena sint, non ante potuerunt impleri, nisi Jordane transito, id est, baptismi sacramento corpore Christi tactis aquis Jordanicis dedicato. Garizim namque, qui interpretatur divisio, significat apostolicam plebem divisam ab infidelium synagoga, sicut Paullus de se ipso ait: *Cum autem complacuit ei qui me segregavit de utero matris meæ, ut revelaret filium suum in me, non adquievi carni & sanguini*. Hebal autem, qui interpretatur vorago vetus, significat carnalem & infidelem Synagogam, quæ non adquievit transire ad novitatem spiritus vivificantis, sed maluit remanere in vetustate litteræ occidentis. Ibique eis perseverantibus, supervenit immensus fluvius maledictionum, juxta quod scriptum est: *Facti sunt principes Juda, quasi adsumentes terminum. Super eos effundam, quasi aquam, iram meam*. Et sicut omnes omnino promissiones & benedictiones requieverunt super apostolicam plebem; sic omnes comminationes & maledictiones confirmatæ sunt super synagogam satanæ, ipso ordine rei quo Moyses prædixerat verbis dicens: *Maledictus eris in civitate*, id est, Hierusalem; *maledictus in agro* mundi dispersus; *maledictum horreum tuum*. Quod alia translatio sic dicit: [b] *Maledictæ*

A *apothecæ tuæ, & omnes reliquiæ tuæ, maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ. Maledictus eris ingrediens*, nascendo in hanc vitam; *& maledictus egrediens*, moriendo videlicet, de hac vita. Et post multa: *Advena*, inquit, *qui tecum versatur in terra*, id est, populus Gentium, *ascendet super te, eritque sublimior*, effectus videlicet filius patriarcharum, & socius radicis olivæ & pinguedinis factus. *Tu autem descendes, & eris inferior*, abscisus ab olea, & siccus in terra jacens, igni destinatus. *Ipse erit in caput, & tu eris in caudam*. Et nunc veniunt quidam per se eos conantes levare in caput unde ceciderunt, quasi non debeant esse in caudam: quod utique semper erunt, B donec plenitudo gentium introeat, & sic omnis Israel salvus fiat, omnis videlicet salvandus. Nam istorum qui nunc sunt infidelium augebit Dominus plagas, *plagas magnas & perseverantes, infirmitates pessimas & perpetuas*: quod alia translatio dicit, *plagas verissimas, & infirmitates veras*. Item ibi: *Et convertet in te omnes afflictiones Ægypti quas timuisti, & adhærebunt tibi. Insuper & universos languores, & plagas, quæ non sunt scriptæ in volumine legis hujus, inducet Dominus super te, donec te conterat*. Hoc profecto est quod supra de Evangelio posuimus: *Erunt novissima hominis illius*, id est, ad quem spiritus immundus cum aliis septem se ipso nequioribus ingressus fuerit, *pejora prioribus*.

C

XXVI. Et hæc quidem breviter diximus, ac de multis pauca libavimus; strictim scilicet volentes ostendere quantis benedictionum muneribus dignam præparaverit Deus apostolicam plebem, quantisque e contrario maledictionibus suis meritis repletam infidelem repulerit synagogam; quatinus & in electis impleretur quod prædictum fuerat; Etenim benedictiones dabit qui legem dedit, benedicens eos videlicet juxta Apostolum *in omni benedictione spiritali in cælestibus in Christo*. Et illis qui nec Moysi litteris, nec verbis Christi crediderunt, ac per hoc justo Dei judicio reprobati sunt, illa maledictio superveniret, quæ ab ipso Moyse ita fuerat prænun- D tiata: *Maledictus omnis qui non permanserit in verbis legis hujus*, ut faciat ea, nolens audire quod in ea scriptum est: *Juxta te est verbum valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illud*. Quod Apostolus sic exponit: *Hoc est verbum fidei quod prædicamus. Quoniam si confessus fueris in ore tuo Dominum Jesum, & credideris in corde tuo quod Deus eum suscitavit a mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*.

XXVII. Breviter ergo ista a nobis perstricta sint. Nam & cedendum est majoribus, subtilioribus, ac facundioribus, quibus perfacile est altiora & occultiora hujus rei pandere: quod jam jamque fieri E oportet, frigescente multorum caritate, abundante ubique iniquitate, incredulorum convalescente improbitate, Antichristi fallacia adpropinquante. Atque utinam juberet religiosissimi Imperatoris industria alicui de suis ut colligeret omnia quæ a magistris Ecclesiarum in scripturis sanctis de Antichristo intelligenda, vel exposita, vel signata sunt. Valeret profecto ad cautelam fidei, ad erectionem spei, ad roborandam & commendandam dulcedinem dilectionis Christi. Amen.

a Tit, I. 15. b Deut. XXVIII. 17. 18. 19.

CONSULTATIO & SUPPLICATIO AGOBARDI EPISCOPI AD PROCERES PALATII,

De baptismo Judaicorum mancipiorum.

Reverendissimis ac beatissimis domnis & dominis & patribus sanctis, [1] Adalardo, Wale, & Helisacharo. Nuper cum a palatio tempus redeundi nobis jam fuisset indultum, suavissima dilectio vestra sedit, & audivit me mussitantem potius quam loquentem contra eos qui querelas Judæorum astruebant. Cumque audita fuissent a vobis & modificata quæ dicebantur altrinsecus, surrexistis, & ego post vos. Vos ingressi estis in conspectu principis: ego steti ante ostium. Post paullulum fecistis ut ingrederer. Sed nihil audivi, nisi absolutionem discedendi. Quid tamen vos dixeritis clementissimo principi præfata de caussa, qualiterque acceperit, quidve responderit, non audivi. Ad vos postea non accessi, præpediente pudore ignavo, & molestia fatigante me: quæ mihi utique accessit, non tam ex involutione rerum, quam ex ignobilitate mentis. Quamobrem recessi turbatus, arripui iter incertus, perveni domum confusus, resedi afflictus. Caussas vero hujus afflictionis scriberem. Sed timeo mansuetudini vestræ laborem ingerere. Portitor tamen harum litterarum potest vobis edicere, si patitur longanimitas vestra. Aliqua sane, quæ silenda non puto, propter quæ mihi & ad fidissimam paternitatem vestram dirigo, innotesco prudentiæ vestræ. Primum, quod summopere mihi necesse est scire, &, ut existimo, etiam omnibus, ut dare dignemini consilium, quod divino congruat operi, quid faciendum sit de mancipiis Judæorum ethnicis, quæ illi comparaverunt, & nutriti apud illos, inter nos discunt linguam nostram. Audiunt de fide, vident celebrationes solemnitatum; & per hæc compunguntur ad amorem Christianitatis, & desiderant fieri in corpore Ecclesiæ, membra Christi; & confugiunt ad Ecclesiam, baptismum postulantes: Utrum videlicet debeamus illis hoc abnegare, an præbere, ubi possumus. De qua re ego quidem talem teneo rationem. Omnem profecto hominem creaturam Dei esse, & in unoquoque homine, quamvis servo, majorem portionem habere Dominum Deum, qui in utero creavit, ad lucem hujus vitæ produxit, concessam vitam custodivit, sanitatem servavit, quam illum qui viginti aut triginta solidis datis, fruitur corporis ejus servitio. Nec est qui dubitet quod unusquisque servus, membrorum corporis opera carnali domino debens, mentis religionem soli debeat creatori.

Propter quod omnes sancti prædicatores, socii Apostolorum, docentes omnes gentes & baptizantes, non exspectaverunt dominorum carnalium licentiam, ut servos baptizarent, quasi non eos oporteret baptizari, nisi eis permittentibus; sed scientes, & prædicantes, quod servi & domini unum habeant Dominum Deum in cælis, omnes baptizaverunt, omnes in uno corpore redegerunt, omnesque fratres & filios Dei esse docuerunt; ita tamen ut unusquisque in quo vocatus est, in hoc permaneret, non studio, sed necessitate, sed & si qui possent liberi fieri magis uterentur. In promtu est etiam ratione colligere, si qui ethnicorum ad Christum fugiunt, & non recolligimus, sed repudiamus propter carnales dominos, esse impium & crudele, cum humanæ animæ nullus esse possit dominus, nisi conditor. Sed & illud putamus esse considerandum, quia si religiosus Imperator adversus gentes, quæ a Christi nomine alienæ sunt, arma movet, & victor effectus, subicit eos Christo & sociat religioni, opus est pietatis & laude dignum; quomodo negligendum est, si inter subjectos tales exsistant qui desiderent baptismum? Neque hoc dicimus, ut Judæi perdant pretia quæ in talibus dederunt; sed quia offerimus pretia secundum statuta priorum; & illi non recipiunt, putantes sibi favere magistratus palatii, & melius illis cupere, quam ceteris qui supradicta asserunt. Hæc sunt de quibus precamur vestrum consilium aut jussionem per vos domini Imperatoris. Quod utique necesse non esset, si ille qui magister est Judæorum ita attenderet ut vos ei faciendum dixistis. Nam si secundum vestram jussionem ille consideraret fideliter ministerium nostrum, sicut nos ei honorem exhibere volumus in ministerio suo, nulla esset necessitas injuriam facere interrogando, nisi propter augmentum doctrinæ. Ceterum de caussis Judæorum non esset ulla contentio, aut discordia, si ille rationabiliter agere voluisset. Nunc autem facite nobiscum secundum caritatem quam diffudit Spiritus sanctus in cordibus vestris, & adhibete consolationem servo vestro; quia sub magno timore diversis anxietatibus torqueor. Si enim petentibus baptismum Judæis aut servis eorum negamus, timeo damnationem divinam; si damus, timeo offensionem humanam, & tam infestas læsiones domus nostræ. De quibus læsionibus & discordiis, quia in his litterulis scribere indignum duxi, parvum breviculum pietati vestræ direxi, per quem cognoscere valeatis quæ sint. Neque dignetur felix mansuetudo vestra mihi irasci; quia importunus vobis exsisto talia flagitando; sed considerate quia caussa est Ecclesiæ, ratio fidei, & opus divinum. Insuper & mihi omnis fiducia in vestra sanctitate. Et idcirco assumite sanctum laborem propter æternam retributionem, & adjuvate Ecclesiam nostram, opem ferendo, & instituendo, quoniam debitores estis propter multitudinem fiduciæ quam habet in vobis.

[1] Adalardus abbas fuit Corbejensis, filius Bernardi fratris Pippini. Wala Adalardi frater fuit, & post eum abbas Corbejensis. Helisacharus abbas Centulensis.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 810.

EPISTOLA EJUSDEM EXHORTATORIA AD NIBRIDIUM EPISCOPUM NARBONENSEM [1],

De cavendo convictu & societate Judaica.

BEatissimo patri Nibridio Agobardus in Deo patre & Domino Jesu sempiternam salutem. Si locorum vicinitas & rerum tranquillitas sineret, vellem quidem frequentius cum paternitate vestra os ad os loqui, & sive in privatis seu in publicis necessitatibus, consilio semper vestræ sanctitatis instrui. Sed quoniam prohibent interjacentium spatia longinqua terrarum, quod verbis nequeo, litteris molior adimplere; meam vobis, immo Ecclesiæ Dei non minimam necessitatem in notitiam perferens, & in quibus ipse parum fortis invenior, virtutis vestræ præsidio, quasi scuto validissimo & muro inexpugnabili, desiderans communiri. Sciat itaque paternitatis vestræ reverenda canicies, me anno [2] præsenti, dum parœchiæ nostræ populos debita sollicitudine circumirem, & si qua in his depravata videbantur, pro viribus quas Dei gratia largiebatur, veritatis ratione corrigerem, denuntiasse omnibus & præcepisse secundum legem Dei & sanctorum canonum instituta, ut se, tamquam veri cultores Christianæ fidei, omni observantia ab infidelium consortio segregarent; non utique Gentilium, qui inter nos minime commorantur, sed Judæorum, qui in nostra hac & in nonnullis aliis vicinis urbibus videntur esse diffusi. Quia & satis indignum ac fidei nostræ inconveniens esse videbatur, filios lucis tenebrarum societate fuscari, & Ecclesiam Christi, quam decet sine macula & ruga sponsi cælestis amplexibus præparari, maculosæ, rugosæ, ac repudiatæ synagogæ contubernio decolorari. Et vere absurdum est virginem castam, uni viro Christo desponsatam, meretricis dapes expetere, & per communionem cibi ac potûs non solum in diversa flagitia corruere, verum etiam fidei periculum sustinere; dum ex familiaritate nimia, & assidua cohabitatione, aliqui de grege Christiano sabbatum quidem cum Judæis colunt, diem vero Dominicam inlicita operatione violant; nec (non) & jejunia statuta dissolvunt; pleræque mulierculæ, ancillarum jure, aliæ ab ipsis velut mercenariæ detinentur; nonnullæ etiam corrumpuntur; omnes vero hujusmodi vel dominationi, vel libidini, vel deceptioni eorum in commune prostituuntur; adnitentibus in hoc ipsum diaboli filiis, odio subdolo, & fallacibus blandimentis; dum se patriarcharum progeniem, justorum genus, prophetarum sobolem superbo ore proloquuntur; ignorantibus miseris, qui hæc audiunt, quod ipsi eorum prophetæ gentem peccatricem, populum gravem iniquitate, semen nequam, filios sceleratos, patrem ipsorum Amorrhæum, matrem Cethæam, Sodomorum principes, & Gomorrhæ populum soleant appellare. Sed & illud pariter nescientibus, quod præcursor Domini Joannes genimina eos dixerit viperarum, & ipse Dominus frequenter illos nunc serpentes, nunc generationem malam, pravam, perversam, atque adulteram vocitarit. Unde & in tantum erroris pelagus nonnulli ex vulgaribus ac rusticis abducuntur, ut hunc solum Dei esse populum, apud hos piæ religionis observantiam, ac multo certiorem, quam nostra sit, fidem, & seducto suspicentur animo, A & ore impio inter pares & consimiles fateantur.

Quod malum cum in plebe nobis commissa videremus excrescere, atque in dies singulos ipsa jam consuetudine propagari, studuimus pro viribus lapsis manum porrigere, & errantes animos ad veritatis lineam revocare: æquum credentes, ut quomodo ipsis quondam lex Dei præcipiebat ne cum gentibus matrimonium copularent, neve cum eis commune convivium celebrarent, ne videlicet per consortia nuptiarum & communionem ciborum a divino quidem cultu deficerent, idololatriæ autem jugo libertatem animi inclinarent; ita nunc & noster populus inhibeatur, ne cum Judæis infidelibus vescendi participium, consortium bibendi, habi- B tandi contubernium habere præsumant: ne sub prætextu societatis hujus a simplicitate quidem Christianæ fidei exorbitent, Judaicis vero fabulis adtendentes, inextricabilibus errorum laqueis implicentur; cumque nos neminem illorum humanitatate tanta & benignitate, qua erga eos utimur, ad spiritalem fidei nostræ virtutem valeamus adducere, pars aliqua ex nostris, dum libenter carnalibus eorum victibus communicat, spiritalibus epulis capiatur. Hanc etenim divinæ legis providentiam patres nostri institutis canonicis videntur esse secuti; quorum nos præceptis, in quantum potuimus, devotis animis obsequuti sumus; periculum scilicet animarum quæ nobis commissæ sunt pertimescentes, & C earum sanguinem de nostris manibus in divino exquirendum judicio formidantes. Tentaverunt porro quidam Missi, & Evrardus maxime, qui Judæorum nunc magister est, religiosum hoc opus nostrum destruere, ac sub obtentu edictorum imperialium labefactare. Quibus nos neque ad horam cessimus, ut divinæ legis veritas, & sanctorum Patrum constitutio veneranda, immobili apud nos atque inconvulsa observatione perduret. Nec vero tam feralibus jussis ausi sumus adquiescere, aut religiosissimum ac Deo dignum principem quippiam divinæ legi contrarium, sacris canonibus adversum, saluti Ecclesiæ periculosum, credere potuimus præcepisse; cujus ad hoc semper invigilat fidelis industria & D pietas admiranda, ut lex Dei ubique servetur, ut canonica instituta perpetua vigeant firmitate, ut salus ac virtus Ecclesiæ toto terrarum orbe gloriosius in dies singulos convalescat.

Unde & tu, Pater beatissime, qui columna nunc in omnibus & firmamentum domus Dei crederis, sta super petram ecclesiasticæ observationis, immobilis, intrepidus, inconcussus, floccipendens adversariæ tempestatis ventos, imbres, ac flumina; quæ fundamento quidem domus Dei inlidi possunt, ipsam vero subruere non possunt: quia nec portæ inferi adversus eam prævalere queunt. Scientes, itaque, pater venerabilis, omnes qui sub lege sunt, sub maledicto esse, & indutos maledictione, sicut vesti- E mento, quæ intravit sicut aqua in interiora eorum, & sicut oleum in ossa eorum, maledictos quoque in civitate, & maledictos in agro, maledictos in ingressu, & maledictos in egressu, maledictum fructum ventris & terræ & pecorum eorum, maledi-

1. Creatum circa ann. 799. 2. Baluzius putat scriptam initio imperii Ludovici Pii.

cta eorum cellaria, horrea, apothecas, cibos, & ipsorum ciborum reliquias, nec posse quempiam eorum ab hoc tam immani tamque horribili maledicto legis eripi, nisi per eum qui pro nobis factus est maledictum. Sciens etiam in eos qui prædicationem apostolicam nolunt recipere, non solum nullo eorum utendum, sed & pulverem civitatis domus eorum de pedibus excutiendum, remissiusque in die judicii Sodomæ & Gomorrhæ futurum quam illis, permane & tu in divinæ legis observantia, persiste in canonicis institutis, tene quos potes, terre quos potes, noli dicere, nec sinatis quemquam fidelium tantis maledictionibus tamque horrendis damnationibus per maledictorum & condemnatorum prophana consortia communicare. Quin potius & ad vicinos coepiscopos ac fratres cohortationum tuarum munimenta transmitte, ut pari omnium consensu & labore communi tantum hoc malum de Christi Ecclesiis auferatur. Impleamus Matris Ecclesiæ gaudium, unum omnes dicentes, unum sapientes, unum sentientes, id est, certamen habentes, quia & hoc benignissimi Redemtoris nostri desiderium esse cognoscimus; secundum quod pro nobis Patrem ipse precatur, dicens: *Non pro his autem rogo tantum, sed & pro omnibus qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.* Tanta vero nobis est de parte vestra fiducia, ut credamus opus hoc vel conatu vestro staturum, vel vestra, quod absit, remissione lapsurum. Deus autem patientiæ & solatii det nobis idipsum sapere in alterutrum, secundum Jesum Christum, ut unanimes uno ore honorificemus Deum & Patrem Domini nostri Jesu Christi. Amen.

LIBER EJUSDEM

AD PRÆFATUM IMPERATOREM,

Adversus legem Gundobadi, & impia certamina quæ per eam geruntur.

I. Obsecro imperturbabilem mansuetudinem vestram, & tranquillissimam prudentiam, domine Imperator benignissime, ut has quas offero paginulas infatigabiliter legere non dedignemini, in contemplationem summæ & incommutabilis illius Veritatis, quæ est Christus Dominus noster; de cujus dictis & legibus hæc sumta sunt; quique amanter & vigilanter vestrum protegit & juvat Imperium. Neque prædicandam tranquillitatem vestram offendat, quod minimus omnium, excellentiori hominum hæc legenda præsentat. Neque enim est aliud nisi quod vos optime & sublimius nostis.

II. Deus, Dei filius, homo propter homines factus, viam salutis demonstrans, & electis discipulis magisterium vitæ commendans, ascensurus ad cælos, ait illis: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Et iterum: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi nobis. Illi autem profecti, prædicaverunt ubique Domino cooperante*; annuntiataque est ab eis omni creaturæ, id est, cunctis nationibus mundi, una fides indita per Deum, una spes diffusa per Spiritum sanctum in cordibus credentium, una caritas nata in omnibus, una voluntas, accensum unum desiderium, tradita una oratio; ut omnes omnino ex diversis gentibus, diversis conditionibus, diverso sexu, nobilitate, honestate, servitute diversa, simul dicant uni Deo & Patri omnium: *Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum*; sicut unum patrem invocantes, ita unam sanctificationem quærentes, unum regnum postulantes, unam adimpletionem voluntatis ejus, sicut fit in cælo, optantes; unum sibi panem quotidianum dari precantes, & omnibus dimitti debita. Neque enim quemquam docere potuerunt magistri mundi, lux mundi, sancti Apostoli, *Dimitte mihi debita mea*, aut, *& ne me inducas in tentationem, sed libera me a malo*; sed unum pro omnibus, & omnes pro singulis clamare. O cælestis fraternitas, o sempiterna concordia, o insecabilis unitas, ab uno auctore derivata, ad unum rerum omnium relata, per quam lætantur cæli, exsultat terra, movetur mare, & plenitudo ejus, gaudent campi, & omnia quæ in eis sunt, omnes gentes plaudunt manibus, jubilant Deo in voce exsultationis!

III. Et quam decenter, quoniam omnes fratres effecti, unum Patrem Deum invocant, servus & dominus, pauper & dives, indoctus & eruditus, infirmus & fortis, humilis operator & sublimis Imperator. Jam nemo alium dedignatur, nemo sub alio se despicit, nemo super alium extollitur. Quoniam unus panis, unum corpus Christi, immo unus Christus secundum Apostolum sumus; expoliantes nos veterem hominem cum actibus ejus, & induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus qui creavit eum; ubi non est Gentilis & Judæus, circumcisio & præputium, Barbarus & Scytha, Aquitanus & Langobardus, Burgundio & Alamannus, servus & liber; sed omnia & in omnibus Christus. Omnia enim illorum sunt, sive Paullus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sie mors, sive præsentia, sive futura. *Omnia enim*, dicitur illis, *vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Et iterum: *Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum corpus sunt; ita & Christus. Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive gentiles, sive servi, sive liberi, & uno spiritu omnes potati sumus.* Et ne infideliter aliquis cum perpaucissimis se putaret uno spiritu potatum, dicit: *Et nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto.* Divisiones vero gratiarum sunt, atque operationum. Idem autem Dominus, & idem Deus, qui operatur omnia in omnibus, atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. Nullus ergo horum est hospes & advena; sed sunt *cives sanctorum & domestici Dei, superædificati super fundamentum apostolorum & prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino*; & qui erant longe, facti sunt prope in sanguine Christi. *Ipse est enim pax*

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 810.

nostra, qui fecit utraque unum. Et veraciter dicere possumus, *qui fecit omnia unum, & medium parietem maceriæ solvens inimicitiam in carne sua, legem mandatorum in decretis evacuans, ut duos condat in semet ipsum in unum novum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitiam in semet ipso; & veniens evangelizavit pacem his qui longe fuerunt, & pacem his qui prope: quoniam per ipsum habent accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem*.

IV. Si ergo Dominus propterea passus est, ut in sanguine suo faceret prope eos qui longe erant, & paries divisionis jam solutus, & interfecta est inimicitia in illo, & omnes reconciliati sunt in uno corpore Deo, & in tantum unum corpus effecti in uno spiritu, ut Christus potius quam Christiani dicantur, sicut suprascripta apostolica sententia declarat dicens: *Omnia autem membra corporis cum sint multa, unum corpus sunt; ita & Christus*; (Non enim ait: *Ita & Christiani*, sed *Christus*) cupio per pietatem vestram nosse, si non huic tantæ divinæ operationis unitati aliquid obsistat tanta diversitas legum, quanta non solum in singulis regionibus aut civitatibus, sed etiam in multis domibus habetur. Nam plerumque contingit ut simul eant aut sedeant quinque homines, & nullus eorum communem legem cum altero habeat exterius in rebus transitoriis, cum interius in rebus perennibus una Christi lege teneantur. Et cum forte contingit ut omnes sint veraciter Christiani, fidei veritatem amantes, & invicem sibi, ut carissimi fratres, credant; & nemo alterius testimonium spernat, cum se bonis locutionibus ædificant; si subito contigerit alicui ex ipsis disceptatio in judiciis, nullum poterit habere testem de suis carissimis sociis, cum quibus simul gradiebatur, eo quod non recipiatur testimonium alicujus super [1] Gundobadum, & cetera similia.

V. Heic mihi succurrat, obsecro benignissime & sacer Imperator, patientia vestra; neque indignetur magnanimitas vestra, quod indignus digna loquor, & pusillus grandia; quia per ista (quæ) forsitan inemendabilia sunt volo pervenire ad ea quæ necessaria & eleemosynæ vestræ magnopere apta sunt. Si autem incongrua sunt quæ dico, corripiat me justus in misericordia, id est, bonitas vestra, & corripientem non prodat. Mihi tamen servo vestro, licet ultimo, tamen fideli, incongruum videtur, ut Christianus de Christiano, ac per hoc frater de fratre testimonium perhibere non possit. Sicut enim supra dictum est, omnes unum patrem habentes Deum, fratres sunt, & filii Dei. Hoc etiam Evangelium aperte loquitur. Hinc namque fit, cum vir justus super injustum testificari non permittitur, eo quod alterius legis sint secundum sæculum, qui unius legis esse deberent secundum Deum. Credo etiam quod nullatenus hæc agantur sine damno illius unitatis & concorporationis, quæ supra demonstrata est sententiis apostolicis. Nam si de testimonio repellendus est aliquis, ille repellatur potius qui alterius fidei vel sectæ est, sed & ille cum quo Apostolus nec cibum sumere docet dicens: *Si is qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax; cum ejusmodi nec cibum sumere*. Et iterum: *Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, neque commisceamini*, utique


A ad mensam. Qui omnes, nisi per satisfactionem pœnitentiæ regressi fuerint in corpus Christi, sine dubio in corpore remanebunt diaboli, ac per hoc erunt in ejus regno & civitate.

VI. Heic profecto debet esse discretio & divisio inter regnum & regnum, id est, Christi & diaboli, inter civitatem Dei & civitatem diaboli, quæ faciunt duas plebes. Nam civitas Dei continet populum adquisitionis, civitas diaboli populum perditionis. Quod si hominibus impossibile est omnes discernere qui sint de civitate Dei, qui vero de civitate diaboli, saltem quos evidentissime ex fructibus propriis cognoscunt, & litteræ apostolicæ a B corpore Christi separatos docent, rejiciant de testimonio. Quos autem una corporis Christi compago tenet, & plerumque non solum unius corporis membrum, verum etiam unius membri sunt membra, cur de mutuo repelluntur testimonio? Quæ utilitas est, ut propter legem quam dicunt Gundobadam, cujus auctor exstitit homo [2] hæreticus, & fidei catholicæ vehementer inimicus, (cujus legis homines sunt perpauci) non possit super illum testificari alter etiam bonus Christianus? Ex qua re oritur res valde absurda, ut si aliquis eorum in cœtu populi aut etiam in mercato publico commiserit aliquam pravitatem, non coarguatur testibus, C sed sinatur perjurare, tamquam non fuerint per quos veritas posset agnosci. Heic manifeste apparet damnosam esse damnabilem legem.

VII. Si autem placeret domino nostro sapientissimo Imperatori, ut eos transferret ad legem Francorum; & ipsi nobiliores efficerentur, & hæc [3] regio ab squaloribus miseriarum quantulumcumque sublevaretur. Horum enim caussa accidit, ut frequenter non solum valentes viribus, sed etiam infirmi & senes lacessantur ad certamen & pugnam, etiam pro vilissimis rebus: quibus feralibus certaminibus contingunt homicidia injusta, & crudeles D ac perversi eventus judiciorum, non sine amissione fidei & caritatis, ac pietatis, dum putant Deum illi adesse qui potuerit fratrem suum superare, & in profundum miseriarum dejicere. Hic est pessimus error, & ordo confusus, ut pro talibus perversitatibus & scriptura veritatis contemnatur, & concordia Christiana dispereat, & de Deo, qui natura bonus est, tam indigna sentiatur, ut faveat rapacibus, & adversetur miseris.

VIII. Doctrina Christi docet: *Qui vult tecum judicium contendere, & tunicam tuam tollere, remitte ei & pallium*. Et iterum: *Jam quidem omnino delictum est, quod judicia habetis. Quare non* E *magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini?* Isti e contrario dicunt: Pugna securus; quia illum qui tua repetit, aut contendit, absque dubio superabis: & divinum eis promittunt adjutorium, qui tam contrarii exsistunt evangelicæ pietati. Hinc jam ad certamen audaciter proceditur; ubi duo cominus veniunt parati, ut se invicem crebris ictibus cædant pro talibus rebus, quas multo minus amare debuerant, quam se ipsos adinvicem. Nam eum quem occidere aut superare cupit, jussus est ut diligat sicut se ipsum, reiculas illas pro quibus contendit, arbitrari ut stercora, ut Christum lucrifaceret. Ubi tunc est caritas, sine qua perfectus interpres omnium linguarum angelorum & hominum, efficitur velut æs sonans, aut cymbalum ti-

1. *H. e.* Burgundionem lege Gundobada viventem.
2. Gundobadus rex Burgundionum Arianus, de quo Greg. Turon. H. Fr. lib. II. cap. xxxiv.
3 Lugdunensis in regno Burgundio.



niens; sine qua perfectus propheta, & eruditissimus doctor, & ex fide miraculis coruscans, nihil est, sine qua largitas eleemosynarum, & acerbitas martyrii nihil prodest? Milites Christi, qui hanc veraciter habuerunt, subdiderunt in fide mundum Christo, sed moriendo, non occidendo.

IX. Quando erat publica contentio de veritate religionis, cum alii putarent colendam pro Deo creaturam quamlibet, alii docerent solum creatorem colendum; illi fuerunt victores qui occisi sunt, non qui occiderunt; veritas moriendo declarata est, non occidendo; testes veritatis moriendo creverunt, adsertores autem iniquitatis occidendo perierunt. Nam si in hac vita semper innocentes essent victores, & noxii vincerentur; non Pharao occidisset Josiam, sed Josias Pharaonem; non Joannem Herodes, sed Herodem Joannes. Nec sancta illa civitas Hierusalem temporibus gratiæ, innumerabilibus turbis monachorum, clericorum, & ceterorum fidelium inlustris, Saracenis [1] subjiceretur, sicut & aliæ civitates & regiones; nec Roma [2] Gothis, paganis & hæreticis simul; nec Italia [3] Langobardis: & multa humusmodi. Non hæc idcirco dicimus ut negemus providentiam Dei aliquando absolvere innocentem, & damnare noxios; sed quia nullatenus statutum est a Deo, ut hæc in omnibus fiat, nisi extremo judicio. Et quia talia certamina vehementer contraria sunt simplicitati & pietati Christianæ, & doctrinæ evangelicæ nimis adversa; absit a mente Christiana, ut adversa hujus mundi conflictibus quærat evadere, & gaudia ejus certaminibus adipisci. Cum e contrario intra sacra Missarum solemnia frequenter deprecemur Dominum, ut tribuat nobis pro amore suo prospera mundi despicere, & nulla ejus adversa formidare; decet omnino mentem Christianam cum timore & tremore, secundum Apostolum, suam salutem operari, & mente ad futura transire, nec in præsentibus rebus sensum figere; quoniam occultissima Dei dispensatione varii sunt in præsenti tempore rerum eventus, sicut & sacra scriptura testatur: *Sunt justi quibus multa proveniunt, quasi opera egerint impiorum; & sunt impii qui ita securi sunt quasi justorum facta habeant.* Et iterum: *Etenim quia non profertur cito contra malos sententia, absque ullo timore filii hominum perpetrant mala.* Et iterum: [a] *Sunt justi atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo, utrum amore an odio dignus sit; sed omnia in futuro servantur incerta, eo quod universa æque veniant justo & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas, & sacrificia contemnenti. Sicut bonus, sic & peccator; ut perjurus, ita & ille qui verum dejerat. Hoc est pessimum inter omnia quæ sub sole fiunt, quia eadem cunctis eveniunt. Unde & corda filiorum hominum implentur malitia & contemtu in vita sua, & post hæc ad inferos deducuntur.* Et iterum: *Verti me ad aliud, vidique nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam, sed tempus casumque in omnibus. Nescit homo finem suum. Sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aves comprehenduntur laqueo; sic capiuntur homines tempore malo, cum eis ex templo supervenerit.* Non enim est in præsenti meritorum retributio, sed in futuro. Non oportet mentem fidelem suspicari quod omni-

A potens Deus occulta hominum in præsenti vita per aquam calidam aut ferrum revelari velit: quanto minus per crudelia certamina? Propter quod Apostolus præcipit de occultis rebus non judicandum, *quoadusque veniat Dominus, qui & inluminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Concedit tamen judicare inter fratres, ut contentiones sopiantur.

X. Sed utilitas judiciorum constat in discussione caussarum, & subtilitate investigationum, sicuti & Salomon fecisse legitur in contentione duarum meretricum: cujus & petitio propterea placuit Deo, B quia non petivit divitias aut dies multos, sed sapientiam ad discernendum judicium. Sic & Daniel adhuc puer, suscitante Deo spiritum ejus, judicavit duos iniquos judices prudenti subtilitate, per quam liberata est & beata Susanna de injusta damnatione. Nam si hæc duo judicia temporibus nostris pervenirent, quid judices dicerent, facile est advertere, ante quos maxime perjuria aut munera finem rebus imponunt. Quanta autem necessaria sit integritas judiciorum regnis & gentibus, scriptura testatur, dicens: [b] *Regnum a gente in gentem transfertur propter injustitias, & injurias, & contumelias, & diversos dolos.* Quæ omnia plus quam in ceteris gentibus abundant inter [4] Gundobados, apud C quorum legem non licet discussione aut veracium testimonio caussas terminare; eo quod libuerit, armis comminari liceat, ne infirmior sua retinere aut reposcere audeat, tamquam veritas armis manifestari egeat: quod nulla auctoritas, nulla ratio credere sinit.

XI. Valet etiam ad hanc rem subtiliter considerandam illud quod in libro Judicum refertur. Cum enim quidam in Gabaa civitate, de tribu Benjamin, commisissent immane flagitium super muliere cujusdam Levitis, & congregarentur universæ tribus Israel ad hoc facinus puniendum, collecta est etiam tota tribus Benjamin in prædicta civitate D Gabaa ad defendendum peccatum illorum. Filii ergo Israel consuluerunt in primis Dominum in Silo, & interrogaverunt quis esse deberet princeps certaminis. Quibus respondit Dominus: *Judas sit dux vester.* Statimque ut cœperunt urbem expugnare, occisa sunt ex eis viginti duo millia virorum. Deinde fleverunt coram Domino usque ad noctem; & interrogaverunt eum, utrum deberent procedere ad dimicandum contra filios Benjamin, an non? Quibus respondit Dominus: *Ascendite ad eos, & inite certamen.* Quo inito, prostrata ex eis decem & octo millia. Quamobrem venerunt iterum in domum Dei, & sedentes flebant coram Domino, jejunaveruntque usque ad vesperam, & obtulerunt E sacrificia; & iterum procedentes ad certamen, interfecerunt omnem tribum Benjamin, præter illos sexcentos viros. Quis in tali facto non obstupescat? Quis non vehementer expavescat judicium Dei frequenter occultum, numquam injustum? Certe filii Israel mandatum legis habebant, ut scelera punirent, facinora vindicarent; & non solo mandato legis confisi sunt, sed etiam orantes Dominum interrogaverunt; & eo præcipiente, ad certamen processerunt: & tamen multo plures ex eis occisi sunt antea, & postea punierunt flagitiosos; si tamen ipsi inter sexcentos non remanserunt. Cum

a Eccl. IX. 1. seqq. b Eccli. X. 8.

1. Capta ann. 636. ab Haumare.
2. Capta ab Alarico an. 410.
3. Anno 568. duce Alboino.
4. Burgundiones. V. cap. IV.

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 810.

hæc omnia ita sint; quis est tam temerarius ut credat, si duo pro uno asino molino, aut quicquid sit etiam vilius, contendant, non possit alter cadere, cujus illud esse debere putatur, cum forte aut multa aut majora exsistant peccata ejus quam alterius, pro quibus puniendus sit? Vere hoc non est lex, sed nex: quæ maxime præterea contemnenda est, quia ab illis excogitata est qui non solum non orabant, sed etiam blasphemabant sapientiam Dei.

XII. Huc accedit aliud quod pia consideratione dignum videtur, de canonibus scilicet Gallicanis, qui quasi superflui aut inutiles a quibusdam respuuntur; eo quod neoterici Romani eos non commendaverint, cum antiqui religiose eos venerati sint; quoniam venerandi & sancti viri eos ediderunt, quorum vitam & sanctitatem crebra miracula commendarunt. Nemo umquam fuit qui tanta sanctorum per Gallias episcoporum audire potuerit, quanta per singula loca litteris mandata & relatu posteris relicta reperta sunt. Et revera, si secundum dictum Dominicum, ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine ejus, ibi est Dominus in medio eorum; quanto magis ubi viginti, aut triginta multo amplius congregati fuerint, non solum in nomine Domini, sed insuper etiam fide præditi, sapientia inlustres, vita clari, sanctitate reverendi, signis & prodigiis formidandi? Neque hoc idcirco dicitur, ut passim omnium episcopalium conventuum sanctiones æquali auctoritate recipiendæ credantur, ut Nicæni, Chalcedonensis, & ceterorum generalium ex totius mundi consensu congregatorum & receptorum. Sed quia congrua veneratione pro caussis necessariis, quarum definitiones in illis generalibus non inveniuntur, fides sit eis adhibenda religione debita; & melius sit unicuique eorum sequi auctoritatem, quam proprium sensum; & sine aliquo dolore transiri non possit, cum definitiones multorum & sanctorum atque catholicorum prætermittantur, & unius Gundobadi regis hæretici lex attente, quasi a Deo data, tenetur.

XIII. Temporibus prædicti Gundobadi regis Burgundionum, fuit in urbe Vienna sanctus episcopus Avitus nomine, fide catholicus, eloquentia facundissimus, ingenio acerrimus, sacrarum scripturarum expositor suavissimus, litterarum etiam sæcularium doctissimus, & in metris facillimus, sicut & ejus opera testantur: qui cum eodem Gundobado frequenter de fide altercans, & dialogos in præsenti conficiens, & epistolis absenti respondens, plura & clara ingenii sui & virtutis opera reliquit: qui ipso Gundobado in sua perfidia perdito, successo- A rem ejus Sigismundum regem ad fidem catholicam convertit; in cujus conversione recitavit homiliam in populo sensuum suavitate plenissimam, & verborum compositione dulcissimam. Quid iste venerandus & sanctus vir sæpedicto Gundobado de supradictis certaminibus responderit, audiat, si placet, benignitas vestra. Cum de his inter utrumque sermo esset, & beatus Avitus talia certamina reprehenderet, respondit ei Gundobadus: *Quid est quod inter regna & gentes, vel etiam inter personas sæpe singulas, dirimendæ præliis caussæ divino judicio committuntur; & ei maxime parti cui justitia competit, victoria succedit?* Ad quod beatus Avitus intulit dicens: *Si divinum, inquam, judi-* B *cium regna vel gentes expeterent, illud prius quod scribitur formidarent, dicente psalmista: Dissipa gentes quæ bella volunt, & illud diligerent quod perinde dicitur: Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus. An forte sine telis & gladiis caussarum motus æquitas superna non judicat? cum sæpe, ut cernimus, pars aut juste tenens, aut justa deposcens, laboret in præliis, & prævaleat iniquæ partis vel superior fortitudo, vel furtiva subreptio.*

XIV. Non autem ista sic dixerim, quasi non eventus belli varios superni nutus sententia moderetur. Sed contingit nonnumquam, ut cum ad C conflictum sub invocatione divini judicii conveniatur, negotii de quo agitur sorte dilata in partem victam, illa magis peccata quæ non recolit vindicentur, & pereat ei præsentis caussæ meritum pro debito peccatorum. Quid cum armatum latronem simplex viator incurrit, & sine ullius declaratione judicii aut cedens nudatur, aut punitur resistens, donec & prædo ipse in alio conflictu, in quo bonam sibi caussam judicari optat, pro ista magis judicatus intereat? Quid jam de illa singularium certaminum ambiguitate dicamus, quam frequenter inter gentes quietas furor personalis exsequitur, cum super quacumque repetitione bellantes ambo nonnumquam animas juste ponunt, qui- D bus humanis atque preciosis vilissima lucra præponunt, & Dei judicium iracundia invocat, dum impatientia non exspectat? Heic autem interrogo, utrum caussa utrique mala fuerit, pro qua bellator uterque occumbit? Atque utinam placeret omnipotenti Deo, ut sub uno piissimo rege una omnes regerentur lege, ea ipsa ad quam & ipse vivit, & proximi ejus respondent. Valeret profecto multum ad concordiam civitatis Dei, & æquitatem populorum. Sed quia hoc grande est, & forsitan homini impossibile, saltem una hæc, de qua sermo est, non solum ut inutilis, sed etiam ut noxia, de medio auferretur!

AD BERNARDUM
EPISCOPUM,
De privilegio & jure ſacerdotii.

I. VEnerabili in Chriſto fratri & coepiſcopo Bernardo Agobardus in Domino perpetuam ſalutem. Nuper dum in unum poſiti conloqueremur, maxime de preſſuris, odiis, & deſpectione Eccleſiarum, atque clericorum, quæ nunc infervescere cœperunt ſæculis inaudito & inuſitato modo, præcipere mihi dignata eſt ſanctitas veſtra, ut aliqua de ſcripturis ſacris, vel ſanctorum Patrum dictis excerperem, quæ materiem nobis præberent ad inquirenda, conſideranda, & deploranda mala temporis noſtri, quæ ignoraverunt anteceſſores & patres noſtri; licet Spiritus ſanctus loquens in prophetis non tacuerit, qui dixit: *Et erit ſicut populus, ſic & ſacerdos*: & multa hujuſmodi. Viſum itaque mihi eſt pariturо ſanctæ devotioni tuæ, ut prætermiſſis dextra lævaque his quæ de remuneratione bonorum, & damnatione malorum ſacerdotum, a patribus ſollicite ac multipliciter ſcripta ſunt, aliquid medium quod utriuſque commune eſt, de privilegio ſcilicet & jure ſacerdotii, conarer ſcribendo non explicare, ſed conſiderando diligentius ſtrictim attingere.

II. Præmittendum ſane videtur breviſſime, quod omnes vere fideles membra ſummi ſacerdotis, Dei videlicet ac Domini noſtri Jeſu Chriſti, mediatoris Dei & hominum, facti ſunt ab eo Patri regnum & ſacerdotes, dicunturque genus electum, regale ſacerdotium, & ſunt ſub capite ſummo unus ſacerdos. Propter quod & vitia illa legalia, quæ ſacerdotem eſſe inhibent, a corpore & regno ſummi Sacerdotis excludunt, ſicut probabilium Patrum expoſitio probat. Unde cum ſacra lex per Moyſen inciperet dari, ſacer ille agnus, cujus ſanguis in ſuperliminaribus & poſtibus domorum aſperſus, vaſtatorem prohibuit ingredi domos celebrantium Phaſe, non jubetur a ſacerdotibus ſumi, vel a populo ſacerdotibus, aut a ſacerdotibus Deo offerri, ſed ab univerſo cœtu filiorum Iſrael tolli per familias & domos, juxta numerum animarum quæ ſufficere poſſent ad eſum ejus. Nec excipiuntur quilibet indigni & immundi, ſed omnibus hoc in commune præcipitur; ſolis dumtaxat alienigenis ſejunctis, advenis vero & mercenariis conjunctis. Denique & ipſe agnus, licet ſine macula eſſe jubeatur, ab ovibus tamen & capris ſecundum antiquam translationem mandatur aſſumi, & cum amaritudine comedi.

III. Ut igitur liquido pateat eminentia vel dignitas in commune ſacerdotii, conſideremus a principio mundi gradus ejus. Primogeniti, ſi tamen dici liceat, primi hominis, primi leguntur ſacerdotale miniſterium peregiſſe, Cain videlicet & Abel, id eſt, Deo hoſtias obtuliſſe: quorum unus improbatus eſt, & ſacrificia ejus non ſunt reſpecta. Et hoc idcirco fieri potuit, quia non populi, ſed propria vota obtulit; licet cauſſa reprobationis alia exſtiterit. Nam in conſequentibus numqnam invenies ut oblata pro aliis reprobata ſint, etiamſi is qui obtulit indignus fuerit, ſi tamen fide de domo fuit, aut in domo obtulit, in qua agnus veſcendus eſt, ſicut lex præcipit dicens: *In una domo comedetur, nec efferetis de carnibus illius foras*. Sed

A magis eorum corda penſantur, qui per ſacerdotes qualeſcumque illi ſint, offerunt, ſicut multis oſtendi poteſt. Unde & de bonis ſacerdotibus Dominus ait: *Si ſteterint Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum*. Et iterum: *Non eſt mihi voluntas in vobis, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra*. E contrario autem, etiam auditu hominum & viſu noſtro didicimus oblata Deo per ſacerdotes reprehenſibilis vitæ, ita accepta, ut etiam infirmitates corporum curarent: qui fortaſſis cum aliis reprobis dicturi ſunt Deo, *Domine, Domine, in nomine tuo dæmonia ejecimus, & virtutes multas fecimus*, & cetera. Tale aliquid etiam in libro Judicum legitur de Micha, qui habuit B ſculptile, atque conflatile, & ædiculam ſeparatam, & fecit Ephod ac Teraphin, & recepit adoleſcentem quemdam Levitici generis, ut eſſet ei ſacerdos: qui cum eſſet utique contra fas ſculptilium ſacerdos, tamen pro filiis Dan conſuluit Dominum, & reſpondit proſpera quæ ventura erant.

IV. Pertinet quoque ad hanc rationem confirmandam, qua dicimus ſacerdotalia obſequia pro populorum meritis diſpenſari, quod Ezechieli ſancto prophetæ Dominus loquitur: *Linguam tuam adhæreſcere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quaſi vir objurgans, quia domus exaſperans eſt*. E contrario autem de Caipha dicitur: *Hoc autem a ſe*C *met ipſo non dixit. Sed cum eſſet pontifex anni illius, prophetavit quia Jeſus moriturus erat pro gente*. Sed cur hæc in aliis quæramus, cum etiam de ipſo Domino Evangeliſta dicat: *Et non poterat ibi virtutem ullam facere, niſi paucos infirmos impoſitis manibus curavit, & mirabatur propter incredulitatem eorum*. Quam rem alius Evangeliſta apertius loquitur, dicens: *Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum*. Et in iſtis quidem incredulitatis meritum fuit, ut nec multæ apud eos virtutes fierent; & ipſi pauci qui ſanati ſunt, non ſola verbi potentia, ſed manuum impoſitione curarentur. Paralyticum vero Centurionis puerum, & mulieris Chananææ filiam, quæ male a dæmonio D vexabatur, ſolo verbo reſtituit incolumitati. Nimirum magnitudine fidei eorum hoc exigente, qua alter dixerat: *Tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus*. Altera ex micis de menſa dominorum cadentibus catellos poſſe percipere non dubitaverat: quamque miris laudibus Salvator extulit, de Centurione quidem dicens: *Non inveni tantam fidem in Iſrael*; mulieri vero Chananææ: *O mulier, magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis*. E contrario, inter ceteros veros diſcipulos, etiam Judæ ficto diſcipulo, & vero proditori, magnam virtutum gratiam contulit, ſicut Evangelium narrat, dicens: *Convocatis Jeſus duodecim diſcipulis ſuis, dedit illis poteſtatem immundorum ſpirituum, ut ejicerent* E *eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem*. Ubi & additur: *Duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt hæc. Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus*; enumeratisque omnibus, poſtremus ponitur Judas Scariotes, qui & tradidit eum. Deinde ſequitur: *Hos duodecim miſit Jeſus*. Et poſt paullulum: *Euntes au-*

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 810.

tem prædicate dicentes, quia adpropinquavit regnum cælorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite. Cui rei subjungit alius Evangelista: *Et exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent, & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & sanabant.* De talibus, bonis videlicet ac malis prædicatoribus, loquens Apostolus, ait: *Quid enim? dum omnimodo sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuncietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo.*

V. Colligitur itaque ex prædictis rebus, quod nec sacerdotes, cum exaudiuntur, aut prædicando prosunt, meritis suis debent tribuere, sed eorum pro quibus hæc agunt; nec populus sacerdotis culpæ deputare, sed suæ, cum sacerdos nec orando proficit, nec loquendo; licet vario contingat modo, sicut beatus papa Gregorius affirmat, dicens: [1] *Sæpe enim pro sua nequitia prædicantium lingua restringitur; sæpe vero ex subjectorum culpa agitur ut eis qui præsunt, prædicationis sermo subtrahatur.* Hæc idcirco dicimus, ut ostendatur & per bonos & per malos bona posse administrari; plerumque autem bonos malis prodesse non posse, & ab utilitate ministerii prohiberi; sicut Dominus de infideli vinea loquens, ait: *Et nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.* Sed & Hieremiam idem Dominus prohibens: *Tu,* inquit, *noli orare pro populo hoc, nec adsumas pro eis laudem & orationem, quia non exaudiam te.* Ceterum quod supra diximus de Cain; si pro aliis sacrificium obtulisset, quod sine caritate fieri non potest, nullatenus diceretur, ad Cain & ad munera ejus non respexisse Dominum, in consequentibus melius demonstrabitur, si tamen dare dignatus fuerit Dominus. Interim de excellentia & dignitate sacerdotii vel sacerdotum cœpta persequamur.

VI. Noe, per quem restitutum est genus humanum, post diluvium ædificavit altare Domino, & obtulit holocausta; odoratusque est Dominus odorem suavitatis, & ait ad eum: *Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines.* Melchisedec rex Salem, sacerdos Dei excelsi fuisse scribitur; de quo Apostolus: *Intuemini,* ait, *quantus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham patriarcha.* Patres electi, Abraham scilicet, Isaac & Jacob, (de quibus Dominus ad David loquitur: *Feci nomen tuum sicut unius magnorum qui celebrantur in terra*) ædificasse leguntur altaria. Beatus quoque Job holocausta per singulos dies scribitur obtulisse; &, ut beatus Hieronymus ait, *antiqua Judæorum traditio est, quod ante legem omnes primogeniti fuerint sacerdotes, & Deo victimas immolarint.* In lege autem assumitur tribus Levi pro omni primogenito qui aperit vulvam in filiis Israel, fiuntque Levitæ Dei, diciturque ad Moysen: *Tolle Levitas pro primogenitis filiorum Israel, & pecora Levitarum pro pecoribus eorum, eruntque Levitæ mei. Ego sum Dominus. Externus qui ad ministrandum accesserit, morietur.* Et res mira, & vehementer stupenda! Omnes Levitæ quos numeraverunt Moyses & Aaron juxta præceptum Domini per familias suas in genere masculino a mense uno & supra, fuerunt viginti duo millia, sicut viginti duæ litteræ apud Hebræos, & viginti duo libri divinæ auctoritatis in veteri testamento. Ut id ipsum sit quod in Deuteronomio dicitur: *Scripsit itaque Moyses hanc legem, & tradidit eam sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam fœderis Domini, & cunctis senioribus Israelis.*

A VII. Sed & illud omni admiratione dignum est, quod primogeniti filiorum Israel, pro quibus dati sunt filii Levi, fuerunt masculi per nomina sua a mense uno & supra, viginti duo millia, ducenti septuaginta tres. Nam viginti duo, ut dictum est, numero litterarum concinit & librorum, habent supra duplicem centenarium, septemplicem denarium, & simplicem ternarium, numeros in divinis litteris sacratissimos. Ex hoc jam tempore non oportuit esse sacerdotes quoscumque primigenitos, sed tantum Levitas filios Aaron, qui separati sunt a populo, sicut scriptum est: *Tribum Levi noli numerare, neque ponas summam eorum cum filiis Israel; sed constitues eos super tabernaculum testimonii.* Et B post paullulum: *Cum proficiscendum fuerit, deponent Levitæ tabernaculum; cum castrametandum, erigent. Quisquis externorum accesserit, occidetur.* Et in tantum sequestrati sunt & prælati populo, ut jubeat Dominus Moysen dicere eis, Aaron scilicet & filiis ejus: *Sic benedicetis filiis Israel.* Et post benedictionem, *Invocabunt,* ait, *nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis.* Non illi benedicent, sed ego; illorum est invocare, meum est benedicere. In quibus verbis non excipit malos, sed de omnibus in commune loquitur, bonis videlicet & malis. Malos dicimus, sicut fuerunt Ophni, & Phinees, Somna, & Phadassur, & ceteri tales, licet isti in præsenti vita receperint vin- C dictam. Nec solummodo sacerdotum fuit orare pro populo, sed & omnium Levitarum, sicut ipse Dominus dicit: *Tuli Levitas pro cunctis primogenitis filiorum Israel, tradidique eos dono Aaron & filiis ejus de medio populi, ut serviant mihi pro Israel in tabernaculo fœderis, & orent pro eis, ne sit in populo plaga, si ausi fuerint accedere ad Sanctuarium.* Ubi notandum videtur, quia sicut omnes sacerdotes & Levitæ sancti & justi esse non potuerunt, ita nec omnes ceteri Israelitæ iniqui & peccatores: sed tamen per peccatores sacerdotes & Levitas completa sunt salutaria populi, quæ per justos populi impleri non potuerunt. Et quamquam æterna vita plus digni sunt justi populares quam injusti sacer- D dotes, tamen sacramenta in quibus salus populi consistit agere possunt injusti sacerdotes, quod non possunt justi populares: scilicet quia valet in qualicumque ministro ipsa vis ministerii, quod non valet justitia in eo cui non conceditur licentia ministrandi. Atque hoc etiam atque etiam Moyses populo inculcat, dicens: *Separavit Dominus tribum Levi, ut portaret arcam fœderis Domini, & staret coram eo in ministerio, ac benediceret in nomine illius.*

VIII. In tantum autem ab aliis intentanda sunt sacramenta altaris, ut dicat Dominus ad Aaron: *Tu & filii tui & domus patris tui tecum, porta-* E *bitis iniquitatem sanctuarii, & tu & filii tui simul sustinebitis peccata sacerdotii vestri.* Et post aliqua: *Si quis externus accesserit, occidetur.* Quod terribiliter legitur adimpletum in Oza, cum adduceret David arcam Domini de domo Aminadab, sicut scriptum est: *Et imposuerunt arcam Domini super plaustrum novum, tuleruntque arcam de domo Aminadab, qui erat in Gabaa.* Oza autem & Ahio filii Aminadab minabant plaustrum novum. Et post pauca: *Postquam autem venerunt ad aream Nachon, extendit manum Oza ad arcam Dei, & tenuit eam, quoniam calcitrabant boves, & declinaverant eam. Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate: qui mortuus est*

1. Homil. xvii. in Evangelia.

ibi juxta arcam Dei. Certe Oza injunctum sibi officium agebat, plaustrum minabat; & obsequii ejus esse videbatur, ut arcam Dei, quam recalcitrantes boves inclinaverant, sustentaret. Verum quia non erat officii ejus ut ea contingeret, quod ille sibi visus est fecisse pietate, reputatum illi a Deo est terribiliter in temeritatem, & tantam temeritatem quæ statim mortis supplicio plecteretur. Quam rem beatus David in tantum expavit, ut sequatur scriptura, dicens: *Extimuit David Dominum in die illa dicens: Quomodo ingredietur ad me arca Domini? Et noluit divertere ad se arcam Domini in civitatem David; sed divertit eam in domo Obededom Getthæi*. Unde & post aliquod temporis, cum audisset quod benedixisset Dominus domui Obededom Getthæi propter arcam Dei, vocatis ad se principibus sacerdotum ac Levitarum, sic legitur præcepisse: *Vos qui estis principes familiarum Leviticarum, sanctificamini cum fratribus vestris, & afferte arcam Domini Dei Israel ad locum qui ei præparatus est, ne ut a principio, quia non eratis præsentes, percussit nos Dominus; sic & nunc fiat inlicitum quid nobis agentibus*. E contrario Ozias rex, de quo legitur quod requisierit Dominum, & dilexerit eum in omnibus, [a] *cum roboratus esset, elevatum est cor ejus in interitum suum, & neglexit Dominum Deum suum; ingressusque templum Domini, adolere voluit incensum super altare thymiamatis; statimque ingressus est post eum Azarias sacerdos, & cum eo sacerdotes Domini octoginta, viri fortissimi, restiterunt regi, atque dixerunt: Non est tui officii, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujusmodi ministerium. Egredere de sanctuario, ne contemseris: quia non reputabitur tibi in gloriam hoc a Domino Deo. Iratusque est Ozias; & tenens in manu thuribulum ut adoleret incensum, minabatur sacerdotibus; statimque orta est lepra in fronte ejus coram sacerdotibus in domo Domini super altare thymiamatis. Cumque respexisset eum Azarias pontifex, & omnes reliqui sacerdotes, viderunt lepram in fronte ejus, & festinato expulerunt eum. Sed & ipse perterritus acceleravit egredi, eo quod sensisset illico plagam Domini*. Tali itaque contemtores sacerdotum ultione feriuntur, talis in sacerdotibus fortitudo & constantia prædicatur. Ob hanc & Azarias iste singulari laude attollitur, sicut scriptum est de eo. Azarias sacerdos de genere Aaron, ipse est qui sacerdotio functus est in domo quam ædificavit Salomon in Hierusalem.

IX. Tanta igitur sacerdotibus sacerdotii dignitate collata, præcipitur populo ut eis in cunctis obediat. Ait denique Moyses: *Accedent itaque sacerdotes filii Levi, quos elegerit Dominus Deus tuus ut ministrent ei, & benedicant in nomine ejus, & ad verbum eorum omne negotium & quicquid mundum vel immundum est judicetur*. Quam sit autem perniciosum non obedire sacerdotibus, miro modo etiam per Moysen dicitur: *Observa*, inquit, *diligenter ne incurras plagam lepræ; sed facies quæcumque docuerint te sacerdotes Levitici generis, juxta id quod præcepi eis, & imple sollicite*. Nam cum lepra infirmitas corporis sit, quur non potius medicis obediendum præcipit, sed sacerdotibus? nisi quia humiliter audiendo sacerdotes declinat quis immunditiam mentis, maxime erroris: ita tamen si sacerdos ea docuerit quæ Dominus præcepit. Hoc est enim quod dicit: *Facies quæcumque docuerint te sacerdotes, juxta id quod præcepi eis*. Nam si sacerdos aliud docuerit quam quod Dominus jussit, quisquis ei auscultaverit, leprosus leprosum sequitur, & cæcus cæcum; & consequenter ambo de castris expellentur, amboque in foveam cadent. Non ergo aliud doceat sacerdos, nisi quod Dominus præcipit, ut salubriter audiatur. Sic & Ezechieli Dominus loquitur: *Audies ergo ex ore meo sermonem, & annuntiabis eis ex me*. Audies, inquit, non aliunde, sed *ex ore meo, & annuntiabis ex me*, non ex te: quia qui loquitur mendacium, de suo loquitur. E contrario autem, *omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, & lux veritatis a patre luminum est*; nec est ullum bonum aut verum, nisi ab eo qui solus vere natura est bonus.

X. Sed videamus utrum apostolicæ quoque litteræ consonanter legi de his doceant. Beatus Paulus apostolus ad Hebræos scribens: „ Obedite, *ait*, „ præpositis vestris, & subjacete eis. Ipsi enim pervigilant; quasi rationem pro animabus vestris redditurі; ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes. *Ad Timotheum etiam scribens, ait*: „ Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina. Dicit enim scriptura, Non infrenabis os bovi trituranti. *Et*: Dignus est operarius mercede sua. Qua in re, *ut ait beatus papa* [1] *Gregorius*, considerandum est, quod uni eorum operi „ duæ mercedes debentur, una in via, altera in patria; una quæ nos in labore sustentat, altera quæ nos in resurrectione remunerat. *Item ad Corinthios, inter multa ad hæc pertinentia, dicit*: „ Quis pascit greges, & de lacte gregis non manducat? Numquid secundum hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique dicit? Nam propter nos scripta sunt: quoniam debet in spe qui arat arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritalia seminavimus, magnum est si vestra carnalia metamus? *Et post pauca*: Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; qui altario deserviunt, cum altario participantur? Ita & Dominus ordinavit his qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. *Itemque ibi*: Obsecro autem vos fratres, nostis domum Stephanæ & Fortunati, quoniam sunt primitiæ Achaiæ, & in ministerio sanctorum ordinaverunt se ipsos; ut & vos subditi sitis ejusmodi, & omni cooperanti & laboranti. Gaudeo autem in præsentia Stephanæ & Fortunati & Achaici, quoniam id quod vobis deerat, ipsi suppleverunt. Refecerunt etenim meum spiritum & vestrum. Cognoscite ergo qui ejusmodi sunt. *Item ad Thessalonicenses*: Rogamus autem vos fratres ut noveritis eos qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monent vos, ut habeatis illos abundantius in caritate propter opus illorum: pacem habete cum eis. „

XI. Hæc pauca veteris ac novi testamenti collegimus testimonia, in quibus quasi in speculo contueri valeamus fœditatem nostri temporis, omni lacrymarum fonte plorandam; quando increbuit consuetudo impia, ut pene nullus inveniatur anhelans & quantulumcumque proficiens ad honores & glo-

a II. Paral. XXVI. 16. seqq.

1 Homil. xvii. in Evangelia.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 810.

riam temporalem, qui non [1] domeſticum habeat ſacerdotem, non cui obediat, ſed a quo inceſſanter exigat licitam ſimul atque inlicitam obedientiam, non ſolum in divinis officiis, verum etiam in humanis; ita ut plerique inveniantur, qui aut ad menſas miniſtrent, aut ſaccata vina miſceant, aut canes ducant, aut caballos, quibus feminæ ſedent, regant, aut agellos provideant. Et quia tales, de quibus hæc dicimus, bonos ſacerdotes in domibus ſuis habere non poſſunt, (nam quis eſſet bonus clericus qui cum talibus hominibus dehoneſtari nomen & vitam ſuam ferret?) non curant omnino quales clerici illi ſint, quanta ignorantia cæci, quantis criminibus involuti; tantum ut habeant presbyteros proprios, quorum occaſione deſerant Eccleſias, [2] ſeniores, & officia publica. Quod autem non habeant eos propter religionis honorem, apparet ex hoc, quod non habent eos in honore. Unde & contumelioſe eos nominantes, quando volunt illos ordinari presbyteros, rogant nos aut jubent, dicentes: Habeo unum clericionem, quem mihi nutrivi de ſervis meis propriis, aut [3] beneficialibus, ſive pagenſibus; aut obtinui ab illo vel illo homine, ſive de illo vel illo pago. Volo ut ordines eum mihi presbyterum. Cumque factum fuerit, putant ex hoc quod majoris ordinis ſacerdotes non eis ſint neceſſarii, & derelinquunt frequenter publica officia & prædicamenta; impletumque eſt etiam in nobis quod ait Propheta: *Populus tuus ſicut hi qui contradicunt ſacerdoti. Et corrues hodie, & corruet etiam propheta tecum.* Et poſt paullulum: *Gloriam eorum in ignominiam commutabo. Peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum ſublevabunt animas eorum. Et erit ſicut populus, ſic ſacerdos, & viſitabo ſuper eum vias ejus, & cogitationes ejus reddam ei.* Vel illud quod ſcriptura alia loquitur, dicens: [a] *Poſt hæc verba non eſt reverſus Hieroboam de via ſua peſſima; ſed e contrario fecit de noviſſimis populi ſacerdotes excelſorum. Quicumque volebat, implebat manum ſuam, & fiebat ſacerdos excelſorum. Et propter hanc cauſſam peccavit domus Hieroboam, & everſa eſt & deleta de ſuperficie terræ.*

XII. Forſitans in his duabus ſententiis reſiſtat aliquis, dicens: Hæc dicta ſunt de decem tribubus Iſrael, quæ per Hieroboam receſſerunt a domo David, & civitate ſancta, ac templo & altari, ſive miniſterio electorum ſacerdotum; & propterea debent de hæreticis intelligi, qui recedunt a veri domo David, id eſt, Chriſti, & a communione vel doctrina ſacerdotum catholicorum. Nos ab Eccleſia non recedimus, nec ſpernimus nutrices [4] Eccleſias; ſed habemus ſacerdotes quales poſſumus. Conſideret qui hæc dicit quantis modis receditur a domo & corpore David, & inveniet proculdubio valde congruere in hac re omnibus improbandis factis, ſicut & doctores noſtri ſenſerunt. Quamquam ſunt aliæ divinæ auctoritatis multæ ſententiæ, in quibus ſine contradictione temeratio tantæ ſanctitatis arguitur. Sicut eſt illud Malachiæ prophetæ: [b] *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum eſt? & ſi offeratis claudum & languidum, nonne malum eſt?* Quæ ſententia poteſt quidem & de hoſtiis carnalibus vel ſpiritalibus ſpecialiter accipi, intelligitur tamen probabiliter etiam de offerenti-

A bus. Verum quia de his, quales eſſe vel non eſſe debeant, Patrum dicta ſunt plurima, nobis neceſſe eſt cum omni cordis contritione tractare, qui in his peſſimis temporibus ordinandi & regendi Eccleſias miniſterium ſortiti ſumus; ut ſi ex toto cavere non poſſumus, ſaltem quantulumcumque nobis ipſis ſuccurrere ſtudeamus, ne peccatis alienis communicemus, quia noſtra ſuperabundant, & cum iniquitates noſtræ ſupergreſſæ ſint capita noſtra, & ſicut onus grave gravatæ ſint ſuper nos, non contemnamus pie monentem Apoſtolum ac dicentem: *Manus cito nemini impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis.*

B XIII. Nempe ex quo fides Chriſti mundo annunciata eſt & recepta, non fuerunt rectores Eccleſiarum tantis periculis & tam gravibus atque inevitabilibus circumſepti. Quia, ſicut jam dictum eſſe meminimus, mundus in annis prioribus, velut in juventute viguit. At nunc ipſa ſua ſenectute deprimitur, & quaſi ad vicinam mortem moleſtiis creſcentibus urgetur. Quod nos abſque ambiguo de Eccleſia dicere poſſumus, quæ in annis prioribus ad tolerantiam paſſionum robuſta, in perfectione veritatis erecta, ad oſtenſionem ſignorum valida, ſtudio mirandæ continentiæ & abſtinentiæ accincta, contra rabiem luporum ſollicita, ad reſiſtendum improbis libera. At nunc omnibus infirmitatibus mentis ita eſt languida, ut ad dicendum quidem nec tutum ſit, nec poſſibile; ad cavendum vero, nec promtum, nec facile. Atque utinam vel dolere digne poſſemus annos iſtos famis & ſterilitatis, quos per ſomnium Pharao vidit, Joſeph vir ſanctus intellexit & expoſuit. Quippe fluvius ſæculi hujus, de quo aſcendere videbantur ſeptem boves pulcræ & craſſæ nimis, quæ paſcebantur in locis paluſtribus, præteritorum temporum ſignificationem gerit, quæ habuere doctores doctrina ſublimes, ſanctitate fulgidos, in defenſione veritatis rigidos. Nunc autem (quod ſine gravi dolore dici non poteſt) ex prædicto flumine jam emergunt aliæ boves fœdæ confectæque macie: de qua re ſi juxta gracilitatem ſermonis noſtri aliquid dicere tentamus, offendimus forſitan ad invicem. Tamen ſi Deo juvante in unum convenerimus, oportet nos de hoc diligenter & fideliter conloqui: quia & his in quibus ſanitas deficit, & infirmitas roboratur, moris eſt inde cogitare, inde interrogare, ut ad earum rerum perveniant cognitionem.

XIV. Quæramus etiam ne forte jam prope ſit, & timeamus ne nos in perditionem involvat illud quod terribiliter per Prophetam dicitur: *In die illo, dicit Dominus exercituum, auferetur paxillus qui fixus fuerat in loco fideli, & frangetur, & cadet, & peribit quod pependerat in eo, quia Dominus locutus eſt.* Ita ut conſequenter impleatur quod Veritas dicit: *Verumtamen filius hominis veniens, putas inveniet fidem ſuper terram?* Tamen quia Veritas ipſa dicit iterum: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi,* proculdubio erunt ſemper in Eccleſia, cum quibus ille ſit, eruntque fortiſſimi ac robuſtiſſimi pugnatores Dei, adverſum quos ille qui nunc ligatus eſt in abyſſo, ſolutus, totis viribus permittetur belligerare, quos divina gratia idoneos reddet adver-

[a] III. Reg. XIII. 33. 34. [b] Malach. I. 8.

1. Viri principes olim indulgentia epiſcoporum habebant domeſticos ſacerdotes, qui eis in agro divina officia celebrarent. Agobardi ætate indulgentia in neceſſitatem verterat. Confer ſis Hincmari Capitula data anno 874. cap. v.
2. Maſſonus, *ſermones*.
3. *Vaſſalis*, *feudatariis*.
4. *Parochiales*, alias *Matrices*.

sum tam immanem bestiam dimicare, & victores A de ea exsistere. Adhortemur itaque nosmet ipsos per singulos dies, non deferentes collectionem nostram. Audiamus Dominum per Prophetam monentem: *Congregate triticum in horreum meum, & sit cibus in domo mea.* Triticum utique illud evangelicum, de quo dicitur: *Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? Beatus enim ille servus, quem, cum venerit Dominus, invenerit ita facientem.* At si hoc semper necessarium fuit, quanto magis nunc, quando jam propius est tempus illud, de quo Dominus ait: *Ecce dies venient, & mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei, & deficient virgines bonæ.* B Interim tamen, sicut alius Propheta loquitur: *Quid bonum ejus, aut quid pulcrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* In quibus verbis magnopere necesse est unicuique nostrum subire contra semet ipsum judicii districtionem, & exigere a semet ipso veritatis confessionem, utrum sollicitior sit ad congregandum vinum in quo est luxuria, an vinum germinans virgines.

XV. Hæc brevissime de nobis dicta sint, quæ pertinent ad officium & ministerium nostrum. Dein dicamus fidelibus laicis, qua fide & spe venerari C studeant sacramenta divina in omnibus communiter sacerdotibus; sive sint diligentes sive negligentes, sive sint providi sive torpentes. Sacramenta etenim divina, baptisma scilicet, & confectio corporis ac sanguinis Domini, ceteraque in quibus salus & vita fidelium consistit, tam magna & sancta sunt, ut nec bonorum meritis meliorari, nec malorum perversitate possint deteriorari; cum ad invocationem summi sacerdotis, non humana virtute, sed sancti Spiritus perficiantur ineffabiliter majestate. Nullo modo igitur, sicut beatus Augustinus docet, *sacramentum Christi in bonis ministris approbandum est, in malis respuendum, quasi aut hujus aut hujus sit,* D *cum in utroque idem sit, & non nisi Dei sit. Et quamvis in pessimis bonum sit, etsi hominum qui hoc agunt alius est alio deterior, non ideo illud quod agunt deterius est in illo quam in isto: quia nec in duobus catholicis malis, si unus sit alio deterior, deteriorem baptismum gerit: nec si unus eorum sit bonus, alius malus, in malo malus est baptismus, & in bono bonus, sed in utroque bonus: sicut lumen solis, vel etiam lucernæ, non utique deterius est in oculis deterioribus, quam in melioribus; sed idem in utrisque, quamvis eos diverse pro illorum diversitate vel lætificet vel excruciet.*

XVI. Similiter autem & beatus papa Gregorius E de non contemnendis divinis sacramentis in qualibuscumque ministris Dei sub quodam congruo exemplo admonet, dicens: „ Sæpe, fratres mei, solet evenire quod dico, ut persona potens famulum habeat despectum; cumque per eum suis forte vel extraneis responsum aliquod mandat, non despicitur persona loquentis servi, quia servatur in corde reverentia mittentis domini; nec pensant qui audiunt, per quem; sed quid, vel a quo audiant. Ita ergo, fratres, ita vos agite. Etsi forsitan nos digne despicitis, in mente tamen vestra vocantis Domini reverentiam servate. *Idem etiam Pater de eisdem rebus in quadam episcoporum exhortatione sic loquitur:* „ [1] Et per nos quidem fideles ad sanctum baptisma veniunt, nostris precibus benedicuntur, per impositionem manuum nostrarum a Deo Spiritum sanctum percipiunt, atque ipsi ad regnum cæleste pertingunt. Et ecce nos per negligentiam nostram deorsum tendimus. Ingrediuntur electi sacerdotum manibus expiati cælestem patriam, & sacerdotes ipsi per vitam reprobam ad inferni supplicia festinant. Cui ergo rei, cui similes dixerim sacerdotes malos, nisi aquæ baptismatis, quæ peccata baptizatorum diluens, illos ad regnum cæleste mittit, & ipsa in cloacas descendit? Timeamus hæc, fratres. Conveniat actionem nostram ipsum ministerium nostrum. De peccatorum nostrorum cotidie relaxatione cogitemus; ne nostra vita peccato obligata remaneat, per quam omnipotens Deus cotidie alios solvit. „

XVII. Consonanter quoque & beatus papa Anastasius de his docet, dicens: „ [2] Nam & baptismum, quod procul sit ab Ecclesia, sive ab adultero vel a fure fuerit datum, ad percipientem munus pervenit inlibatum, quia vox illa quæ sonuit per columbam, omnem maculam humanæ pollutionis excludit, qua declaratur ac dicitur: Hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Nempe & Judas, cum fuerit sacrilegus atque fur, quicquid egit inter Apostolos pro dignitate commissa, beneficia per indignum data, nulla ex hoc detrimenta senserunt. Quicquid ergo ad hominum provectum quilibet in Ecclesia minister pro officio suo videtur operari, hoc totum contineri implendum divinitatis effectu, ita ille per quem Christus loquitur, Paullus affirmat: Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. A Deo autem non quæritur, quis vel qualis prædicet, sed quem prædicet, ut invidos etiam bene Christum prædicare confirmet. Mali itaque bona ministrando, sibi tantummodo nocent, nec Ecclesiæ mysteria commaculant. Ac per hoc nullatenus debent metuere qui vel in consecrationibus vel in baptismate mysteria tradita suscipiunt, ne irrita beneficia divina videantur: quia virtutem suam obtinentibus mysteriis, in hoc aliis rea sibi persona non nocet. „

XVIII. Hæc igitur sensa Patrum & definitiones posuimus, ut noverint fideles populi, nihil se lædi criminibus sacerdotum in acceptione sacramentorum; si tamen juxta regulam a Domino positam, vel secundum traditionem ecclesiasticam, celebrentur. Ceterum summopere necesse est præcaveri, ut in ordinandis offerendisve ministris non communicemus, ut supra dictum est, peccatis alienis, criminosos videlicet ad sacerdotium promovendo, aut, quod adhuc multo deterius est, ignorantia cæcos, qui vel secundum tenorem ecclesiasticum nesciant peragere ipsa mysteria, quod omnino est improbandum, & nullo modo admittendum, vel cæcis ducatum præbeant ad foveam æternæ damnationis. Quod & Dominus terribiliter se reprobare demonstrat, dicens per Prophetam: *Qnia tu scientiam repulisti, repellam te & ego ne sacerdotio fungaris mihi.* Et iterum: *Sacerdotes contempserunt legem meam, & polluerunt sanctuaria mea, inter sanctum & profanum non habuerunt distantiam, & inter pollutum & mundum non intellexerunt.* Cum e contrario secundum præcepta apostolica debeamus esse parati semper ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea

1. Homil. xvii. in Evangelia.

2. Decreta Anastasii cap. vii. viii.

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 810.



quæ in nobis est spe, & oporteat prædicatorem esse amplectentem eum, qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. Quamquam enim socerdos & vita & doctrina inreprehensibilis esse debeat, quo rite & audiatur & imitetur; tamen si unum horum defuerit, tolerabilius est illi obedire qui bene docet & reprehensibiliter vivit, quam illi qui & nequiter vivit, & quid doceat nescit. Illi namque erant similes de quibus Dominus jubebat, dicens: *Quæ dicunt facite; quæ autem faciunt, facere nolite*. Scilicet quia hæc observantes, sine sui periculo tales poterant sustinere rectores. De isto autem, cum sit totus inutilis & totus noxius, & sine periculo nec audiri possit nec imitari, recte a quibusdam dictum intelligitur in Evangelio: *Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit*. Rursumque in Proverbiis: *Non decent stultum deliciæ, nec servum dominari principibus*. Itemque ibi: *Labia justi erudiunt plurimos. Qui autem indocti sunt, in cordis egestate morientur*. Et iterum: *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii, sic qui tribuit insipienti honorem*. Licet hæc sententia præcipue illos tangat, qui tales ordinare præsumunt.

XIX. Et quoniam nobis nunc de dignitate sacerdotii sermo est, sed & sacerdotum, si tamen concordent moribus ministerio; in fine opusculi sciendum sollicite est quatuor eorum esse genera, unum amandum, alterum tolerandum, tertium contemnendum, quartum anathematizandum. Amandum itaque genus rectorum est bene viventium, & bene docentium. Tolerandum autem bene quidem docentium, sed reprehensibiliter viventium; aut bene viventium, & propter simplicitatem sensus docere alios non valentium. Hujus generis priores audiendi sunt, non imitandi, sicut Dominus de talibus loquens, ait: *Quæ dicunt facite; quæ autem faciunt, facere nolite*. Sequentes, si eorum vita pietati subdita est, pietatisque doctoribus adhærens, tendunt proculdubio ad finem præcepti, quod est caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Potest quidem & eorum vita aliquibus esse doctrina. Attamen tales inter perfectos prædicatores deputari non possunt, quia non habent unde proferant nova & vetera. Et sicut Patres dixerunt: *Latratu canum, & baculo pastoris, luporum rabies deterrenda est*. Contemnendum vero, sicut supra diximus, genus est reprehensibiliter viventium, & quid doceant ignorantium. Postremum, quod & anathematizandum diximus, qualitercumque viventium, id est, vel bene vel male, sed tamen male docentium. Sunt enim hæretici, etiamsi bene vivant.

XX. Deprehensi igitur inter tantas ac tales angustias, de quibus viribus nostris evadere non possumus, summopere necessarium est, ut ei qui omnia facere potens est supra quam petimus aut intelligimus, ex toto corde supplicemus, quatenus per abundantiam misericordiæ suæ tenens manum dexteram nostram, in voluntatem suam dirigat nos, & cum gloria assumat nos; ipse regat regentes, ipse dirigat dirigentes; ut possimus pascere gregem ejus cum disciplina, & non in vasis pastoris imperiti; ipse præstet virtutem & fortitudinem populo, & exhibeat ipse sibi mundum & candidum gregem, atque in omnibus immaculatum ac supernis ovibus dignum, ubi est habitatio lætantium in splendoribus sanctorum, in templo ejus omnes dicamus gloriam, grex simul & pastores, in Christo Jesu Domino nostro, cui est honor & virtus in sæcula sæculorum. Amen. Opto te pater & frater reverentissime, & dilectissime in Christo semper bene valere, & nostri meminisse.

ITEM LIBER

CONTRA INSULSAM VULGI OPINIONEM

De grandine & tonitruis.

I. In his regionibus pene omnes homines, nobiles & ignobiles, urbani & rustici, senes & juvenes, putant grandines & tonitrua hominum libitu posse fieri. Dicunt enim, mox ut audierint tonitrua, & viderint fulgura, *Aura levatitia est*. Interrogati vero quid sit aura levatitia, alii cum verecundia, parum remordente conscientia, alii autem confidenter, ut imperitorum moris esse solet, confirmant incantationibus hominum, qui dicuntur [1] Tempestarii, esse levatam, & ideo dici levatitiam auram. Quod utrum verum sit, ut vulgo creditur, ex auctoritate divinarum scripturarum probetur necesse est. Sin autem, ut falsum est, absque ambiguo credimus, summopere exaggerandum est, quanti mendacii reus sit, qui opus divinum homini tribuit. Nam per hoc inter duo mortifera maximaque mendacia constringitur, dum testificatur hominem facere posse quod solius Dei est posse, & Deum non facere quæ facit. Si vero in mendaciis minorum rerum veraciter est tenendum quod scriptum est: [a] *Sermo obscurus in vacuum non ibit; os autem quod mentitur, occidit animam*. Et iterum: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*. Et: *Testis mendax peribit*. Vel: *Testis falsus non erit impunitus*. Vel etiam illud quod in Apocalypsi Joannis apostoli legitur: *Beati qui lavant stolas suas, ut sit potestas eorum in ligno vitæ, & portis intrent in civitatem. Foris autem canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis servientes, & omnis qui amat & facit mendacium*. Quanto magis in tam gravi mendacio, ut istud ostendi potest, de quo nunc loquendum suscepimus, quod non minus aliquorum hæreticorum mendaciis invenitur. Beatus Paullus apostolus dicit: *Invenimur autem & falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus adversum Deum, quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit, si mortui non resurgunt: nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit*. Sicut ergo omnes qui Christum Dominum resuscitatum a Patre prædicant, falsi testes

a Sap. I. 11.

1. Aliter *Sortiarii* & *Tempestuarii*.

Dei invenirentur, si mortui non resurgerent; sic A etiam iste, qui admirabile & valde terribile opus Dei Deo aufert ut homini tribuat, falsus est sine dubio testis Dei.

II. Plerosque autem vidimus & audivimus tanta dementia obrutos, tanta stultitia alienatos, ut credant & dicant quamdam esse regionem, quæ dicatur Magonia, ex qua naves veniant in nubibus, in quibus fruges, quæ grandinibus decidunt, & tempestatibus pereunt, vehantur in eamdem regionem, ipsis videlicet nautis aereis dantibus pretia Tempestariis, & accipientibus frumenta vel ceteras fruges. Ex his item tam profunda stultitia excæcatis, ut hæc posse fieri credant, vidimus plures in B quodam conventu hominum exhibere vinctos quatuor homines, tres viros, & unam feminam, quasi qui de ipsis navibus ceciderint: quos scilicet per aliquot dies in vinculis detentos, tandem collecto conventu hominum exhibuerunt, ut dixi, in nostra præsentia, tamquam lapidandos. Sed tamen vincente veritate, post multam ratiocinationem, ipsi qui eos exhibuerant, secundum propheticum illud confusi sunt, sicut confunditur fur quando deprehenditur.

III. Verum quia hic error, qui tam generaliter in hac regione pene omnium mentes possidet, ab C omnibus ratione præditis dijudicandus est; proferamus testimonia scripturarum, per quæ dijudicari possit: quibus inspectis, non nos ipsi, sed ipsa veritas expugnet stultissimum errorem, & omnes qui cum veritate sentiunt, arguant vasa erroris, dicentes cum Apostolo: *Omne mendacium ex veritate non est.* Quod autem ex veritate non est, ex Deo utique non est; & quod ex Deo non est, verba ejus non audit; sicut ipsa per se Veritas dicit: *Qui est ex Deo, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Quod in alio quoque loco aliis etiam verbis dicit: *Oves meæ vocem meam audiunt. Propterea vos non auditis, quia non estis* D *ex ovibus meis.* Itemque alibi: *Omnis quis est ex veritate, audit vocem meam.* Omnis itaque qui mendacium credit, aut loquitur, aut astruit quod non est, & tenendo quidlibet quod non est, quo nisi ad non esse tendit? quia item ad non esse tendit; proculdubio ab eo qui est recedit, qui dixit Moysi: *Sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos.* Et de quo beatus Job loquitur: *Ipse enim solus est.* Atque ut apertius loquamur, veritas essentiam habet, vel potius essentia est in propria substantia, quia subsistit; mendacium vero, quia nullam habet essentiam, nihil enim est, non subsistit. Solus ergo Deus est, quia solus verum esse habet, qui non accepit ut esset. Omnes autem res E ab eo creatæ, & quidem sunt; sed verum & summum illud esse non habent, quia acceperunt ut essent. Porro mendacia, quia non acceperunt ut essent, nullum esse habent. Ac per hoc, is qui mendacio adhæret, ei rei adhæret quæ non est: quamquam nec rei dicendum sit. Qui autem ei adhæret quod non est, non solum ab eo recedit qui fecit eum, sed etiam ab eo ipso quod factus est; quoniam non amplius quam duo esse sunt; unum summum, quod suum esse non accepit ab alio; alterum magnum, quod suum esse a Deo accepit; id est, creator, & creatura. Mendacium igitur, quia non est creator, non est summum esse; quia non est creatura, non est magnum esse; quia nullam habet essentiam, non est ullum esse. Qui ergo vult persistere in eo quod est, non recedat ab eo qui ei dedit esse. Qui autem non vult recedere ab eo qui vere est, fugiat quod omnino non est, id est, mendacium.

IV. Quoniam ergo omnis mendax, falsitatis assertor est, & omnis assertor falsitatis, falsus testis est, agens contra veritatem; videamus jam, isti qui opus divinum auctore homine fieri dicunt, utrum fulciantur aliqua auctoritate. In sacris igitur scripturis, ubi primum grando introducitur, in plagis utique illis, quibus Ægyptus percussa est, invenitur. Septima denique plaga Ægypti ista est. Dixit autem Dominus: [a] *En pluam hac ipsa hora cras grandinem multam nimis, qualis non fuit in Ægypto a die qua fundata est, usque in præsens tempus.* In his itaque verbis Dominus se ipsum dicit missurum grandinem in crastina, non aliquem hominem, certe nec Moysen aut Aaron, qui justi & Dei homines erant, nec Jamnem & Mambrem incantatores Ægyptiorum, qui scribuntur magi Pharaonis, quos Apostolus dicit restitisse Moysi, sicut & hi resistunt veritati. Jam equidem illi, sicut scriptum est, per incantationes Ægyptias & arcana quædam projecerant singuli virgas suas coram Pharaone, & versæ fuerant in dracones, licet virga Aaron devoraverit virgas eorum. Jam aquas verterant in sanguinem, jam ranas produxerant e fluminibus, licet eas cohibere non possent, sicut Moyses in verbo Domini fecit, ut tantum in flumine remanerent. At cum ventum est ad scyniphas, & nihil inde facere potuissent, dixerunt digitum Dei sibi esse contrarium, nihilque ulterius tale conati. Certe si quilibet homo grandinem potuisset immittere, Jamnes & Mambres immisissent, quia aquas converterunt in sanguinem, & ranas de fluminibus produxerunt, quod isti facere non possunt, qui nunc dicuntur Tempestarii.

V. Sequitur autem in eodem loco Scripturæ: [b] *Extendit Moyses virgam in cælum, & Dominus dedit tonitrua & grandinem, ac discurrentia fulgura super terram, pluitque Dominus grandinem super terram Ægypti, & grando & ignis mixta pariter ferebantur.* Ecce & hic locus solum Dominum ostendit creatorem & auctorem grandinis, non aliquem hominem. Dicant forsitan isti qui hominibus hoc tribuunt, Moysen extendisse virgam in cælum, & ideo per hominem immissam fuisse tempestatem. Certe Moyses servus Domini erat bonus & justus. Isti autem eos, quos dicunt Tempestarios, non audent fateri bonos esse & justos, sed malos potius, & iniquos, & dignos damnatione temporali & æterna, sed neque servos Dei, nisi forte conditione, non tamen voluntaria servitute. Nam si ad imitationem Moysi homines essent auctores grandinis, servi utique Dei essent, non servi diaboli. Quamquam præmissæ sententiæ neque illos ejus demonstrant auctores, sed solum omnipotentem Deum. Siquidem & Psalmista, qui hujus & grandinis meminit, de Deo dicit: [c] *Occidit in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina, & tradidit in grandine jumenta eorum, & possessiones eorum igni.* Sed quoniam in præsenti loco addit Psalmista immissionem per angelos malos; sciendum quod vindictarum aut probationum flagella per ministros malos exerceat Deus, qui voluntatem quidem nocendi de suo habeant, potestatem autem ab illo acci-

a Exod. IX. 18. b Ibid. ℣. 23. c Psalm. LXXVII. 47. 48.

piant. Sicut enim eorum propria est voluntas nocendi, sic solius Domini potestas, ut possint quæ volunt. Non est certe hominum potestas, neque bonorum, neque malorum, non est contrariarum fortitudinum potestas, sed solius Domini, qui earum malæ voluntati tribuit potestatem, in quantum vult, & abrogat in quantum non vult ut possint. Nam & in alio quoque psalmo Psalmista sic de Deo ait: *Posuit pluvias eorum, grandinem, ignem comburentem in terram ipsorum; & percussit vineas eorum, & contrivit lignum finium eorum.* Percussit vere, & vere contrivit; sed non homo, neque angelus malus, nisi solus Deus, sine quo legio malorum angelorum neque porcos potuit nocere, & in mare præcipitare. Deus plane, de quo dicitur: *Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, grando & carbones ignis, & intonuit de cælo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam, grandinem & carbones ignis.* Et cui cantavimus: *Fulgura coruscationem, & dissipabis eos; emitte sagittas tuas, & conturbabis eos. Qui operit cælum nubibus, & parat terræ pluviam, qui dat nivem sicut lanam, mittit crystallum suum sicut buccellas, mittet verbum suum & liquefaciet ea, flabit spiritus ejus, & fluent aquæ.* Quem laudant de terra, non solum dracones abyssi, *verum etiam ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus*; non verbum hominis, non verbum angeli mali.

VI. Legimus etiam de grandine in libro Jesu Nave ità: [a] *Congregati igitur ascenderunt quinque reges Amorrhæorum, rex Hierusalem, rex Hebron, rex Hierimot, rex Lachis, rex Eglon, simul cum exercitibus suis, & castrametati sunt contra Gabaon, oppugnantes eam.* Et post pauca: *Dixitque Dominus ad Josue: Ne timeas eos. In manus enim tuas tradidi illos.* Et post pauca: *Cumque fugerent filios (Israel), & essent in descensu Bethoron, Dominus misit super eos lapides magnos de cælo usque Azecha; & mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filii Israel.* Ecce ergo & in hoc loco apparet, sine ulla imprecatione hominum Dominum misisse grandinem super eos, quos tali flagello dignos judicavit. Nam si mali homines, sicut sunt quos isti errantes nominant Tempestarios, id facere potuissent, super filios utique Israel fieret grando, non super adversarios illorum. Sed quia nec mali super bonos, nec boni super malos hoc facere possunt, evidentissime in hac sententia declaratur. Quod & liber quoque Sapientiæ attestatur, dicens Domino: [b] *Tuam manum effugere impossibile est. Negantes enim nosse te impii, per fortitudinem brachii tui flagellati sunt novis aquis, & grandinibus & pluviis persecutionem passi sunt, & per ignem consummati. Quod enim mirabile erat, in aqua, quæ omnia exstinguit, plus ignis valebat. Vindex est enim orbis justorum.* Et post pauca: *Nix autem & glacies sustinebant vim ignis, & non tabescebant; ut scirent quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens, in grandine & pluvia coruscans.*

VII. Si igitur omnipotens Deus per fortitudinem brachii sui flagellat inimicos justorum novis aquis & grandinibus & pluviis, cujus manum effugere impossibile est, omnino ignorantiam Dei habent qui hæc homines facere posse credunt. Nam si homines grandinem immittere possent, utique & pluvias possent. Nemo enim grandinem sine pluvia umquam vidit. Possent quoque de inimicis suis A se vindicare, non solum ablatione frugum, sed & vitæ ademtione. Quando enim contingit inimicos Tempestariorum esse in itinere aut in agris, ut eos occiderent, possent multiplicatam grandinem super eos in unam congeriem fundere, & obruere illos. Nam & hoc quidam dicunt, nosse se tales Tempestarios, qui dispersam grandinem, & late per regionem decidentem, faciant unum in locum fluminis aut silvæ infructuosæ, aut super unam, ut ajunt, cupam, sub qua ipse lateat, defluere. Frequenter certe audivimus a multis dici, quod talia nossent certe in locis facta; sed necdum audivimus, ut aliquis se hæc vidisse testaretur. Dictum est mihi aliquando de aliquo, quod se hæc vidisse diceret. Sed B ego multa sollicitudine egi ut viderem illum, sicuti & feci. Cum autem loquerer cum illo, & tentaret dicere se ita vidisse, ego multis precibus & adjurationibus cum divinis etiam comminationibus obstrinxi illum rogitans, ut non diceret illud nisi quod verum esset. Tunc ille affirmabat quidem verum esse quod dicebat, nominans hominem, tempus, & locum; sed tamen confessus est se eodem tempore præsentem non fuisse. Item in libro Ecclesiastici, qui prænotatur Jesu filii Sirach, scriptum est: [c] *Sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmaverunt tormenta sua, & in tempore consummationis effundent virtutem, & furorem ejus, qui fecit illos, confundent. Ignis,* C *grando, fames, & mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt. Bestiarum dentes, & scorpii, & serpentes, & romphæa vindicans in exterminium impiis.* Si igitur grando creata est, sicut & cetera quæ heic dicuntur, a Deo utique creata est, non ab homine. Item in prædicto libro scriptum legimus: [d] *Vide arcum, & benedic qui fecit illum. Valde speciosus est in splendore suo. Gyravit cælum in circuitu gloriæ suæ, manus Excelsi aperuerunt illum. Imperio suo acceleravit nivem, & accelerat coruscationes emittere judicii sui. Propterea aperti sunt thesauri, & evolaverunt nebulæ, sicut aves. In magnitudine sua posuit nubes, & confracti sunt grandinis lapides. In conspectu ejus commovebuntur montes,* D *& in voluntate ejus aspirabit notus. Vox tonitrui ejus verberabit terram, tempestas aquilonis, & congregatio spiritus; & sicut avis deponens ad sedendum aspergit nivem; & sicut locusta demergens descensus ejus. Pulcritudinem coloris ejus admirabitur oculus, & super imbrem ejus expavescet cor. Gelu sicut salem effundet super terram; & cum gelaverit, fiet tamquam cacumina tribuli. Frigidus ventus aquilo flabit, & gelabit crystallus ab aqua, super omnem congregationem aquarum requiescet, & sicut lorica induet se aquis. Devorabit montes, & exuret desertum, & exstinguet viride, sicut ignem. Medicina omnium in festinatione nebulæ, & ros obvians ab ardore venienti humilem efficiet eum. In* E *sermone ejus siluit ventus, cogitatione sua placabit abyssum, &* [e] *plantabit illum Dominus Jesus.*

VIII. Ecce in hac magna & prolixa Ecclesiastici libri sententia, cum subtilissima ammiratione imperio Dei tribuitur quicquid in aere fit, quicquid de aere in terram descendit, quicquid mari & ventis; apparitio, splendor, & gyrus arcus; festinatio nivis, terror coruscationis, velocitas nebulæ, suspentio ventorum, verberatio terræ, concertatio aurarum, congelatio aquæ, non solum in nubibus, sicut grandinis & nivis, sed etiam in terra, nivium, pluviæ, & stantium aquarum, vel fluminum discurrentium, & ex gelu desiccatio viridium

a Josue X. 5. 8. *b* Sap. XVI. 15. 16. 22. *c* Eccli. XXXIX. 33. seqq. *d* Eccli. XLIII. 12. seqq. *e* Ibid. ℣. 25.

rerum, sicut sæpe videmus, necnon & horum omnium resolutio, quæ fit tempore rorantium nebularum, & flatibus austri, & favoni. Ad sermonem quoque Dei dicit omnia ista conquiescere & placari. Non ergo in talibus adjutor homo quæratur, quia non invenietur, nisi forte sancti Dei, qui multa obtinuerunt, & obtenturi sunt: quorum aliqui potestatem habebunt claudere cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum, sicut Helias, & aquas convertendi in sanguinem, & percutere terram omni plaga, quotiens voluerint, sicut Moyses & Aaron Ægyptum. Vere non alius mittit grandinem tempore æstatis, nisi qui & nives tempore hiemis. Nam & utriusque una est ratio ut fiat, quando nubes utroque tempore solito altius elevantur.

IX. In libro quoque beati Job scriptum est: [a] *Ab interioribus egredietur tempestas, & ab arcturo frigus. Flante Deo concrescit gelu, & rursum latissime funduntur aquæ. Frumentum desiderat nubes, & nubes spargunt lumen suum; quæ lustrant cuncta per circuitum quocumque eas voluntas gubernantis Dei duxerit, ad omne quod præceperit illis super faciem orbis terrarum.* Attente audiendum quod dicitur: *Lustrant nubes per circuitum cuncta, sed quocumque eas voluntas gubernantis Dei duxerit.* Si ergo Deus eas gubernat, non potest homo iniquus eas aliam in partem convertere: quia nec imperare Deo potest, nec precibus obtinere meretur. Quod autem subjungitur, *ad omne quod præceperit illis super faciem orbis terræ*, quid aliud intelligendum, nisi ad omne quod præceperit Deus nubibus, vel ad flagellum, vel ad subsidium humanum, ad nives, ad grandines, ad pluvias, ad fulgura, vel fulmina, sive tonitrua, ex quibus plerumque alta ædificia prosterni solent? Sane non præcepto hominis, sed præcepto Dei, sicut in hac sententia legitur, in qua etiam post paullulum subditur: *Numquid scis quando præceperit Deus pluviis ut ostenderent lucem nubium ejus? Numquid nosti semitas nubium magnas, & perfectas scientias?* In quibus verbis hoc quoque notandum est, quia si homo non novit semitas nubium, nec perfectas earum scientias, multo minus novit earum officio hominibus prodesse vel obesse; exceptis, ut dictum est, sanctis, qui secundum voluntatem Dei multa per illum ipso donante possunt, non utique propria aut aliqua contraria virtute, sed voluntate conditoris: sicut sæpe multi servorum Dei orationibus obtinuerunt, ut tempore siccitatis pluvias Dominus largiri dignaretur.

X. Sic enim beatus Jacobus apostolus, factum Heliæ prophetæ in exemplum nobis proponens, exhortatur nos ad orationem recurrere pro tristitia, pro infirmitate, pro remissione peccatorum, dicens: *Orate pro invicem ut salvemini. Multum enim valet deprecatio justi assidua. Helias homo erat similis nobis, passibilis; & orationem oravit ut non plueret, & non pluit annos tres & menses sex. Et rursum oravit: & cælum dedit pluvias, & terra dedit fructum suum.* Helias itaque orationem oravit ut non plueret, & non pluit annos tres menses sex. Fecit autem hoc propter correptionem & correctionem gentis suæ, id est, ut prius corriperentur de aversione mentis, eo quod dereliquissent cultum Dei omnipotentis, & post sordes idolorum abirent, & postea flagellati & fatigati, exspectatione pluviarum A corrigerentur, & redirent ad Dominum Deum quem dereliquerant.

XI. Sic etiam Samuel propheta, & dux populi Israel, cum corriperet eumdem populum propter frequentissimas transgressiones illorum, replicans eis beneficia Dei omnipotentis, & eorum e contrario aversiones, intelligeret idem populus grande malum se fecisse, & Deum offendisse in petendo sibi regem, orando obtinuit ut insueto tempore terribiliter cum tonitruis & coruscationibus pluvia (caderet). Sic denique scriptum est dixisse populo Samuelem: [b] *State, & videte rem istam grandem quam facturus est Dominus in conspectu vestro. Numquid non* B *messis tritici est hodie? Invocabo Dominum, & dabit voces, & pluvias; & scietis & videbitis quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos regem. Et clamavit Samuel ad Dominum, & dedit Dominus voces & pluviam in die illa; & timuit omnis populus nimis Dominum & Samuelem, Dixitque universus populus ad Samuel: Ora pro servis tuis ad Dominum Deum tuum, ut non moriamur. Addidimus enim universis peccatis nostris malum, ut peteremus nobis regem.* Territi enim vocibus tonitruum & coruscis fulgurum, intercessionem sancti prophetæ, licet peccatores, tamen ut fideles postularunt; non sicut isti nostri semifideles, qui mox ut audiunt tonitrua vel cum C levi flatu venti, dicunt, *Levatitia aura est*, & maledicunt dicentes: *Maledicta lingua illa, & arefiat, & jam præcisa esse debebat, quæ hoc facit*: Dic, rogo, cui maledicis? justo, an peccatori? Peccator namque, & ex parte infidelis similis tui, auram, ut dicere soletis, levare non potuit; quia nec virtute sua valuit, nec angelis malis imperare potuit: quamquam nec eorum in hac re sit potestas. Domino non supplicavit, ut orando id obtineret: quia sicut vos, ita & illi quos Tempestarios putatis, præstigiis malis fieri hæc putant, non voluntate Dei: licet etsi a Domino Deo hoc peterent, non mererentur adipisci: quod utique justorum est, non iniquorum: qui in talibus rebus, etsi petunt a D Domino aliquid, infideliter & duplici animo petunt, non in certitudine fidei.

XII. Illo præterea tempore quando oratione Heliæ siccitas erat in terra Israel, etiam pascua pecoribus negabantur. Scriptum est enim: [c] *Dixit Achab ad Abdiam: Vade in terram ad universos fontes aquarum, & in cunctas valles, si forte invenire possimus herbam, & salvare equos & mulos, & non penitus jumenta intereant.* Ecce, ut apparet, de pluvia desperati quod non esset nisi juxta Heliæ verba, pro jumentis herbas quærunt juxta fontes & rivos aquarum. Jam enim sentiebant verum esse quod ipsi Achab Helias dixerat: *Vivit Do-* E *minus Deus Israel, in cujus conspectu sto, si erit annis bis ros & pluvia, nisi juxta oris mei verba.* Et certe Helias annos dixit quanti essent. Iste ergo Achab, ut dixi, quare non rogavit Tempestarios ut levarent tempestates, &, ut dicere soletis, auras levatitias, per quas irrigata terra habere posset herbas equis & mulis suis ceterisque jumentis, pro quibus sollicitus erat; maxime quia non timebat perdere fruges in campis, & vineas, quæ nullæ omnino tunc erant?

XIII. Nostris quoque temporibus videmus aliquando, collectis messibus & vindemiis, propter

a Job xxxvii. 9. seqq. b I. Reg. XII, 16. seqq. c III. Reg. XVIII. 5.

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 810.



siccitatem agricolas seminare non posse. Quare non obtinetis apud Tempestarios vestros, ut mittant auras levatitias, quibus terra inrigetur, & postea seminare possitis? Verum quia id vos nec fecistis, nec facere umquam vidistis & audistis; audite nunc quid ipse Dominus, rerum omnium conditor, rector, gubernator, ordinator, & dispensator, servo suo beato Job inter cetera etiam de hujusmodi rebus dicat. Etenim cum diabolus inventor mali, princeps & caput omnium malorum, accusator fratrum, accusasset beatum Job apud Dominum, dicens quod non recta intentione, id est, soli ei placendi, & solo eo fruendi illi serviret, sed pro terrenarum rerum multiplicatione ac defensione; expetiissetque eum tentandum, quatenus tentando ita verum esse ostenderet; improbus, superbus, & stultissimus, quasi mentem viri Dei melius nosset quam conditor ejus; Dominus quoque justus & misericors, justus ad confundendum diabolum, misericors ad exaltandum fidelem famulum suum, concessit illi potestatem, primum quidem in rebus omnibus, deinde vero in filiis, post etiam in salute corporis, ac deinceps in suasione conjugis, postremo autem in exprobratione & multifaria despectione famulorum. Sed diabolus victus & confusus recessit; servus Domini victor & triumphans excrevit. Volens igitur pius Dominus, secundum quod Apostolus dicit de se ipso, ne magnitudo eum revelationum extolleret, ita & illum, ne magnitudo victoriæ elatum redderet, humiliare, non ablatione rerum, quas perdiderat, non percussione corporis, per quam jam sicut aurum in camino examinatus erat, non comparatione alicujus magni viri, quia similis ei super terram nullus erat, quippe qui inter homines orientales magnus esset, cœpit tamen eum humiliare vehementer, sublimiter ostendendo illi immensitatem potentiæ suæ, ut fidelis famulus cognoscendo inæstimabilis atque incircumscripti conditoris ineffabilia magnalia, semet ipsum despiceret, & despiciendo inclinaret, sicuti & factum est. Nam hoc in verbis ejus apparet, quibus ait: [a] *Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla & cinere.* Quod alia translatio apertius declarat, dicens: [b] *Despexi memet ipsum, & distabui, & æstimavi me terram & cinerem.* In hac ergo humiliatione, cum omnipotens Deus sciscitaretur fidelem famulum, utrum ista aut illa facere posset, aut nosset quis fecerit, aut ubi esset quando fiebant, interrogat de talibus utique quæ nemo alius nisi solus omnipotens facere potest, & dicit: [c] *Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ?* Et: *Quis posuit mensuras ejus, vel super quo bases illius solidatæ sunt? Quis conclusit ostiis mare?* Et: *Numquid conjungere valebis micantes stellas, Pleiades, aut gyrum Arcturi poteris dissipare?* Et: *Numquid nosti ordinem cæli?* Et: *Numquid mittes fulgura, & ibunt?* & multa hujusmodi. Inter hæc, inquam, tanta ac talia, inquirit etiam ab eo dicens: *Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti, quæ præparavi in tempus hostis, in diem pugnæ & belli? Per quam viam spargitur lux, dividitur æstus super terram? Quis dedit vehementissimo imbri cursum, & viam sonantis tonitrui? ut plueret super terram absque homine in deserto, ubi nullus mortalium commoratur? ut impleret inviam & desolatam, & produceret herbas virentes? Quis est pluviæ pater? vel quis genuit stillas roris? De cujus utero egressa est glacies? & gelu de cælo quis genuit? In similitudinem lapidis aquæ durantur, & superficies abyssi constringitur.*

A XIV. Ecce igitur opera Dei magna, quorum rationem nec ipse beatus Job tam sublimiter, tam subtiliter antea poterat admirari. Si Dominus thesauros habet grandinis, & solus eos aspicit, quos beatus Job necdum aspexerat; ubi eos invenerunt isti Tempestarii, quos beatus Job non invenit, neque invenire possumus, sed neque æstimare ubi inveniantur? Dominus interrogat fidelem famulum, utrum sciat quis dederit vehementissimo imbri cursum, & viam sonantis tonitrui. Isti autem contra quos sermo est, ostendunt nobis homunculos a sanctitate, justitia, & sapientia alienos, a fide & veritate nudos; odibiles etiam proximis, a quibus dicant vehementissimos imbres, sonantia aquæ to- B nitrua, & levatitias auras posse fieri. Dominus dicit se hæc præparasse in tempus hostis, id est, ad vindictam. Isti eosdem ipsos hostes atque adversarios æquitatis (in quibus quam maxime, post eos qui terminos transferunt, auferunt pro pignore bovem viduæ, lacertos pupillorum comminuunt, nudos dimittunt homines quibus non est operimentum, egenos educunt de domibus eorum, homines contristant, vindicandum est) dicunt eorum habere potestatem, quæ Dominus ad vindictam hostium suorum præparavit. Dominus se dicit pluviæ patrem, & gelu de cælo se generasse confirmat. Isti miserrimos hominum dicunt habere magnam portionem hujus dispensationis. Quod in similitudinem C lapidis aquæ durantur, Dominus nobis mirandum proponit. Hoc si ad libitum miserrimorum horum hominum aliquando fieri posset, proculdubio mirandum non esset.

XV. Hæc stultitia est portio non minima infidelitatis; & in tantum malum istud jam adolevit, ut in plerisque locis sint homines miserrimi, qui dicant se non equidem nosse immittere tempestates, sed nosse tamen defendere a tempestate habitatores loci. His habent statutum quantum de frugibus suis donent, & appellant hoc canonicum. Multi vero sunt qui sponte sacerdotibus decimam numquam donant, viduis & orphanis ceterisque D indigentibus eleemosynas non tribuunt, quæ illis frequenter prædicantur, crebro leguntur, subinde ad hæc exhortantur, & non adquiescunt. Canonicum autem quem dicunt, suis defensoribus (a quibus se defendi credunt a tempestate) nullo prædicante, nullo admonente, vel exhortante, sponte persolvunt, diabolo inliciente. Denique in talibus ex parte magnam spem habent vitæ suæ, quasi per illos vivant. Hoc non est portio, sed fere plenitudo infidelitatis, & si diligenter consideramus, absque ambiguo pronuntiabimus, id plenitudinem esse infidelitatis. Tres namque virtutes sunt, secundum scripturas divinas, in quibus totus comprehenditur cultus, per quas colitur Deus, id est, E Fides, Spes, Caritas. Quicumque igitur fidem & spem suam partitus fuerit, ut ex parte credat in Deum, ex parte credat hominum esse quæ Dei sunt, & ex parte speret in Deo, ex parte autem speret in homine, hujus profecto fidem & spem divisam non accipit Deus; ac per hoc inter fideles censeri non potest; & quem partita fides & spes a numero fidelium secernit, vorago proculdubio infidelitatis absorbet; meritoque talis maledictum illud incurrit Prophetæ dicentis: *Maledictus homo qui spem suam ponit in homine.* Neque vero blandiatur sibi dicens: Magis spero in Deo quam in homine: quia spes per partes dividi non potest. Aut enim tota erit, & tuta; aut intuta erit, & nulla.

a Job. XLII. 6. b Ibid. c Job. XXXVIII. 4. seqq.

XVI. Ante hos paucos annos disseminata est quædam stultitia, cum esset mortalitas boum, ut dicerent [1] Grimaldum Ducem Beneventorum transmisisse homines cum pulveribus, quos spargerent per campos, & montes, prata, & fontes, eo quod esset inimicus Christianissimo imperatori [2] Carolo, & de ipso sparso pulvere mori boves: propter quam caussam multos comprehensos audivimus, & vidimus, & aliquos occisos, plerosque autem affixos tabulis in flumen projectos, atque necatos. Et, quod mirum valde est, comprehensi, ipsi adversum se dicebant testimonium, habere se talem pulverem, & spargere. Ita namque diabolus, occulto & justo Dei judicio, accepta in illos potestate, tantum eis succedere valebat, ut ipsi sibi essent B testes fallaces ad mortem; & neque disciplina, neque tortura, neque ipsa mors deterrebat illos, ut A adversum semetipsos falsum dicere non auderent. Hoc ita ab omnibus credebatur, ut pene pauci essent quibus absurdissimum videretur. Nec rationabiliter pensabant unde fieri posset talis pulvis, de quo soli boves morerentur, non cetera animalia: aut quomodo portari posset per tam latissimas regiones, quas superspargere pulveribus homines non possunt, nec si Beneventani viri & feminæ, senes & juvenes, cum ternis carris pulvere carricatis egressi de regione fuissent. Tanta jam stultitia oppressit miserum mundum, ut nunc sic absurde res credantur a Christianis, quales numquam antea ad credendum poterat quisquam suadere paganis creatorem omnium ignorantibus. Hanc itaque rem propterea ad medium deduximus, quia huic unde loquimur similis est, & vel exemplum poterat tribuere de inani seductione & vera sensus diminutione.

1. Duo fuere Grimoaldi, & alius alium excepit. Posterior occisus est anno 818. V. Chronicon S. Vincentii de Vulturno, & Eginardum.

2. Hinc patet hunc libellum scriptum initio Ludovici Pii.

ITEM LIBER
CONTRA OBJECTIONES
Fredigisi abbatis.

I. Reverentissimo ac beatissimo domino & patri Fredegiso [1] abbati. Dudum modestiæ vestræ benignitas adversum nos, peccatis nostris exigentibus, mota, talibus nos invectionibus perculit, quæ lenitatis ac sinceritatis vestræ modum excedere viderentur, nisi in refellendis nobis tali redargutione uteremini, quæ verbis tantum a vobis proferretur, corde tamen non approbaretur. Nam si illa omnia quæ adversum nos protulistis, & ex parte finxistis, ita a vobis sensa essent ut prolata sunt, non solum modestiam vestram transgrederemini, verum etiam veritatem offenderetis. Et idcirco, sapientissime vir, si dignatur admittere magnitudo vestra, nitimur nos per has litterulas purgare ab illis criminibus, quæ adversum nos in vestris litteris exarata reperimus. Recordari dignamini litterarum vestrarum, quas tunc adversum nos novissime dedistis; & cognoscite contra quæ crimina nunc respondere curamus.

II. Scripsistis igitur in præfatione dicentes: *Si ad omnia quæ in vestræ dilectionis chartula scripta reperimus, respondendum judicaremus, non tantum chartulæ, verum prolixioris libri modum excedere videremur. Sed quia compendii caussa, pauca ex plurimis summatim attingere libuit.* Ex quibus verbis vestris apparet, omnia vos illa reprehendisse quæ in nostra chartula scripta reperistis. Sed qui omnia reprehenditis, nihil laudatis; cuncta refellitis, nihil recipitis; quam juste hoc faciatis, ex istis perpendite, quæ compendii caussa summatim attigistis. Quia si ista tam injuste reprehendistis, quanto injustius illa quæ reliquistis? Et primum quidem de his quæ vobis attingere libuit, assumitis refragandam nostram sententiam, qua diximus: *Qui enim vere humilis est, abjecta de se sentit; & qui abjecta de se sentit, errasse se non dubitat.* Quam sententiam ut veram non esse ostendere videamini, probatis Dominum Jesum Christum vere humilem C fuisse, & dicitis: *Quia vere humilis erat secundum nos, abjecta de se sentit, & errasse se non dubitavit.* Quod quam calumniose a vobis dictum sit, quæsumus dignamini perpendere. Quis enim fidelium ignorat, quia nec nos debemus umquam, cum de abjectionis humilitate & peccati confessione loquimur, quæ vera in omnibus proculdubio esse debent, Dominum nostrum Jesum Christum ceteris hominibus permiscere; nec vos debuistis pro eo quod Dominus Jesus Christus abjecta de se non sensit, & errasse se numquam cognovit, ceteros homines ab humilitate abjectionis peccati confessione defendere in tantum, ut ex hoc probare velitis, sicut in vestris apparet litteris, nullum vere D humilium abjecta de se sentire, nullum se peccatorem fateri debere.

III. Nempe, o venerablis magister, putabat ac putat nostra insipientia, quia cum de talibus rebus loquitur homo, non debet Dominum nostrum Jesum Christum ceteris aggregare hominibus: quia humanitas quæ a Verbo assumta est, quamquam habeat naturam nostrorum corporum, non tamen habet originem. Nos enim humano semine coagulamur, ille de Spiritu sancto natus est: qui etsi homo factus est propter nostram salutem, Deus tamen esse non desiit: qui licet homo verus sit, verus tamen & unus est Deus cum Patre & Spi- E ritu sancto. Illa namque humilitas, qua Dominus noster Jesus Christus, cum in forma Dei Patris esset, semetipsum exinanivit ut formam servi acciperet, inclinatio fuit miserationis, non evacuatio potestatis; qui etsi abjecta passionis pertulit, tamen Deo Patri æqualem se esse innotuit. Æqualis omnino est Patri, non minor est gloria, non posterior tempore, non inferior potestate: qui propterea factus est homo, non ut erraret, sed ut erraticam ovem inventam humeris suis gestaret, & ad domum cælestis patriæ, ad paternam scilicet vi-

1. S. Martini Turonensis post Alcuinum.

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 810.



sionem perduceret. Et idcirco non est consequens, immo valde injustum est, ut cum quis ea quæ hominum sunt vere loquitur, alter dominicæ comparatione evacuet. Iterum atque iterum dicimus, quia pervicacis hominis est dominico exemplo impugnare ea quæ de puris hominibus veraciter dicuntur, quorum nullus exsistit sine peccato, sicut scriptum est: *Non est justus quisquam qui faciat bonum, & non peccet*. Et iterum: *Nemo mundus a sorde, etiam si unius diei fuerit vita ejus super terram*. De Domino Apostolus Petrus testatur, dicens: *Quia peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*. Numquid quia hoc verum est, propterea hoc verum non erit illud quod Paullus ait: *Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei?*

IV. Quia dicitis, *His bene perspectis, apparebit hanc vestram non esse veram ratiocinationem*; hæc qualiter dixeritis æstimare non possumus; affirmare tamen audemus, quia qui hanc ratiocinationem veram esse negat, necdum cognovit quemadmodum eam oporteat scire. Quid ergo est quod Apostolus, dum de Domino loqueretur, dicens: [a] *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens*, præmisit: *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Jesu*. Et paullo ante dixerat: [b] *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes*. Si verum non est, ut is qui vere humilis est, abjecta de se sentiat; quare Abraham cum Domino loquens, cinerem se pulveremque fatetur? Moyses quoque non se esse eloquentem testatur, & ex quo ei Dominus loqui cœpit, impeditiorem & tradiorem se esse linguam dicit. De se quoque & Aaron ad populum ait: *Nos enim quid sumus?* Gedeon etiam, quem angelus fortissimum virorum appellat, ille e contrario tam abjecta de se sentit, ut se minimum in domo patris sui dicat, & familiam suam infimam in Manasse. Saul quoque cum pene his verbis de minima tribu esse se diceret, & in eadem tribu minimum se recognosceret, ita ut indignum se regio honore fateretur, in regem electus est. Unde Dominus ei loquitur: *Cum esses parvulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es*. David quoque (de quo Dominus loquitur, *Inveni virum secundum cor meum*, quia vere humilis erat) tam abjecta de se sensit, ut non solum ad regnandum indignum se esse testaretur, verum etiam gener fieret regis; qui postea de ipso clamat ad Saul: *Quem persequeris, rex Israel? canem mortuum, & pulicem unum*. Sicque persequi conqueritur, quasi si persequatur perdix in montibus. Postea vero cum esset in magna regni gloria, nullumque adversarium pateretur, ait: *Ludam, & vilior fiam plusquam factus sum, eroque humilis in oculis meis*. Et iterum: *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me*, & cetera. Errasse se quoque non dubitavit, quia sæpissime non solum errores suos confitetur, sed etiam iniquitates, peccata, delicta, scelera, infirmitates quoque, & turbationes, timorem, ac tremorem, anxietatemque cordis: quorum omnium testimonia si ponere voluerimus, prolixi operis series ordinabitur.

V. Vos dicitis quia non est vera ratiocinatio, ut qui vere humilis est, abjecta de se sentiat, aut peccasse se indubitanter credat. Nos vero e contrario per hanc ratiocinationem omnes sanctos in suis precibus a Domino exauditos esse novimus; sicut Danielem in suam exomologesin, ubi confitebatur non solum peccata sua, & peccata populi sui, verum etiam peccata regum ac principum, vel sacerdotum. Tres etiam pueri in camino ignis clamabant in veritate & judicio: *Induxisti omnia hæc propter peccata nostra. Peccavimus enim, & inique egimus, recedentes a te*. Dominus quoque in Evangelio testatur publicanum, qui ascenderat cum Pharisæo in templum ut oraret, idcirco justificatum descendisse in domum suam, quia abjecta de se sciens, a longe stabat, & nolebat nec oculos ad cælum levare; & peccasse se non dubitans, percutiebat pectus suum, dicens: *Deus, propitius esto mihi peccatori*. De centurione quoque quare Dominus ait quod nec in Israel tantam fidem invenerit, nisi quia idem centurio abjecta de se sentiens, & alta de Domino sapiens, semetipsum, ut ait, indignum arbitrabatur ire ad deprecandum Dominum ut sanaret puerum ejus, sed potius amicos suos misit, & iterum per internuntium mandavit Domino, dicens: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum*. Mulier vero Chananæa, cui Dominus clamitanti respondit, *Non est bonum sumere panem filiorum & mittere canibus*, statim consentiens, ait: *Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum*. Et idcirco audire meruit: *O mulier, magna est fides tua*.

VI. Quod si aliquis objecerit nobis verba justi vere humilis dicentis: [c] *Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus*. Et iterum: *Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ*: audiat rursum eumdem justum humiliter confitentem: *Peccavi. Quid faciam tibi, o custos hominum?* Et iterum: [d] *Quantas habeo iniquitates, peccata, scelera, atque delicta, ostende mihi*. Et iterum Scriptura dicit quia is quem Deus propterea flagellat, ut doloribus eruditus abjectionem & peccata sua recognoscat, respicit homines & dicit: *Peccavi, vere deliqui, ut eram dignus non recipi*. Quare ergo vos dicitis non esse verum, ut vere humilis abjecta de se sentiat, aut peccasse se credat; cum apertissime pateat hoc proprium esse sanctorum, non superborum? Cur Joannes Apostolus ait: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Si vero confiteamur delicta nostra, fidelis est, & justus, ut remittat nobis peccata*. Qui si secundum vos magna de se, non abjecta, sentire voluisset, habebat unde gloriaretur, quia & supra pectus Domini recubuit: & præ ceteris discipulis ab illo dilectus est. Jacobus quoque Apostolus ait: *In multis enim offendimus omnes*. Quæ si quis putaverit non veraciter, sed tantum humiliter dicta, noverit se in hoc sensu Pelagium sequi; & propterea, si corrigi vult, legat libros beati Augustini contra Pelagianistas, & sciat omnes sanctos veraciter se de peccatis accusasse, ita ut necesse habeant pro se ipsis dicere, *Dimitte nobis debita nostra*. Sed de his quanta dici possunt, vos nosse non ambigimus.

VII. Dicitis etiam tota vos intentione divinam scripturam cum editoribus, interpretibus, atque expositoribus suis ab imperitiæ nostræ calumniis defendere. Ad quam rem non respondebimus vobis, quia sicut de quibusdam dicitur, *illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor*, ita & vobis dici

a Philipp. I. 5. 6. b Ibid. ℣. 3. c Job XVII. 2. d Job XIII. 23.

poteſt: Illic tota intentione paravit defenſionem, ubi nulla erat omnino neceſſitas defenſionis. Quis enim de nobis calumniatus eſt umquam editorem aut interpretem aliquem divinarum ſcripturarum? Dicitis reprehendiſſe nos Apoſtolos, & interpretes, quos tantum putabamus umquam reprehendendos, quantum nunc putamus veritatis vituperatores laudandos. Diximus namque quia interpretes divinorum voluminum vel expoſitores non curarunt omnino tenere indeclinabiliter regulam grammaticæ artis; quod utique neque imperitia, neque malitia fecerunt, ſed ratione condeſcenſionis; ut ſicut uſus ſanctæ Scripturæ eſt verbis condeſcendere humanis, quatinus vim ineffabilis rei humano more loquens, ad notitiam hominum deduceret, & myſteria inſolita ſolitis oſtenderet rebus; ita & interpretes ejus eam ſequendo, illud ſtuduerunt ſummopere transferre, unde manifeſtiorem ſenſum legentibus præberent, etiam ſi contra grammaticam eſſet eatenus, ut ſacramento rei concordaret. Et ita hoc ad noſtram ſumſimus defenſionem, ut ſicut illos, qui poterant, ſi voluiſſent, omnia ſecundum diſciplinam grammaticam proferre, ſed ut nobis condeſcenderent, & ſimplicitatem veritatis non defererent, non ſunt veriti aliqua contra eamdem diſciplinam loqui, reprehendere nullus debet; ita nobis omnino debet parcere, qui etiamſi velimus omnia ſecundum grammaticam loqui, non poſſumus, ſi tamen fidem rectam & ſenſum catholicum tenemus, in hiſque verbis quibus poſſumus dicimus, ſicut & vos teſtimonio Priſciani oſtenditis, qui dixit: [1] *Nihil enim ex omni parte perfectum in humanis credo eſſe inventionibus poſſe.*

VIII. Aſſumſiſtis grandem laborem, non neceſſarium, quaſi defendentes Evangeliſtam, vel Interpretem, quod non fruſtra vel Evangeliſta ediderit vel Interpres tranſtulerit plurali numero ſanguines, ſecundum quod certa ratio poſtulavit: quam rem non ſolum non reprehendimus, ſed neque ab impiis audivimus umquam reprehenſam. Et cum in hac defenſione tantopere laboraveritis, nihil nobis veſtro labore innotuiſtis. Jam enim legeramus ſanctos doctores ita expoſuiſſe, quod interpres ideo plurali numero ſanguines in hoc loco tranſtulit, quia ſenſum Evangeliſtæ, quem ille in græco edidit, hoc in latino transferre aliter non potuit; non ſicut vos dicitis propterea fecit, quia in græco pluraliter invenit. Nam ſunt multa nomina quæ in hebræo vel græco alterius generis aut numeri eſſe inveniuntur, non ejus cujus ſunt in latinum. Nec tamen interpres eodem genere quo invenit, transferre curavit, quia nulla neceſſitas compulit. Sicut, verbi gratia, *Spiritus* apud hebræos, genere dicitur feminino, & cum ſit in latino generis maſculini, nullus interpretum hebraicum ſequens genere feminino in latino ponere tentavit, etiam cum neceſſitas poſceret. Nam invenitur in ſcripturis ubi Spiritus ſanctus per genus femininum ſignificatur, nec tamen a Latinis feminino genere dicitur. Peccatum quoque in hebræo generis maſculini eſt, in græco feminini, in latino neutri; & cum in ſcripturis, multis rebus ſignificetur, nullus tamen Latinorum genus ejus mutavit, quia nec aliqua utilitas poſtulavit. Hæc idcirco diximus, quia vos dicitis propterea interpretem ſanguines plurali numero tranſtuliſſe, quia apud græcos pluraliter efferetur; cum non ita ſit. Sive interpretes, ſive expoſitores divinorum eloquiorum, ut integritatem ſenſus oſtenderent, contra grammaticam loqui non

A timuerunt: quos non ſolum non reprehendimus, verum etiam per eos a reprehenſione defendi cupimus. Quia ſicut illi laudandi ſunt in verbis contra grammaticam prolatis, ita nos tolerandi: quia illi divites in verbis, ſicut voluerunt, dixerunt; nos vero pauperes, ut poſſumus per anguſtias verborum tenuiter ea quæ volumus ſignificamus. Et ſi illorum filii ſumus, & ab eorum ſenſu & fide non erramus; quod in illis amatur, in nobis toleretur; atque is, cui loquimur, ſenſum attendat, non verba, ut audiat conſilium Apoſtoli dicentis: *Noli verbis contendere.* Et: *Ne ſit languens circa quæſtiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſu-* B *ſpiciones malæ.*

IX. Illud vero quod poſt verba doctorum verbis veſtris ſubjunxiſtis: *Ita igitur hoc uno modo Apoſtoli & Evangeliſtæ & totius divinæ ſcripturæ interpretes, cum catholicis ejus expoſitoribus, ab imperitiæ calumnia rationabiliter defendi queunt. Nihil enim omnino contra regulam grammaticæ dixerunt, quod non ita aut ratio aliqua, aut cauſſa myſterii dici exigeret.* Ab his verbis veſtris multum eccleſiaſtici doctores diſſonant. Exiguitati noſtræ videtur, quod neque vos neque nos de hac re aliquid ſentire aut dicere debemus, niſi ea quæ orthodoxos magiſtros ſenſiſſe aut dixiſſe legimus. Iſta ta- C men inconcuſſa & firma auctoritas illorum auctorum eſt, per quos Spiritus ſanctus novi & veteris teſtamenti volumina confecit; de quibus nulli umquam homini licuit aut licet cogitare vel unam litteram aliter eos dicere debuiſſe quam dixerunt; quoniam eorum auctoritas firmior eſt cælo ac terra, ſecundum quod Dominus ait: *Facilius eſt cælum & terram tranſire, quam de lege unum apicem cadere.* Poſt hos quoque firma auctoritas eſt Septuaginta interpretum, quos conſtat ante adventum Domini de hebraico in græcum eloquium vetus teſtamentum tranſtuliſſe. Interpretis quoque noſtri Hieronymi presbyteri fidelis eſt editio, quæ de hebraico in latinum magnifice tranſtulit. Fuerunt præ- D terea aliqui venerandi catholici interpretes latini, qui Septuaginta editionem in latinum tranſtulerunt eloquium. Extra hos itaque multi fuerunt interpretes reprehenſibiles, & juſte reprehenſi; ſicut illi famoſiſſimi interpretes judaizantes, & hæretici, Aquila ſcilicet, & Theodotio, ac Symmachus; ex quibus unus fecit duas editiones inter ſe diſſonantes. Fuerunt etiam latini aliqui, quos Hieronymus presbyter reprehendit in illis utique præfationibus, quas præpoſuit libris quos de græcis in latinum aut tranſtulit, aut emendavit; ſicut in illa præfatione quam juxta græcam emendationem in libro beati Job fecit, afferens quod idem liber apud Latinos ita erat decurtatus, corroſuſque, ut fœditatem ſuam publice E legentibus oſtenderet. Sic etiam in aliis locis quoſdam reprehendit interpretes.

X. Hæc de interpretibus idcirco ita dicimus, quia magiſtri ſpeciales non omnes æqualiter receperunt, aut indifferenter laudaverunt, ſicut vos facere videmini, neque omnibus æqualiter fidem adhibuerunt. De expoſitoribus quoque multo aliter quam vos dicitis, beatus pater Auguſtinus tenendum tradidit: qui non ſolum de illis qui reprehenſi ſunt a doctoribus, etiam de probatiſſimis, in libro quem adverſus Fauſtum Manichæum ſcripſit, ita dicit: *Quod genus litterarum, id eſt, expoſitionum, non cum credendi neceſſitate, ſed cum judicandi li-*

1. Priſcian. in Præfat. lib. I.

SÆCUL. XI. CIRCA ANN. CHR. 810.

bertate legendum est. *Soli namque divinæ auctoritatis libri legendi sunt, non cum judicandi libertate, sed cum credendi necessitate.* Quam formam Apostolus tradidit dicens: *Spiritus nolite exstinguere, [a] prophetias nolite spernere, omnia autem probate, quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete vos.* In hoc loco apostolus Paullus prophetias dixit doctrinas & expositiones doctorum, sicut alibi insinuat dicens: [b] *Prophetæ duo aut tres dicant, & ceteri dijudicent.* Non illam prophetiam de qua apostolus Petrus ait: *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.*

XI. Hæc omnia idcirco dicimus, ut appareat quia quam injuste a vobis criminamur, cum dicitis nos reprehensores apostolorum & divinarum scripturarum esse, tam injuste vel potius multo injustius quoscumque interpretes atque expositores coæquatis Apostolis & Evangelistis, cum Symmachum & Paullum & Dydimum & Joannem una defensione indifferentique laude dignos ducitis. Bonum est recordari verborum Domini, quibus ait: *Nonne si recte offeras, & non recte dijudicas peccasti?* Qui enim recte credit catholicam fidem, recte videtur offerre. Sed si quibuscumque doctoribus aut interpretibus cum Apostolis & Evangelistis æqualem venerationem tribuit, non recte dividit, atque ideo peccat.

XII. Post illa quæ superius dicta sunt verba nostra, addidistis dicentes: *Turpe est enim credere Spiritum sanctum, qui omnium gentium linguas mentibus Apostolorum infudit, rusticitatem potius per eos quam nobilitatem uniuscujusque linguæ locutum esse.* Hæc qua intentione dixeritis, nullus eorum qui otiosa loqui timent, intelligent; nisi forte hoc etiam nobis crimen superadditis, quasi rusticitatis reprehendamus Spiritum sanctum. Quod si ita est, id est, tali intentione ista dicitis; quid ad hæc respondere possumus, nisi: Ipse occultorum cognitor, cordium testis, scrutator renum, omnipotens Deus videat, & audiat. Extra hoc autem quod tale sacrilegium nobis impingere videmini, apparet etiam in his verbis vestris quod ita sentiatis de Prophetis & Apostolis, ut non solum sensum prædicationis, & modos, vel argumenta dictionum Spiritus sanctus eis inspiraverit, sed etiam ipsa corporalia verba extrinsecus in ora illorum ipse formaverit. Quod si ita sentitis, quanta absurditas sequetur quis dinumerare poterit? Et in primis quidem, ut caute scientiæ vestræ loquamur, recordamini quid Moyses Domino dicat, cum se excusaret ne ad Pharaonem mitteretur, asserens se gracilis esse vocis & impeditioris linguæ? Cui Dominus nequaquam respondit, Mentiris; sed annuens obsecranti, ait: *Ecce Aaron frater tuus, scio quod eloquens sit: ipse erit propheta tuus: tu loqueris ad eum, & ille loquetur ad Pharaonem.* Adtendite quia si secundum vos ipsa verba corporalia in ore Moysi sonantia ejus erant, & vox quæ sonabat, quare ergo gracilis vox? quare ergo impeditior sermo? Aaron erat propheta Moysi, Moyses propheta Dei. Quare ergo robustior vox & expeditior sermo in propheta Moysi, quam in propheta Dei? Numquid & hoc vitium, gracilitatem scilicet vocis, & linguæ impeditionem Spiritui sancto tribuetis? Restat ergo ut sicut ministerio angelico vox articulata formata est in ore asinæ, ita dicatis formari in ore prophetarum. Et tunc talis etiam absurditas sequetur, ut

A si tali modo verba & voces verborum acceperunt, sensum ignorarent. Sed absit talia deliramenta cogitare. Nos si de eloquentia Paulli apostoli aliquid diximus, verba Hieronymi doctoris posuimus, quibus in quodam loco ait: *Qui putant Paullum juxta humilitatem, & non vere dixisse, Etsi imperitus sum sermone, non tamen scientia, defendant hujus loci consequentiam.* Et iterum: *Si vero qui potest etiam juxta sermonis eloquia contextum docere apostolum fuisse perfectum, & in artis grammaticæ vitia non incurrisse, ille potius auscultandus est. Nos quotiescumque solœcismos aut tale quid adnotamus, non apostolum pulsamus, ut malivoli criminantur,*
B *sed magis Apostoli assertores sumus; quod Hebræus ex Hebræis absque rhetorici sermonis nitore, verborum compositione, & eloquii venustate, numquam ad fidem Christi totum mundum transducere valuisset, nisi evangelizasset eum non in sapientia verbi, sed in virtute Dei.* Qui etiam in præfationibus Esaiæ, Hieremiæ, & Ezechielis quid de differentia locutionis prophetarum eorum dixerit, diligenter perpendite; & invenietis nobilitatem divini eloquii, non secundum vestram assertionem, more philosophorum, in tumore & pompa esse verborum, sed in virtute sententiarum, secundum quod ipse Apostolus ait: *Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute.* Esaias quoque propheta populum
C dicit esse alti sermonis, ita ut non possit intelligi disertitudo linguæ ejus, in quo nulla est sapientia. Et Dominus ad Ezechielem dicit: *Non enim ad populum profundi sermonis & ignotæ linguæ tu mitteris, quorum non possis audire sermonem.* Ex quibus patet nobilitatem sacræ scripturæ, non secundum philosophos in disertitudine esse verborum, in quo nulla est sapientia, sed in potentia & astutia sensuum, atque virtute sententiarum; sicut Apostolus ostendit, dicens: *Arma militiæ nostræ, non carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.*
D Et iterum: *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare, non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi.* Et rursum post aliqua: *Et ego cum venissem ad vos, fratres, veni non per sublimitatem sermonis aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi.* Et iterum: *Sapientiam loquimur inter perfectos; sapientiam non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi, qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ absconditа est.* Et post pauca: *Quæ & loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus.*

E XIII. Ecce quia laus divinæ sapientiæ in sacris mysteriis & in doctrina spiritus invenitur, non in adinventionibus verborum. Vos sumsistis testimonia beati Augustini multa de laude scripturæ; sed non illo modo vos laudatis, quo laudavit Augustinus, aut Hieronymus, Ambrosius, atque Gregorius. Nam illi majestatem divinæ loquutionis admirantes, sed rem ineffabilem fando non explicantes, oppressi gloria in laude ejus succubuerunt, cum magis admirando sufficerent, quam loquendo. Vos sic laudatis, ut laude vestra magis minoretur, quam augeatur: quoniam in his quæ extrinsecus sunt, dicitis nobilitatem linguarum ministrasse Apostolis Spiritum sanctum, ut confuse & indifferenter cum Apostolis omnes interpretes & quoscumque expositores laudetis & defendatis. Nam si, secundum vos,

a I. Cor. XIV. 19.

omnibus auctoribus divinorum librorum exteriorem nobilitatem æqualiter ministravit Spiritus sanctus; quare unus Apostolus, id est, Paullus, disertior invenitur in hebraica lingua quam in græca, sicut prædictus Hieronymus in præfatione epistolæ quæ ad Hebræos prætitulatur scribit, dicens: *Non est sane mirum, si eloquentior videatur in proprio, id est, hebræo, quam in peregrino, id est, græco sermone, quo ceteræ epistolæ sunt scriptæ*. Ecce habes disertiorem Paullum in una epistola quam in ceteris. Sed tamen ipsæ ceteræ epistolæ, licet in sermone minus ab illa aliquid habere videantur, tamen in arcanis sensibus, secretis mysteriis, ac figuris locutionum, in quibus omnem sapientiam hujus mundi incomparabiliter superant, minoris virtutis non sunt.

XIV. Post multas & graves calumnias, quas nobis inflixistis, dicentes nos divinæ locutionis reprehensores, defenditis bene vos dixisse, *Anima quando ad corpus pervenit*; & sumitis testimonia de scripturis dicentes: [a] *Spiritus redeat ad eum qui dedit illum*. Et: [b] *Revertatur anima pueri intra eum*. Quæ testimonia nullatenus congruunt rei cui defendendæ adhibentur. Quis enim ignorat animam semel a Deo creatam, substantiam esse deinceps, & æternam, atque in sua substantia immortalem? ac per hoc, post solutionem corporis, posse ad eum redire justam, & deorsum descendere injustam, & intra corpus reverti ad hanc vitam resuscitandam? Hæc de animabus a corporibus jam solutis fieri nullus ignorat. Sed nos hoc reprehendimus quod vos de animabus corporibus infundendis dixistis: *Anima quando ad corpus pervenit*. Quasi noveritis de qua regione adveniat, aut forsitan nostis in qua regione jaceat illa incognita materies, unde animas dicitis creari in vacuo, super quem aquilo extensus est, aut in interioribus austri, vel forsitan in ortu solis aut occasu, aut unde dicitis anima pervenire: utique inde pervenire possunt, ubi creantur, ut ad corpora transmittantur. Sed cum dicitis eas pervenire, non ipsis eas corporibus creatas creditis, sed longe alicubi. Et inquisivimus a vobis utrum in cælestibus, an in aliqua parte mundi sit ipse locus, vel extra mundum. Sed de hoc sit ut vultis, tantum ut cujuscumque testimonium cum Augustino altercantis tamquam ejusdem Augustini non nobis opponatis. Nos tamen illud præcipue tenendum putamus, quod divina scriptura de hac re docet, dicens: *Quomodo nescis quæ sit via spiritus, & qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis; sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium*. Ecclesiastici quoque doctores in suis dogmatibus fidem tenendam docuerunt, animam non esse partem divinæ substantiæ vel naturæ, nec esse eam prius quam corpori misceatur; sed tunc eam creari quando & corpus creatur, cui admisceri videtur. Philosophorum sententiæ dicunt esse animam prius quam nascatur in corpore: quod verum esse nullis approbatur indiciis: nam utrum ante fuissemus, nec ipsi novimus, nec quis hominum dicat habemus. Non est ergo quærendum quod quærendum magis est irridendum.

XV. Deinde interrogastis nos, utrum aliud sit Deus, aliud veritas, ita ut Deus ipse veritas non sit. Hanc vestram interrogationem in tantum miramur, ut putemus vos illam jocando & ridendo dictasse. Quis audivit talem interrogationem? Numquid si aliud aliquid veritas fuerit, jam Deus veritas non erit? Dicite vos, si ubicumque in sacris scripturis veritas nominatur, semper Deus intelligendus est? Certe nos dicimus frequenter in scripturis nominari veritatem, quæ contraria est mendacio; sicut etiam solet nominari caritas hominum, dilectio, quæ contraria est odio, & concordia, quæ opposita est discordiæ. Ergo ubi Paullus ait: *Veritatem dico in Christo Jesu, non mentior*, sic intelligitis, quasi diceret, Deum dico, aut Christum dico, in Christo Jesu. Aut ubi ait: *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo*, ipsum Deum intelligitis veritatem. Et iterum, ubi scriptum est: *Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur*. Et iterum: *Labium veritatis firmum erit*. Et rursum: *Qui loquitur veritatem in corde suo*. In Hieremia quoque: *Omnis amicus fraudulenter incedet, & veritatem non loquetur*. Et Oseæ: *Non est enim veritas, & non est justitia, & non est misericordia Dei in terra*. Et in Zacharia: *Veritatem & judicium pacis judicate in portis vestris*. Numquid sic intelligi poterit, quasi diceret, Deum judicate in portis vestris? Ecce habes in scripturis frequenter dici veritatem, non pro ipso Deo, sed pro illa virtute quæ opposita est injustitiæ & falsitati. Attamen non sicut vos vultis, ut Deus ipse veritas non sit, sed potius ut & Deus veritas sit.

XVI. Deinde vero cum vestris syllogismis affirmare nitimini, Christianos non fuisse omnes sanctos patriarchas & prophetas, reges & sacerdotes, in veteri testamento, dicentes nobis: *Si eos Christianos dicendo, eos esse affirmare vultis, multum est absurdum ut Christiani essent prius quam Christus*. Ecce quibus verbis negatis sanctos veteris testamenti Christianos fuisse. Sed multo pejus negatis illo tempore non esse Christum. Credite, venerabilis magister, quia si dixissetis: *Non dicebantur Christiani*, parva forsitan esset blasphemia. Cum autem dicitis, *Non erant Christiani*, injuste tantam multitudinem sanctorum blasphematis. Simili etiam modo si de Domino Jesu Christo diceretis, *Necdum ab omnibus fidelibus manifeste vocabatur Christus*, tolerabile esset. At cum dicitis, *Non erat Christus*, tam grandis blasphemiæ est, ut non multum distet ab illa Paulli Samosateni prædicatione.

XVII. Deinde subjungitis, quasi exhortantes nos, ac dicentes: *Sed quomodo nondum erat Christus?* Legitis librum supradicti beati patris Augustini capitulo VI. & ponitis ipsum capitulum, multo alium sensum continentem quam vos sentitis. In illo enim capitulo scriptum est: *Cum ergo Christi nomen ex eo illi sit quod scriptum est, Unxit te Deus, Deus tuus oleo exsultationis præ participibus tuis. Unde ad id quod homo factus est, pertinet, id est, quod formam servi accipiens, habitu est inventus ut homo, qui utique habitus cœpit ex tempore: de ipso tamen eodemque Christo dictum est, cum in forma Dei esset*. Et post pauca: *Nondum ergo erat Christus quod esse cœpit, cum semet ipsum exinanivit, non formam Dei amittens, sed formam servi accipiens*. Ecce verba beati Augustini, de quibus vos vultis affirmare Deum Verbum Christi nomen prius non habuisse quam caro factum est, cum e contrario Augustinus in prædicta sententia dicat: *De ipso tamen eodemque Christo dictum est, Cum in forma Dei esset*. Ecce habes Christum in forma Dei esse, deinde

a Eccle. XII. 7. b III. Reg. XVII. 21.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 810.

formam servi accepisse: quam utique ante quam acciperet, nondum erat filius hominis, sed filius Dei, tamen Christus. Iterum Augustinus dicit: *Nondum ergo erat Christus quod cœpit esse, cum semet ipsum exinanivit*. Ecce & heic Christus dicitur, qui nondum erat hoc quod esse cœpit, cum semet ipsum exinanivit, id est, homo. Nam quid aliud esse cœpit, nisi homo, cum formam servi accepit? Certe Augustinus non ait: *Non erat Christus qui esse cœpit*; sed, *Non erat quod esse cœpit*.

XVIII. Nam si Christus ante Mariam non erat, quid est quod Apostolus ait: [a] *Christus Jesus heri & hodie, ipse & in sæcula?* Si Christus non erat, & sancti veteris testamenti non erant Christiani, quare iterum Apostolus dicit: [b] *Memores estote quod aliquando vos gentes in carne, qui dicimini præputium, ab ea quæ dicitur circumcisio in carne, manu facta; quia eratis illo tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel, & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in mundo*. Ecce Apostolus docet gentes sine Christo fuisse illo tempore, quando promissionis spem habebat Israel. Et quid est dicere: *Eratis sine Christo, alienati a conversatione Israel*, nisi oblique demonstrare, non fuisse sine Christo Israel tempore promissionis? Si Christus non erat, neque Christiani; cur idem Apostolus de Moyse dicit: [c] *Negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jocunditatem; majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi. Aspiciebat enim in remunerationem*. Si sub lege positi Christum & boni non coluerunt, & mali non tentaverunt; cur iterum dicit de colentibus eum: *Bibebant de spirituali consequenti eos petra. Petra autem erat Christus*. De tentantibus vero: *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, & a serpentibus perierunt*. Nam ut noveritis sub lege non solum Christianos, sed etiam filios Christi fuisse, audite iterum Apostolum: *Decebat enim*, inquit, *eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passiones consummari*. Anna mater Samuelis orans in templo dicit: *Dominus judicabit fines terræ, & dabit imperium regi suo, & sublimabit cornu Christi sui*. Et hoc & in illo tempore quo necdum erat rex in Israel, & ante quam ungeretur vel etiam nasceretur Saul, quem dignum elegistis ad negandos Christianos. De David scriptum est: *Dixit vir, cui constitutum est de Christo Dei Jacob, egregius psalmista Israel*. Ipse David ait: *Magnificans salutes regis ejus, & faciens misericordiam Christo suo*. Eman quoque ait: *Tu vero repulisti & despexisti, distulisti Christum tuum*. Abacuc dicit: *Egressus es in salute populi tui, in salute cum Christo tuo*. Hieremias deplorat dicens: *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris*.

XIX. Deinde subjungitis, dicentes: *Non ergo omnis chrismate unctus, Christianus dicendus est. Potius enim illi Christi quam Christiani dicebantur, ut illud in psalmis: Nolite tangere Christos meos*. In his verbis vestris negatis unctos, id est, reges & pontifices, fuisse Christianos; & ponitis testimonium psalmi, quod non de pontificibus, aut regibus, sed tantum de patriarchis, Abraham scilicet, Isaac, & Jacob, scriptura dicit: *Ipsi enim transierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum*, id est de Chaldæa in Mesopotamiam, deinde in terram Chanaan, & Ægyptum, ac rursum in Gerare. Pro ipsis correpti sunt reges, Abimelech scilicet, Pharao, Hemor, & Sichem, & alii. Super ipsis præcepit Dominus, *Nolite tangere Christos meos* dicens non tam verbis, quam certitudine defensionis. Ecce habetis Christos dictos patriarchas, quos nulla omnino corporali unctione probare poteritis fuisse unctos. Unde ergo Christi, si non uncti? Quia dicitis, *Ergo illi erant ab unctione multi Christi*, cum numquam legatis vel plures simul fuisse reges, nec duo simul pontifices illo tempore. Nam quod reges & pontifices ungebantur, non aliter, nisi uno decedente, unus succedens ungebatur in figura unius veri Christi: & hi quidem dicebantur Christi.

XX. Sed nos de patriarchis interrogamus, quomodo eos creditis sine visibili chrismate, absque aqua baptismatis, sed unctos invisibili tantum & spiritali chrismate? Similiter in veteri testamento, non solum omnes sanctos patriarchas, sed & multos etiam in gentilitate positos credimus invisibili chrismate unctos; per quam unctionem membra Christi & unum corpus cum omnibus ad æternam vitam prædestinatis fierent. Unde & Apostolus, cum enumerasset omnia dona gratiarum, quæ per Spiritum sanctum tam veteris testamenti fidelibus quam novi distributa sunt, subjunxit: *Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum corpus sunt; ita & Christus. Etenim in uno spiritu omnes in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive gentiles, sive servi, sive liberi, & omnes in uno spiritu potati sumus*. Hoc spiritu uncti sunt patriarchæ, hoc multi martyres, qui sine baptismate corporali ad vitam æternam transierunt. Qui omnes quomodo unum corpus baptizati sunt, patriarchæ scilicet & martyres, cum ceteris fidelibus veteris & novi testamenti, & in uno spiritu, audi iterum eumdem Apostolum dicentem: *Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes per mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt, in nube, & in mari, & omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, & omnes eumdem potum spiritalem biberunt*. Quem potum? Illum quem in superiori sententia præmisit, *uno spiritu potati sumus*: & quam escam spiritalem, nisi participationem corporis Christi? Denique Apostolus dicit: *Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu. Si autem vos Christi, ergo Abrahæ semen estis*. Et vos dicitis, quia Abraham non fuit Christianus, cum nos Christiani esse non possimus, nisi efficiamur semen Abrahæ? Apostolus dicit: *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini ejus, qui est Christus*. Et vos dicitis Abraham fuisse sine Christo. Apostolus ait: *Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham*. Et iterum: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, ut in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem*. Et vos dicitis tam diversa benedictione Abraham & nos benedictos, etiam diverso spiritu unctos, ut ille Christus potuerit esse, non Christianus, nosque Christiani possimus esse, non Christus.

XXI. Apostolus dicit quia Deus pater omnipotens omnia subjecit sub pedibus filii sui Domini Je-

a Hebr. XIII. 8. b Ephes. II. 11. 12. c Hebr. XI. 24. 25.



su Christi, & *ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur*. Et iterum: [a] *Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens inimicitiam in carne sua, legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semet ipsum in unum novum hominem, faciens pacem, & reconcilians ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitiam in semet ipso. Et veniens evangelizavit pacem vobis qui longe fuistis, & pacem his qui prope; quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad Patrem. Ergo jam non estis hospites & advenæ, sed estis cives sanctorum, & domestici Dei, superædificati super fundamentum apostolorum & prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto*. Et quare hanc Ecclesiam, hoc corpus, quod est plenitudo capitis, hoc unum, quod ex utraque fecit, hos conditos in semet ipso, hos ambos reconciliatos in uno corpore Deo per crucem, hanc ædificationem constructam, hoc templum sanctum in Domino, hoc habitaculum Dei in spiritu, vultis ita dividere, ut aliud illi fuerint, aliud nos simus? Quid ergo profuit quod per caput habemus accessum ambo in uno spiritu ad Patrem, si nullam communionem habet radix olivæ cum oleastro sibi inserto? Tribus Ruben, & tribus Gad, ac dimidia tribus Manasse, propterea construxerunt altare ultra Jordanem, quia jam timebant vos, ne diceretis illis, cum Jordanem transissent: Non pertinetis ad nos, non estis Christiani, sine Christo estis; quia necdum erat Christus. Nihil omnino differt aliud inter illos & nos, nisi quia sacramenta salutis quæ per mediatorem operata sunt propter nos & propter illos, nos salvant præterita, illos futura, quia quæ nos credimus & tenemus præterita, illi crediderunt ac tenuerunt futura; & illi in sola conscientia & figuris futurorum, nos etiam in publica professione, votis & annuntiatione præteritarum rerum cum significatione tractabilium sacramentorum'; sicut & illi duo qui unum botrum in falango portabant, unum opus faciebant indifferenter, nisi quia eumdem botrum, unus post dorsum, alter ante faciem habebant; sicut & illi qui

A præcedentes, & sequentes, Domino intranti Hierusalem clamant Osanna.

XXII. Si quis autem ad hæc objiciendum putaverit illud, quod in Esaia, vel in Apocalypsi, nomen novum dicitur, quod proculdubio Christianum intelligitur; sciat sanctos Doctores ita intellexisse, ut novum dicatur, propterea quia nuper dispersum, non quia nuper inventum; ac per hoc non novella vel nuper exorta est Christianorum religio, sed ab ipsa mundi origine descendens, eodem Christo doctore & institutore. Nam inde ab initio speciem formamque suscipiens. Porro de unitate fidelium veteris ac novi testamenti beatus Hieronymus dicit: *Quo modo enim omnes in protoplasto* B *Adam necdum nati moriuntur; ita omnes, etiam hi qui ante adventum Christi nati sunt, in secundo Adam vivificantur: atque ita fit ut & nos legi servierimus in patribus, & illi gratia salventur in filiis*. Iste intellectus Ecclesiæ catholicæ convenit, quæ veteris & novi testamenti unam asserit providentiam, nec distinguit in tempore quos conditione sociavit. Omnes ædificati simus super fundamentum apostolorum & prophetarum, continente nos angulari lapide Jesu Christo Domino nostro, qui fecit utraque unum, & medium parietem dissipans, inimicitiam utriusque populi in sua carne destruxit, & antiquæ legis difficultatem evangelicorum dogmatum integritate mutavit. Vere in C Christo unus panis sumus, & duo consensimus super terram; & quomodo nos super prophetas fundati sumus, ita & patriarchæ jam apostolorum fundamine constiterunt. De Domino quoque Jesu Christo prædictus doctor ait: *Postquam ob nostram salutem de Virginis utero dignatus est nasci, Dei & hominum homo Christus Jesus sequester est dictus*. Antequam vero hominum corpus assumeret, & esset apud Patrem & omnes sanctos quos scriptura commemorat, sine additamento hominis, quem necdum assumserat, mediator tantummodo nuncupatur. Ipse quippe pretioso sanguine suo & nos & illos, patriarchas scilicet & prophetas, de maledicto legis redemit. Omnes enim ex fide Chri- D sti justificati sunt. Siquidem Abraham vidit diem Christi, & lætatus est; & Moyses majores divitias æstimavit thesauro Ægyptiorum, improperium Christi. Aspiciebat enim in remunerationem.

a Ephes. II. 14. seqq.

EPISTOLA

AD PROCERES PALATII

Contra præceptum impium de baptismo Judaicorum mancipiorum.

Dominis & sanctissimis, beatissimis, viris illustribus, Hilduino sacri Palatii [1] Antistiti, & Walæ abbati, Agobardus servulus. Noverit mansuetudo vestra prudentissima idcirco me ad utrumque præsumsisse quæ sequuntur scribere, quoniam absque ambiguo vos novi præcipuos & pene solos in via Dei esse adjutores Christianissimi [2] Imperatoris, & propterea in Palatio esse unum semper, & alterum frequenter, ut in operibus pietatis quæ absque omni errore quærenda, invenienda, tenen- E da sunt, vos illi prudentissimis vestris suggestionibus sitis exhortatores & ut dixi adjutores. Scripsi sinceritati vestræ singulos breves indiculos, significans vobis quamdam feminam ex Judaismo ad Christianismum gratia Christi translatam, graves persecutiones sustinere propter fidem quam suscepit Christi, quas per ipsius feminæ breviculum potestis cognoscere: in qua re tam excellens eleemosyna vobis manet, ut de nulla alia possit esse major. Nunc autem caussam hujus persecutionis, quæ &

1. *Alias* Archicapellano.

2. Ludovici Pii.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 810.

fomes impii erroris esse potest, me vobis significante cognoscere dignamini. Quoddam Præceptum Judæi circumferunt, quod sibi datum ab Imperatore gloriantur, in quo continetur ut mancipium Judaicum absque voluntate domini sui nemo baptizet. Quod a nobis omnino non creditur, ut a facie Christianissimi & piissimi Imperatoris tam contraria ecclesiasticæ regulæ sit egressa sententia. Novit enim optime Deo amabilis prudentia vestra, quomodo ab initio sanctis Apostolis super hac re ab ipsa Veritate præceptum sit, quibus absque ulla discretione personarum, absque ulla exceptione conditionum, generaliter dictum est: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*. Et iterum: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*. Quod & illi & omnes deinceps ecclesiastici rectores omni fide & constantia observantes, non solum servos quorumlibet hominum, verum etiam conjuges & soboles Imperatorum & Consulum, & præpicando ad fidem convertere, & conversos nullius exspectata licentia baptizare minime dubitarunt. Quod cum in aliorum gestis facile sit recognoscere, præcipue in apostolicis litteris omni luce clarius demonstratur. Legimus namque in fine epistolæ ad Philippenses ita: [a] *Salutant vos omnes sancti, maxime autem qui de Cæsaris domo sunt*. Quem impiissimum Neronem fuisse nemo quis dubitet; cujus domesticos & ministros aulæ regiæ nullus ambigit prædicatione apostolica conversos, numquam baptismi gratia sanctificari potuisse, si ejus super hac re voluntas aut permissio exspectaretur; qui maximo persecutionis terrore, non solum incredulos, ne ad fidem venirent, deterrebat, sed etiam credentes a fide dejicere insistebat. Unde & ipsos duces ac magistros fidei Christianæ, quorum doctrina totum pene orbem contra sua scita videbat Christi fidei subjugatum, novissima furoris sui atrocitate trucidavit. In epistola quoque ad Timotheum, postquam pro omnibus hominibus orari & obsecrationes fieri præcepit Apostolus, ad extremum intulit: *Hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit semet ipsum redemtionem pro omnibus*. Et ad Titum, postquam senes, & anus, adolescentulas, juvenes, servos, congruis præceptis instruendos esse monstravit, hoc modo conclusit: *Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos*, & cetera. Si ergo, ut istis exemplis manifestissime comprobatur, voluntas Dei Salvatoris nostri est omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, & per unum mediatorem Dei & hominum, qui dedit semet ipsum redemtionem pro omnibus, reconciliari; si hujus gratia reconciliationis & salutis omnibus indifferenter illuxit; quis tantæ bonitati Dei injuriam facere præsumat, ponendo legem miserationi ejus, & ad arbitrium impiorum eam implorantibus impertiendam constituendo, quorum pertinacissima perfidia non solum neminem suorum ad fidem Christi permittit accedere, sed etiam credentes publice & occulte blasphemare & detestari non cessat? Denique & pie considerantibus perspicuum est, quod unus omnipotens Deus, omnium conditor & moderator justissimus, qui primum hominem de terræ limo formavit, & de costa ejus adjutorium illi similem sibi fecit, quique ex eis omne genus humanum quasi ex uno fonte & una radice propagavit, omnes unius conditionis fecerit. Et licet peccatis exigentibus, justissimo & occultissimo ejus judicio, alii diversis honoribus sublimati, alii servitutis jugo depressi sunt, ita tamen a servis corporale ministerium dominis exhiberi ordinaverit, ut interiorem hominem ad imaginem suam conditum, nulli hominum, nulli angelorum, nulli omnino creaturæ, sed sibi soli voluerit esse subjectum. Unde & in lege sua, de hac mentis servitute, quæ illi tantum debetur, mandavit: *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies*. Et Apostolus eumdem interiorem hominem ab omni sexus diversitate, ab omni conditionis & generis distantia liberum esse demonstrans, ita docet: *Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus ejus, & induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus qui creavit eum; ubi non est gentilis & Judæus, circumcisio & præputium, Barbarus & Scytha, servus & liber; sed omnia & in omnibus Christus*.

Cum ergo hi qui ad baptismum veniunt, per agnitionem creatoris in interiore homine qui ab omni servitutis conditione liber est, renoventur; quæ ratio esse potest, ut id servi absque permissu dominorum suorum consequi prohibeantur, nec servire eis Deo liceat, nisi licentiam ab hominibus impetraverint? Certe in epistola ad Timotheum idem Apostolus sic præcepit: [b] *Quicumque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina blasphemetur. Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt; sed magis serviant, quia fideles sunt*, & cetera. In quibus verbis evidenter de omnibus Christianis servis, sed quorum alii fidelibus, alii infidelibus dominis serviebant, loquitur. Et tamen infidelium dominorum servis præcepta constituit: qui tunc utique adhuc infidelitatis vinculo tenerentur obstricti, si in hac re eorum quibus serviebant arbitrium sequerentur. Læsus est Philemon a servo Onesimo, quem Paullus apostolus in vinculis positus ad Christi fidem convertit, sacri baptismatis fonte abluit; nec super his Philemon conqueritur, sed etiam credentem atque baptizatum quasi viscera Apostoli suscipiat admonetur. Quas nos auctoritates sequi cupientes, & Præceptum, quod quasi ex Imperiali profertur auctoritate, transgredi metuentes, inter duo versamur pericula. Si enim Præceptum illud observamus, neglectis ecclesiasticis regulis, Deum offendimus; si has sequimur, Imperatoris indignationem veremur; maxime cum magister infidelium Judæorum incessanter nobis comminetur se Missos de Palatio adducturum, qui pro istiusmodi rebus nos judicent & distringant. Quæ res non solum nobis perturbationem affert; verum etiam eis, qui ad fidem facile converti poterant, quantum ingerat impedimentum, vestræ est prudentiæ æstimare. Unde, Patres sanctissimi, ac Deo amantissimi, hæc nostra pericula quasi vestra piis animis perpendentes, intercedite apud Christianissimum & clementissimum Imperatorem, ut hujusmodi impedimentum de sancta Ecclesia auferatur, & inter multa & maxima quæ piissime & justissime in tradito & conservato sibi a Christo disponit imperio, etiam huic rei propter amorem ipsius Christi misericordissima & solita bonitate succurrat; ne animæ, ex quibus grex fidelium augeri poterat, & pro quarum salutem in diebus Passionis Dominicæ ab universali Ecclesia Deo publice supplicatur, obsistente

a Philipp. IV. 22. b I. Tim. VI. 1.



infidelium & Deo adversantium duritia, etiam dicti Præcepti occasione diaboli laqueis remaneant implicatæ. Certe in sacris [1] canonibus constitutum, ut si qui ex eis ad baptismum venerint, si voluerit episcopus, vel quilibet fidelium, redimendi eos habeat potestatem. Quod nos libentissime facere cupimus; hoc tantummodo postulantes, ut eis veniendi ad fidem facultas libera tribuatur. Nec hoc dicimus, quod eis filios vel servos eorum violenter auferendos esse sentiamus; sed ut venientibus ad fidem, ab infidelibus licentia non negetur.

1. Vide lib. de Jud. superstit. cap. vi.

EPISTOLA
AD BARTHOLOMÆUM
EPISCOPUM NARBONENSEM,
De quorumdam inlusione signorum.

I. REverendissimo ac dilectissimo domino & fratri Bartholomæo episcopo [1], Agobardus, [2] Hildigisus, & Florus, in Domino Jesu Christo sempiternam salutem. Cognovimus sollicitam esse prudentiam vestram, quonam modo accipi debeat illud quod in quodam loco cœperunt fieri quædam percussiones, ita ut caderent quidam, modo epilepticorum, vel eorum quos vulgus dæmoniacos putat, vel nominat. Quod & quidam venerandus [3] frater significavit nobis; maxime in quadam Ecclesia, ubi cujusdam sancti corpus veneratur, nomine Firmini [4]. Et nunc per vos comperimus adhuc etiam alio genere fieri, ut videantur & sentiantur in corporibus hominum stigmata exustionis, quasi si sulphur arsisse in locis illis contigisset: nec tamen mori aliquem ex his dictum est nobis, nec quemquam alia ante infirmitate languentem curari. Quæ videntes utriusque sexus & diversæ ætatis homines, offerunt in loco, aut, sicut dicitis, locis. Jam enim & in aliis fieri videntur quædam donaria quæ unusquisque potest, aut in auro & argento, vel pecoribus, aut in quibuscumque speciebus, nullius exhortatione, nulla ratione admoniti, sed inrationabili terrore perterriti: quod nobis multum stulte fieri videtur; cum nulla signa sanitatum, nulla spes propitiationis ibidem demonstrentur: propter quod facilius adverti poterat qua esset cautela custodiendum. Et certe sicut verissimum est quod istæ percussiones esse non possunt nisi Deo permittente, ita certissimum nulla alia virtute ministrante, nisi angelo percutiente. Quisnam ita stultus est qui nesciat, & visibiliter & invisibiliter omnipotentem Deum flagellare homines ad eruditionem & conversionem; non solum per homines, sed etiam per bestias, & per minutissima & vilissima quæque animantia? nec tantum per ignitos serpentes, sed & per ranas & muscas, & sciniphas, & locustas: nec tantum per animantia, sed per & inanimata, sicut per grandinem, per flumina, per pluvias, per siccitates. Novit utique prudentia vestra unde loquamur, auctore sancta scriptura. Sed & si dixerimus leones, crabrones, brucum, erucam, æruginem, devorationem, id est, maledictionem, (quo uno nomine multa intelligi possunt) eadem auctore erit. Si autem & addiderimus ursos, lupos, sues, & cervos silvestres, licet facile de scripturis monstrari non possit, exempla tamen non deerunt.

II. Quamvis exustiones istæ, super quibus movemini, non multum distent a vesicis turgentibus, vel, sicut alia editio dicit, feruvris Ægyptiis illatis, & illis percussionibus quas Philistæis inrogatas Samuelis volumen nominatim demonstrat, & ex talibus prominentibus. In quibus omnibus quæ enumerata utique sunt, quis est qui ignorare permittatur, quomodo agere patientes aut audientes debeant, & videntes, cum unus sit omnium Dominus, qui flagellat & medetur, percutit & sanat, ducit ad inferos, & reducit? De quo beatus Job confitebatur dicens: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me*, cum certe eadem scriptura dicat: *Percussit eum satan ulcere pessimo*. Sed licet percussor percusserit, percussorem tamen habens in potestate tetigisse dicitur, non solum in corpore, verum etiam in amissione rerum; sicut idem iterum ait: *Dominus dedit, Dominus abstulit*, cum Dominus dixerit ipsi diabolo: *Ecce quæ habet universa, in manu tua sunt*. Sed quia hanc percussor potestatem habere numquam potest, nisi acceperit ab eo in cujus & ipse potestate est; propterea ipsi tribuenda est potestas qui dat & retinet, permittit & cohibet. Talibus exemplis plenæ sunt scripturæ, sicut & illud quod legitur de Saule, quod spiritus malus arripuerit eum. In quibus verbis admirabiliter ostendit scriptura divina & potestatem Domino tribuendam esse, & malitiam diabolo: quam utique non accipit, sed a semet ipso habet: quod autem non habet accipit, id est, potestatem.

III. Sed de his non necesse habemus scribere vobis, quoniam habetis multa sublimium doctorum sublimiter dicta. Tamen duo videntur nobis genera vobis significanda, quæ nobis & vobis pariter quærenda putamus. Et unum quidem illud est, quod utrum correptio, an infirmitas, vel potius virtus dicenda sit, nescimus. Hoc tantum in eadem re nos scire putamus, quod nullius adversariæ potestatis ministerio geratur; sicut est de beato Zacharia sacerdote incedente in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela; qui quoniam in-

1. Interfuit Concilio Tolosano anni 828. Anno 834. sequutus est Lotharium in Italiam, ubi mansit usque ad annum 844.

2. Clericus Lugdunensis, forte presbyter cum nominetur ante Florum diaconum item Lugdunensem.

3. Elephantus Ucetensis, ut putat Baluzius.

4. Ucetensis episcopus fuit qui anno 555. ibi sedebat.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 810.

credulus fuit promissionis ei factæ a Gabriele Archangelo, silentio multatus est. Quod & vir desideriorum beatus Daniel fatetur, dicens: *Domine, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ*: unde se dicit postea languisse per dies plurimos. Et beatus Jacob luctans cum angelo, claudus effectus est.

IV. Neque hoc dicimus quasi diabolus in sanctos nulla accepta potestate operetur correptiones, cum Apostolus aperte dicat datum sibi stimulum carnis, angelum satanæ; sed quia hæ tales excipi possunt a ceteris percussionibus, etiam ab illa qua Maria soror Moysi & Aaron & Ozias rex percussi sunt lepra; illa propter peccatum detractionis, ille propter superbiam præsumtionis. Si vero in his, utrum solo Dei nutu, an ministerio angelorum bonorum seu malorum, gesta sint, dubitatur; nescimus utrum ita dubitari possit de Nadab & Abiu, de quibus scriptum est, quod egressus ignis a Domino interfecit eos. Cui rei simile videtur de Oza, qui arcam Domini sustentare præsumens, percussus a Domino legitur, & occisus.

V. Sed quia judicia Domini semper justa, frequenter occulta sunt, occultiora adhuc nobis videntur in morte Bethsamitarum: ubi exceptis LXX. viris, qui forsitan aut sacrificare aut arcam Domini manibus tractare conati sunt, quinquaginta millia plebis percussi dicuntur a Domino, qui nihil horum fecisse credendi sunt: qui tamen etsi ministerio angeli percutientis interfecti sunt, recte dicuntur a Domino percussi, secundum regulam superius ostensam.

VI. Forsitan similiter dubitet aliquis de duobus quinquagenariis cum quinquagenis suis ad Heliam missis, utrum ministerio angelico sint occisi. Propter quod scriptura dicit ignem descendisse de cælo, & devorasse eos. Sed attendat pari modo de beati Job ovibus dictum: *Ignis Dei cecidit de cælo, & tactas oves puerosque consumsit*: cum nemo dubitet hoc ministerio satanæ factum.

VII. Alterum vero genus est, quo in quosdam homines prævalere videtur diabolus, non tam ad percutiendum, quam ad illudendum; de quibus multos audivimus & cognovimus a dæmonibus, lapidibus & fustibus cæsos, & in nullo læsos; aliquos tamen & inlusos & læsos: in quibus nulla alia caussa videtur qua id fiat, nisi aut inanitas fidei, aut delectatio vanitatis: cujus rei exempla facile de scripturis proferre non possumus: sed tamen nullus pene hominum est qui talia non audierit, vel viderit; cum plerique vano terrore aut vana admiratione attoniti, inanescunt sensu & virtute animi. Novit enim diabolus, ut ait beatus [1] Leo, quem mœrore dejiciat, quem fallat gaudio, quem metu opprimat, quem admiratione seducat. Unde & Apostolus monet: *Cui resistite fortes in fide*. Qui semper nocendi cupidus est, & cum id se ostendit quod est, & cum se transfigurat in angelum lucis, & veluti quædam sanitatum signa demonstrat. Cui utique in utroque vere resistendum est; ut nec vanos terrores formidemus, nec vanis miraculis delectemur.

VIII. Hæc de duobus quibusdam generibus interposuimus; unum, ubi nihil admixtionis habet ministerium diaboli, sicut de beato Zacharia & Da-

A niele ac Job diximus; alterum, ubi infirmitas fidei, & inanitas rationis, sive exiguitas sensus, in caussa est. Libet autem heic adjungere illa magna & horribilia quæ Dominus fieri voluit ad eruditionem fidelium: in quibus docemur etiam diabolum rebellem luminis Deo servire, & ministrum esse divinæ operationis, cum per illum non solum malis, sed & bonis flagella & tribulationes admoventur. Quod enim percussiones impiis & infidelibus per malos angelos irrogentur, Psalmista de plagis, quibus Ægyptus percussa est, loquens, aperte declarat, dicens: [a] *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immissiones per angelos malos*. In libro quoque Ecclesiastici le-

B gitur: [b] *Sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmaverunt tormenta sua*. Unde & in libro Tobiæ de Sara filia Raguelis legitur quod [c] *tradita fuerat septem viris, & dæmonium nomine Asmodæus occiderat eos, mox ut ingressi fuissent ad eam*. De rege autem impio Achaz in libro Paralipomenon scriptura testatur, dicens: *Ipse per se rex Achaz immolavit diis Damasci victimas percussoribus suis, & dixit: Dii regum Syriæ auxiliantur eis; quos ego placabo hostiis, & aderunt mihi*: cum e contrario ipsi fuerint ruina ejus, & universo Israeli. Qui sint autem dii gentium, ostendit Psalmista, cum dicit: *Omnes dii gentium dæmonia*. Apostolus quoque ad Corinthios in epistola

C prima: *Quæ immolant*, inquit, *gentes, dæmoniis immolant, & non Deo*.

IX. Quod autem etiam impii & fideles malignis interdum tradantur spiritibus ad percutiendum, historia beati Job luce clarius manifestat: ubi & expeditio satanæ & Dei permissio aperte describitur, & ad extremum, post damna rerum, post funera filiorum, cum os illius & carnem Dei manu tangi expostulasset, & Dominus permitteret, dicens: [d] *Ecce in manu tua est: verumtamen animam illius serva*, dictum de eo est: *Egressus igitur satan a facie Domini, percussit Job ulcere pessimo a planta pedis usque ad verticem ejus*. Infirmitates quoque

D & languores, quibus pii vel impii multo tempore affliguntur, per malos angelos inrogari Dominus ostendit in Evangelio: qui cum de muliere, quam spiritum infirmitatis habentem ipse sanaverat, Archisynagogo calumnianti responderet, adjecit post aliqua: *Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit satanas ecce octodecim annis, non oportuit solvi a vinculo isto die sabbati?* Hinc est quod beatus Petrus in Actibus Apostolorum, cum de mirabilibus Domini loqueretur, ait de eo: *Qui pertransivit benefaciendo, & sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo*. Paullus quoque apostolus Philetum & Hermogenem dicit se tradidisse satanæ, ut discerent non blasphemare. De eo

E autem qui uxorem patris sui habebat, Corinthiis ita loquitur: *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini Jesu, tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini Jesu*. Hinc de seipso quod jam commemoravimus ait: *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet*.

a Psalm. LXXVII. 49. *b* Eccli. XXXIX. 33. *c* Tobiæ III. 8. *d* Job II. 7.

1. S. Leo Serm. VII. in Nativ. Domini.

X. Terrores etiam tribulationum per dæmones A fieri in libro Sapientiæ legimus: ubi cum narraret scriptura de percussionibus Ægypti, quas per malos angelos immissas Psalmista demonstrat, ait inter alia: [a] *Neque enim quæ continebat illos spelunca, sine timore custodiebat: quoniam sonitus descendens perturbabat illos, & personæ tristes apparentes, pavorem illis præstabant*. Unde & propheta protectionem Dei viro justo promittit, dicens: *Scuto circumdabit te veritas ejus. Non timebis a timore nocturno, a sagitta volante per diem, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano*. Has itaque adversarias potestates a Deo exspectare & desiderare potestatem feriendi & nocendi & Dominus demonstrat in Evangelio, ubi B ait discipulis suis: *Hac nocte satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum*. Et Psalmista, cum dicit: *In ipsa*, id est, in nocte, *pertransibunt omnes bestiæ silvæ, catuli leonum rugientes, ut rapiant & quærant a Deo escam sibi*: & multis aliis locis divinæ scripturæ.

XI. Et cum, sicut supra diximus, non semper nec in omnibus diabolus accipiat potestatem, semper tamen habet in omnibus & per omnia omnimodam nocendi voluntatem, maxime in illos inhiat, quibus, ut dictum est, prævalere se posse videt; eo quod sint exiguæ fidei, & vacui pondere rationis. Et inde est quod pueros, ac puellas, & C & hebetes quosque dejicere videtur, & maculis exustionis notare. Quod utique fidelis quisque, & ratione præditus, cum videt, aut audit, cor ad solius Dei timorem levat, qui non permittit nos tentari supra id quod ferre possumus. Sicut faciendum est etiam, cum bestiarum dentibus aut undecumque vel ubicumque flagellamur, vel alios flagellari conspicimus.

XII. Quod vero illi, de quibus nobis innotuistis, ad easdem Ecclesias, in quibus percutiuntur, concurrunt, & quicquid possunt, donant; nos credimus omnino quod terroribus decepti hoc faciant, perdito consilio meliore. Melius enim facerent, si sua pauperibus & hospitibus erogarent, & ad presbyteros Ecclesiæ currerent, ungendi oleo, secundum præceptum evangelicum & apostolicum, cum jejuniis & orationibus; quibus sociari debet eleemosyna. Nam si essent signa sanitatum, quæ Deo largiente per merita sanctorum concessa viderentur, concursus ad eadem loca consequens esset; & si aliquid oblationum ibi daretur more ecclesiastico, & secundum dispositionem patrum, esset utique fructuosum ipso usu misericordiæ. Nunc autem quia cupiditati quorumdam & avaritiæ famulantur, non exinde honoratur Deus, nec pauperibus succurritur. Hanc enim rem si secundum voluntatem Dei agerent, juxta quod per omnes sanctas scripturas eam Deus hominibus voluit indicari; scirent utique quam sublimiter & admirabiliter hujus rei semitam Dominus demonstrare dignatus sit per Micheam prophetam dicentem: *Numquid offeram Deo holocautomata & vitulos anniculos? Numquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? Numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ?* Et cum in his omnibus negetur, subinfertur illico in quibus Dominus placari possit, cum dicit: *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, & quid Dominus quærat a te. Utique facere judicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo*. Sicut enim reprehensibile est rem pauperum non pauperibus distribuere; sic infructuosum, si ea quæ deberent Ecclesiæ debitam reverentiam exhibentibus erogari, cupiditatis æstu anhelantibus vel avare servanda vel abutenda prodige conferantur.

a Sapient. XVII. 4.

AD MATFREDUM

PROCEREM PALATII,

Deploratoria de injustitiis.

Virorum præstantissimo atque inlustrissimo Matfredo [1] Agobardus in Christo Domino vivificatore ac salvatore nostro vitam & salutem æternam. Obsecro præcellentissimam claritatem vestram ut patienter & clementer audire digneтur, quæ fidelis suggerit servulus: quia, teste Deo qui scrutatur corda & renes, non alia intentione dico, nisi propter profectum prosperitatis vestræ præsentis pariter & futuræ. Omnipotens, sempiternus, & misericors Deus, apud quem nihil præteritum, nihil futurum est, sed omnia volumina sæculorum quæ apud mortales & temporales volvuntur, intemporaliter apud eum præsentia permanent, elegit vos ante mundi constitutionem futurum nostris periculosis temporibus ministrum Imperatoris & Imperii, & E præ ceteris honorificavit & ditavit, non solum exterius, verum etiam interius, prudentia videlicet, justitia, fortitudine, & temperantia, quibus secundum scripturas nihil utilius est in vita hominis; constituitque vos in latere rerum summam regen- D tis; quatenus & in dispositione æquitatis illi effectis suffragator, & in remuneratione beatitudinis particeps. Nunc igitur quid potissimum expedit devotissimæ intentioni vestræ, nisi ut omni conamine omnique mentis adnisu ita in dispositionem rerum sagacissime vigiletis, ut opprimatur iniquitas, destruatur fraus & dolus, dissipetur pravitas, conteratur crudelitas, erigatur justitia, consoletur humilitas, roboretur fides, serenetur Ecclesia? Noverit namque prudentia vestra, in istis regionibus, quibus nos vicini sumus, in tantam securitatem venisse impietatem, ut pene nullus inveniatur qui justitiam diligat, ab injustitiaque recedat, nisi cujus divina inspiratio mentem tangit, & deducit voluntatem; ita ut gratuitum putetur, ubicumque bonitatis vestigia conspiciuntur. Quievit timor regum & legum in multis; adeo ut plerique in præsenti neminem timendum putent, reputantes apud semet ipsos, & dicentes in cordibus suis: Si querela de me ad Palatium venerit, caussa ad Causi-

1. Comes fuit Aurelianensis. Obiit in Italia an. 835. ut erudimur ab auctore vitæ Ludovici Pii

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 810.

dicos dirigetur. Illic inveniam parentes vel amicos plures, per quos indubitanter fiet ut regalem offensionem nullam incurram, quia donum absconditum exstinguet iras, & is qui timendus est, aliis interpositis non videbit insipientias nostras.

Talibus, vir eximie, occasionibus totum pene illud miserabili ævo nostro viguit, quod suo tempore Christianos quidem evasisse gloriabatur, apud paganos vero vehementius effervescere martyr beatus Cyprianus lugubri nimis ac mærenti voce defiebat: [1] *Inter leges*, inquiens, *ipsas delinquitur, inter jura peccatur: innocentia nec illic ubi defenditur reservatur. Quis inter hæc vero subveniat? Patronus? Sed prævaricatur, & decipit. Judex? Sed sententiam vendit: qui sedet crimina vindicaturus, admittit; & ut reus innocens pereat, fit nocens judex. Nullus de legibus metus: de quæstore, de judice pavor nullus: quod potest redimi, non timetur admitti. Consensere peccatis jura, & cœpit licitum esse quod publicum est. Quis illic rerum pudor, quæ esse possit integritas; ubi qui damnant improbos desunt, soli tibi qui damnentur occurrunt?* quodque sine periculo dicere nequeo, multi talium putant vos esse murum inter se & Imperatorem, per quem defendantur a correctione. Quin potius, præstantissime virorum, date operam, ut sitis murus in augmento felicitatum, qui noxios expugnet, innocentes tueatur, Deo congruat, ab inimico discrepet, supernam remunerationem accumulet. Et licet satis ex verbis præcedentibus animi nostri clarescat intentio; ut tamen absque ulla dubitatione sciatis me non proprias querelas deplorare, cognoscat prudens benignitas vestra, hæc a me dici non posse adversum Comitem nostrum Bertmundum: quippe qui bene satis habeat ordinatum de justitiis Comitatum suum; eo quod talem virum pro se constituerit ad hæc peragenda, qui non solum propter amorem & timorem senioris sui id strenue gerat, verum etiam, quod sublimius & laudabilius est, propter amorem Dei & amorem ipsius æquitatis & justitiæ, ita ut videatur nobis in his partibus nusquam fieri tam diligenter & attente. Sed prorsus hæc omnia dicimus propter fidem quam sub Deo, domino etiam Imperatori debemus, & pro vestra beatitudine æterna, & præsentis vitæ felicitate adipiscenda. Quoniam, ut ipsi non ambigitis, tanta familiaritas, quam apud dominum Imperatorem obtinere vos Deus fecit, pro magno vobis talento spiritali ab ipso omnipotenti Domino computabitur; & desideramus ut tam strenue illud impendatis, ut merito audire mereamini a Domino in judicio ejus: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis*, & cetera: avertatur autem a vobis illa dura & inrevocabilis improperatio, quæ in negligentes redundatura est, Domino dicente: *Serve male & piger, sciebas quia meto ubi non seminavi, & congrego ubi non sparsi*, & cetera. Sed neque nominatim personas exprimere debeo, quibus emendatione multa opus est, ne accusator videar, quod non est officii mei; sed cupio vos ita esse sollicitum, sicut studiosissimum Dei ministrum, & consentaneum boni Imperatoris adjutorem, qui ab utroque Domino dignus & fidelis inventus, merito utriusque recompensationem percipiat.

1. Cypr. in epist. ad Donat.

EPISTOLA

AD CLERICOS ET MONACHOS LUGDUNENSES,

De modo regiminis ecclesiastici.

I. Quia novi inter aliquos, quosdam rumores & suspiciones diversas, hæc subteradjecta scripsi, per quæ cognoscere dignemini quæ ego in actione ecclesiastici regiminis tenenda putem; cesset que paucorum murmuratio, cum omnibus mea fuerit intentio patefacta. Unus est sponsus, qui habet sponsam; qui diligendus est propter se, non propter aliud aliquid, cum ipse sit pax, veritas, justitia, sanctificatio, & redemtio, & omne bonum, & sine illo nullum bonum: qui de cælo venit, & super omnes est; qui quos eripit de terra, levat ad cælum. Amici sponsi sunt, qui se videntes & audientes ædificant in amorem & cultum sponsi, filii vero sponsi, & qui ædificant, & qui ædificantur. Unus est agnus, qui habet sponsam, de qua dicitur Joanni apostolo: *Veni, ostendam tibi sponsam, uxorem agni:* & ostensa est illi civitas sancta Hierusalem descendens de cælo a Deo, habens claritatem Dei.

II. De hac sponsa & civitate cantatur in cælo *Alleluja, quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus & exsultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni, & uxor ejus præparavit se; & datum est illi, ut cooperiat se byssino.* De hac uxore & civitate dicit Joannes evangelista, quod ipsa sit & tabernaculum Dei. Ait enim: *Et civitatem sanctam Hierusalem vidi novam descendentem de cælo, a Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Et audivi vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus erit cum eis eorum Deus; & absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum; & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* De hac civitate & uxore virgine generat agnus Dei, agnus Deus, agnus omnipotens, agnus omnipotentis, agnos & oves quos commendat beato Petro apostolo dicens: *Pasce agnos meos.* Et iterum: *Pasce oves meas.* Hic sponsus & agnus omnipotens dicit sponsæ & uxori suæ: *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad. Dentes tui sicut grex ovium, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non estis in eis.* Et iterum: *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis.* Hæc uxor & filia est viri sui agni & principis, cui ipse dicit: *Quam pulcri sunt gressus tui in calciamentis, filia principis!*

III. Ipse princeps pater sponsæ suæ, & frater

Sæcul. IX.
circa
Ann. Chr.
810.



ejus est. Dicit enim ipsi uxori & sorori suæ: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui. Quam pulcræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa!* Nec mirum si uxor soror est; quia & mammæ atque ubera ejus turris, & ipsa murus. Sic enim de illa pater & sponsus loquitur: *Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est. Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea; si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.* Et illa respondit: *Ego murus, & ubera mea turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.* Quid mirum si murus & civitas, cum & vinea habens virum? *Vinea enim*, inquit, *fuit Pacifico in ea, quæ habet populos. Tradidit eam custodibus: vir affert pro fructu ejus mille argenteos.* De qua ipse vir & pater statim subjungit, *Vinea mea coram me est.* Ipsa vinea virginis quoque est & conjux, de qua in carmine nuptiali canitur ipsi regi & sponso: *Stetit conjux in dextera tua, in diademate aureo.* Et ipse sponsus & pater ait eidem conjugi: *Audi filia & vide.* Et ipse cantor hujus carminis eidem dicit: *Et, o filia fortissimi, in muneribus faciem tuam deprecabuntur divites populi.* Hæc juxta Hebraicum. Antiquior autem translatio, ut eamdem conjugem reginam & filiam regis ostenderet, sic ait ipsi regi: *Adstitit regina a dextris tuis.* Et post pauca: *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus.* Hæc regina non solum vinea est, sed & hortus, & fons. *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* Dicitur & mulier, sicut scriptum est: *Mulierem fortem quis inveniet?* Et post aliqua: *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ.* In ejus persona quibusdam fidelibus & Paullus scribit: *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Cui ipse Christus Dominus loquitur: *Tota pulcra es amica mea, & macula non est in te.* Et illa de illo: *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum.*

IV. Ista sponsa regina, & uxor & ancilla est. Sed hoc non mirum. Mirum tamen & omni misericordia plenum, quod vir ejus & dominus, etiam domina est illi, sicut Psalmista decantat: *Sicut oculi ancillæ ad manum dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.* Quæ etiam mulier dicitur habens dragmas decem, quæ, perdita una, accendit lucernam, everrit domum, quæsivit, & invenit. Dicitur & mater, sicut ipse per Esaiam loquitur, dicens: *Quomodo si cui mater blanditur, ita ego consolabor vos.* Vere enim & mater & domina est, virtus & sapientia, fortitudo & gloria, resurrectio & vita, via & veritas, inluminatio & salus, & cetera hujusmodi.

V. Illud quoque non minus mirum, quod ancilla & amica etiam mater Domini sui esse potest, illo modo quo Dominus ait: *Quicumque enim fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater & soror & mater est.* Quod & Apostolus de se ipso ait: *Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis.*

VI. Hæc multiplicia nomina sponsi & sponsæ, Christi & Ecclesiæ, non de aliquibus gestis historicis, (sicut est, cum scriptura de Sara, Rebecca, Rachel loquitur, in quibus conjunctio Christi & Ecclesiæ figurata est) nec de eo locutionis genere, quo in rebus sensibilibus significativa prænuntiatione ponuntur, (sicut est mons domus Do- A mini, ubi mons Dominum & domus Ecclesiam significat) & multa hujusmodi, assumta sunt; sed de illis locis ubi in illam ordinatam narrationem gestorum scriptura exsequitur, sed tantum diversis hujusmodi nominibus Christum & Ecclesiam indicat, & in quibus nullus ita insipiens est ut aliud quærendum existimet, nisi Christum & Ecclesiam.

VII. Miranda vero conditoris benignitas ostenditur; cum tanta unitate corpus capiti adhæreat, & caput corpori præsideat, sicut Propheta decantat: *Induit me vestimentis salutis, & indumento justitiæ circumdedit me quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.* Et B post aliqua: *Habitabit enim juvenis cum virgine, & habitabunt in te filii tui. Et gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus.* Et Apostolus aperte ostendit, dicens: *Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum corpus sunt, ita & Christus. Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive gentiles, sive servi, sive liberi, & omnes in uno spiritu potati sumus.* Quia videlicet hanc unitatem spiritus Christi facit.

VIII. Hæc sunt quæ ineffabiliter jucundissimam præstant avocationem piæ & fideli animæ, & ta- C lem avocationem, qualis in præsenti vita ex creaturarum contemplatione nulla esse potest, &, ut ita dicam confidenter, in omnibus operibus Dei visibilibus & invisibilibus nulla similis inveniri potest. De hac avocatione Dominus præcipit per Prophetam: *Loquimini ad cor Israel, & avocate eam.* De hac etiam vir cum quo est Deus in visione qua erudivit eum mater sua, mystico sermone, sic præcipit: *Date siceram mærentibus, & vinum his qui amaro sunt animo. Bibant, & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.* De hac & Psalmista, cum beatum diceret eum qui non respexit in vanitatem & insanias falsas, vel sicut in Hæbraico legitur, ad superbias pompasque D mendacii, in quibus sunt avocationes carnalium mentium, subjunxit: *Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua, & cogitationibus tuis non est qui similis sit tui.*

IX. Ergo quicumque prædicationis officium & locum regiminis suscepit, & negligit in his summis rebus, quod est summum misericordiæ Dei, avocare amicos fidelium, & quærit consolationem & avocationem in divitiis, in ornamentis metallicis, in venationibus, aucupationibus, ac piscationibus, &, quod pejus est, in comessationibus, & ebrietatibus, & sonis musicis, sicut Dominus per prophetam detestatur, dicens: *Væ qui consurgitis mane* E *ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis. Cythara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conviviis vestris; & opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis.* Iste talis non est adjutor Dei, sicut Paullus ait: *Dei enim sumus adjutores. Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.* Sed est destructor operis Dei, ac per hoc adjutor Antichristi; & licet in oculis humanis sacerdos esse videatur, in oculis tamen Dei non est: quia veniente Domino ad judicium, dividetur, & pars ejus cum infidelibus ponetur, & de qualibus scriptum est: *Vidi impios sepultos: qui etiam cum adhuc viverent, in loco sancto erant, & laudabantur in civitate, quasi justorum operum.* Nullus ergo ex his dux po-

puli Dei esse debet, ne quærentes regna cælestia A in foveam demergat, ubi ipse judicio Dei demersus est, sicut Dominus ad beatum Job demonstrat, dicens: *Si habes brachium sicut Deus?* Et quibusdam interpositis: *Absconde eos*, inquit, id est, superbos & impios, *in pulverem simul, & facies eorum demerge in foveam.*

X. Sunt alii, qui, sicut & isti, non apparent hominibus impii, sed per simulatam justitiam fiunt in oculis hominum sepulcra dealbata; in oculis autem Dei, id est, intus, pleni sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. Ait beatus Paullus apostolus: *Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur.* Et iterum: *Habentes* B *hanc ministrationem, juxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficimus, sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis.* Sicut enim adulter non quærit fructum prolis, sed tantum ut suæ voluntati faciat, & libidinem impleat: ita omnis qui administrationem verbi suscepit, si ex sinceritate salutem audientium & ædificationem Ecclesiæ non quærit, sed caussa alterius rei, quæ minor est quam salus auditorum, verbum Dei loquitur, ut suæ nimirum propriæ voluntati obtemperet, adulter est.

XI. Ergo non soli hæretici adulterant verbum C Dei, miscendo fallacias suas. Sed & omnes, qui per sacrum ministerium ad honores & divitias temporales pervenire festinant, etiam & illi qui ad honores & divitias sublimari non possunt, & victum aut tegumentum cotidianum ex sacro ministerio adipisci cupiunt, (quia non ideo sumtus accipiunt ut prædicent, sed ideo prædicant ut accipiant; nec loquuntur ex sinceritate sicut ex Deo, coram Deo; sed ambulant in astutia, nec abdicant occulta dedecoris, sed amplectuntur) adulteri sunt. Omnis ergo qui præponitur ceteris, sive clericus, sive monachus, si ita videtur benevolus & mansuetus atque affabilis, ut subditorum corda in sui amorem & propriam laudem convertat, adulter D est, & regimen animarum suscipere numquam debet. Qui autem ita prudens, mansuetus, & suavis est, ut se videntes & audientes ad amorem & laudem sponsi convertat & accendat, amicus est sponsi, castitatem quærit sponsæ, meritoque suscipit regimen animarum. Omnis clericus, aut monachus, cui datus est quantuluscumque sermo sapientiæ, aut sermo scientiæ, & dum loquitur, cupit audientes in proprium amorem & propriam laudem convertere & inflammare, iste se ipsum prædicat, non sponsum; & idcirco pellendus est de interiori thalamo, quia adulter est; foris in atrio præsidet, non sponsæ jussu, sed patientiæ permissu: quia sive occasione, sive veritate sponsus annuntietur, E gaudendum est. Fidelis enim anima a quocumque audiat laudes sponsi, in amorem sponsi accenditur, non in negligenter laudantis. Nam & diligentem laudatorem amat ut proximum, non ut sponsum, amat in sponso, non pro sponso. Ambulans in via immacula, hic Domino ministrat, non sibi; & potest proponi ceteris: non ambulans, sed jacens in ignavia, & qui sic ministrat, sibi ministrat, non Domino, non debet præponi ceteris. Qui custodes observationum ad libitum suum, & non ad utilitatem domesticorum, sibimet dispensat, non Domino, non est fidelis dispensator, & prudens, quem constituat Dominus super familiam suam. *Labor stultorum affliget eos qui nesciunt in urbem sponsi pergere*; & ideo non debent fieri duces aliorum. Labor sapientum sanat eos. Deducuntur enim ab sponso in viam rectam, ut eant in civitatem habitationis; talesque fieri debent duces eorum qui non habent heic manentem civitatem, sed futuram inquirunt in grege qui ascendit de lavacro. Et fœcundæ sunt amandæ, & steriles tolerandæ; & sani custodiendi, & infirmi sanandi: quia sponsus de cælo venit quod perierat requirere, & quod abjectum erat reducere, & quod confractum alligare, & quod infirmum consolidare, & pingue & forte custodire.

XII. Hæc in subjectis ovibus ita observanda sunt. In prælatis autem & pastoribus alia conditio est. Quoniam sicut beatus est *fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore*, qui imitatur pastorem pastorum in administratione pascuæ; ita e contrario de pastoribus qui pascunt semet ipsos, quod infirmum est non consolidant, & quod ægrotum non sanant, & quod fractum non alligant, & quod abjectum non reducunt, quod perierat non requirunt: de quorum ore liberet pastor pastorum oves suas, & eas pascat in pascuis uberrimis, etiam eas quæ in præsenti vita semper pro se tolerant pravum pastorem. Et quidem pia ovis semper quærit bonum pastorem. Sed si deest in hac mortalitate, non deest ille qui animam suam posuit pro ovibus suis. Propter quod, ubi emendari non potest, ab ovibus tolerandus est ut mercenarius sedens in cathedra Moysi. Quoniam jussit pius sponsus, verus pastor, ut quæ dicunt tales, faciant oves; quæ autem faciunt, non faciant.

XIII. Hæc in postremo propterea dixi, ne quis me putet perditam existimare fidelem ovem, quæ prudenter tolerat pravum pastorem; illud summopere commonens, ut omnis pastor non sibi, sed Domino nutriat & erudiat atque corripiat in disciplina & timore Domini subditos: sicut & beato Petro summus pastor præcipit dicens: *Pasce agnos meos*, inquit, non *tuos*; & idcirco mihi, non tibi. Hoc est certum indicium quod me veraciter diligas, si agnos meos sollicite pascas, propter quod recepturus es justitiæ coronam. Sic & quidam antiquus pastor curam sollicitudinis mysticis verbis significavit, dicens: *Non est adhuc tempus ut in caulis includantur oves. Date antea potum ovibus, & sic eas ad pastum reducite.* Quod ubi non fit, & venit illud quod Propheta deplorat dicens: *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam; & nobiles ejus interierunt fame, & multitudo ejus siti exaruit.* Et alius: *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.*

XIV. Hæc verba non imperita, imperite tamen ab imperito ordinata, omnibus necessaria sunt, ab illo qui sedet in solio, usque ad eum qui laborat ad molam. Ego non tam illis scribo, quibus nihil debeo nisi caritatem, sed eis qui nobis commissi sunt; ita tamen ut in nomine pastorum & rectorum intelligantur abbates, & præpositi, atque presbyteri: quos & obnixe deprecor, ut toto corde intendant in exhortationem & obsecrationem beati Petri apostoli, qua dicit: *Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro consenior & testis Christi passionum, qui & ejus quæ in futuro revelanda est gloriæ communicator, pascite qui est in vobis gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum; neque turpis lucri gratia, sed voluntarie; neque dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo; & cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilis gloriæ coronam. Amen.*

LIBER

CONTRA EORUM SUPERSTITIONEM

Qui picturis & imaginibus sanctorum [1] adorationis obsequium deferendum putat.

I. PRimum præceptum decalogi est dicente Deo: [a] *Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis. Non habebis deos alienos in conspectu meo. Non facies tibi sculptile, nec similitudinem omnium quæ in cælo sunt desuper, & quæ versantur in aquis sub terra. Non adorabis ea, & non coles.* Ad quæ verba beatus Augustinus brevissime subjungit, dicens: [2] *In primo præcepto prohibetur aliqua in figmentis hominum Dei similitudo; non quia non habet imaginem Deus; sed quia nulla ejus imago coli debet, nisi illa quæ & hoc est quod ipse, nec ipsa pro illo, sed cum illo.* Hæc dicens beatus Augustinus, docet nos breviter qualiter & cetera hujusmodi præcepta intelligere debeamus. Nam cum distincte dicatur non faciendam similitudinem omnium quæ in cælo sunt, aut quæ in terra, non de solis similitudinibus alienorum deorum intelligitur dictum, sed & de cælestibus creaturis, aut quæ in honore creatoris humanus sensus potuit excogitare. Propter quod & aperte Moyses loquitur ad populum, dicens: *Locutus est Dominus ad vos de medio ignis. Vocem verborum ejus audistis, & formam penitus non vidistis.* Et post pauca: *Custodite igitur sollicite animas vestras. Non vidistis aliquam similitudinem in die qua locutus est Dominus vobis in Oreb de medio ignis; ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel feminæ, similitudinem omnium jumenterum quæ sunt super terram, vel avium sub cælo volantium, atque reptilium quæ moventur in terra, sive piscium qui sub terra morantur in aquis; ne forte oculis elevatis ad cælum, videas solem & omnia astra cæli, & errore deceptus adores ea & colas.* In quibus verbis summopere notandum est, quia si opera manuum Dei non sunt adoranda & colenda, nec in honore Dei; quanto magis opera manuum hominum non sunt adoranda & colenda, nec in honore eorum quorum similitudines esse dicuntur.

II. Ex libro sancti Augustini de civitate Dei x. quibus modis cultus dicatur: „ [3] Videndum ac disserendum est, quantum Deus donat, immortales „ ac beati in cœlestibus sedibus, dominationibus, „ principatibus, potestatibus constituti, quos isti „ deos, & ex quibus quosdam vel bonos dæmones, vel nobiscum angelos nominant, quomodo „ credendi sint velle a nobis religionem pietatemque servari; hoc est, ut apertius dicam, utrum „ etiam sibi, an tantum Deo suo, qui etiam noster est, placeat eis ut sacra faciamus, & sacrificemus; vel aliqua nostra, seu nos ipsos, religionis ritibus consecremus. Hic est enim divinitati, vel, si expressius dicendum est, deitati „ debitus cultus; propter quem uno verbo significandum, quoniam mihi satis idoneum non occurrit Latinum, Græco ubi necesse est insinuo „ quid velim dicere. Latriam quippe nostri, ubicumque sacrarum scripturarum positum est, interpretati sunt servitutem. Sed ea servitus, quæ debetur hominibus, secundum quam præcipit Apostolus servos dominis suis subditos esse debere, „ alio nomine græce nuncupari solet. Latria vero secundum consuetudinem qua locuti sunt qui „ nobis divina eloquia condiderunt, aut semper „ aut tam frequenter ut pene semper, ea dicitur „ servitus, quæ pertinet ad colendum Deum. Proinde si tantummodo cultus ipse dicatur, non soli Deo deberi videtur. Dicimur enim etiam colere homines, quos honorifica vel recordatione „ vel præsentia frequentamus. Nec solum ea, quibus nos religiosa humilitate subicimus, sed quædam etiam quæ subjecta sunt nobis, perhibentur „ coli. Nam ex hoc verbo & agricolæ & coloni „ & incolæ vocantur. Et ipsos deos non ob aliud „ appellant cælicolas, nisi quod cælum colant; „ non utique venerando, sed inhabitando, tamquam „ cæli quosdam colonos; non sicut appellantur coloni, qui conditionem debent genitali solo propter agriculturam sub dominio possessorum, sed, „ sicut ait quidam Latini eloquii magnus auctor [4], „ *Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni.* Ab incolendo colonos vocavit, non ab agricultura. „ Hinc & civitates a majoribus civitatibus velut „ populorum examinibus conditæ, coloniæ nuncupantur. At per hoc cultum quidem non deberi „ nisi Deo, propria quadam notione verbi hujus „ omnino verissimum est. Sed quia & aliarum rerum dicitur cultus, ideo latine uno verbo significari cultus Deo debitus non potest. Nam & „ ipsa religio, quamvis distinctius non quemlibet, „ sed Dei cultum significare videatur, (unde isto „ nomine interpretati sunt nostri eam quæ græce „ θρησκεία dicitur) tamen quia Latina loquendi „ consuetudine non solum imperitorum, verum etiam doctissimorum & cognationibus humanis, „ atque affinitatibus, & quibusque necessitudinibus „ dicitur exhibenda religio, non eo vocabulo vitatur ambiguum, cum de cultu deitatis vertitur „ quæstio. Ut fidenter dicere valeamus religionem „ non esse nisi cultum Dei: quoniam videtur hoc „ verbum a significanda observantia propinquitatis „ humanæ insolenter auferri. Pietas quoque proprie „ Dei cultus intelligi solet, quam Græci εὐσέβειαν „ vocant. Hæc tamen & erga parentes officiose „ haberi dicitur. More autem vulgi hoc nomen „ etiam in operibus misericordiæ frequentatur. „ Quod ideo arbitror evenisse, quia hæc fieri præcipue mandat Deus, eaque sibi vel pro sacrificiis vel præ sacrificiis placere testatur. Ex qua

a Exod. xx. 2. seqq.

1. Superstitio quæ tunc vigebat in Gallia circa imagines, non modo in caussa fuit ut secunda Synodus Nicæna a Francofordiensi repudiaretur, sed etiam ut quidam acriorem calamum stringerent. Accedebat metus ne post Nicænam II. Synodum imperium ad Græcos relaberetur restituto imaginum cultu. V. Berardum ad Can. vi. dist. 37.

2. August. Homil. super Exod. ad cap. 2.

3. August. de Civit. Dei lib. X. cap. 1.

4. Virgil. I. Æneid. v. 16.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 810.



loquendi consuetudine factum est, ut & Deus A ipse dicatur pius: quem sane Græci nullo suo sermonis usu εὐσεβεῖν vocant, quamvis εὐσέβειαν pro misericordia illorum etiam vulgus usurpet. Unde in quibusdam scripturarum locis, ut distinctio certior appareret, non εὐσέβειαν, quod ex bono cultu, sed θεοσέβειαν, quod ex Dei cultu compositum resonat, dicere maluerunt. Utrumlibet autem horum nos uno verbo enuntiare non possumus. Quæ itaque λατρεία græce nuncupatur, & latine interpretatur servitus, sed ea qua colimus Deum: vel quæ θρησκεία græce, latine autem religio dicitur, sed ea quæ nobis est erga Deum: vel quam illi θεοσέβειαν, nos vero B non uno verbo exprimere, sed Dei cultum possumus appellare: hanc ei tantum Deo deberi dicimus qui verus est Deus, facitque suos cultores deos. Quicumque igitur sunt in cælestibus habitationibus immortales & beati, si nos non amant, nec beatos esse nos volunt, colendi utique non sunt, si autem amant & beatos esse volunt, profecto inde volunt, unde & ipsi sunt. „

In eodem libro post pauca: [1] „ Huic nos servitutem, quæ latria græce dicitur, sive in quibusque sacramentis, sive in nobis ipsis debemus. Hujus enim templum simul omnes, & singuli templa sumus: quia & omnium concordiam, & singulos inhabitare dignatur: non in omnibus, C quam in singulis major: quoniam nec mole distenditur, nec partitione minuitur. Cum ad illum sursum est, ejus est altare cor nostrum: ejus unigenito eum sacerdote placamus: ei cruentas victimas cædimus, quando usque ad sanguinem pro ejus veritate certamus: eum suavissimo adolemus insensu, cum in ejus conspectu pio sanctoque amore flagramus. Ei dona ejus in nobis, nosque ipsos vovemus & reddimus: ei beneficiorum ejus solennitatibus festis & diebus statutis dicamus sacram usque memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat oblivio: ei sacrificamus hostiam humilitatis & laudis in ara cordis igne fervidæ caritatis. Ad hunc videndum, si- D cut videri poterit, eique cohærendum, ab omni peccatorum & cupiditatum malarum labe mundamur, & ejus nomine consecramur. Ipse enim fons nostræ beatitudinis, ipse omnis appetitionis est finis. Hunc eligentes vel potius religentes, amiseramus enim negligentes; hunc ergo religentes, unde & religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus, ut perveniendo quiescamus; ideo beati, quia illo fine perfecti. „

III. Quod inter Deum & homines nullus sit alius mediator quærendus, nisi ille qui Deus & homo est, ex lib. IX. sancti Augustini in opere supe- E rius memorato: „ [2] Multitudo quæ beata est, unius Dei participatione fit beata. Cujus participationis privatione misera multitudo malorum angelorum, quæ se opponit potius ad impedimentum, quam interponit ad beatitudinis adjutorium, etiam ipsa multitudine obstrepit quodammodo, ne possit ad illud unum beatificum perveniri, ad quod ut perduceremur, non multis, sed uno mediatore opus erat, & hoc eo ipso cujus participatione sumus beati, hoc est, Verbo Dei, non facto, sed per quod facta sunt omnia. Nec tamen ob hoc mediator est, quia Verbum; (maxime quippe immortale & maxime beatum Verbum longe est a mortalibus miseris) sed mediator per quod homo, eo ipso utique ostendens ad illud non solum beatum, verum etiam beatificum bonum non oportere quæri alios mediatores per quos arbitremur nobis perventionis gradus esse moliendos; quia beatus & pacificus Deus, factus particeps humanitatis nostræ, compendium præbuit participandæ divinitatis suæ. Neque enim nos a mortalitate & miseria liberans, ad angelos immortales beatosque ita perducit, ut eorum participatione etiam nos immortales & beati simus, sed ad illam trinitatem, cujus & angeli participatione beati sunt. Ideo quando in forma servi, ut mediator esset, infra angelos esse voluit, in forma Dei super angelos mansit: idem in inferioribus via vitæ, qui in superioribus vita. „

IV. Ex libro X. ejusdem operis, ubi evidentissime exemplo Domini Jesu Christi docet beatus Augustinus nulli creaturæ sacrificandum, ita docens: „ [3] Qui autem putant hæc visibilia sacrificia diis aliis congruere, summo vero Deo tamquam invisibili invisibilia & majora majori, melioraque meliora, qualia sunt puræ mentis & bonæ voluntatis officia, profecto nesciunt hæc ita signa esse illorum, sicut verba sonantia signa sunt rerum. Quocirca sicut orantes atque laudantes ad eum dirigimus significantes voces, cui res ipsas in corde quas significamus offerimus; ita sacrificantes non alteri visibile sacrificium offerendum esse noverimus quam illi, cujus in cordibus nostris invisibile sacrificium nos ipsi esse debemus. Tunc nobis favent, nobisque congaudent, atque ad hoc ipsum nos pro suis viribus adjuvant angeli quique virtutesque superiores, & ipsa bonitate ac pietate potentiores. Si autem illis hæc exhibere voluerimus, non libenter accipiunt; & cum ad homines ita mittuntur ut eorum præsentia sentiatur, apertissime vetant. Sunt de his exempla in litteris sanctis. Putaverunt quidam deferendum angelis honorem, vel adorando, vel sacrificando, qui debetur Deo; & eorum sunt admonitione prohibiti, jussique sunt hoc ei deferre, cui uni fas esse noverunt. Imitati sunt angelos sanctos etiam sancti homines Dei. Nam Paullus & Barnabas in Lycaonia facto quodam miraculo sanitatis, putati sunt dii, eisque Lycaonii victimas immolare voluerunt: quod a se humili pietate removentes, eis in quem crederent annuntiaverunt Deum. Nec ob aliud fallaces illi superbe sibi hoc exigunt, nisi quia vero Deo deberi sciunt. Non enim revera (ut ait Porphyrius, & nonnulli putant) cadaverinis nidoribus, sed divinis honoribus gaudent. Copiam vero nidorum magnam habent undique, & si amplius vellent, ipsi sibi poterant exhibere. Qui ergo divinitatem sibi arrogant spiritus, non cujuslibet corporis fumo, sed supplicantis animo delectantur, cui decepto subjectoque dominentur, intercludentes iter ad Deum verum, ne sit homo illius sacrificium, dum sacrificatur cuipiam præter illum. Unde verus ille mediator, in quantum formam servi accipiens, mediator effectus est Dei & hominum homo Christus Jesus, cum in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo & unus est Deus, tamen in forma servi sacrificium maluit esse quam sumere, ne vel hac occasione quisquam existimaret cuilibet sacrificandum esse creaturæ. „

1. Cap. IV.
2. August. de Civit. Dei lib. IX. cap. XV.
3. Ibid. lib. X. capp. XIX. XX.

V. Item ex libro præfati operis x. quod nulla A creatura colens Deum velit pro illo coli cui & ipsa subdita est: „ [1] Quæcumque igitur immortalis potestas quantalibet virtute prædita, si nos diligit sicut seipsam, ei vult esse subditos, ut beati simus, cui & ipsa subdita beata est. Si ergo non colit Deum, misera est, quia privatur Deo. Illi enim potius divinæ sententiæ suffragatur, & dilectionis viribus favet, qua scriptum est: Sacrificans diis eradicabitur, nisi Domino soli. Nam, ut alia nunc taceam, quæ pertinent ad religionis obsequium, quo colitur Deus, sacrificium certe nullus hominum est qui audeat dicere deberi, nisi Deo. Multa denique de cultu divino usurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis, B sive humilitate nimia, sive adulatione pestifera; ita tamen ut quibus ea deferuntur, homines habeantur, qui dicuntur colendi & venerandi; si autem multum eis additur, & adorandi. Quis vero sacrificandum censuit, nisi ei quem aut scivit Deum, aut putavit, aut finxit? „

VI. Ex libro sancti Augustini de vera religione, apud quos potissimum Deus verus quærendus sit: „ [2] Prius ergo sequendi sunt, *inquit*, qui unum summum solum verum Deum & solum colendum esse dicunt. Si apud hos veritas non eluxerit, tum demum migrandum est. Sicut enim C in ipsa rerum natura major est auctoritas unius ad unum omnia redigentis, nec in genere humano multitudinis ulla potentia est nisi consentientis; ita in religione qui ad unum vocant, eorum major & fide dignior esse debet auctoritas. „

VII. Ex homilia xxv. sancti Gregorii papæ super Evangelia, qualiter etiam apud sanctos Deus quærendus sit: „ Quærentes autem nos vigiles inveniunt qui custodiunt civitatem; quia sancti Patres, qui Ecclesiæ statum custodiunt, bonis nostris studiis occurrunt, ut suo vel verbo vel scripto nos doceant: quos cum paullulum pertransimus, invenimus quem diligimus. Quia Re- D demtor noster, etsi humilitate homo inter homines, divinitate tamen supra homines fuit. Cum ergo transeuntur vigiles, dilectus invenitur: quia cum Prophetas & Apostolos infra ipsum esse conspicimus, illum qui natura Deus est, supra homines consideramus. „

His inde sententia Cantici canticorum (ubi ex persona sanctæ Ecclesiæ dicitur: *Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem. Num quem dilexit anima mea vidistis? Paullulum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea:*) ex prædicta homilia breviter adnotatis; nunc videamus quid idem Pater in libro xviii. explanationis in Job de eisdem E verbis dicat. Ait ergo: [3] *Cum redemtorem suum Ecclesia quæreret, in ipsis antiquis prædicatoribus spem figere noluit, quæ dicit: Paullulum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea. Illum quippe invenire non posset, si istos transire noluisset.* Consona huic intellectui beatus Augustinus in homilia prima Evangelii secundum Joannem loquitur dicens: „ [4] De ipsis montibus est Joannes, de quibus paullo ante cantavimus, dicentes: *Levavi oculos meos ad montes, unde veniet auxilium mihi.* Ergo, fratres carissimi, si vultis intelligere, levate oculos ad istum montem, id est, erigite vos ad Evangelistam, erigite vos ad ejus sensum. Sed quia montes isti pacem suscipiunt, non potest autem esse in pace qui spem ponit in homine; nolite sic erigere oculos in montem, ut putetis in homine spem vestram esse conlocandam, & sic dicite: *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi:* ut statim subjungatis: *Auxilium meum a Domino qui fecit cælum & terram.* Ergo levemus oculos in montes, unde veniet auxilium nobis. Et tamen non ipsi montes sunt, in quibus spes nostra ponenda est. Accipiunt enim montes quod vobis ministrent. Unde & montes accipiunt ubi spes ponenda est, cum oculos nostros levamus ad Scripturas, quia per homines ministratæ sunt Scripturæ. Levavimus oculos nostros ad montes unde auxilium veniet. Sed tamen quia ipsi homines qui scripserunt Scripturas, non de se lucebant; (sed ille erat lumen illorum qui *inluminat hominem omnem venientem in hunc mundum*; & mons erat ille Joannes Baptista, qui dixit, *Non sum ego Christus*, ne quisquam in monte spem ponens, caderet ab illo qui montes inlustrat. Et ipse confessus, ait: *Quoniam de plenitudine ejus omnes accepimus.*) Ita debes dicere: *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi*. Ne auxilium quod tibi venit, montibus imputes, sed sequaris, & dicas: *Auxilium meum a Domino qui fecit cælum, & terram*. Ergo, fratres, ad hoc ista monuerim, ut quando erexistis cor ad scripturas, cum sonaret Evangelium: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, & cetera. Quæ lecta sunt ut intelligatis vos levasse oculos in montes. Nisi enim ista dicerent, unde omnino cogitaretis, non inveniretis. Ergo ex montibus venit vobis auxilium, ut hæc vel audiretis: si nondum potestis intelligere quod audistis, invocate auxilium *a Domino qui fecit cælum & terram*, quia montes sic potuerunt loqui, ut non possint ipsi inluminare, quia & ipsi inluminati sunt audiendo. Inde qui hæc dixit accepit, Joannes ille, fratres, qui discumbebat super pectus Domini, & de pectore Domini bibebat quod nobis propinaret. Sed propinavit verba. Intellectum autem inde debes capere, unde & ipse biberat, qui tibi propinavit. „ Istis etiam paria hic idem doctor in prædicti operis homilia duodecima loquitur, cum verba Joannis Baptistæ tractaret, quæ ad discipulos suos Joannes respondit, dicens: „ Non potest homo accipere quicquam, nisi datum fuerit ei de cælo. Ipsi vos mihi testimonium perhibetis quod dixerim, Ego non sum Christus. Tamquam dicens, Quid vos fallitis? vos ipsi mihi quomodo proposuistis istam quæstionem? quid mihi dixistis? Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui testimonium perhibuisti? Nostis ergo quale testimonium illi perhibui modo? Dicturus sum non esse illum quem dixi esse ego, qui aliquid accepi de cælo, ut aliquid essem. Inanem me vultis esse, ut loquar contra veritatem. Non potest homo accipere quicquam, nisi datum fuerit ei de cælo. Ipsi vos mihi testimonium perhibetis quod dixerim, Ego non sum Christus. Non es tu Christus? Sed quid si major illo, quia tu illum baptizasti? Missus sum. Ego præco sum, ille judex est. Et audi testimonium multo vehementius, multo expressius. Videte quid nobiscum agitur. Videte quid amare debeamus. Videte quia aliquem hominem amare

1. August. de Civit. Dei lib. X. cap. iv.
2. Ibid. cap. xv.
3. Greg. in Job lib. XVIII. cap. xxxiii.
4. August. in Joan. tract. I.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 810.



„ præ Christo, adulterium est. Quare hoc dico, attendamus vocem Joannis. Poterat in illo errari: poterat ipse putari qui non erat: respuit a se falsum honorem, ut teneat solidam veritatem. Videte quid dicat Christum, quid se: *Qui habet sponsam, sponsus est*. Casti estote, sponsum amate. Quid autem tu es? quid nobis dicis? *Qui habet sponsam, sponsus est; amicus autem sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi*. „ Et post pauca: „ Vide, inquit, stantem in solido: *Non sum dignus corrigiam calciamenti ejus solvere*. Bene te humilias, merito stas, merito non cadis, merito audis, & gaudio gaudes propter vocem sponsi. Sic & Apostolus, amicus sponsi zelat, & ipse non sibi, sed sponso. Audiat vocem zelantis zelo Dei. Vos zelo dixit, non meo, non mihi, sed zelo Dei. Unde? quomodo? quem zelas, cui zelas? *Desponsavi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo*. Quid ergo times? quare zelas? *Timeo*, inquit, *ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, sic & vestri sensus corrumpantur a castitate, quæ est in Christo*. Omnis Ecclesia, virgo appellata est. Diversa esse membra Ecclesiæ, diversis pollere donis videtis, atque gaudetis. Alii conjugati, aliæ conjugatæ: alii viduati, uxores ultra non quærunt; aliæ viduatæ, maritos ultra non quærunt: alii integritatem ab ineunte ætate conservant; aliæ virginitatem suam Deo voverunt. Diversa sunt munera; sed omnes isti, una virgo est. Ubi ista virginitas? Non enim in corpore. In corpore paucarum feminarum. Etsi dici virginitas in viris potest, paucorum sanctitas. Integritas etiam corporis est in Ecclesia, & honorabilius membrum est. Alia autem sunt membra in corpore: sed omnia in mente servant virginitatem. Quæ est virginitas mentis? Integra fides, solida spes, sincera caritas. Hanc virginitatem timebat ille qui zelabat sponso a serpente corrumpi. Sicut enim membrum corporis violatur in quodam loco, sic seductio linguæ violat virginitatem cordis. „

VIII. Ex libro de Civitate Dei IX. sancti Augustini: Quod licet sancti angeli atque homines nuncupentur dii, nequaquam tamen possint iidem sancti angeli appellari dii deorum, id est, hominum sanctorum. Ex qua consideratione colligitur, quia si angeli sancti non possunt dici dii hominum, multo minus homines. Ait itaque idem doctor: „ [1] Verumtamen cum a nobis quæritur, si homines dicti sunt dii, quod in populo dii sunt, quem per angelos vel per homines alloquitur Deus; quanto magis immortales eo nomine digni sunt, qui ea fruuntur beatitudine, ad quam Deum colendo cupiunt homines pervenire; quid respondebimus, nisi non frustra in scripturis sanctis expressius homines nuncupatos deos, quam illos immortales & beatos, quibus nos æquales futuros in resurrectione promittitur; ne scilicet propter illorum excellentiam aliquem eorum nobis constituere Deum infidelis auderet infirmitas. Quod in homine facile est evitare. Et evidentius dici debuerunt homines dii in populo Dei, ut certi ac fidentes fierent eum esse Deum suum, qui dictus est Deus Deorum. Quia etsi appellantur dii immortales illi, & beati, qui in cælis sunt, non tamen dicti sunt dii deorum, id est, dii hominum in populo Dei constitutorum, quibus dictum est: *Ego dixi, dii estis, & filii excelsi omnes*. Hinc est quod ait Apostolus: *Etsi sunt qui dicantur dii, sive in cælo, sive in terra, (sicuti sunt dii multi, & domini multi) nobis tamen unus Deus pater, ex quo omnia, & nos in ipso; & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum*. „

IX. His ita se habentibus, est modus divinæ, sive evangelicæ, vel etiam humanæ gloriæ; sicut Alchimus Avitus episcopus Viennensis in dialogo, ubi cum Gundobado rege loquitur, dicit: „ Illud tamen quod ab æqualitate cælestis gloriæ patrem & filium, perinde ut creaturam angelicam secludentes, quamdam mihi invidiam inlicite supernis virtutibus delati honoris obtenditis, dicentes, Ergo & angelis, atque archangelis, & quæcumque in excelsis sunt, gloriam ferre debemus; licet minime pertineat ad caussam, etiam ad præsens non omnino sic renuo, quasi creaturæ sublimi atque præstanti gloriam ferre timeamus. Est quippe divinæ, est angelicæ, est etiam humanæ gloriæ modus, quem in multis scripturarum locis inveniamus & sanctorum meritis & apicibus regum sine vitio adsentationis ascribi. Quæ enim inter homines prima gloria, gloria hæc est omnibus sanctis ejus; & in Evangelio Dominus dicit, quod nec Salomon in omni gloria sua sic vestitus est, sicut lilii flosculus specie naturali. „

X. Audiamus nunc his paria beatum Hieronymum prædicantem. Dicit enim in epistola quam pro schismate Vigilantii ad Riparium presbyterum transmisit: „ Nos autem, non dico martyrum reliquias, sed nec solem quidem & lunam, & angelos, & archangelos, non Seraphim, non Cherubim, & omne nomen quod nominatur in præsenti sæculo, & in futuro, colimus & veneramur; ne serviamus creaturæ potius quam creatori, qui est benedictus in sæcula. Honoramus autem reliquias martyrum, ut eum cujus sunt martyres adoremus. Honoramus vos, ut honores servorum redundent ad Dominum, qui ait: *Qui vos suscipit, me suscipit*. „

XI. Consonat huic beatus Augustinus in libro primo de Civitate Dei, ita loquens: „ [2] Nec contemnenda & abjicienda corpora defunctorum justorum, quibus tamquam organis & vasis ad omnia bona opera sanctus usus est Spiritus. Si enim paterna vestis & anulus, ac si quid hujusmodi, tanto carius est posteris, quanto erga parentes major affectus; nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ utique multo familiarius atque conjunctius quam quælibet indumenta gestamus. Hæc enim non ad ornamentum vel adjutorium quod adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam naturam hominis pertinent. Unde & antiquorum justorum funera officiosa pietate curata sunt, & exsequiæ celebratæ, & sepultura provisa; ipsique cum viverent, de sepeliendis vel etiam transferendis suis corporibus, filiis mandaverunt. Ipse quoque Dominus die tertio resurrecturus, religiosæ mulieris bonum opus prædicat, prædicandumque commendat, quod unguentum preciosum supra membra ejus effuderit, atque hoc ad eum sepeliendum fecerit. Et laudabiliter commemorantur in Evangelio, qui corpus ejus de cruce acceptum diligenter atque honorifice tegendum sepeliendumque curarunt. Verumtamen istæ auctoritates non

1. August. de Civit. Dei lib. IX. cap. XXIII.

2. Ibid. lib. I. cap. XIII.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 810.

,, hoc admonent, quod insit ullus cadaveribus sen- A sus; sed ad Dei providentiam, cui etiam talia pietatis officia placent, corpora quoque mortuorum pertinere significant, propter fidem resurrectionis astruendam. ,,

Item Augustinus in libro octavo ejusdem operis: [1] ,, Nec tamen martyribus templa, sacerdocia, sacra, & sacrificia constituimus: quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sane memorias eorum tamquam sanctorum hominum Dei, qui usque ad mortem corporum suorum pro veritate certarunt, ut innotesceret vera religio, falsis fictisque convictis. Quod etiamsi qui antea sentiebant, timendo reprimebant. Quis autem audivit aliquando fidelium stantem sacer- B dotem ad altare, etiam super sanctum corpus martyris ad Dei honorem cultumque constructum, dicere in precibus: Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paulle, vel Cypriane? cum apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos & homines & martyres fecit, & sanctis suis angelis cælesti honore sociavit; ut ea celebritate & Deo vero illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum, eodem invocato in auxilium, ex illorum memoriæ renovatione adhortemur. Quæcumque igitur adhibentur religiosorum obsequia in martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum, non sacra vel sacrificia mortuorum tamquam deorum. Quicumque C etiam epulas suas eo deferunt; quod quidem a Christianis melioribus non fit, & in plerisque terrarum nulla talis est consuetudo: tamen quicumque id faciunt, quas cum apposuerint orant & auferunt ut vescantur, vel ex eis etiam indigentibus largiantur, sanctificari ibi eas volunt per merita martyrum in nomine Domini martyrum. Non autem esse ista sacrificia martyrum novit, qui novit unum, quod etiam illic offertur sacrificium Christianorum. Nos itaque martyres nostros, nec divinis honoribus, nec humanis criminibus colimus, sicut colunt pagani deos suos; nec sacrificia illis offerimus, nec eorum probra in eorum sacra convertimus. ,,

D Dicit etiam in libro quem de sex dierum opere scripsit, quod statuit lapidem Jacob, quem sibi ad caput posuerat, & constituit eum titulum, & perfudit illum oleo, non aliquid idololatriæ simile fecit. Non enim vel tunc [2] vel postea frequentavit lapidem adorando, aut ei sacrificando; sed signum fuit in prophetia evidentissime constitutum, quæ pertinent ad unctionem. Unde Christi nomen a chrismate est. Non solum enim lapidi sacrificandum non est, sed nec ulli corporali incorporalive creaturæ, nec in alicujus honorem præter solius vivi Dei templum construendum. Quod cum in aliis, tum in disputatione quam cum Maximo Manichæo E incomminus habuit, probat beatus Augustinus his verbis: ,, Si Deus Spiritus sanctus non esset, templum utique nos ipsos non haberet. Scriptum est quippe in Apostolo: *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Et iterum: *Nescitis quia corpora vestra templum in vobis est Spiritu sancti, quem habetis a Deo?* Nonne si templum alicui sancto angelo excellentissimo de lignis & lapidibus faceremus, anathematizaremur a veritate Christi, & ab Ecclesia Dei, quoniam creaturæ exhiberemus eam servitutem, quæ uni tantum debetur Deo? ,,

XII. Deus igitur solus est, sicut jam superius multoties ostendimus, in quo spem nostræ beatitudinis conlocare debemus, sicut idem Pater in libro de doctrina Christiana primo his verbis insinuat, dicens: ,, [3] Cujus nos miseremur, & cui consulimus, ad ejus quidem utilitatem id facimus, eamque intuemur. Sed nescio quomodo etiam nostra sit consequens, cum eam misericordiam quam impendimus egenti sine mercede non relinquit Deus. Hæc autem merces summa est, ut ipso perfruamur, & omnes qui eo fruimur, nobis etiam invicem in ipso perfruamur. Nam si in nobis id facimus, remanemus in via, & spem beatitudinis nostræ in homine aut in angelo conlocamus: quod & homo superbus & angelus superbus arrogant sibi, atque in se aliorum spem gaudent constitui. Sanctus autem homo & sanctus angelus etiam fessos nos atque in se quiescere & remanere cupientes reficiunt potius, aut eo sumtu quem propter nos, aut illo etiam quem propter se acceperunt, acceperunt tamen, atque ita refectos in illum ire compellunt, quo fruentes pariter beati simus. Nam & Apostolus exclamat: *Numquid Paullus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Paulli baptizati estis?* Et: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Et angelus hominem se adorantem monet, ut illum potius adoret, sub quo ei Domino etiam ipse conservus est. Cum autem homine in Deo frueris, Deo potius quam homine frueris. Illo enim frueris quo efficieris beatus; & ad eum te pervenisse lætaberis, in quo spem ponis ut venias. Inde ad Philemonem Paullus: *Ita, frater*, inquit, *ego te fruar in Domino.* Quod si non addidisset, *in Domino*, & *te fruar* tantum dixisset, in eo constituisset spem beatitudinis suæ. ,,

XIII. Quod autem sola rationalis creatura possit effici beata, & hoc ipsum bonum non habeat nisi a Deo, idem doctor testatur in libro de Civitate Dei XII. ita loquens: ,, [4] Non est creaturæ rationalis vel intellectualis bonum, quo beata sit, nisi Deus. Itaque quamvis non omnis beata possit esse creatura, (neque enim hoc munus adipiscuntur aut capiunt feræ, ligna, saxa, & si quid ejusmodi est,) ea tamen quæ potest, non ex se ipsa potest, quia ex nihilo creata est, sed ex illo, a quo creata est. Hoc enim adepto beata est, quo amisso, misera est. Ille vero qui non alio, sed se ipso bono beatus est, ideo miser non potest esse, quia non se potest amittere. Dicimus itaque immutabile bonum non esse, nisi unum verum beatum Deum; ea vero quæ fecit, bona quidem esse quod ab illo, verumtamen mutabilia, quod non de illo, sed de nihilo facta sunt. Quamquam ergo summa non sint quibus est Deus majus bonum; magna sunt tamen ea mutabilia bona quæ adhærere possunt, ut beata sint, immutabili bono, quod usque adeo bonum eorum est, ut sine illo misera esse necesse sit. ,,

Ex libro de vera religione: ,, [5] Non sit ergo nobis religio cultus corporum æthereorum atque cælestium, sed ejus cujus contemplatione beati sunt. Neque enim & nos videndo angelum beati sumus, sed videndo veritatem, qua etiam ipsos diligimus angelos, & eis congratulamur. Nec invidemus quod eo paratiores & nullis molestiis interpedientibus perfruuntur: sed magis eos dili-

1. August. lib VIII. cap. XXVII.
2. Vide August. quæst. in Gen. lib. I. cap. LXXXIV.
3. August. de Doct. Christ. lib. I. capp. XXXII. XXXIII.

4. August. de Civit. Dei lib. XII. cap. I.
5. August. de vera Relig. cap. LV.

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 810.



„ gimus, quoniam & nos tale aliquid sperare a A „ communi Domino jussi sumus. Quare honoramus „ eos caritate, non servitute. Nec eis templa con- „ stituimus. Nolunt enim se sic honorari a nobis, „ quia nos ipsos, cum boni sumus, templa summi „ Dei esse noverunt.„

Nam & cum exaudiunt angeli, Deus exaudit tamquam in vero nec manufacto templo suo, sicut in omnibus sanctis suis, ejusque temporaliter fiunt jussa æterna sine lege conspecta. Nec movere debet, quod cum sit invisibilis, sæpe visibiliter patribus apparuisse memoratur. Sicut enim sonus qui auditur, sententia in silentio intelligentiæ constituta, non est hoc quod ipsa; ita & species qua visus est Deus in natura invisibili constitutus, non erat B quod ipse. Verumtamen ipse in eadem specie corporali videtur; sicut illa sententia ipsa in sono vocis auditur; nec illi ignorabant invisibilem Deum in specie corporali, quod ipse non erat, se videre. Nam & loquebatur cum loquente Moyses, & ei tamen dicebat: *Si inveni gratiam ante te, ostende mihi temet ipsum scienter, ut videam te.*

XIV. Item Augustinus in libro quinto de Trinitate dicit: „ [1] Ea quæ de natura incommutabili „ & invisibili, summoque vivente, & sibi sufficiente, dicuntur non esse consuetudine visibilium „ atque mutabilium, & mortalium, vel egenarum „ rerum metienda, sed etiam in his, inquit, etiam C „ quæ nostris corporalibus adjacent sensibus, vel „ quod nos ipsi in interiore homine sumus, scientia comprehendere laboremus, nec sufficiamus, „ non tamen impudenter in illa quæ supra sunt divina & ineffabilia pietas fidelis ardescit, non quam „ suarum virium inflat arrogantia, sed quam gratia „ ipsius Creatoris & Salvatoris inflammat. Nam „ quo intellectu homo Deum capit, qui ipsum intellectum suum, quo cum vult capere, nondum „ capit? Si autem hunc jam capit, attendat diligenter nihil eo esse in sua natura melius, & videat utrum videat ibi ulla lineamenta formarum, „ nitores colorum, spatiosam granditatem, partium „ distantiam, molis distinctionem, aliquas per lo- D „ corum intervalla motiones, vel quid ejusmodi. „ Nihil certe istorum invenimus in eo quo in natura nostra nihil melius invenimus, id est, in „ nostro intellectu, quo sapientiam capimus, quantum capaces sumus. Quod ergo non invenimus „ in meliore nostro, non debemus in illo quærere „ quod longe melius est meliore nostro. Ut sic intelligamus Deum si possumus, quantum possumus, „ sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ præsentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore „ sempiternum, sine ulla sui mutatione mutabilia „ facientem, nihilque patientem. Quisquis Deum „ ita cogitat, etsi nondum potest omnimodo inve- E „ nire quid sit, pie tamen cavet, quantum potest, „ aliquid de illo sentire quod non sit.„

XV. Quantum autem visibilia noceant ad invisibilia capienda, & quantum amor corporearum rerum, etiam bonarum, ad spiritalia contemplanda, ipse Dominus demonstrat, dicens: [a] *Ego veritatem dico vobis. Expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos.* In quibus verbis hunc sensum esse sæpe nominatus pater Augustinus (*docet*): [2] „ Expedit vobis ut hæc forma servi auferatur à vobis. Caro quidem factum Verbum habito in vobis; sed nolo adhuc me carnaliter diligatis, & „ isto lacte contenti, semper infantes esse cupiatis. „ Si alimenta tenera, quibus vos alui, non subtraxero, solidum cibum non esurietis; si carnaliter „ esurire non destiteritis, capaces Spiritus non eritis. Nam quid est, *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos?* Numquid heic positus, eum „ non poterat mittere? Quis hoc dixerit? Neque „ enim ubi ille erat, iste inde recessit. Quid est ergo, *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos?* „ nisi, Non potestis capere Spiritum, nisi carnaliter „ desinatis diligere Christum. Unde ille qui jam ceperat Spiritum, *Etsi noveramus Christum*, inquit, „ *secundum carnem, sed nunc jam non novimus*. Ipsam „ quippe carnem Christi, non secundum carnem vocavit, qui Verbum carnem factum spiritaliter novit. Hoc nimirum significare voluit magister bonus, dicendo: *Si enim non abiero, Paracletus non veniet. Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Christo autem descendente corporaliter, non solum Spiritus sanctus, sed & Pater, & Filius illis affuit „ spiritualiter. Ac per hoc, cum ex carnalibus essent „ spiritales futuri, profecto & Patrem & Filium & „ Spiritum sanctum capacius fuerant habituri.„

XVI. Nemo igitur sapientum ignorat, quod homo fidelis, ut proficiat ab exterioribus, introrsus trahendus est, non ab interioribus exterius projiciendus, ut deficiat. Transire enim debet de carne ad animam, de corpore ad spiritum, de visibilibus ad invisibilia, de mundo ad Deum. Et iste dicitur profectus, si ad meliora quis transeat, non ad deteriora. Melius vero esse animum, deterius corpus, eminentius spiritum, infimam carnem, novit qui ea quæ paullo superius sunt posita sancti Augustini verba legit, & intelligit. Multo autem his deteriora esse quæ humana & carnalis præsumtio fingit, etiam stulti consentiunt. In quo genere istæ quoque inveniuntur, quas sanctas appellant imagines non solum sacrilegi, ex eo quod divinum cultum operibus manuum suarum exhibent; sed & insipientes, sanctitatem eis quæ sine anima sunt imaginibus tribuendo: nec hoc solum, sed sanctificationem quoque, quam per Verbum Dei fieri testatur Apostolus, eis quæ numquam loquuta sunt simulacris dementer concedendo. Denique Gedeon, qui, teste angelo, virorum fortissimus exstitit, & mortuus dicitur in senectute bona, postulavit, ut narrat scriptura divina, a sociis de præda inaures aureas, & accepit; fecitque ex eis Ephod, & posuit illud in civitate sua Ephra; fornicatusque est omnis Israel in eo: & factum est Gedeoni & omni domui ejus in ruinam. Licet enim ille hoc in honorem Dei fecerit, tamen quia non in loco quem Dominus elegerat, sed in sua illud voluit ponere civitate, quod utique lex vetuerat, non, ut putavit, elevationem consecuta exinde est domus ejus, sed eversionem. Et ut noverimus non diis alienis illud a Gedeone factum, statim sequitur: *Postquam autem mortuus est Gedeon, aversi sunt filii Israel, & fornicati sunt cum Baalim.* Ubi fornicati sunt in Ephod, nec aversi dicuntur, ut subaudiamus a Deo; nec Baalim, vel Astaroth aut aliquid idolum nominatur: ubi autem cum diis alienis, statim designantur Baalim, quod apud Hebræos pluralis numeri est, quod idola solet significare in scriptura divina. Sicut etiam

[a] Joan. XVI. 7.

1. August. de Trinit. lib. V. cap. 1.

2. August. in Joan. tract. XCIV. de cap. XVI.

cum unum vitulum populus errans feciſſet in eremo, dictum eſt: *Iſti ſunt dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti.*

XVII. Non ſolum vero divinum deferre honorem quibus non licet, ſed & ambitioſe honorare ſanctorum memorias ob captandam gloriam popularem, reprehenſibile eſt. Arguit ſuper his Dominus Phariſæos in Evangelio, teſte beato Hieronymo, his verbis: [a] *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui ædificatis ſepulcra prophetarum, & ornatis monumenta juſtorum, & dicitis: Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non fuiſſemus ſocii eorum in ſanguine prophetarum.* Dicit itaque præfatus doctor prudentiſſimo ſyllogiſmo, qui arguit eos filios eſſe homicidarum, dum ipſi opinione bonitatis & gloriæ in populo ſepulcra ædificant prophetarum, quos majores eorum interfecerunt, & dicunt: [1] *Si fuiſſemus in illo tempore, non feciſſemus ea quæ fecerunt patres noſtri. Hoc autem etiam ſi ſermone non dicant, opere loquuntur, ex eo quod ambitioſe & magnifice ædificant memorias occiſorum, quos a patribus ſuis eſſe jugulatos non negant.*

XVIII. Verum ne quis putet ſpernendum teſtimonium ſingulorum ſanctorum, libet non unius hominis, ſed unius Eccleſiæ hoc loco teſtimonium inſerere, ex quo perſpicue pateat quis antiquis fidelibus fuerit in divino honore cultus, vel quis amor erga memorias ſanctorum. Denique Eccleſia Dei, quæ catholicis de paſſione Polycarpi inter cetera de veneratione ſanctorum martyrum ita loquitur: „ [2] Sed ille æmulus totius boni, & adverſarius omnium juſtorum, poſtquam vidit quod & per martyrii gloriam & pro vitæ egregiæ virtutibus coronatus eſt, & per mortem præmia immortalitatis indeptus, ſatis agere cœpit ut reliquias ejus ad ſepulturam noſtris deſiderantibus non concederet. Inſtigabatur ergo Niceta Herodis pater, frater autem Dalcæ, adire judicem, ut peteret ab eo ne humandum concederet corpus; ne forte, inquit, relinquentes illum qui crucifixus eſt, Chriſtiani hunc dolere incipiant; Judæis maxime iſta machinantibus, qui & noſtros in tantis oculis obſervarunt, ne eum flammis adhuc ardentibus raperent, ignorantes miſerrimi quia neque Chriſtum aliquando poſſumus derelinquere, qui mortem pro totius mundi ſalute ſuſtinuit, neque alium quemquam colere, quippe qui verum Deum, & qui ſolus colendus ſit, noverimus; martyres vero tamquam diſcipulos Domini diligamus & veneremur, quaſi integre fidem magiſtro ſervantes & Domino, quorum nos quoque in fide & perſeverantia caritatis optamus eſſe participes. Ubi autem vidit Centurio tam obſtinatam Judæorum contentionem, poſitum in medio ipſum corpus exuſſit; & ita nos poſtmodum ambuſta oſſa, precioſiſſimis gemmis cariora, & omni auro probabiliora per ignem facta, collegimus, ac ſicut conveniebat ex more, condidimus. Quo in loco etiam nunc præſtante Domino ſolemnes agimus celebreſque conventus; maxime quidem in die paſſionis ejus. Sed cum eorum memorias, qui prius paſſi fuerant, celebramus, ideo facimus, ut ſequentium animi ad prædeceſſorum viam exemplis inſignibus ſuſcitentur. „

Hæc de Hiſtoriæ eccleſiaſticæ libro quarto ſum-A ta, ut inter ceteras divinæ legis vel ſanctorum patrum auctoritates teneant locum. Cumque omnium „ una ſententia ſit, cultum religionis ſoli Deo deberi; quid ſupereſt fidelibus, niſi ut purgatis ab omni figmentorum prophana ſervitute animis, totis viribus decertemus, quatinus veraciter illud quod ſcriptum eſt, dicere valeamus: [b] *Non enim in errorem induxit nos hominum malæ artis excogitatio, nec umbra picturæ labor ſine fructu, effigies ſculpta per varios colores, cujus aſpectus inſenſato dat concupiſcentiam, & diligit mortuæ imaginis effigiem ſine anima. Malorum amatores ſunt qui ſpem in talibus habent, & qui faciunt illos, & qui diligunt,* B *& qui colunt.* Et iterum: *Nemo enim ſibi ſimilem homo poterit Deum fingere. Cum ſit enim mortalis, mortuum fingis manibus iniquis. Melior eſt enim ipſe his quos colit: quia ipſe quidem vixit, cum eſſet mortalis, illi autem numquam.*

XIX. Dicit forſitan aliquis non ſe putare imagini quam adorat aliquid ineſſe divinum, ſed tantummodo pro honore ejus, cujus effigies eſt, tali eam veneratione donare. Cui facile reſpondetur, quia ſi imago quam adorat, Deus non eſt; nequaquam veneranda eſt, quaſi pro honore ſanctorum, qui nequaquam divinos ſibi arrogant honores, ſicut multis jam ſupra teſtimoniis eſt oſtenſum. Illud C quoque memoria dignum, quod, ſicut memoratæ hiſtoriæ undecimus continet liber, deſtructis apud Alexandriam delubris ac ſimulacris idolorum, tantus fervor Chriſtianitatis a dæmonibus ad Chriſtum converſos inflammavit, ut unuſquiſque crucis dominicæ ſignum in poſtibus, in ingreſſibus, in feneſtris, in parietibus, columniſque depingeret. O quam ſincera religio! Crucis vexillum ubique pingebatur, non aliqua vultus humani ſimilitudo; Deo ſcilicet hæc mirabiliter, etiam ipſis forſitan neſcientibus, diſponente. Si enim ſanctorum imagines hi qui dæmonum cultum reliquerant venerari juberentur, puto quod videretur eis non tam idola reliquiſſe, quam ſimulacra mutaſſe.

D XX. Quod autem imagines Apoſtolorum & ipſius Domini ob amorem potius & recordationem, quam ob religionis honorem, aut aliquam venerationem more gentilium, ab antiquis expreſſæ vel conſervatæ ſint, Euſebius Cæſarienſis in libro ſeptimo eccleſiaſticæ hiſtoriæ oſtendit, interſerens hujuſmodi narrationem, cum de his quæ apud Cæſaream Philippi geſta compererat aliqua perſtrinxiſſet. Ait ergo: [3] „ Verum quia urbis hujus fecimus mentionem, juſtum videtur commemorare etiam illud in ea geſtum, quod hiſtoria dignum duximus. Mulierem quam ſanguinis profluvio laborantem a E Salvatore curatam Evangelia tradiderunt, hujus urbis civem conſtat fuiſſe; domuſque ejus in ea etiam nunc oſtenditur. Pro foribus vero domus ipſius baſis quædam in loco editiori conlocata monſtratur, in qua mulieris ipſius veluti genibus provolutæ palmaſque ſuppliciter tendentis imago ære videtur expreſſa. Adſtat vero alia ære nihilominus fuſa ſtatua, habitu viri, ſtola comte circumdati, & dexteram mulieri porrigentis. Hujus ad pedem ſtatuæ, e baſi herba quædam nova ſpecie naſcitur; quæ cum exorta fuerit, excreſcere uſque ad ſtolæ illius ærei indumenti fimbriam ſolet; quam cum ſummo vertice cre-

a Matth. XXIII. 29. 30. b Sap. XV. 4. ſeqq.

1. Hieron. in Matth. cap. XXIII. 2. Euſeb. lib. IV. cap. XV. 3. Ibid. lib. VII. cap. XVIII.

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 810.

„ scens herba contigerit, vires inde ad depellendos „ omnes morbos languoresque conquirit; ita ut „ quæcumque illa fuerit infirmitas corporis, haustu „ exiguo madefacti salutaris graminis depellatur, „ nihil omnino virium gerens, si antequam æreæ „ fimbriæ summitatem crescendo contigerit, de- „ cerpatur. Hanc statuam ad similitudinem vultus „ Jesu formatam tradebant: quæ permansit ad no- „ stra usque tempora, sicut oculis nostris ipsi in- „ speximus. Et nihil mirum, si hi qui ex genti- „ bus crediderant pro beneficiis quæ a Salvatore „ fuerant consecuti, hujusmodi velut munus vide- „ bantur offerre; cum videamus etiam nunc & „ Apostolorum Petri vel Paulli & ipsius Salvatoris „ imagines designari, tabulasque depingi; sed & „ antiquas ipsorum imagines a quibusdam conser- „ vatas nos vidimus. Quod mihi videtur ex gen- „ tili consuetudine indifferenter observatum, quod „ ita soleant honorare quos honore dignos duxerint. „ insignia etenim veterum reservari ad posterorum „ memoriam, illorum honoris, horum vero amo- „ ris indicium est. Denique & Jacobi cathedra, „ qui primus in terris episcopus ab ipso Salvatore „ & ab Apostolis in Hierosolymis est electus, quem- „ que fratrem Christi volumina designant, usque „ in hodiernum inibi conservatur. Ita in ea sedent „ omnes qui usque ad præsens tempus sedis illius „ sacerdotium sortiuntur. „ Hactenus Eusebius.

XXI. Beda quoque, Anglorum gentis homo, & suo tempore divinis litteris non mediocriter imbutus, cum de mari quod in templo Domini a Salomone factum est pertractaret, intulit post hæc verba: „ Notandum sane quia sunt qui putant lege „ Dei prohibitum, ne vel hominum vel quorum- „ libet animalium sive rerum similitudines sculpa- „ mus, aut depingamus in Ecclesia, vel alio quo- „ libet loco; eo quod in Decalogo legis dixerit: „ *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitu-* „ *dinem quæ est in cælo desuper, & quæ in terra* „ *deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub ter-* „ *ra*. Qui nequaquam hoc putarent, si vel Salo- „ monis opus ad memoriam revocassent, quo & „ in templo intus palmas fecit & Cherubim, cum „ variis cælaturis, & in columnis illius mala gra- „ nata & retes, in mari quoque æneo duodecim „ boves, & sculpturas histriatas, sed & in vasibus „ laterum, ut in sequentibus legitur, leones cum „ bobus, palmas, axes, & rotas, cum Cherubim „ & vario picturarum genere fecit; vel certe ipsius „ Moysi opera considerassent, qui jubente Domi- „ no, & Cherubim prius in Propitiatorio, & po- „ stea serpentem fecit æneum in eremo, cujus in- „ tuitu populus a ferarum serpentium veneno sal- „ varetur. Si enim licebat serpentem exaltari æneum „ in ligno, quem aspicientes filii Israel viverent; „ cur non licet exaltationem Domini Salvatoris in „ cruce, qua mortem vicit, ad memoriam fideli- „ bus depingendo reduci; vel ad alia ejus miracu- „ la & sanationes, quibus de eodem mortis aucto- „ re mirabiliter triumphavit; cum horum aspectus „ multum sæpe compunctionis soleat præstare con- „ tuentibus, & eis quoque qui litteras ignorant, „ quasi vivam dominicæ historiæ pandere lectio- „ nem? Nam & pictura Græce ζωγραφία, id est „ viva scriptura vocatur. Si licuit duodecim boves „ æneos facere, qui mare superpositum ferentes qua- „ tuor mundi plagas terni respicerent; quid pro- „ hibet duodecim Apostolos pingere, quomodo eun- „ tes, omnes gentes baptizantes eos in nomine Pa- „ tris & Filii & Spiritus sancti, viva ut dixerim „ præ oculis omnium designari scriptura? Si contra „ legem non fuit in eodem mari sculpturas histo- „ riatas in gyro decem cubitorum fieri; quomodo „ legi contrarium putabitur, si historias sanctorum „ ac martyrum Christi sculpamus sive pingamus „ in tabulis, qui per custodiam divinæ legis ad „ gloriam meruerunt æternæ retributionis attinge- „ re? Verum si diligentius verba legis attendamus, „ forte patebit non interdictum imagines rerum aut „ animalium facere, sed hæc idololatriæ gratia face- „ re omnimodis esse prohibitum. Denique dictu- „ rus in monte sancto Dominus; [a] *Non facies ti-* „ *bi sculptile, neque omnem similitudinem*, præmi- „ sit: *Non habebis deos alienos coram me*. Deinde „ subjunxit: *Non facies tibi sculptile, neque omnem* „ *similitudinem quæ est in cælo desuper, & quæ in* „ *terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub* „ *terra*. Atque ita conclusit: *Non adorabis ea, ne-* „ *que coles*. Quibus verbis aperte declaratur quod „ illæ similitudines fieri prohibentur ab hominibus, „ quæ in venerationem deorum alienorum facere „ solent impii, quæque ad colendum atque adoran- „ dum Gentilitas errabunda reperit. Ceterum sim- „ pliciter hæc fieri nulla, ut reor, legis divinæ „ littera vetat. Alioquin & Dominus tentantibus „ se Pharisæis de tributo Cæsari reddendo, in quo „ nomen & imaginem Cæsaris expressam esse dice- „ bant, nequaquam ita responderet: *Reddite quæ* „ *sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*. „ Sed potius eorum corrigeret errorem, dicens: Non „ licet vobis in percussura auri vestri imaginem „ facere Cæsaris, quia talem sculpturam lex divi- „ na prohibet. Esset namque locus ut ostenso sibi „ numismate census hoc diceret, si in eo Cæsaris „ imago, cujus idololatriæ, & non ad judicium ma- „ gis regiæ potentiæ, esset formata. „ Hæc de præfati viri libello sumsisse sufficiat.

XXII. Legimus vero in gestis beati Silvestri papæ, Constantinum imperatorem necdum fonte vitæ renatum, sanctorum Apostolorum Petri & Paulli vultus ostensis à prædicto papa tabulis, in quibus utriusque Apostoli effigies antiquitus ad memoriam expressa servabatur, sicut visione nocturna sibi ostensi fuerant, cognovisse, & illico adorasse. Sed numquid hac auctoritate Constantini adorare sancti alicujus imaginem debemus, cum idem imperator magis hoc ex consuetudine idololatriæ pestifera fecerit, quam ex consideratione verissimæ rationis, quam necdum ipse cognoverat? Et ne id presumtive adstruere videamur, beati Ambrosii Mediolanensis episcopi, viri doctrina & sanctitate præcipui, auctoritatem inserimus: qui in revelatione quæ ei sanctorum martyrum Gervasii & Protasii fuit ostensa, refert beatum Paullum Apostolum, qui illis duobus tacentibus loquebatur, ex recordatione picturæ ipsius agnovisse; nec tamen usquam scribit, non dicam picturam illius, sed ne præsentem quidem Apostolum, ac secum loquentem, ullatenus adorasse. Quemdam quoque presbyterum [1] beatus Paullinus per epistolam acriter increpat, quoniam poposcerat ut ei suam & uxoris suæ picturam transmitteret, ut hos, quos absentes amabat, præsentes eo modo semper haberet. [2] Forojuliensem etiam episcopum beatus papa Gregorius arguisse legitur, ideo quod ima-

[a] Deut. V. 8. 9.

1. Sulpicium Severum Primuliacensem, ut patet ex epist. VIII. Paullini ad illum.

2. Potius Serenum Massiliensem, ad quem sunt epp. CIX. lib. VII. & IX. lib. IX.

gines Apostolorum de sua basilica eraserat ob superstitionem vulgi eas contra regulam fidei adorantis, ac non potius rationabili auctoritate ejusmodi errorem correxit, pictura illæsa ad posterorum memoriam permanente.

XXIII. Beatus vero Augustinus in libro de civitate Dei x. dixit inter cetera: [1] *Legimus serpentis morsus mortiferos, ad pœnam justissimam peccatorum, in ligno exaltato, atque prospecto æneo serpente sanatos, ut & populo subveniretur afflicto, & mors morte destructa, velut crucifixæ mortis similitudine signaretur: quem sane serpentem, propter facti memoriam reservatum, cum postea populus errans tamquam idolum colere cœpisset, Ezechias rex religiosa potestate Deo serviens, cum magna pietatis laude contrivit.* Idem etiam Pater in libro primo de Concordia Evangelistarum, quem contra paganos edidit, disputat de illis qui Dominum Jesum Christum dicebant epistolari sermone librum scripsisse, & Petro ac Paullo tradidisse, & dicit: [2] *Cum enim vellent tale aliquid fingere Christum scripsisse ad discipulos suos, cogitaverunt ad quos potissimum scribere potuisse facile crederetur, tamquam ad illos qui ei familiarius adhæsissent, quibus illud quasi secretum digne committeretur. Et occurrit eis Petrus & Paullus. Credo quod pluribus locis simul eos cum illo pictos viderent, quia merita Petri & Paulli etiam propter eumdem passionis diem celebrius solenniter Roma commendat: & sic omnino errare meruerunt qui Christum & Apostolos ejus non in sanctis codicibus, sed in pictis parietibus quæsiverunt.* Hæc sanctus Augustinus. Ex quibus manifeste colligitur, quia si serpentem æneum quem Deus fieri præcepit, quoniam errans populus tamquam idolum colere cœpit, Ezechias religiosus rex cum magna pietatis laude contrivit; multo religiosus sanctorum imagines (ipsis quoque sanctis faventibus, qui ob sui honorem cum divinæ religionis contemtu, eas adorari more idolorum indignantissime ferunt) omni genere conterendæ, & usque ad pulverem sunt eradendæ; præsertim cum non illas fieri Deus jusserit, sed humanus sensus excogitaverit.

XXIV. Quod autem Deus castius absque simulacris veneretur, testis est etiam Quintus Lucilius Balbus Gentilis Philosophus; sicut præfatus Doctor in quarto de civitate Dei libro eum disputantem inferit his verbis: „ [3] Videtisne igitur ut a physicis rebus bene atque utiliter inventis ratio sit tracta ad commentitios & fictos deos? Quæ res genuit falsas opiniones, erroresque turbulentos, & superstitiones pene aniles. Et formæ enim nobis deorum, & ætas, & vestitus, ornatusque noti sunt: genera præterea, conjugia, cognationes, omniaque traducta ad similitudinem imbecillitatis humanæ. Nam & perturbatis animis inducuntur. Accepimus etiam deorum cupiditates, ægritudines, iracundias. Nec vero, ut fabulæ ferunt, dii bellis præliisque caruerunt. Nec solum, ut apud Homerum, cum duos exercitus contrarios alii dii ex alia parte defenderent, sed etiam ut cum Titanis aut cum Gigantibus sua propria bella gesserunt. Hæc & dicuntur & creduntur stultissime, & plena sunt vanitatis, summæque levitatis. Ecce interim quæ confitentur qui defendunt deos Gentium. Deinde cum hæc ad superstitionem pertinere dicat, ad religionem vero quam ipse secundum Stoicos videtur docere. Non enim Philosophi solum, inquit, verum etiam majores nostri superstitionem a religione separaverunt. Nam qui totos dies precabantur, inquit, & immolabant, ut sui sibi liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati. Quis non intelligat eum conari, dum consuetudinem civitatis timet, religionem laudare majorum, eamque a superstitione sejungere velle, sed quomodo id possit non invenire? Si enim a majoribus illi sunt appellati superstitiosi, qui totos dies precabantur & immolabant; numquid & illi qui instituerunt quod iste reprehendit, deorum simulacra diversa ætate & veste distincta, deorum genera, conjugia, cognationes? Hæc utique cum tamquam superstitiosa culpantur, implicat ista culpa majores talium simulacrorum institutores atque cultores. Et post pauca: „ [4] Dicit etiam, inquit, idem auctor acutissimus atque doctissimus, quod ii soli ei videantur animadvertisse quid esset Deus, qui crediderunt eum esse animam motu ac ratione mundum gubernantem; ac per hoc etsi nondum tenebat quod veritas habet, (Deus enim verus, non anima, sed animæ quoque est effector, & conditor) tamen si contra præjudicia consuetudinis liber esse posset, unum Deum colendum fateretur, atque suaderet, motu ac ratione mundum gubernantem, ut ea cum illo de hac re quæstio remaneret, quod eum diceret esse animam, non potius & animæ creatorem. Dicit etiam antiquos Romanos plus quam annos centum & septuaginta deos sine simulacro coluisse. Quod si adhuc remansisset, castius dii observarentur. Cujus sententiæ suæ testem adhibetur inter cetera etiam Gentem Judæam. Nec dubitat eum locum ita concludere, ut dicat qui primi simulacra deorum populis posuerunt, eos civitatibus suis metum ademisse, & errorem addidisse; prudenter existimans deos facile posse in simulacrorum stoliditate contemni. „

XXV. Dicit etiam beatus Augustinus in libello de vera religione, ad percipiendam veritatem nihil magis impedire, quam vitam libidini deditam, & falsas imaginationes rerum sensibilium, quæ nobis ab hoc sensibili mundo per corpus impressæ varias opiniones erroresque generant; nec errorem ullum in religione esse potuisse, si anima pro Deo suo non coleret animam, aut corpus, aut phantasmata sua, quæ nihil sunt aliud, quam de specie corporis corporeo sensu attracta figmenta. Non ergo creaturæ potius quam creatori serviamus, nec evanescamus in cogitationibus nostris. Hæc perfecta religio est. Ait etiam: „ [5] Cum enim Ecclesia Catholica per totum orbem diffusa atque fundata sit, nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt, ne anima semper visibilia quæreret, & eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum novitate flagravit. „ Item ibi: „ [6] Animus perverse judicat cui ad contemplandam summam pulcritudinem mens non oculus factus est. Ille vult mentem convertere ad corpora, oculos ad Deum. Quærit enim intelligere carnalia, & videre spiritalia: quod fieri non potest. Quare ista perversitas corrigenda est, quia nisi fecerit quod sursum est deorsum, & quod deorsum est sursum, regno cælorum aptus non erit. Non ergo summa quæramus in infimis,

1. August. de Civit. Dei lib. X. cap. VIII.
2. August. lib. I. de Concord. Evang. cap. X.
3. August. de Civit. Dei lib. IV. cap. XXX.
4. Ibid. cap. XXXI.
5. August. de vera Relig. cap. XXV.
6. Ibid. capp. XXXIII. & XXXIV.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 810.



„ nec ipsis infimis inhæreamus. Judicemus ea, ne A „ cum ipsis judicemur; id est, tantum eis tribuamus, quantum species meretur extrema; ne cum „ in novissimis prima quærimus, a primis inter „ novissima numeremur. „ Item ipse: „ [1] Non „ sit nobis religio, cultus hominum mortuorum: „ quia si pie vixerunt, non sic habentur ut tales „ quærant honores; sed illum a nobis coli volunt, „ quo inluminante lætantur meriti sui nos esse consortes. Honorandi ergo sunt propter imitationem, „ non adorandi propter religionem. Non sit nobis „ religio, humanorum operum cultus. Meliores „ enim sunt ipsi artifices, qui talia fabricantur, „ quos tamen colere non debemus. Non sit nobis B „ religio in phantasmatis nostris. Melius est enim „ qualecumque verum, quam omne quicquid pro „ arbitrio fingi potest. Et tamen animam ipsam, „ quamvis anima vera sit, cum falsa imaginatur, „ colere non debemus. Melior est vera stipula, „ quam lux inani cogitatione pro suspicantis voluntate formata. Et tamen stipulam quam sentimus & tangimus, dementis est credere colendam. „ Idem in epistola ad Consentium dicit: „ [2] Cogitationis carnalis compositionem vanumque „ figmentum ubi veneratio labefactare incipit, continuo illo intus adjuvante atque inluminante qui „ cum talibus idolis in corde nostro habitare non „ vult, ita ista confringere atque a fide nostra quo- C „ dammodo excutere festinemus, ut ne pulverem „ quidem ullum talium phantasmatum illic remanere patiamur.

XXVI. Quod veræ temeritatis offensam incurrat, qui aliquid divinum in sacrilegos ritus usurpat, testatur idem Doctor in epistola ad Januarium, ita dicens: „ [3] Qui de paginis evangelicis sortes legunt, etsi optandum est ut hæc potius faciant, „ quam ad dæmonia consulenda concurrant, tamen „ etiam ista mihi displicet consuetudo, ad negotia „ secularia & ad vitæ hujus vanitatem propter aliam „ vitam loquentia oracula divina velle convertere. „ Sic consimile quid beatus Hieronymus lo- D quitur, cum verba Domini illa tractaret, quæ ita se habent: „ Dilatant enim phylacteria sua, & „ magnificant fimbrias. Pittaciola, inquit, illa decalogi phylacteria vocabant; quod quicumque habuisset ea, quasi ob custodiam & munimentum „ sui haberet; non intelligentibus Pharisæis quod „ hæc in corde portanda sint, non in corpore: „ alioquin & armaria & arcæ habent libros, & „ Dei notitiam non habent. Hoc apud nos superstitiosæ mulierculæ in parvulis evangeliis, in „ crucis ligno, & in istiusmodi rebus (qui habent „ quidem zelum Dei, sed non juxta scientiam) „ usque hodie factitant. „ E

XXVII. „ [4] De talibus institutis (*ut beati quoque Leonis papæ verba ponamus*) etiam illa generatur „ impietas, ut sol incoatione diurnæ lucis exsurgens, a quibusdam insipientioribus de locis eminentioribus adoretur: quod nonnulli etiam Christiani adeo se religiose facere putant, ut priusquam ad beati Petri apostoli basilicam, quæ uni „ Deo vero & vivo dedicata est, perveniant, superatis gradibus, quibus ad suggestum aræ superioris ascenditur, converso corpore ad nascentem se „ solem reflectant, & curvatis cervicibus in honorem se splendidi orbis inclinent: quod fieri partim ignorantiæ vitio, partim paganitatis spiritu,

„ multum tabescimus & dolemus. Quia etsi quidam „ forte creatorem potius pulcri luminis, quam ipsum „ lumen, quod est creatura, venerantur; abstinendum tamen est ab ipsa specie hujus officii; quam „ cum in nostris invenit qui deorum cultum reliquit, nonne hanc secum partem opinionis vetustæ tamquam probabilem retentabit, quam Christianis & impiis viderit esse communem? Abjiciatur ergo a consuetudine fidelium damnanda „ perversitas, nec honor uni Deo debitus, eorum „ ritibus, qui creaturis serviunt, misceatur. Dicit „ enim scriptura divina: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Et beatus Job, homo „ sine querela, ut ait Dominus, & continens se ab „ omni re mala: *Numquid vidi*, inquit, *solem, cum fulgeret, & lunam incedentem clare, & lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam, quod est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum.* Quid est autem sol, vel quid est luna, nisi visibilis creaturæ & corporeæ lucis elementa, quorum unus majoris claritatis, aliud minoris est luminis? Sicut „ enim alia diurna, alia nocturna sunt tempora, „ ita diversam in luminaribus qualitatem creator „ instituit; cum tamen prius quam hæc fierent, & „ dies sine solis officio, & noctes sine lunæ ministerio præcessissent. Sed condebantur ista ad faciendam hominis utilitatem, ut rationale animal, „ nec in distinctione mensium, nec in recursu annorum, nec in dinumeratione temporum falleretur; cum per inæqualium horarum impares moras, & dissimilium ortuum signa manifesta, & „ annos sol concluderet, & menses luna renovaret. Quarto namque, ut legimus, die dixit Deus: „ *Fiant luminaria in firmamento cæli, & luceant super terram, & dividant inter diem & noctem, & sint in signa & tempora, & in dies & in annos, & sint in firmamento cæli, & luceant super terram.* Expergiscere, o homo, & dignitatem „ tuæ agnosce naturæ. Recordare te factum ad imaginem Dei: quæ etsi in Adam corrupta, in Christo tamen est reformata. Utere quomodo utendum est visibilibus creaturis, sicut uteris terra, „ mari, cælo, aere, fontibus, atque fluminibus; „ & quicquid in eis pulcrum atque mirabile est, „ refer ad laudem & gloriam conditoris. Noli esse deditus ei lumini, quo volucres & serpentes, „ quo bestiæ & pecudes, quo muscæ delectantur, „ & vermes. Lucem corpoream sensu tange corporeo; & toto mentis affectu illud verum lumen „ amplectere quod inluminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & de quo dicit Propheta: *Accedite ad eum, & inluminamini, & vultus vestri non erubescent.* Si enim templum „ Dei sumus, & spiritus Dei habitat in nobis; „ plus est quod fidelis quisque in suo habet animo, quam quod miratur in cælo. Non itaque „ vobis, dilectissimi, hoc aut indicimus, aut suademus, ut despiciatis opera Dei, aut contrarium „ aliquid fidei vestræ in his quæ Deus bonus bona „ condidit æstimetis; sed ut omni creaturarum specie & universo mundi hujus ornatu rationabiliter „ & temperanter utamini. *Quæ enim videntur*, „ sicut ait Apostolus, *temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt.* Unde quia ad præsentia sumus nati, ad futura autem renati; non „ temporalibus bonis dediti, sed æternis simus intenti. Et ut spem nostram possimus propius intueri, in ipso sacramento natalis Domini cogi-

1. August. de vera Relig. cap. LV.
2. August. epist. LXXXV. ad Consent.
3. August. epist. CXIX. cap. XX.
4. S. Leo Serm. VII. in Nativ. Domini.

„ temus quid naturæ nostræ gratia divina contule- „ rit. Audiamus Apostolum dicentem : *Mortui enim* „ *estis*, *& vita vestra abscondita est cum Christo in* „ *Deo. Cum Christus apparuit vita vestra, tunc &* „ *vos apparebitis cum ipso in gloria*. „

In quibus beati Papæ & orthodoxi doctoris verbis summopere pensandum est, quia si opera manuum Dei non sunt adoranda & colenda, nec in honorem Deo; quanto magis opera manuum hominum non sunt adoranda & colenda, nec in honorem eorum quorum similitudines esse dicuntur? Nam si ulla imago esset adoranda vel colenda, creatoris potius esset quam creaturæ. Nempe hominem fecit Deus ad imaginem & similitudinem Dei. Homo autem facere non potest quicquam, in quo sit similitudo hominis in mente rationæ. Nam si exprimit utcumque sculpendo vel pingendo aliquam similitudinem corporis aut membrorum; hoc utique exprimit quod minimum est in homine, non quod maximum. Certe si adorandi fuissent homines, vivi magis quam picti, id est, ubi similitudinem habent Dei, non ubi pecorum, vel, quod verius est, lapidum sive lignorum, vita, sensu, & ratione carentium. Dicit de his beatus Augustinus hoc modo in libro de vera religione: „ [1] Justi autem ho- „ mines, & in uno Deo habentes omnia gaudia „ sua, quando per eorum facta Deus benedicitur, „ congratulantur laudantibus. Cum vero ipsi tam- „ quam ipsi laudantur, corrigunt errantes quos pos- „ sunt; quos autem non possunt, non eis congra- „ tulantur, & ab illo vitio corrigi volunt. Qui- „ bus similes vel etiam mundiores atque sanctiores „ si sunt boni angeli, & omnia sancta Dei mini- „ steria, quid metuimus ne aliquem illorum offen- „ damus, si non superstitiosi fuerimus, cum ipsis „ adjuvantibus ad unum Deum tendentes, & ei uni „ religantes animas nostras, unde religio dicta cre- „ ditur, omni superstitione careamus? „ Et quibusdam interpositis: „ Religet ergo, inquit, nos reli- „ gio uni omnipotenti Deo: quia inter mentem „ nostram, qua illum intelligimus Patrem & Ve- „ ritatem, id est, lucem interiorem, & illum, nul- „ la interposita creatura est. „

XXIX. In libro XXII. de Civitate Dei: [2] „ Fa- „ ciunt autem mirabilia martyres, vel potius Deus „ aut cooperantibus aut orantibus eis, ut fides illa „ proficiat, qua eos, non deos nostros esse, sed „ unum Deum nobiscum habare credamus. Deni- „ que pagani diis suis & templa statuerunt, & ædi- „ ficaverunt aras, & sacerdotes instituerunt, & sa- „ crificia fecerunt. Nos autem martyribus nostris „ non templa sicut diis, sed memorias sicut homi- „ nibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spi- „ ritus, fabricamus. Nec ibi erigimus altaria, in „ quibus sacrificemus martyribus, sed uni Deo & „ martyrum & nostri sacrificium immolamus; ad „ quod sacrificium, sicut homines Dei, qui mun- „ dum in ejus confessione vicerunt, suo loco & „ ordine nominantur; non tamen a sacerdote, qui „ sacrificat, invocantur. Deo quippe, non ipsis, „ sacrificat, quamvis in memoria sacrificet eorum; „ quia Dei sacerdos est, non illorum. Ipsum vero „ sacrificium, corpus est Christi, quod non of- „ fertur ipsis, quia hoc sunt & ipsi. „ Hactenus beatus Augustinus.

XXX. Hæc est sincera religio, hic mos catholicus, hæc antiqua patrum traditio; sicut etiam ex libro Sacramentorum, quem Romana tenet Ecclesia, facile comprobatur. Hunc venerationis modum qui supergreditur, aut relinquit, contemnit disciplinam patris sui, dimittitque legem matris suæ. Ideo nec gratia capiti ejus addetur, nec torques collo. Teneatur itaque via regia. Hanc docuerunt Apostoli, Ecclesiæ magistri; hanc tenuerunt arietes gregis. Dei ovis enim relinquens pastorem, aberrans a via qua præcedit aries, hæret in sentibus, devoratur a lupis. Soli Domino offeramus gloriam & honorem, nec cum simulacris fornicemur, his effecti similes de quibus Deus dicit: *Ego quoque contrivi cor eorum fornicans & recedens a me, & oculos per res varias fornicantes*. Et apostolus Petrus: *Oculos habentes plenos adulterii, & incessabilis delicti*. Hierusalem quoque fornicata dicitur cum filiis Chaldæorum, videns illos in pariete depictos. Adoretur, colatur, veneretur a fidelibus Deus; illi soli sacrificetur, vel mysterio corporis & sanguinis, quo sumus redemti; vel in sacrificio cordis contriti & humiliati. Angeli vel homines sancti amentur, honorentur, caritate, non servitute. Non eis corpus Christi offeratur, cum sint hoc & ipsi. Non ponamus spem nostram in homine, sed in Deo; ne forte redundet in nos illud propheticum: *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & a Domino recedit cor ejus*. Quod catholici doctores Ecclesiæ etiam in illos redundasse confirmant, qui Dominum Jesum Christum purum hominem fuisse credebant, non etiam Deum, & idcirco erant confidentes in homine, ac per hoc maledicti.

XXXI. Nemo se fallat, nemo se seducat, nemo se circumveniat. Quicumque aliquam picturam, vel fusilem sive ductilem adorat statuam, non exhibet cultum Deo; non honorat angelos, vel homines sanctos, sed simulacra veneratur. Agit hoc nimirum versutus & callidus humani generis inimicus, ut sub prætextu honoris sanctorum rursus idola introducat, rursus per diversas effigies adoretur; ut avertat nos ab spiritalibus, ad carnalia vero demergat; ac per omnia simus digni ab Apostolo audire: *O insensati, quis vos fascinavit?* Et: *Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini? Ita enim satanas*, sicut dicit idem Apostolus, *transfigurat se in angelum lucis*. Denique comessationes & ebrietates introducit sub nomine caritatis, superbiam & duritiam inflexibilem constantiam imperturbati animi esse simulat, cæcumque furorem zeli rectitudinem vocat. Ideo dicit Joannes apostolus: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, utrum ex Deo sint*. Aspiciamus picturam quasi picturam, vita, sensu, & ratione carentem. Pascatur hac visione oculus. Deum vero veneretur animus; qui & sanctis suis victoriæ coronam, & nobis intercessionis eorum tribuit adjutoria.

XXXII. Habuerunt namque & antiqui sanctorum imagines vel pictas, vel sculptas, sicut etiam superius est ostensum; sed caussa historiæ, ad recordandum, non ad colendum; ut, verbi gratia, gesta synodalia, ubi pingebantur catholici veritate fulti & victores, hæretici autem pravi dogmatis mendaciis detecti convicti & expulsi, ob recordationem firmitatis catholicæ fidei, juxta morem bellorum tum externorum cum civilium ad memoriam rei gestæ; sicut & in multis locis videmus. Sed nullus antiquorum catholicorum umquam eas colendas vel adorandas fore existimavit.

1. August. de vera Relig. cap. v.

2. August. de Civit. Dei. lib. XXII. cap. x.

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 810.



XXXIII. Nunc autem error invalescendo tam A perspicuus factus est, ut idololatriæ vel Anthropomorphitarum hæresi propinquum aut simile sit adorare figmenta, & spem in eis habere. At quæ hujus erroris caussa? Fides de corde ablata, tota fiducia in rebus visibilibus conlocata. Sicut autem videntes pictos armatos viros, vel agriculturæ intentos, sive metentes, vel vindemiantes, seu stantes in navibus piscatores, & retia jaculantes, necnon venatores venabulis extensis, cum canibus capreas cervosque persequentes, nec augmentum exercitus, nec adjutorium annui operis, vel acervos tritici, seu rivulos musti, nec pisces, capreas, & sues ab illis nos accepturos speramus; ita quoque, si viderimus pennatos angelos pictos, prædicantes B Apostolos, martyres tormenta patientes, nullum ab imaginibus quas aspicimus auxilium sperare debemus; quia nec male possunt facere, nec bene. Recte nimirum, ob hujusmodi evacuandam superstitionem, ab orthodoxis patribus definitum est [1] picturas in Ecclesia fieri non debere; ne quod colitur, & adoratur, in parietibus depingatur.


XXXIV. Illud vero qua præsumtione fit, ut sine basilica, sine altari, absque sanctorum reliquiis, super hujusmodi figmenta Missæ celebrentur; cum sancti patres in Concilio Carthaginensi statuerint, „ [2] Ut altaria quæ passim per agros aut vias tam„ quam memoriæ martyrum construuntur, in qui- C „ bus nullum corpus aut reliquiæ martyrum con„ ditæ probantur, ab episcopis qui hisdem locis „ præsunt, si fieri potest, evertantur. Si autem „ hoc per tumultus populares non sinitur, plebes „ tamen admoneantur, ne illa loca frequentent; „ ut qui recte sapiunt, nulla sibi superstitione de„ victi teneantur; & omnino nulla memoria mar„ tyrum probabiliter acceptetur, nisi ubi corpus „ aut aliquæ reliquiæ sunt, aut origo alicujus ha„ bitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissi„ ma origine traditur. Nam quæ per somnia & „ inanes quasi revelationes quorumlibet hominum „ ubicumque constituuntur altaria, omnimodo im„ probentur. „ Fuerunt illis diebus sufficientia hæc statuta. Necdum enim error emerserat, quo nunc de carbonibus, minioque, vel sinopide figuratæ effigies, sanctæ imagines vocarentur, & adorandæ prædicarentur.

XXXV. Nec iterum ad sua latibula fraudulenta recurrat astutia, ut dicat se non imagines sanctorum adorare, sed sanctos. Clamat enim Deus: *Gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam sculptilibus*. Et Apostolus de Domino nostro mediatore Dei & hominum homine Christo Jesu: *Propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen*. Quale vero hoc nomen sit, consequenter exponit: *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei patris*. Hanc potestatem, laudem, dominationem, hoc nomen quod est super omne nomen, nullus sanctus angelus, nullus sanctus homo sibi usurpat. Angelus enim qui usurpavit, vel homo quem usurpare suasit, uterque corruit. Si autem aliquis homo adoratur, vel angelus, præter eum qui & Deus & homo & summi esse consilii angelus, propheta testante, perhibetur, non est aliud nomen quod sit vel super hoc nomen quod est super omne nomen, aut æquale illi. Sed quia nullus Deo æqualis, nullus alius essentialiter Jesus, id est, Salvator, exsistit, credamus Apostolo, cedamus divinæ auctoritati; flectamus genu in nomine solius Jesu, quod est super omne nomen; ne si alteri hunc honorem tribuimus, alieni judicemur a Deo, & dimittamur secundum desideria cordis nostri ire in adinventionibus nostris.

FINIT DE PICTURIS AGOBARDUS EPISCOPUS.

1. Concil. Elib. cap. XXXVI.

2. Codex Canon. Eccl. Afric. Tit. LXXXIII.



LIBER
DE DISPENSATIONE
Ecclesiasticarum rerum.

I. Significavit mihi fidelis ac veneranda dilectio D tua, quod clari & honorati viri per [1] Septimaniam & Provinciam [2] consistentes, de me incessanter obtrectando loquantur; quamquam nec ceteris parcant, dicentes movisse nos, ac præcipue me, inauditam contentionem, atque discordiam, pro ecclesiasticis rebus; idque inter eos, non solum detrahendo, sed & comminando, & versutiarum insidias machinando, omnibus modis ac sine intermissione agitari. Ais etiam, nullam eos satisfactionem vel excusationem velle recipere: sed si qua illis rationabiliter, satisfaciendi gratia, a quolibet opposita fuerint, fera hæc & nuper adinventa calumniari. Cujus rei quoniam vult fraternitas tua puram cognoscere veritatem, qualiter videlicet motum asseveratumque fuerit, maxime de me, quantum vel qualiter in tali dispensatione interfuerim, audierim, vel suggesserim, scribo hæc tibi veraciter, prout vis a me. Ac primum ipse scire potes, me numquam inter majores nostros & meliores nobis tanti loci vel honoris fuisse, ut aut incentor discordiæ, aut pacis conciliator esse potuerim. Quippe qui, ut insuetus & timidus, inter tales ac tantos raro loqui valeam. Tamen, in quantum recordari queo, de quibus inquiris, ut ipse novi, faciam & te similiter nosse.

II. In illis diebus, quando sacer & religiosus dominus noster Imperator evocato conventu in [3] Attiniaco agebat, strenue providens de omnibus utilitatibus commissorum sibi populorum, pervenit ad sublimiorem inquisitionem perneccessarii consilii;

1. Baluzius putat intelligi heic Narbonensem primam, & Urgellensem diœceses.

2. Narbonensis secunda, *la Provence*.

3. Anno 822. mense Augusto, teste Eginhardo.



cupiens scilicet invenire, qualiter congruentissimæ profectum doctrinæ, & abolitionem negligentiarum sacerdotibus & cunctis honoratis suis commendare potuisset: quod utique laudabiliter inspirante Dei gratia quæsivit, eleganter invenit, fideliter ore suo adnuntiavit. Quæ cuncta nunc replicare nimis prolixum est; quia & tunc distinctis capitulis comprehensa sunt, & omnibus nota esse debent.

III. Hanc igitur rem cum miris tunc laudibus adhuc inchoatam magistri nostri efferrent, & præcipue venerandus senex Adalardus, qui etiam dicebat se numquam sublimius vel gloriosius caussam profectus publici moveri & cogitari vidisse a tempore regis Pipini usque ad diem illum; tantum ne respondentium & obedientium negligentia humiliaretur, addidit ipse & ceteri primores, dicentes omni Concilio: Quidquid utile potuerit reperire sagacitas vestra ad cavenda peccata, ad vitanda pericula, ad erigendam religionem, ad inlustrandam doctrinam, ad conroborandam fidem, ad excolendum studium sanctitatis, confidenter edicite, & ad explenda pariturum Deo dominum Imperatorem minime dubitetis. Qui (quoniam, ut Scripturæ sacræ docent, peccata contrahunt infelicitates, perturbationes, clades, & sterilitates in populos) tota sollicitudine curat, ut bona quidem statuendo, mala vero destruendo, obtineat una vobiscum apud Dominum, ut remotis adversis casibus, regnum sibi commissum prospere, Deo favente, valeat gubernare.

IV. Hæc & his similia cum primores nostri jucundissime loquerentur, ego, ut scilicet humillimus omnium & extremus, cœpi quodammodo pedetentim, utpote magnis viris, ita suggerere. Ecce omnipotens Deus præparavit animos domini Imperatoris, ut sollicite velit agnoscere temporis vires, consonas vel dissonas æquitati. Expedit vero, ut ea quæ dissona sunt, si possibilitas suppetit, emendentur, in quantum autem passibilitas non suffragatur, cum timore Dei tolerentur: quatinus dum inlicitum quippiam ex necessitate agitur quod declinari non potest, timor saltem faciat excusabilem quem executio non constituit absolutum. Necesse est ergo ut vestra industria magnanimitati ejus suggerat pericula de rebus ecclesiasticis, quas contra vetitum & contra canones tractant & in usus proprios expendunt homines laici. Postquam enim diffusa est Ecclesia Dei toto orbe terrarum, & cœpit exaltari ac magnificari per omnes regiones & nationes, cœperuntque templa erigi a fidelibus Imperatoribus ac Regibus atque episcopis, & ceteris potentibus, ditarique rebus, & thesauris ordinari; fuit etiam consequens, ut principum providentia leges promulgarentur, & episcoporum sollicitudine canones statuerentur de rebus sanctificatis, id est, sacris locis deputatis; qualiter tuerentur ab improbis, tuerentur a gubernatoribus, vel expedirentur. Convenerunt episcopi, viri sancti, quibus tunc abundabat Ecclesia. Statuerunt inlibatos conservari debere sacros canones, qui firmati sunt spiritu Dei, consensu totius mundi, obedientia principum, consonantia scripturarum. Ex quo tempore acceptum & receptum est non aliud esse agere cuiquam adversus canones quam adversus Deum, & adversus ejus universalem Ecclesiam; neque sensum est umquam a quibusque fidelibus, ut talia statuta absque periculo religionis violarentur. Quod ergo Deo auctore statutum est, nova necessitate, quæ tunc temporis

A non accidit, excusabilem facere non potest violatorem: quia omnipotenti Deo omnia tempora omniaque volumina sæculorum præsentia sunt, & stantia; neque aliquid præteriti potest recordari, neç futurum aliquid exspectare. Quamobrem istæ, quas nunc homines prætendunt necessitates, & quarum caussa se impune putant res sacras in usus communes vertere, licet tunc hominibus futuræ essent, Deo tamen præsentes erant; quodque spiritu suo statuit Ecclesia, tenendum cunctis diebus usque in finem sæculi voluit custodiri. Sed quoniam quod de sacris rebus in laicales usus inlicite translatis dicimus, non fecit iste dominus Imperator, sed præcessores ejus, & propterea isti impossibile est
B omnia emendare quæ antecedentes male usurpata dimiserunt; saltem admonentibus vobis cogitare dignetur periculum, quod licet & vitare nequeat, tamen dum pensat, timet, ac dolet, apud misericordem Dominum fiat per hæc excusabilis. Et vos communicate pondus periculi, sublevateque portantem, in quantum fieri potest; ut dum vos illi communicantes in periculis, & ille vobis compatiens exstiterit in tristibus, ac defensor in persuasionibus, dumque unum sapitis, tantumque periculum communiter toleratis, avertatur ab illo necnon & a vobis hujuscemodi prævaricationis vindicta. Cum hæc igitur a me dicerentur, responderunt pie reverentissimi viri Adalardus & Helisacar Abbates.
C Utrum vero audita retulerint domino Imperatori, nescio.

V. Sequenti autem anno, cum adessent jussi in Compendio [1] Palatio, & de his inter eos sermo haberetur; ad hunc modum, post multa colloquia, in quantum ego intellexi, ratiocinia sunt perducta, ut primum quidem intellectibus omnium inculcarentur delicta de rebus sacris inlicite usis, post vero cum Dei timore in illis quas habent laici cautiores effecti, etiam in his quæ remanserunt Ecclesiis fideliores atque clementiores exsisterent; ita ut & suis adhiberent pietatem, ut & Ecclesiis defensionem; fieretque compatienti concordia remedia-
D bilis ac veniabilis, offensioque comitante pietate de indulgentia quoque esset secura.

VI. Hanc rem cum dominus Imperator audiret atque perpenderet, volens eam ducere ad tranquillitatem pacis, quæ ad modicum turbata fuerat, quantum in se fuit, fecit uniri Episcopos & Comites in consensum & pacem. Ex hoc itaque putavi ego, quod eodem modo quo dominus Imperator pensavit atque intellexit rationem, sopirique fecit dissensionem, omnes etiam Comites vel honorati ejus intellexissent atque voluissent. Sed e contrario, ut audio, isti de quibus nobis sermo est inchoatam discordiam magnificant, & de discordia in conspectu domini Impera-
E toris nihil se audisse vel intellexisse dicunt. Verum quia in his neminem illorum aut mitigare possumus, aut exasperare voluimus; dimittamus caussam Deo, qui omnia dispensat, & ei cui commissa sunt ad regendum, ut faciat quod Deo inspirante eventus rerum tulerit. Et quod ad nos non pertinet omittentes, transeamus ad ea quæ ad omnes fideles, qualiter credenda, vel intelligenda sint, pertinent; ac juxta quod exiguitas sensus nostri attingit, ex auctoritate Sripturarum vel Canonum nostris oculis consideranda proponamus, ut petisti.

VII. Licet indignum ducatur nos melioribus insinuare quid sentiendum sit de dispensatione eccle

1. Nempe anno 823. mense Novembris, teste Eginhardo.



fiasticarum rerum, neque a talibus quales nos sumus, id potentes sæculi inquirendum putent; tamen quia inter tales conversamur ut velimus nolimus, crebro de hoc audiamus & loquamur, recte, ut puto, tibi, frater cariffime, visum est ut de sacris libris & canonibus auctoritatem sumentes, pariterque exempla sanctorum ad medium deducentes, humanos errores, qui summopere vitandi sunt, caveamus, & veritatem Dei, a qua qui recesserit in tenebris maneat necesse est, teneamus. Sane cum nos ad hanc roborandam de testamento veteri plura sumserimus, erunt fortasse qui dicant aliarum rerum figuras esse, nec per hæc contentionem posse finiri. Hujusmodi ergo homines, si qui erunt, videtur mihi ut interrogare studeas, unde Patres doceant non posse quemquam ad sacerdotium promoveri, si viduam, vel repudiatam, sive meretricem, &, ut compendiosius dicam, non virginem in conjugium sumserit; etiamsi secundum Apostolum unius uxoris vir esse doceatur. Cumque hoc in novo non potuerint demonstrare, fateantur necesse est decreto veteri contineri: neque hoc solum, sed & multa forsan hujusmodi. Tum consequens erit, arbitror, ut & istas ratiocinationes inchoatas in veteri testamento, ex ipso etiam firmitatem obtinere posse & debere concedant; præsertim cum & litteris evangelicis & apostolicis confirmetur quod ubicumque lex mortalitatem d cet, ita ut dicitur intelligenda sit ac tenenda. Videtur mihi præterea, ut quoniam omnia testimonia quæ ad præsentis quæstionis absolutionem inde sumuntur, & omni omnino parte non conveniunt eis rebus quibus defendendis aptantur, tam breviter a nobis perstringantur ut piis quidem sufficientia videantur, illis vero qui quæstionibus magis quam ædificationi inservire parati sunt, laboriosam loquacitatem proprio libitu reservent.

VIII. Notum est cunctis scripturas legentibus, ab initio humani generis sacerdotes fuisse & altaria, victimas & sacrificia; nec solum hæc Deo oblata, sed & decimas votas & sacerdotibus redditas, ipsis denuo sacerdotibus primitias diligenter datas, ceterisque ministris ab omni populo cunctarum rerum decimas tributas, qui etiam acceptis ex ipsis decimis decimas persolverent sacerdotibus. Illud quoque manifestum est, quod præter eas, quas ministris, id est Levitis, populus exsolvebat, jussi sunt a Domino alias rerum suarum in tertio anno decimas sumere; & non in quibuscumque locis, sed in sacris, id est, juxta altare Domini, viduis, pupillis, orphanis, & Levitis comedere. Jussit etiam Dominus ut sacerdotibus & Levitis darentur ab omnibus filiis Israel urbes ad habitandum. Et datæ sunt quadraginta duæ, & sex confugii, id est, simul quadraginta & octo civitates; pariterque in circuitu uniuscujusque civitatis spatium cubitorum duum millium ad pastum pecorum. Permansitque hoc inconvulsum omni tempore Judicum & Regum; ita ut nec impius Achab, nec sceleratus Manasses, nec filius ejus Ammon, temerare ausi sint. Sed postquam separatus est Israel a domo David per Jeroboam, qui peccare fecit Israel; tunc primum ejecti sunt sacerdotes Domini, sicut ipsi Jeroboam improperatur per Abiam regem Juda.

IX. Post mortem Moysi, tulit Josue omnem multitudinem filiorum Israel, & venit in Galgala. Cumque circumdedissent urbem Hierico, dixit Josue ad omnem Israel: *Tradidit vobis Dominus civitatem, sitque civitas hæc anathema, & omnia quæ in ea sunt, Domino.* Et post pauca: *Cavete ne* A *de his quæ præcepta sunt contingatis, & sitis prævaricationis rei, & omnia castra Israel sub peccato sint, atque turbentur. Quicquid autem auri & argenti fuerit, & vasorum æneorum ac ferri, Domino consecretur, repositum in thesauris ejus.* Et iterum: *Urbem & omnia quæ in ea inventa sunt succenderunt absque argento, & auro, & vasis æneis, ac ferro, quæ in ærarium Domini consecrarunt.* Mirumque in modum, cum unus homo hoc prævaricatus fuisset, omnes dicuntur prævaricati esse & usurpasse de anathemate; Dominusque iratus refertur contra filios Israel.

X. Præceptum est a Domino per Moysen ut animal quod immolari potest Domino, si quis voverit, sanctum sit, & mutari non possit, id est, nec B melius malo, nec pejus bono: quod si mutatum fuerit; *& ipsum*, ait, *quod mutatum est, & illud pro quo mutatum est, consecratum erit Domino.* Itemque de domibus & agris dicitur: *Homo si voverit domum suam, & sanctificaverit Domino, considerabit eam sacerdos, & juxta pretium quod ab eo fuerit constitutum venundabitur. Sin autem ille qui voverat, voluerit eam redimere, dabit quintam partem æstimationis supra.* Similiter quoque jubetur & de agro; quem si is qui vovit noluit *redimere, sed alteri fuerit venumdatus, ultra eum qui voverat redimere non poterit; quia cum Jubilæi venerit dies,* C *sanctificatus erit Domino, & possessio consecrata, ad ejus pertinet Sacerdotem.* Et post pauca: *Omne quod Domino consecratur, sive homo erit, sive animal, sive ager, non venumdabitur, nec redimi poterit. Quicquid semel fuerit consecratum, sanctum erit Domino.* Si omnipotens Deus consecrari sibi homines, animalia, vel agros, aut domos nollet, numquam hoc vel in veteri præciperet vel in novo fieri permitteret testamento.

XI. Quanta autem reverentia consecrata Domino debeant custodiri, ex multis Scripturæ locis potest colligi, ex innumerabilibus divinæ defensionis D ultionibus, quæ ab universo mundo umquam scribi potuerint; sicut magnopere atque evidenter in verbis dominicis per Prophetas denuntiatis prudens lector valet intelligere: quale est illud quod per Hieremiam, sicuti mos est per similitudinem eorum quæ magis nota sunt occulta significari, proverbialiter dicitur: *Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum ejus. Omnes qui devorant eum, delinquunt: mala venient super eos, dicit Dominus.* Quorum verborum, ut beatus Hieronymus ait, hic sensus est: *Quomodo qui primitias devorant nequaquam de genere sacerdotali, sceleris rei sunt; sic qui contaminant Israel, malis subjicientur.* Malachias quoque sub exhortatione decimarum retributionem & E vindictam diligentibus pariter ac negligentibus ex verbis Domini proponens quasi interrogantibus Deum, & dicentibus, *In quo configimus te?* respondit dicens: *In decimis & primitivis. In penuria vos maledicti estis, & me vos configitis gens tota. Inferte omnem decimam in horreum, & sit cibus in domo mea; & probate me super hoc, dicit Dominus, si non aperiero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam*, & cetera. His similia in libro leguntur Esdræ. Ait enim: „ Statuemus super nos præcepta, ut demus tertiam „ partem sicli per annum ad opus domus Dei no„ stri, & panes propositionis, & ad sacrificium „ sempiternum. „ Et iterum: „ Sortes misimus su„ per oblatione lignorum inter sacerdotes & Levi„ tas & populum, ut inferantur in domum Dei no„ stri per domos patrum nostrorum, per tempora,

,, a temporibus anni usque ad annum; ut arderent super altare Dei nostri, sicut scriptum est in lege Moysi; & ut afferremus primogenita terræ nostræ, & primitiva universi fructus omnis ligni, ab anno in annum in domum Domini, & primitiva filiorum nostrorum, & pecorum nostrorum, sicut scriptum est in lege; & primitiva boum nostrorum, & ovium nostrarum, ut offerantur in domo Dei nostri sacerdotibus qui ministrant in domo Dei nostri; & primitiva ciborum nostrorum, & libaminum, & poma omnis ligni, vindemiæ quoque, & olei, afferamus sacerdotibus ad gazophylacium Dei nostri, & decimam partem terræ nostræ Levitis. Ipsi Levitæ decimas accipient ex omnibus civitatibus operum nostrorum. Erit autem sacerdos filius Aaron cum Levitis in decimis Levitarum, & Levitæ offerent decimam partem decimæ suæ in domo Dei nostri ad gazophylacium in domo thesauri. Ad gazophylacium enim deportabunt filii Israel & filii Levi primitias frumenti, vini & olei; & ibi erunt vasa sanctificata, & sacerdotes, & cantores, & janitores, & ministri, & non dimittemus domum Dei nostri.,, In quibus verbis evidenter apparet, quanta illius populi cura & diligentia esset erga domum Dui, & cuncti generis sacrificia, vel donaria: qui non solum decimas, ac primitias, sed etiam tertiam partem sicli omni studio religionis ferventes curabant exsolvere; adimplentes proculdubio præceptum legis, quæ dicit: *Cum voveris votum Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illum Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.*

XII. Quæ verba idcirco heic ponenda putavi, ut religiose fidelis quisque consideret, quia si illi qui vovet, & tarde reddit, tarditas ipsa in peccatum reputabitur, multo utique majoris criminis reus est, qui nec tarde quod vovit exsolvit. Si vero is qui propria vota non reddit, infidelis esse convincitur, juxta Ecclesiastem, qui dicit displicere Deo infidelem & stultam promissionem, & omnium melius esse non vovere, quam post vota,, promissa non reddere; quanto majoris impietatis reus est, qui ea quæ alii voverunt ac reddiderunt usurpat, invadit, diripit, & diripienda concedit, perverseque judicando, vel fallaciter testificando, atque impie perjurando, a domo Dei alienare festinat, ubi ab aliis vota & reddita ac delegata sunt?

XIII. Legimus in libris Regum, quod non modo laudabiles, verum etiam reprehensibiles reges, ea quæ patres illorum voverant nec reddiderant, ipsi intulerunt in domum Domini, & in thesauros ejus. Si ergo laudatur pietas filiorum paterna vota reddentium; e contrario omni est exsecratione dignissimum si patris votum filius subtrahat, quodque ille contulit, hic auferre non metuat. Legitur in volumine Hieremiæ prophetæ, quod tempore illo principes & universus populus inierunt pactum, ut dimitteret unusquisque servum suum, Hebræum videlicet & Hebræam, qui tamen in sequentibus amici & proximi ac fratres dicuntur, & ultra eis non dominarentur, conversique deinceps retraxerint servos & ancillas suas, quos dimiserant liberos, & subjugaverint in famulos ac famulas. Quam ob caussam graviter adversum eos Dei ira succensa, tali illos perculit comminationum procella: *Vos*, inquiens, *reversi estis, & commaculastis nomen meum,* A *& reduxistis unusquisque servum suum & ancillam, quot dimiseratis ut essent liberi, & subjugastis eos. Propterea hæc dicit Dominus: Vos non audistis me, ut prædicaretis libertatem unusquisque fratri & amico suo. Ecce ego prædico libertatem, ait Dominus, ad gladium, & pestem, & famem, & dabo vos in commotionem cunctis regnis terræ.* Et post pauca infert: *Et erit morticinium eorum in escam volatilibus cæli, & bestiis terræ,*

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 810.

XIV. Itaque si illi qui servos Hebræos dimissos juxta legem liberos, iterum in servitium retraxerunt, & suos utique, non alienos, nomen Domini B commaculasse dicuntur, & ob hoc gravissima ultione plectuntur; fideliter religiosus quisque consideret, quanto inremediabiliori furore digni sunt, qui non solum proprios olim servos a se vel a parentibus suis libertate donatos in servitium revocant, verum etiam ab aliis libertos factos, & a liberatoribus suis patrocinii & defensionis caussa Ecclesiæ delegatos, contra fas multipliciter affligunt, omnique servitute deprimunt, nulla Ecclesiæ vel sacerdotibus relicta potestate, qui eos patronorum vice tueri debuerant. Vehementer prorsus nomen Domini a talibus commaculatur; domusque ejus, quæ est Ecclesia, violenter prædatur, & mater fidelium exhonoratur; hujus injuria, proculdubio & Dei est. C Et de hac quidem sententia, absque aliorum læsione, forsan loqui non possumus. Si cui tamen libeat considerare patienter, valet inspicere quanto hæc tempora sint pejora, quam fuerunt antea etiam illa quæ sub infidelibus transierunt. Illi namque diis suis, qui non erant dii, sed opera manuum eorum, honorem exhibebant, nec eorum sacra ausi erant violare. Nunc autem hi quibus dictum est, *Honora Dominum de tua substantia*, versa vice exhonorant Dominum de sua; cum non solum ecclesiasticæ familiæ abutuntur servitiis, sed & libertos ejus miserabili deprimunt servitute,

D XV. Porro quod ignorantes Deum verum, falsosque colentes, diligentius deferant sacris ac sacerdotibus suis, quam nunc plerique, in sacra historia manifestissime demonstratur: quæ narrat beatum Joseph totam terram Ægypti subjecisse Pharaoni, præter terram sacerdotum, quæ a rege eis tradita fuerat; quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, & idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas. Qua in re pensandum est, quanta diligentia sacerdotes suos venerarentur, quibus non solum donaria sacra ministrabant, sed & communes cibos tam sollicite præbebant, ut nec comparare eos paterentur. At nunc in quibusdam locis, nullus ordo hominum, sive sint liberi, sive servi, de haE bitatione sua tam infidus est ut sacerdotes; utpote qui nullo modo securi esse possint, nec scire quot diebus Ecclesiam vel habitaculum suum eis habere sit licitum. Certe cum populus Judaicus in templo Domini, præter res sacras, etiam communes ageret, atque in sacratis atriis venalia diversa conlocaret; quamquam & ipsum licite sacrorum caussa fieri putaretur, ut oblaturi sacrificia, nec de suo habentes, facile comparanda invenirent; tamen Dominus, ut domus suæ & patris curam se habere monstraret, quod nullo alio in loco fecisse legitur, flagellis talia agentes eliminavit de templo. Penset igitur cui placet ex factis & verbis Domini, si in ejus domo aliud aliquid vendere non licet, quanto magis ipsam dumum facere nefas est venalem. Sacerdotes Ægyptiorum, tempore famis, ita aluntur stipe publica, ut possessiones suas vendere non com-

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 810.



pellantur. Nunc non solum possessiones ecclesiasticæ, sed ipsæ etiam Ecclesiæ cum possessionibus venundantur. Nec de illis quammaxime audemus dicere, quorum proavi aut abavi construxerunt Ecclesias, ac ditaverunt, & testamentis scriptis atque firmatis nullos se habituros heredes nisi Ecclesiam & rectores ejus denuntiaverunt; & nunc ipsi contra pietatem majorum, si parietes sibi vendicare potuerint, non tantum ea quæ a constructoribus conlata sunt, sed & multa quæ plerique fidelium pro sepulturis aut qualibet devotione alia ibidem sacraverunt, cum ipsis Ecclesiis vendere licitum putant, nullo prohibente.

XVI. Verum quia ex domo Domini, quæ fuit in Hierusalem, occasio nobis sumta videtur ut ista de Ecclesiis diceremus, ne forte aliquis putet ea quæ de illa referuntur non pertinere ad domos basilicarum, intelligat, cui talis subrepserit cogitatio, ea caussa fieri Ecclesias, qua & ipsa domus facta est, ad laudandum videlicet Deum, ad deprecandum, ad sacrificandum; sicut ipse Salomon ædificator & dedicator ejusdem templi in oratione consecrationis suæ ait Domino: *Si cælum & cæli cælorum non te capiunt, quanto magis domus ista quam ædificavi? Sed ad hoc tantum facta est ut respicias orationem servi tui, & obsecrationem ejus, Domine Deus meus; ut aperias oculos tuos super domum istam diebus ac noctibus. Exaudi preces famuli tui & populi tui Israel, quicumque oraverit te in loco isto.* Quapropter omni fide omnique ratione quicquid in illa a cultoribus vel contemtoribus licitum sive inlicitum gestum est, & quicquid de illa, tam ad diligentiam exstruentium, quam ad negligentiam cessantium, seu ad malitiam destruentium, pertinens memoratur, ædificatarum basilicarum exempla, auctoritates, & cultus esse tenendum est. Consequens ergo erit ut religiose perpendamus, qualiter Dominus erga restaurationem ejusdem templi, & negligentes damnet, & devotos remuneret, ex verbis quæ per Aggæum prophetam loquitur, dicens: „ Populus iste dicit: Nondum venit tempus „ domus Domini ædificandæ. Numquid tempus vobis est ut habitetis in domibus laqueatis, & domus ista deserta? Et nunc hæc dicit Dominus „ exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras. Seminastis multum, & intulistis parum; „ comedistis, & non estis satiati; bibistis, & non „ estis inebriati; operuistis vos, & non estis calefacti; & qui mercedes congregavit, misit eas in „ sacculum pertusum. Hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras, „ ascendite in montem, portate lignum, & ædificate domum; & acceptabilis mihi erit, & glorificabor, dicit Dominus. Respexistis ad amplius, „ & ecce factum est minus: & intulistis in domum, „ & exsufflavi illud. Quam ob caussam? dicit Dominus exercituum. Quia domus mea deserta est, „ & vos festinatis unusquisque in domum suam. „ Propter hoc super vos prohibiti sunt cæli ne darent rorem, & terra prohibita est ne daret germen suum; & vocavi siccitatem super terram, „ & super montes, & super triticum, & super vinum, & super oleum, & quæcumque profert humus, & super homines, & super jumenta, & „ super omnem laborem manuum. „ *Et post aliqua:* „ Ponite corda vestra ex die ista, & in futurum, a die vicesima & quarta noni mensis, a „ die qua fundamenta jacta sunt templi Domini, „ ponite super cor vestrum. Numquid semen in „ germine est, & adhuc vinea, & ficus, & malogranatum, & lignum olivæ non floruit? Ex die „ ista benedicam. „ Si filii Israel, nuper de captivitate regressi, quia negligunt restaurare templum Domini, tanta sterilitate feriuntur, itemque fundamentis jactis, mox omni benedictione cunctarumque rerum fœcunditate cumulantur; constat profecto maximum religionis esse divinæ domui diligentiam adhibere; eamque negligere, caussam miseriæ atque infelicitatis exsistere.

XVII. Sed & illud attentius considerandum quod in hac prophetia legitur: *Et suscitavit Deus spiritum Zorobabel ducis, & spiritum Jesu sacerdotis, & spiritum reliquorum de omni populo.* Ut ex hoc perspicue intelligatur, obsequentem quemlibet & amatorem templi Dei, domum esse Spiritu sancti; cum manifeste appareat, non solum fidelium spiritum suscitasse tunc Deum, ut cum omni lætitia omnique alacritate domum Dei cuperent instaurare, sed & infidelium regum, Cyrii videlicet, ac Darii, & Artaxerxis: qui non tantum licentiam ædificandi dederunt, verum & adjutorium præbuerunt lignorum, frumenti, & vini, & olei, ac salis, & pecorum, & dona auri, atque argenti, cum principibus suis. In libris etiam Machabæorum, nonnulli reges erga templum Dei munifici fuisse memorantur, in quibus & vindictæ Dei pariter leguntur in eos qui diripuerunt vel diripere conati sunt vasa sacra; sicut de Antiocho rege, & Heliodoro, qui a Seleucho missus fuerat, in promtu est meminisse. Ecce filii Israel, fundamentis templi jactis, confestim in omnibus benedicuntur; differentes opus, acriter pro negligentia flagellantur; direptores sacrorum, inrevocabili sententia damnantur. Cur ergo nobis non sufficit ad exemplum, cum tam multipliciter per totas scripturas legamus & cognoscamus domum Dei diligere, religiosum esse; negligere, inreligiosum; diripere, impium; omnesque sua recepisse merita, & omnes principes eorum qui dixerunt: *Hereditate possideamus sanctuarium Dei*, positos aut ponendos ut rotam & sicut stipulam ante faciem venti?

XVIII. Sed forsitan aliquis hæc in veteri testamento fieri oportuisse contendat, in novo autem non tantopere servanda. Meminerit, quisquis ille est, dominici exempli, quod ex verbis evangelicis sancti intellexere patres. Refert namque Evangelista mulierem quamdam accessisse ad Dominum, pedesque ejus unxisse: pro qua re murmurans proditor Judas, ait: *Ut quid perditio hæc unguenti? Potuit enim venumdari multo, & dari pauperibus.* Ad quod subjungens Evangelista: *Hæc*, inquit, *dicebat, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur, exportabat.* Quid autem Dominus de loculis faceret, ostenditur ex parte ex eo quod cum Judæ egredienti a se, & ingresso jam satana in se, dixisset, *Quod facis, fac citius*, audientes discipuli putaverunt quod juberet illi ut emeret necessaria ad diem festum, aut ut egenis aliquid daret: quod utique non putarent, nisi antea fieri vidissent. Verum quia quæsitum est, cur Dominus, qui discipulis dixerat: *Nolite portare aurum, neque argentum, neque æs in zonis vestris*, nec permisit eos ferre aliud in via, nisi virgam tantum, ipse in loculis thesauros habuerit; disputat de his, in quantum recordari valeo, beatus [1] Augustinus; dicitque quod Dominus noster Jesus Christus, qui Ecclesiæ

1. August. in Joan. tract. L. cap. XII.

ſuæ formam & inſtructionem præmiſit factis & dictis, ſicut ſcriptum eſt, *Quæ cœpit Jeſus facere & docere*, prævidens futurum eſſe ut in Eccleſiis theſauri fideliter a fidelibus ac laudabiliter a religioſis conderentur, atque cuſtodirentur, & perniciosiſſime a furibus fraudarentur, (Fures generaliter dico, ſicut in Apoſtolo accipimus, ubi ait: *Qui furabatur, jam non furetur*, de omni ſcilicet inhoneſto quæſtu) voluit in hac re præfigere, ut dixi, formam Eccleſiæ ſuæ, ad quos uſus haberentur, & qua fide tractarentur, vel qua damnatione digni eſſent fraudantes, cum tali fine Judas abierit in locum ſuum. In qua diſputatione prædictus Pater tres, niſi fallor, differentias furtorum & furum facit, de privatis videlicet, publicis, ac divinis rebus. Nam cum alicui homini de proprio theſauro aliquid furari proculdubio reatus ſit; multo major de publico, quod & leges [1] ſæculi ſacrilegium vocaverunt. Jam vero de dominicis, id eſt, eccleſiaſticis theſauris, fraudare aliquid, (quod apud nos ſpecialiter ſacrilegii nomine cenſetur) adeo immane ſcelus eſſe manifeſtum eſt, ut qui iſtum committant, in ſortem Judæ deputandi minime dubitentur. Cum ergo hæc ita ſe habeant, cumque de præfatis rebus inlicite aliquid in dando, accipiendo, vel retinendo uſurpare, furari ſit; penſet pia mens, quanta cautela res egeat.

XIX. Quæſitum eſt etiam, vel quæri potuit, cur Dominus exactoribus publicis, qui dixerunt Petro, *Magiſter veſter non ſolvit didragma de loculis*, non dederit ſtaterem, ſed Petrum ad mare direxit, ut de ore piſcis tolleret? Reſponſumque eſt a Doctoribus Eccleſiæ, quia dominici loculi in pauperes & in dies feſtos expendebantur; & cum exegiſſet neceſſitas in alimenta diſcipulorum Domini, (ſicut ſcriptum eſt: *Diſcipuli autem abierunt in civitatem ut cibos emerent*) noluiſſe Dominum rem pauperum in publicam exactionem mittere, ſed omnipotenti virtute, quod utique pauperum non erat, de mari tollere & fiſco reddere voluiſſe, ut formam daret diſcipulis, quam Eccleſiæ commendarent. Juxta quam formam ſtatuerunt ſacri canones modum res eccleſiaſticas diſpenſandi; ſcilicet ut in alendis egenis, in ſuſtentandis Clericis, in reparandis fabricis, atque in rectorum ſupplendis neceſſitatibus expenderentur; prout ſanctorum exempla commendant, & uſque ad proxima tempora cuſtoditum eſſe non dubium eſt. Ex laicis denique non ſolum poſſeſſores ſacrarum rerum, ſed nec diſpenſatores fieri permittunt: quin potius œconomos de proprio Clero eligi [2] præcipiuntur, & agros, vineas, atque mancipia ad uſum tribui, non niſi Clericis, monachis, peregrinisque concedunt. De qua re ſi quis diligentius vult agnoſcere quid vel in quibus Conciliis dicatur, legendo & revolvendo cognoſcat.

XX. Verum quia ſunt qui Gallicanos Canones aut aliarum regionum putent non recipiendos, eo quod Legati Romani, ſeu Imperatoris, in eorum conſtitutione non interfuerint; reſtat ut etiam ſanctorum clariſſimorum Patrum doctrinas, & expoſitiones, diverſoſque tractatus, ut ſunt Cypriani, Athanaſii, Hilarii, Hieronymi, Auguſtini, doceant non eſſe recipiendos: quia cum hæc tractarent, vel exponerent, Legati Romani ſive Imperatoris non aderant. Melius mihi ſentire videntur, A qui ſecundum Domini dictum, ubi duo vel tres in nomine Domini congregatos agnoſcunt, Dominum quoque inter eos affuiſſe non dubitant, & eum qui Eccleſiam non audierit, ſicut Ethnicum & Publicanum habendum credunt. Ubicumque enim catholici Eccleſiarum rectores pro Eccleſiarum utilitatibus cum Dei timore in ejus nomine & honore conveniunt, quicquid conſonanter ſanctis Scripturis ſtatuunt, nulli proculdubio ſpernenda, immo veneranda omnibus eſſe debent: quod illa quammaxime auctoritate fulcitur, quia bina per annos ſingulos Concilia fieri & Romani Pontifices decreverunt, & magna Concilia ſollicite commendarunt. Rectius profecto facere videtur, qui ubicumque magnarum B ſynodorum ſtatuta deficiunt, propter inſuetas emergentes cauſſas antiquorum ſtatuta, quæ merito reprehendenda non ſunt, ſequenda deliberat, quam qui ea quæ ipſe ſentit, eorum ſenſibus anteponit. Firmiſſime omnino teneo quod omnes orthodoxi rectores quibuſcumque locis vel temporibus de rebus eccleſiaſticis tractandis conſervandiſque aliquid ſtatuerunt, anteceſſorum ſtatutis & divinarum litterarum auctoritati magnopere ſtuduerint conſonare. Jam vero de donandis rebus & ordinandis Eccleſiis nihil umquam in ſynodis conſtitutum eſt, nihil a ſanctis Patribus publice prædicatum. Nulla enim compulit neceſſitas, fervente ubique religioſa devotione, & amore inluſtrandi Eccleſias ultro C æſtuante. Quem non ad hæc accenderet dominicum illud factum & dictum, quod Evangelium refert, ſediſſe Dominum contra gazophylacium, & aſpexiſſe quomodo turba jactaret æs in gazophylacium, pauperemque viduam ſuper omnes laudaſſe, quæ duo tantum minuta jactaverat? Ecce ſedens Dominus aſpicit offerentes, ut beneplacitum ſibi demonſtret munus fidelium. Satis vero conſequens eſt, ut aſpiciens offerentes, deſpiciat auferentes, laudans totum dantem, vituperet non dantem, immo quippiam fraudantem, ſive aliquid rapientem.

XXI. Sed & illud quod jubet & reddere quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ Dei Deo, tanto D quiſque attentius penſet, quanto devotius curat. Quod vere præceptum & Apoſtolus commendat implendum dicens: *Reddite omnibus debita; cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem*. Neque enim timorem debemus hominibus, cum præcipiatur nobis per Prophetam: *Nolite timere opprobrium hominum, & blaſphemias eorum ne metuatis*. Itemque ſcriptum ſit: *Qui timet hominem, cito corruet*. Et: *Nolite timere eos qui occidunt corpus*. Sed timorem utique debemus Deo, honorem autem Deo, ac domui, omnibuſque membris ejus; ſicut Scriptura, quis ſit juſtus demonſtrans, dicit: *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus, timentes autem* E *Dominus glorificat*. Et exhibendus ergo eſt Deo timor, ne offendatur moribus; & exhibendus honor, ut glorificetur oblationibus. Sic nempe a Patribus intelligitur quod dictum eſt: [a] *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari*, id eſt, tributa, ac vectigalia. *Quæ autem ſunt Dei Deo*, id eſt, decimas, primitias, ceteraque donaria, tam vota, quam ſpontanea. Nam & aſſertio Judaica idcirco putabat inlicitum eſſe tributum ſolvere Cæſari, quia ſupradicta Deo ſolvere juſſi erant. Commendat autem Dominus hæc facienda, ubi ait: *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hy-*

a Matth. xxii. 21.

1. Lib. IX. D. ad leg. Jul. pecul.

2. Concil. Chalc. can. xxvi.

pocritæ! qui decimatis mentam, & anethum, & cuminum, & omne olus; & relinquitis quæ graviora sunt legis, judicium, & misericordiam, & fidem; cum illico subjungit, *Hæc oportuit facere, & illa non omittere.*

XXII. Oportet ergo, & semper oportebit, quod Dominus oportuisse testatur; neque parvipendendum fuit aut erit umquam quod Dominus vel fieri jussit, vel factum facientis devotione commendavit. Certe lex non vetuit subjectos aut vinum bibere, aut in domibus habitare. Et tamen Jonadab filius Recab filiis suis exhortando interdixit utrumque. Qui post multa annorum curricula compulsi ab hostibus ingredi civitatem ad manendum, nullatenus compelli potuerunt, ne a Propheta quidem, ad bibendum vinum; & idcirco laudati sunt a Domino pro obedientia, promittente etiam quod non esset defecturus vir stirpis Jonadab de conspectu Domini. Si quod unus homo præcepit posteris, tam attente tam religiose custoditum est usque in longinquum, ut laude etiam dignum Dei haberetur; (quod utique non ex legis sanctione, sed ex religionis fervore præceperat) quid de nostri temporis hominibus æstimandum est, quibus omnipotens Deus & generalis Ecclesia sub nomine patris ac matris præcipere non desinit, nisi ut eorum comparatione objurgemur, sicut & Judaicus populus, Domino dicente: *Prævaluerunt sermones Jonadab sermonibus meis*, & cetera? E contrario autem credendum est quod in regimine Prælatus quilibet, sine damno inobedientiæ, præcipiens, contemni non potest; sicut apertissime apparet in gestis Saulis. Nam cum filius ejus Jonathas, fide ac virtute protectoris armatus, perrexisset ad stationem Philistinorum, castraque eorum turbarentur; Videns ille cum sociis insecutus est inimicos, persequens atque prosternens; cernensque quod res prospere cederet, contestatus est populum, dicens: *Maledictus qui comederit panem hodie, donec ulciscar de inimicis meis*: quod ignorans Jonathas, sumto melle gustavit paullulum: quam ob caussam Dominus indignatus est, ita ut respondere nollet quod populus agere deberet; ac nisi eum transacta bona eripuissent, forte deprehensus absque retractatione moreretur. Qua in re cum omni timore considerandum est, quod eum ignorantia excusare non potuerit, nec tantæ fidei virtus indignationem divinam avertit, quousque ad horam moriendi ventum est: ubi adhuc mirari possemus, nisi aliqui viderent, quod mel comedit, non panem. Verum quia, more sacri eloquii, in pane, quicquid comedi potest, accipitur; pensandum est quam attente Dominus custodiri velit quicquid non irreligiose Prælatus quisque præceperit, cum Saulis jussa a nesciente transgressa, sine aliqua vindicta transire non passus sit. Quis est hodie qui se culpæ obnoxium esse crederet, si præcipientis injuncta non audiret? Et tamen ex interna regula judiciorum Dei videmus peccata subtilius & acerbius inquiri, quam nos præcavere aut formidare valeamus.

XXIII. Hæc dicta sint, ut prudentius offeratur occasio diligentius considerandi, si tam fructuose unus auditur a multis tam noxius omnibus, unus inobediens efficitur inscius, quanto merito retributionis boni vel mali obediens, aut contemtor efficitur consonanter præcipientibus plurimis; maxime cum non solis Apostolis, sed omnibus his qui docendi ministerium in Ecclesia sortiuntur, dixisse Dominus intelligatur: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.* Illud quoque Ananiæ & Saphiræ factum occultum, tam sublimiter inventum, tam atrociter vindicatum, quis digne exaggerare prævaleat, unde contractum est tam immane crimen, ut tentasse Spiritum sanctum, & mentiri Deo convicti sint, cum tantum de pretio agri, quod adhuc in illorum erat potestate, servare sibi maluisse referantur? Certe necdum fuerat ante pedes Apostolorum positum, necdum in communionem fraternitatis redactum. Qua severitate judicaretur, si qui de loculis apostolicis & omni Ecclesiæ jam oblatis aliquid persumsisset, si sic judicatus est qui præsumsit ex his quæ adhuc erant offerenda? Si cuicumque homini de rebus humanis furatus aliquid fuisset, præcepto legis dupli aut quadrupli restitutione multaretur. Quia vero de sacris rebus, sanctis prædicatoribus sanctisque pauperibus deputatis, vel potius deputandis, fraudavit, morte multatus est, quam mortem non intulit gladius, non exercuerunt officialium manus, sed sacri sermonis virtus inflixit. Sic fraus prima in Ecclesia de rebus ecclesiasticis perpetrata punita est. Tali pœnitentia damnatus Adam in Paradiso, vetitum contingendo morti obnoxius, & habitatione Paradisi indignus effectus est, Ananias cum uxore sua fraudem in Ecclesia faciendo, & societate ecclesiastica & habitatione mundana privatus est. Dixerat Dominus: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Hinc perfectionem arripientes, & vendentes omnia quæ habebant, rerum suarum pretia non aliis pauperibus quam sanctis credentibus distribuebant, maximeque prædicatoribus sanctis distribuenda pauperibus offerebant. Tales enim pauperes in verbis Domini intellexerant. Sic & beatus Paullus, cum dextras sibi & Barnabæ ceteri darent, ut illi in Circumcisione, ipsi vero in Gentibus evangelizarent, testatur se etiam hujus quoque ministerii curam suscepisse, dicens: *Tantum ut pauperum memores essemus.*

XXIV. His ergo sacri canones concordantes, res ecclesiasticas, res etiam pauperum esse voluerunt. Nam & Dominus ordinavit ut hi qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivant. Ex his itaque inter fideles cœptus est sacratissimus & laudabilis usus, ut Ecclesiæ ditarentur: quatenus ipsa Ecclesia de suo pascat prædicatores suos, & choros ministrorum, turbasque pauperum, ac multitudinem confluentium peregrinorum. Erga quas res quanta reverentia, quantaque fides, & custodia adhibenda sit, demonstravit voluntas Dei per multitudinem miraculorum quæ gesta sunt in universo mundo per singulas regiones, loca, atque ecclesias; cum jam non unus Ananias cum Saphira uxore propter fraudem in rebus sacris perpretatam morte multati sunt, sed innumerabiles & pene mille alii, qui infirmitate percussi, dæmonibus vexati, cæcitate damnati: de quibus si ea quæ scripta sunt, studiosus aliquis in unum congregare voluisset, aut valuisset, enormia volumina confecisset. Quanto magis ea quæ facta sunt, & divulgata, ac tradita, nec tamen scripta, eo quod fuerint nimia?

VXV. Hæc idcirco dicimus, non quod divinam percussionem omnibus temerantibus temporaliter comminemur, sed magis ut ad curam Dei earum custodiam atque diligentiam pertinere monstremus: qui tantis miraculis per tot tempora terruit improbos, non solum incredulos, sed & credentes, ne facile adversus sacra loca, inlicita auderent perpetrare; & ut eos saltem percussio tamquam bruta animalia cohiberet a præsumtione, quos ratio vel executio divinorum mandatorum nequicquam velut homines compescebat. Debuerant etenim nosse, utpote ratio-

nales a Deo conditi, quia si non licet concupiscere rem proximi, multo magis Domini.

XXVI. Nec hoc ita dictum sit, quasi charismatum divinorum largitio, vel remissio peccatorum, ac donum regni cælestis non sint concupiscenda; quæ utique res Domini sunt. Sed quoniam nobis de sacris rebus Ecclesiarum sermo est, secundum illud nunc loquimur quod Dominus in lege præcepit, dicens: *Non loquaris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces uxorem proximi tui, non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, & universa quæ illius sunt.* In quibus verbis summopere est considerandum, quia si contra quemlibet proximum, ob quamcumque rem, falsum exsistere vel adhibere testem non oportet; multo minus licet contra Dominum, ob illius Ecclesiæ facultates ejus nomini consecratas. Simili quoque modo, si domus, aut ager, servus, aut ancilla, & cetera quæ sunt proximi, concupisci non debent; multo itaque magis ea quæ ad sustentationem pauperum Domino sunt tradita, non sunt concupiscenda.


XXVII. Apparet autem in hujuscemodi rebus multitudo miserationum Dei, qui gratanter ab homine dignatur recipere quæ ipse dedit. Hinc denique est quod ei David fideliter confitetur dicens: *Tua sunt enim omnia; & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Nequaquam igitur consecrata Deo concupisci vel auferri debent, quin potius tali mente pensari, atque ita inlibata & ab omni usu communi sepofita custodiri, ut ipse Dominus in Deuteronomio insinuat, ita dicens: *Loqueris in conspectu Domini Dei tui: Attuli quod sanctificatum est de domo mea, & dedi illud Levitæ, & advenæ, & pupillo, & viduæ, sicut jussisti mihi. Non præterivi mandata tua, nec sum oblitus imperii. Non comedi ex eis in luctu meo, nec separavi in qualibet immunditia mea, nec expendi ex his quicquam in re funebri. Obedivi voci Domini Dei mei, & feci omnia sicut præcipisti mihi. Respice de sanctuario tuo, & de excelso cælorum habitaculo, & benedic populo tuo, & terræ, quam dedisti nobis.* Tali itaque, ut dictum est, nobis cordis devotione primitivæ vel decimæ considerandæ sunt, tanta veneratione intactæ servandæ, & cum hujusmodi confessionis puritate Domino offerendæ; quatinus Dei de excelso cælorum respectus, & populi ac terræ benedictio possint facilius promereri.

XXVIII. Huic confessioni a Domino injunctæ fidelibus, illa quoque Apostoli sententia congruenter valet adjungi, qua fideli discipulo præcepit, dicens: *Si quis fidelis, vel si qua fidelis, habet viduas, subministret illis, & non gravetur Ecclesia, ut his quæ vere viduæ sunt, sufficiat. Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina. Dicit enim scriptura: Non infrænabis os bovi trituranti.* Et: *Dignus est operarius mercede sua.* In quibus verbis id præcipue arbitror considerandum; quia si vidua cujuslibet fidelis, ab illo est sustentanda, ne gravetur Ecclesia, multo magis aliunde subministrandum est canibus & cavallis, ceterisque tam hominum quam animantium ministris, quæ vel ad delicias, vel ad pompas, turpesque jocos, a divitibus possidentur. Et hoc ideo, ne Ecclesiam Dei non solum gravent, verum etiam vastent, funditusque prædentur. Id namque nimis esse inlicitum non hac sola sententia ostenditur, sed multifarie in toto scripturæ divinæ corpore demonstratur: ubi non solum prævaricantium pœnæ, sed remunerationes fideliter tractantium res Domino consecratas, multis modis describuntur.

XXIX. Quicumque autem opus hoc lectione & consideratione dignum duxerit, noverit omnino non hæc nos de solis laicis dicere, sed etiam de episcopis, abbatibus, sive quibusdam clericis, qui aliud faciunt de sæpedictis sacris rebus, quam quod faciendum est, aut aliter eas quam a Deo & sanctis patribus ac rectoribus constitutum est, tractant. De qua re non est necesse, ad multa dicendum, nobis plurimum laborare. Quoniam liquido patet hominibus ratione utentibus, quanta ex his reprehensibiliter & minus decenter agantur ab his etiam quos sacer ordo ad ecclesiasticum regimen admittit. Quibus profecto omni attentione pensanda & expavescenda esset illa sententia, qua ex eorum persona beatus Job loquitur, dicens: *Si adversum me terra mea clamat, & cum ipsa sulci ejus deflent; si fructus ejus comedi absque pecunia, & animam agricolarum ejus afflixi; pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo spina.* In quibus verbis quamvis & alius inveniatur intellectus, pertinens ad murmurationem subditæ plebis, cum merito conqueritur adversus pastorem ob negligentiam prædicationis, vel impedimenta exemplorum malorum, potest tamen & ad personam ecclesiasticæ familiæ non inconvenienter aptari: quam cum inique perversus pastor opprimit, & indigne rebus Deo sacratis abutitur, cumque statum & inlicitos appetitus suos ac suorum ad jactantiam pompasque mendacii exornat, immo deturpat, non sola Ecclesia, cui ipse præest, sed & omnes qui morum illius fœditatem cognoscunt, ad murmurationem derogationemque contra ejusmodi rectorem excitantur. Hic talis, etiamsi prædicationis eroget pecuniam, ob carnales tamen libitus & indecentes actus non potest statutam evadere pœnam, quin pro delectationibus vitæ præsentis, æternarum pœnarum illi punctiones oriantur.


XXX. Nec tamen hæc sententia solos pravos episcopos, presbyteros, vel abbates percutit, & laicos indebite ecclesiasticis rebus utentes securos relinquit. Quibus illud summopere hoc loco pensandum est; quia si is quem utcumque ordo acceptus vel impensa prædicatio comitantur, propter lasciviam & turpis lucri appetitum malo suo easdem res in communes usus expendit; ille qui nec ministerium ecclesiasticum sortitur vel exsequitur, nec pecuniam verbi erogat, sed insuper quicquid ad pompam pertinet, sive lasciviam, quasi licentius properat, sacris rebus utitur, quanto majori malo suo convivia splendida de sacris rebus, quibus gementes & mærentes in tribulatione paupertatis debuerant consolari, epulatur cum divitibus epulantibus, gaudens, ridensque, & opus Domini non recipiens, & quasi agens quæ Deo placeant jucundatur, satiat præterea & inebriat histriones, mimos, turpissimosque & vanissimos joculares, cum pauperes Ecclesiæ fame discruciati intereant. Quam rem considerandam prudentibus offerimus, non autem exponendo aperimus, quoniam etsi dictum est divitibus: *Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis, quæ advenient vobis: divitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra a tineis comesta sunt, aurum & argentum vestrum æruginavit, & ærugo eorum testimonium erit vobis, & manducavit vestras carnes, sicut ignis; thesaurizastis in novissimis diebus.* Et iterum: *Epulati estis super terram, & in deliciis enutristis corda vestra.* Non ta-

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 810.



men præceptum est eis ut epulis cotidianis vacarent, & preciosissimis induerentur vestibus, ne forte vel eorum divitiæ putrefactæ remanerent, vel a tineis vestimenta comederentur; immo sicut pro avaritia, sic & pro epulis, & pro luxuriis, præsentis sententiæ comminatione feriuntur.

XXXI. Si autem hæc dicta sunt illis qui talia forsitan de propriis rebus agebant, multo magis quibusdam præsentis temporis divitibus dici potest: Ululate in miseriis advenientibus; quoniam epulantibus vobis de rebus non vestris, & thesau- A rizantibus de his quæ ad sustentationem pauperum Ecclesiæ tradita sunt, ipsi pauperes & ecclesiastica familia fame cruciantur; & qui ex eis fraudatus a vobis est vel oppressus, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiit, qui dixit: *Non negabis mercedem indigentis & pauperis; sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum.* Et multa hujusmodi, quæ de hac re, & de omnibus quæ superius comprehensa sunt, in divinis libris dicuntur, nec ab ullo prorsus hominum absque sui gravissimo damno negliguntur.



LIBER

DE DIVINIS SENTENTIIS DIGESTUS,

Cum brevissimis adnotationibus, contra damnabilem opinionem putantium, divini [1] judicii veritatem igne, vel aquis, vel conflictu armorum patefieri.

I. IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri B Jesu Christi „ qui est pax nostra, quique „ fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens inimicitiam in carne sua, legem „ mandatorum decretis evacuans, ut duos condat „ in semetipsum in uno novo homine, faciat pacem, & reconciliet ambos in uno corpore Deo „ per crucem, interficiens inimicitias in semetipso, „ & veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, & pacem his qui prope. Quoniam „ per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad Patrem. „ Incipiunt testimonia divina de litteris evangelicis, & apostolicis, atque propheticis, quibus luce clarius demonstratur contraria esse reconciliationi generis humani, ac reconciliatori Christo, pugnæ domesticæ & conflictus fraterni, putantium rerum labentium dubia & occulta posse patefieri, & per res contrarias veritati, veritatem latentem monstrari. Nam si omnipotens Deus, mundi conditor & rector, judicii veritatem in rebus latentibus per mutuas cædes inveniri voluisset, aut permisisset, nec judices aut magistros per singulas urbes constitui præcepisset, nec testibus inficiantes convinci, nec ubi testes desunt, controversiam per jusjurandum finiri. Sed nec illam legem inter virum & uxorem, si spiritus zelotypiæ virum concitaverit, daret, ut per aquas amarissimas probaretur mulier adultera esse, aut innocens. Vel etiam de invento cadavere hominis occisi juberet propinquioris civitatis principes convenire, & lavare manus, ac protestantes coram Deo dicere quod manus eorum non effunderint sanguinem innocentem. Neque sanctus & innocens vir David persecutori suo Saul diceret: *Si Deus te incitat contra me, odoretur sacrificio*, & cetera. Sed potius diceret: Mitte unum de tuis qui congrediatur mecum singulari certamine, & probet me reum tibi esse, si occiderit, aut certe: Jube ferrum vel aquas calefieri, quas manibus inlæsus attrectem, aut: Constitue [2] cruces, ad quas stans immobilis perseverem.

II. Cum autem nihil tale lex divina vel etiam humana sanxerit, & vani homines nominent ista judicium Dei; unde probari potest judicium esse Dei, quod Deus numquam præcepit, numquam voluit, numquam denique sanctorum & quorumlibet fidelium exemplis introductum monstratur. Quasi omnipotens Deus animositatibus vel adinventionibus hominum servire debeat, aut ipse sibi contraria agat; ut qui in lege & in Evangelio præcepit ut diligat homo proximum suum sicut seipsum, iterum, ac si voluntate mutata, cum cœperint homines contendere inter se de rebus insensibilibus, (de parte videlicet agelli, aut si contentio fuerit de brutis animantibus, cavallis, porcisve, vel undecumque litigaverint homines cupiditate permoti, quod utique forensium est, non religiosorum,) invocatus Dominus ostendit justitiam temporalem, vel C potius vilissimam; quæ nec proprie dicitur justitia, quia nullus inde fit justus; & cum stat unus adversus alterum, vir scilicet adversus proximum suum, quem certe sicut seipsum diligere debet, agente Domino conruat unus coram altero, & quem per sanctam legem diligi jusserat, per legem cupiditatis occidi aut prosterni a proximo faciat. Nempe Apostolus ostendit esse legem peccati, & legem carnis, & legem mortis, ex quibus ista sunt contraria legi spiritus, & legi vitæ. Nam hi qui spiritu Dei aguntur, & idcirco sunt filii Dei, audiunt Apostolum docentem: *Jam quidem omnino delictum est quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis* D *fraudem patimini?*

III. Neque hoc dicimus, quasi judicia inter homines necessaria non sint. Non solum autem necessaria, verum etiam bona sunt; sed illa de quibus Dominus Salomoni loquitur: *Quia postulasti*, inquit, *tibi sapientiam ad discernendum judicium, ecce feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens, & intelligens.* Et in alio loco: *Multitudo sapientium, sanitas est orbis terrarum; & rex sapiens, populi stabilimentum est.* Et iterum: *Melior est sapientia quam vires, & vir prudens magis quam fortis. Audite ergo reges, & intelligite, discite judices finium terræ.* Itemque: *Habebo propter hanc* E (haud dubium quin propter sapientiam) *claritatem ad turbas, & honorem apud seniores juvenis, & acutus inveniar in judicio.* De quo beatus quoque Job fatetur dicens: *Si contemsi subire judicium cum*

1. Gundobadus legem tulerat, ut caussis finis imponeretur duello, quod stolide appellabant *judicium Dei*.

2. Una tunc ex vulgaribus purgationibus, quam *judicium* vel *examinationem Crucis* etiam appellabant.



servo meo, & ancilla mea, cum disceptarent adversum me. Neque enim sanctus Job cum servis ancillisque gladiis aut fustibus confligebat; cum sciret æquitatem non cædibus, sed sapientia & misericordia componendam, quæ per seipsam loquitur dicens: *Meum est consilium, & æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt. Per me principes imperant, & potentes decernunt justitiam*. Hinc autem æterna Dei sapientia indubitanti fide quærenda est, precibus & lectionibus assiduis obtinenda est, Apostolo Jacobo protestante: *Si quis*, inquit, *vestrum indiget sapientia, postulet a Deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans*. Quod vero instanti lectione sit eadem sapientia perquirenda, ita Dominus Josue contestans ostendit: *Confortare igitur, & esto robustus valde, ut custodias & facias omnem legem quam præcepit tibi Moyses servus meus. Ne declines ab ea ad dexteram, vel ad sinistram, ut intelligas cuncta quæ agis. Non recedat volumen legis hujus de ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias & facias omnia quæ scripta sunt in eo*.

IV. Neque putandum est, quod aut in istis bellis domesticis, aut in insidiis latronum, aut quibuslibet rixis civilibus sive domesticis cadat homo, nisi Deo tradente in manus proximi sui; sicut ipse per Prophetam adversum malos pastores loquitur: dicens; *Et pastores eorum non parcebant eis, & ego non parcam ultra super habitantes terram, dicit Dominus. Ecce ego tradam homines, unumquemque in manu proximi sui, & in manu regis sui; & concident terram, & non eruam de manu eorum, & pascam pecus occisionis propter hoc, o pauperes gregis*. Sed & illud in hac sententia notandum est, quod electi dicantur pecora occisionis, sicut & Apostolus de psalmo sumens testimonium dicit: *Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus ut oves occisionis*. Et in lege præceptum est: *Qui percusserit hominem, volens occidere, morte moriatur. Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manu ejus; constituam tibi locum quo fugere debeat*.

V. Tota namque fide credere debemus, quod nihil fiat in mundo, nisi Deo aut dispensante, aut permittente; cum & capilli capitis fidelium omnes numerati sint, & unus ex duobus aut quinque passeribus non cadat in terram sine Deo, & sicut quidam sanctorum ait: [1] *Nec folium de arbore sine nutu Dei decidat*. Tamen quia notissimum est bonos a malis interfici, numquam autem malos a bonis, nisi in bellis publicis & legalibus judiciis, pertinet hoc ad occulta judicia Dei, quæ sunt sicut abyssus multa, nec est datum hominibus nosse cur omnipotens ita permittat fieri. Solere autem justos ab iniquis interfici testatur & David, super Abner interitu, dicens: *Nequaquam ut mori solent ignavi, mortuus est Abner, sed sicut solent cadere coram filiis iniquitatis, corruit*. Sed, ut diximus, nulli hæc investigare concessum est, quando & ipse Paulus, ad tertium cælum raptus, & iterum in paradiso admirans, exclamet, dicens incomprehensibilia esse judicia Dei & investigabiles vias ejus. *Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?*

VI. Hæc pie humiliterque considerantibus appa-A ret non posse cædibus, ferro, vel aqua, occultas & latentes res inveniri. Nam si possent, ubi essent occulta Dei judicia? Deberet ergo inter catholicos & hæreticos tali examine veritas indagari, sicut quidam superbus ac stultus hæreticus Gundobadus Burgundionum rex tentabat expetere a beato Avito, egregio & orthodoxo prædicatore, qui ejus vesaniam sapientissime laudabiliterque repressit, atque redarguit. Quod si talibus adinventionibus, ut sæpe diximus, valerent latentes culpæ inveniri, nec sapientia, nec sapientes, neque judices, neque magistri essent necessarii. Sed quia verissimum est quod de Deo dicitur: *Apud ipsum est fortitudo & sapientia, ipse novit &* B *decipientem & eum qui decipitur*; ab ipso & secundum ipsum quærenda est rerum & judiciorum veritas. Jam nunc ponendæ sunt ipsæ divinæ sententiæ, & perspiciendum in eis quales auctor earum velit esse, vel quid, aut qualiter agere debeant reconciliati populus adquisitionis, filii resurrectionis, oves summi pastoris, & erga se invicem & erga lupos ac bestias insidiantes.

SEQUUNTUR SENTENTIÆ.

Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

C Quando stant duo altrinsecus parati ad mutuam cædem, non est eis hæc bona voluntas; & ideo angeli pacis non adsunt illis æterna gaudia offerentes.

Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.

A quibus pax multa scandalum non excludit; necdum habent plenitudinem legis, quæ caritas est.

Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram.

Forsitan dicturi sunt contentiosi, ad possidendam terram viventium mansuetudinem esse necessariam; ad defendendam autem terram morientium, fraternam congressionem? Sed audiant Apostolum dicentem: *Nos talem consuetudinem non habemus, neque* D *Ecclesia Christi*.

Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur.

Non offertur æterna misericordia & honor filiorum Dei immisericordibus, & pacem disrumpentibus, sed facientibus.

Audistis quia dictum est antiquis: Non occides. Qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo Racha, *reus erit consilii. Qui autem dixerit* Fatue, *reus erit gehennæ ignis &c. Audistis quia dictum* E *est: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo; sed si quis te percusserit in dextera maxilla tua, præbe illi & alteram. Et ei qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, & reliqua*.

Antiquo populo præceptum, ut qualem quis alteri maculam inflixisset, talem sustinere compelleretur; novo autem, nullum malum inferre, sed illatum æquanimiter tolerare. Qui ergo non solum non resistit, sed etiam modum talionis supergrediens excedit, nec ad antiquum populum pertinet, nec ad novum. Quos jubemur diligere, non permittimur nocentes lædere.

Tribus modis peccatur, cogitatione, locutione, & actione. Patet ergo in cogitatione radicem esse

1. August. in Matth. serm. vi.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 810.

malorum, fructus autem in operatione. Et consequenter veteri populo fructus malorum vetantur, in novo vero radices exstirpare jubemur: ideoque apud illos homicidium in reatu erat; apud nos autem ira occulta, & sermo injuriosus. Quapropter qui mentem non purgat a furore, nec manus compescit a cæde, nec cum antiquis legi subditus est, nec cum novis evangelicæ gratiæ libertate donatus.

Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odies inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos; ut sitis filii patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & Publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cælestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet peccata vestra. Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite eis. Hæc est enim lex & prophetæ.

Nullo modo quis potest filius Dei esse, nisi imitetur. Qui ergo non imitando, a tanta nobilitate degenerat, non veraciter sed falso dicit: *Pater noster, qui es in cælis*. Et ideo non tantum crudelitate, sed & falsitate damnatur. Si non intrabimus in regnum cælorum, nisi abundaverit justitia nostra plusquam Scribarum & Pharisæorum: quanto magis nisi abundaverit plusquam publicanorum & ethnicorum?

Qui perfectionem remunerat, nihil corruptioni nisi damnationem reservat. Considera, o amator rerum periturarum, & neglector tui, quia alii in te peccanti potes dimittere, tibimet ipsi non potes. Et quia ad tam grave malum nullum majus remedium invenitur, quam ut dimittas quæ potes, ut dimittantur tibi quæ committere vales, delere non potes.

Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus; & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.

Si ille qui patrem matremve plus amat quam Deum, non eo est dignus; quanto magis est indignus, si plus amaverit terram, vel porcum? Amplius enim hæc amare convincitur, qui pro talibus caritatem, quæ Deus est, offendere non veretur.

Amen dico vobis: Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.

Hujus præcepti negligentiam cruciatus inremediabilis & infinitus sequetur. Porta regni cælestis angusta est: quæ parvulos capit, sed enormes excludit. Qui ergo stat paratus ad cædem, dum non simplicitate parvulorum humilis, sed gigantea ostentatione vult videri terribilis, ab hujus ingressu omnino rejicitur.

Festina implere, dum manus & pedes solutos habes; quia venient dies de quibus dices: *Non mihi placent*; ubi ligatis pedibus & manibus mitteris in tenebras exteriores, id est, fugiendi operandique licentia subtrahetur.

Domine, quoties peccaverit in me frater meus, & dimittam ei? usque septies? Dicit illi Jesus: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.

Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me, usque Sic & pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris. Converte gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. Habete inter vos salem, & pacem habete inter vos.

Quoniam grave malum est peccanti fratri de corde non ignoscere. Quo fit ut olim per pœnitentiam dimissa peccata, revocentur ad vindictam.

Quanto melior est anima corpore, tanto pejor est gladius, quo anima in æternum perimitur, quam quo corpus ad tempus occiditur.

Sicut pulmentum quodlibet absque sale non est aptum & utile; sic omnis virtus, etiam ipsa fides, non valet ad salutem hominis sine pace.

Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones? Et ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui vera locutus sum vobis, quæ audivi a Deo. Hoc Abraham non fecit. Vos facitis opera patris vestri. Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me.

Si Sacerdos & Levita, qui vulnerato a latronibus plagas non imposuerunt, sed quia non profuerunt, proximi non fuerunt; quanto magis illi qui plagas infligunt, proximi non sunt? Qui ergo non impertiendo misericordiam a proximitate se alienum facit, alienus est & a medicamento quod vulnerato jacenti cælestis Samaritanus clementer infudit.

Qui domesticum fidei occidere quærit, non est filius Abrahæ, quia hoc Abraham non fecit. Facit autem opera patris, id est, diaboli, qui ab initio homicida erat. Qui summe bonum pastorem sequuntur, oves sunt: qui autem in membris suis illum insequuntur, lupi sunt.

Si quis mihi ministrat, me sequatur; & ubi sum ego, illic & minister meus erit.

Si qui ministrat, sequitur; qui adversatur, insequitur.

Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem; sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis adinvicem.

Non pro his autem rogo tantum, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint, ut mundus credat quia tu me misisti. Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. Ira enim viri justitiam Dei non operatur.


Si dilectione cognoscuntur discipuli Domini, rixis & contentionibus cognoscuntur discipuli diaboli.

Si unitas trahit mundum ad fidem, dissensio impellit mundum ad perfidiam.

Quod si zelum amarum habetis, & contentiones in cordibus vestris, nolite gloriari, & mendaces esse adversus veritatem. Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Ubi enim zelus & contentio, ibi inconstantia, & omne opus pravum.

Et Paullus apostolus ait: *Noli verbis contendere, ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium*, de hac sapientia, quæ non est desursum, sed terrena, atque diabolica fit. Et illud beatus Paullus insinuat, dicens: *Profana autem & inania loqui devita. Multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum ut cancer serpit.*

Si ergo contentio cordium mendaces ostendit adversus veritatem, & contentio verborum subver-



tit audientes; quanto magis contentio manuum & armorum?

Non unum opus pravum, aut pars operum, sed omne opus, sicut & Paullus ostendit: *His autem qui ex contentione, & qui non adquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio, tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum.*

Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordiæ, & fructibus bonis, judicans sine simulatione. Fructus autem justitiæ in pace seminatur facientibus pacem.

Perpende, o Judex, quia illa sapientia quæ judicat sine simulatione, dolo, & fraude, pacifica est, & plena misericordiæ.

Unde bella & lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? Concupiscitis, & non habetis: occiditis, & zelatis; non potestis adipisci: litigatis, & belligeratis, & non habetis, propter quod non postulastis. Petitis, & non accipitis; eo quod male petatis: ut in concupiscentiis vestris insumatis. Adulteri, nescitis quia amicitia hujusmodi, inimica est Dei?

Unde sint bella & lites, aperte heic ostenditur.

Quicumque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur. Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis quæ advenient vobis.

Cum non dicat, *Quicumque est*, sed *Quicumque voluerit amicus esse sæculi hujus*, patenter ostendit, quia eodem modo quo Dominus adulterum esse pronuntiat in Evangelio, *qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*, etiamsi ad expletionem operis nefarii non pervenerit, quicumque vult amicus esse sæculi hujus, jam adulter est, etiamsi non pervenerit ad honores & divitias sæculi, sicut & apostolus Paullus non *Qui fiunt*, inquit, sed *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli*, ac per hoc efficiuntur inimici Dei.

Melius est enim bene facientes (si velit voluntas Dei) pati, quam male facientes.

Hæc sententia demonstrat & benefacientes mala hujus sæculi pati, non autem, ut plerique æstimant, solos mala facientes.

Estote itaque prudentes, & vigilate in orationibus. Ante omnia, mutuam in vobismet ipsis caritatem continuam habentes: quia caritas operit multitudinem peccatorum. Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis caritatem.

Non habet continuam caritatem qui adversus proximum consurgit ad congrediendum. Sed & hoc notandum, quia si caritas operit multitudinem peccatorum, rixæ & contentiones cumulant copiam flagitiorum.

Hæc enim omnia si vobiscum adsint & superent, non vacuos nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Jesu Christi cognitionem. Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est, & manu tentans, oblivionem accipiens, purgationem veterum suorum delictorum. In hoc manifesti sunt filii Dei, & filii diaboli. Omnis qui non est justus, non est de Deo; & qui non diligit fratrem suum: quoniam hæc est annuntiatio, quam audistis ab initio, ut diligamus alterutrum. Non sicut Cain, qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant; fratris autem ejus justa. Nolite mirari, fratres, si odit vos mundus. Nos scimus quoniam translati sumus de morte in vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit fratrem suum, homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus ponere.

Aperte heic ostendit Apostolus, quia cui hæ virtutes adsunt, non est infructuosus, & vacuus; cui vero non adsunt, cæcus est, & in tenebris ambulans.

Benedicite persequentibus vos; benedicite, & nolite maledicere. Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus. Id ipsum invicem sentientes, non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos, nulli malum pro malo reddentes; providentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes: non vosmetipsos defendentes, carissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindictam; ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum. Diliges proximum tuum tamquam teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.

Non solum persequi persequentes non debemus, sed neque maledicere, sed e contrario, ex corde benedicere.

Væ mundo ab scandalis! Magna cæcitas & profunda miseria! Nondum cognovimus proximum nobis malum fecisse; & nostro malo conamur eum qui forte innocens est, malefactorem ostendere.

Non solum flentes facere non debemus; sed e contrario, quoscumque flentes viderimus, flere cum eis & ipsi debemus.

Debemus autem nos firmiores imbecillitatem infirmorum sustinere, & non nobis placere. Unusquisque proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. Etenim Christus non sibi placuit; sed sicut scriptum est; Improperia improperantium tibi ceciderunt super me. Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt; ut per patientiam, & consolationem scripturarum, spem habeamus.

Non vis ei in bonum placere, contra quem exserto brachio gladium vibrans, aut matarum tenens, stas paratus ad cædendum tam atrociter, ut omni virtute nudatus in terram prosternatur, & se reum fateatur, etiamsi non sit.

Deus autem patientiæ & solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum & Patrem Domini nostri Jesu Christi. Propter quod suscipite invicem, sicut & Christus suscepit vos in honorem Dei.

Ubi contraria sibi homines ore, id est, verbis, opponunt contentionibus, ibi unanimitas animorum esse non potest, ac per hoc a talibus non honorificatur Deus, sed semper inhonoratur.

Caritas patiens est, benigna est. Caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitatem, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, caritas numquam excidit.

Si urgente caritate Christi congruentes & con-

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 810.

temperati esse debemus proximis, pensandum est qui surget ad rixas & dissensiones. *Servum certe Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt.*

Patiens est, & benigna: quia quos per patientiam tolerat, per benignitatem amat. Et si is qui tolerat, nec tamen diligit, non exercet opus caritatis; quanto magis qui nec tolerat? Si caritas non irritat, ad irascendum non concitatur, neque gaudet super iniquitate; pensandum omnino est, quam longe a caritate sint, qui se adversus invicem provocantes, pro terrena cupiditate confligunt. Caritas non excidit: quia semper est in profectu, numquam autem venit in defectu.

Sive enim mente excedimus, Deo; sive sobrii sumus, vobis. Caritas enim Christi urget nos; æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt; & pro omnibus mortuus est; ut & qui vivant, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.

Ii pro quibus Christus mortuus est, non sibi debent vivere, sed Christo. Qui autem Christo vivit, nullo modo vult lædere proximum. Quapropter quærendum est, ille qui paratur ad lædendum proximum, occidendo, aut cædibus prosternendo, cui vivit, sibi, an diabolo, cum certum sit eum Christo non vivere.

Fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete; & Deus dilectionis & pacis erit vobiscum. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur a vobis, cum omni malitia. Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut & Deus donavit nobis.

Perfectorum est idem, id est, unum, non diversa & adversa sapere, & idcirco pacem habere. Qui autem contraria agunt rixando & litigando, perpendant utrum Deus pacis cum illis sit. Et cum certum sit Deum non habentem, qui vita est animarum, mortuum esse; proculdubio colligitur mortuorum esse mortificare, proximum velle non vivere.

Estote ergo imitatores Dei, sicut filii carissimi; & ambulate in dilectione, sicut Christus dilexit nos. Non est nobis conluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus.

Hæc sententia, regula est Christianorum, & tam aperta, ut quilibet in ea velut in speculo se valeat considerare.

Fratres, quæcumqut sunt vera, quæcumque pudica, quæcumquæ justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate. Quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc agite; & Deus pacis erit vobiscum.

Quicumque vult Deum pacis secum habere, templum videlicet ejus esse, ista agat quæ hæc sententia docet, ut glorificet & portet Deum in corpore suo. Quia qui Deum non portat ad vitam suam, portabit inimicum velit nolit ad mortem suam.

Rogamus vos, fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat; sed semper quod bonum est sectamini in invicem, & in omnes. Semper gaudete. Sine intermissione orate. In omnibus gratias agite. Hæc enim voluntas Dei est in Christo Jesu in omnibus vobis.

Et hæc sententia, regula est Christianitatis. Sed valde notandum quod jubet hominem patientem esse ad omnes, non ad amicos tantum. Patientia enim maxime ad inimicos est necessaria.

Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium quod habebant, & clamabant voce magna dicentes: Usquequo Dominus sanctus & verus non judicas & vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant super terram? Et datæ sunt eis singulæ stolæ albæ, & dictum est illis ut requiescerent adhuc modicum tempus, donec impleantur conservi eorum, & fratres eorum, qui interficiendi sunt, sicut & illi.

Hæc sententia docet tempus vindictæ fidelium non esse in præsenti. Nam si sancti pro fide passi quærunt vindictam de persecutoribus, de quibus utique vindicandi sunt, & non impetrant; quomodo isti, de quibus agimus, quotiescumque irascuntur proximis, & ad contentionem manuum prosiliunt, putant sibi Deum famulari, & amarissimis suis motibus deservire?

Væ, civitas illa magna Babylon, civitas illa fortis, quoniam una hora venit judicium tuum!

Si una hora venturum est judicium Babylonis, quomodo cives ejus tam frequenter pro se Deum æstimant judicare? Hæc sententia demonstrat occulta esse judicia Dei, & impenetrabilia. Unde constat stultam & superbam esse præsumtionem eorum qui putant impenetrabilia judicia Dei bellis & cædibus liquido publicari.

Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis: de manu viri & fratris ejus requiram animam hominis. Quicumque effunderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius; ad imaginem quippe Dei factus est homo.

Hæc prima lex, a Deo data hominibus, prohibet attentissime humanum sanguinem fundere.

Non omnis qui hominem occiderit, corporaliter occidetur. Sed secundum illud accipiendum est quod Dominus in Evangelio dicit: *Omnis enim qui gladium acceperit, peribit.* Et Apostolus ait: *Quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem.* Quare autem hunc reatum tanta pœna sequatur, hæc caussa est, quoniam ad imaginem Dei factus est homo.

Abundant tabernacula prædonum, & audacter provocant Deum, cum ipse dederit omnia in manu eorum. Quare ergo impii vivunt, sublimati sunt, confortatique divitiis? Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba & nepotum in conspectu eorum. Domus eorum securæ sunt, & pacatæ, & non est virga Dei super eos. Bos eorum concepit, & non abortivit; vacca peperit, & non est privata fœtu suo. Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, & infantes eorum exsultant lusibus. Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.

Hæc sententia indicat temporalem esse malorum felicitatem. Et idcirco errant qui putant singulis hic retribui quod merentur.

Si habes brachium sicut Deus, & si voce simili tonas? Circumda tibi decorem, & in sublime erigere, & esto gloriosus, & speciosis induere vestibus. Disperge superbos in furore tuo, & respiciens omnem arrogantem humilia. Respice cunctos superbos, & confunde eos, & contere impios in loco suo. Absconde eos in pulverem simul, & facies eorum demerge in foveam. Et ego confitebor quod salvare te possit dextera tua.

Qui conflictibus & congressionibus merita homi-

num se putant posse invenire, habeant brachium sicut Deus, & in voce simili tonent, circumdent sibi decorem, & in sublime erigantur, sintque gloriosi, & tunc poterunt sibi ipsi esse salvatores; impiorum autem & superborum dispersores, humiliatores, contritores, & in foveam demersores.

Non enim in arcu meo confidam, neque gladius meus salvabit me; quia salvasti nos de hostibus nostris, & eos qui oderunt nos confudisti. In Deo laudabimur tota die, & nomen tuum confitebitur in æternum. Verumtamen tu confudisti & projecisti nos, & non egredieris in exercitibus nostris. Vertisti terga nostra hosti, & qui oderunt nos diripuerunt sibi. Dedisti nos quasi gregem ad vorandum, & in gentibus dispersisti nos.

Ista sententia insinuat neminem salvum fieri, aut justum vel innocentem demonstrari per armaturam corpoream, ipsum autem Deum non semper in hac vita bonis retribuere merita justitiæ. Unde & Paullus, qui bonum certamen certavit, cursum consummavit, fidem servavit, repositam sibi dicit coronam justitiæ, non receptam. Nam in præsenti quinquies quadrageneas una minus accepit, ter virgis cæsus, semel lapidatus est, ter naufragium fecit, & omnia illa pericula quæ ipse enumerat, sustinuit.

Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Hierusalem in acervum lapidum. Dederunt cadavera servorum tuorum escam avium cælorum, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ. Effuderunt sanguinem eorum quasi aquam in circuitu Hierusalem, & non erat qui sepeliret. Facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio & derisio his qui in circuitu nostro sunt.

Hæc sententia eadem ipsa demonstrat quæ & superior.

Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus & mundo corde, qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam, loquitur veritatem in corde suo, qui non est facilis in lingua sua, neque fecit amico suo malum, & opprobrium non sustinuit super vicinum suum. Qui negligit damnum propter amicum suum, justus est; iter autem impiorum decipiet eos. Melior est patiens viro forti; & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. Arma, & gladii in via perversi: custos autem animæ suæ longe recedit ab eo. Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina ejus ne exsultet cor tuum; ne forte videat Dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam.

Videat bellator fraternus, si sit innocens manibus, mundo corde, & faciat omnia quæ sequens sententia enumerat.

Non solum melior, sed nec bonus vult esse, qui per patientiam non dominatur animo suo. Qui cum proximo decertat propter animal brutum, nec modicum damnum vult negligere propter Deum.

Erues eos qui ducuntur ad mortem, & qui detrahuntur ad interitum liberare ne cesses. Si dixeris. Vires non suppetunt: qui inspector est cordis, ipse intelligit, & servatorem animæ tuæ nihil fallit, redditque homini juxta opera sua. Vidi sub sole in loco judicii impietatem, & in loco justitiæ iniquitatem. Et dixi in corde meo: Justum & impium judicabit Deus, & tempus rei omnis tunc erit. Verti me ad alia, & vidi calumnias quæ sub sole geruntur, & lacrymas innocentium, & consolari eos neminem, nec posse resistere eorum violentiæ cunctorum auxilio destitutos.

Non solum debes non ducere ad mortem, verum

A etiam eos qui ducuntur eruere, si non vis ut reddat tibi Dominus secundum opera tua.

Quando Dominus inter justum & impium discreverit, tempus omnis rei tunc erit, non modo. Quod tempus desiderans Ecclesia, rogat Dominum, dicens: *Judica me, Deus, & discerne caussam meam de gente non sancta*. Quam rem si homines saltem justificare valuissent, non essent mala quæ sequentes sententiæ enumerant.

Si videris calumnias egenorum, & violenta judicia, & subverti justitiam in provincia, non mireris super hoc negotio: quia excelso alius excelsior, & super hos quoque eminentiores sunt alii.

Excelsus quippe super excelsos hæc respicit Deus, B qui angelos suos super judices & reges terræ præposuit: qui possunt utique prohibere injustitiam, & magis in terra valere quam quævis hominum potestates. Sed quoniam servat in fine judicium & consummationem mundi, quando matura seges fuerit, & messores venerint, jussurus est ut separetur triticum & lolium tradatur incendio; ideo nunc exspectat, & differt sententiam, quamdiu ager mundi istius plenius excolatur.

Justus perit in justitia sua, & impius multo vivit tempore in malitia sua.

Dei in occulto sapientia est & tribulare nunc sanctos ut recipiant mala in vita sua, & peccatores non visitare pro scelere & quasi ad vindictam C reservare; ut & illis possit æterna bona restituere, & his mala inferre perpetua.

Melius est secundum voluntatem Dei ut justus pereat in justitia sua, quam ut impium occidat propter malitiam illius. Et quia ita fit, ideo provenit quod sequens sententia dicit.

Sunt justi quibus multa proveniunt, quasi opera egerint impiorum; & sunt impii qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant.

Inter ceteras vanitates quæ in mundo vario feruntur eventu, etiam hoc deprehendi, quod justis ea frequenter eveniunt, quæ impiis evenire debuerant, & impii tam feliciter in hoc mundo degunt, ut eos putes esse justissimos.

D *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit; sed omnia in futuro servantur incerta, eo quod universa æque eveniant justo & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas, & sacrificia contemnenti. Sicut bonus, sic & peccator; ut perjurus, ita & ille qui verum dejerat. Hoc est pessimum inter omnia quæ sub sole fiunt, quia eadem cunctis eveniunt.*

Si omnia futuro servantur incerta, mira fatuitas quorumdam, qui certaminibus exsecrandis putant se de incertis facere certa.

Verti me ad aliud; vidique sub sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientum panem, nec doctorum divitias, nec artificum E *gratiam, sed tempus casumque in omnibus. Nescit homo finem suum. Sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aves comprehenduntur laqueo, sic capiuntur homines tempore malo, cum eis extemplo supervenerit.*

Hæc sententia non denegat providentiam, sed docet exitus rerum hominibus esse incertos. Epistola ad Romanos huic loco congruit: quia non volentis, neque currentis, sed miserentis Dei sit. Quod autem ait: *Non est sapientibus panis*, multorum cotidie probatur exemplo, qui cum sapientissimi sint, necessariis indigent, & eruditum virum latere in obscuro, persecutiones pati, & non solum in populum gratiam non habere, sed inopia & egestate tabescere. Hæc autem fiunt, quia in-

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 810.



certo statu fluunt omnia, & non est in præsenti A meritorum retributio, sed in futuro.

Est malum quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens a facie principis; positum stultum in dignitate sublimi, & divites cadere deorsum. Vidi servos in equis, & principes ambulantes quasi servos super terram.

Et hanc ergo iniquitatem se in sæculo perspexisse commemorat, quod videatur injustum Dei esse judicium, sive absque ejus fieri voluntate, ut vel in mundi potestatibus, vel in Ecclesiæ principatu, sæpe hi qui divites in sermone sunt atque sapientia, divites etiam in operibus bonis, ignobiles sedeant, & imprudens quisque in Ecclesia teneat principatum: hoc autem fieri B a vultu ejus qui in sæculo habet potestatem, dum potentes quosque & doctos premat, nec eos in populis apparere permittat; illos vero quos scit esse imprudentes, in Ecclesiis faciat esse majores, ut cæci a cæcis ducantur in foveam.

Quare ostendisti mihi iniquitatem, & laborem, videre prædam, & injustitiam contra me? & factum est judicium & contradictio potentior. Propter hoc lacerata est lex, & non pervenit usque ad finem judicium: quia impius prævalet adversus justum, propterea egreditur judicium perversum.

Hæc loquuntur nescientes judicia Dei investigabilia, & profundum divitiarum sapientiæ & scientiæ ejus, quod non ita videat Deus, ut videt ho- C mo. Homo tantum præsentia respicit, Deus futura & æterna cognoscit. Communis ad Deum querela sanctorum est, quare contra eos injustum judicium fiat, & innoxium in persecutionibus sanguinem fundant; ac si quando ante tribunal steterint judicum sæcularium, judex acceptis muneribus condemnet insontem, & reum liberet: quod quidem non solum de judicibus sæculi, sed interdum de Ecclesiæ quoque principibus dici potest, quod propter munera lacerent legem, & non perducant usque ad finem judicium, & impius prævaleat adversus justum, & magis in judicio peccatum divitis quam pauperis veritas defendatur, unde querimonia est judicium exire perversum. Non debe- D mus super hac rerum inæquitate turbari, videntes & in principio mundi ab impio Cain interfectum Abel justum, & postea exsulante Jacob regnare in domo patris Esau. Ægyptii luto & latere affligunt filios Israel.

Quare non respicis super iniqua agentes, & taces devorante impio justiorem se? Et facies homines quasi pisces maris, & quasi reptile non habens principem.

Dominus noster sciens clementiæ suæ pondera atque mensuras, interdum non exaudit clamantem, ut eum probet, & magis provocet ad rogandum, & quasi igne excoctum, justiorem & puriorem faciat. Quod intelligens Apostolus, *secundum id quod misericordiam consecutus a Domino*, ait, *non deficimus*; & benedicit Deum in omni tempore, & scit quia qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

De Sion egredietur lex, & verbum Domini de Hierusalem, & judicabit inter populos multos, & corripiet gentes fortes usque in longinquum, & conflabunt gladios suos in vomeres, & hastas suas in ligones, non sumet gens adversus gentem gladium, & non discent ultra belligerare. Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad finem terræ. Arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni.

Heu, proh dolor! jam in multis gentibus factum est, ut bellandi studio cessante, agriculturæ operam dent, propter quam etiam arma in utensilia versa sunt; & adhuc Burgundionibus necesse est, propter assidua domestica bella, ut falces, ligones, ac vomeres conflentur in gladios.

Vacate & videte quoniam ego sum Deus. Mei autem pene vacillaverunt pedes, pene effusi sunt gressus mei. Quia æmulatus sum contra iniquos, pacem peccatorum videns, quod non recogitaverunt de morte sua, & firmata sint vestibula eorum. In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Idcirco nutriti sunt ad superbiam, circumdederunt iniquitatem sibi, processerunt a pinguedine oculi eorum, transierunt cogitationes cordis, intulerunt, & locuti sunt in malitia, calumniam de excelso loquentes.

Quæ & ista sententia dicit, etiam corporaliter ex parte facta fuissent, si Burgundiones adquievissent.

SERMO EXHORTATORIUS AD PLEBEM, DE FIDEI VERITATE,

Et totius boni institutione.

I. Audite fratres nostri, familia Christi, grex E summi pastoris, populus pascuæ ejus, & oves manus ejus. Introite portas æterni regis in confessione, & atria ejus in hymnis, ut vobis dicatur: *Ecce nunc benedicite Domino omnes servi Domini, qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. Quærite Dominum, dum inveniri potest: invocate eum, dum prope est.* Et quam prope est? *In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus.* Est enim cunctis mentibus interior, cunctis corporibus interior, ipse intus replet, exterius circumdat, inferius portat, superius protegit. Ipse qui nunc sic prope est, veniet tempus quando inveniri non poterit. Et quare non invenietur qui ubique est, qui nusquam deest? Quia jam non erit tempus Dominum quærendi, sed pœnas luendi eos qui nunc eum non inveniunt. Agite quod Psalmus dicit: *Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & sancti tui benedicant tibi.* Benedicite cum ipsis, aut confitemini cum universis operibus Domino.

II. Non vobis necesse est transmigrare de locis ad loca, de regno ad populum alterum, ad quærendum Dominum. Ipse se vobis ultroneus offert, & dicit: *Ecce sto ad ostium, & pulso. Si quis audierit vocem meam & aperuerit januam, introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Quid umquam tam dulce? quid tam jucundum? Adjun-


git etiam, & dicit: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo*. Ecce vult intrare ad te, ut cœnes cum illo, non te pigeat aperire. Non solum in mente tua vult cœnare tecum, verum etiam te vult levare in thronum suum, ut sedeas cum illo. Cui talia promittuntur, quid amplius desiderare debet? Promittit adhuc Dominus, & dicit: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Sint ergo lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus exspectantibus Dominum suum quando revertatur a nuptiis, ut cum venerit & pulsaverit, confestim aperiant ei. Beati servi illi, ad quos veniunt Pater & Filius, & mansionem apud eos faciunt. Væ autem illis qui talem hospitem a se repellunt; quoniam in malivolam animam non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu. Et ideo nolite cogitare inania, nolite desiderare peritura; ineptas autem & aniles fabulas devitate, exercete vos ipsos ad pietatem. Aperite Domino pulsanti, ut intret ad vos, & cœnet vobiscum, & mansionem apud vos faciat. Nec tacens pulsat, sed loquitur unicuique animæ pulsans: *Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea*. Vos autem curam omnem subinferentes ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam. Si enim meditando de fide vestra & spe, crescitis in scientia & cognitione Dei, non vacui nec sine fructu vivitis, & ita Dominum hospitem tenetis.

III. Fides est, qua credimus unum Deum omnipotentem, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, veram Trinitatem, veram Unitatem. O quam vera Trinitas, ubi nullus nascitur ex se, nullus procedit a se, sed alter ex altero! Filius videlicet nascitur ex Patre, Spiritus sanctus procedit ex Patre & Filio. Proculdubio igitur apparet quod alius sit qui genuit, alius qui genitus est, alius qui de utroque procedit. O quam vera Unitas, ubi non est alius Spiritus Patris, alius Filii, sed unus utriusque; nec prius procedit ex Patre in Filium, deinde ex Filio ad diffundendum in cordibus fidelium caritatis donum; sed simul ex utroque. Non est alia deitas Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti, sed una trium deitas; & idcirco vere unus Deus. Nam si esset alia & alia, non esset unus. Una ergo deitas, una æternitas, una majestas, una potentia, una voluntas, una operatio, una pietas, una gloria. Et quia est omnino alius & alius, ideo Trinitas; & quia non est aliud & aliud, ideo Unitas; quia non est ipse Pater qui Filius, non ipse Filius qui Pater, aut Spiritus sanctus, ideo vera Trinitas. Quia vero hoc est Pater quod Filius, hoc Filius quod Pater & Spiritus, ideo vera Trinitas (*leg.* Unitas). Nativitatem Filii non præcessit potestas aut voluntas Patris. Sic processionem Spiritus sancti nihil fuit quod præcederet. Patrem confitemur genitorem Filii, factorem autem cæli & terræ, visibilium omnium & invisibilium rerum. Filium confitemur ingenitum Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, natum, non factum, ὁμοούσιον Patri, hoc est, ejusdem cum patre substantiæ, per quem omnia facta sunt quæ in cælo, & quæ in terra, per quem majestatem Patris laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates, cæli & cælorum virtutes. Spiritum sanctum confitemur vivificantem, ex Patre & Filio procedentem, cum Patre & Filio adorandum & glorificandum, qui locutus est per prophetas. Donum dantes simul tres, Patrem Filium & Spiritum sanctum confitemur, sine confusione indivisos, sine tempore sempiternos, sine differentia æquales. Unus Dominus magnus & laudabilis nimis, cujus magnitudinis non est finis, & sapientiæ non est numerus. Magnus certe non mole, sed virtute: qui dum per molem corporis nusquam est, per incircumscriptam substantiam nusquam deest.

IV. Hanc veram Trinitatem, veramque Unitatem, unum Dominum, laudant de cælis, laudant in excelsis omnes angeli, omnes virtutes, sol, & luna, stellæ, & lumen, cæli cælorum, & aquæ quæ super cælos sunt. Quia ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt. Laudant de terra dracones & omnes abyssi, ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, montes & colles, ligna fructifera, & omnes cedri, bestiæ, & universa pecora, serpentes, & volucres pennatæ, reges terræ, & omnes populi, principes, & omnes judices terræ, juvenes & virgines, senes cum junioribus, quia exaltatum est nomen ejus solius. Et confessio ejus super cælum & terram, & laus in Ecclesia sanctorum. Laudatur enim in sanctis suis, in firmamento virtutis suæ, in virtutibus suis, secundum multitudinem magnitudinis suæ, in sono tubæ, in psalterio & cithara, in tympano & choro, in chordis & organo, in cymbalis benesonantibus, in cymbalis jubilationis.

V. Cum ergo ista omnia simul, rationabilia & inrationabilia, incessanter laudent Deum; quomodo homines, ad imaginem & similitudinem Dei conditi, & ad laudem gloriæ ejus vocati, debent esse pigri, aut tardi, aut ociosi? Et illa quidem laudant Dominum semper. Nos autem, etsi non possumus semper, laudemus saltem frequenter; quibus per Apostolum dicitur: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus, qui vos de tenebris vocavit in admirabile lumen suum*. Et per Prophetas: *Narrate omnia mirabilia ejus, annuntiate inter gentes studia ejus, notas facite in populis adinventiones ejus*. De quibus virtutibus & mirabilibus, qualia sint, sanctæ scripturæ verbis sic prædicatur: *Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos ignem urentem. Qui fundavit terram super basim suam; non commovebitur in sæculum sæculi. Qui demisit lapidem angularem ejus, cum laudarent simul eum astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei. In fortitudine ejus, repente maria congregata sunt; & prudentia ejus percussit superbum. Qui extendit aquilonem super vacuum, & appendit terram super nihilum. Qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum. Qui aufert stillas pluviæ*, & sicut alia translatio dicit, *innumerabiles illi stillicidia. Qui mensus est pugillo aquas, & cælos palmo ponderavit. Qui appendit tribus digitis molem terræ, & libravit in pondere montes, & colles in statera. Cujus thronus flammæ ignis, & rotæ ejus ignis accensus. Fluvius igneus rapidusque egreditur a facie ejus. Millia millium ministrant ei, & decies millies centena millia sistunt ei*. Omnes namque exercitus cæli assistunt ei, non solum a dextris, sed etiam a sinistris: de quibus Propheta vidit egredi spiritum dicentem: *Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus*, id est, decepti & decipiendi regis, ut ascenderet ad locum ubi ei paratus erat interitus.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 810.



VI. Istius sinistri exercitus aut princeps aut magnus, invidendo sancto viro Job, expetivit eum ut sibi concederetur a Domino, non ad probandum quod factum est per eum nolente illo, sed ad reprobandum quod multitudini malitiæ suæ desiderabat. Hujus sinistri exercitus princeps accessit ad primum hominem, bene & bonum a bono Deo conditum, igne invidentiæ succensus; & decepit, ac prævaricatorem fecit, atque omnimodæ corruptelæ subjecit, & de societate angelorum depositum, socium sibi fecit, atque de luce angelica abstractum, tenebris suis subjugavit, & æternæ morti obnoxium reddidit. Dominus autem summe bonus & pius, ut tam magnam ruinam repararet, tam magnum vulnus, misit filium suum Deum Verbum, ut caro fieret, id est, homo verus, & habitaret in nobis, id est, in humanitate perfecta, quam sumsit pro nobis [1] ex nobis, id est, ex sancta Virgine ad hoc præparata & custodita; habitaret autem corporaliter, non spiritaliter, ut in sanctis ceteris, id est, dono gratiæ, sicut scriptum est: *Qui adhæret Domino, unus spiritus est*. Qui licet Domino adhæreant, & Deus in illis habitet; non tamen exinde efficitur ut dii sint naturaliter; sicut in Christo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, ut Deus sit substantialiter. Quæ humanitas, ex quo esse cœpit, non aliud esse potuit, quam Deus, & unicus filius, quia unigenitus caro factus est, ut sit verus Deus, verus homo, unus Deus. Et licet aliud sit caro, aliud divinitas; non tamen ipse alius est in carne, alius in divinitate; sed utroque unus Christus Deus homo, permanente utriusque naturæ veritate & integritate; id est, non mutata humanitate in divinitatem, neque conversa divinitate in humanitatem: qui ex utroque unus Christus Deus, ita adoratur cum Patre & Filio ab omni creatura, ut superius diximus, sicut adorabatur antequam Verbum caro fieret: quia inconvertibilis deitas, quæ inconvertibiliter infirmitatem nostram, in qua mori posset, suscepit incarnatione sua, nec minui potuit, nec augeri.

VII. Verus Deus ergo & verus homo, unus Dominus noster Jesus Christus, venit ad passionem, ut perferret omnia illa quæ de illo prænuntiata sunt per scripturas. Unde comprehensus, & ligatus, flagellatus, irrisus, & in cruce suspensus, cum veniret hora ut potestate propria poneret animam suam, potestate iterum eam sumturus, clamans voce magna, dixit: *Consummatum est*: & inclinato capite tradidit spiritum. Natus autem vera nativitate, veræ carnis sustinuit veram passionem, suscepit veram mortem, vera carnis resurrectione *præbuit se ipsum vivum discipulis in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis & loquens de regno Dei*, manducavit & bibit coram eis, non necessitate, sed potestate. *Et videntibus illis, elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri adstiterunt juxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicentes in cælum? Hic Jesus, qui assumtus est a vobis ad cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum*. Sedet ergo in ea carne, quam assumsit pro nobis, ad dextram Patris, & venturus est in gloria judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, qui est testis fidelis; primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ, agnus Dei qui tollit peccata mundi: qui ita laudatur cum Patre ab angelis: *Sedenti in throno &* A *agno benedictio & honor & gloria & potestas in sæcula sæculorum*. Et quando venerit in majestate sua & Patris, sic timebitur ab eis quos judicaturus est, ut dicant montibus & petris: *Cadite super nos, & abscondite nos a facie sedentis supra thronum, & ab ira agni: quoniam venit dies magnus iræ ipsius, & quis poterit stare?* Transacto, omnes electi ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, erunt stantes ante thronum in conspectu agni, & amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabunt voce magna dicentes: *Salus Deo nostro qui sedet super thronum, & agno*. De quibus dicitur: *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas* B *in sanguine agni. Ideo sunt ante thronum Dei, & serviunt ei die & nocte in templo ejus; & qui sedet in throno, habitat super eos. Non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque ullus æstus; quoniam agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet illos ad vitæ fontes aquarum, & absterget Deus omnem lacrymam ex oculis eorum. Et lætitia sempiterna super caput eorum, gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus*. Hæc civitas Dei, id est, universitas omnium sanctorum, *non eget sole, neque luna, ut luceant in ea. Nam claritas Dei inluminavit eam, & lucerna ejus est agnus*. Et dicetur ei: *Non audietur ultra iniquitas in terra tua, vastitas & contritio in* C *terminis tuis, & occupabit salus muros tuos, & postes tuas laudatio. Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ inluminabit te; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra sol tuus, & luna tua non minuetur: quia Dominus erit tibi in lucem sempiternam, & complebuntur dies luctus tui. Populus autem tuus omnes justi, in perpetuum hereditabunt terram. Et videbunt gentes justum tuum, & cuncti reges inclytum tuum; & vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit. Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis ultra derelicta, & terra tua non vocabitur amplius desolata; sed* D *vocaberis voluntas mea in ea, & terra tua inhabitata; quia complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur. Habitabit enim juvenis cum virgine, & habitabunt in te filii tui. Et gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus. Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, & faciens abominationem & mendacium*: nec fatuæ virgines, quæ non sumserunt oleum secum: nisi qui scripti sunt in libro vitæ agni, & regnabunt in sæcula sæculorum.

VIII. Hæc præclara testimonia sanctæ scripturæ ostendunt unitatem & æqualitatem sedentis super thronum & agni, Patris videlicet & Filii, cum & E unus dicitur dies magnus iræ ipsorum. Mansit enim æqualis Patri, etiam postquam factus est minor Patre. Unde & Patres sancti, Doctores videlicet Ecclesiæ, in brevissimo hymno quem Psalmis, Antiphonis, & Responsoriis subjungimus, cantandum tradiderunt: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto; sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum*. Et cum electi ex omnibus populis & linguis stare dicuntur ante thronum in conspectu agni, & una salus cantatur ei qui sedet super thronum & agno, & pariter inluminant civitatem suam; hoc ipsum ostenditur, ut sciamus unum esse Patrem & Filium, etiam postquam minor factus, obediens exstitit usque ad mortem, mortem

1. August. in Joan. tract. IV.

autem crucis. *Propter quod Deus illum exaltavit, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei patris*. Ostendit etiam caput exaltatum ad quantam sublimitatem elevat corpus suum, & unitatem capitis & corporis, sponsi videlicet & sponsæ. Unde dicitur: *Induit me vestimentis salutis, & indumento justitiæ circumdedit me quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis*. Se enim dixit sponsum, se sponsam. Hæc tanta unitas est illud inæstimabile & ineffabile bonum, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quod præparavit Deus diligentibus se; cum agnus ille est sponsus gregis sui, pastor ovium suarum; & qui est agnus in passione, leo in resurrectione, aquila in ascensione, lapis quoque angularis, lapisque abscissus de monte sine manibus, & factus est mons magnus implens omnem terram. Hoc est regnum quod in æternum non dissipabitur, & populo alteri non tradetur, & ipsum stabit in æternum. De hac unitate & ineffabili sublimitate capitis & corporis per Danielem prophetam dicitur: *Aspiciebam in visione noctis; & ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit; & in conspectu ejus obtulerunt eum; & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum; & omnes populi, tribus, & linguæ: ipsi servient potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur; & regnum ejus, quod non corrumpetur.*

IX. Hæc unitas & sublimitas capitis & corporis, quæ futura est in specie & re, omni intentione pietatis jam nunc tenenda est in fide & in spe. Hanc sublimiter commendat Apostolus, cum dicit: *Qui descendit, ipse est, & qui ascendit super omnes cælos, ut impleret omnia. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores & doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionem filii Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi; ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. Veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: cujus totum corpus compactum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in caritate*. Et iterum: *Caput ex quo totum corpus, per nexus & conjunctiones subministratum & constructum, crescit in augmentum*. Et alio loco: *Sollicite servate unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus est & Pater omnium, qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis*. Item de unitate membrorum: *Sicut enim corpus unum est*, inquit, *& membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum corpus sunt; ita & Christus. Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive gentiles, sive servi, sive liberi, & omnes in uno spiritu potati sumus. Nam corpus non est unum membrum, sed multa.*

X. Quod autem mediatio mediatoris Dei & hominum Domini nostri Jesu Christi conjungat Patri omnem electam creaturam, ita ut ista ineffabili unitate spiritus, nulla sit diversitas generis, conditionis, & sexus, sed tam ex angelis, quam ex hominibus, una domus & una civitas Dei fiat, atque hujus tantæ & tam mirabilis unitatis unum caput sit Christus, ita docet Apostolus: *Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus ejus, & induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus qui creavit eum: ubi non est gentilis & Judæus, circumcisio & præputium, Barbarus & Scytha, servus & liber, sed omnia & in omnibus Christus*. Et iterum: *Quicumque in Christum baptizati estis, Christum induistis. Non est Judæus, neque Græcus; non est servus, neque liber; non est masculus, neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu*. Et alibi: *Volo autem vos scire quod omnis viri caput Christus est; caput autem mulieris, vir; caput vero Christi, Deus*. Itemque: *Omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei*. Et alio loco: „ Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ: quia in ipso condita sunt omnia in cælis & in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates. Omnia per ipsum & in ipso creata sunt; & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens: quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare, & per eum reconciliari omnia in ipsum; pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cælis. „ *Et iterum*: „ Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter; & estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus & potestatis. „

XI. Pro hac ineffabili unitate ipse mediator Dei & hominum, Deus homo, Christus Jesus, tempore passionis suæ rogavit Patrem, dicens: „ Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas. Sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum. Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate. Non pro his autem rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me: ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, & ipsi in nobis, unum sint; ut mundus credat, quia tu me misisti. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis; ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Ego in eis, & tu in me; ut sint consummati in unum; & cognoscat mundus, quia tu me misisti, & dilexisti eos, sicut & me dilexisti. Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, & illi sint mecum; ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi; quia dilexisti me ante constitutionem mundi. „ Quando autem perficietur ista tanta & tam sublimis unitas, Apostolus diligentissime ostendit, dicens: „ Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur; unusquisque autem in suo ordine, primitiæ Christus, deinde hi qui sunt Christi, qui in adventu ejus crediderunt. Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo & Patri, cum evacuaverit omnem principatum, & potestatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat inimicos suos sub pedibus ejus. Novissima autem inimica destruetur mors. Omnia enim subjecit sub pedibus ejus. „ *Et iterum*: „ Ecce mysterium vobis dico. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba. Canet

SAECUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 810.



„ enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & A nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc „ induere incorruptionem, & mortale hoc induere „ immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus „ est: Absorpta est mors in victoria. Ubi est mors „ victoria tua? ubi est mors aculeus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est, virtus vero peccati, lex. Deo autem gratias, qui nobis dedit victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.„ Ad hanc victoriam non pervenitur, nisi certando: quoniam non oportet coronari, nisi qui legitime certaverit.

XII. Hujus unitatis pars, quæ adhuc peregrina- B tur in terra, habet adversantes, contra quos incessanter confligat: quia omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patiuntur. Sunt in primis diabolus & angeli ejus hostes nostri, contra quos armari nos vult Apostolus, dicens: „ Induite vos armatura Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli: quia non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes, & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ, in cælestibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti lorica ju- C stitiæ, & calceati pedes in præparationem Evangelii pacis; in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere; & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei, per omnem orationem, & obsecrationem, orantes omni tempore in spiritu.„ Sunt etiam homines publice persequentes, de quibus ipse Dominus loquitur: *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, & in synagogis suis flagellabunt vos; & ad præsides & ad reges deducemini propter me, in testimonium illis & gentibus*. Sunt quoque D alii persecutores, qui persequuntur inimicitiis, odiis, detractionibus, accusationibus, damnis, rixis, & diversis asperitatibus: contra quos non armis pugnandum est, sed patientia & tolerantia; sicut Apostolus docet nos patientes esse debere ad omnes: & Dominus jubet non resistere malo. *Sed si quis te percusserit in dextera maxilla tua, præbe illi & alteram*. Et iterum: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cælis est*. Et iterum: *Si dimiseritis enim hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater vester cælestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet peccata vestra*. E Sunt etiam inimici fidei, & quibus Apostolus loquitur: *Quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, adtendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium*. Contra quos pugnandum est non armis corporalibus, sed spiritualibus, exemplis videlicet, scripturarum auctoritate, ratiociniis fidei & veritatis. Sunt etiam inimici cotidiani, quos nec loco nec tempore possumus declinare: quos Apostolus enumerat, dicens: „ Desideria carnis non perficiatis. Caro „ enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis. Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege. Manifesta autem sunt opera carnis, quæ „ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum „ servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, „ æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & „ his similia: quæ prædico vobis, sicut prædixi: „ quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.„ Contra quos pugnandum est, non solum ratione, sed & labore, abstinentia, continentia, vigiliis; sicut Apostolus suo nos exemplo informat, dicens: *Castigo corpus meum & servituti subjicio; ne forte aliis prædicans, ipse reprobus efficiar*. Unde & discipulum instruens, & de se jam securus, juxta finem vitæ suæ, ita gloriatur, dicens: „ Tu vero vigila, in omnibus labora, opus „ fac Evangelistæ, ministerium tuum imple. Ego „ enim jam delibor, & tempus resolutionis meæ „ instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo, reposita est „ mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex; non solum autem „ mihi, sed & omnibus qui diligunt adventum „ ejus.„

XIII. Inter hæc omnia caveat fidelis, ne omnino vel in modico in propriis viribus præsumat, sed de Dei adjutorio, ut ad finem bonorum pervenire, vel in bono possit opere perdurare: quia Dominus ait: *Sine me nihil potestis facere*. Et Apostolus: *Deus est qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate*. Et iterum: *Gratia salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis*. Et iterum: *Non quod idonei simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*. Et Dominus: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*. Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo; nulla vero facit homo bona, quæ non Deus præstet ut faciat homo. Suam namque voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo displicet. Quando autem ita faciunt quod volunt, ut divinæ serviant voluntati; quamvis volentes agant quod agunt, illius tamen voluntas est a quo & præparatur & jubetur quod volunt. Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius dono, non quales sumus nostro merito. Sua bona Deus prævidet, præscit, adjuvat, & remunerat in nobis. Nemo bonus nisi solus Deus, qui non est alterius bono bonus. Homines autem, non proprio, sed Dei bono, sunt boni; qui est fons & origo bonitatis; immo qui est bonitas: a quo omne bonum, & sine quo nihil boni.

XIV. Hæc est fides & spes catholicæ Ecclesiæ, quæ est columna & firmamentum veritatis, in lege & prophetis, psalmis & hymnis prædicata, per apostolos evangelizata, per martyres testificata, per doctores exposita. Quicquid huic fidei contrarium invenitur, & quæque dissona & discrepantia, inepta sunt, & profana, atque inaniloquia, quæ multum proficiunt ad impietatem, ac per hoc doctrina dæmoniorum & antichristorum, de quibus Apostolus ait: *Filioli, novissima hora est; & sicut audistis quia Antichristus venit, nunc Antichristi multi facti sunt*. De quibus alius Apostolus: *Hi sunt murmuratores querelosi, secundum desideria sua ambulantes, & os illorum loquitur superbiam, quorum omnium caput est Antichristus*. De quo Apostolus: „ Rogamus vos autem, fratres, per adventum Domini „ nostri Jesu Christi & nostræ congregationis in „ ipsum, ut non cito moveamini a vestro sensu, „ neque terreamini, neque per spiritum, neque „ per sermonem, neque per epistolam tamquam

per nos missam, quasi instet dies Domini. Ne quis vos seducat illo modo. Quoniam nisi venerit discessio primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus. Non retinetis quod cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis? Et nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore. Nam mysterium jam operatur iniquitatis: tantum ut qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat. Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, & destruet inlustratione adventus sui eum; cujus est adventus secundum operationem satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis, his qui pereunt, eo quod caritatem veritatis non receperunt ut salvi fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, & judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. ,, De hoc tempore & Dominus in Evangelio ait: ,, Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo; neque fiet. Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro; sed propter electos breviabuntur dies illi. Tunc si quis vobis dixerit, Ecce heic Christus, aut illic, nolite credere. Surgent eum pseudochristi & pseudoprophetæ; & dabunt signa magna, & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Ecce prædixi vobis. ,, De Antichristo & Daniel propheta sic dicit: ,, Sermones contra Excelsum loquetur, & sanctos Altissimi conteret, & putabit quod possit mutare tempora & leges, & tradentur in manu ejus usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis. Et judicium sedebit, ut auferatur potentia, & conteratur, & dispereat usque in finem. Regnum autem, & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cælum, detur populo sanctorum Altissimi, cujus regnum sempiternum est. ,; *Et iterum*: ,, De uno autem ex eis egressum est cornu unum modicum; & factum est grande contra meridiem, & contra orientem, & contra fortitudinem; & magnificatum est usque ad fortitudinem cæli; & dejecit de fortitudine, & de stellis, & conculcavit eas. Et usque ad principem fortitudinis magnificatum est, & ab eo tulit juge sacrificium, & dejecit locum sanctificationis ejus. Robur autem datum est contra juge sacrificium propter peccata; & prosternetur veritas in terra, & faciet, & prosperabitur. ,, *Et iterum*: ,, Et post regnum eorum, cum creverint iniquitates, consurget rex impudens facie, & intelligens propositiones; & roborabitur fortitudo ejus, sed non in viribus suis; & supra quam credi potest, universa vastabit, & prosperabitur, & faciet. Et interficiet robustos, & populum sanctorum, secundum voluntatem suam: & dirigetur dolus in manu ejus, & cor suum magnificabit, & in copia rerum omnium occidet plurimos, & contra principem principum consurget, & sine manu conteretur. ,, *Et iterum*: ,, Et faciet juxta voluntatem suam rex, & elevabitur, & magnificabitur adversum omnem Deum; & adversum Deum deorum loquetur magnifica, & dirigetur, donec compleatur iracundia: perpetrata quippe est definitio. Et Deum patrum suorum non reputabit, & erit in concupiscentiis feminarum, nec quemquam deorum curabit, quia adversum universa consurget. ,, *In libro Apocalypsi*: ,, Et vidi de mari bestiam ascendentem, habentem cornua septem, & capita decem, & super cornu ejus decem diademata; & super capita ejus nomen blasphemiæ. Et bestia quam vidi, similis erat pardo, & pedes ejus similes ursi, & os ejus sicut os leonis. Et dedit illi draco virtutem suam, & potestatem magnam. Et vidi unum de capitibus suis quasi occisum in mortem, & plaga mortis ejus curata est. Et admirata est universa terra post bestiam. Et adoraverunt draconem qui dedit potestatem bestiæ; & adoraverunt bestiam, dicentes: Quis similis bestiæ? & quis poterit pugnare cum ea? Et datum est ei os loquens magna, & blasphemiam; & data est illi potestas facere menses quadraginta duos. Et aperuit os suum in blasphemias, ad Deum blasphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus, & eos qui in cælo habitant. Et datum est ei bellum facere cum sanctis, & vincere illos. ,, *Et iterum*: ,, Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra; & habebat cornua duo similia agni, & loquebatur sicut draco. Et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu ejus; & fecit terram & inhabitantes in ea adorare bestiam primam, cujus curata est plaga mortis. Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret cælo descendere in terram in conspectu hominum. Et seduxit habitantes terram, propter signa, quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ. ,, *Et iterum*: ,, Ego tibi dicam sacramentum mulieris, & bestiæ quæ portat eam, quæ habet capita septem, & cornua decem. Bestia quam vidisti fuit, & non est, & ascensura est de abysso, & in interitum ibit; & mirabuntur inhabitantes terram, (quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ a constitutione mundi) videntes quæ erat, & non est. Et hic est sensus, qui habet sapientiam. Septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet, & reges septem sunt. Quinque ceciderunt, unus est, alius nondum venit; & cum venerit, oportet illum breve tempus manere. Et bestia quæ erat, & non est, ipsa octava est, & de septem est, & in interitum vadit. Et decem cornua quæ vidisti, decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tamquam reges una hora accipiunt post bestiam. Hi consilium unum habent & virtutem, & potestatem suam bestiæ tradent. Hi cum agno pugnabunt, & agnus vincet illos: quoniam Dominus dominorum est, & rex regum, & qui cum illo sunt vocati, electi, & fideles. ,, *Et iterum*: ,, Et vidi bestiam, & reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo qui sedebat in equo, & cum exercitu ejus. Et apprehensa est bestia, & cum ipso pseudopropheta qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos qui acceperunt characterem bestiæ, & qui adorant imaginem ejus. Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphuris, & ceteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius. ,, *Et iterum*: ,, Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur satanas de carcere suo, & exiet, & seducet gentes quæ sunt super angelos terræ Gog & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris. Et ascenderunt super altitudinem terræ; & circumierunt castra sanctorum, & civitatem dilectam. Et descendit ignis a Deo de cælo, & devoravit illos; & diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sul-

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 810.

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 810.



„ phuris, ubi bestia & pseudoprophetæ cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.„

XV. Tres heic dicuntur, diabolus videlicet, & bestia, quæ est Antichristus, & Pseudopropheta, quæ omnem potentiam Antichristi ostensura est in signis & prodigiis mendacibus. Et duæ bestiæ, operante diabolo, eminentiores sunt in universo corpore perditorum. Et diabolus quidem est inventor & caussa omnis mali, tamquam hominibus mortaliter viventibus invisibilis. Est & homicida est ab initio. Universa mala quæ operatus est, maxime per homines exercuit & exercet. Illum autem primum malum quod in deceptione primorum hominum perpetratus est, per serpentem fecit; quia nec erat homo, per quem primi homines deciperentur. Per serpentem loquutus Evæ, per Evam Adæ. Deinde per Cain occidit Abel. Et deinceps pullularunt omnia mala, & creverunt iniquitates, & crescunt adhuc, donec perveniant ad summum mali; quando Deo permittente & ordinante adsumturus est sibi diabolus vas aptissimum, hominem videlicet illum damnatum, & perditum, caputque perditorum; qui in tantam excrescet malitiam, ut homo omnium pessimus ostentare se possit, & audiat tamquam sit Deus, & contra universa consurgat, & extollat se ac jactet super omne quod dicitur Deus & quod colitur: ita ut de illo jam dictum sit a Domino: *Non est super terram potestas quæ comparetur ei qui factus est ut nullum timeret. Omne sublime videt. Ipse est rex super universos filios superbiæ.* Ut sciamus de illo dictum esse, superius ostenditur, ubi dicitur: *Cum apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit, neque hasta, neque thorax.*

XVI. Quod autem unum corpus sit omnium perditorum, cujus isdem Antichristus caput sit, superius ostenditur, ubi dictum est: *Membra cohærentia sibi carnium ejus.* Et iterum: *Corpus illius quasi scuta fusilia; compactum squamis se prementibus. Una uni conjungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas: alteri una adhærebit, & tenentes se nequaquam separabuntur.* De quo corpore & capite ejus, id est, diabolo, vel Antichristo, & per Ezechielem Prophetam dicitur: *Ecce ego ad te Pharao rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis: Meus est fluvius, & ego feci memetipsum. Et ponam frænum in maxillis tuis, & adglutinabo pisces fluminum tuorum squamis tuis; & extraham te de medio fluminum tuorum, & universi pisces tui squamis tuis adhærebunt, & projiciam te in desertum, & omnes pisces fluminis tui.* De cujus potentia & „ in Psalmo, secundum Hebraicam tamen translationem, dicitur: „ Impius secundum altitudinem „ furoris sui non requiret, nec est Deus in omnibus cogitationibus ejus. Parturiunt viæ ejus in „ omni tempore. Longe sunt judicia tua a facie „ ejus. Omnes inimicos suos despicit. Loquitur in „ corde suo. Non movebor de generatione in generationem, ero sine malo. Maledictione os ejus „ plenum est, & dolis, & avaritia; sub lingua „ ejus dolus & iniquitas. Sed & insidiatur juxta „ vestibula in absconditis, ut interficiat innocentem. Oculi ejus robustos circumspiciunt; insidiatur in abscondito, quasi leo in cubili. Insidiatur ut rapiat pauperem, dum adtraxerit eum „ ad rete suum, & confractum subjicit, & irruet „ viribus suis valenter.„

XVII. Hoc corpus diaboli atque Antichristi, quale in præsenti sit, & quid illi in futuro maneat, demonstratur in alio Psalmo, ubi dicitur: *Quid gloriaris in malitia, qui potens es iniquitate?* & cetera. De hoc corpore perditorum loquitur & liber qui inscribitur Sapientiæ, qualiter in fine temporum oppressum æternis miseriis gerat feram & infructuosam pœnitentiam, dicens: *Tunc stabunt justi in magna constantia*, & cetera quæ subsequuntur. *Ergo erravimus a via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non ortus est nobis. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis; & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia, aut quid divitiarum jactantia contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra, & tamquam nuntius percurrens, & tamquam navis quæ pertransiit fluctuantem aquam.* Quod autem ex angelis & hominibus perditis unum corpus sit, uno cruciatui deputatum, Dominus ostendit in Evangelio, ubi ait se dicturum in judicio: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus.* De hoc cruciatu malignorum angelorum & hominum Esaia propheta in fine libri sui ait: *Egredientur* (haud dubium quin sancti) *& videbunt cadavera virorum qui prævaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non exstinguetur, & erunt usque ad satietatem visionis omni carni.* Hæc pœna & locus pœnarum nominatur in Evangelio tenebræ exteriores, ubi jactatur servus ille qui non arguitur de fraude, sed de inutilitate, quia acceptum talentum negotiando multiplicare noluit; & alter, qui ad nuptias vestitus veste nuptiali non interfuit, ligatis manibus & pedibus projicitur. Ipse locus frequenter in Scripturis nominatur Infernus; sicut est illud in Parabolis: *Semita vitæ super eruditum, ut declines de inferno novissimo:* & Ezechias Rex justus Domino ait: *Non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te.* Et in Psalmo: *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Et iterum: *Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum.* Et beatus Job: *In profundissimum*, ait, *infernum descendunt omnia mea.* Nominatur & aliis nominibus, sicut isdem beatus Job iterum ait Domino: *Dimitte ergo me ut plangam paullulum antequam vadam, & non revertar, ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine; terram miseriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Quid enim terræ tenebrosæ nomine nisi terra tartari clausa signatur? Nec immerito infernus terra dicitur: quia quicumque ab eo capti fuerint, stabiliter tenentur. Ergo qui a conspectu districti judicis expulsus tenetur, miseriæ & tenebrarum terra cohibetur: quia foris dolor cruciat quos divisos a vero lumine intus cæcitas obscurat: transactorum illa ultrix flamma vitiorum concremationem, & lumen non habet.

XVIII. Sciendum tamen quia sicut *in domo patris mansiones multæ sunt pro diversitate virtutis;* sic damnatos diverso supplicio, gehennæ ignibus subicit disparilitas criminis: quæ scilicet gehenna, quamvis cunctis una sit, non tamen cunctos una eademque qualitate succendit: quæ tamen supplicia in se demersos & ultra vires cruciant, & in eis vitæ subsidium exstinguentes servant; ut sic vitam terminus puniat, quatenus semper sine termino cruciatus vivat, quia & ad finem per tormenta properat, & sine fine deficiens durat. Fit ergo miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu, quia & mors vivit, & finis semper incicipit, & deficere defectus nescit; quamvis illic

ignis & ad consolationem non lucet; & tamen ut magis torqueat ad aliquid lucet. Nam sequaces quoque suos secum in tormento reprobi flamma inlustrante visuri sunt, quorum amore deliquerunt: quatinus qui eorum vitam carnaliter contra præcepta conditoris amaverant, ipsorum quoque eos interitus in augmento suæ damnationis affligat. Hic locus suppliciorum dicitur & lacus, sed in quo non est aqua, sicut per Zachariam dicitur: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua*. Et per Ezechiam regem justum: *Non exspectabunt, qui descendunt in lacum, veritatem tuam*. Dicuntur novissima laci, & fundamenta laci, & novissima abyssi.

XIX. Vos ergo abluti aqua baptismatis, & honorati nomine Christiano, signoque salutis signati, pensate attente, & perpendite diligenter, si habemus quod merito timeamus, si est quod omni sollicitudine mentis cavere debeamus; & inde cogitare nullatenus negligamus, sicut & sacer psalmus docet, dicens: *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo*. Et iterum: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper*: & non solum mentes nostras cogitando, sed & linguas nostras loquendo, ibi occupemus. Cetera pericula temporalia quanto minora sunt, tanto minus nos sollicitent. Ista autem quanto majora sunt, tanto magis nos conturbent & contristent, & profundis doloribus, suspiriis, atque gemitibus compungant; ut fiat nobis quod scriptum est: *Confige Domine timore tuo carnes meas: a judiciis enim tuis timui*. Pensate fideliter quod beatus Job de se fatetur, dicens: *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus ejus ferre non potui*. Si ille qui sic timebat, potuit umquam vanis cogitationibus occupare mentem, aut otiosis verbis linguam; circumferte oculos mentis vestræ per vicinas regiones, & considerate mortales nostris temporibus. Ad quid eos videtis vacare? quid cogitare, loqui, & facere? quanti sunt qui conentur agere quod Apostolus præcipit, dicens: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; sed si quis bonus est ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus*. Et iterum: *Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes, & commonentes vosmetipsos psalmis, hymnis, canticis spiritalibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu, gratias agentes Deo & Patri per ipsum*. Et iterum: *Quid ergo est, fratres? Cum convenitis, unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant*. Et iterum: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud aliquid facitis, omnia in gloria Dei facite*. Vere omnino, sicut Dominus ait: *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona*. Sicut ergo verissimum est quia qui thesaurum bonitatis habet in corde, non potest aliter nisi ut bona cogitet & loquatur; ita qui inania & inutilia loquitur, demonstrat se inanem & vacuum esse a gratia spiritali. Nam si non esset, curreret; & proculdubio se audientes ædificaret in fide & gratiarum actione ad gloriam Dei.

XX. [1]Ecce audistis nunc & bona, quæ ex toto corde amare & desiderare debeatis; audistis & mala, quæ ex tota virtute & omni conamine fugere debeatis. Propter quod pensate quem locum habere

A possit inter utrumque periturarum rerum amor, & transitorii damni & periculi timor. Sciendum omnino, quia sicut amare inlicita aut immoderata bona temporalia, peccatum est; ita timere inordinate, peccatum omnino est; & tam grande peccatum, ut inter cetera peccata annumeretur, & a regno cælorum excludat, & æternis pœnis addicat, sicut in Apocalypsi legitur: *Timidis autem, & incredulis, & exsecratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardente igne & sulphure, quod est mors secunda*. Beatus quoque Petrus Apostolus non solum docet non timendum persecutores, sed nec læsionem putare quicquid mali perse-

B cutores inferre possunt, duo conjungens testimonia Psalmi & prophetæ Esaiæ, dicens: *Oculi Dei sunt super justos, & aures ejus ad preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala*. Et, *Quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis?* Hoc ipsum & per Prophetam Dominus præcepit, dicens: *Nolite timere opprobria hominum, & blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis; & sicut lanam, sic devorabit eos tinea. Salus autem mea in sempiternum erit*. Similiter & per semetipsum in Evangelio jubet: *Nolite timere*, inquiens, *eos qui corpus occidunt, & post hæc non habent amplius quid faciant*.


C XXI. Non timere autem corporis persecutores magnum Dei esse munus Dominus ostendit, cum loquitur ad Hieremiam, dicens: *Tu ergo accinge lumbos tuos, & surge, & loquere ad eos omnia quæ ego præcipio tibi. Ne formides a facie eorum: nec enim timere te faciam vultum eorum. Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum, super omnem terram*. Similiter & ad Ezechielem: *Ecce dedi*, ait, *faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum, ut adamantem, & ut silicem, dedi faciem tuam. Ne timeas eos, neque metuas a facie eorum; quia domus exasperans est*. Et quia timere inimicum, qui solum corporale

D damnum inferre potest, grave crimen est; idcirco instruit nos psalmus ita orandum: *Exaudi, Deus, orationem meam, cum deprecor: a timore inimici eripe animam meam*. Quasi dicat: A timore inimici libera me, & subde timori tuo. Tale est quod in alio psalmo dicitur: *Quoniam multi bellantes adversum me, ab altitudine diei timebo, ego vero in te sperabo*. Quod sic accipiendum est, quasi diceret: Multi quidem pugnant contra me. Ego autem auxilio gratiæ tuæ firmatus, sperans in te, non multitudinem eorum, sed tuum excelsum timebo lumen. Illi ergo qui bellantur adversum me, non possunt penetrare altitudinem diei, cujus Apostoli duodecim sunt ore [2] fulgentes.

E XXII. Qui autem veraciter in Domino confidunt, securi se dicunt in Deo: *Laudabo sermones meos, in Deo speravi. Non timebo quid faciat mihi caro*. Et iterum: *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo*. Quis enim accusabit adversus electos Dei, ut ait Apostolus? Et iterum: *Quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? (sicut scriptum est: Quia pro te mortificamur tota die, æstimati sumus ut oves occisionis:) sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos*. Perfecte itaque Christiani non solum non timent tribulationes, verum etiam glo-

[2] Forte *hora*.

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 810.



riantur in tribulationibus; scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit: quia caritas Dei diffusa est in cordibus eorum per Spiritum sanctum, qui datus est eis; & omne gaudium existimant, cum in tentationes varias incidunt: absque ulla ambiguitate noverunt se tribulationibus & angustiis constari, examinari, & purgari, sicut aurum & argentum in fornace ignis, non sicut paleas, aut fœnum. Quia ad hoc illis ignem tribulationis adhibet Pater cœlestis, ut sordes abluat, non ut in cinerem convertat. Sanctorum itaque vox est in psalmo dicentium: *Quoniam probasti nos, Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra. Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Hæc omnia patiuntur variis persecutionibus. Tolerant plerumque superiores, quasi super capita impositos, quos noverunt esse pejores. Tolerant autem, non solum tribulationes, sed & tentationes, quasi ignem & aquam, per adversa scilicet & prospera. Cavent omnino ne eos aut ignis exurat, aut aqua corrumpat. Transeuntes autem per ignem & aquam, hoc est, per prospera & adversa, educuntur in refrigerium; ubi jam nullum timent inimicum, nullam sustinent molestiam, quia perpetuum refrigerium & perpetua quies perseverat.

XXIII. Ut autem ad hoc perveniant, quid agendum est omnibus fidelibus inter tot mala & transitura & mansura, toleranda & fugienda, nisi quod Dominus & Redemtor noster, liberator, & moderator, cum de ultimis tribulationibus instrueret discipulos, præcepit, dicens: *Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante filium hominis.* Similiter & cum de sua jam instanti passione eos moneret, dicit: *Orate ne intretis in tentationem.* Nam & antea interrogatus a Pharisæis quando venit regnum Dei, cum respondisset, subjunxit, dicens: *Quoniam oportet semper orare, & non deficere:* ostendens hoc per parabolam de judice duro, & vidua interpellante importune. Nam & in alio loco, cum per parabolam diceret quemdam importune rogantem impetrasse commodo dari sibi panes a quodam, subjecit, dicens: *Et ego vobis dico, Petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur.* Et post paullulum: *Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quanto magis Pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se?*

XXIV. De qua re, id est, assiduitate vel potius importunitate orationum, quam solliciti & intenti esse debeant fideles, plena est omnis sacra scriptura novi & veteris testamenti exemplis & præceptis, in quibus (quod incomprehensibile est hominibus) aliqua quæ omnipotens Deus promisit futura, sic distulit, ut orationibus obtinerentur. Unde & Petro apostolo detento ab Herode, & in carcere truso, oratio ab Ecclesia fiebat sine intermissione ad Deum. Et Paullus exhortatur auditores suos, dicens: *Orantes omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia & obsecratione, pro omnibus sanctis, & pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere mysterium Evangelii, pro quo legatione fungor in catena ista, ita ut in ipso audeam prout oportet me loqui.* Et in alio loco similiter: *Orationi instate*, ait, A *vigilantes in ea gratiarum actione; orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi (propter quod etiam vinctus sum) ut manifestem illud, ita ut oportet me loqui.*

XXV. Quod autem non tantum pro se unusquisque, aut pro sanctis, debeat sollicitus esse in oratione, sed & pro omnibus hominibus, idem beatus Paullus sic ostendit, præcipiens: *Obsecro igitur primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & castitate.* Quod vero non solum in omni B tempore, sed & in omni loco, hoc fieri debeat, ostendit, post pauca subjungens: *Volo ergo viros orare omni loco, levantes puras manus sine ira & disceptatione. Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate.*

XXVI. Sciendum ante omnia, quia oratio sicut esse debet sine ira & disceptatione, ita & sine hæsitatione, cum tota fiducia & fide. Quod in multis quidem locis ostenditur; sed præcipue in illo, ubi Petrus Domino dicit: *Rabbi, ecce ficus, cui maledixisti, aruit. Et respondens Jesus, ait illis: Habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti. Tolle te & mitte te in ma-* C *re, & non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit quia quodcumque dixerit fiat, fiet ei. Propterea dico vobis, omnia quæcumque orantes petieritis, credite quia accipietis, & venient vobis.* Hoc modo orandum & beatus Jacobus apostolus admonet, dicens: *Si quis sapientiam postulet a Deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat, ei dabitur. Postulet autem in fide nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, similis est tempestati maris, quæ a vento movetur, & circumfertur. Non ergo æstimet ille homo quod accipiat aliquid a Domino. Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis.* Tantam fidem & fiduciam præstat magna multitudo dulcedinis Dei, cui in alio psalmo dicitur: *Quia tu Domine* D *suavis & mitis, & multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.* Et nobis per Prophetam dicitur: *Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt liberos, & omne onus disrumpe. Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam justitia tua, & gloria Domini colliget te. Tunc invocabis, & Dominus exaudiet te; clamabis, & dicet: Ecce adsum.* In quibus versibus aperte demonstrat, quod qui pie audit Dominum, misericorditer auditur a Domino. Sed hos propheticos versus alia translatio sic inchoat: *Dissolve obligationes violentarum cau-* E *tionum, dimitte fractos in remissionem, & omnem scripturam iniquam conscinde, & in fine, adhuc loquente te, dicet, Ecce adsum.* Quod valde necesse est, ut prædicetur, audiatur, & impleatur.

XXVII. Hanc multitudinem dulcedinis suæ omnipotens & misericors Dominus per Ezechielem prophetam annuntiat clementer, & dicit: *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum & spiritum novum. Et quare moriemini, domus Israel? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus. Revertimini, & vivite.* Sic & per Esaiam ostenditur, cum dicit: *Derelinquat impius viam suam, & vir*

iniquus cogitationes suas , & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus , & ad Deum nostrum , quoniam multus est ad ignoscendum. Hanc suavitatem misericordiæ suæ Dominus nobis offert per eumdem Prophetam , dicens : *Memento horum Jacob & Israel , quoniam servus meus es tu . Formavi te , servus meus es tu , Israel , non oblivisceris mei : delevi ut nubem iniquitates tuas , & quasi nebulam peccata tua : revertere ad me , quoniam redemi te* . Et iterum : *Ego sum , ego sum ipse , qui deleo iniquitates tuas propter me , & peccatorum tuorum non recordabor* .

XXVIII. Qui autem has dulcissimas vocationes Dei neglexerint in præsenti tempore , dum inveniri potest , & dum prope est , & venerit tempus jam non operandi , sed recipiendi unumquemque secundum opera sua , audiens amaras improperationes : *Vocavi , & renuistis ; extendi manus meas , & non fuit qui aspiceret . Despexistis omne consilium meum , & increpationes meas neglexistis . Ego quoque in interitu vestro ridebo* . Tunc erit eis illa infructuosa conversio , de qua Dominus per prophetam loquitur omnibus dicens : „ Convertimini , & „ videbitis quid sit inter justum & impium , & „ inter servientem Deo & non servientem ei . Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus ; & „ erunt omnes superbi , & omnes facientes impietatem , stipula : & inflammabit eos dies veniens , „ dicit Dominus exercituum , quæ non relinquet „ eis radicem & germen . Et orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ , & sanitas in „ pennis ejus , & egrediemini , & salietis sicut vituli de armento , & calcabit impios , cum fuerint „ cinis sub planta pedum vestrorum in die qua ego „ facio , dicit Dominus exercituum . „

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 810.

DE DIVISIONE IMPERII FRANCORUM

inter filios Ludovici Imperatoris,

AGOBARDI FLEBILIS EPISTOLA.

I. DOmino gloriosissimo Ludovico Imperatori Agobardus servulus. Cum unusquisque fidelis omni fideli fidei sinceritatem debeat , dubium non est quod præcipue fideli Prælato , cui res publica ad gubernandum commissa est , fides servanda sit ab omnibus , qui divinæ dispositioni fideliter subjecti sunt , sicut Apostolus docet : *Omnis* , inquiens , *anima potestatibus sublimioribus subdita sit* . Quamquam circa nullum infideliter agendum sit . Propter quod & alius Apostolus dicit : *Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum* : & docemur orare pro omnibus hominibus , pro regibus , & his qui in sublimitate sunt , ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate . Et in alio loco dicitur : *Ideo necessitate subditi estote , non solum propter iram , sed etiam propter conscientiam* .

II. Cum autem hæc ita sint , & omnes vobis fideles esse debeant , quomodo quisquam fidelis vobis esse poterit , si videns aut intelligens vestrum periculum , non se ingerit , quantum potest , ut vobis indicet , & cognitum faciat ; si tamen locus aut facultas penitus illi non denegatur ? Testor omnipotentem Deum , qui scrutator est cordium & renum , quia nulla alia exstat caussa , pro qua hæc scribere præsumo , nisi quia doleo , quantum dicere non possum , de periculis quæ vobis imminere videntur , & maxime animæ . Nam quanto excellentior substantia est anima corpore , tanto excellentiori sollicitudine curam animæ gerere debemus , quam corporis ; ita Domino docente in Evangeliis , sicut ipsi optime nostis .

III. Anno itaque [1] præsenti , in attritione & commotione , agitatione & afflictione terræ & habitantium in ea quanta mala increbuerint , nemo hominum est qui enumerare possit , nulla exigente caussa , nulla compellente necessitate ut ita fieri oporteret certamina , quæ tenemus : quia si voluissetis , tranquillam & quietam vitam ageretis cum filiis vestris , non minus quam pater vester , & avus . Adsit omnipotens & misericors Deus , qui habitator est pectoris vestri , adsit etiam patientia vestra , qua ceteros homines præcellitis , ut hæc quæ suggero , tranquille audire & perpendere dignemini .

IV. In illo tempore , quando filium vestrum participem [2] nominis vestri facere curastis , ita in publicum vestrum interrogando hoc inchoastis , dicentes : Quod ad stabilimentum regni pertinet , & ad robur regiminis , debet homo differre , an non ? Cumque omnes respondissent quod utile & necessarium est , non esse differendum , sed potius accelerandum ; statim vos , quod cum paucissimis tractaveratis , omnibus aperuistis ; & dixistis vos velle propter fragillitatem vitæ , cui incerta est mors , ut dum valeretis , nomen Imperatoris uni ex tribus filiis vestris imponeretis , in quo voluntatem Dei quoquomodo cognoscere potuissetis . Propter quam cognoscendam injunxistis ut facerent omnes jejunium triduanum , offerrent sacerdotes sacrificia omnipotenti Deo , qui suavis & mitis & multæ misericordiæ est omnibus invocantibus se ; fieret quoque ab omnibus eleemosyna per illud triduum solito largior ; ut omnipotens Deus , qui summa benignitate regit corda in se sperantium , infunderet in corde vestro voluntatem suam , & non sineret super alium inclinari voluntatem vestram , nisi super eum qui sibi placuisset . Itaque perfecistis omnia quæ in tali re facienda erant , tali fide & spe , ut hoc a Deo vobis infusum & inspiratum nemo dubitaret . Ceteris filiis vestris designastis partes regni vestri ; sed ut unum regnum esset , non tria , prætulistis eum illis quem participem nominis vestri fecistis ; ac deinde gesta scribere mandastis , scripta signare , & roborare , & consortem nominis vestri factum , Romam misistis a Summo Pontifice gesta vestra probanda & firmanda ; ac deinde jurare omnes jussistis ut talem electionem & divisionem cuncti sequerentur , ac servarent . Quod juramentum nemini visum est spernendum , aut superfluum , sed potius opportunum , atque legitimum , eo quod ad pacem & concordiam perti-

1. Nempe 833. quo Ludovicus contra filios exercitum collegit.

2. Accidit anno 817. teste Eginhardo.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 810.

nere videretur. In processu quoque temporis, quotienscumque aut quocumque Imperiales litteræ mitterentur, amborum Imperatorum nomina continebant. Postea vero mutata voluntate, convulsa sunt statuta, & de litteris nomen omissum est, & in omnibus contraria attentata sunt; cum neque per seipsum Deus, neque per angelum, neque per Prophetam vobis dixerit, *Pœnitet me ita constituisse*, sicut de Saule dixit Samueli: adhuc quoque nescitis qualiter in secretis Dei consiliis definitum sit. Et ecce, sine ulla ratione & consilio, quem cum Deo elegistis, sine Deo repudiatis, & cujus voluntatem in eligendo quæsistis, non exspectato exitu voluntatis ejus, rem probatam reprobatis. Non ignorat prudentia vestra, quod sequendus est Deus, non B præcedendus. Nam qui præcedere vult, tentat quod non est ex fide, dicente ipso Domino: *Non tentabis Dominum Deum tuum.*

V. Oro, domine mi, adsit benignissima pietas vestra, ne aspernanter ista accipiatis; sed potius ingredimini sacrarium mentis vestræ cum Deo, & loquimini cum illo mediante fidei pietate; & invenietis vos dixisse Deo, non verbis, sed rebus: Domine, rogavimus & deprecati sumus faciem respectus tui suppliciter, ut tua inluminatione & gubernatione eligeremus participem Imperii: sed quia tecum bene non fecimus, sine te melius consilium invenimus. Absit, absit. Avertat Deus a vobis ut C inspirationem Dei repudietis, & voluntatem hominum carnalia tantum sapientium statuatis, ut in errorem inducamini, & deducamini. Obsecro clementiam vestram, ut secundum a Deo vobis conlatam prudentiam perpendatis quomodo beatus Jacobus Apostolus reprehendat eos qui propriis animorum motibus proponunt aliqua se facturos sine prospectu divinæ permissionis, dicens: *Ecce nunc qui dicitis, hodie aut cras ibimus in illam civitatem, & faciemus quidem ibi annum, & mercabimur, & lucrum faciemus: qui ignoratis quid erit* A *in crastinum. Quæ enim est vita vestra? Vapor est ad modicum parens, deinceps exterminabitur. Pro eo ut dicatis: Si Dominus voluerit, &, Si vixerimus, faciemus hoc, aut illud.* Et cavete ab hominibus qui sequuntur spiritum suum, quia non omnium est fides.

VI. Cognovit Dominus qui sunt ejus; & quicumque ejus sumus, quantulacumque veritatis luce fruimur, & veritate inluminante sinceriter vos amamus, fideliter vestram sempiternam felicitatem exoptamus; & idcirco tanta mala tanta scelera isto anno ex hac occasione perpetrata dolemus, & timemus valde ne in vos furor Dei concitetur. Recordamur namque ardentissimæ religionis vestræ, quam cognovimus semper in assiduitate orationum, in psalmis & hymnis & canticis spiritalibus cantantem & psallentem Deo in corde puro, in contritione cordis, in compunctione placidæ mentis, in sollicitudine misericordiarum, & omnium bonorum strenuitate. Et ideo, ut dictum est, timendum nobis videtur, ne tepescat, ne frigescat, optandum vero ut fervescat & augeatur perseverando usque in finem, ut salus sempiterna sequatur.

VII. Et quia superius de legitimo & opportuno juramento mentio facta est, videtur mihi non celandum excellentiæ vestræ, quod multa murmuratio est nunc inter homines propter contraria & diversa juramenta, & non sola murmuratio, sed & tristitia, & detractio adversum vos: quod mihi usquequaque displicet: quorum murmuratio ad illud pertinere eis videtur quod beatus Hieronymus in expositione Hieremiæ dicit in illo loco ubi propheta ait: *Et jurabis: Vivit Dominus, in veritate & in judicio & justitia.* Ait ergo prædictus Doctor: *Simulque animadvertendum, quod jusjurandum hos habeat comites, veritatem, judicium, atque justitiam. Si ista defuerint; nequaquam erit juramentum, sed perjurium.*

DE COMPARATIONE

Utriusque regiminis Ecclesiastici & Politici, & in quibus Ecclesiæ dignitas præfulgeat Imperiorum majestati.

I. DOmno clementissimo & Christianissimo ac D per hoc omni laude dignissimo Imperatori Ludovico Agobardus. Jubet vestra prudentissima sollertia contra commotiones hujus [1] temporis paratum esse utrumque ordinem, militarem videlicet, & ecclesiasticum; id est, & eos qui seculari militiæ, & illos qui sacris ministeriis inserviunt; & illos quidem ad certandum ferro, istos autem ad disceptandum verbo; ut similes similibus obsistere valeant. In qua re summopere sciendum est, quod in congressione armorum plus exspectanda est justitia superni regiminis, quam robur brachiorum; in altercatione autem sermonum plus exspectanda est veritas, quam copia verborum. Propter quod orandum est ab omnibus tota intentione mentis, ut E ille de quo vos dicitis, *Dominus inluminatio mea & salus mea*, quia inluminatio vestra est, inlustret faciem suam super vos; & quia salus vestra est, salvum vos faciat in sua misericordia, ut huic orationi congruenter vos subjungatis: *Domine, non confundar, quoniam invocavi te.*

II. Ego igitur servulus vester, cum cognovissem ex vestro sacro Præcepto jussum mihi esse ad vestram præsentiam properare ita paratum, ut cum ceteris ecclesiasticis viris contra injustos reprehensores justæ reprehensionis oppositionem adhibere possem, visum mihi est ut in Dei & vestro servitio, de anteriorum patrum actibus & sensibus hæc verba, quæ subteradnexa sunt, gloriosissimæ excellentiæ vestræ mitterem; quatinus sancta religio vestra pie perpendere dignetur, cujus reverentiæ debitores estis ad vestrum cotidianum profectum erga Sedem Apostolicam. Denique beatus Pelagius papa, cum quosdam redargueret episcopos, eo quód nomen ejus reticerent in actione sacri mysterii, id est, in solemniis Missarum, (in principio scilicet, ubi dicere solemus, *in primis quas tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum, una cum famulo tuo Papa nostro*) ait ad eosdem Episcopos: " Divisionem vestram a generali Ecclesia, " quam tolerabiliter ferre non possum, vehemen-

[1] Anni nempe 833.



„ ter stupeo. Cum enim beatissimus Augustinus, A „ dominicæ sententiæ memor, quæ fundamentum „ Ecclesiæ in apostolicis sedibus conlocavit, in schis- „ mate esse dicat quicumque se a præsulum earum- „ dem sedium auctoritate vel communione suspen- „ derit, nec aliam manifestet esse Ecclesiam, nisi „ quæ in pontificalibus apostolicarum sedium est „ solidata radicibus; quomodo vos ab universi or- „ bis communione separatos esse non creditis, si „ mei inter sacra mysteria secundum consuetudi- „ nem nominis memoriam reticetis, in quo, licet „ indigno, Apostolicæ Sedis per successionem epi- „ scopatus præsenti tempore videtis consistere firmi- „ tatem. „

III. Beatissimus quoque Leo Papa ad universos Viennensis provinciæ Episcopos de auctoritate & privilegio Apostolicæ Sedis ita scribit: " Divinæ „ cultum religionis, quem in omnes gentes, omnes- „ que nationes, Dei voluit gratia coruscare, ita „ Dominus noster Jesus Christus humani generis „ salvator instituit, ut veritas quæ antea Legis & „ Prophetarum præconio continebatur, per aposto- „ licam tubam in salutem universitatis exiret, si- „ cut scriptum est: *In omnem terram exivit sonus* „ *eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Sed „ hujus muneris sacramentum ita Dominus ad omni- „ um Apostolorum officium pertinere voluit, ut „ in beatissimo Petro Apostolorum omnium sum- C „ mo principaliter conlocaret, ut ab ipso, quasi „ quodam capite, dona sua velut in corpus omne „ diffunderet, ut exsortem se mysterii intelligeret „ esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate „ recedere. Hunc enim in consortium individuæ „ unitatis assumtum, id quod ipse erat, voluit „ nominari, dicendo: *Tu es Petrus, & super hanc* „ *petram ædificabo Ecclesiam meam*; ut æterni tem- „ pli ædificatio mirabili munere gratiæ Dei in Pe- „ tri soliditate consisteret; hanc Ecclesiam suam „ firmitate corroborans, ut illam nec humana te- „ meritas posset appetere, nec portæ contra illam „ inferi prævalerent. Verum hanc petræ istius sa- „ cratissimam firmitatem Deo, ut diximus, ædifi- D „ cante constructam, nimis impia vult præsumtio- „ ne violare, quisquis ejus potestatem tentat in- „ fringere, favendo cupiditatibus suis, & id quod „ accepit a veteribus non sequendo. „ Hæc bea- tus Leo; sed & alii multi hujusmodi docentes, ut illius stabilis petræ sempiterna soliditas, super quam Dominus Salvator noster propriam fundavit Eccle- siam, a solis ortu usque ad occasum primatus sui apicem successorum suorum auctoritate tam per se quam per vicarios suos firmiter obtineret. Ex qui- bus beatus Anastasius papa ad Imperatorem scri- bens, docet quod pro Christo fungatur legatione, qui pro pace precatur Ecclesiæ; & ipsum Impera- torem admonet, ut constitutis apostolicæ Sedis ob- temperet.

IV. Certe, clementissime domine, si nunc Gre- gorius papa inrationabiliter & ad pugnandum ve- nit, merito & pugnatus & repulsus recedet. Si au- tem pro quiete & pace populi & vestra laborare nititur, bene & rationabiliter obtemperandum est illi, non repugnandum. Si enim quod vestra vo- luntate & potestate cum consensu totius imperii ve- stri factum est, & postea in apostolica Sede robo- ratum, hoc vult in pristinum reducere statum, sa- tis rationabilis & opportunus est ejus adventus. Quia nullatenus quod ita est constitutum a vobis, debetis mutare. Nec enim sine gravi periculo & reatu animæ fieri potest.

V. In his sacratissimis diebus Paschalibus perla- B tæ sunt ad me litteræ istius apostolici, præcipien- tes ut jejunia & orationes cum abstinentia facere- mus, si forte omnipotens Dominus effectum cona- tui ejus præstare dignetur; quatinus apud vos ob- tineri possit, ut pax & concordia pristina domui & regno vestro restituatur. Quod ego audiens, compunctus, faciem cordis mei, quantum valui, ad Jesum Christum Dominum nostrum levavi, ve- hementer exoptans ut sine sanguinis effusione tam injustus tumultus per benignissimam omnipotentiam ejus sedaretur.

VI. Dignetur sublimis prudentia vestra pie per- pendere quod Apostolus dicit: *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa*. Quæ pericula beatus papa Gregorius suo jam tempore, quando adhuc status idem multo & incomparabiliter melior erat quam nunc, ita deplorat, dicens: „ Tantis quip- „ pe in hoc loco hujus mundi fluctibus quatior, „ ut vetustam ac putrescentem navem, quam re- „ gendam occulta Dei dispensatione suscepi, ad por- „ tum dirigere nullatenus possim. Nunc ex adver- „ so fluctus irruunt, nunc ex latere cumuli spu- „ mosi maris intumescunt, nunc a tergo tempestas „ insequitur; interque hæc omnia turbatus, cogor „ modo in ipsa clavum adversitate dirigere, modo „ curvato navis latere minas fluctuum ex obliquo „ declinare. Ingemisco, quia sentio quod negligen- „ te me crescit sentina vitiorum, & tempestate for- „ titer obviante, jam jamque putridæ naufragium „ tabulæ sonant. „ Heu, heu! Si tunc jam putre- scebat navis Ecclesiæ, & si ejus tabulæ jam putridæ erant, quid nunc est?

VII. Hæc verba, piissime domine, beatissimi Doctoris propterea ad memoriam vestram reducere præsumsi, ut quia nemo dubitat vos multo & inef- fabiliter plus esse amatorem regni cælestis quam terreni, permansuri quam transituri, & juxta ve- stram sanctam fidem, spem, & caritatem de nullo alio opere potestis tam care Deum placare, quam de sollicitudine & administratione pacis & unitatis Ecclesiæ, vestra sollertissima religio elaboret, ut omnis anima fidelis proficiat in fide & cognitione Dei: quæ res omnibus rebus Deo carior est. Hu- jus rei nisus merita vestra adpropinquare faciat apo- stolicis meritis.



EPISTOLA GREGORII IV. PAPÆ

Ad Episcopos regni Francorum.

„ Romano Pontifici scribentes, contrariis eum in Præfatione nominibus appellastis, Fratrem videlicet, & Papam; dum congruentius esset solam ei paternam reverentiam exhibere. Adventu quoque ejus comperto, lætari vos dicitis, credentes omnibus Principi scilicet subjectis profuturum, & optasse: occursum vestrum nobis non negandum, nisi sacra jussio imperialis præveniret. Quæ verba reprehensibilia sunt: uno quidem modo, quia jussio Apostolicæ Sedis non minus vobis sacra videri debuerat, quam illa quam dicitis imperialem: deinde, quia veritate caret, quod dicitis illam prævenisse: non enim illa prævenit, sed nostra, id est, Pontificalis. Neque ignorare debueratis, majus esse regimen animarum, quod est Pontificale, quam imperiale, quod est temporale. Beatus Gregorius [1] Nazianzenus non hoc timuit coram Imperatoribus in Ecclesia prædicare. Sic enim ipsis Imperatoribus loquitur, dicens: *Suscipitisne libertatem verbi, libenter accipitis quod lex Christi sacerdotali vos nostræ subjicit potestati, atque istis tribunalibus subdit? Dedit enim & nobis potestatem, dedit principatum, multo perfectiorem principatibus vestris. Aut numquid justum vobis videtur, si cedat spiritus carni, si a terrenis cælestia superentur, si divinis præferantur humana?* Quare igitur vos, sicut veri sacerdotes, divini videlicet cultus ministri, non humani, non respondetis Imperatori, cujus sacra vos dicitis jussione præventos, sicut idem beatus Gregorius alloquitur Imperatorem præsentem, dicens: *Patienter, quæso, accipe libertatem nostram. Scio te ovem esse gregis mei a Christo mihi summo pastore annumeratam, & a sancto Spiritu consignatam; scio te inter sacra altaria cum veneratione subjici manibus sacerdotis; scio te beatæ Trinitatis cultum fidemque non tua sed nostra prædicatione servare.* Et post aliqua: *Memento semper quod una tibi natura est eademque substantia cum omnibus qui tibi subjecti sunt. Tu tamen animo esto cum Deo, & non tam dominari te mundo, quam dominari tibi Christum, gloriare.* Quare etiam nunc commorantes cum Imperatore, intermittentes stultissimas adulationes, non ei prædicatis cum beato Augustino dicentes: [2] *Felices dicimus Imperatores, si juste imperant; si inter linguas sublimiter honorantium & obsequia nimis humiliter salutantium non extolluntur, & se homines esse meminerint; si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum majestati ejus famulam faciunt; si Deum timent, diligunt, colunt; si plus amant illud regnum, ubi non timent habere consortes; si tardius vindicant, & ignoscunt; si eamdem vindictam, pro necessitate regendæ tuendæque Reipublicæ, non pro saturandis inimicitiarum odiis exserunt; si eamdem veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent; si quod aspere coguntur plerumque decernere, misericordiæ lenitate & beneficiorum largitate compensant; si luxuria tanto eis castigatior, quanto posset esse liberior; si malunt cupiditatibus quam quibuslibet gentibus imperare. Et si hæc omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter caritatem felicitatis æternæ; si pro suis peccatis humilitatis & miserationis & orationis sacrificium Deo suo vero immolare non negligunt; tales Christianos Imperatores dicimus esse felices interim spe, postea re ipsa futuros, cum id quod exspectamus advenerit.* Vos autem e contrario, quia non vultis esse veri ædificatores, estis proculdubio veri deceptores, sicut scriptum est: *Popule meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.* Deinde, postquam dixistis vos lætatos esse de adventu nostro, iterum intulistis quorumdam relatione magno mœrore affectos: quod utique facit instabilitas mentis. Verum est omnino quoniam qui hæsitat, similis est fluctui maris qui a vento movetur. Sed inter has hæsitationes nimis stolide nos judicatis immemores esse pastoralis officii & districtissimæ moderationis. Deinde, sicut scriptum est: [a] *Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnata;* adjungitis quod omni verecundia dignum est, dicentes nos venire propter quamdam præsumtuosam & omni ratione carentem excommunicationem faciendam; & admonetis nos nimis involutis & confusis sermonibus & sensibus, ut neque nostra voluntate neque alterius hortatu præsumtione prorumpamus; eo quod, ut dicitis, pertineat ad injuriam ac dehonestationem imperialis potestatis, & ad minorationem & reprehensionem nostræ auctoritatis. Dicite, quæso, quæ sunt ista portenta verborum? & quid potius pertinet ad dehonestationem imperialis potestatis, opera digna excommunicatione, an ipsa excommunicatio? Sed quia hæc verba vestra exaggerare laboriosum est, eo quod plena sint nauseæ; tantum illud flagito, ut dicatis quomodo potest fieri, ut manente apostolicæ sedis honore, mea tantum persona in caussa reprehensionis & vituperationis remaneat? Nullo modo enim fieri potest, ut si is qui locum beati Petri tenet, exhonoratur, sine crimine dumtaxat, cathedra ejus honorata permaneat. In tantum autem honoranda est Cathedra pontificalis, & propter Cathedram sedens in illa, ut etiam de Caipha crudelitate & incredulitate impio dicat Evangelista: *Hoc autem a semetipso non dixit: sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit quia Jesus moriturus erat pro gente.* Unde constat etiam impium Caipham propter Cathedram honoratum esse prophetia. Vos autem fidelem & cultorem pietatis pontificem dehonestandum prædicatis absque injuria Sedis: quod omnino falsum est. Bene autem subjungitis, memorem me esse debere jurisjurandi caussa fidei facti imperatori. Quod si feci, in hoc volo vitare per-

a Sap. XVII. 10.

1. Gregor. Nazianz. de Jerem. dictis.

2. Auguft. lib. V. de Civ. Dei cap. XXIV.

SÆCUL. IX.
CIRCA
ANN. CHR.
810.



„ jurium, si annuntiavero ei omnia quæ contra A
„ unitatem & pacem Ecclesiæ & regni commit-
„ tit: quod si non fecero, perjurus ero, sicut &
„ vos: si tamen juravi. Vos tamen, quia procul-
„ dubio jurastis & rejurastis, promittentes ei erga
„ illum omnia fideliter vos agere, & nunc viden-
„ tes illum agere contra fidem, & præcipitari in
„ perniciem, non revocatis eum quantum ex vo-
„ bis est, perjuri estis: quia pro ejus salute se-
„ cundum fidem promissam non laboratis. Deinde
„ promittitis mihi venerabilem receptionem, si
„ tamen ita ad illum venero, ut ejus voluntas est.
„ Hæc non in libris divinis, sed in vestris con-
„ scientiis legitis, quia omnia facitis propter tem-
„ poralem retributionem, eo quod sitis arundines B
„ vento agitatæ, & omnes auræ vos flectant.
„ Pensate, pensate fratres, quam longe est mens
„ vestra ab illa petitione, qua in celebrationibus
„ Missarum soletis dicere Deo, non voluntate,
„ sed voce: *Da nobis pro amore tuo prospera mun-*
„ *di despicere, & nulla ejus adversa formidare*.
„ Nam si ex corde hæc peteretis, jam dedisset il-
„ le qui dicit: *Petite, & dabitur vobis*. Dein-
„ de dicitis illam primam divisionem regni, quam
„ inter filios suos fecerat Imperator, nunc juxta
„ rerum opportunitatem esse mutatam, quod o-
„ mnino dupliciter falsum est: uno quidem mo-
„ do; quia non est opportunitas, sed importuni-
„ tas, eo quod sit caussa & origo conturbationis C
„ & dissentionis, commotionis & deprædationis,
„ & omnium malorum quæ per singula dicere lon-
„ gum est, extra perjuria innumera, & fidei ac
„ pacis expulsiones: alio vero modo; quia nec-
„ dum scitis, utrum sit commutata, an per ve-
„ rum regem & Dominum maneat inlibata. Ista
„ enim commutatio, quam vos dicitis juxta re-
„ rum opportunitatem factam, inde cognoscitur
„ quia non fuerit per Deum, quia multorum pec-
„ catorum origo exsistit. Illud namque quod per
„ voluntatem Dei fit, plerumque caussa est pres-
„ suræ & persecutionis; sicut factum est adversum
„ sanctos Apostolos, & Martyres, qui non propter
„ aliud passi sunt, nisi propter defensionem & con- D
„ firmationem evangelicæ veritatis. Caussa autem
„ peccatorum & scelerum esse non potuit, sicut
„ vestra divisio est, quam dicitis fuisse opportu-
„ tunam. Deinde, quando grandi supercilio dici-
„ tis, quia si reverenter venerimus ad Imperato-
„ rem, per ipsum cognoscemus omnem rei verita-
„ tem, quare opportune & utiliter mutata sit di-
„ visio: hoc loqui cogit vos magnitudo superbiæ,
„ æstimantes solos vos posse rerum cognoscere caus-
„ sas. Vere dico vobis, quia non solum stultus,
„ sed & infelix est, qui non intelligit quantos &
„ quales fructus malorum protulit vestra commuta-
„ tio, & de cujus thesauro maligni cordis proces-
„ sit, & pro qua re vos laudatores & defensores E
„ estis hujus malignitatis. Deinde subjungitis, quia
„ nisi secundum voluntatem vestram venero, non
„ habeo Ecclesias vestras consentaneas, sed in tan-
„ tum contrarias ut nihil mihi in vestris parochiis
„ agere vel disponere liceat, nec quempiam excom-
„ municare vobis obsistentibus. Vere verum est quod
„ Veritas dicit: *Malus homo de malo thesauro cor-*
„ *dis sui profert mala*. Quare mihi contrarii cum
„ Ecclesiis vestris esse debetis in legatione pacis,
„ & unitatis, quod Christi donum & ministerium
„ est? An ignoratis angelorum cantu promissam
„ esse pacem in terra hominibus bonæ voluntatis;
„ per Apostolum autem tribulationem & angustiam
„ in omnem animam hominis operantis malum?
„ Heic apparet quod congruat vobis illud quod
„ Scriptura dicit: *Arma & gladii in via perversi*.
„ Vos conamini obsistere perversitatibus vestris no-
„ bis, qui legatione fungimur pacis. Nam quicum-
„ que inter vos membra Christi sunt, non eum
„ potestis abscindere a corpore capitis, quod est
„ Christus. Nam etsi vos datis operam separandi
„ a corpore vos ipsos, tamen sicut semper fuit,
„ est, & erit; ut unguentum illud, [1] Spiritus vi-
„ delicet sanctus, (qui descendit a capite Christi
„ in barbam, quæ est Apostolorum chorus; & de
„ hac barba in ora vestimenti, quæ est capitium
„ tunicæ, Ecclesiæ scilicet Christi, quod capit ca-
„ put, ut inhabitet Christus per fidem in corde
„ ejus:) in omnibus ubique fidelibus servet unita-
„ tem spiritus in vinculo pacis. Hæc idcirco dici-
„ mus, ut noveritis non vos posse dividere Eccle-
„ siam Gallicanam & Germanicam ab unitate tu-
„ nicæ quæ subjacet capitio, sublimioribus videli-
„ cet membris Ecclesiæ, qui proximiores sunt bar-
„ bæ, Apostolis scilicet, ac per hoc apostolicis se-
„ dibus; sicut barba non potest esse nisi in capite.
„ Deinde dicitis, rem ridiculam subinferentes, *&*
„ *quod potius tacere quam dicere maluimus: Si au-*
„ *tem non egeritis, assensum consilio nostro non præ-*
„ *bueritis, honoris vestri periculo subjacebitis*; si
„ potius maluistis, id est, magis voluistis tacere,
„ quam dicere, quare non tacuistis? Consuetudo
„ est in vobis ut id quod minus est, vincat quod
„ majus est. Major voluntas exstitit in vobis tace-
„ re, minor autem dicere; & tamen minor vicit
„ majorem. Credendum est omnino, quoniam in
„ discordiarum amatoribus victrix est cupiditas,
„ victa continentia. Illud vero quod minari vos
„ cognoscimus periculum gradus, quis explicare
„ poterit quantum sit absurdum, quantumque in-
„ conveniens & stultum; cum vestra comminatio
„ non sit propter crimen, homicidium scilicet, sa-
„ crilegium, aut furtum, vel aliquid hujusmodi;
„ sed nisi ita venerimus, sicut ipsi vultis: cui rei
„ in argumento adjungitis juramentum; & non re-
„ cordamini erubescentes, quia perjuri pejeratum
„ degradare non possunt, etiamsi essem. Denique
„ vos non me scitis esse pejeratum. De vobis au-
„ tem nemo qui dubitet hoc esse. In hac re me-
„ mor esse debuerat sollertia vestra, quia quicum-
„ que cloacam commovet, quanto amplius com-
„ moverit, tanto ampliorem fœtorem exhalari fa-
„ cit. Quod autem de sequentibus me fratribus &
„ coepiscopis similiter promittitis agendum, & ad-
„ ditis, *inretractabiliter*; miranda in hoc præsum-
„ tio vestra cognoscitur. Numquid quod in parte
„ agitur, retractari apud universitatem non pote-
„ rit? Numquid quod apud homines a rectitudine
„ deviantes agitur, apud meliores, recti videlicet
„ tenaces, retractari non debet? aut quod in præ-
„ senti malitiose judicatur, Dei judicio retractan-
„ dum non erit? Quod vestræ minæ continent,
„ numquam adhuc ab initio Ecclesiæ factum est.
„ Nam etiamsi ego fuissem perjurus; aptandum
„ vobis erat illud evangelicum: *Neque tu times*
„ *Deum, cum in eadem damnatione sis?*

1. August. contra lit. Petil. lib. II. cap. CIV.

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 810.



AGOBARDI
LIBER APOLOGETICUS

Pro filiis Ludovici Pii Imperatoris adversus patrem.

I. AUdite hæc omnes gentes, audiat terra & plenitudo ejus a solis ortu usque ad occasu, ab aquilone, & mari; & sciant & recogitent pariter domni & Imperatoris Ludovici filios juste fuisse & esse indignatos, & bene sentire & intendere ad expurgandum paternum Palatium a sordibus facinorum & iniquis factionibus, & regnum ab amarissimis & tumultuosis inquietudinibus; tantum ut inter eos germana fides & fraterna sinceritas Deo digna & omni fideli populo beneplacita persistat, & inviolabiliter perseveret.

II. Igitur cum prædictus domnus & Imperator quietus esset in domo, & florens in Palatio suo, cum adhuc juvenem [1] conjugem sub sui reverentia custodiret, & secundum Apostolum, uxorium debitum illi persolveret, in processu vero dierum cum cœpissent hæc primum tepescere, deinde frigescere, ac per hoc & mulier resolvi in lasciviam, cessantibus licitis conversa immo adversa ad inlicita, adscivit sibimet aptas personas ad perpetranda turpia, & primum latenter, deinde impudenter. Cognoverunt autem hoc initio pauci, deinde plures; ad postremum autem multitudo Palatii, & regni, ac finium terræ, quam rem inridebant minores, dolebant majores, omnes autem clari viri intolerandum judicantes. Concitati itaque sunt spiritus filiorum Imperatoris rationabili zelo, videntes maculatum stratum paternum, sordidatum Palatium, confusum regnum, & obscuratum nomen Francorum, quod hactenus clarum fuerat in toto orbe. Et surgentes singuli uno & pio consensu in emundatione scelerum, convenerunt simul; & aliis comprehensis, aliis effugatis, auctrice [2] vero malorum exclusa a Palatio, inclusa custodiæ, mutato habitu regali, induto habitu [3] sanctimoniali, reddiderunt patrem quieti & aliquantulæ honestati. Cumque per nimiam filiorum remissionem bene acta dissolverentur, per carnalium blandimenta & cupidorum scelestos favores, atque indecoras adulationes, iterum mulier, tamquam legitima domina, revocata est in [4] Palatium, & prælata Consiliis & Consiliariis; cujus instigationibus mutata est mens rectoris, & cœpit duris cornibus ventilare filios; & conturbare populos. Sicque factum est inauditum antea mortalibus, ut non tam persecuti injuste sustinerent persecutiones, quam persecutores inviti & coacti exercerent, & non solum exercerent, sed & sustinerent, dum violentissime in diversa & contraria juramenta compelluntur.

III. Adtendite, & videte si factum est umquam hujusmodi. Juratum est ergo Imperatori seniori, & eodem jubente iidem ipsi juraverunt Imperatori juniori; & iterum ipso faciente, aliqui ex ipsis juraverunt regi fratri, & ad postremum pene omnes compulsi sunt jurare puero. Et ne ibi quidem remansit. Sed quasi nihil horum fuisset, adhuc exorta sunt juramenta. *Numquid super his non visitabo, dicit Dominus?* & inulta remanebit despectio Dei, & pollutio nominis ejus? sicut scriptum est: *Non pejerabis, nec pollues nomen Domini Dei tui.* Ecce patefactis abyssis stultitiarum, ad quid perventum est? Cum enim deberent exercitus mitti adversus exteras gentes, & ipse Imperator adversus barbaras nationes dimicare, ut eas fidei subjugaret ad dilatandum terminum regni fidelium; (Sic namque orat universalis Ecclesia in solemnibus illis orationibus, diebus Passionis Dominicæ, pro Imperatoribus: *Ut Deus illis subjectas faciat barbaras nationes.*) Nunc e contrario omne regnum cum extremitatibus suis conglobatur in unum in medio sui, diversa tamen intentione, dum alii parantur ad intestina viscera disrumpenda, alii ad pacandam, si fieri potest, injustissimam discordiam: qui omnes pia mente perpendere debuerant quod dicitur in prædictis orationibus, ubi sacerdos admonet, dicens: *Oremus & pro Christianissimo Imperatore nostro, ut Deus & Dominus noster subditas illi faciat omnes barbaras nationes, ad nostram perpetuam pacem.* Domus ergo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis, orat ut Christianissimo Imperatori barbari subjiciantur, non ut subjecti conturbentur & barbarizentur. Neque enim Christianissimi Imperatoris est subjectos exturbare, & unitos dividere.

IV. O Domine Deus cæli ac terræ, cur permisisti fidelissimum & Christianissimum servum tuum Imperatorem nostrum in tantam devenire negligentiam, ut videre nolit quibus malis circumdatus sit? Diligit enim odientes se, & odit diligentes se. Quid si verum est quod plerique, qui subtilius intelligere videntur, affirmant; quod scilicet sint aliqui in latere eius, qui inhianter exspectant exterminium filiorum ejus? Quod si viderint, conlatum habent inter se ut in Imperatorem mittant manum, & dispertiant sibi regnum. Hoc utrum verum sit, ipsi norunt. Multi tamen sunt, qui non ambigunt illos, de quibus dicitur, ita incumbere regno, tamquam parieti inclinato, & maceriæ impulsæ. Unde constat, quia nisi Deus subvenerit, aut exteris dabitur regnum, aut in multos tyrannos dispertietur; quod in hoc assimilatur: quoniam Imperator, qui adversus barbarorum reges bella justa disponere debuerat, adversus dilectores sui filios injusta agere parat.

V. Dicunt etiam aliqui quod domina Palatii senioris, extra illa quæ de ejus occultis & non occultis dicuntur, ludat pueriliter, spectantibus etiam aliquibus de ordine sacerdotali, & plerisque conludentibus, qui (secundum formam quam Apostolus scribit de eligendis episcopis, dicens: *Domus suæ bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate; quia si quis domus suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?*) prædicare debuerant dominæ ludenti: Si qua regina semet ipsam regere non novit, quomodo de honestate Palatii curam habebit? aut quomodo gubernacu-

1. Judith matrem Caroli Calvi, quam Ludovius Pius duxit anno 819.
2. Judith Augusta.
3. Anno 830. Velum, at non tonsuram accepit, inclusa in monasterio S. Radegundis Pictaviensis.
4. Anno 831. ait auctor vitæ S. Ludovici.

la regni diligenter exercet? Reducere quoque ei ad A memoriam debuerant, quod supradictæ sententiæ congruenter aptari potest, quantum tamen ad exteriorem sensum pertinet, quod in alio loco sacra scriptura dicit: *Mulier diligens, corona est viro suo; & putredo in ossibus ejus quæ confusione res dignas gerit*. Et iterum: *Tecta perstillantia in die frigoris & litigiosa mulier comparantur. Qui retinet eam, quasi qui ventum teneat, & oleum dexteræ suæ evacuet*. Sed forte dicturus est aliquis: Hæc non est litigiosa, sed suavis, & blanda. Quibus verbis respondendum est, non est majus litigium, quam boni patris bonos filios irritare, exacerbare, exhonorare, & penitus a patre alienare velle: quæ quia propter solam pulcritudinem a viro inofficio- B se diligi fertur, inculcandum utrique fuerat quod iterum eadem scriptura dicit: *Fallax gratia, & vana est pulcritudo. Mulier timens Dominum, ipsa laudabitur*.

VI. Nunc igitur omnes timentes & amantes Deum, regem quoque & regnum, pacata societate, rebus mundi utentes, rebus divinis fruentes, omni conamine dare operam debent ut exprimatur vulnus iniquitatis, & obducatur cicatrix sanitatis, absque sanguinis effusione, absque strage interfectionis, absque amaritudine jurgiorum, absque turbulenta & fœtida commixtione spirituum immundorum. Ut vere dicatur de Ecclesia hujus regni: *Hæc* C *est domus Dei, & porta cæli. Portæ autem inferi non prævalebunt adversus eam*. Et iterum: *Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse salvabit. Gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione tua, & exsultabit super te in laude: Nugas, qui a lege recesserant, congregabo, quia ex te erant; ut non ultra habeas super eis opprobrium: & dicat omnis populus, Amen, amen, & hymnum Deo*.

VII. Sicut veritas non est tantum in dictis, sed & in factis, (sic enim Apostolus demonstrat, dicens: *Veritatem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus*. Et alius Apostolus: *Filioli, non diligamus verbo, nec lin-* D *gua, sed opere, & veritate*. Et iterum: *Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & non facimus veritatem*.) Ita quoque mendacium non est tantummodo verborum, sed & factorum; sicut in Apocalypsi loquitur Dominus, dicens: *Non intrabit in eam* (haud dubium quin civitatem cælestem) *aliquid coinquinatum, & faciens abominationem & mendacium*. Et paullo post: *Omnis qui amat & facit mendacium*. Et Dominus in Evangelio de inventore omnium malorum ait: *Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit*. Si ergo illa veritas (de qua & in Psalmis cantamus: *Prope esto Domine, & omnes viæ tuæ veritas*.) Omnium hominum E mentes possiderent, etiam sine rectoribus & principus res mundi concordi societate pacatæ manerent. Nunc autem quia ille qui in veritate non stetit, contra veritatem agere numquam desistit, & dormientibus hominibus scandalorum zizania seminare non cessat, apta sibi corda satis inveniens, quæ foveant & nutriant semina ejus; redundat malum commotionis, quod quietem pacis & unitatis insano furore conturbet. Propter quod sollicite vigilandum est, & sagaciter agendum contra corruptores veritatis & pacis, lingua & manu; ut aut cohibeantur, aut comprimantur.

VIII. Commotio itaque hujus temporis & harum regionum, quæ mira omnipotentis Dei suavitate & dulcedine sine conflictu armorum sedata est, non segniter memoranda est; sed debet corda fidelium in laudibus Dei & gratiarum actione alacriter succendere, & ad sollertiam cautelæ sollicita reddere. Quæ commotio & conturbatio quale habuerit initium, vel originem, non est penitus reticendum. Igitur cum Christianissimus & piissimus Imperator domnus Ludovicus bonæ [1] conjugis fide & moribus sibi congruentis consortium amisisset, necesse fuit ut aliam sibi acciperet, quæ ei posset esse adjutrix in regimine & gubernatione Palatii & regni. Sed occulto Dei judicio talis assumta est, quæ licet in primis annis viri & domini sui virtute & potestate pressa, subdita fuerit, tamen in processu temporis talis inventa est, quæ magnorum fluctuum commotio, & conturbationis largus thesaurus esse posset; quæ non solum plebes, ac populos, sive principes, verum etiam elegantissimos filios Imperatoris, etiam conjugatos, & gubernacula regnorum possidentes, affligeret, contristaret, & conturbaret, & pene attereret & exterminaret. Cumque talibus incrementis viderent hi quibus curæ erat de statu & honore regni, ac tranquillitate pacis, & quiete populi, dehonestari Palatium, obscurari claritatem regni, & ad ignominiam deduci nomen regnantium, cœperunt queri, & murmurare, ac dolere, & deplorare. Inter hæc concitati sunt spiritus virorum honoratorum, & filiorum regis; & crescente conludio, accedente etiam consilio, convenerunt singuli de loco suo, & conjuncti ad Palatium, effugaverunt ministros sceleris; & reginam, quæ totius mali caussa erat, excluserunt de domo & honore regni, & constituerunt in retrusionem exsilii; ac deinceps quasi jam liberatum bonum patrem de laqueo ruinæ, gaudebant se impleſse quod inscriptum est: *Ejice derisorem, & exibit cum eo jurgium, cessabuntque caussæ, & contumeliæ*. Hoc tam inreprehensibile factum & omni laude dignissimum cum complessent filii, redierunt ad sua, restituto patre honori & gloriæ suæ.

IX. His ita transactis, inimicus omnis boni, auctorque omnis mali, qui non reliquerat corda possessa, sategit instaurare & redintegrare malum suum; & regina (quæ mutato habitu regali putabatur perdurare in habitu sanctimoniali, sicut ordo poscebat, & rectitudo judicii docebat) reducta est in Palatium, & assumta in consortium quasi legitima conjux, quod esse jam nullatenus poterat. Conlocata itaque turpiter & indecenter in fastigio regali, prius malum auxit, & multiplicavit. Ad quod bonus filius quid agere debuit? Numquid dissimulare? Numquid silere? Numquid quiescere? Non ita placuit illi indormitabili oculo, qui custodit Israel suum; sed suscitavit spiritus filiorum, & convenerunt iterum ad succidendam recidivam malorum stirpem. Timebant enim ne patri eveniret illud quod de quodam rege scriptura sancta loquitur, dicens: *Igitur non fuit alter talis ut Achab, qui venundatus est ut faceret malum in conspectu Domini. Concitavit enim eum Jezabel uxor sua, & abominabilis factus est*.

X. Sed forte aliquis diversæ voluntatis homo amovere nitatur hæc verba scripturæ sanctæ, tamquam inconvenientia, eo quod sequatur, *in tantum, ut sequeretur idola Amorrhæorum*. Noverit

1. Irmingardis, quæ obiit anno 818. quinto Non. Octob.

SÆCUL. IX.
CIRCA
ANN. CHR.
810.



quisquis ille est, non posse evacuari congruentiam in hoc loco. Quoniam tempore legis in veteri populo idola & simulacra significabant omnes errores in novo populo, tempore videlicet Gratiæ. Nam & ipse ordo horum verborum ita intelligendus est: Abominabilis factus est diversis cupiditatibus e inlecebris, ut etiam evidenter ad cultum rueret idolorum. Quisquis autem aliter heic sentire vult, penset qualiter contradicat Apostolo dicenti: *Et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus*; & videat quam veraciter dictum sit: *Radix omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes, erraverunt a fide*. Si ergo cupiditas errare facit a fide, & avaritia simulacrorum est servitus; quod malum remanet, quod non de radice cupiditatis oriatur? Propter quod fideliter colligendum est, omnes appetitores divitiarum, gloriæ, & honoris sæcularis, atque primatus, quam non longe absint ab idolorum cultura.

XI. Hæc propterea dicimus, ut ostendamus mala & bona antiquorum, malis & bonis congruenter aptari, & his qui errant in novo populo. Et quamquam Achab concitante se uxore sua erraverit a fide; & ea auctrice perpetraverit facinus illud de morte Naboth Jezrahelitæ, correptus tamen ab Helia propheta, non correctus, compulsus est agere pœnitentiam: qua actione pœnitentiæ mala sibi imminentia distulit, non abstulit. Hoc si recte perpendatur, liquido demonstrat, quantum noceant uxores malæ viris suis. Jehu autem, quem Dominus suscitavit in regem ad puniendam domum Achab & ejus deceptricem uxorem, licet æternam vitam non promeruerit, eo quod a peccatis Hieroboam non recesserit, quia studiose exercuit ultiones Domini de Jezabel, & domus ejus quem illa concitaverat, concessum est ei ut filii ejus usque ad quartam generationem regnarent. Post eum beatus quoque Jojadas & sanctus Pontifex, qui Athaliam impiissimam interfici jussit, & Joas in solio patris collocavit, & Hierusalem a sordibus & immunditiis purgavit, tali eum laude exornat scriptura divina, dicens: *Senuit autem Jojada plenus dierum, & mortuus est cum centum triginta esset annorum; sepelieruntque eum in civitate David cum regibus, eo quod fecisset bonum cum Israel, & cum domo ejus*. Ecce iste pius sacerdos, & temporali & æterna retributione remuneratus est; Jehu autem tantum temporali.

XII. Videamus quoque quid Samson contigerit, quem Apostolus in catalogo virorum justorum enumerat. Amavit itaque mulierem non amantem se; quæ plus obtemperavit inimicis ejus, quam amico amanti se. Et quia ille vir justus credidit mulieri infideli, ideo & lumen oculorum amisit, & ducatum Israeliticæ gentis perdidit. Cui licet postea restituta sit virtus pristina, & ignominiosam vitam gloriosa morte finierit; æterna quidem vita non caruit, tamen ducatum pristinum non recuperavit. Sic ergo dignetur domnus dudum Imperator pie perpendere, ut cæleste & sempiternum regnum non perdat: qui deceptus a muliere, terrenum & temporale amisit. Cedat divinis judiciis, quia nihil in terra sine caussa. Voveat & reddat Domino Deo terribili, & ei quæ aufert spiritum principum. Bonorum enim regum est dicere: *Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum*. Hæc dicit beatus Job: qui conanti se decipere uxori suæ non consensit, sed rigida invectione redarguit dicens: *Quasi una de stultis mulieribus locuta es*. Qui & in alio loco de Deo dicit: *Apud ipsum est fortitudo & sapientia. Ipse novit & decipientem, & eum qui decipitur*. Et: *Baltheum regum dissolvit, & præcingit fune renes eorum*. Et iterum: *Qui immutat cor principum populi terræ, & decipit eos ut frustra incedant per invium*. Quod & ipsi beato Job contingeret, si suasionem uxoris suæ libenter audisset. Ideo ergo terribilis Dominus, non tantum populis terræ, sed & ipsis principibus populi: de quo quidam rex superbus & humiliatus confitetur coactus dicens: *Altissimo benedixi, & viventem in sempiternum laudavi, & glorificavi: quia potestas ejus potestas sempiterna, & regnum ejus in generationem & generationem. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt: juxta voluntatem enim suam facit tam in virtutibus cæli, quam in habitatoribus terræ, & non est qui resistat manui ejus, & dicat ei, Quare fecisti?* Et post pauca: *Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo, & magnifico, & glorifico regem cæli: quia omnia opera ejus vera, & viæ ejus judicia, & gradientes in superbia potest humiliare*.

XIII. Neque ullo modo hæc idcirco dicimus, ut domnum quondam nostrum Imperatorem impiis & infidelibus regibus comparemus. Sed quia permisit se a muliere iniqua decipi, contigit illi quod scriptum est: *Qui conturbat domum suam, possidebit ventos*. Per quam conturbationem, & ventorum possessionem, perpetrata sunt innumerabilia perjuria, & deprædationes immensæ, cum homicidiis, adulteriis, & incestis: pro quibus omnibus pœnitentiis necessarium est religiosissimo quondam Imperatori, ut redeat ad cor suum, agatque pœnitentiam, humiliatus sub potenti manu Dei, cui non est impossibile tribuere illi exaltationem æternæ vitæ: quia exaltatio temporalis vitæ jam non congruit illi, qui conturbata domo & mente, divina dispensatione & judicio cessit alteri, & locum dedit non cuilibet inimico aut extraneo, sed carissimo filio. Propter quod in omni jucunditate & exsultatione cordis sui summas gratiarum actiones summo omnipotenti Deo indesinenter persolvere debet; quia, sicut semper optavit, non successit illi in regnum inimicus expugnator, sed filius amator. Nunc ergo audiant omnes in commune tumultuosi & quieti Prophetam dicentem: *Sileat omnis terra a facie Domini*. Et Psalmistam: *Timeat Dominum omnis terra, ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem. Quoniam ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt*, & cetera.

AGOBARDI CHARTULA

Porrecta Lothario Augusto in synodo Compendiensi anno DCCCXXXIII.

IN nomine Dei ac Domini nostri Jesu Christi. Anno incarnationis ejus octingentesimo tricesimo tertio, ego Agobardus Lugdunensis Ecclesiæ indignus Episcopus interfui venerabili conventui apud Palatium quod nuncupatur Compendium: qui utique conventus exstitit ex reverentissimis Episcopis, & magnificentissimis viris inlustribus, collegio quoque Abbatum, & Comitum, promiscuæque ætatis & dignitatis populo, præsidente serenissimo & gloriosissimo Lothario Imperatore, & Christi Domini amatore; quo protegente & adjuvante subteradnexa disposita sunt anno Imperii primo, mense [1] quarto. Quibus omnibus vehementer incumbebat vera necessitas, ut sollicite tractarent de periculo regni in præsenti, & statu in futuro: quod regnum, quia jamdiu nutabat, & impellebatur ad ruinam per negligentiam, & (ut verius dicam) per ignaviam domni Ludovici venerandi quondam Imperatoris, in quibus ille inretitus est per corruptas mentes & corrumpentes, & secundum apostolicum dictum, Quia erant ipsi errantes, & alios in errorem mittentes. A quo conventu quicquid utiliter & laudabiliter tractando & conferendo inventum est, & necessario statuendum, & judicantibus consensi & consentiens ipse judicavi. In primis videlicet quæ ad commoditatem & soliditatem regni & regis pertinere videbantur, deinde quæ ad ereptionem & purgationem animæ domni Ludovici, manifestissime noscebantur: quæ in prædicto conventu fideliter quæsita, & veraciter inventa, & ordinabiliter exsecuta sunt; in eo scilicet quod prædictus conventus deliberavit, ut per Legatos & Missos admoneretur domnus Ludovicus de suis erroribus, & exhortaretur ut secundum propheticum dictum rediret ad cor, & recognosceret acta sua, quæ adversus Deum currens per vias pravitatis & injustitiæ exegerat, ac deinceps susciperet consilium vitæ & saltuis suæ; quatenus apud omnipotentem Judicem & Dominum, qui clementissimus indultor est criminum, indulgentiam & remissionem iniquitatum impetrare posset; ut qui per multiplicatas negligentias regnum terrenum amiserat, per impensas supplices confessiones regnum cæleste adipisceretur per eum, apud quem est misericordia & copiosa redemtio. Propter quod & libellus editus est a viris diligentioribus, & ei oblatus, de manifestatione criminum suorum; in quo velut in speculo perspicue conspiceret fœditatem actuum suorum, & fieret in illo quod per pœnitentem perfectum dictum est: *Iniquitatem meam ego agnosco, peccatum meum coram me est semper*. Pro qua re accesserunt ad eum denuo omnes qui in prædicto conventu aderant episcopi, condolentes & compatientes infirmitatibus & miseriis ejus, exhortantes atque exorantes & postulantes ut omnipotens Deus manu pietatis suæ educeret eum de lacu miseriæ, & de luto cœni. Quod clementissimus Dominus non solum non abstulit, sed nec distulit. Sed mox resuscitata in mente ejus contritione humiliati cordis, prostratus coram eis, non semel, vel iterum, sed tertio, aut amplius, crimina cognoscit, veniam poscit, auxilium orationum precatur, consilium recipit, pœnitentiam postulat, injunctam sibi humilitatem libentissime impleturum promittit. Innotescitur ei lex & ordo publicæ pœnitentiæ: quam non renuit, sed ad omnia annuit; ac demum pervenit in Ecclesiam coram cœtu fidelium, ante altare & sepulcra sanctorum. Et prostratus super cilicium, bis terque quaterque confessus in omnibus clara voce cum abundanti effusione lacrymarum, depositis armis manu propria, & ad crepidinem altaris projectis, suscepit mente compuncta pœnitentiam publicam per manuum episcopalium impositionem, cum psalmis & orationibus. Sicque deposito habitu pristino, & assumto habitu pœnitentis, congratulans & confidens, postulat piissimi pastoris humeris reduci se ad inventæ & redemtæ ovis unitatem. His gestis ego Agobardus indignus episcopus interfui, & melioribus consonans & consentiens judicavi, & manu propria signans subscripsi.

1. Nempe Octobri.

AGOBARDI EPISTOLA

ad Ebbonem Episcopum Remensem,

DE SPE ET TIMORE.

MAgnificentissimo ac desideratissimo domno Patri & Fratri Ebboni Ecclesiæ Remorum episcopo Agobardus in Domino Deo æternam salutem. Cum quadam die valde diligenda, honoranda, atque laudanda devotio tua præcipue mihi (cui gratis, id est, absque merito, sola tua te benignitate instigante, piam amicitiam impendis) & manibus gestaret & ore proferret ea quæ ad ædificationem bonarum mentium pertinent, cognoverunt qui præsentes aderant sollertissimam intentionem tuam velle secum semper habere de scripturis divinis aliqua, in quibus non solum in equum ascendens, sed etiam de equo descendens, pro locis & temporibus congruæ quantitatis secundum beatum virum, *qui non abiit in consilio impiorum*, in lege Domini meditareris die ac nocte; quatinus vere esse possis tamquam lignum juxta fluenta Scripturarum plantatum, cujus omnia prosperantur quæ facit: & quæ facit? utique poma & folia, quæ intelliguntur facta & dicta; ut poma sint in actibus,

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 810.

folia in verbis; cujus ligni folium non defluit: quia (secundum quod scriptum est de Samuele, *Non cadit de omnibus sermonibus ejus in terra*:) curat sollicite, ne quid frivolum vel inane proferat, quod oblivione potius quam memoria dignum sit. Sic enim Apostolus unanimem comitem instruit, dicens: *Ineptas autem & aniles fabulas devita*: & iterum præcipit denunciare quibusdam, *ne intendant fabulis & genealogiis interminatis, quæ quæstiones præstant magis quam ædificationem quæ est in fide*. Et iterum: *Profana autem & inaniloquia devita. Multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum ut cancer serpit*.

Igitur Deo devota & fidelis sanctitas tua cum mihi dignaretur talia pandere, suggestum est a me ut in primis juberes tibi scribere in eodem quod gestabas Enchiridion, de divinis libris arduas & difficiles sententias ad observandum, quæ præcipuæ sunt ad deprimendas per timorem mentes hominum, ne elevari possint in vanam præsumtionem; & his diu diligenterque perspectis, juberes demum talia quæ viderentur congrua, proprio inserere manuali. Cumque hæc ego suggessissem, dignatus es præcipere, ut ego inchoarem sicut mihi videbatur, & sanctitati tuæ dijudicanda transmitterem. *Omnis* itaque *Scriptura divinitus*, ut ait Apostolus, *inspirata, utilis est ad docendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus*. Quæ Scriptura, tantæ perpetuitatis est, ut auctor illius, sempiterna Veritas, Verbum & Sapientia Patris, Dominus & Redemtor noster testetur de illa, dicens: *Facilius est cælum & terram transire, quam de lege unum apicem cadere*. Et iterum: *Cælum & terra transibunt, verba vero mea non transient*. Cumque hæc perennia verba, plena sint regulis morum, ac disciplinarum, atque virtutum, operis, & fidei, inter cetera exstant duæ res penitus necessariæ moderationi mentium humanarum, id est, spes & timor, de quibus sacerdotibus & omnium plebium doctoribus Dominus mystice per legem præcipit dicens: *Non auferes loco pignoris superiorem & inferiorem molam*. Quæ molæ licet utrumque testamentum recte figurare possint, intelliguntur tamen utiliter spes & timor; ut inferior dicatur timor, superior spes. Cui autem una defuerit, farinam facere non potest: quia in mente sua nihil sanum pertractare potest, quem aut timor sine spe premit, aut spes sine timore levat. Unde Psalmista in utrumque conjungens dicit: *Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia ejus*. Judas denique proditor, post dominicam traditionem, quia sine spe timuit, dicens: *Peccavi tradens sanguinem justum*, ideo abiens laqueo se suspendit, & crepuit medius, atque effusa sunt viscera ejus. E contrario autem, quia

A sine timore sola spe elevabantur illi qui Domino respondebant *Semen Abrahæ sumus, & nemini servivimus umquam*, dedignati sunt credere in Salvatorem, quia præsumebant non se esse salvandos, sed salvatos: cujus rei exemplis tota est plena Scriptura divina. Semper autem necesse est ut hæ duæ molæ fidelium mentibus incessanter adsint; ut quia spes animum semper erigit, metus autem premit, & metus spem & spes temperet metum; ac ne spes in superbiam erigat, metus continuo adjacens mentem premat; rursum, ne immoderatus metus animum in desperationem obruat, hunc confestim spes erigat. Metus namque, si sine spe fuerit, desperatio rectius vocatur. Spes vero, si fuerit sine metu, vana præsumtio esse monstratur. Tali namque B temperamento, quasi quodam antidoto, vult nos cælestis medicus uti; utpote qui solus est scrutator & cognitor internarum infirmitatum, cui dicitur: *Tu solus nosti corda filiorum hominum*. Quique dicit: *Ego sum scrutans renes & corda*. Cujus sermo est vivus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & est discretor cogitationum & intentionum cordis; sciens mentem humanam his duabus virtutibus in meditullio stabiliter posse servari. Cum hæc ergo ita sint, visum mihi est ut primum de illis sententiis quæ ad inferiorem molam pertinent, id est, C ad ineffabilem terrorem mentium, quoniam sunt nimis arduæ, aliqua describam; ut quia præceptum nobis est ut cum timore & tremore nostram ipsorum salutem operemur, & omnes fideles salutem desiderant, prius illa cum quibus salus operatur, id est, timor & tremor, in studiis nostris fundentur; ut superponenda, quia faciliora sunt, istarum impulsione necessario requirantur. Nam & naturale est animæ humanæ, ut timorem non sine quadam molestia tolerans, rursum sponte ad spem recurrere festinet, quæ lætior putatur; quamquam timor non sit minus necessarius & utilis. Quia igitur si de omnibus divinis libris hujusmodi sententias excerpimus, nimis prolixum opus efficitur, D illas nunc nobis assumere sufficiat quæ in promtu habentur, & magis in usu; maxime quia & vos tale fieri jussistis opus, quod paullisper manu gestetur, non quod in armario vel in scrinio reservetur. Hæc mihi igitur inchoanti obtulit se prima illa sententia septimi psalmi, quam cantamus, dicentes: *Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi malum, decidam merito ab inimicis meis inanis. Persequatur inimicus meus animam meam, & comprehendat & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in pulverem deducat*.

Multa desunt.

AGOBARDI
LIBER
de divina psalmodia.

QUia nuper stultus [1] & improbus, ipsaque stultitia & improbitate sua omnibus notus calumniator erupit, qui sanctam Ecclesiam nostram, id est, Lugdunensem, non solum verbo, sed etiam scriptis lacerare non cessat, quasi non recte, nec more paterno sive usu, divinæ decantationis solemnia peragentem, necesse fuit omnem sacrorum officiorum seriem, quæ solito cantorum ministerio per totum anni circulum in ecclesiasticis conventibus exhibetur, sicut in eadem Ecclesia favente Dei gratia custoditur, diligentius & plenius in libello quem usitato vocabulo Antiphonarium nuncupant, colligere, atque digerere; præmissa scilicet præfatione pii & [2] orthodoxi patris, cujus probatissima fides atque doctrina in munere B Domini Dei nostri omnibus examinata ac declarata celebriter innotuit; ut omnes pacifici & prudentes Ecclesiæ filii, in quorum manus ejusdem libelli textus venerit, verissime & evidenter agnoscant præfatam Christi Ecclesiam, eodem Christo Domino gubernante ac protegente, nec a recto fidei tramite deviasse, & paternum morem, quem statura ecclesiastica declarant, fideliter custodire, ac per hoc ab antiquo Ecclesiæ Dei usu nullatenus discrepare, nec contemnere alicujus diversum morem, si constat esse probabilem; sed, juxta Apostolum, ea quæ utiliora & potiora sunt sequi. Ait namque: *Et hoc oro, ut caritas vestra magis ac magis abundet in scientia & omni sensu, ut pro-* C *betis potiora, ut sitis sinceri, & sine offensa in diem Christi*. Et alio loco: *Ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta*. Et alibi: *Æmulamini autem charismata meliora*. Et iterum: *Nolite pueri effici sensibus*. Sed & reverenda Concilia Patrum decernunt nequaquam plebejos psalmos in Ecclesia decantandos, & nihil poetice compositum in divinis laudibus usurpandum. Inter quos etiam beatus papa Gregorius docet quod non pro locis res, sed pro bonis rebus loca amanda sint. Et fortius commendans nobis, quod sicut nequaquam pro locis, ita nec pro quibuslibet personis, sive consuetudinibus temporum, res sectari debeamus, non est veritus in ipsa Romana Ecclesia quædam D in sacris officiis & ministeriis reprehensibilia etiam sub anathematis damnatione resecare; sicut ejus decreta palam ostendunt [3]. Quod si prædictus calumniator humiliter & obedienter pensare studuisset, nequaquam ad tantam deveniret fatuitatem, ut verba quorumlibet hominum, quorum nec nomina, nec sensum, nec fidem novit, tamquam divinas scripturas defenderet, & per phantasticas ac ridiculosas allegorias explanare conaretur. Certe si quid sanum cogitare vellet, sufficeret ei ad omnem emendationem & silentium, quod sicut in diebus ad Missas non nisi divina generaliter eloquia decantantur, ita & in noctibus ad sacras Deo vigilias exhibendas eadem proculdubio lex debeat observari. E Unus nempe omnipotens Dominus utroque tempore laudatur, uni Domino tempus utrumque famulatur, cui dicitur: *Tuus est dies, Domine, & tua*

A *est nox*. *Tu fabricatus es auroram & solem*. Sed ejus stultus & irritus labor prudentibus & minime contentiosis ac Deum timentibus majorem incutit sollicitudinem, ut propter hujusmodi nævos & errores cavendos vivacius & attentius divinæ auctoritati & ecclesiasticis statutis inhæreant. Hæc namque fidei cautela, & sincerissima observantiæ disciplina, ut in templo Dei & coram divino altari divinorum tantummodo eloquiorum melodia celebretur, etiam veteris testamenti auctoritate & exemplis nobis firmissime commendatur: ubi in libro Paralipomenon legitur, quod beatus David rex & propheta Dei primus choros Levitarum laudantium Dominum in tabernaculo sive in templo constituerit, eisque psalmos & hymnos & cantica divinitus sibi & ceteris, qui cum eo prophetabant inspirata tradiderit, ac mane & vespere inter divina holocausta & sacrificia decantanda decreverit. Quem morem a sanctis Prophetis traditum, & a sequentibus patribus diligentissime custoditum, usque ad tempus novi testamenti, quo jam templum illud destrui oportebat, religiosa constat observatione perductum. Unde summopere necesse est, ut si vere absque offendiculo vel hæsitatione divinas laudes cupimus celebrare, totos nos divinis sermonibus, in quibus nullus est error, nulla ambiguitas, coaptemus; sicut de præfatis Levitis, antiquis divinæ laudis cantoribus, idem Paralipomenon liber replicat, dicens: *Levitæ vero ut stent mane ad confitendum & canendum Domino, similiterque ad vesperam, tam in oblatione holocaustorum Domini, quam in sabbatis, & Calendis, & solemnitatibus ceteris*. Et iterum in dedicatione templi sub Salomone dicitur: *Et dedicavit domum Domini rex & universus populus. Sacerdotes autem stabant in officiis suis, & Levitæ in organis carminum Domini, quæ fecit David rex ad laudandum Dominum, Quoniam in æternum misericordia ejus, hymnos David canentes per manus suas*. Item in emendatione & purificatione ejusdem templi sub Ezechia scriptum est: *Præcepitque Ezechias & principes Levitis, ut laudarent Dominum sermonibus David, & Asaph Videntis, qui laudaverunt eum magna lætitia*. Similiter etiam sub Josia in celebratione Phase. *Porro cantores*, inquit, *filii Asaph stabant in ordine suo juxta præceptum David, & Asaph, & Heman, & Idithim prophetarum regis*. Quod totum quam sancte & religiose fuerit institutum, quam dulciter ac reverenter sit imitandum inter cetera beati David magnifica, ita liber Ecclesiasticus in ejus laudibus prosequitur, dicens: [a] *In omni opere dedit confessionem sancto & excelso in verbo gloriæ. De omni corde suo laudavit Dominum, & dilexit Deum, qui fecit illum, & dedit illi contra inimicos potentiam; & stare fecit cantores contra altare, & in sono eorum dulces fecit modos. Et dedit in celebrationibus decus, & ornavit tempora usque ad consummationem vitæ, ut laudarent sanctum nomen Domini, & amplificarent mane Dei sanctitatem*. Sed & in libro Samuelis hæc psallendi gratia spiritalis in eodem

a Eccli. XLVII. 9-12.

1. Sane Amalarium intelligit.
2. Leidradi, cujus vide epist. ad Carolum.
3. Vide mox in lib. de correct. Antiphon. cap. XV.

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 810.



rege ſanctiſſimo prædicatur, ubi legitur: *Dixit David filius Iſai: Dixit vir cui conſtitutum eſt de Chriſto Dei Jacob, egregius pſaltes Iſrael: Spiritus Dei loquutus eſt per me, & ſermo ejus per linguam meam*. Huic igitur tam ſanctæ auctoritati & tam perſpicuæ veritati non eſt dubium quod fidelis & diſciplinatus quiſque libenter adquieſcat. Si quis autem contentioſus & pertinax contradicere conatur, & de turbulento magis rivo, quam de puriſſimo fonte potare voluerit, viderit ne illo ægrotet languore nimis pernicioſo, quem quidam antiquorum patrum ſapienter & breviter cavendum admonuit, dicens: *Qui contemta veritate præſumit conſuetudinem ſequi, aut circa fratres invidus eſt & malignus, quibus veritas revelatur, aut circa Deum ingratus, cujus inſpiratione Eccleſia ejus inſtruitur.*

AGOBARDI

LIBER

de correctione Antiphonarii.

I. Dilectiſſimis in Chriſto fratribus & præcipue cantoribus Eccleſiæ Lugdunenſis Agobardus in eodem Chriſto Domino & Salvatore noſtro ſempiternam ſalutem. In divinis laudibus exſolvendis quanto ſtudio fugienda ſit levitas, gravitaſque ſectanda, frequenter dilectioni veſtræ in mutua conloquutione ſuggeſſimus; ſcilicet ut rationabili conſideratione, ſicut prudentes Eccleſiæ filii, & rationabili ejus lacte ab incunabilis enutriti, quod Deo diſplicet refugientes, concordi ſtudio id quod gratum acceptumque ei, verbis ſicuti & factis ſectaremini. Si enim apud graves & ſapientes viros, non ſolum morum, ſed etiam verborum levitas reprehenſibilis judicatur, quanto magis apud Deum totius ſanctæ gravitatis ac ſapientiæ auctorem, cui Pſalmiſta dicit: *In populo gravi laudabo te*, & cui nos Apoſtolus rationabile obſequium admonet exhibere? Neque vero paſſim, & abſque diligenti examinatione, quod cuique viſum fuerit in Dei laudibus uſurpandum eſt, cum dicat Apoſtolus: *Nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus. Sed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret ſpiritus, quia ſecundum Deum poſtulat pro ſanctis*. Unde & Apoſtoli humanæ ignorationis conſcii, orandi formulam a Deo petiere, dicentes: *Domine, doce nos orare*. Certe manifeſtum eſt majus eſſe Deo quempiam digne laudes exſolvere, quam pro infirmitate propria exorare; præſertim cum hoc præſentis vitæ fine terminetur, illud vero heic inchoetur, in futuro autem perficiatur, juxta quod Pſalmiſta ait: *Beati qui habitant in domo tua, Domine! in ſæcula ſæculorum laudabunt te.*

II. Si ergo orantes doctrina ſancti Spiritus indigemus, multo magis cum Deo laudes offerimus? quia ſicut nemo niſi ipſo inſpirante ſecundum Deum poſtulat, ita nullus niſi eo erudiente Deum digne conlaudat. Non ergo cujuſcumque figmentis, ſed Spiritus ſancti eloquiis majeſtas divina laudanda eſt. Denique & filii Aaron ignem alienum Domino offerentes, non obſequii remunerationem, ſed damnationem præſumtionis experti ſunt. Unde hoc nos exemplum ſummopere vitantes, illud ſollicite attendamus quod vel in Proverbiis ſcriptum eſt: *Omnis ſermo Dei ignitus clypeus eſt ſperantibus in ſe. Ne addas quicquam verbis illius, & arguaris, invenieriſque mendax*. Nihil itaque Dei verbis addentes, & timentes argui invenirique mendaces, verbo Dei ignito, qui clypeus ſpei eſt, tempore orationis & laudis inflammemur pariter & muniamur. Cumque Dominus dicat: *Verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt*, omnia humana figmenta, quæ vanitate ſui mortua judicanda ſunt, reſpuentes, viventibus Chriſti eloquiis in ipſius obſequiis perſonemus; quatinus voces noſtræ, non quaſi alienæ ab eo reſpui, ſed ut propriæ cum ſupernis virtutibus, quæ majeſtate Dei trementes adorant atque conlaudant, mereantur admitti.

III. Hac de cauſſa & Antiphonarium pro viribus noſtris magna ex parte correximus, amputatis his quæ vel ſuperflua, vel levia, vel mendacia, aut blaſphema videbantur. Et vos frequenter admonuimus, & tenorem admonitionis noſtræ propter aliquorum præſentes ſeu futuras querimonias in fronte ejuſdem libelli ponere neceſſarium duximus: non generale aliquid ſtatuentes, ſed juxta mediocritatem ſenſus noſtri in domo Dei, cujus nobis cura commiſſa eſt, quod poſſumus offerentes: nec de ſenſu noſtro aliquid præſumentes; ſed ſcripturæ ſanctæ auctoritatem, & ſacrorum canonum ſanctionem, catholicorumque patrum inſtituta & exempla ſectantes. De quibus antequam aliquid proferamus, congruum videtur, exempli gratia, nonnullas ineptias quæ præfato continebantur libello, notare breviter, ac leviter redarguere; ut ex his perpauciſſimis evidentius agnoſcatur quam neceſſario quæ in ſequentibus dicturi ſumus, a patribus conſtituta ſint, quantoque timore ac ſollicitudine eorum ſcita nobis expediat obſervare.

IV. Ac primum, quale illud eſt, quod in vigilia Natalis Domini in choro fidelium & fidelium eruditorum cantabatur: *Dum ortus fuerit ſol de cælo, videbitis regem regum procedentem a Patre tamquam ſponſum de thalamo ſuo?* Certe fides catholica habet Verbum Dei, quod in principio erat apud Patrem, in thalamo uteri virginalis conjunxiſſe ſibi ſponſum; cujus naturam in unitate perſonæ ſuſcipiens, caro factum eſt ut habitaret in nobis. Naturæ enim noſtræ unitus, tamquam ſponſus de thalamo virginali, proceſſit ex utero; & non eam de cælis attulit, ſicut hæretici affirmare auſi ſunt. Ac per hoc non tamquam ſponſus de thalamo proceſſit ex Patre. Verbum quippe Dei, filius Dei, proceſſit a Patre, & venit in mundum. Nec aliud fuit venire in mundum, quam in utero Virginis naturæ humanæ veritatem aſſumere, in qua viſibilem ſe præberet mundo. Hanc igitur humanitatis noſtræ naturam, cui unitus ſponſus Eccleſiæ factus eſt, non de ſinu Patris traxit, ſed de carne virginis ſumſit.

V. Eſt præterea in prædicta antiphona notanda temeritas, evidenſque mendacium; dum & ſacræ

scripturæ verba sui sensus perversitati coaptat, & nativitatem Salvatoris, qua vel de Patre ante sæcula, vel de matre in plenitudine temporum natus est, tanta confusione permiscet, ut de qua loqui velit, intelligi omnino non possit. Quod summopere ubique cavendum est, ne divinorum verborum ordo mutetur, & de scriptura veritatis labyrinthus texatur erroris.

VI. Illud etiam Responsorium, quod in eisdem vigiliis cantabatur, quanta fidei severitate rejiciendum est; in quo ait vanus ille præsumtor: *De illa occulta habitatione sua egressus est filius Dei, descendit visitare & consolare omnes qui eum de toto corde desiderabant.* Quod cum sermonum imperitia, tum sensus quoque absurditate ac falsitate turpatur. Nam & occultam filii habitationem summa levitate dixit; & eum omnes desiderantes se visitasse, consolatumque esse mendaciter asseruit, cum potius eos quos visitare dignatus est, se agnoscentes ac desiderantes effecerit.

VII. Considerentur etiam verba alterius Responsorii, quod quasi de mysterio nativitatis Christi compositum, contra morem nocturni officii ab eminentiori loco pompatice concrepabat: *Descendit de cælis missus ab arce Patris, introivit per aurem Virginis in regionem nostram, indutus stola purpurea, & exivit per auream portam lux & decus universæ fabricæ mundi.* Ubi primum, qui descenderit non designat. Arcem vero Patris quid dixerit, ipse quoque penitus ignoravit. Numquid est aliquod ædificium cæleste, aut percæleste, quod factum sit ab eo, aut aliud aliquid quod non est ipsum quod Pater, aut est ipse Pater? Quod si est; quomodo sibi est arx? Nec per aurem Virginis Verbum Dei introiisse, catholicæ aures ferunt: quia cum sit incorporeum, & totum ubique præsens, nec localiter accedit, nec aditu corporeo indiget. Nisi forte nobis persuadere voluit angelicorum sono verborum sacram Virginem Dei filium concepisse. Quod quantum a fidei veritate discordet, ex verbis ipsius angeli perspicuum est; qui ipsi Virgini interroganti: *Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco?* Respondit: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quomodo autem virginalis uterus regio nostra possit intelligi, cum & virgo illa unici filii mater sit, & nos omnes non ex virginea sed ex corrupta carne nascamur, prorsus inveniri non potest. Deinde quod eum stola indutum purpurea aurem dicit Virginis introiisse, sive humano more cultu regio indutum, sive humanam formam non ex Virgine suscepisse, sed de cælo Dei Verbum attulisse putaverit, eamque stolam purpuream appellarit, apertissimæ blasphemiæ est. Jam vero per auream portam eum exiisse, quanta vanitate proferre ausus est; cum nativitas Christi ex Virgine non supervacuis verbis adumbrari, sed confessione simplici debeat declarari; qui non, ut ille ait, universæ fabricæ mundi, sed juxta veritatem evangelicam rationalis tantummodo creaturæ lux est.

VIII. Aliud quoque Responsorium de verbis Evangelii, sed non ordine evangelico, quod jam utique correctum a vestra dilectione psallitur, nescio quis composuit, dicens: *Tenebræ factæ sunt dum crucifixissent Jesum Judæi; & circa horam nonam exclamavit Jesus voce magna: Deus, Deus, ut quid me dereliquisti? Tunc unus ex militibus lancea latus ejus perforavit, & inclinato capite emi-*

A *sit spiritum.* Nempe omnibus fidelibus certum est, quod Salvator noster non aliqua doloris violentia coactus, sed spontanee pro nobis est mortuus; nec animam necessitate amisit, sed potestate posuit, sicut ipse ait: *Nemo tollit a me animam meam, sed ego pono eam a me ipso ut iterum sumam eam.* Sed iste evangelici ordinis & fidei veritatis ignarus, prius dixit lancea a militibus latus Domini perforatum, & tunc ab eo spiritum emissum: quod omnino paganum est, Christum non benignitate propriæ voluntatis, sed vi doloris mortuum opinari; cum e contrario in Evangelio referatur quod Dominus voce magna clamaverit: *Pater, in manus tua commendo spiritum meum; & hæc dicens,*
B *exspiravit.* Quam mortem Christi in tantum milites qui aderant admirati sunt, ut continuo Deum glorificasse, eumque Dei filium confessi esse referantur, ac postea Judæis petentibus latronum crura, qui cum eo fuerant crucifixi, Pilatus frangi concesserit, Jesu autem jam mortui non crura confracta, sed militis lancea latus narraretur apertum, non, ut iste imperite protulit, perforatum.

IX. Jam vero quanta illa sunt vaticinia, ut ita dictum sit, falsa in Responsoriis & Antiphonariis, quæ quasi ex voce Domini pronuntiantur, cum in nullis divinis scripturis reperiantur. Ut est: *Octa-*
C *va decima die decimi mensis jejunabitis, dicit Dominus, & mittam vobis Salvatorem & propugnatorem pro vobis, qui vos præcedat & introducat in terram quam juravi patribus vestris.* Et iterum: *Coronam gloriæ ponam super caput ejus, dicit Dominus, & induam illum stolam candidam, quia servavit mandata mea, & propter nomen meum effusus est sanguis ejus in terra.* Et iterum: *Sancti estis, dicit Dominus, multiplicabo numerum vestrum, ut oretis pro populo meo in loco isto.* Et multa hujusmodi ridiculosa & fantastica. Quorum inventoribus congruere mihi videntur illa, quæ Dominus per Ezechielem prophetam adversus falsos prophetas loquitur, dicens: *Væ prophetis insipientibus,*
D *qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident.* Et post pauca: *Vident nova & divinant mendacium, dicentes: Ait Dominus, cum Dominus non miserit eos, & perseveraverunt confirmare sermonem. Numquid non visionem cassam vidistis, & divinationem mendacem loquuti estis? & dicitis, Ait Dominus, cum ego non sim loquutus. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quia loquuti estis vana, & dixistis mendacium; ideo ecce ego ad vos, ait Dominus Deus. Et erit manus mea super prophetas, qui vident vana, & divinant mendacium. In concilio populi mei non erunt, & in scriptura domus Israel non scribentur, nec terram Israel ingredientur.*

E X. Sed hæc & similia, quorum in præfato libro infinita erat copia, quia indignum est scribere, & vestræ prudentiæ fastidiosum audire, facilius conloquendo & fideliter pertractando dijudicari possunt. Nunc superest ut sacrorum statuta canonum, catholicorumque patrum sententias, sicut superius promisimus, exsequamur; ut ex his perspicue declaretur qua cautela levissimorum hominum excogitationes vitandæ sint, quæ nulla veritate subnixæ, nulla ratione ornatæ, contemtui patent.

XI. In Concilio Africano talis constitutio promulgata est: *Ut preces & orationes, nisi probatæ fuerint in Concilio, non dicantur; nec aliqua ex ...*

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 810.



omnino cantentur in Ecclesia, nisi quæ a prudentioribus tractata & comprobata in synodo fuerint; ne forte aliquid contra fidem, vel per ignorantiam, vel per studium, sit compositum. Ubi breviter considerandum, quod non solum ea quæ studio perfidiæ, sed etiam illa quæ simplicitate ignorantiæ contra fidei regulam composita fuerint, pari animadversione repudiantur.

XII. Beatus Hieronymus cum exponeret præceptum Apostoli, ubi ait: [1] *Implemini spiritu loquentes vobismet ipsis in psalmis & hymnis & canticis spiritalibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino*, non tacuit quod in cantoribus Ecclesiæ reprehendendum videbat. „ Canere igitur, ait, „ & psallere & laudare Dominum magis animo „ quam voce debemus. Hoc est quippe quod dici„ tur: *Cantantes & psallentes in cordibus vestris* „ *Domino*. Audiant hæc adolescentuli, audiant hi „ quibus psallendi in Ecclesia officium est, Deo „ non voce, sed corde cantandum; nec in tragœ„ dorum modum guttur & fauces dulci medicami„ ne colliniendæ sunt, ut in Ecclesia theatrales „ moduli audiantur & cantica; sed in timore, in „ opere, in scientia scripturarum. Quamvis sit ali„ quis, ut solent illi appellare, Cacophonos, si „ bona opera habuerit, dulcis apud Deum cantor „ est. Sic cantet servus Christi, ut non vox ca„ nentis, sed verba placeant quæ leguntur; ut spi„ ritus malus qui erat in Saule, ejiciatur ab his „ qui ab eo similiter possidentur, & non introdu„ catur in eos qui de domo Dei scenam fecere po„ pulorum. „ In quibus verbis magnopere pensandum est, quod eos qui in morem psallentis David cum timore & gravitate spiritali canunt, malignum spiritum etiam ab auditoribus suis excludere posse confirmat; eos vero qui theatralibus sonis & scenicis modulationibus, & quamvis in divinis verbis, vocis dulcedine intemperantius delectantur, eum non solum ab aliis non excludere, sed, quod est terribile, in seipsos introducere testatur. Unde & in alio loco [2] idem doctor cum sententiam Esaiæ exponeret, *Iniqui sunt cœtus vestri*, ait: „ Omnis „ conventus qui non offert hostias spiritales, nec „ audit illud quod in quinquagesimo psalmo cani„ tur, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor* „ *contritum, & humiliatum Deus non despicit*, abo„ minabilis Deo est. „ Mens ergo libera, id est, sensibus corporis non succumbens, ita resistere debet vanæ ac noxiæ delectationi aurium, sicut & delectationibus sensuum ceterorum, visus videlicet, & olfactus, gustus, & tactus; quorum perturbationibus anima prægavatur, & capitur. Quantum denique oblectationes aurium virtutem mentis enervent, testatur præfatus doctor, qui ait: *Auditus vario organorum cantu, & vocum inflexionibus delinitur, & in carmine poetarum & comœdiarum, mimorumque urbanitatibus, & strophis, & quicquid per aures introiens virilitatem mentis effeminat.*

XIII. Sed & beatus martyr Cyprianus [3] simili modo dicit, exponens illud Apostoli, *Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret*. Ait ergo: „ Circuit ille nos „ singulos, & tamquam hostis clausos obsidens, „ muros explorat, & tentat an sit pars aliqua mem„ brorum minus stabilis & minus fida, cujus aditu „ ad interiora penetretur. Offert oculis formas il„ lices & faciles voluptates, ut visu destruat casti„ tatem. Aures per canoram musicam tentat, ut „ soni dulcioris auditu solvat & molliat Christia„ num vigorem. „

XIV. Quod & beatus Augustinus [4] ad tentationem diaboli intelligens pertinere, in libris Confessionum suarum Deo gratias refert quod ab hoc vitio liberatus sit. „ Voluptates, *inquit*, aurium te„ nacius me implicaverant, & subjugaverant; sed „ resolvisti & liberasti me. Nunc in sonis, quos „ animant eloquia tua, cum suavi & artificiosa voce „ cantantur, fateor aliquantulum adquiesco, dum „ ipsis sanctis dictis religiosius & ardentius sentio „ moveri animos nostros in flammam pietatis, „ cum ita cantantur, quam si non ita cantaren„ tur. „ Et rursus post aliqua de utilitate psallendi in Ecclesia discretam proferens sententiam, dicit: „ Tutius quidem mihi videtur quod de Ale„ xandrino episcopo Athanasio sæpe mihi dictum „ commemini, quia tam modico flexu vocis facie„ bat sonare lectorem psalmi, ut pronuntianti vi„ cinior esset quam canenti. Verumtamen cum re„ miniscor lacrymas meas, quas fudi ad cantus „ Ecclesiæ tuæ in primordiis recuperatæ fidei meæ, „ & nunc ipso commoveor, non cantu, sed rebus „ quæ cantantur, cum liquida voce & convenien„ tissima modulatione cantantur, magna instituti „ utilitatem rursus cognosco; magisque adducor, „ non quidem inretractabilem sententiam proferens, „ cantandi consuetudinem approbare in Ecclesia, „ ut per oblectamenta aurium infirmior animus in „ affectum, pietatis assurgat. Tamen cum mihi ac„ cidit ut me amplius cantus quam res quæ cani„ tur moveat, pœnaliter me peccare confiteor, & „ tunc mallem non audire cantantem. „ Ecce vir sanctissimus, atque doctissimus, & approbat institutum cantandi propter infirmos, quos in affectum pietatis facit assurgere; & tamen cum accidit ut plus moveat animum cantus, quam res quæ canitur, pœnale dicit esse peccatum, ita ut melius sit non audire cantantem, utique in cantu & sonis quos divina eloquia animant, ac vivificant; ut vita cantuum ac sonorum in sententiis sit divinorum eloquiorum. Ceterum, si in diebus suis audisset aliquos non de divinis eloquiis, sed de humanis adinventionibus cantantes, numquid non mortuum & sine vita talem cantum judicaret?

XV. Verum quia Gregorii præsulis nomen titulus præfati libelli prætendit, & hinc opinione sumta putant eum quidam a beato [5] Gregorio Romano pontifice & inlustrissimo doctore compositum; videamus quod sanctus ille vir de cantu ecclesiastico ordinaverit, vel quid ejus tempore Romana Ecclesia decantarit. Ait igitur in Decretis suis: „ In „ sancta hac Romana Ecclesia, cui divina dispen„ satio præesse me voluit, dudum consuetudo est „ valde reprehensibilis exorta, ut quidam ad sacri „ altaris ministerium cantores eligantur, & in dia„ conatus ordine constituti modulationi vocis inser„ viant; quos ad prædicationis officium eleemosy„ narumque studium vacare congruebat. Unde fit „ plerumque, ut ad sacrum ministerium, dum blan„ da vox quæritur, quæri congrua vita negligatur, „ & cantor minister Domini moribus stimulet, „ cum populum vocibus delectat. Qua de re præ„ senti decreto constituo, ut in sede hac sacri al-

1. Hieron. lib. III. Comment. ad cap. v. Epist. ad Ephes.
2. Hieron. in Isa. cap. 1.
3. Cyprian. in Serm. de zelo & livore.
4. August. confess. lib. X. cap. XXXIII.
5. Gregor. M. lib. IV. Indict. XIII. epist. XLIV.

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 810.



„ taris ministri cantare non debeant, solumque evangelicæ lectionis officium inter Missarum solemnia exsolvant; psalmos vero ac reliquas lectiones censeo per subdiaconos, vel si necessitas exigit, per minores ordines exhiberi. Si quis autem contra hoc decretum meum venire tentaverit, anathema sit. Et responderunt omnes, Anathema sit.„ Ecce vir apostolicus reprehendit consuetudinem, qua diaconibus cantandi officium injungebatur, nec in eis blandam vocem, sed congruam vitam dicit esse requirendam; stimularique Deum talium ministrorum moribus asserit, etiamsi populum vocibus delectent. Damnata vero tali consuetudine, psalmos ac reliquas lectiones per subdiaconos vel per minores ordines censet exhiberi; solo videlicet evangelicæ lectionis officio diaconibus delegato. Ex quibus perspicue demonstratur psalmos tunc in Ecclesia decantari solitum, unde maximam partem divinorum officiorum etiam nunc constat esse compositam, & non figmenta quorumlibet hominum, quæ a tanto illo viro non esse composita, nemo nisi qui sincerissimæ ejus fidei & excellentissimæ eruditionis ignarus est, dubitat.

XVI. Igitur quia sanctorum patrum dictis satis ostensum est quantum humanæ levitates & mendacia devitanda, quantumque divinorum eloquiorum veritas ac sinceritas amplectenda sit, libet pauca ex verbis beati martyris [1] Cypriani subnectere; quibus ostendatur qua gravitate & modestia divina officia celebranda sint: „ Sit, *inquit*, orantibus sermo & precatio cum disciplina, quietem continens & pudorem. Cogitemus nos sub conspectu Dei stare. Placendum est divinis oculis & habitu corporis, & modo vocis. Nam ut impudentis est clamoribus strepere; ita congruit verecundo modestis precibus orare. Et quando in unum cum fratribus convenimus, & sacrificia divina cum Domini sacerdote celebramus, verecundiæ & disciplinæ memores esse debemus: Non passim ventilare preces nostras inconditis vocibus, nec petitionem commendandam modeste, Deo tumultuosa loquacitate jactare. Quia Deus non vocis sed cordis auditor est; nec admonendus est clamoribus, qui cogitationes videt, probante Domino & dicente: Et scient omnes Ecclesiæ quia ego sum scrutans renes & corda. Sonet psalmus. Convivium sobrium sit nobis spiritualis auditio, prolectet aures religiosa mulcedo. „

XVII. His ergo & hujusmodi patrum monitis informati, & eorum sequentes vestigia quos ad Dominum præcessisse non ambigimus, cunctas adinventiones hominum quasi superfluas respuentes, verbis Domini, quæ ad omnia sufficiunt, in ejus laudibus personemus; ut cum beato David dicere valeamus: *Et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*. Quia, ut beatus Augustinus ait, *nibil Deo recte offertur, nisi quod ab eo accipitur*. Qui & alio loco præcepit suis: *Nolite cantare nisi quod legistis esse cantandum*. Quod quidam religiosi viri sequentes, subjectis sibi fratribus præceptum tale dederunt: Nullus præsumat Responsoria, aut Antiphonas, quæ solent aliqui composito sono pro suo libitu non ex canonica scriptura assumta canere, in congregatione ista vel meditari vel dicere. Oportet enim nos sanam & simplicem apostolicam & patrum nostrorum imitari doctrinam, & gratiam stabilire, cor moresque subdere disciplinæ. Ea igitur cantare debemus quæ, sicut beatus Augustinus dicit, ita scripta sunt ut cantantur. „ Quæ autem non ita scripta sunt, non cantemus; quia nec alio modo quam quo ipse Dominus jussit per Prophetas & Apostolos suos manifestari ea hominibus debent. A nobis obedientiæ quam victimarum sacrificium quærit; nec cantilenæ artificioso studio, sed observantia mandatorum & cordis munditia delectatur. „

XVIII. Hæc sincerissima patrum statuta, omni diligentia & veneratione observanda sunt. Quia per hoc & fidei puritas, ac religionis disciplina saluberrime custoditur, & duo mala nimis pietati contraria utiliter resecantur; videlicet, dum & vanissimorum hominum præsumtio, qui non solum inepta, & superflua, sed etiam profana & hæretica in Ecclesiis decantare audent, funditus excluditur; & adolescentulis, atque omnibus generaliter quibus cantandi officium injunctum est, magna occasio stultæ & noxiæ occupationis aufertur. Ex quibus quamplurimi ab ineunte pueritia usque ad senectutis canitiem omnes dies vitæ suæ in parando & confirmando cantu expendunt, & totum tempus utilium & spiritalium studiorum, legendi videlicet, & divina eloquia perscrutandi, in istiusmodi occupatione consumunt; quodque animabus eorum proculdubio valde est noxium, ignari fidei suæ, inscii Scripturarum sanctarum, & divinæ intelligentiæ inanes ac vacui, hoc solum sibi sufficere putant; & ob hoc, etiam ventosi & inflati incedunt, si sonum & vocem decantationis utcumque addiscant, & in numero cantorum deputari videantur. Quibus omnino (dum, sicut beatus Gregorius supra ait, *Deum moribus stimulant, cum populum vocibus oblectent*) metuendum est ne etiam ipsa illa Dei increpatione feriantur, qua dicit: *Populus hic labiis me honerat, cor autem eorum longe est a me*. Et iterum: *Aufer a me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non audiam*. Nam & beatus Hieronymus, ut supra memoratum est, de hujusmodi hominibus manifeste dicit, quod de Ecclesia Dei scenam fecerint populorum. Hanc enim occupationem superfluam in eisdem sacris officiis devitantes antiqui, cum eis profecto suppeteret ex divinis libris & multiplex copia laudationis, & peritia modulationis, maluerunt tamen eadem sæpe repetere, quam infinitis & non necessariis psallentium animos occupare, vel gravare.

XIX. Quapropter, auxiliante Dei gratia, omni studio pietatis instandum atque observandum est, ut sicut ad celebranda Missarum solemnia habet Ecclesia librum mysteriorum fide purissima & concinna brevitate digestum, habet & librum lectionum ex divinis libris congrua ratione collectum, ita etiam & hunc tertium officialem libellum, id est, Antiphonarium, habeamus omnibus humanis figmentis & mendaciis expurgatum, & per totum anni circulum ex purissimis sanctæ Scripturæ verbis sufficientissime ordinatum; quatinus in sacris officiis peragendis, juxta probatissimam fidei regulam, & paternæ auctoritatis venerabilem disciplinam, una a nobis atque eadem custodiatur forma orationum, forma lectionum, & forma ecclesiasticarum modulationum; quæ a boni ingenii adolescentibus quamcelerrime imbibita, eos & divinis laudibus concinendis sufficienter & graviter idoneos

1. Cyprian. in Serm. de orat. dominica.

SAECUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 810.

reddat, & a potioribus ac ſpiritalibus ſtudiis non A impediat. Quis enim ita contentioſus, immo inſanus, & ab omni veritatis ratione averſus eſt, ut non hoc rectius, & convenientius, ac ſalubrius fateatur in Dei laudibus decantari, quod ex divinis dictis & libris videat fideliter aſſumi? quatinus ſicut in Symbolo catholico fidem noſtram non noſtris ſed apoſtolicis verbis profitemur, & in dominica oratione non noſtris ſed ipſius Domini & Salvatoris noſtri ſermonibus ſupplicamus; ita etiam in divinæ laudis honore, non humanis, ſed divinis, & ſpiritalibus, juxta Apoſtolum, pſalmis, hymnis, & canticis peſonemus. Superfluo namque alia quæruntur, ubi iſta ſufficere & ſuperabundare noſcuntur.

INCIPIT LIBER
VENERABILIS AGOBARDI
ARCHIEPISCOPI LUGDUNENSIS
Contra libros quatuor Amalarii abbatis.

I. Amalarius in libro ſuo primo capitulo tricesimo ſeptimo dicit ita: „ Romana conſuetudo unum diem, id eſt, VII. Kalendas Maii „ interponit, quem vocat in Letania majore, non „ in jejunio. Letania, ut prædiximus, deprecatio „ eſt apud nos. Poteſt enim ſerena mens, & aliena a voluntate mala, precari Deum, quamvis „ manducet ſobrie carnem meridie, & lætetur de „ reſurrectione Domini. Tamen majorum patrum, „ id eſt, apoſtolicorum uſus ſequendus eſt. Forſitan ex ipſo officio poterimus intelligere quid deprecandum ſit tali in tempore. Prima oratio ad „ Miſſam dicit: *Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut qui in afflictione noſtra de tua pietate confidimus, contra adverſa omnia tua ſemper protectione muniamur.* Huic concordat Offertorium, „ dicens: *Adjuva me Domine Deus meus, ſalvum me fac propter miſericordiam tuam. Qui inſurgunt in me, confundantur.* Eo tempore, id eſt, „ VII. Kalendas Maii, poſſunt inimici commovere „ bella adverſus vicina regna. Ut reor, caute providit ſancta Eccleſia Deum rogare, ut qui deſtruxit olim conſilium Achitopel, nunc deſtruat „ conſilia eorum qui volunt irruere ſuper pacem „ ejus. Intendit & hoc, quod dicit Epiſtola: *Multum enim valet deprecatio juſti aſſidua.* Evangelium alteram petitionem ſonat, dicens: *Quis autem ex vobis patrem petit panem*, & iterum, *aut piſcem*, & iterum, *aut ſi petierit ovum*. In iſtis D „ tribus temporalia petenda poſſumus intelligere: „ per panem, omnia bona quæ de terra naſcuntur: per piſcem, quæ de agris: per ovum, animalia quæ coeunt ſimul. Hæc enim memorato „ tempore in aliquo profectu ſunt: germina meſſis „ pullulant, arborum fructus ex flore prodeunt, „ vineæ atque olei liquor ſuis arboribus ſe erumpit, pullorum animantia campos tundunt. Quoniam hæc neceſſaria ſunt noſtris uſibus, petenda „ ſunt a Domino ut conſerventur. „

II. In his verbis Amalarii facile quilibet poteſt deprehendere quæ ſint inutilia, & quæ noxia. Dicit namque poſſe fieri Letanias, id eſt, Rogatio- E nes, ſine jejunio & carnis abſtinentia: quod numquam dictum eſt neque a parum ſapientibus. Nempe Ninivitæ, quando converſi ſunt ad prædicationem Jonæ Prophetæ, non habebant doctores, qui eos docerent ſacrificium Deo eſſe ſpiritum contribulatum, cor contritum & humiliatum. Et tamen ratione naturali intelligentes per hæc flectendam Dei pietatem, contra ſubverſionem ſibi imminentem ad quæ arma concurrerint, dicit ita eadem

B Scriptura: *Et cœpit Jonas introire in civitatem itinere diei unius, & clamavit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur. Et crediderunt viri Ninivitæ in Domino, & prædicaverunt jejunium, & veſtiti ſunt ſaccis a majore uſque ad minorem.* Videlicet uſque ad lactentem, ſicut ſenſerunt qui de hac laudabili pœnitentia ſcribere voluerunt; ex quibus unus Prudentius vir doctus:

Nullus, inquit, *bibendi, nemo veſcendi memor.*
Jejuna menſas pubes omnes liquerat.
Quin & negato lacte, vagientium
Fletu madeſcunt parvulorum cunulæ.
Succum papillæ parca nutrix derogat.

C Sequitur in eadem Scriptura: „ Et pervenit verbum ad Regem Ninive, & ſurrexit de ſolio „ ſuo, & ejecit veſtimentum ſuum a ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere, & clamavit, „ & dixit in Ninive ex ore Regis & Principum „ ejus, dicens: Homines, & jumenta, & boves, „ & pecora non guſtent quicquam, nec paſcantur, „ & aquam non bibant. Et operiantur ſaccis homines, & jumenta, & clament ad Deum in fortitudine: & convertatur vir a via ſua mala, & „ ab iniquitate quæ eſt in manibus eorum. Quis „ ſcit ſi convertatur & ignoſcat Deus, & revertatur a furore iræ ſuæ, & non peribimus? Et „ vidit Deus opera eorum, quia converſi ſunt de „ via ſua mala: & miſertus eſt ſuper malitia quam „ locutus fuerat ut faceret eis, & non fecit. „ Sed per Joel Prophetam ipſe Dominus demonſtrat quales rogationes velit ſibi exhiberi, dicens: „ Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & fletu, & planctu; & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra; & convertimini „ ad Dominum Deum veſtrum, quia benignus & „ miſericors eſt, patiens, & multus miſericordia, „ & deprecabilis ſuper malitia. „ Illud etiam quod ſubjungit, propterea ſeptimo Kalendas Maii legendam lectionem Evangelii, in qua datur exemplum de pane, ovo, & piſce, quia eo tempore proficiunt, & pro illis eo tempore Dominus deprecandus ſit, ut noſtris uſibus conſerventur, quis non videat quanto riſu dignum ſit, eo quod numquam Dominus pro his orationes publicas fieri juſſerit; cum e contrario præceperit: *Nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis, & nolite in ſublime tolli. Hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Pater autem veſter ſcit quoniam bis indigetis. Verumtamen quærite regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.* Nam etſi pro frugibus terræ & pro ani-

mantibus quibusque orandus Deus; numquid & pro A piscibus rogationes faciendæ sunt, ut conserventur propter nos?

III. Dicit iterum Amalarius in libro primo capitulo vicesimo septimo: „ Eum quem superius „ precatus est Pontifex ut mitteret Spiritum sanctum, in sequentibus petit ut suscipientem dignetur consignare in vitam æternam; id est, „ eumdem Spiritum non amittat suscipiens, usque „ dum perducat hospitem suum ad vitam æternam „ *Et post pauca*: „ Sine isto signaculo „ non oportet nos præsentari ante Deum. De quo „ quasi de aliquo vestimento dicebat Paullus ad Corinthios: Etenim qui sumus in isto corpore, B „ ingemiscimus gravati; eo quod nolumus spoliari, „ sed supervestiri; ut absorbeatur mortale a vita. „ De quo vestimento dicat, in sequentibus monstrat: Qui autem perficit nos in hoc ipsum Deus, „ qui dedit nobis pignus Spiritus. „

IV. Hæc verba Amalarii qualia sint, omnis qui erga sinceritatem fidei sollicitus est, dijudicare potest. Tamen hoc quod subjungit dicens, *De quo signaculo quasi de aliquo vestimento dicebat Paullus ad Corinthios: Etenim qui sumus in isto corpore, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus spoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur mortale a vita*, talem sensum habere qualem ille intromittit si alicubi le- C git, illius forsitan error est qui scripsit. Si autem ex semetipso excogitavit, nimia præsumtio est. Quid namque ingemiscit gravatus? Certe eo quod non vult spoliari, sed supervestiri. Et si non vult spoliari vestimento Spiritus sancti, quid vult vestire super Spiritum Dei? Sed quoniam laboriosum est refutare sensum ejus, hoc nobis dixisse sufficiat, quod doctor catholicus beatus Augustinus hoc vestimentum mortalitatem carnis esse dicit, quam gestamus in hoc corpore viventes. Et propterea ingemiscimus gravati, quia timemus per mortem temporalem spoliari vestimento carnis: &, si fieri posset, vellemus supervestiri immortali vita; non deposita per mortem ipsa mortalitate, sed potius ab- D sorpta a vita.

V. Dicit iterum Amalarius in libro primo capitulo quadragesimo: „ Solet quæri inter vulgares „ quanto tempore debeant unctionem chrismatis „ observare in capite, ut non laventur qui accipiunt manus impositionem, absque tempore baptisterii. Quibus potest responderi, quanto tempore generaliter ab Ecclesia celebratur adventus „ Spiritus sancti super Apostolos, tanto tempore „ celebretur apud unumquemque qui eum accipit, „ hoc est, septem diebus. Et non immerito. Quoniam in septem mulieribus venit ad hospitem „ suum, fas est ut unicuique mulieri convivium E „ suum pararetur per singulos dies: de quibus mulieribus dicit Isaias: *Apprehendent septem mulieres virum unum*. Convivium illarum mulierum „ est, quando ipsæ de se satiant hospitem suum. „ Talia convivia exercebat Christus apud convivas „ suos, talia & Spiritus sanctus exercet. Hospes „ Spiritus sancti, mens est hominis. Mens tanto „ amplius satiatur a sagina Spiritus sancti, quanto minus fuerit dedita carnalibus delectationibus. „ Ita observet accipiens tempus adventus Spiritus „ sancti, ut solet carus amicus circa carum amicum observare. Quando aliquis carus ad amicum „ carum venit, in nullo vult ille qui suscipit, illum offendere, sed quicquid novit ei placitum „ esse, hoc ex corde benigno ei adhibet. Ita quic- A „ quid cognoverit suscipiens Spiritum sanctum, „ placitum ei esse, hoc illi exhibeat quamdiu cum „ illo est. Si hoc fecerit, forsitan citius poterit ei „ conciliari, quando aliqua offensa recesserit ab eo. „ Quando christus recordatur unctionem chrismatis sibi adesse, tunc potissimum recolit debere se „ esse sub disciplina Spiritus sancti. Unctio illa „ ideo fit, ut sciamus quod invisibiliter operetur „ Spiritus sanctus in nobis. Oleum solet fessorum „ membra fovere. Balsamus solet redolere. Fessa „ sunt membra animæ nostræ, quando pœnitet se „ egisse quod contra Dei voluntatem est: ad quam „ solet Spiritus sanctus venire, & ei monstrare dimissa peccata, sive dimittenda. Unde & ipse B „ Spiritus consolator dicitur. „

Hæc verba Amalarii confusa & inutilia unusquisque qui audit, videat quomodo corrigat, qualiter derideat: quia non ædificant fidem, sed destruunt; nec plantant virtutes in mentibus audientium, sed evellunt; maxime ubi in postremis dicit: *Quando christus recordatur unctionem chrismatis sibi adesse, tunc potissimum recolit debere se esse sub disciplina Spiritus sancti.*

VI. Item Amalarius in eodem capitulo: „ Non „ enim frustra Spiritus sanctus super Apostolos venit in die Pentecostes in vento & igneis linguis. „ Voluit futuræ Ecclesiæ demonstrare quid opera- C „ tus esset in Apostolis per adventum suum. Venit in vento vehementi, ut ostenderet se excussurum esse ab Apostolorum cordibus omnem cupiditatem terrenam. Sicut enim ventus vehemens „ proicit pulverem a facie terræ, sic adventus Spiritus sancti a corde hominis eicit omnem terrenam cupiditatem. In igneis linguis apparuit, ut „ demonstraret quales facturus erat linguas Apostolorum; hoc est loquentes, & ignita verba infundentes in corda credentium. Hæc enim verba ignita consumunt peccata, & accendunt corda ad „ amorem æternæ patriæ. Ipsa est caritas quæ diffunditur in corda credentium, & facit ea unum „ cor esse ad imitationem suæ propriæ substantiæ; D „ hoc est, ut unum velint, sicut sancta Trinitas „ unum vult. „

VII. De his verbis Amalarii perpendant prudentes quid judicent. Manifestum tamen est, quod in eo quod dicit: *Venit in vento vehementi ut ostenderet se se excussurum esse ab Apostolorum cordibus omnem cupiditatem terrenam*, obiciendum illi sit; Si eadem hora quando repleti sunt Spiritu sancto, adhuc discutiendæ erant ab Apostolorum cordibus omnes cupiditates terrenæ, quid operatus in eis est per tres annos mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus? & quare illis dicit: *Jam vos mundi estis, propter sermonem quem locutus sum vobis?* E Et iterum: *Et vos mundi estis, sed non omnes?* Numquid non erant jam utres novi, parati & capaces ad recipiendum vinum novum, id est, Spiritum sanctum, qui eos induceret in omnem veritatem? In eo autem quod subinfert, dicens: *In igneis linguis apparuit, ut demonstraret quales facturus erat linguas Apostolorum, hoc est, loquentes & ignita verba infundentes in corda credentium. Hæc enim verba ignita consumunt peccata*: Non satis attendit quomodo dicat. Nam Apostoli jamdudum fuerant loquentes, jam prædicaverant, jam multa & magna signa fecerant; ita ut dicerent Domino: *Etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.* Non autem, sicut iste dicit, verba consumunt peccata; sed fidem ministrant, fidem ædificant, quæ audientes aptat ad gratiam Baptismi, ex tunc & deinceps.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 810.

Quod autem subjungit, dicens quod verba ignita A Apostolorum accendant corda ad amorem æternæ patriæ. *Ipsa est caritas quæ diffunditur in corda credentium, & facit ea unum cor esse ad imitationem suæ propriæ substantiæ; hoc est, ut unum velint, sicut sancta Trinitas unum vult*: si bene sentit, bonum bene non loquitur. Nam multum differt inter verba prædicantium, & unctionem Spiritus sancti. Si enim verba Apostolorum facere potuissent quod iste somniat in cordibus auditorum, verba Domini potius id fecissent in cordibus Judæorum. Sed quia non est hoc opus verborum, sed divini interni muneris, sic debet intimari qui docet in doctrina. Sed e contra Amalarius docens non in doctrina, sentire cognoscitur, quod sicut caritas, id est, Spiritus B sanctus, corda fidelium per gratiam facit unum esse, & unum velle, ita in sancta Trinitate gratia ejusdem Spiritus ipsam sanctam Trinitatem faciat unum esse, & unum velle, sicut Ariani dogmatizare solebant.

VIII. Item Amalarius in libro primo capitulo tertio decimo dicit: „ Dominus noster est agnus, „ qui incipiente quintadecima luna traditus est; & „ crucem ascendit Parasceve. Sequitur Responso- „ rius cum quatuor versibus. Nullique dubium quin „ Chistus homo ex quatuor elementis consisteret. „ Naturale est homini ut ex terra, & aqua, & „ aere, & igne consistat. Quando naturam homi- C „ nis assumsit, hæc quatuor elementa assumsit. Illa „ pendebant in cruce inter medios duos latrones. „ Unde unus versus: In medio duorum animalium „ cognosceris: quod ita Hieronymus in Habacuc. „

IX. In his verbis Amalarius quanta vagatione discurrat, qui erroribus insanæ mentis mederi per caritatem vult, prudenter perpendat. Homines qui cantum composuerunt ex verbis Scripturarum, arbitrio suo, prout illis congruum visum est, fecerunt. Et per diversas regiones diversis modis. Non Spiritu Dei acti, sicut beatus Petrus de Prophetis & Prophetia futurarum rerum loquitur, dicens: *Non enim voluntate humana allata est aliquando pro-* D *phetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*. Et ideo si homo uni responsorio quatuor versus adjungit, non est umbra alicujus ænigmatis, sicut iste putat, & mendacissime putari cogit. In hoc autem quod dicit, *Sequitur Responsorius cum quatuor versibus. Nullique dubium quin Christus homo ex quatuor elementis consisteret. Naturale est homini ut ex terra, & aqua, & aere, & igne consistat. Quando naturam hominis assumsit, hæc quatuor elementa assumsit*: opponenda est sententia Apostoli his stultissimis & blasphemis sermonibus, qua dicit: *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non* E *secundum Christum*. Dicat Amalarius quomodo Christus homo ex quatuor elementis consistat. Nempe veri fideles, id est, Catholici, Chistum ita tenent, sicut eum beatus [1] Augustinus confitetur, dicens: *Agnoscamus geminam substantiam Christi, divinam scilicet, qua æqualis est Patri; humanam, qua major est pater. Utrumque autem simul, non duo, sed unus Christus; ne sit quaternitas non Trinitas Deus. Sicut enim unus est homo, anima rationalis, & caro; sic unus est Christus, Deus & homo. Ac per hoc, Christus est Deus, & anima rationalis, & caro*. Christum in his omnibus, Christum in singulis confitemur. Quis est ergo per quem factus est mundus? Christus Jesus, sed in forma Dei. Quis est sub Pontio Pilato crucifixus? Christus Jesus, sed in forma servi. Item de singulis quibus homo constat. Quis non est derelictus in inferno? Christus Jesus, sed in anima sola. Quis resurrecturus, triduo jacuit in sepulcro? Christus Jesus, sed in carne sola. Subinfert etiam Amalarius, dicens: *Naturale est homini, ut ex terra, & aqua, & aere, & igne consistat*. Quod multum a puræ mentis intelligentia discrepat. Hoc enim commentum est philosophorum; quod licet ecclesiastici doctores ex toto non evacuent, non eis tamen ex omni parte consonant, nec dicunt hoc naturale esse in exordio originis. De qua re nunc longius aliquid dicere ineptum est: quoniam auctoritas Scripturæ aliter sentiendum demonstrat; illo videlicet loco, ubi omnipotens creator hominis, homini quem de limo terræ formaverat, (vel, sicut alia translatio habet, de pulvere) ait: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*: quod non possunt facere aqua, aer, ignis, sed nec anima quam creator inspiravit in faciem homini formato de pulvere: sed ita fit ut alio loco Scriptura loquitur, dicens: *Revertatur pulvis in terram suam unde erat: & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum*. Si autem de homine quolibet nimis insulse dicitur quod ex elementis naturaliter subsistat, quanto magis de Christo Domino, cujus caro nullam habet originem, nisi operationem Patris & Filii & Spiritus sancti, & susceptionem solius Verbi? Verbum enim caro factum est ut habitaret in nobis. Sicut ergo dicit beatus Augustinus, Christus est Deus, & anima, & caro: sed Deus non est ex elementis, neque anima. Veritas autem carnis, de corpore sumta est Virginis, sine ullo opere humano vel angelico, sed opere, ut dictum est, tantum divino. Quod autem dicit Amalarius, *Quando Christus naturam hominis assumsit, hæc quatuor elementa assumsit*: respondendum est illi, quod non erant redimenda elementa a morte peccati, sicut homo qui per prævaricationem sub diabolo captivus tenebatur. Erraverat enim sicut ovis quæ periit: propter quem venit pastor bonus, ut quæreret & inveniret, & reduceret ad supernam patriam; ubi sine administratione elementorum corporalium vivat, fruendo Deo per eumdem Redemtorem, sicut scriptum est: *Et simus in vero filio ejus Jesu Christo. Hic est verus Deus, & vita æterna*. Nam de elementis illud credendum est quod princeps Apostolorum beatus Petrus ait: *Adveniet autem dies Domini ut fur: in qua cæli magno impetu transient, elementa vero calore solventur*. Subjungit quoque Amalarius: *Illa*, id est, elementa, *pendebant in cruce inter medios duos latrones. Unde unus versus: In medio duorum animalium cognosceris*. Quid ridiculosius dicere potuit, quam ut aer & ignis de cruce penderent, quorum natura est, ut sursum versus ferantur? Et subjungit dicens, *quod ita Hieronymus in Habacuc*. Dic rogo, quid Hieronymus & Habacuc? Numquid dicit, in medium duorum animalium cognoscentur elementa pendere?

X. Item Amalarius in libro primo capitulo duodecimo: „ Si se exinanivit, juxta Apostolum, „ postquam formam servi accepit, quanto magis „ cum factus est Patri obediens usque ad mortem, „ mortem autem crucis? „

Dicendum est Amalario, non sic dicere Apostolum ut ille ait; id est, Postquam formam servi accepit, seipsum exinanivit; sed, *semet ipsum exi-*

1. August. Serm. VIII. de diversis.

nanivit, formam servi accipiens: id est, in ipsa acceptatione formæ servilis, & non postea factus est obediens usque ad mortem.

XI. Dicit item Amalarius in libro tertio capitulo vicesimo tertio: „ Nunc de *Te igitur* dicendum „ est. Ab initio orationis usque ad locum ubi di„ citur; Et in electorum tuorum jubeas grege nu„ merari, celebratur sacrificium electorum, qui non „ habent in carne quod eis repugnet, neque in „ conscientia quod conturbet. Sicut enim duo al„ taria erant in tabernaculo Moysi, sive in tem„ plo Salomonis; unum thymiamatis, alterum ho„ locausti; ita sunt duo sacrificia sanctæ Ecclesiæ. „

Et post pauca, iterum capitulo vicesimo quarto subinfert, dicens: „ Immolato priore sacrificio quod „ constat orationibus perfectorum, & est conjun„ ctum sacrificio angelorum, descenditur ad uni„ versale sacrificium, immolationem scilicet Chri„ sti, quod celebratur ante *Nobis quoque peccato„ ribus*. „ Et post paullum subjungit: „ Quoniam „ una hostia Christus oblata est pro justis & in„ justis. „

XII. Contra hæc verba Amalarii confusa & turbulentos sensus respondendum est, quod nec Pelagius nec Cælestius ausi sunt tam irreverenter suam hæresim prædicare. Nam illi possibilitatem tantum adstruebant, dicendo posse esse hominem sine peccato si velit: non tamen audebant dicere, se sine peccato esse. Amalarius autem multo pejus dicere audet, qui asserit plures esse qui nec in corpore habent quod repugnet, nec in conscientia quod conturbet. Et licet pejus iste quam illi, tamen in commune contradicunt Apostolo Joanni, dicenti: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos decipimus, & veritas in nobis non est*. Et Apostolo Paullo, qui ait: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in legem peccati, quæ est in membris meis*: Ubi & turbatus subjungit, dicens: *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Psalmista quoque ex voce perfectorum, qui dicere possunt, *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus*, subjungens ait: *Ad meipsum anima mea conturbata est*. Et iterum: *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?*

XIII. Dicit adhuc idem Amalarius: *Sicut enim duo altaria erant in tabernaculo Moysi, sive in templo Salomonis, unum thymiamatis, alterum holocausti: ita sunt duo sacrificia sanctæ Ecclesiæ*. Ad quæ respondendum est illi. Ecclesia catholica sicut non habet duas fides, aut duo baptismata; sic non habet duo altaria, aut duo sacrificia. Ita namque & beatus Hieronymus in expositione Isaiæ prophetæ, ubi dicitur: *In die illo erit altare Domini in terra Ægypti*, docet dicens: *Ita autem unum altare dicitur quomodo una fides, & unum baptisma, & una Ecclesia*. Et iterum: *Unum autem altare Ægypti, id est, mundi istius, dicitur; ut cuncta altaria, quæ contra Ecclesiæ eriguntur altare, sciamus non esse Domini*. Audiat etiam hoc Amalarius, quia sicut unum altare Ecclesiæ, ita unus panis corporis Christi, & unus calix sanguinis ejus. Sic enim Apostolus accepit a Domino, & tradidit Ecclesiæ. „ Quoniam Dominus noster Jesus „ Christus, in qua nocte tradebatur, accepit pa„ nem, & gratias agens, fregit, & dixit: Hoc „ est corpus meum, quod pro vobis tradetur.

A „ Hoc facite in meam commemorationem. Simi„ liter & calicem, postquam cœnavit, dicens: „ Hic calix novum testamentum est in meo san„ guine. Hoc facite quotiescumque sumitis in „ meam commemorationem. „ Unde & Ecclesia ex traditione Apostolorum his verbis consecrans mysterium sacri corporis & sanguinis Domini, designanter dicit Dominum dixisse Apostolis: *Accipite & manducate ex hoc omnes. Hoc est enim corpus meum. Simili modo & postea quam cœnatum est, accipiens & hunc præclarum calicem*. Attendat fidelis quisque quid est quod dicit *hunc*. Videlicet quia calix quem sacerdos sacrificat, non est alius nisi ipse quem Dominus Apostolis tradidit.

B Sicut ergo de sanguine, sic quoque de corpore sentiendum est.

XIV. Deinde subjungit Amalarius, dicens: „ Im„ molato priore sacrificio, quod constat orationi„ bus sanctorum, & est conjunctum sacrificio an„ gelorum, descenditur ad universale sacrificium. „ Hæc verba Amalarii non consonant sinceritati catholicæ. Cum enim dicit *priore sacrificio*, ostendit se aliud sacrificium sapere, quod sit posterius. Cum vero subjungit, *quod constat orationibus perfectorum, & est conjunctum sacrificio angelorum*; mirum si vel ipse intelligit quid loquatur. Nam quomodo constat sacrificium orationibus perfecto-

C rum? Numquid aliud constat orationibus peccatorum? Et si sacrificium quod constat orationibus perfectorum, conjunctum est sacrificio angelorum; quod constat orationibus peccatorum, numquid conjungitur sacrificio dæmoniorum? Deinde infert dicens: *Descenditur ad universale sacrificium, immolationem scilicet Christi*. Quid est quod loquitur? Unde descenditur? & quo descenditur? Aperte dicit: *Descenditur ad universale sacrificium*. Si descenditur ad universale, id est, catholicum, (quod enim latine dicitur universale, hoc græce catholicum) descenditur ergo de non catholico ad catholicum, immolationem scilicet Christi. Si posterius sacrificium, ipsum est universale, & im-

D molatio Christi. Ergo prius sacrificium, nec universale est, nec immolatio Christi. Et quomodo constabit orationibus perfectorum, & erit conjunctum sacrificio angelorum, si non est universale & immolatio Christi? Dic, ergo, quale sacrificium est melius, utrum illud prius, constans orationibus perfectorum, quod tamen non est universale, nec immolatio Christi? an posterius, quod constat orationibus peccatorum, nec est conjunctum sacrificio angelorum, & tamen est universale & immolatio Christi? Quis audivit umquam tale? aut quæ umquam hæresis in tam irrationabilem se demersit confusionem?

E XV. Subjungit autem adhuc his verbis, dicens: *Quoniam una hostia Christus oblata est pro justis & injustis*. Non ita dicunt primi Apostoli, Petrus & Paullus: quorum prior: *Christus*, ait, *semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis*. Alter vero: *Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est*. Et post pauca: *Quoniam si cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est; multo igitur magis justificati nunc in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius*. Et Dominus in Evangelio: *Non veni vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam*.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 810.

Nam etsi ante passionem Domini fuerunt multi justi; illa fide salvati sunt, qua crediderunt Christum moriturum pro injustis & impiis, & ipsa fides liberavit eos ab injustitia & impietate.

XVI. Dicit iterum Amalarius in quarto libro capitulo quarto: „ Est sacerdos in terra, cui cotidie necesse est pro se & pro populo Dei intercedere. Est sacerdos in cælo, cui non est necesse intercedere, sed tamen vult, & interpellat cotidie pro nobis. Sacerdos qui est in terra, non vult neque potest dicere quod absque peccato sit, dicente Joanne: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est*. Qui tamen quamvis B sit peccator, non debet a conscientia sua morderi ut tantum sit peccator, quantum multos cognoscit esse in populo terræ. „

XVII. In his verbis Amalarii vagis & furibundis, & omni despectione dignis, illa pessima sunt quibus ait: *Qui tamen*, (id est, sacerdos) *quamvis sit peccator, non debet a conscientia sua morderi, ut tantum sit peccator, quantum multos cognoscit esse in populo terræ*. Hæc verba non tantum inutilia sunt; sed multum noxia, & veritati contraria. Catholica namque fides sic se habet, ut nullius credat acceptari a Deo sacrificium vel orationem, nisi ejus qui cognoverit iniquitatem suam; C sicut manifeste demonstrat David in oratione pœnitentiæ suæ, dicens: *Amplius lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper*. Ac si diceret. Ideo merear indulgentiam tuam, quia cognovi iniquitatem meam. Nam si ego non agnovero, tu non ignosces. Sic & Dominus per Moysen præcipit, dicens: *Si peccaverit princeps, & fecerit unum e pluribus per ignorantiam quod Domini lege probibetur, & postea intellexerit peccatum suum; offerat hostiam Domino*. Et post pauca: *Rogabit pro eo sacerdos, & pro peccato ejus, ac dimittetur ei*. Et iterum: *Anima si peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex* A *his quæ Domini lege probibentur, & peccati rea intellexerit iniquitatem suam, offerat arietem immaculatum de gregibus sacerdoti, juxta mensuram æstimationemque peccati: qui orabit pro eo quod nesciens fecerit; & dimittetur ei qui per errorem deliquit in Domino*. Salomon quoque in dedicatione templi orans dicit: *Si quis cogneverit plagam cordis sui, & extenderit manus suas in domo hac, tu exaudies in loco habitationis tuæ, & repropitiaberis*. Perpendat prudens fidelis, quam contrarium sit veritati divinæ consilium Amalarii, & quantum congruat suasioni diaboli.

XVIII. In libro quarto capitulo ultimo dicit Amalarius: „ Nuperrime monstratum est mihi, ut puto, ab eo qui quod aperit, nemo claudit, quid rationabiliter possit dici de corpore Domini posito in altari, & de calice ex latere ejus, salvo magisterio eorum qui alias & melius mihi volunt aperire, quomodo & quare aliter panis ponendus sit in altari, & calix juxta eum. Altare, crux Christi est, ab eo loco ubi scriptum est in Canone: *Unde & memores sumus*, usque dum involvitur calix de sudario diaconi, vice Joseph, qui involvit corpus Domini sindone, & sudario. „ *Et post pauca*: „ Panis extensus super altare, corpus Domini monstrat extensum in cruce, quod nos manducamus. Vinum & aqua in calice, monstrat sacramenta, quæ de latere Christi in cruce fluxerunt, id est, sanguinem & aquam, quibus nos potat Dominus noster. „

XIX. Ad hæc verba Amalarii respondendum est: Si putat ab eo sibi demonstratum qui aperit & nemo claudit, cui subjungit, dicens: *Salvo magisterio eorum qui alias & melius mibi volunt aperire*? Ubi iterum putat invenire qui melius illi possit aperire quam Dominus, qui aperit, & nemo claudit? Quare non est recordatus evangelicæ sententiæ, quæ dicit: *Ne vocemini magistri, quia magister vester unus est Christus*?

EPITAPHIUM CAROLI MAGNI IMPERATORIS.

Aurea cælorum postquam de Virgine Christus A
Sumserat apta sibi mundi pro crimine membra,
Jam decimus quartus post centies octo volabat
Annus, fluctivagi meruit per fervida cæli
Ætherei Carolus, Francorum gloria gentis,
Æquora transire, & placidum comprendere portum.
Qui deciesque quater per sex feliciter annos
Sceptra tenens regni, & regno rex regna rejungens,
Febru migravit quinto arii ex orbe Kalendas,
Septuaginta senex vitæ qui terminat annos.
Quapropter flagito, precibus si flecteris ullis,
Quique hujus relegis versus epigrammata lector,
Astriferam Caroli teneat, dic, spiritus arcem.

DE TRANSLATIONE

reliquiarum sanctorum martyrum Cypriani, Sperati, & Pantaleonis ad urbem Lugdunensem.

Rector magnificus piusque princeps,
Augusto Carolus decore fultus,
Sceptrum nobile Francorum regebat,
Subjectos populos pie gubernans.
Lectos æquora jusserat secare,
Ac jam propitio sibi tonante,
Post multos nimiæ viæ labores,
Ingressu reduci salum petentes,
Intrarunt Libycos repente fines:
Qua Carthago gravi jacens ruina
Deflet præteritæ decus juventæ.
Heic dum basilicas Deo dicatas,
Et Christi subeunt veneranda templa,
Cernunt ut tua, Cypriane martyr,
Servaret loculus neglectus ossa.
Tum vero nimio dolore moti,
Et magno gemitu polum intuentes,
Poscunt auxilium Dei perennis,
Pro quo sancte tibi caput recisum est.
Et mox poplitibus precando flexis,
Pandunt sarcophagum, studentque sacros
Artus stringere linteis paratis,
Committuntque sacro corpus locello.
Sperati quoque martyris beati,
Necnon Pantaleonis ossa raptim
Tollunt cuncta simul, ligantque pannis.
Conscendunt celeres ratem paratam,
Nec sævi metuunt pericla ponti.
Egressis Arelas opima portu
Occurrit placido, sinuque læto
Fessos excipit, ac fovet benigne.
Hæc mox cum audiit optimus sacerdos,
Lucduni placidam tenens cathedram,
B Sanctorum eximio calore flagrans,
Intendensque sacris ubique rebus,
Ledradus specimen decusque cleri,
Orat, postulat, impetratque raptim,
Ut sanctissima martyrum piorum
Nostris mœnibus ossa conderentur,
Lucduni ad placidam Joannis aram,
Qui Christum vitrea rigavit unda.
Illic cum sociis honore claro
Florens, inclyte Cypriane dormis.
Sed quæso vigiles, vigilque nostris
Intendas precibus; fiasque nobis
Clemens & validus Dei patronus;
Solvas crimina, conferasque vota.
C Sic, quæso, memor illa lingua nostri,
Quæ confessa Dei perenne verbum,
Cervicem gladio dedit secandam;
Sed Christum cecinit, silere nescit.
Hanc Christus jugiter benignus audit,
De sacros populos stilo excitantem,
Hæresesve pravas, deosve falsos,
Verbi fulmine funditus cremantem.
Hanc & pro populo & patrono nostro
Semper quæsumus audiat rogantem;
Pastorem foveat, gregem propaget;
Det munus fidei, decus salutis.
O doctor sacer, o beate martyr,
Serva pontificem pius Agobardum,
D Qui nomen, meritum, tuumque festum
Dictis extulit, & honore comsit.
O triplex honor, o triforme culmen!
O tres magnifici piique testes!
Sit nobis triplici o! favens precatu
Pollens unica Trinitas per ævum.

ELENCHUS OPERUM AGOBARDI.

SÆCUL. IX.
CIRCA
ANN. CHR.
817.



ΛΟΓΟΣ ΙΣΤΟΡΙΚΟΣ

ΓΡΗΓΟΡΙΟΥ

ΤΟΥ ΔΕΚΑΠΟΛΙΤΟΥ,

Πάνυ ὠφέλιμος καὶ γλυκύτατος κατὰ πολλά, περὶ ὀπτασίας, ἣν τις Σαῤῥακηνός ποτε ἰδὼν, ἐπίστευσε, μαρτυρήσας διὰ τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν.

SANCTI GREGORII

DECAPOLITÆ

SERMO HISTORICUS

utilissimus ac jucundissimus

De visione, quam cum habuisset Sarracenus quidam, credidit, & propter Jesum Christum Dominum nostrum martyrio affectus fuit.

Interprete ISIDORO *a S. Joseph.*

Εὐλόγησον πάτερ.

Ὁ Στρατηγὸς Νικόλαος, ὁ λεγόμενος Ἰουλᾶς διηγήσατό μοι, ὅτι ἐν τῇ ἰδίᾳ πόλει ἣν καλοῦσιν οἱ Σαῤῥακηνοὶ τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ ἄμπελον, ἀπέσταλεν ὁ Ἀμερουμνῆς Συρίας τὸν ἴδιον ἀνεψιὸν, πρὸς τὸ διοικῆσαι δουλείας τινὰς εἰς τὸ εἰρημένον κάστρον.

Ἔστι δὲ ἐκεῖ ναὸς μέγας, καὶ ἀρχαῖος καὶ θαυμαστὸς τοῦ ἁγίου καὶ πανενδόξου μάρτυρος Γεωργίου. καὶ ὅταν δὲ εἶδεν ὁ Σαῤῥακηνὸς τὸν ναὸν ἐκ μακρόθεν, ἐκέλευσε τοὺς ἑαυτοῦ δούλους κομίσαι τὰ ἑαυτοῦ πράγματα ἐν τῷ ναῷ, ἔπειτα καὶ τὰς καμήλους τὸν ἀριθμὸν δεκαδύο· ὅπως ἄνωθεν ἐσθιούσας βλέποι.

Οἱ δὲ ἱερεῖς τοῦ σεβασμίου ἐκείνου ναοῦ τοῦτον δεόμενοι λέγοντες. κύριε τοιαῦτα μὴ ποιήσῃς· ὅτι ναὸς Θεοῦ ὑπάρχει· καὶ μὴ καταφρονήσῃς αὐτὸν, οὔτε τὰς καμήλους βαλεῖν ἐν τῷ ἱερῷ θυσιαστηρίῳ τοῦ Θεοῦ. ὁ δὲ Σαῤῥακηνὸς ὡς ἀπηνὴς καὶ ἄγνωμος οὐκ ἠθέλησεν ἀκοῦσαι τὰς δεήσεις τῶν πρεσβυτέρων. ἀλλὰ εἶπε Ἀράβων φωνῇ τοῖς θεράπουσιν αὐτοῦ· οὐ ποιεῖτε τὸ κελευσθὲν ὑμῖν; καὶ παραυθὺς οἱ ἑαυτοῦ δοῦλοι ἐποίησαν ὡς αὐτὸς ἐκέλευσεν. καὶ ἄφνω ἰδοὺ, Θεοῦ προστάξει, αἱ κάμηλοι εἰσελθοῦσαι ἐν τῷ ναῷ πεσοῦσαι πᾶσαι διεφονήθησαν. ὡς δὲ ἰδὼν ὁ Σαῤῥακηνὸς τὸ παράδοξον θαῦμα, ἐξέστη, καὶ ἐκέλευσε τοὺς θεράποντας αὐτοῦ, ἵνα ἐκβάλωσι, καὶ ῥίπτειν μακρόθεν τοῦ ναοῦ πεφονευμένας καμήλους, καὶ οὕτως ἐποίησαν.

Καὶ ἐπεὶ ἑορτὴ ἦν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, καὶ ἐγγίσατα ἡ ὥρα τῆς θείας λειτουργίας. καὶ ὁ ἱερεὺς μέλλων ἄρξασθαι τῆς θείας προσκομιδῆς σφόδρα ἐφοβεῖτο τὸν Σαῤῥακηνὸν, πῶς ἅψῃ ἐνώπιον αὐτοῦ τὴν ἀναίμακτον θυσίαν. καὶ ἕτερός τις ἱερεὺς ὁ τούτου συγκοινωνὸς ἔφη τῷ μέλλοντι ἱερουργῆσαι. μὴ φοβοῦ· οὐκ οἶδας τὸ παράδοξον θαῦμα; τί δειλιᾷς; ὁ οὖν εἰρημένος ἱερεὺς ἀφόβως ἤρξατο τῆς ἁγίας προσκομιδῆς.

A BENEDIC PATER.

I. DUx exercitus Nicolaus cognomento Julas narravit mihi, quod in suam civitatem quam Sarraceni proprio idiomate vocant [1] Ampelon, destinavit [2] Amerumnes Syriæ suum ipsius nepotem ad quædam peragenda ac disponenda in jam dicto castello.

II. Visitur eo loci templum amplum vetustum atque admirandum sancti & gloriosissimi martyris Georgii, quod ut Sarracenus eminus est conspicatus, servis edixit sarcinas inferre templo, deinde & camelos inducere numero duodecim, ut eos ex

B alto pabulantes aspiceret.

III. At vero venerandi illius templi Sacerdotes, supplicabant Sarraceno dicebantque: Cave ne feceris domine, quia templum Dei est, quod noli vilipendere, nec camelos ad sacrum altare permittas accedere. Sed Sarracenus utpote temerarius ac crudelis, precibus presbyterorum aures præbere renuit, & Arabica lingua ministris inquit: Non adimpletis ea quæ vobis sunt injuncta? Confestimque perfecerunt servi quæ dominus imperaverat. Et ecce cameli templum ingressi divino nutu corruentes subito ad unum omnes interfecti sunt. Quod cum Sarracenus intuitus esset inopinum miraculum, consternatus animo jussit interemtos camelos procul eji-

C ci templo: quod imperium servi velocius compleverunt.

IV. Quoniam vero dies ille festivus erat, & appropinquabat hora sacri ministerii, sacerdos divinam oblationem incepturus vehementer formidabat in conspectu Sarraceni contingere incruentum sacrificium: sed alius sacerdos celebraturi collega sic eum allocutus est: Ne timeas. Nonne vidisti stupendum miraculum? Quid metuis? Sacerdos igitur excussa formidine sacram oblationem est aggressus.

1. *Alkarem* in Thebaide. Utrumque nomen *vineam* significat.

2. *Amir mumini* sive *Califus*. Illud nomen significat principem, hoc vicarium, nempe Muamedis.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 817.



Ὡς δὲ εἶδε ταῦτα ὁ Σαῤῥακηνὸς προσεδόκει ἰδεῖν τί μέλλων ποιῆσαι ὁ ἱερεὺς. ἀρξαμένου οὖν τοῦ ἱερέως τῆς θείας προσκομιδῆς, καὶ λαβόντος τὸν ἄρτον ποιῆσαι τὴν ἀναίμακτον θυσίαν. ὁ Σαῤῥακηνὸς δὲ εἶδε τὸν ἱερέα, ὅτι παιδίον ἔλαβε ταῖς χερσὶ, καὶ ἔσφαττεν αὐτὸ κιρνῶν τὸ αἷμα αὐτοῦ ἐν τῷ ποτηρίῳ, καὶ τὸ σῶμα αὐτοῦ κλῶν, θεὶς ἐν τῷ δίσκῳ. A

V. Interim operiebatur Sarracenus ut videret quid deinceps facturus esset. Cum ergo sacerdos inchoasset sacram oblationem, & panem accepisset ad peragendum incruentum sacrificium, vidit Sarracenus sacerdotem manibus accipientem puerulum, & mactantem ac sanguinem ipsius fundentem in calice, & corpus ejus frangentem ac ponentem in disco.

Ὁ δὲ Σαῤῥακηνὸς ταῦτα πάντα ἰδὼν ἐξέστη θυμοῦ πολλοῦ, καὶ ὀργῆς ἐπληροῦτο κατὰ ἱερέως, βουλόμενος ἀποκτεῖναι αὐτόν. ὡς δὲ ἤγγικεν ἡ ὥρα τῆς ἁγίας εἰσόδου, ὁ Σαῤῥακηνὸς εἶδεν αὖθις τρανωτέρως, τὸ παιδίον ἐν τῷ δίσκῳ μεμελισμένον εἰς τέσσαρα, καὶ τὸ αἷμα αὐτοῦ ἐν τῷ ποτηρίῳ, καὶ πάλιν μετὰ ὀργῆς ἐξέστη. καὶ ὡς ἤγγικε τὸ τέλος τῆς θείας λειτουργίας, καί τινες τῶν χριστιανῶν ἐβούλοντο μεταλαβεῖν τὰ θεῖα μυστήρια, καὶ εἰπόντος τοῦ ἱερέως τό· μετὰ φόβου Θεοῦ καὶ πίστεως προσέλθετε· καὶ πάντες οἱ χριστιανοὶ ἔκλιναν τὰς κάρας πανευλαβῶς, καί τινες ἐξ αὐτῶν προσῆλθον μεταλαβεῖν τὰ θεῖα μυστήρια. καὶ πάλιν εἶδε ὁ Σαῤῥακηνὸς ἐκ τρίτου τὸν ἱερέα μεταδιδόναι ἐκ τοῦ σώματός τε, καὶ αἵματος τοῦ παιδίου μετὰ τῆς λαβίδος τοῖς μεταλαμβάνουσιν. ἐπεὶ δὲ οἱ μετανοοῦντες χριστιανοὶ μετέλαβον τὰ θεῖα μυστήρια, καὶ ὁ Σαῤῥακηνὸς εἶδεν, ὅτι μετέλαβον ἐκ τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ παιδίου, θυμοῦ καὶ ὀργῆς ἐπληροῦτο κατὰ πάντων.

VI. Quæ cum intueretur Sarracenus furore multo percitus, iraque in sacerdotem exæstuans, eum interficere meditabatur. Cumque advenisset hora sancti Introitus rursus manifestiusque vidit Sarracenus puerulum in disco membratim concisum in partes quatuor, ejusque sanguinem in calice & denuo B vehementer obstupuit. Cumque jam finis instaret divinæ liturgiæ & nonnulli Christianorum communicare cuperent divinis mysteriis, & sacerdos dixisset: *Cum timore Dei ac fide accedite*: omnes etiam Christiani capita sua reverenter admodum inclinassent: accesserunt quidam ex ipsis ad communionem divinorum mysteriorum. Jamque tertio vidit Sarracenus sacerdotem ex corpore & sanguine pueruli fulcimula partem impertiri communicantibus. Postquam vero pœnitentes Christiani participarunt divinis mysteriis, viditque Sarracenus eos de corpore & sanguine pueruli sumsisse; ira ac furore repletus est adversus omnes.

Μετὰ οὖν τὴν συμπλήρωσιν τῆς θείας λειτουργίας, C μετέδωκε τὸ ἀντίδωρον ὁ ἱερεὺς πᾶσι τοῖς χριστιανοῖς. ἐξενεδύθη δὲ πᾶσαν τὴν ἱερατικὴν στολὴν, καὶ ἐκ δὲ τῶν καλλιστευτῶν τοῦ ἄρτου δέδωκε καὶ τῷ Σαῤῥακηνῷ. ὁ δὲ ἔφη τῇ Ἀράβων φωνῇ· τί ἐστι τοῦτο; ὁ δὲ ἱερεὺς ἔφη· κύριε, ἐκ τοῦ ἄρτου ὃν ἐλειτουργήσαμεν. ὁ δὲ Σαῤῥακηνὸς ἔφη μετὰ ὀργῆς· ἐκ τούτων ἐλειτούργηκας, κύων, μιαρὲ, ἀκάθαρτε, καὶ φονεῦ; οὐκ εἶδόν σε, ἐγὼ, ὅτι παιδίον ἔλαβες καὶ ἔσφαξας, καὶ τὸ αἷμα αὐτοῦ ἐκέρασας ἐν τῷ ποτηρίῳ, καὶ τὸ σῶμα αὐτοῦ κόψας, μέλη καὶ μέλη ἔθηκας ἐν τῷ δίσκῳ; οὐκ εἶδον ταῦτα πάντα μιαρὲ καὶ φονεῦ; οὐκ εἶδόν σε ἐσθίοντα καὶ πίνοντα ἐκ τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ παιδίου; καὶ μετέδως ἔτι καὶ τοῖς παρεστηκόσιν ἐξ ἐκείνου; καὶ νῦν ἔχουσι κρεῶν ἡμαγμένων ἐν τοῖς στόμασι αὐτῶν.

VII. Peracto denique divinæ Missæ sacrificio distribuit [1] antidorum sacerdos cunctis Christianis, & exutus est sacerdotalibus vestibus. Ipsi etiam Sarraceno elargitus est partem panis pulcherrimæ formæ. Ille vero lingua Arabica vociferans, quidnam est hoc? inquit. Cui sacerdos, ex pane quem sacrificavimus. Tum Sarracenus vehementer excandescens, ait: Ex his sacrificasti, canis, scelesle, contaminate, homicida? Nonne ego vidi quemadmodum puerulum accepisti, & mactasti, ac sanguinem ejus in poculo miscuisti, & cum corpus ejus concidisses membratim posuisti in disco? Numquid ego hæc omnia contuitus sum, scelesle, impure, & homicida? Nonne ego te vidi comedentem & bibentem D ex infantis corpore, & sanguine? Insuper præsentibus impertitus es, & adhuc cruentas carnes versant in ore suo.

Ὁ δὲ ἱερεὺς τοῦτο ἀκούσας ἐξέστη λέγων· κύριε, ἐγὼ ἁμαρτωλὸς τυγχάνω, καὶ οὐ δύναμαι ἰδεῖν τοιοῦτο μυστήριον. ἐπεὶ δὲ ἡ σὴ κυριότης τοιοῦτο μυστήριον ἔβλεψε, πιστεύω τῷ Θεῷ, ὅτι μέγας ἄνθρωπος εἶ σύ.

VIII. His auditis sacerdos obstupuit dicens: domine, peccator ego sum, & non mereor videre tantum mysterium. Quia vero dominatio tua tale mysterium conspexit, credo Deo meo te magnum virum esse.

Ὁ δὲ Σαῤῥακηνὸς φήσας, οὐκ ἔστι τοῦτο καθὼς ἐθεασάμην; καὶ ὁ ἱερεύς· ναὶ κύριέ μου, οὕτως ἔχει. ἀλλ᾽ ἐγὼ ἐπεὶ ἁμαρτωλὸς τυγχάνω, τοιοῦτο μυστήριον οὐ μὴ δύναμαι βλέπειν, εἰ μὴ ἄρτον καὶ οἶνον· καὶ τόνδε τὸν ἄρτον καὶ οἶνον πιστεύομεν, καὶ τηροῦμεν, καὶ θυσιάζομεν εἰς τύπον τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. οἱ γὰρ μεγάλοι καὶ θαυμαστοὶ πατέρες, οἱ τῆς ἐκκλησίας φωστῆρες, καὶ διδάσκαλοι, οἷος ἦν ὁ θεσπέσιος μέγας Βασίλειος, καὶ ὁ ἀοίδιμος Χρυσόστομος, καὶ ὁ Θεολόγος Γρηγόριος τοῦτο τὸ φοβερὸν καὶ φρικτὸν μυστήριον οὐκ ἔβλεπον· ἐγὼ δὲ πῶς δύναμαι βλέπειν;

IX. Sarracenus inquit: Non est hoc tale, quale oculis meis spectavi? Et sacerdos: Certe sic sese habet domine mi, sed ego quia peccator sum, mysterium hoc videre nequeo, sed solummodo panem, E & vinum, & hunc quidem panem, & vinum credimus, servamus, & sacrificamus in typum corporis, & sanguinis Domini nostri Jesu Christi. Etenim magni & admirandi patres, Ecclesiæ luminaria & doctores, qualis erat divinus magnus Basilius, & celebris Chrysostomus, & Gregorius Theologus, metuendum hoc ac tremendum mysterium non viderunt. Et ego qualiter id ipsum cernere merear?

Ὁ δὲ Σαῤῥακηνὸς ἀκούσας τοῦτο, ἐξέστη, καὶ ἐκέλευσε τοὺς δούλους αὐτοῦ, καὶ πάντας τοὺς ἐν τῷ ναῷ παρεστηκότας φυγεῖν ἔξωθεν τοῦ ναοῦ. καὶ ἔλαβε τὸν ἱερέα παρὰ τὴν χεῖρα, καὶ εἶπεν· ὡς θεωρῶ καὶ

X. Auditis his Sarracenus obstupuit, jussitque servos suos, & quotquot aderant excedere templo, & apprehensa sacerdotis manu: Ut video, inquit, ac certissime comperio, magna est fides Christianorum,

1. Reliquiæ panis, ex quo partem Sacerdos ad consecrandum accepit.

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 817.



πληροφοροῦμαι, μεγάλη ἐστὶν ἡ πίστις τῶν χριστιανῶν· ἀλλ' εἰ ἔστι σοι θέλημα, βάπτισόν με πάτερ. ὁ δὲ ἱερεὺς λέγει τῷ Σαῤῥακηνῷ.

A & ſiquidem tibi placuerit baptiza me, o pater. Reſpondit ſacerdos Sarraceno.

Κύριε, ἡμεῖς πιστεύομεν καὶ ὁμολογοῦμεν τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, τὸν ἐλθόντα εἰς τὸν κόσμον διὰ τὴν ἡμῶν σωτηρίαν.

XI. Domine, nos credimus ac confitemur Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium Dei, qui propter noſtram ſalutem venit in mundum.

Ἡμεῖς δὲ πιστεύομεν τὴν ἁγίαν τριάδα, καὶ ὁμοούσιον καὶ ἀδιαίρετον, πατέρα, υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα τὴν μίαν θεότητα.

XII. Credimus ſanctam, conſubſtantialem & individuam Trinitatem Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum unam deitatem.

Πιστεύομεν δὲ Μαρίαν τὴν ἀειπαρθένον, τὴν μητέρα τοῦ φωτὸς, τὴν τέξασαν τὸν καρπὸν τῆς ζωῆς, τὸν προειρημένον κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν· τὴν πρὸ τόκου παρθένον, καὶ ἐν τόκῳ παρθένον, καὶ μετὰ τόκον παρθένον.

XIII. Credimus quoque Mariam ſemper virginem lucis matrem, quæ peperit nobis fructum vi- B tæ, jam antedictum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, virginem ante partum, virginem in partu, & poſt partum virginem.

Πιστεύομεν δὲ καὶ πάντας τοὺς ἁγίους ἀποστόλους, καὶ προφήτας, μάρτυρας, ὁσίους καὶ δικαίους ὡς θεράποντας Θεοῦ. λοιπὸν κύριέ μου, οὐ γινώσκεις, ὅτι μείζων πάντων ἐστὶν ἡ πίστις τῶν ὀρθοδόξων χριστιανῶν;

XIV. Credimus etiam omnes ſanctos apoſtolos, prophetas, martyres, ſanctos, & juſtos tamquam Dei miniſtros. Denique domine mi, non agnoſcis fidem orthodoxorum Chriſtianorum reliquas omnes antecellere?

Ὁ δὲ Σαῤῥακηνὸς πάλιν ἔφη, δέομαί σου πάτερ, βάπτισόν με. ὁ δὲ ἱερεὺς λέγων· μὴ γένοιτο· ἐγὼ οὐ δύναμαι ποιῆσαι τοιοῦτον ἔργον, καὶ ἂν ἐγὼ τοῦτο ποιήσω, καὶ ὁ σὸς ἀνεψιὸς ὁ Ἀμερουμνῆς μάθῃ αὐτὸ τὸ ἔργον ἀποκτενεῖ ἐμὲ καὶ διαφθερεῖ καὶ τὸν ναόν. ἀλλ' εἰ ἔστι σοι θέλημα βαπτισθῆναι, πορεύου πρὸς τὸν ἐκεῖσε τόπον ἐν τῷ ὄρει Σινᾶ· κἀκεῖ ἐστιν ὁ ἀρχιερεὺς, αὐτός σε βαπτίσει.

XV. Sarracenus denuo inſtabat: ſupplico tibi pater, baptiza me. At Sacerdos reſtitit dicens: nequaquam hoc fiat. Non enim poſſum ego tale fa- C cinus perpetrare. Et ſi ego id auderem, ac tuus patruelis Amerumnes factum reſcierit, interficiet ille me, & templum hoc deſtruet. Sed ſiquidem baptizari deſideras, proficiſcere ad illum locum in monte Sina [1], nam illic epiſcopus degit, ille te baptizabit.

Ὁ δὲ Σαῤῥακηνὸς ἐποίησε μετάνοιαν τῷ πρεσβυτέρῳ. καὶ ἐπορεύθη ἔξωθεν τοῦ ναοῦ. μετὰ δὲ ὥραν μίαν τῆς νυκτὸς, πάλιν ἦλθε πρὸς τὸν ἱερέα, καὶ ἐξεδύθη τὰ τῆς βασιλείας χρύσεα ἱμάτια καὶ ἐνεδύθη τινὰ πενιχρὸν σάκκον τρίχινον, καὶ διὰ νυκτὸς φυγὼν καὶ ἄδηλος ἐγένετο, καὶ πορευόμενος ἐς τὸ τοῦ Σινᾶ ὄρος, κἀκεῖσε ἔλαβε τὸ ἅγιον βάπτισμα ἐκ τοῦ ἀρχιερέως.

XVI. Facta ergo ſacerdoti reverentia, egreſſus eſt templo Sarracenus. Poſt primam deinde noctis horam venit ad ſacerdotem, & exutus aurea regni veſtimenta, indutuſque vili ſacco cilicino, fugit incognitus eadem nocte, profectuſque eſt in montem Sina, & ibidem ab Epiſcopo ſacrum baptiſma ſuſcepit.

D

Ἔμαθε δὲ καὶ τὸ ψαλτήριον, καὶ ἐστιχολόγει αὐτὸ καθ' ἑκάστην.

XVII. Didicit quoque pſalterium, & quotidie recitabat verſiculatim.

Μετὰ δὲ ἔτη τρία ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν, εἶπε τῷ ἀρχιερεῖ· συγχώρησόν μοι δέσποτα, πῶς μέλλω ποιῆσαι ἰδεῖν τὸν Χριστόν; ὁ δὲ ἀρχιερεὺς εἶπε, προσεύχου μετὰ πίστεως ὀρθῆς, καὶ ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν μέλλεις θεάσασθαι τὸν Χριστὸν ὡς ποθεῖς. καὶ πάλιν ὁ ποτε Σαῤῥακηνὸς ἔφη· δέσποτα συγχώρησόν μοι, ὅπως πορευθῶ πρὸς τὸν ἱερέα τὸν διδάξαντά με, ὅταν οἶδα τὴν φρικτὴν ὀπτασίαν ἐν τῷ ναῷ τοῦ πανενδόξου μάρτυρος Γεωργίου. ὁ δὲ ἀρχιερεὺς ἔφη· πορεύου εἰς εἰρήνην.

XVIII. Elapſis autem tribus annis in una dierum ait epiſcopo: Permitte mihi domine, ut videre valeam Chriſtum. Epiſcopus reſpondit: Ora cum recta fide, & in una dierum viſurus es Chriſtum quemadmodum deſideras. Et rurſus qui fuerat Sarracenus dixit: Permitte mihi ut proficiſcar ad ſacerdotem, qui me fidem edocuit, quando viſionem admirabilem vidi in templo glorioſiſſimi martyris Georgii. Reſpondit epiſcopus, vade in pace.


E

Καὶ οὕτως ἐπορεύθη πρὸς τὸν ἱερέα, καὶ ἐποίησεν αὐτῷ μετάνοιαν, καὶ προσεκύνησεν αὐτῷ, καὶ εἶπε τῷ ἱερεῖ· γινώσκεις πάτερ τίς εἰμι ἐγώ; ὁ δὲ ἱερεύς· ἄνθρωπον, ὃν οὐδέποτε εἶδον πῶς γινώσκω; ἀλλὰ πάλιν ὁ ποτε Σαῤῥακηνός· οὐκ εἰμὶ ἐγὼ ὁ ἀνεψιὸς τοῦ Ἀμερουμνῆ, καὶ ὅταν τὰς καμήλους ἔβαλον ἐν τῷ ναῷ πᾶσαι διεφωνήθησαν, καὶ ἐν τῇ θείᾳ λειτουργίᾳ τὴν φρικτὴν ὀπτασίαν θεασάμενος; ὁ δὲ ἱερεὺς τοῦτον ἰδὼν ἐξέστη καὶ ἐδόξασε τὸν Θεὸν, ἰδὼν τόν ποτε Ἀραβικὸν λύκον τοῦ Χριστοῦ πρόβατον γεγενημένον πρᾳότατον καὶ προσεκύνησεν αὐτὸν μετὰ πόθου, καὶ προσεκάλεσεν αὐτὸν ἐν τῷ κελλίῳ αὐτοῦ τοῦ ἐσθίειν ἄρτον.

XIX. Sicque ad ſacerdotem profectus proſtravit ſe adoravitque, & inquiebat ſacerdoti: Noſti pater quis ego ſim? Reſpondit ſacerdos. Hominem quem numquam viderim quomodo cognoſcam? Qui quondam fuerat Sarracenus ajebat: Nonne ego ſum patruelis Amerumnis, cujus cameli cum in templum adacti fuiſſent omnes interfecti ſunt, & in divina Miſſa tremendam ſpectavi viſionem? His auditis ſacerdos obſtupuit, & glorificavit Deum, videns eum qui quondam lupus Arabicus fuerat, factum ovem Chriſti manſuetiſſimam, & affectuoſe eum amplexatus eſt, invitavitque in cellam ſuam ad manducandum panem.

1. Ibi Juſtinianus firmum præſidium contra Saracenos poſuerat, Procopio teſte. Ad tuta igitur loca Amerumnem ablegat prudenti conſilio.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 817.



Καὶ ὅποτε Σαῤῥακηνὸς ἔφη· συγχάρηστόν μοι δέσποτα πάτερ· ἐγὼ γὰρ βούλομαι, καὶ ποθῶ ἰδεῖν τὸν Χριστὸν, πῶς γὰρ ποιήσω; ὁ δὲ ἱερεὺς λέγων, ἐὰν σὺ βούλει ἰδεῖν τὸν Χριστὸν, πορεύου πρὸς τὸν σὸν ἀνεψιὸν, καὶ κήρυξον τὸν Χριστόν· καὶ βλασφήμησον καὶ ἀναθεμάτισον τὴν πίστιν τῶν Σαῤῥακηνῶν, καὶ τὸν Μοαμὲθ τὸν ψευδοπροφήτην αὐτῶν, καὶ κήρυξον ὀρθῶς τὴν ἀληθινὴν πίστιν τῶν χριστιανῶν ἄνευ φόβου, κἀκεῖ μέλλεις ἰδεῖν τὸν Χριστόν.

A XX. Tum qui quondam Sarracenus fuerat dixit: Permitte mihi, domine pater: nam inceffit voluntas, & fummopere cupio videre Chriftum, quid faciam? Sacerdos ait: fiquidem Chriftum Dominum videre defideras, ad tuum pergens patruelem ei prædica Chriftum, & maledic atque anathematiza fuperftitionem Sarracenorum, & Mahomet pfeudoprophetam ipforum, & conftanter annuntia rectam veramque Chriftianorum fidem, & ibidem vifurus es Chriftum.

Ο δέ ποτε Σαῤῥακηνὸς ἐπορεύθη μετὰ πόθου. καὶ διὰ νυκτὸς ἔκοπτε τὴν θύραν τοῦ Σαῤῥακηνοῦ σφοδρῶς.

XXI. Qui quondam Sarracenus fuerat, avide profectus nocturno tempore Sarraceni fores vehementer pulfavit.

B

Οἱ δὲ φύλακες τῆς πύλης καὶ τοῦ οἴκου τοῦ Αμερουμνῆ ἔφησαν· τίς ἐστιν ὁ κράζων καὶ ὁ τύπτων τὴν θύραν; ὁ δὲ εἶπεν· ἐγώ εἰμι ὁ ἀνεψιὸς τοῦ Αμερουμνῆ ἄποτε φυγὼν καὶ ἄδηλος γενόμενος, νῦν βούλομαι θεάσαι τὸν ἐμὸν ἀνεψιὸν, καὶ εἰπεῖν τι αὐτῷ.

XXII. Cuftodes vero portarum ac domus Amerumnis; quis eft, inquiebant, ifte qui vociferatur, & verberat fores? Ille refpondit: Ego fum patruelis Amerumnis, qui quondam fugi, & incognitus latui, nunc meum patruelem invifere volo, & ei quidpiam indicare.

Οἱ δὲ φύλακες τῆς πύλης ἐκείνης εἶπον παρευθὺς τῷ Σαῤῥακηνῷ· κύριε, ὁ σὸς ἀνεψιὸς ὅποτε φυγὼν, καὶ ἄδηλος ἐγένετο. ὁ δὲ Αμερουμνῆς στενάξας λέγων, ποῦ ἐστιν; οἱ δὲ εἶπον, παρὰ τὴν θύραν τοῦ παλατίου. ὁ δὲ κελεύσας τοὺς δούλους αὐτοῦ μετὰ φανῶν καὶ λαμπάδων ἀπαντῆσαι αὐτόν. καὶ πάντες ἐποίησαν κατὰ τὸ πρόσταγμα βασιλέως Αμερουμνῆ, καὶ ἔλαβον παρὰ τὴν χεῖρα τὸν μοναχὸν τόν ποτε Σαῤῥακηνὸν, καὶ προσέφερον αὐτὸν τῷ Αμερουμνῆ τῷ αὐτοῦ ἀνεψιῷ.

XXIII. Mox forium excubitores Sarraceno renunciarunt dicentes: Domine, petruelis tuus qui fugit olim, & incognitus latuit. Amerumnes fufpirans dixit: Ubi eft? Ad portam, inquiunt, palatii. Et confeftim juffit famulos cum facibus, & lampadi- C bus obviam ei procedere, qui omnes juffa regis Amerumnis peregerunt, & monachum qui prius fuerat Sarracenus manu apprehenfum deduxerunt ad Amerumnem ejus patruelem.

Ο δὲ Αμερουμνῆς τοῦτον ἰδὼν ηὐφράνθη λίαν, καὶ μετὰ δακρύων ἠσπάσατο αὐτὸν, καὶ λέγει· τί ἐστι τοῦτο; ποῦ κατῴκεις ἕως τοῦ νῦν; οὐκ εἶ σὺ ὁ ἐμὸς ἀνεψιός; ὁ δὲ μοναχὸς εἶπεν, οὐ γινώσκεις ἐμὲ τὸν σὸν ἀνεψιόν; νῦν γὰρ χριστιανὸς γέγονα καὶ μοναχὸς ὡς βλέπεις, χάριτι τοῦ Θεοῦ τοῦ ὑψίστου, καὶ ἐπὶ ἐρήμων τόπων ἐκατῴκουν, ἵνα κληρονομήσω βασιλείαν οὐρανῶν, ὡς ἐλπίζω εἰς τὴν ἄφατον εὐσπλαγχνίαν τοῦ παντοκράτορος Θεοῦ, μέλλω κληρονομῆσαι τὴν ἐκείνου βασιλείαν.

XXIV. Quem cum vidiffet Amerumnes fupra modum gavifus eft, & cum lacrymis amplexatus ait: Quid hoc rei eft? Ubinam ufque modo commoratus es? Nonne tu meus es patruelis? Ait monachus: Annon agnofcis me tuum confobrinum? Nunc enim Chriftianus effectus fum, & monachus ut vides gratia Dei altiffimi, & deferta incolui loca, ut heres fierem regni cælorum, quemadmodum fpero per ineffabilem mifericordiam omnipotentis Dei D me regnum illius hereditate confecuturum.

Τί δηλοῖς (forte δειλιᾷς) καὶ σὺ Αμερουμνῆς λάβε τὸ ἅγιον βάπτισμα τῶν ὀρθοδόξων χριστιανῶν, ἵνα ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσῃς ὡς κἀγὼ ἐλπίζω.

XXV. Quod indicium das mentis tuæ? Et tu Amerumnes fufcipe fanctum baptifma orthodoxorum Chriftianorum, ut vitam confequaris æternam, ut & ego fpero.

Ο δὲ Αμερουμνῆς γελάσας καὶ τὴν κάραν νεύσαξας ἔφη· τί φλυαρεῖς ταλαίπωρε; τί φλυαρεῖς; καὶ τί σοι γέγονεν; οὐαί σοι, ἐλεεινέ. πῶς ἐγκατέλιπες τὸν σὸν βίον, καὶ τὰ σκῆπτρα τῆς βασιλείας, καὶ ὡς εἷς τῶν πενήτων περιάγεις, ἐνδεδυμένος τὰ δυσώδη τρίχινα;

XXVI. Ad hæc Amerumnes in rifum verfus, & moto capite: Quid nugaris, o infelix inquit, quid nugaris? Quid, malum! tibi accidit? Væ tibi mifer, væ tibi! Quomodo priftinum vivendi morem deferuifti fceptrumque regni, & tamquam unus de mendicis circumvagaris amictus fœtenti cilicio?

Καὶ ὁ μοναχὸς ἀντέφη λέγων· Θεοῦ χάριτι, ὅσα δὲ εἶχον ὅτε ἤμην Σαῤῥακηνὸς, νόμος καὶ κλῆρος τοῦ διαβόλου ἐτύγχανε, τὰ δὲ θεωρεῖς ἐνδεδυμένον με, δόξα ἐστὶ καὶ καύχημα, καὶ ἀῤῥαβὼν τῆς μελλούσης καὶ αἰωνίου ζωῆς. ἐγὼ δὲ ἀναθεματίζω τὴν τῶν Σαῤῥακηνῶν θρησκείαν, καὶ τὸν ψευδοπροφήτην αὐτῶν.

E XXVII. Cui refponfum reddens monachus infit: Dei gratia: quæcumque dum Sarracenus effem poffidebam, lex erant & hereditas diaboli: fed quibus me cernis indutum, honor funt & gloria, & pignus futuræ vitæ æternæ. Ego enim anathematizo Sarracenorum fuperftitionem, & pfeudoprophetam ipforum.

Ο δὲ Αμερουμνῆς ἔφη· ἐκβάλετε αὐτὸν, ὅτι οὐκ οἶδε τί φλυαρεῖ. καὶ ἐκβαλόντες αὐτὸν ἔθηκαν ἔν τινι μέρει τοῦ παλατίου, καὶ ἔδοσαν αὐτῷ βρῶσιν καὶ πόσιν· καὶ ἐποίησεν ἡμέρας τρεῖς· αὐτὸς δὲ οὐκ ἔφαγεν οὔτε ἔπιεν, ἀλλ᾽ ὀρθῶς καὶ πιστῶς προσηύχετο τῷ Θεῷ, καὶ γόνυ κλίνας λέγει·

XXVIII. Amerumnes ait: Ejicite eum foras, nefcit enim quid garriat. Moxque ejectum conftituerunt in aliqua parte palatii dederuntque ei cibum, & potum. At ille dies tres exegit neque manducans, neque bibens, fed recte ac fideliter orabat ad Dominum, & flexis genibus dicebat:

Ἐπὶ σοὶ κύριε ἤλπισα, μὴ καταισχυνθείην εἰς τὸν

XXIX. *In te Domine fperavi, non confundar in*

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 817.

αἰῶνα, μὴ δὲ καταγελατάτωσάν με οἱ ἐχθροί μου. A καὶ πάλιν λέγει· ἐλέησόν με ὁ Θεὸς κατὰ τὸ μέγα ἔλεός σου, καὶ κατὰ τὸ πλῆθος τῶν οἰκτιρμῶν σου, ἐξάλειψον τὸ ἀνόμημά μου. καὶ πάλιν· φώτισον τοὺς ὀφθαλμούς μου, κύριε ὁ Θεὸς, μήποτε ὑπνώσω εἰς θάνατον. μήποτε εἴπῃ ὁ ἐχθρός μου, ἴσχυσα πρὸς αὐτόν. στήριξον τὴν καρδίαν μου, κύριε, ἵνα πολεμήσω τὸν αἰσθητὸν πλάνον τὸν Σαῤῥακηνὸν; ἵνα μή με καταπατήσῃ ὁ πονηρὸς διάβολος, καὶ δειλιάσω τὸν θάνατον διὰ τὸ ὄνομά σου τὸ ἅγιον.

æternum, *neque irrideant me inimici mei*: Et rursus: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam*. Et iterum: *Illumina oculos meos Domine Deus, ne quando dormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, prævalui adversus eum*. *Confirma cor meum Domine*, ut expugnem sensibilem seductorem hunc Sarracenum, ut non conculcet me nequam ille diabolus, neque timeam mortem propter nomen sanctum tuum.

Καὶ ποιήσας τὸ σημεῖον τοῦ σταυροῦ, λέγων· κύριε φωτισμός μου, καὶ σωτήρ μου, τίνα φοβηθήσομαι; κύριε ὑπερασπιστὴς τῆς ζωῆς μου, ἀπὸ τίνος δειλιάσω; B καὶ πάλιν φωνήσας κατὰ τοῦ Αμερουμνῆ λάβε τὸ ἅγιον βάπτισμα, ἵνα κερδήσῃς τὴν ἄμετρον βασιλείαν τοῦ Θεοῦ.

XXX. Cumque se signasset signo crucis, dixit: *Dominus illuminatio mea, & salvator meus, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?* Et rursus adversum Amerumnem vociferabatur: Accipe sanctum baptisma, ut lucreris immensum Dei regnum.

Καὶ πάλιν ὁ Αμερουμνῆς ἐκέλευσεν αὖθις ἐλθεῖν ἔμπροσθεν αὐτοῦ, καὶ ἡτοίμασεν ἱμάτια πάνυ ὡραῖα ὑπὲρ τούτου. καὶ φήσας ὁ Αμερουμνῆς· εὐφραίνου ταλαίπωρε, εὐφραίνου, καὶ ἀγάλλου τῇ σῇ βασιλείᾳ, καὶ μὴ καταφρονήσῃς τὸν σὸν βίον, καὶ τὴν σὴν νεότητα τὴν πάνυ ὡραίαν, καὶ ὁδεύῃς ὡς πενιχρὸς, πένης, ἀφρόνως. οὐαί σοι ταλαίπωρε, τί νοεῖς;

XXXI. Et iterum Amerumnes imperavit eum adduci coram se, & præparatis pulcherrimis vestibus, in hunc modum affatus est: Lætare miser, lætare, & ob regnum quod te manet, exsulta, vitamque ac juventutem tuam speciosissimam noli contemnere, nec deinceps tamquam mendicus ac pauper insipienter incedas. Væ tibi infelix! quidnam animo volvis?

Ο δὲ μοναχὸς γελάσας ἔφη τῷ Αμερουμνῇ, μὴ C θρήνει τί νοῶ· νοῶ γὰρ πῶς μέλλω πληρῶσαι τὸ ἔργον τοῦ Χριστοῦ μου, καὶ τοῦ ἀποστείλαντός με πατρὸς τοῦ ἱερέως ἐκείνου τοῦ καὶ διδάξαντός με. τὰ δὲ ἱμάτια ἃ ἡτοίμασας περὶ ἐμοῦ, πώλησον, καὶ δὸς πτωχοῖς, καὶ ἐγκατάλειψον καὶ σὺ τὰ πρόσκαιρα σκῆπτρα τῆς βασιλείας, ἵνα λάβῃς σκῆπτρα τῆς αἰωνίου ζωῆς. καὶ μὴ ἔλπιζε ἐπὶ τὰ παρόντα, ἀλλ' ἐπὶ τὰ μέλλοντα, καὶ μὴ πίστευε ἐπὶ τὸν ψευδοπροφήτην Μωαμὲθ τὸν μιαρὸν, τὸν ἐβδελυγμένον, τὸν υἱὸν τῆς κολάσεως· ἀλλὰ πίστευσον εἰς τὸν Ιησοῦν Χριστὸν τὸν Ναζωραῖον, τὸν ἐσταυρωμένον. πίστευσον τριάδα ὁμοούσιον τὴν μίαν θεότητα πατέρα, υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα, τριάδα ὁμοούσιον καὶ ἀχώριστον.

XXXII. Monachus subridens Amerumni respondit: Ne deplores intentum meum. Nam quemadmodum a Deo, & a sacerdote patre ac magistro meo qui me misit, demandatum mihi facinus impleam mente perpendo. Vestes autem quas præparasti, vende & da pauperibus, & tu quoque temporalia regni sceptra dimitte, ut æternæ vitæ sceptra consequaris. Nec in iis quæ præsentia sunt fiduciam colloces, sed futura speres. Neque in pseudoprophetam Mahomet credas, scelestum illum, & abominabilem ac filium perditionis: sed crede in Jesum Christum Nazarenum crucifixum. Crede consubstantialem Trinitatem, unam divinitatem, Patrem, Filium & Spiritum sanctum, Trinitatem D consubstantialem & inseparabilem.

Ο δὲ Αμερουμνῆς πάλιν γελάσας, ἔφη τοῖς μεγιστᾶσι τοῖς ἐν τῷ παλατίῳ συναθροισθεῖσιν. οὗτος ἄφρων ἐστὶ, τί ποιήσωμεν αὐτῷ; ἐκβάλετε αὐτὸν ἔξω, καὶ διώξατε αὐτόν.

XXXIII. Amerumnes risu dicta excipiens magnatibus in palatio congregatis inquit: Hic mentis impos est, quid ei faciamus? Ejicite eum foras, & quanto citius expellite.

Οἱ δὲ παρακαθεζόμενοι τῷ βασιλεῖ εἶπον. οὗτος ἠβουλήθη μιᾶναι καὶ διαφθεῖραι τὴν τῶν Σαῤῥακηνῶν θρησκείαν. οὐκ ἀκούεις πῶς βλασφημεῖ καὶ ἀναθεματίζει τὸν μέγαν προφήτην ἡμῶν;

XXXIV. At vero qui assidebant dixerunt regi: Voluit hic polluere ac destruere Sarracenorum religionem. Non audis quemadmodum blasphemet, & anathematizet magnum prophetam nostrum?

Ο δὲ μοναχὸς καί ποτε Σαῤῥακηνὸς ἐκραύγαζε μεγάλως. ἄχθομαι περὶ σοῦ Αμερουμνῆ μᾶλλον, οὐ γὰρ βούλει σωθῆναι ταλαίπωρε· πίστευσον εἰς τὸν E κύριον ἡμῶν Ιησοῦν Χριστὸν, τὸν ἐσταυρωμένον, καὶ ἀναθεμάτισον τὴν τῶν Σαῤῥακηνῶν θρησκείαν, καὶ τὸν ψευδοπροφήτην αὐτῶν ὡς κἀγώ.

XXXV. Monachus qui Sarracenus fuerat intenta voce clamabat: Plurimum super te doleo o Amerumnes, quia salvari non vis infelix. Crede in Dominum nostrum Jesum Christum, crucifixum, & anathematiza superstitionem Sarracenorum, & eorum pseudoprophetam Mahomet, sicut & ego facio.

Ο δὲ Σαῤῥακηνὸς Αμερουμνῆς ἔφη, ἐκβάλετε αὐτὸν ἔξω, ὡς ἐγὼ κελεύω, ὅτι ἄφρων ἐστὶ, καὶ οὐκ οἶδε τί λέγει.

XXXVI. Sarracenus Amerumnes dixit: Ejicite eum foras ut ego jubeo, quia mente captus est, nec quod loquitur intelligit.

Οἱ δὲ συγκαθεζόμενοι αὐτῷ εἶπον, λοιπὸν τὴν τῶν Σαῤῥακηνῶν θρησκείαν ἀναθεματίσαντα, καὶ εἰς τὸν μέγαν προφήτην βλασφημοῦντα, καὶ λέγεις· οὐκ οἶδε τί φλυαρεῖ. ἐὰν δὲ οὐκ ἀποκτείνῃς αὐτὸν, πορευσόμεθα καὶ ἡμεῖς χριστιανοὶ γενέσθαι.

XXXVII. Qui vero considebant ipsi dixerunt: Ergo Sarracenorum religioni maledicentem, & in nostrum prophetam blasphemias jacientem, audis & dicis, ignorat quod effutit? At si non eum morti tradideris, eamus & nos, & efficiamur Christiani.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 817.

Ὁ δὲ Ἀμερουμνῆς λέγει· ἐγὼ οὐ δύναμαι ἀποκτεῖναι αὐτὸν, ὅτι ἐμὸς ἀνεψιός ἐστι, καὶ ἄχθομαι αὐτόν. ἀλλὰ λάβετε αὐτὸν ὑμεῖς, καὶ ποιήσατε ὡς βούλεσθε.

A XXXVIII. Quibus Amerumnes: Ego ipſum interficere non valeo, ipſique condoleo, quia meus patruelis eſt: ſed accipite eum vos, & quidquid libitum fuerit, facite.

Οἱ δὲ ἔλαβον τὸν μοναχὸν μετὰ πλείστης ὀργῆς, καὶ σύραντες αὐτὸν ἔξωθεν τοῦ παλατίου, καὶ πολλαῖς βασάνοις τοῦτον παρέδωκαν, ἵνα ἐπιστρέψαι πρὸς τὴν πρώτην θρησκείαν τῶν Σαῤῥακηνῶν. ὁ δὲ μὴ θέλων, ἐδίδασκε πάντας ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Ναζωραίου, ἵνα πιστεύωσι, καὶ σωθῆναι.

XXXI. Igitur acceptum monachum furore multo traxerunt extra palatium, & multis affecerunt tormentis, ut ad priſtinam Sarracenorum fidem reverteretur: ſed ille non conſentiens inſtruebat omnes in nomine Jeſu Chriſti Nazareni, ut crederent, & ſalvarentur.

Οἱ δὲ Σαῤῥακηνοὶ ἔσυραν αὐτὸν ἔξωθεν τοῦ ἄστεος, κἀκεῖ ἐλιθοβόλησαν αὐτὸν τὸν ὁσιώτατον μοναχὸν, ὀνόματι Παχούμιον.

XL. Sarraceni vero traxerunt eum extra civitatem, & ibidem ſanctiſſimum hunc monachum, cui B nomen [1] Pachumius lapidibus obruerunt.

Καὶ ἐν ἐκείνῃ τῇ νυκτὶ, ἀστὴρ ἐξ οὐρανοῦ καταβὰς ἔκειτο ἐπάνω τοῦ ὁσιωτάτου μάρτυρος. καὶ πάντες ἔβλεπον αὐτὸν ἐφ' ἡμέρας τεσσαράκοντα. καὶ πολλοὶ ἐξ αὐτῶν ἐπίστευσαν. [2] Τοῦ δὲ ὁσιωτάτου μάρτυρος πρεσβείαις, καὶ τῆς πανάγνου Θεομήτορος Μαρίας τῆς ἀειπαρθένου, καὶ πάντων τῶν ἁγίων ἐν ἀφέσει ἁμαρτιῶν ἡμῶν. ἀμήν.

XLI. Atque eadem nocte ſtella cælo deſcendens, ſuper ſanctiſſimo martyre quievit, eamque per dies quadraginta cuncti conſpicati ſunt, ex quibus multi crediderunt, beatiſſimi martyris deprecationibus, & puriſſimæ Dei genitricis Mariæ ſemper Virginis, & omnium ſanctorum in remiſſionem peccatorum noſtrorum. Amen.

1. Eccleſia S. Pachumii martyris exſtabat apud Cophtos in Ægypto.

2. Concluſio videtur lectionis conſueta apud Græcos monachos, nec ad narrationem pertinere.



HALITGARII

EPISCOPI CAMERACENSIS


DE

VITIIS ET VIRTUTIBUS.

ET

DE ORDINE POENITENTIUM,

LIBRI V.



ACCEDUNT

AMULONIS Archiep. Lugdunensis *Epistolæ* & *Opuscula*. AUDRADI Epistola & Libellus *de Fonte vitæ*. SERVATI LUPI *de tribus quæstionibus* Liber, & Epistolæ *duæ*. *Ac* FLORI DIACONI Libellus *de Electionibus episcoporum*.

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 825.

HALITGARII
EPISCOPI CAMERACENSIS
DE
VITIIS ET VIRTUTIBUS
ET
ORDINE POENITENTIUM.
LIBRI V.

IN NOMINE DOMINI,

Reverendissimo in Christo fratri ac filio


Halitgario episcopo, Ebo indignus episcopus salutem.

NOn dubito tuæ notum esse caritati, quanta nobis Ecclesiasticæ disciplinæ, quantisque nostrorum necessitatibus subditorum, & insuper mundalium oppressionibus, quibus quotidie agitamur, cura constringat. Idcirco, ut tecum contuli, ex Patrum dictis, Canonum quoque sententiis, ad opus consacerdotum nostrorum excerpere pœnitentialem minime valui: quia animus, dum dividitur per multa, fit minor ad singula. Et hoc est, quod hac in re, me valde sollicitat, quod ita confusa sunt judicia pœnitentium in presbyterorum nostrorum opusculis, atque ita diversa, & inter se discrepantia, & nullius auctoritate suffulta, ut vix propter dissonantiam possint discerni. Unde fit, ut concurrentes ad remedium pœnitentiæ, tam pro librorum confusione, quam etiam pro ingenii tarditate, nullatenus eis valeant subvenire. Quapropter, carissime frater, noli te ipsum nobis negare, qui semper in divinis ardenti animo disciplinis, ac solerti cura scripturarum meditationibus, perfectissimo otio floruisti. Arripe quæso sine excusationis verbo hujus sarcinæ pondus a me quidem tibi impositum, sed a Domino, *cujus onus leve est*, levigandum. Noli timere, neque formides hujus operis magnitudinem, sed fidenter accede; quia aderit tibi, qui dixit: *Aperi os tuum, & ego adimplebo illud*. Scis enim optime, parvis parva sufficere. Nec ad mensam magnatorum, pauperum turbam posse accedere. Noli tuæ devotionis nobis subtrahere scientiam. Noli accensam in te sub modio ponere lucernam, sed præcelso eam superponere candelabro, ut luceat omnibus, qui in domo Dei sunt fratribus tuis, & profer nobis veluti scriba doctus, quod accepisti a Domino. Aderit tibi hujus laboris itinere illius gratia, *qui duobus discipulis euntibus, tertium se socium addidit in via, & aperuit illis sensum, ut sanctas intelligerent scripturas*. Spiritus paraclitus, omni veritatis doctrina, & perfecta caritatis scientia tua resplendeat pectora carissime frater. Vale.

DOMINO & VENERABILI PATRI IN CHRISTO

Eboni archiepiscopo, Halitgarius minimus Christi famulus salutem.

POstquam venerande Pater, directas beatitudinis vestræ accepi litteras, quibus me hortari dignati estis, ne mentis acumen inerti torpentique otio submitterem; sed cognitioni ac meditationi quotidie sacræ Scripturæ me vigilanter traderem: & insuper, ex sanctorum Patrum, canonumque sententiis, pœnitentialem in uno volumine aggregarem. Durum quippe mihi & valde difficile, tremendumque hoc quoque fuit imperium, ut hanc susciperem sarcinam, quam a prudentibus cognosco relictam. Multumque renisus sum voluntati vestræ, non velut procaciter durus, sed propriæ infirmitatis admonitus. Hac etenim cura sollicitus necessarium duxi, ut aliquamdiu me a scribendi temeritate suspenderem. Sed quia sicut perpendi, injuncti operis difficultatem, ita & injungentis auctoritatem; nec volui, nec debui usquequaque resistere: certus, quia imbecillitatem meam multo amplius vestra adjuvaret præcipientis dignitas, quam aggravaret meæ ignorantiæ difficultas. Valete.



INCIPIT PRÆFATIO DE POENITENTIÆ UTILITATE.

Quamvis originalia in Baptismatis munere, gratia A mediatoris cuncta aboleri veraciter credantur peccata: quia sufficit illa sola spiritalis regeneratio. Attamen cum ventum fuerit ad ætatem, quæ præceptum jam capit, & subdi potest legis imperio, suscipiendum est bellum contra vitia, & gerendum acriter, ne iterum reducatur ad damnabilia peccata. Paucissimi autem sunt tantæ felicitatis, ut ab ipsa ineunte adolescentia, nulla damnabilia peccata committant, vel in flagitiis, vel in facinoribus, vel in homicidiis, vel in nefariæ cujusquam impietatis errore: sed magna spiritus largitate necessarium est opprimere quidquid in eis potest, aut potuit carnalis delectatio dominari. Tunc itaque victa vitia deputanda sunt, cum B Dei amore vincuntur, quem nisi Deus ipse non donat, nec aliter, nisi per Mediatorem Dei, & hominum Jesum Christum, qui factus est particeps mortalitatis nostræ, ut nos participes faceret divinitatis suæ. Verumtamen in gravi jugo, quod positum est super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium, & jam hoc malum miserabiliter reperitur. Ideoque sobrii simus, atque intelligamus hanc vitam de peccato illo nimis nefario, quod in Paradiso perpetratum est, factam nobis esse pœnalem; totumque, quod nobiscum agitur, non pertinere, nisi ad novi seculi hereditatem novam: ut heic pignore accepto, illud, cujus hoc pignus est, C suo tempore consequamur. Sed quomodo filii Dei, quamdiu mortaliter vivunt, cum morte confligunt: & sic, spiritu Dei excitantur, & tamquam filii Dei proficiunt ad Dominum: ut etiam Spiritu Sancto, aggravante corpore corruptibili, tamquam filii hominum, in quibusdam humanis motibus deficiant ad seipsos, & ideo peccent. Interest quidem quantum, neque enim omne peccatum crimen est, sed omne crimen, peccatum est. Sanctorum itaque hominum vitam, qua in hac morte vivitur, sine crimine inveniri posse, sine peccato autem numquam, ut ait: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est*. Unum tamen pro altero consuevit ponere D Scriptura. In actione autem pœnitentiæ, ubi tale commissum est crimen, ut is a Christi corpore, qui commisit, separetur, non tam consideranda est mensura temporis, *quam doloris, cor autem contritum, & humiliatum Deus non spernit*. Sane quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, recte constituuntur tempora pœnitentiæ ab his, qui præsunt Ecclesiis, ut satisfiat etiam Ecclesiæ, in qua remittuntur peccata. Ergo, cum tanta est plaga peccati, ut medicamenta corporis, & sanguinis Domini sint differenda, auctoritate antistitis debet se quisque ab altario removere ad agendam pœnitentiam, & eadem auctoritate reconciliari; hoc est enim corpus, & sanguinem Domini indigne accipere, si eo tempore accipiat, quo pœnitentiam debet agere. Nam ipsa pœnitentia, quando digna est caussa, ut secundum morem Ecclesiæ agatur, plerumque infirmitate non agitur: quia & pudor, timor est displicendi, dum plus delectat hominem existimatio, quam justitia, qua se quisque humiliat pœnitendo. *Meminerit ille, quicumque est, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Quid enim est perversius, quidve infelicius, quam de ipso vulnere, quod latere non potest, non erubescere, & de ligatura plus erubescere? Nemo arbitretur propterea se consilium salubre huius pœnitentiæ debere contemnere; quia advertit forte, novitque ad Altaris Sacramenta accedere, quorum non ignorat talia crimina apud se retinere. Corriguntur enim multi, ut Petrus: multi tolerantur, ut Judas. Multi nesciuntur, donec veniat Dominus, & illuminet abscondita tenebrarum, & manifestet cogitationes cordium.

Nos vero quemquam a communione prohibere non possumus, quamvis hæc prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis: nisi aut sponte confessus: aut in aliquo sive seculari, sive ecclesiastico judicio accusatum atque convictum. Plerique autem attendunt multos in ipsis honoribus ecclesiasticis, Præpositorum, & ministrorum non congruenter vivere sermonibus, & sacramentis, quæ per eos populis ministrantur. O miseros homines, [1] quibus intuendo Christum obliviscuntur: qui & tanto ante prædixit, ut legi Dei potius obtemperetur, quam imitandi videantur illi, qui quæ dicunt, non faciunt, & traditorem suum tolerans usque in finem, etiam ad evangelizandum cum ceteris misit. Aliquis forte desperatus dicat: Ego jam baptizatus in Christo, a quo omnia peccata præterita mihi dimissa sunt, vilis factus sum, nimis iterans vias meas, & canis horribilis oculis Dei conversus ad vomitum suum. *Quo abibo a spiritu ejus, & a facie ejus quo fugiam*? Quo frater? nisi ad ejus misericordiam pœnitendo, cujus potestatem peccando contemseras. Quidquid enim feceris, quæcumque peccaveris, adhuc in vita es; unde te omnino auferret, si sanare nollet.

Oportet igitur ad pœnitentiam accedere cum omni fiducia, & ex fide credere indubitanter, pœnitentia aboleri posse peccata, etiamsi in ultimo vitæ spiritu commissa pœniteat, & publica lamentatione peccata prodantur: quia propositum Dei, quod decrevit salvare, quod perierat, stat immobile, & ideo, quia voluntas ejus non mutatur, sive emendatione vitæ, si tempus conceditur: sive supplici confessione, si continuo vita excuditur, venia peccatorum fideliter præsumatur ab illo, *qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur a perditione pœnitendo, & salvatus miseratione Dei vivat*. Certissimæ sunt & fidelissimæ claves Ecclesiæ, *quibus quodcumque in terra solvitur, etiam in cælo solutum promittitur*.

Hæc dicta sunt de publica satisfactione, qua quis-

1. Forte *qui hoc*, vel *qui alios*.

que humiliando se, non solum coram Ecclesia, A quæ habet clavem regni cælorum, in qua fit remissio peccatorum.

Secreta quoque satisfactione solvi mortalia crimina non negem: mutato prius seculari habitu, & indefesso religionis studio, per vitæ correctionem, & jugi, immo perpetuo luctu, miserante Deo, ita dumtaxat, ut contraria, pro his, quæ pœnitet, agat. Quotidiana vero, leviaque peccata, sine quibus hæc vita non ducitur, Dominica Oratione purgantur, quorum est dicere: *Pater noster qui es in cælis*, & reliqua. Ubi dicitur; *Dimitte nobis debita nostra*: quia ipsa eleemosyna est, veniam homini petenti ignoscere. Unde Dominus ait; *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis*. B

Multa igitur genera sunt eleemosynarum, quæ cum facimus, adjuvamur, ut dimittantur nostra peccata, sed ea nihil est majus, quam (quando) ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccavit.

Sunt autem quædam peccata, quæ putantur levissima, nisi in scripturis demonstrarentur opinione graviora. *Quis enim dicentem fratri suo, Fatue, reum gehennæ putaret, nisi veritas diceret?* Aut quis æstimaret, quam magnum esse peccatum, dies observare, menses, & annos, & tempora, sicut observant, qui certis diebus, sive mensibus, sive annis, volunt, vel nolunt aliquid inchoare, nisi Apostolus diceret: *Timeo vos, ne sine caussa laboraverim in vobis*. C

Quam multa sunt alia peccata, sive in loquendo, de rebus, & negotiis alienis, quæ ad te non pertinet: sive in vano cachinno: sive in ipsis escis, quæ ad necessitatem hujus vitæ parantur, in quibus est avidior appetitus; sive in vendendis, & emendis rebus: caritatis, & utilitatis vota perversa.

Sunt & alia hujuscemodi peccata, quæ fiunt verborum offensionibus, & cogitationum, Jacobo dicente Apostolo: *In multis enim offendimus omnes*. Oportet quotidie, crebroque exoremus ad Dominum, atque dicamus: *Dimitte nobis debita nostra*: nec in eo, quod sequitur, mentiamur: *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: pro quibus etiam sa- D crificia eleemosynarum, & jejuniorum pro viribus offerre non cesset.

Pro illis ergo peccatis, quæ legis decalogus continet, & de quibus Apostolus ait, *quod neque avari, neque rapaces, neque adulteri, neque masculorum concubitores, &c. quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*. Illa actio pœnitentiæ subeunda est, in qua majorem in se quisque severitatem debeat exercere, *ut a seipso judicatus, non judicetur a Domino*: quæ actio pœnitentiæ tunc erit perfecta, & acceptabilis, si ascenderit homo adversum se tribunal mentis suæ, & constituerit se ante faciem suam, ne hoc ei postea fiat, sicut comminatur Deus peccatori, atque ita constituto in corde judicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor: deinde sanguis animæ confitentis per lacrymas profluat. Postremo in conscientia sua se indignum judicet participatione Corporis, & Sanguis Domini. Versetur ante oculos imago futuri judicii, ut, cum alii accedunt ad Altare Dei, quo ipse non accedit, cogitet, quam sit contremiscenda pœna, qua percipientibus aliis vitam æternam, alii in mortem præcipitantur æternam.

Mensuram autem temporis in agenda pœnitentia, idcirco non satis attente præfigunt canones pro unoquoque crimine, sed magis in arbitrio antistitis relinquendum statuunt: quia apud Deum non tam valet mensura temporis, quam doloris. Nec abstinentia tantum ciborum, sed mortificatio potius vitiorum.

Propter quod tempora pœnitentiæ, fide & conversatione pœnitentium adbrevianda præcipiunt, & negligentiæ protelanda. Exstant tamen pro quibusdam culpis modi pœnitentiæ in canonibus impositi, juxta quod ceteræ perpendendæ sunt culpæ; cum sit facile per eosdem modos vindictam & censuram canonum æstimare.

Hanc autem epistolam nemo quidem existimet meam: ne illi pro parvitate nominis mei vilescat. Sed sciat, a majoribus nostris ex sanctorum sententiis esse collectam: a me quidem excerptam, ne nimia prolixitate negligentibus lectoribus fastidium generaret.

Libellum de Vitiis octo principalibus, eorumque remediis: quem in libris Gregorii, Augustini, nec non Prosperi excerpsimus, in capite præponimus, post Præfationem hanc, quam excerpsimus.


Secundus quidem libellus continet de vita activa, & contemplativa pauca capitula, nec non & principalium virtutum nomina. Ipsa quidem ex sanctorum Patrum dictis collecta. Quorum nomina cujus sunt sententiæ, [1] in marginibus posuimus, propter prolixitatem vitandam repetendorum nominum: & ne aliquis invidus nobis vocitaret compilatorem.

Tertius de ordine pœnitentium, cum nominibus, unde sumtus est, conciliorum.

Quartus vero de judiciis Laicorum.

Quintus de Ordinibus Clericorum; & de regulis, si deviaverint, ipsorum.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 825.



1. In Ms. sunt nomina auctorum posita, sed non citationes librorum vel capitum, quas alicubi adjunximus. CANIS.

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 825.

INCIPIUNT CAPITULA LIBELLI PRIMI.

INCIPIT LIBER PRIMUS FELICITER.

CAPUT I.

De octo principalibus vitiis, & unde oriuntur.

Paradisi gaudiis, postquam expulsum est genus humanum, [1] octo criminalia in filios Adæ originaliter dominantur vitia. Quæ nisi per gratiam Salvatoris, ac Baptismi renovationis minime abolenda credamus. Unde beatus [2] Gregorius in expositione Job loquitur. Vitia quippe tentantia, quæ invisibili contra nos prælio [3] repugnanti super se superbiæ militant: alia more ducum præeunt; alia more exercitus subsequuntur.

Ipsa namque vitiorum regina superbia, cum devictum plene cor ceperit, mox illud septem principalibus vitiis, quasi quibusdam suis ducibus devastandum tradit: quos videlicet duces exercitus sequitur: quia ex eis proculdubio importunæ vitiorum multitudines oriuntur. Quod melius ostendimus, si ipsos duces, atque exercitus, ut possumus, enumerando proferamus.

Radix quippe cuncti mali superbia est: de qua, Scriptura atteſtante, dicitur: *Initium omnis peccati superbia.* De hac quoque virulenta radice, VII. principalia vitia proferuntur: scilicet, Inanis gloria, Invidia, Tristitia, Avaritia, Ventris ingluvies, Luxuria. Nam quia his septem superbiæ vitiis nos captos doluit, idcirco redemtor noster ad spiritualis liberationis prælium, spiritu septiformis gratiæ plenus venit. Sed habent contra nos hæc singula exercitum suum.

Nam de inani gloria hæc oriuntur: Inobedientia, Jactantia, Hypocrisis, Contentiones, Pertinaciæ, Discordiæ, & novitatum præsumtiones.

De Invidia nascitur: Odium, Susurratio, Detractatio, Exsultatio in adversis proximi: Afflictio autem in prosperis.

De Ira proferuntur: Rixæ, Tumor mentis, Contumeliæ, Clamor, Indignatio, Blasphemiæ.

De Tristitia nascitur: Malitia, Rancor, Pusillanimitas, Desperatio, Torpor circa præcepta, Vagatio mentis erga illicita.

De Avaritia oriuntur: Proditio, Fraus, Fallacia, Perjuria, Inquietudo. Et contra misericordiam Obdurationes cordis.

De ventris ingluvie propagatur: Inepta lætitia, Scurrilitas, Immunditia, Multiloquium, Hebetudo sensus circa intelligentiam.

De Luxuria generatur: Cæcitas mentis, Inconsideratio, Inconstatia, Præcipitatio, Amor sui, Odium Dei, Affectus præsentis sæculi, Horror autem, vel desperatio futuri.

Quia ergo septem principalia vitia tantam de se vitiorum multitudinem proferunt: cum ad cor veniunt, quasi subsequentis exercitus catervas trahunt. Ex quibus videlicet VII. quinque spiritualia, duoque carnalia sunt. Sed unumquodque eorum tanta sibi cognatione jungitur, ut non nisi unum de altero proferatur. Prima namque superbiæ soboles inanis est gloria: quæ dum oppressam mentem corruperit, mox invidiam gignit. Quia nimirum dum vani nominis potentiam appetit, ne quis hanc alius adipisci valeat, tabescit.

Invidia quoque Iram generat. Quia quanto interno livoris vulnere animus sauciatur, tanto etiam mansuetudo tranquillitatis amittitur. Et quia quasi dolens membrum tangitur, idcirco oppositæ actionis manus velut gravius pressa sentitur.

Ex Ira quoque Tristitia oritur: Quia turbata mens, quo in ordine se concutit, eo addicendo confundit. Et cum dulcedinem tranquillitatis amiserit, nihil hanc nisi ex perturbatione subsequens mœror pascit.

Tristitia quoque ad Avaritiam dirigitur. Quia dum confusum cor bonum lætitiæ intus amiserit, unde consolari debeat, foris quærit. Et tanto magis exteriora bona adipisci desiderat, quanto gaudium non habet, ad quod intrinsecus recurrat.

Posthæc vero duo carnalia vitia, id est ventris ingluvies, & luxuria supersunt. Sed cunctis liquet,

1. Octo principalia Vitia numerant Theodulphus episcopus Aurelianensis Epist. ad clerum, Evagrius ad Anatolium lib. de octo Vitiosis cogitationibus, S. Nilus lib. de octo Vitiosis affectionibus & alii.

2. Greg. Magn. in cap. XXXIX. Job. lib. XXXI. Moral. cap. XVII.

3. S. Gregor. editio Rom. regnanti.

quod de ventris ingluvie luxuria nascitur, dum in A ipsa distributione membrorum ventri genitalia [1] subnixa videantur. Unde dum unum inordinate reficitur, aliud procul dubio ad contumelias excitatur.

Bene autem duces exhortari dicti sunt; exercitus ululare: quia prima vitia deceptæ menti quasi sub quadam ratione se inferunt; sed innumera, quæ sequuntur, dum hanc & omnem insaniam pertrahunt, quasi bestiali clamore confundunt.

CAPUT II.

De vitio superbiæ.

CONsideremus ergo, quæ caussæ præcedant, quas B vitia subsequantur. [2] Ait enim Prosper: *Quod, ut credibilius videatur, Scriptura divina consulta respondeat.* Unde quæsita protulit, dicens: *Initium omnis peccati superbia.* Non alicujus, sed omnis peccati: [3] *quomodo non solum peccatum est ipsa; sed etiam nullum peccatum fieri potest, aut potuit, vel poterit sine ipsa. Siquidem nihil aliud omne peccatum, nisi Dei contemtus est, quo ejus præcepta calcantur. Denique ipse diabolus inventor superbiæ, per ipsam de cælestibus corruit, quem Deus fecerat sine ullo peccato. Et hæc est omnium malorum caussa. Hinc est, quod idem primus homo, superbi spiritus elatione corruptus, omnem posteritatem suam, quæ in illo radicaliter fuit, necessitati* C *corruptionis, ac mortalitatis addixit. De quo dixit Apostolus: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransivit.* Superba voluntas facit Dei præcepta contemni, & ex angelis dæmones fecit.

Quapropter audiant superbi: quia sunt omnia transitoria, quæ ambiuntur, & æterna, quæ perduntur. Et illud: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur.* Et iterum: *Quid superbit terra, & cinis?* Et illud: *Ante ruinam, exaltabitur spiritus.* Et: *Deus alta a longe cognoscit.* De eorum quoque capite diabolo scriptum est: *Ipse est rex super omnes filios superbiæ.*

[4] *Jam nunc videamus, quibus indiciis possit su-* D *perbia deprehendi. Unde paullo post sequitur: Habitus quoque & incessus pedum superbos ostendunt: quorum erecta cervix, facies torva, truces oculi, & sermo terribilis, nudam superbiam clamant; humana jura, divinaque confundunt: honoribus intumescunt, aliena rapiunt, & seipsos superbiæ corrupti morbo non capiunt. Est enim & occulta superbia, quæ proficientes aliquantulum occulte captivat: quos in profundum malorum fraudulenta dominatione præcipitat: & ne umquam possint exsurgere, jugiter calcat. Inde est, quid hi, quos superbæ mentis tabes purulenta corruperit, seniorum suorum non observant imperata, sed judicant. De suis negligentiis objurgati, aut rebellant, aut murmurant:* E *de loco superiori deceptant: præferri se melioribus affectant: suas sententias procaciter jactant: non servant in obsequio reverentiam. Hæc sunt superbiæ tumoris indicia: quibus Deus offenditur: & his malis diabolus pastus exsultat.*

CAPUT III.

De remedio superbiæ.

HUmilitas virtutum omnium mater, penitus conterit superbiam, quemadmodum scriptura testatur: *Omnis qui se humiliat, exaltabitur.* Et: *Gloriam præcedit humilitas.* Et iterum: *Ad quem respiciam, nisi ad humilem, & quietum, & trementem sermones meos?* Et: *Deus humilia respicit.* [5] Unde Gregorius inquit: Dicatur ergo humilibus, quia dum se dejiciunt, ad Dei similitudinem ascendunt. Et; quid humilitate sublimius? quæ dum se in ima deprimit, auctori suo manenti super summa conjungitur. Est tamen aliud, quod in eis debeat caute pensari: quia sæpe quidem humilitatis decipiuntur specie. Quidam vero elationis suæ ignorantia falluntur: idcirco oportet omnes solicitos esse, ut maculæ superbiæ imbribus lacrymarum deleantur, & contritio cordis, & humilis spiritus, omnem fomitem vitiorum excludat: & qui proximis læsionem intulit, veniæ satisfactione reconciliet, rapinam pauperum misericordia largitatis diluat: eisque quibus injuste abstulit, si quid potest, misericorditer reddat: & insuper eleemosynarum fructus minime negligat: aliisque bonis operibus vitam suam corrigendo apud Domini misericordiam studiose perquirat: sicut scriptum est; Miserere animæ tuæ placens Deo. Idcirco temporis mensuram in agenda pœnitentia pro unoquoque crimine non præfigunt canones, sed magis in arbitrio antistitis relinquendum statuunt. Quia apud Dominum non tam valet mensura temporis, quam doloris: nec abstinentia tantum ciborum, quam mortificatio vitiorum.

CAPUT IV.

De vitio inanis gloriæ.

[6] INanis namque gloria devictum cor quasi ex ratione solet exhortari, cum dicit: Debes majora appetere: ut qua potestate volueris multos excedere, eo etiam valeas & pluribus prodesse. Sed scriptura e contra signum vanitatis ostendit dicens:

[7] Est enim vanitas inflata quædam circa delectationes varias animi languentis affectio, potiendi honoris avida simul & nescia, morbo excellentiæ inanis afflata, cava, morbida, turbulenta, animorum levium domina, male fundatis omnibus blanda, repugnantibus fumea, capiendis seductoria, captis invicta: simulatio quædam virtutum [8], appetitio dignitatum, dulcis miseris, amara perfectis: cui serviunt tumidi: sub qua jacent elati: qui se de operibus, quorum sibi conscii non sunt, turpiter jactant, qui se ab omnibus prædicari per nefas affectant. Qui sanctos viros sui [9] deprecatione depreciant. His, & similibus delinitos vanitas premit, nec eos morbum suum sentire, aut ad medicum venire permittit. Et quid est, ad medicum venire, nisi infirmum suas infirmitates cognoscere? tantumque eos ardor humanæ laudis inflammat, ut laboriosa opera, quæ populus admiretur, & quibus fama diffunditur, sine labore suscipiant, & libenter exerceant. Inde est, quod jejunare, abstinere, vigilare, Ecclesiam frequentare, vel psalle-

1. S. Gregor. *subnexa*.
2. Prosper lib. III. de vita contemplativa cap. II.
3. Prosper: quoniam n. s. p. est ipsa, sed e.
4. Sequentia ex Prospero libri III. vitæ contemplat. cap VIII.
5. Simile quid S. Greg. lib. XXXII. Moral. Job c. XXVII.
6. Gregorius.
7. Hæc ex Prosp. lib. III. vitæ contempl. cap. x.
8. Prosp anima vitiorum, fomes carnalium delectationum, labes morum, appetitio d.
9. Prosp. *comparatione*.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 825.



re, cum hæc omnia fine labore non faciant, etiam A cum delectatione faciunt, [1] ut ab hominibus, quibus placere, non Deo, desiderant, videantur. Unde Veritas ait: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.*

CAPUT V.

De remedio inanis gloriæ.

APostolica sententia in medio est proferenda, qua dicitur: *Quid enim habes, quod non accepisti: & si accepisti, ut quid gloriaris, quasi non acceperis?* Hujus enim morbi est medicina salutis, recordatio divinæ bonitatis, per quam omnia bo- B na nobis collata sunt, quæ habere videmur. Etiam & perpetua ipsius Dei caritas: in cujus laudem omnia agere debemus, quidquid boni in hoc sæculo operemur: & magis desiderare a Deo laudari in die retributionis æternæ, quam ab homine mortali quolibet, in hujus transitoriæ vitæ. Hoc quoque inanis gloriæ vitium, ut jam diximus, lacrymarum fletibus est abolendum, cum ceterorum actibus bonorum operum. Quia in cunctis, quæ agimus, necesse est, ut consideratio propriæ infirmitatis deprimat: ne hæc ante occulti arbitri oculos tumor vanæ laudis exstinguat.

CAPUT VI. C

De vitio invidiæ.

INvidia quoque devictum cor quasi ex ratione solet exhortari, cum dicit: In quo illo, vel illo minor es? cur ergo eis vel æqualis, vel superior non es? quanta vales quæ illi non valent? *Non ergo tibi, aut superiores esse, aut etiam æquales debent.* [2] Apostolica adversus hoc clamat sententia: *Invidia siquidem diaboli mors intravit in orbem terrarum.*

[3] Invidus certe, qui alienum bonum, suum facit invidendo supplicium: nulla videtur ad invidum concupiscentia provocari, sed tantum superbiæ D morbo vexari: quo sibi jugiter ingemiscit meliorem, cui invidet, anteferri. Ac per hoc sequitur divinum munus in homine: cum potius amari homo debeat pro sui meriti sanctitate. Tantos enim invidus habet justa pœna tortores, quantos invidiosus habuerit laudatores. Nihil infelicius potest esse invidia: quæ alienis torquetur bonis. Unde igitur bonus proficit, inde invidus contabescit. Invidia sensum mordet, pectus urit, mentem affligit. Qui autem invidet, diabolo similis est: qui per invidiam hominem de Paradisi felicitate dejecit.

[4] Quantum eis bonum corrumpat invidia miserabiliter est intuendum: cum quidquid boni fieri, vel dici a sanctis audierint, vel omnino non cre- E dunt: aut res bene gestas in malum male interpretando convertunt. Omne malum, quod de illis mendax fama jactaverit, statim tamquam si ipsi viderint, credunt.

[5] Et dum livorem a corde non projiciunt, ad apertas operum nequitias devolvuntur: quia a se incipit omnis tractatus malus, & priusquam noceat alteri, ipse sibi parat exitium. Namque ex hoc vitio oriuntur homicidia. Nisi enim Cain invidisset acceptam fratris hostiam, minime pervenisset ad exstinguendam vitam.

CAPUT VII.

De remedio invidiæ.

APostolus terribiliter comminatur, dicens: *Qui odit fratrem suum, homicida est, &, qui invidet fratri suo, in tenebris est, & in tenebris ambulat.* Unde si huic vitio valenter resistere cupimus, caritatem Deo exhibeamus, & proximo, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta; & facile peccato resistimus, si bonis omnibus abundamus: sæculi blandimenta contemnimus: &, omnia, quæ difficilia sunt humanæ fragilitati, vel aspera, etiam cum dilectione perficimus, si hæc præcepta dilectionis custodimus.

[6] Attamen ordinem dilectionis illi pervertunt, nec modum diligendi custodiunt: qui aut mundum, qui contemnendus est, diligunt: aut corpora sua minus diligenda, diligunt: aut proximos non sicut se ipsos: aut Deum plus quam se ipsos forte non diligunt. Proximos autem tunc diligimus sicut nos, si non propter aliquas utilitates nostras, non propter sperata beneficia, vel præcepta: sed propter hoc tantum, quod sunt naturæ nostræ participes, diligamus. Quapropter hæc est proximi tota dilectio, ut bonum, quod tibi conferri vis, velis & proximo. Potest itaque homo, alterius bonum, suum facere, dum amat in alio, quod ipse non facit.

[7] Hinc ergo pensent invidi, caritas quantæ virtutis est; quæ alieni laboris opera, nostra sine labore facit. Dicendum itaque est invidis; quia dum se a livore minime custodiunt, in antiquam versuti hostis nequitiam demerguntur. Igitur summopere est vigilandum, ut hoc vitium radicitus a cordibus citius evellatur, ac bonis operibus, ut præscriptum est, cum consilio tamen sacerdotis emundetur, & quotidie pro illo exoret, quem oderat, eique officia caritatis exhibeat, ac necessitatibus, si valuerit, frequenter subveniat, cui, cum non amavit, minus diligendo exhibuit.

CAPUT VIII.

De vitio iræ.

[8] IRa etiam devictum cor quasi ex ratione solet exhortari, cum dicit: quæ erga te aguntur, æquanimiter ferri non possunt: hæc immo patienter tolerare, peccatum est: quia si non eis cum magna exasperatione resistitur, contra te deinceps sine mensura cumulantur.

Apostolica contra hæc respondet sententia: *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Unde, & Veritas dicit; *Quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit in judicio.* Et: *si non dimiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris, nec Pater vester cælestis dimittet vobis delicta vestra.* Nam si irasci fas non est, aut dicere racha, aut fatue: multo minus est licitum tenere aliquid animo, ut in odium indignatio convertatur. Est enim ira, mentis furor: quæ si in corde infigitur, omnem eximit providentiam ab eo, facti: nec judicium rectæ discretionis inquirere; nec honestæ contemplationis virtutem, nec consilii poterit habere maturitatem. Sed omnia per præcipitium quoddam facere videtur. Ex qua nascitur homicidium.

1. *Hucusque ex* Prosp.
2. Citatur S. Greg. lib. V. Moral. Job cap. XXXI. de invidia pulcherrime differens.
3. Hæc ex Prosp. lib. III. vitæ contemplat. cap. V.
4. Prosper. 5. Gregorius. 6. Gregorius.
7. Gregorius. 8. Gregorius.

[1] Dicendum quippe est impatientibus: quia dum frenare spiritum negligunt, per multa etiam, quæ non appetunt, iniquitatum abrupta rapiuntur. Quia videlicet mentem impellit furor, quo non trahit desiderium, & agit commota, velut nesciens, unde post doleat, sciens. Per hoc quoque impatientiæ vitium plerumque mentem arrogantiæ culpa transfigit: quia dum despici in mundo hoc quisque non patitur; bona, si qua bona sibi occulta sunt, ostendere conatur, ac per impatientiam, usque ad arrogantiam deducitur.

CAPUT IX.

De remedio iræ.

PAtientia namque furorem, omneque iræ vitium cum recordatione mandatorum Dei superare noscitur: cum virtutum omnium mater Caritas ad memoriam revocatur, quia impatientiæ vitium minime oritur, nisi virtutum mater Caritas amputetur. Scriptum quippe est, caritas, patiens est. Igitur cum minime est patiens, caritas in eo non est.

[2] Per hoc quoque iræ vitium, ipsa virtutum nutrix doctrina dissipatur. Unde scriptum est: *Doctrina viri per patientiam noscitur*. Tanto ergo quisque minus ostenditur doctus, quanto minus convincitur patiens. Scriptum est enim; *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium*. Unde Veritas electis suis dicit: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*. Custodem igitur conditionis nostræ patientiam, Dominus esse monstravit: qui in ipsa nos possidere nosmet ipsos docuit. Unde & alibi dicit: *Diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos*. Virtus itaque est coram hominibus, adversarios tolerare. Sed virtus coram Deo, diligere. Et Paullus Apostolus, possidere patientiam monuit, cum discipulis hoc præceptum monendo instituit: *Omnis*, inquit, *amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur a vobis, cum omni malitia*. Quia nimirum frustra indignatio, & clamor, & blasphemia ab exterioribus tollitur: si in interioribus vitiorum mater malitia dominatur. Admonendi sunt igitur patientes, ut cor post victoriam muniant, ne hostis callidus eo in deceptione postmodum majori exsultatione gaudeat, quod illa dudum contra rigida colla victorum calcat: Quisquis hoc vitio iræ diu tabefactus deperiit, oportet ut ei rehumiliando satisfaciat, cui iratus exstitit, ne coram Deo reus judicetur: qui non aliter nostra delet facinora, si fratrum a cordibus nostris penitus non amputentur delicta.

CAPUT X.

De vitio tristitiæ.

[3] TRistitia quoque devictum cor quasi ex ratione solet exhortari, cum dicit: Quo habes, unde gaudeas, cum tanta mala de proximis portas? perpende cum quo mœrore omnes intuendi sunt, qui in tanto, contra te, amaritudinis felle vertuntur. Apostolica adversus hæc dicit sententia: *Quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio, an angustia?* & reliqua. Sunt quippe duo genera tristitiæ: Unum saluriferum: aliud vero pestiferum. Tristitia salutaris est, quando animus ex delictorum recordatione contristatur, ut confessionem, & pœnitentiam agere quærat, & converti ad Deum se, toto corde desiderat. *Alia igitur hujus mundi est tristitia, quæ mortem operatur animæ, nihilque in bono operis desiderio valet perficere*; quæ perturbat animum, & sæpe mittit in desperationem, ac futurorum spem abstrahit bonorum: cui etiam hoc patienti vitium vitæ præsens nulla est delectatio.

CAPUT XI.

De remedio tristitiæ.

SUperatur namque hoc nefas spiritali lætitia, & spe futurorum, & consolatione Scripturarum, vel fraterno in spiritali jucunditate, colloquio: vel cum ad mentem reducitur, quam parva sint, quæ videntur: sicut scriptum est. *Quæ enim videntur temporalia sunt*. Unde Ecclesiastes dicit: *Cuncta subjacent vanitati, & omnia pergunt ad unum locum, quia de terra facta sunt, & in terram pariter revertentur: quæ autem non videntur, æterna sunt*.

[4] Hæc vero, & his similia loquentes, ac cogitantes, nihil est aliud, quam vitiis omnibus repudium dare, & omne genus tristitiæ amputare. Ab his ergo tristibus malis ascendendum est ad illa sublimia, quibus proficientium mentes, in spem promerendæ beatitudinis assurgunt: abdicatisque terrenis, cælestia concupiscunt, ubi Deus videbitur in sæcula sæculorum. Sed quicumque hoc vitio carere desiderat, orationibus frequenter insistat: mortem animæ quotidie ante oculos ponat. Et quia omnis caro fœnum est, recognoscat misericordiam & bonitatem Dei erga omnes sperantes in se, cum magna consideratione, aut per se meditando, aut ab aliis audiendo, ex toto animo considerare non negligat. Pauperibus, & peregrinis, viduis, ac pupillis, nec non infirmis, & hospitibus, si quid valet, misericorditer tribuat, & in ceterorum bonorum operibus non deficiat.

CAPUT XII.

De vitio Avaritiæ.

[5] AVaritia quoque devictum animum, quasi ex ratione solet exhortari, cum dicit: Valde sine culpa est, quod quædam habenda concupiscis, quia multiplicare non appetis, sed egere pertimescis: & quod male alius retinet, ipse melius expendis.

Apostolica contra hæc clamat sententia: *Quod neque avari, neque rapaces, regnum Dei possidebunt*. Unde & Salomon dicit: *Avarus non implebitur pecunia: &, qui amat divitias, fructus non capiet ex eis*. Et iterum: *Divitiæ conservatæ in malum domini sui. Pereunt enim in afflictione pessima*. Et paullo post dicit: *Avaro autem nihil est scelestius: nihilque iniquius, quam amare pecuniam*. Et iterum: *Cum enim moritur homo, hereditabit serpentes, & bestias, & vermes*. Unde & Dominus ait: *Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cælorum*. Et iterum: *Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram*. Et alibi: *Non potestis Deo servire & mammonæ*. Unde Apostolus discipulo de divitibus dicit: *Divitibus hujus sæculi præcipe, non superbe sapere: neque sperare in in-*

1. Gregorius. 2. Gregorius. 3. Gregorius. 4. Prosper. 5. Gregorius.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 825.

certo divitiarum. Est namque avaritia, nimia divitiarum adquirendi, habendi, vel tenendi cupiditas. Unde Gregorius dicit: Avaritia enim non solum pecuniæ est, sed etiam altitudinis. Quæ pestis insaturabilis est, sicut morbus hydropici: quia in bibendo non sitim exstinguit, sed potando succrescit: sic avaritia, quanto magis habet, tanto plus desiderat. Et, dum modus non est in habendo, modus illi non erit in desiderando. Ex qua oriuntur invidia, furta, latrocinia, homicidium, & reliqua.

CAPUT XIII.

De remedio Avaritiæ.

Dominus enim cuidam quærenti, quid faceret, ut vitam possideret æternam, respondit: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo. Et alibi: [1] Si vere divites esse cupitis, veras divitias amate. Discant igitur divites, quia divitias, quas conspiciunt, tenere nequaquam possunt. *Et ideo misericorditer tribuant, unde sibi superflue habere conspiciunt: quia hilarem datorem diligit Deus.* Admonendi sunt etiam, qui jam sua misericorditer tribuunt, ut sollicite custodire studeant, ne cum commissa peccata eleemosynis redimunt, adhuc redimenda committant. Ne venalem Dei justitiam æstiment: si, cum curant pro peccatis nummos tribuere, arbitrentur se posse inulte peccare. Plus namque est anima, quam esca: & corpus, plus quam vestimentum. Qui ergo escam, atque vestimentum pauperibus largitur, sed tamen anima, vel corpus iniquitate polluitur: quod minus est justitiæ, obtulit, & quod majus est, culpæ: sua enim dedit Deo, & se diabolo.

Iterum admonendi sunt, qui aliena rapere intendunt. Audiant, quod scriptum est: *Væ ei, qui multiplicat non sua.* Profecto enim qui augere opes ambit, vitare periculum negligit. *Quoniam radix omnium malorum est cupiditas.*

[2] Unde quærendum est; si initium omnis peccati superbia dicitur, quare radix omnium malorum cupiditas affirmetur. Sane, quia cupiditas, atque superbia in tantum, unum est malum, ut nec superbus sine cupiditate, nec sine superbia possit inveniri cupidus. Deinde si quodlibet peccatum perpetrare non possum, nisi meæ delectationi consentiam; quod cupiditatis est proprium: & Dei præcepta contemnam; quod est superbiæ malum: *quomodo non ex cupiditate, quæ est radix omnium malorum*: & ex superbia, quæ initium omnis peccati dicitur, procedit omne peccatum?

Vincitur quoque hoc vitium in largitione pauperum, in visitatione infirmorum, & integumento nudorum, nec non, & si quid injuste quis abstulit, reddendum est in quadruplum, juxta sententiam Domini. Et numquam a corde discedat timor Domini: & insuper fletu, ac lacrymis, cum contritione cordis purget indesinenter animam: ne, pro incerto divitiarum, amittat vitam æternam.

Hucusque de quinque spiritalibus vitiis ex SS. Patrum testimoniis dictum sufficiat. Restat quoque, ut de duobus carnalibus, videlicet gula, atque luxuria pertractemus.

A

CAPUT XIV.

De vitio ventris ingluviæ.

[3] Ventris quoque ingluvies devictum cor quasi ex ratione solet exhortari, cum dicit: Ad esum Deus omnia mundo condidit: &, qui satiari cibo respuit, quid aliud, quam muneri concesso contradicit?

[4] At contra videamus, qualiter illi homines primi commiserint tam grande peccatum, & quod ipsos de Paradiso projecit, in hoc vitæ pœnalis exsilium, & in eis originaliter totum damnavit genus humanum. Prohibitum siquidem a Domino fuerat, quod de ligno scientiæ boni, & mali, ne comederent: sed gulæ vitio decepti comederunt. Nisi enim comedissent, perpetuo immortales essent, si sub Deo suo viventes, præceptum, quod acceperunt, custodissent. Nec desererentur a Deo, nisi Deum prius ipsi desererent. Et idcirco in hanc ærumnosam hujus vitæ miseriam, gulæ delicti, atque morti traditi sunt dejecti. Ubi omnis homo per peccatum nascitur, per laborem vivit, per dolorem moritur.

[5] Quapropter admonendi sunt gulæ dediti, ne in eo, quo escarum delectationi incumbunt, luxuriæ se mucrone transfigant: quanta sibi per esum loquacitas; quanta mentis levitas insidietur, adspiciant: ne dum ventri molliter serviunt, vitiorum laqueis crudeliter adstringantur. Audiant Apostolum dicentem: *Esca ventri, & venter escis: Deus autem & hunc, & has destruet*, Et rursum: *Non in commessationibus, & ebrietatibus*. Et iterum: *Esca nos non commendat Deo.* Et rursum: *quorum Deus venter est, & gloria in confusione*: quia gulam sequitur luxuria.

CAPUT XV.

De remedio gulæ vitii.

Quia primus homo, hoc vitio gulæ cum posteritate sua cecidit, necessarium est, ut per abstinentiam resurgamus: sed in ipsa abstinentia, est aliud quiddam, quod solerti cura pensare debemus.

[6] Quia plerumque dum plus quam necesse est, per abstinentiam caro atteritur, humilitas foris ostenditur: sed de hac ipsa humilitate graviter interius superbitur. Ideo admonendi sunt abstinentes, ut sollicite semper aspiciant, ne cum gulæ vitium fugiant, acriora his vitia, quasi ex virtute, generentur. Incassum ergo per abstinentiam corpus conteritur, si inordinatis demissa motibus, mens vitiis dissipatur.

[7] Qui autem non solum a qualitate, sed etiam a quantitate ciborum cupiunt abstinere, nihil aliud student, nisi, ut quantum stomacho reficiendo, ac fami eximendæ satis esse videtur, indulgeant: nec expleant suos appetitus aviditate percipiendi, sed comprimant: atque eis non saturitas edendi finem faciat, sed voluntas: qui tam a cupiditate preciosorum ciborum, quam a nimia perceptione vilium contineant: qui, cibis nec lautioribus volunt carne luxuriose dissolvi, nec distentione ventris vilibus onerari: quando abstinentes viri, nec delitiosi solent esse, nec avidi. De vino autem abstinendo quid dicam? unde Apostolus certam fixit regulam,

1. Gregorius.
2. Hæc ex Prosp. lib. V. vit. contempl. cap. XV.

3. Gregorius. 4. Prosper. 5. Gregorius.
6. Gregorius. 7. Prosper.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 825.



dicens: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*: A quasi diceret: luxuriam facit, & nutrit vini perceptio nimia, non natura: Et ideo, non vos uti vino, sed ne inebriamini, prohibeo. Unde Timotheo præcepit, dicens: *Noli aquam bibere; sed modico vino utere, propter frequentes tuas infirmitates*. Ac per hoc, nihil contra abstinentiam faciunt, qui vinum non pro ebrietate, sed tantum pro corporis salute percipiunt. Unum tamen est intuendum: quod nihil illis proficiat, qui se a cibis temperant, si vitiis serviant. Quia facilius res, quæ possidetur, abjicitur, quam voluntas.

[1] Admonendi sunt abstinentes, ut noverint, quia tunc placentem Deo abstinentiam offerunt, cum ea, quæ sibi de alimentis subtrahunt, indigentibus B largiuntur. Non enim Deo, sed sibi quisque jejunat, si ea, quæ ventri ad tempus subtrahit, non inopibus tribuit; sed ventri postmodum offerendo custodit. Rursumque admonendi sunt, ut abstinentiam suam, & semper sine imminutione custodiant, & numquam hanc, apud occultum judicem eximiæ virtutis credant: ne, si fortasse magni esse meriti creditur, cor in elatione sublevetur. Hinc Joel ait: *Sanctificate jejunium*. Jejunium sanctificare, est adjunctis bonis aliis, dignam Deo abstinentiam carnis ostendere: quia tunc nobis proderit, quod corpora nostra, aut cetera corporum incentiva, rigore districtioris abstinentiæ castigamus, si carnalibus C desideriis absoluti, sanctis virtutibus floreamus. Unde, si per delectationem, & desiderium voluptatis a Paradisi gaudiis cecidimus, oportet, ut per jejunium, ac lamenta pœnitentiæ redeamus.

CAPUT XVI.

De vitio Luxuriæ.

[2] Luxuria quoque devictum cor quasi ex ratione solet exhortari, cum dicit: Cur te in voluptate tua modo non dilatas, cum quid te sequatur, ignoras? Acceptum tempus in desideriis perdere non debes: quia, quam citius pertranseat, nescis. Si enim misceri Deus hominem in voluptate coitus nollet, in ipso humani generis exordio, masculum, & feminam non fecisset. Non enim Deus, ut divina testatur auctoritas, ideo masculum & feminam creavit, ut carnali fruerentur desiderio, aut in delectatione carnis viverent, sed procreandorum cum benedictione filiorum, mutuo jungerentur. Et nisi tum transgressio mandatorum fuisset, nulla utique sentiretur delectatio in copula conjugatorum. Luxuria quippe est immunditia corporalis, quæ fieri solet, ex incontinentia libidinis, & mollitie animæ, quæ consentit suæ carni peccare. Quia tribus modis omne agitur peccatum: suggestione, delectatione, consensu.

[3] Qui concupiscentiæ carnis addictus est, numquid non videtur nihil habere superbiæ? cum præsertim passio ipsa eum videatur humiliare luxuriæ. Et tamen, nisi prius Deo rebellis exsisteret: cujus salubre præceptum de pudicitia conservanda, superbi spiritus præsumtione contemnit, nulla eum lasciva cupiditas provocaret. In animo ejus diu [4] deceptant, Dei contemtus, & metus. Sed aut contemtus Dei præponderat, & superbus animus recepta cupiditate, pudicitiam perdit; aut obtinet metus, & animus Deo subjectus, cupiditati simul, ac superbiæ contradicit. Plerosque enim gula & abundantia vini, turpiter in luxuriam solvunt: alios, in injuriam pudicitiæ sordidæ congitationes incendunt. Nonnullos deposita castitate, occasiones oblatæ dejiciunt: quosdam sub impudicitiæ jugem exempla perdite viventium mittunt. Sunt alii, quorum vitam vita turpis inflammat, & turpem conscientiam manifestat: qui prius inverecundos sermones aut proferunt libenter, aut audiunt: ac deinde paullatim morbo crescente, ab honestate deficiunt. Cogitatio quippe est, quæ mentem sicut turpis inquinat; ita, si fuerit honesta, purificat. Hinc est, quod ille corporis fluxus, qui fit in dormientibus, sine culpa, interdum vigilantibus contingat ex culpa. Aliud est, quod in dormiente fit: aliud, quod vigilans facit. Ibi naturaliter plenitudo humoris expellitur. Hic turpiter concupiscentia publicatur. Sed hæc concupiscentia illis vigilantibus hunc elicit fluxum, quibus per fœda colloquia sordidum commoverit appetitum.

CAPUT XVII.

De remedio Luxuriæ.

Paullus Apostolus terribiliter admonet dicens: *Qui habent uxores, tamquam non habentes sint*, &c.

[5] Uxorem quippe quasi non habendo habet, qui sic per illam carnali consolatione utitur, ut tamen numquam ad prava opera a melioris intentionis rectitudine, ejus amore flectatur. Uxorem quippe quasi non habendo habet, qui transitoria cuncta conspiciens esse, curam carnis ex necessitate tolerat: sed æterna gaudia spiritus ex desiderio exspectat. Unde iterum dicit: *de quibus scripsistis mihi: Bonum est homini, mulierem non tangere. Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat: & unaquæque suum virum habeat. Hoc autem dico, secundum indulgentiam, non secundum imperium*. Culpa quippe esse innuitur, quod indulgere perhibetur: sed quæ tanto citius relaxetur, quanto non post hanc illicitum quid agatur, sed hoc, quod est licitum, moderamine non tenetur. D Quod bene Loth in semet ipso exprimit, qui ardentem Sodomam fugit; sed tamen Segor veniens, nequaquam mox montana conscendit. Ardentem quippe Sodomam fugere, est illicita carnis incendia declinare. Altitudo vero est montium, munditia continentium. In monte stare, est carnaliter non adhærere.

At contra admonendi sunt, qui ligati conjugiis non sunt, ut præceptis cælestibus eo rectius serviant, quo eos ad curas mundi nequaquam jugum copulæ carnalis inclinat.

Admonendi sunt cælibes, ne sine damnatione misceri se feminis vacantibus putent. Cum enim Paul- E lus fornicationem vitium tot criminibus exsecrandis inseruit, cujus sit reatus, indicavit, dicens: *Neque fornicatores, neque idolis servientes, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt*. Et rursus: *Fornicatores, & adulteros judicabit Deus*. At contra admonendi sunt peccata carnis ignorantes, ut tanto solicitius præcipitem ruinam metuant, quanto altius stant. Quibus per Joannem dicitur: *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Hi sequuntur Agnum, quocumque ierit*. Quapropter cum cœperit animus ad delectationem carnis inclinare, oportet timorem judicii ad mentem reducere, pœnasque infernalium, ubi nemo, nisi obnoxii retru-

1. Gregorius. 2. Gregorius. 3. Prosper. 4 Leg. *disceptant*. 5. Gregorius.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 825.

duntur, follicite cogitare: quænam pœna injustis sit A reddenda æternis suppliciis. Unde scriptum est: *Mitte eos in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium:* ubi vermis eorum non moritur, & ignis eorum non exstinguetur.

[1] Quid excusationis obtendere poterimus, quid faciamus sub tanti judicis majestate in illa die? qua nos defensionis arte purgabimus? quæ nobis subventura est pœnitentia, quam in hac carne contemsimus? Hæc multa, & his similia cogitare nihil est aliud, quam vitiis omnibus repudium dare, & omnia blandimenta carnalia refrenare.

Sed quia de octo principalibus vitiis, eorumque remediis, prout largitor omnium bonorum dedit, ex sanctorum Patrum sententiis stilus nostræ descriptionis colligendo perstrinxit: libellus finem excipiat, ut in sequenti opere, de virtutibus, unde heic pauca tetigimus, donante Domino, plenius disputemus.

EXPLICIT LIBER PRIMUS.

LIBER II.

Superiori libro rationem vitiorum principalium octo complexus, pro viribus, qua Dominus donare dignabitur, de actuali, & contemplativa vita, nec non & virtutibus, uti promisi, ex Patrum dictis colligere curavi.

CAPITULA LIBRI SECUNDI.

INCIPIT LIBER SECUNDUS FELICITER.

CAPUT I.

De vita activa.

[1] Actualis est vita conversatio religiosa, quæ edocet, quomodo præpositi sub se regant viventes, & diligant, hac non minus de eorum salute, quam de sua solliciti, quod eis expedire sciunt, paterna cura provideant: & qualiter Præposito suo subjecti, tamquam capiti membra deserviant, ac præcepta ejus, velut imperium Dei, summo amore custodiant. Ipsa namque actualis vita panem esurienti tribuit: verbo sapientiæ nescientem edocet: errantem corrigit: ad humilitatis viam superbientem proximum revocat: infirmantis curam C gerit: quæ singulis quibusque expediant, dispensat: & commissis, qualiter subsistere valeant, sollicite providet. Quæ cum & in præsenti fiunt, & cum corpore deficiunt, attamen merces hujus vitæ permanet in æternum.

B

CAPUT II.

De vita contemplativa.

Contemplativa vita a contemplando, id est, a videndo, nomen accepit: [3] in qua, Creatorem suum creatura intellectualis, ab omni peccato purgata, atque ex omni parte sanata, visura est. Sed etsi diligenter considerare velimus in hoc fragili tabernaculo, ubi quotidie ingemiscimus, contemplativæ vitæ quodammodo participes fieri possumus, nemo quis dubitet: quia [4] Ecclesiarum principes vitæ contemplativæ posse, & debere fieri sectatores: quia sive secundum quorumdam opinionem, nihil aliud sit vita contemplativa, quam rerum latentium, futurarumque notitia: sive vacatio ab omnibus occupationibus mundi: sive divinarum studium litterarum, non videtur quid impedimenti sanctis sacerdotibus possit afferri, quo minus ad virtutes nequeant pervenire: quorum cura est, ab occupationibus mundi aufugere, & divinarum studiis litterarum inhærere. Qui non torpent otio,

1. Prosper. 2. Prosper.
3. Ex Prosper. lib. I. de vita contempl. cap. 1.
4. Hæc ex Prosper. libri cap. XIII.

sed insistunt perfectionis suæ negotio : verbo Dei infatigabiliter vacant, sapientes veraciter fiunt : cælestia sapiunt : terrena despiciunt : obedientes instruunt, sanctis virtutibus, quibus in dies singulos fiant Deo propinquiores, incumbunt . Quæ vita, per fidem, & spem, in præsenti incipit sæculo, sed in futuro permanet cum Domino.

CAPUT III.

De Fide.

Fides vero justitiæ est fundamentum : quam nulla opera bona præcedunt : ex [1] qua omnia procedunt. Ipsa, nos a peccatis omnibus purgat ; B mentes nostras illuminat: Deo reconciliat; cunctis participibus nostræ naturæ consociat : spem nobis futuræ remunerationis inspirat : auget in nobis virtutes sanctas, ac nos in earum professione confirmat [2]. Ipsa quoque gradus ascensionis est, per quam gressus omnis transeuntis vitæ dirigitur : ut errores humanæ vitæ transfugiat, & ad cælestia securus perveniat : quam sacerdos nosse debet, ut doceat : & populus credere, ut ea, quæ docetur, intelligat : dicente Apostolo : *Nisi credideritis, non intelligetis*. Unde datur intelligi, quod non fides ex intellectu, sed ex fide intellectus exsistat : ac per hoc, ut bene agat, quis intelligere studeat, & ut intelligat, credat, debet doctor Ecclesiæ prædi- C care, quod audiat crediturus: quia sine prædicatione nullus erit auditus, scriptum est : *Quomodo audient sine prædicante ?* Verbum fidei prædicandum est, ut audiens credat, credens intelligat, & intelligens opus bonum perseveranter exerceat: quoniam *nec opera sine fide, nec sine operibus fides sola justificat*. Et ideo, *si corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Qui autem non crediderit, non habendo fidem, nec justitiam cordis habere poterit, nec salutem.

Est autem fides, ut Apostolus ait, *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. In hac enim testimonium consequuti sunt senes. Fide intelligimus apparata esse sæcula Verbo Dei, ut ex* D *invisibilibus visibilia fierent. Fide, plurimam hostiam Abel quam Cain obtulit. Fide, Enoch translatus est, ne videret mortem. Fide, Abraham obtulit Isaac, cum tentaretur*, & quia sicut idem ait Apostolus, *sine fide impossibile est placere Deo*. Et iterum : *Ex fide igitur justificati pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum : per quem & accessum habemus per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei*.

CAPUT IV.

De Spe.

[3] Spes dicitur, cum aliquid, (quod) promittitur, cum non videtur, dicente Apostolo: *Spe enim salvi facti sumus. Spes autem, quæ videtur, non est spes. Nam quod videt quis, quid sperat? Si autem, quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus*. Et ideo ambulemus in spe proficientes de die in diem, & spiritu facta carnis mortificemus. *Novit enim Dominus qui sunt ejus*. Et, A *quotquot spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei, sed gratia, non natura*. Unicus enim natura filius Dei propter nos misericordia factus est hominis filius, ut nos natura filii hominis, filii Dei per illum gratia fieremus. In actuali quippe vita, in qua, & per quam peregrinatur Ecclesia, fides, & spes sunt adipiscendæ cum caritatis laude. Unde Apostolus ait : *Nunc autem manet fides, spes, & caritas ; major autem harum est caritas*. Et ideo major ; quia non cum mundo transit periturо. Sed heic incipit, & permanet in futuro.

CAPUT V.

De Caritate.

[4] Jam porro caritas, quam duabus istis, id est fide, ac spe majorem dixit Apostolus : quanto in quocumque major est, tanto melior, in quo est. Cum enim quæritur, utrum quisque homo bonus sit : non quæritur quid credat, aut speret : sed quid amet. Nam, qui recte amat, procul dubio recte credit, & sperat. Qui vero non amat, inaniter credit, etiamsi sunt vera quæ credit ; inaniter sperat, etiamsi ad veram felicitatem doceantur pertinere, quæ sperat : nisi hoc credat, & speret, quod sibi petenti donari possit, ut amet. Per caritatem igitur bona omnia justificantur, quæ C creduntur, ac sperantur. [5] Quam excellentiorem viam Apostolus nuncupat : *Ad quam non pedum via, sed morum, est ascendendum*. Quia caritas est recta voluntas ab omnibus terrenis ac præsentibus prorsus aversa, juncta Deo inseparabiliter, & unita igni quodam sancti Spiritus, nullo vitio mutabilitatis obnoxia : supra omnia, quæ carnaliter diliguntur, excelsa, divinæ contemplationis avida: in omnibus semper invicta : mors criminum : vita virtutum. [6] Quam Fides concipit; ad quam spes currit: cui profectus omnium servit : sine qua nullus Deo placuit : cum qua, nec potuit aliquis peccare, nec poterit. Hæc est caritas vera, germana, perfecta, & omnino via, quæ ducit per se ambu- D lantes ad patriam : quia sicut sine via nullus poterit pervenire quo tendit : ita sine caritate, quæ dicta est via, non ambulare possunt homines, sed errare. [7] Unde Apostolus inquit ; *caritas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa ; non quærit quæ sua sunt*. Et iterum : „ Omnia suffert, omnia sperat, omnia sustinet : „ eos autem, in quibus fuerit, omnibus his bonis, quæ habet impertit. Et quid illis esse potest in hac vita perfectius, qui tantis abundant, caritate in se regnante, virtutibus [8] ? Quapropter caritas heic quidem in præsenti necessaria est, quæ nos separat a diabolo, purificat a peccato, reconciliat Deo. Sed in futuro perfe- E cta erit, cum perfectos Deo, a quo est donata, conjunxerit.

CAPUT VI.

De Virtute.

Porro antequam de [9] principalium virtutibus quatuor dicatur aliquid : primo indagatione veritatis scire oportet, quid sit, aut quare virtus

1. Prosp. *ex quo*. Expliciat Prosp. lib. I. de vocat gent. cap. xxv. & resp. ad excerpta Genuensium resp. ad priora 3. dubia.
2. *Hucusque ex* Prosper lib. III. de vita contemplat. cap xxi.
3. Prosper.
4. Augustinus.
5. Prosp. lib. III. in fine cap. xiii. & init. xiv. vit. contemplat.
6. Ex Prosperi lib. III. vit. contempl. cap. xiii.
7. *Hucusque ex Prospero*.
8. *Hucusque ex* Prosper cap. xiv. ibid.
9. Forte *principalibus*, id est, *cardinalibus*.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 825.

dicatur, quæ in tanto nominis præcellit honore, ut nulla, quamvis videantur recta, sine virtute, Deo fiant acceptabilia.

[1] Virtus namque omnis sancta res est, divina, incorporea prorsus, atque mundissima: quam mentes inquinatæ non inquinant, sed ipsa inquinatos emaculat: cujus participatione [2] firmantur infirma, suscitantur mortua, sanantur infirma, corriguntur prava, reconciliantur adversa. Hanc non habet, nisi Deus, & is, cui dederit Deus. Quæ in animo habitat, sed animam, corpusque sanctificat. Ad quam, nullus accedit invitus: quam nullus amittit, nisi propria voluntate deceptus. De qua rursum alias dicitur [3]: Virtus quoque animi, habitus est naturæ, decusque vitæ, ratio morum, pietatis cultus, divinitatis honor, & æternæ beatitudinis meritum. Cujus partes sunt, ut diximus, principales quatuor, Prudentia, Justitia, Fortitudo, Temperantia.

CAPUT VII.

De Prudentia.

PRudentia est rerum divinarum, humanarumque, prout homini datum est, scientia. In qua intelligendum est, quid carendum sit, quidque faciendum. Unde Psalmista loquitur: *Diverte a malo, & fac bonum*. Quia, nulla melior sapientia, quam ipsa, qua Deus, secundum humanæ mentis modulum intelligitur, & timetur, atque ejus futurum creditur judicium: ubi bona boni, mala vero mali pro meritorum qualitate recipiunt.

[4] Prudentiam igitur, & sapientiam plerique in indagatione veri, & inventione constituunt. Propterea quod nec sapiens dici recte possit, cui deest prudentia: nec prudens, cui deest sapientia. Quapropter si nihil aliud prudentiæ, ac sapientiæ munus accipitur, nisi inquisitio, & comprehensio veritatis: qui veritatem prudenter quærere, & sapienter invenire potuerit, is prudens, is sapiens jure vocabitur. Et quidquid de prudentia fuerit disputatum, id totum de sapientia possit intelligi.

Qui ergo prudentiæ participatione prudentes effecti, Deo suo non pedibus, sed sanctis moribus appropinquant; ex ea parte, qua sunt Dei dono prudentes, nec suo perire possunt, nec alieno peccato. Ex eo autem, quod necdum ita est eorum perfecta prudentia, sicut erit in illa vita, ubi perfecte viventibus ullus error omnino obrepere non poterit; etiam prudentes aliquoties peccatis fallentibus adquiescunt, non voluntate depravati, sed humano errore, ut homines lapsi: nec adhuc tota prudentiæ, ac sapientiæ perfectione perfecti, sicut ibi erunt, ubi nec ignorare aliquid, nec peccare jam possunt. Tales Dominus in Evangelio fieri præcepit dicens: *Estote prudentes, sicut serpentes, & simplices, sicut columbæ*: quia nec simplices circumvenire aliquos possunt: nec prudentes se circumveniri permittunt. Quandoquidem hæc virtus multum a vitio secularis, ac mundialis prudentiæ distat: quod illud, corrumpit sana: hæc vero sanat [5] vitia, accessione corrupta: ac sic omnibus, quibus potest, prodesse festinat veraciter prudens: ut ejus meritis omnium, qui per eum Domino adquiruntur, fructus accrescat [6]: sed quoniam ordo disputationis deposcit, ut etiam de prudentia, quæ principalis est virtus, primo poneretur in loco, restat quoque, quid sit Justitia, aperire.

CAPUT VIII.

De Justitia.

JUstitia est animi nobilitas, unicuique rei propriam tribuens dignitatem. In hac, divinitatis cultus, & humanitatis jura, & justa judicia, & æquitas totius vitæ conservatur. Quid enim justius, quam Deum deligere, ejusque mandata custodire? per quem, dum non fueramus, creati sumus: dum perditi fuimus, recreati sumus, & a servitute diabolica liberati: qui nobis omnia bona, quæ habemus, concessit.

Ipsa quippe juste, ac rationabiliter dicitur justitia, qua fiunt justi, qui eam fuerint operati. [7] Ex qua manat æquitas, quæ nos facit, ut omnium necessitates hominum, nostras esse dicamus. Nec nobis tantum, sed etiam generi humano nos natos esse credamus.

[8] Quapropter si in hac vita justitiam conamur implere, cujus justitiæ opus proprium, sua cuique tribuere, Deo nos, a quo sumus facti, reddamus, nec dominari nobis ea, quibus sumus naturaliter præpositi, permittamus. Dominetur vitiis ratio: subjiciatur corpus animo; animus Deo: & impleta est hominis justitia, totaque perfectio [9].

De justitiæ adhuc fonte procedunt, liberalitas, beneficentia, caritas, & cetera hujusmodi, quibus multipliciter juvari homines possunt. Liberalitas est, quæ etiam in eos, qui nihil indigere videntur, exuberat. In qua liberalitate rei familiaris ponitur amplitudo. Beneficentiæ multæ sunt opera, quibus necessitati laborantium misericorditer subvenitur: & de terreno censu regni cælestis hereditas comparatur [10].

CAPUT IX.

De Fortitudine.

[11] FOrtitudo est magna animi patientia, & longanimitas, & perseverantia in bonis operibus, & victoria contra omnium vitiorum genera.

Animi igitur fortitudo ea debet intelligi, quæ non solum diversis pulsata molestiis inconcussa permaneat, sed etiam nullis voluptatum illecebris resoluta succumbat: alioquin si impetus quidem malorum sequentium frangat, si calamitatibus quibuslibet impactis obsistat: si inter injuriam sæva, inter procellas angentium pressurarum, inter inimicitias, & damna præsentia, atque multimodas persequutiones, infatigata persistat. Eos autem, quos ad tolerantiam passionum fortes Dei caritas reddit: nulla delectatio carnis, nulla voluptas male blanda corrumpit: quia animi fortitudo ab illo est nobis, cui cum Propheta cantamus: *Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem*: Fortitudo nostra est, quia ita nos contra omnia vitia invicta protectione corroborat, ut animum nostrum nec blanda dissolvant, nec adversa dejiciant; & tunc laus nostra Dominus fit: si non nos de muneribus Dei, sed divina in nobis cupiamus mu-

1. Ex Prosper, lib. III. vit. contempl. cap. XVI.
2. Prosper *formantur informia*.
3. *Hucusque ex* Prospero.
4. Ex Prosp. ibid. cap. XXIX.
5. Prosper: sanat vitii accessione corrupta.
6. *Hucusque ex* Prosp. cap. XXIX.
7. Ex Prosp. lib. III. de vita contempl. cap. XXII.
8. *Hucusque ex* Prosper. cap. XXII.
9. *Hucusque ex* Prosper. ibid. cap. XXVI.
10. *Hucusque ex* Prosper. ibid. cap. XXIV.
11. Prosper.

nera prædicari. Et utique animi fortitudo tam desperandi ignaviam debet excutere, quam jactantiæ contraire. [1] Et quid hac fortitudine melius est, quam diabolum vincere, omnesque ejus suggestiones superare, & adversa mundi pro Dei nomine fortiter tolerare?

CAPUT X.

De Temperantia.

Temperantia est totius vitæ modus, ne quid nimis homo vel amet, vel odio habeat, sed omnis vitæ hujus varietates considerata temperet diligentia. Unde quidam Philosophorum ait, apprime in vita esse utile, ut ne quid nimis.

[2] Temperantia igitur temperantem facit, abstinentem, parcum, sobrium, moderatum, pudicum, tacitum, serium, verecundum. Hæc virtus si in animo habitat, libidines frenat, affectus temperat, desideria sancta multiplicat, vitiosa castigat, omnia intra nos confusa, ordinat: ordinata corroborat, cogitationes pravas removet, inserit sanctas, ignem libidinosæ voluptatis exstinguit: omnemque intemperantiam nostram ad honestum modum redigit in cibo ipso, & potu, ut contenti simus appositis.

Temperantiæ est, quod reverentiam senioribus exhibemus, æquales germanitus honoramus: junioribus gratiam paternæ dilectionis impendimus [3].

Itaque [4] difficile quidem est nomina virtutum, quæ ex istis quatuor principalibus oriuntur, ostendere. Verumtamen hoc nosse, & tenere debemus: quod istæ virtutes quatuor, vel omnes, quæ ex illis exsistant, dona sunt Dei. Et quod nullus eas habet, aut habuit, vel habebit, nisi cui Deus, qui est virtutum omnium proprietas & origo, contulerit.

[5] Principales ergo quatuor esse virtutes, non solum Philosophi sentiunt, sed etiam nostri consentiunt: quia, quaternarium numerum profectionis sacratum pene nullus ignorat. Siquidem totus orbis, oriente, occidente, aquilone & meridie, quatuor terminari partibus invenitur. Et ipse Adam, qui est humani generis pater, vel generale nomen, quod dicitur homo, quatuor literis explicatur. Corpus quoque quatuor elementis exstructum, quaternarii numeri in se continet sacramentum. Ipsius etiam animæ quatuor esse affectiones, quibus vel ad bona utimur, vel ad mala. *Quatuor etiam flumina, quæ de Paradisi fonte procedunt*, vel quatuor Evangelia. Et ideo virtutes istæ, quæ tantum continent perfectionis in numero, sollicite considerare debemus, quantam sanctitatem conferant animo Christiano: & quam nihil profectionis [6] umquam fit, quod in istis virtutibus non fit. Nam si prudentia prudentem, justitia justum, temperantia temperantem facit: eo quod prudenter, & juste, & fortiter, ac temperanter agit, nihil est, quod possit esse perfectius [7]. Quapropter sicut ex elementorum numero quaternarii compago mundi, nec non & corpora humana perficiuntur, quibus insunt venæ, nervique, ac cætera [8] corporis utilia. Ita principalium numero virtutum omnia quæcumque recte vivendi sunt instituta, nemo quis dubitet esse connexa.

Hæ sunt enim a sacratissimis viris virtutes expositæ, quas sacerdotes Domini, qui jura tenent Ecclesiæ, nec non ligandi, atque solvendi habentes potestatem, intente debent intelligere, ac frequentius prædicare, ut populus careat vitiis, & opitulante superno adjutorio conetur pro viribus quisque inhærere virtutibus. Satis, ut opinor, ex tribus gradibus, cælestium scilicet, Fide, & Spe, & Caritate; nec non & virtutibus quatuor, quibus ad culmina virtutum ascenditur, est disputatum. Nunc jam qualiter unumquodque judicio sacerdotali purgandum sit vitium, breviter est insequentis operis libello inferendum.

EXPLICIT LIB. II. DE VIRTUTIBUS.

1. *Hucusque ex* Prosp. ibid. cap. XX.
2. Prosper.
3. *Hucusque ex* Prosp. lib. III. vitæ contempl. cap. XIX.
4. *Sequentia ex* Prosp. ibid. cap. XVIII.
5. *Sequentia ex* Prosp. ibid. cap. XVIII.
6. Prosp. *usquam fit*.
7. *Hucusque ex* Prosp. cap. XVIII.
8. Forte *corpori*.

CAPITULA LIBRI TERTII.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 825.

INCIPIT LIBER TERTIUS FELICITER.

CAPUT I.

Ut pœnitentiæ tempora juxta qualitatem peccati decernantur.

[1] PŒnitentibus secundum differentiam peccatorum Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.

Item in eodem.

SAcerdos pœnitentiam imploranti absque personæ acceptione pœnitentiæ leges injungat.

CAPUT II.

Quod nulli sit ultima pœnitentia deneganda.

[2] VEra ergo ad Deum conversio in ultimis positorum, mente potius est æstimanda, quam tempore, Propheta hoc taliter afferente: cum conversus ingemueris, tunc salvus eris. [3] Cum ergo Dominus sit cordis inspector, quovis tempore non est deneganda pœnitentia postulanti, cum illi se obliget judici, cui occulta omnia noverit revelari.

CAPUT III.

De his, qui necessitate mortis urgente pœnitentiam simul & viaticum petunt; & de his, qui obmutescunt, antequam ad eos sacerdos daturus pœnitentiam accedat.

[4] ITa ergo talium necessitati auxiliandum est, ut nec actio illis pœnitentiæ, nec communionis gratia denegetur: si eam etiam amisso vocis officio, per indicia integri sensus quærere comprobentur. Quod si ita aliqua ægritudine fuerint aggravati, ut quod paullo ante poscebant, sub præsentia significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt. Simul tamen, & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium consequantur.

CAPUT IV.

De his, qui pœnitentiam agere differunt.

[5] DIssimulatio potest non contemtu esse remedii, sed de metu gravius delinquendi. Unde pœnitentia, quæ dilata est, cum studiosius petita fuerit, non negetur: ut quo modo ad indulgentiæ medicinam anima vulnerata perveniat.

A

CAPUT V.

Quod oporteat eum qui ab illicitis veniam poscit, etiam a multis licitis abstinere.

[6] ALiud quidem est, debita justa reposcere: aliud, propria perfectionis amore contemnere. Sed illicitorum veniam postulantem oportet etiam a licitis abstinere, dicente Apostolo: *Omnia licent, sed non omnia expediunt*. Unde, si pœnitentes habent caussam, quam negligere forte non debeant, melius expetit quis Ecclesiasticum, quam forense judicium.

B

CAPUT VI.

Quod pœnitenti nulla lucra negotiationis exercere conveniat

[7] QUalitas negotiantem aut excusat, aut arguit, quia est honestus quæstus, & turpis. Verumtamen pœnitenti utilius est dispendia pati, quam periculis negotiationis adstringi. [8] Quia difficile est inter ementis, vendentisque commercium non intervenire peccatum.

CAPUT VII.

C

Quod ad militiam sæcularem post pœnitentiam redire non debeant.

[9] COntrarium est omnino Ecclesiasticis regulis, post pœnitentiæ actionem redire ad militiam secularem, cum Apostolus dicat: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus*, Unde non est liber a laqueis diaboli, qui se in militiam mundanam voluerit implicare.

CAPUT VIII.

De his, qui pœnitentiam minime servaverunt.

D [10] HI vero, qui acta pœnitentia, tamquam canes ac sues ad vomitus pristinos, & volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & ludicras voluptates, & nova conjugia, & inhibitos denuo appetivere concubitus: quorum professam incontinentiam generati post absolutionem filii prodiderunt. De quibus, quia jam suffugium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, ut sola intra Ecclesiam fidelibus oratione jungantur; sacræ mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint. A Dominicæ autem mensæ convivio segregentur: ut hac saltem districtione correpti, & ipsi in se sua errata castigent: & aliis exemplum tribuant: quatenus ab obscenis cupiditatibus retra-

1. Ex Concilio Africano.
2. Ex epist. Papæ Cæleſtini.
3. Vide notas Antonii Augustini in Rabani Pœnitent.
4. Ex epist. Papæ Leonis ad Theodorum episcopum.
5. In decreto Leon. papæ cap. XXI.
6. In decretali ejusdem.
7. In eodem cap. XXIII.
8. Hæc verba inseruntur capitulis lib. VII. cap. LXII. pag. 1040.
9. In eod. Conc. cap. XXIV.
10. In decretali Siricii papæ cap. V.

hantur. Quibus tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere, cum ad Dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam volumus subveniri. Quam formam, & circa mulieres, quæ se post pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, servandam esse censemus. A

CAPUT IX.

De remedio pœnitentiæ, & quod absolutio pœnitentium per manuum impositionem Episcoporum supplicationibus fiat.

[1] HIs autem, qui in tempore necessitatis, & in periculis urgentis instantiæ, præsidium B pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant: nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda: quia misericordiæ Dei nec mensuram possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur venire moras conversio, dicente Dei Spiritu per Prophetam: *Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris*. Et alibi: *Dic iniquitates tuas prior, ut justificeris*. Item, *quia apud Dominum misericordia est, & copiosa apud Deum redemtio*. In dispensandis itaque Dei donis, non debemus esse difficiles, nec se accusantium gemitus lacrymasque negligere, cum ipsam pœnitendi affectionem ex Dei credamus inspiratione contentam, dicente Apostolo: *Ne forte det illis Deus pœnitentiam, ut re-* C *sipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.*

CAPUT X.

De his, qui communionem tempore mortis exposcunt: aut, si desperatus, & consequutus communionem iterum convaluerit.

[2] DE his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur: ita, ut si quis egreditur corpore, ultimo, & necessario vatico minime privetur. Quod si desperatus, & consequutus communionem, oblationisque particeps D factus, iterum convaluerit, sit inter eos, qui communionem orationis tantummodo consequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter ex oblatione dare debebit.

CAPUT XI.

De pœnitentibus, ut a presbyteris non reconcilientur, nisi præcipiente Episcopo.

[3] UT pœnitentibus secundum differentiam peccatorum Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur: & ut presbyter inconsulto Epi- E scopo non reconciliet pœnitentem, nisi absentia Episcopi necessitate cogente. Cujuscumque autem pœnitentis publicum, & vulgatissimum crimen est, quod universam Ecclesiam commoverit, ante absidam manus ei imponatur.

CAPUT XII.

De eadem re.

[4] AUrelius Episcopus dixit: si quisquam in periculo fuerit constitutus: & se reconciliari divinis altaribus petierit: si Episcopus absens fuerit, debet utique presbyter consulere Episcopum, & sic periclitantem ejus præcepto reconciliare: quam rem debemus salubri consilio roborare.

CAPUT XIII.

De tempore remissionis pœnitentiæ.

[5] DE pœnitentibus autem, qui, sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat. Cæterum de pondere æstimando delictorum sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus, atque lacrymas corrigentis, actum jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem. Sane si quis ægritudinem inciderit, atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus Paschæ relaxandum, ne de hoc seculo absque communione discedat.

CAPUT XIV.

De communione privatis, & ita defunctis.

[6] HOrum caussa judicio reservanda est: in cujus manu fuit, ut talium obitus usque ad communionis remedium differatur. Nos autem, quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus.

CAPUT XV.

De his, qui pro diversis erratis pœnitudinem ferventius exegerunt.

[7] DE his, qui diversis facinoribus peccaverunt, & perseverantes in oratione, confessionis, & pœnitentiæ, conversionem a malis omnibus habuere perfectam pro qualitate delicti, talibus pœnitentiæ tempus impensum propter clementiam, & bonitatem Dei communio concedatur.

CAPUT XVI.

De Epistola S. Jacobi Apostoli, in qua pro infirmis orare præcipitur, & ungere oleo.

[8] JAcobus Apostolus scripsit: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei salvabit infirmum, & suscitabit illum Dominus. Et, si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Quod non est indubium de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere. Qui sancto oleo perungi possunt, quod ab Episcopo confectum, non solum sacerdotibus, sed omnibus utique Christianis

1. In decretali Leonis papæ, ad Theodorum Forojuliensem episcopum.
2. Ex Concilio Niceno cap. XIII.
3. Ex Concilio Carthaginiensi cap. X.
4. In Concilio Carthaginiensi cap. VII.
5. Ex decretali papæ Innocentii cap. VII.
6. Ex epist. papæ Leonis cap. XX.
7. Ex Concilio Laodicensi cap. XI.
8. Innocentii papæ cap. VIII.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 825.

in sua, aut suorum necessitate ungendum. Nam idcirco presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Ceterum si Episcopus potest, aut dignum ducit a se visitandum, & benedicere, & tangere Chrismate sine cunctatione potest; cujus est ipsum Chrisma conficere. Nam pœnitentibus istud fundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?

EXPLICIT LIBER DE ORDINE PŒNITENTIUM.

INCIPIT LIBER QUARTUS

DE

JUDICIO POENITENTIUM LAICORUM.

SAne quia de livore invidiæ, & de ira & de libidine, nec non de avaritia, ut superius digestum est, oriuntur homicidia: recte, ut arbitror, censuimus, de ipso vitio primum qualiter sacerdotali judicio canonice penitus sit corrigendum, ostendere. Ac deinde secundum ordinem vitiorum ita remedium subsequatur, quo facilius undecumque pœnitens purgari voluerit, sine dilatione in singulis inveniatur.

CAPITULA LIBRI QUARTI.

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 825.

INCIPIT LIBER QUARTUS FELICITER.

CAPUT I.

De homicidiis sponte commissis.

1 QUi voluntarie homicidium fecerint, pœnitentiæ quidem jugiter se submittant: perfectionem vero circa vitæ exitum consequantur.

CAPUT II.

De his, qui non sponte homicidium commiserunt.

2 DE homicidiis non sponte commissis, prior quidem definitio post septennem pœnitentiam perfectionem consequi præcepit. Secunda vero quinquennii tempus explere.

CAPUT III.

De his, qui partus suos ex fornicatione diversis modis interimunt.

DE mulieribus, quæ partus suos necant, vel quæ agunt secum, ut utero conceptus excutiant. Antiqua quidem definitio, usque ad exitum vitæ eas ab Ecclesia removet. Humanius autem nunc definimus, ut eis decem annorum tempus secundum præfixos gradus pœnitentiæ largiamur.

CAPUT IV.

De his, qui servos suos extra judicem necant.

3 SI quis servum proprium sine conscientia judicis occiderit, excommunicationem, vel pœnitentiam biennii, reatum sanguinis emundabit.

CAPUT V.

Si domina per zelum ancillam suam occiderit.

4 SI qua femina furore zeli accensa, flagellis verberaverit ancillam suam, ita ut infra diem tertium animam cruciatu effundat. Et quod incertum sit, voluntate, an casu occiderit. Si voluntate, post septem annos: si casu, per quinquennii tempora, ac legitime pœnitentia a communione placuit abstineri. Quod si intra tempora constituta fuerit infirmata, accipiat communionem.

CAPUT VI.

De his, qui sibi quacumque negligentia mortem inferunt: & de his, qui pro suis sceleribus puniuntur.

5 PLacuit, ut hi, qui sibi ipsis, aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, vel quolibet modo violente inferunt mortem: nulla illis in oblatione commemoratio fiat: neque cum Psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur. Multi etiam sibi per ignorantiam hoc usurparunt. Similiter & de his placuit, qui pro suis sceleribus puniuntur.

DE LUXURIA.

CAPUT VII.

De his qui fornicantur irrationabiliter, id est, qui miscentur pecoribus, aut cum masculis polluuntur.

6 DE his, qui irrationabiliter versati sunt, sive versantur; quotquot ante vicesimum annum tale crimen commiserint, quindecim annis exactis in pœnitentia, communionem mereantur orationum. Deinde quinquennio in hac communione durantes, tunc demum oblationis sacramenta contingant. Discutiatur autem & vita eorum, qualis tempore pœnitudinis exstiterit: & ita misericordiam consequantur. Quod si inexplebiliter his hæsere criminibus, ad agendam pœnitentiam polixius tempus insumant. Quotquot autem peracta viginti annorum ætate, uxores habentes, hoc peccato prolapsi sunt, viginti quinque annis pœnitudinem gerentes in communione suscipiantur orationum. In qua, quinquennio perdurantes, tunc demum oblationis sacramenta percipiant. Quod si & uxores habentes, & transcendentes quinquagesimum annum ætatis, ita deliquerint, ad exitum vitæ, communionis gratiam consequantur.

CAPUT VIII.

De his, qui in pecudes, vel in masculos, aut olim polluti sunt, aut hactenus hoc vitio tabescunt.

7 EOs, qui irrationabiliter vixerunt, & lepra incesti criminis alios polluerunt, præcepit sancta synodus inter eos orare, qui spiritu periclitantur immundo.

CAPUT IX.

De his, qui adulteras habent uxores, vel, si ipsi adulteri comprobantur.

8 SI cujus uxor adulterata fuerit, vel si ipse adulterium commiserit, septem annorum pœnitentia oportet eum perfectionem consequi, secundum pristinos gradus.

1. Ex Concilio Ancyrano cap. xxi.
2. In eodem Concilio cap xxi.
3. Ex Concilio Agathensi cap. xxxv.
4. Ex Concilio Eliberitano cap. v.
5. Ex Concilio Bracarensi cap. vi.
6. Ex Concilio Ancyrano cap. xv.
7. Ibid. cap. xvi.
8. Ibid. cap. xviii.

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 825.

A

CAPUT X.

De his, qui uxores, aut quæ viros dimittunt, ut maneant sic.

1 PLacuit, ut secundum Evangelicam, & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito, alteri conjungatur. Sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contemserint, ad pœnitentiam redigantur.

CAPUT XI.

Quod his, qui intercedente repudio divortium pertulerunt, aliisque se junxerunt nuptiis, adulteri esse monstrentur.

B

2 QUi vero vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse conjugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri: in tantum, ut etiam hæ personæ, quibus tales conjuncti sunt, etiam ipsæ aduterium commisisse videantur: secundum quod legimus in Evangelio: „ Qui dimiserit uxorem suam, & duxerit aliam, mœchatur. Similiter, & qui dimissam duxerit, mœchatur. „ Et ideo omnes a communione fidelium abstinendos. De parentibus autem aut propinquis eorum, nihil tale statui potest, nisi incentores illiciti consortii fuisse detegantur.

C

CAPUT XII.

Qui uxorem habet, & simul concubinam.

3 DE eo, qui uxorem habet, si concubinam habuerit, non communicet. Ceterum is, qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, a communione non repellatur. Tantum ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ, ut ei placuerit, sit conjunctione contentus. Alias vero vivens abjiciatur, donec desinat, aut ad pœnitentiam revertatur.

D

CAPUT XIII.

Si cujus uxor adulterium fecerit, aut vir in alienam irruerit.

4 SI cujus uxor adulterium fecerit, aut vir in alienam irruerit, septem annos pœnitentiam agat.

CAPUT XIV.

De his, quæ duobus fratribus nupserint, vel qui duas sorores, uxores acceperint.

E

MUlier, si duobus fratribus nupserit, abjiciatur usque ad mortem. Verumtamen in exitum, propter misericordiam, si promiserit, quod facta incolumis, hujus conjunctionis vincla dissolvet, fructum pœnitentiæ consequatur. Quod si defecerit mulier, aut vir in talibus nuptiis, difficilis erit pœnitentia in vita permanenti.

CAPUT XV.

Quod non liceat alterius sponsam ad matrimonii jura sortiri.

5 DE conjugali autem velatione requisisti, si desponsatam alii puellam, alter in matrimonium possit accipere: hoc, ne fiat, modis omnibus inhibemus: quia illa benedictio, quam nupturæ sacerdos imponit, apud fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur.

CAPUT XVI.

De raptoribus.

6 RAptores igitur viduarum, vel virginum, ob immanitatem tanti facinoris, detestamur, illos vehementius persequendo, qui sacras virgines, vel volentes, vel invitas in matrimonio suo sociare tentaverint: quos pro tam nefandissimi criminis atrocitate suspendi præcipimus.

CAPUT XVII.

De his, qui rapiunt puellas.

7 EOs, qui rapiunt mulieres, sub nomine simul habitandi cooperantes, aut conviventes raptoribus, decrevit sancta Synodus, ut si quidem clerici sint, decidant gradu proprio; si vero laici, anathematizentur.

CAPUT XVIII.

De desponsatis puellis, & ab aliis corruptis.

DEsponsatas puellas, & post ab aliis corruptas, placuit erui, & eis reddi, quibus antea fuerant desponsatæ, etiamsi eis a raptoribus vis illata constiterit.

CAPUT XIX.

De virginibus velatis, si deviaverint.

8 ITem, quæ Christo spiritaliter nubunt, & a sacerdote velantur, si postea vel publice nupserint, vel se clanculo corruperint, non eas admittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi is, cui se junxerat, de mundo recesserit. Si enim de hominibus hæc ratio custoditur, ut, quæcumque vivente viro, alteri nupserit, habeatur adultera: nec ei agendæ pœnitentiæ licentia concedatur, nisi unus ex eis fuerit defunctus: quanto magis de illa tenenda est, quæ ante immortali se sponso conjunxerat, & postea ad humanas nuptias transmigravit?

CAPUT XX.

De virginibus non velatis, si deviaverint.

9 HÆ vero, quæ necdum sacro velaminæ tectæ, tamen in proposito virginali semper se simulaverunt permanere, licet velatæ non fue-

1. Ex Concilio Africano cap. LXIX.
2. In decretali Innocent. pap. cap. XXVI.
3. Ex Concil. Toletano cap. LXXXI. Vid. Berardum in Can. IV. d. 34.
4. Ex Concilio Bracarensi.
5. Ex epistola papæ Siricii ad Himerium Tarraconensem episcopum cap. IV.
6. Ex epist. papæ Symmachi.
7. Ex Concilio Chalcedonensi cap. XXVII.
8. Innocentii papæ cap. XXIV.
9. In eodem Concilio cap. XX.

rint, si forte nupserint. His aliquanto tempore pœnitentia est; quia sponsio ejus a Domino tenebatur. A

CAPUT XXI.

De his, qui proximis se copulant, ut a communione Christi separentur.

[1] NAM & hæc salubriter præcavenda sancimus, ne quis fidelium propinquam sanguinis sui, usquequo adfinitatis lineamenta generis successione cognoscit, in matrimonio sibi desideret copulari. Quoniam scriptum est; *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat, ut revelet turpitudinem ejus.* Et iterum: *Anima, quæ fecerit quippiam ex istis, peribit de medio populi sui.* Sane quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjungii libertatem. B

CAPUT XXII.

S. Gregorius de incestis.

SI quis monacham, quam Dei ancillam appellant, in conjugio duxerit, anatema sit.

Si quis commatrem spiritalem duxerit in conjugio, anatema sit.

Si quis fratris uxorem duxerit in conjugio, anathema sit. C

Si quis neptem duxerit in conjungio, anathema sit.

Si quis novercam, aut nurum suam duxerit in conjugio, anathema sit.

Si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit in conjugio, anathema sit.

Si quis viduam furatus fuerit in uxorem, vel consentientibus ei, anathema sit.

Si quis virginem, nisi desponsaverit, furatus fuerit in uxorem, vel consentientibus ei, amathema sit.

Si quis ariolis, aruspicibus, vel incantatoribus observaverit, aut phylacteria usus fuerit, anathema sit. D

CAPUT XXIII.

De multinubis.

[2] DE his, qui in plurimas nuptias inciderunt, & tempus quidem præfinitum, manifestum est, sed conversatio eorum, & fides, & tempus adbreviat.

CAPUT XXIV.

De quæstionibus conjugiorum.

QUI in matrimonio sunt, tribus noctibus ac diebus abstineant se a conjunctione, antequam communicent.

Vir abstineat se ab uxore sua quadraginta diebus ante Pascha in octavas Paschæ. Inde ait Apostolus, *ut vacetis orationi.* Mulier tres menses debet se abstinere a viso suo, quando concepit, ante partum. Et post, tempore purgationis, hoc est, XL. diebus & noctibus, sive masculum, sive feminam genuerit.

DE SACRILEGIO.

CAPUT XXV.

De his, qui divinationes expetunt.

[3] QUI divinationes expetunt, aut more gentilium subsequuntur, aut domos suas hujuscemodi homines introducunt exquirendi aliquid arte malefica, aut expiandi caussa, sub regula quinquenii jaceat secundum gradus pœnitentiæ definitos.

CAPUT XXVI.

Quod non licet Christianis observationes diversas attendere.

[4] NON liceat Christianis traditiones gentilium observare, vel colere elementa, aut lunæ, aut stellarum cursum, aut inanem signorum fallaciam pro domo facienda, vel ob segetes, vel arbores plantandas, vel conjugia socianda. Scriptum est enim: *Omnia quæcumque facitis, in verbo, aut opere, in nomine Domini nostri Jesu Christi facite, gratias agentes Deo.*

In eodem.

Non liceat in collectione herbarum, quæ medicinales sunt, aliquas observationes, vel incantationes attendere: nisi tantum, cum Symbolo Divino, & Oratione Dominica, ut Deus, & Dominus honoretur.

Item.

Non liceat mulieres Christianas vanitatem in suis lanificiis observare: sed Dominum invocent adjutorem, qui eis sapientiam texendi donavit.

IN EODEM.

CAPUT XXVII.

De Auguriis.

AUguriis, vel incantationibus servientem a conventu Ecclesiæ separandum.

CAPUT XXVIII.

De Perjuriie.

E

QUicumque vero sciens perjurium perpetraverit, annos septem se pœnitentiæ subdat: & ita deinceps ad communionem revertatur.

CAPUT XXIX.

De furto.

QUI vero cupiditate captus furtum fecerit, quod abstulit, reddat; & annis quinque pœnitentiam agat.

1. In Concilio Toletano.
2. Ex Concilio Neocæsariensi cap. IV.
3. Ex Concilio Ancyrano cap. XXIII.
4. Ex Concilio Bracarensi.

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 825.

A

CAPUT XXX.

De falsis testibus.

FAlsos testes a communione ecclesiastica submovendos, nisi pœnitentiæ satisfactione crimina admissa diluerint.

CAPUT XXXI.

De discordibus.

[1] OBlationes diffidentium fratrum neque in sacrario, neque in gazophylacio recipiantur. B

CAPUT XXXII.

De his, qui per odium ad pacem non vertuntur.

[2] PLacuit etiam, ut sicut plerumque fit, ut qui cum odio, aut longinqua inter se lite discesserint, & ad pacem revocari diuturna intentione nequiverint, de Ecclesiæ cœtu justissime excommunicatione pellantur.

CAPUT XXXIII.

De his, qui sacramento se obligant, ne ad pacem redeant.

[3] QUI sacramento se obligaverint, ut litigans in quolibet ad pacem nullo modo redeat: pro perjurio unum annum a communione Corporis & Sanguinis Domini segregetur. Reatum suum eleemosynis, & fletibus, quantis potuerit jejuniis absolvat: ad caritatem vero quæ operit multitudinem peccatorum, celeriter venire festinet.

CAPUT XXXIV.

Quod usuram Laici Christiani exigere non debeant.

[4] NE hoc quoque prætereundum duximus: quosdam lucri turpis cupiditate captos usurariam exercere pecuniam, & fœnore velle ditescere. Quod non dicam in eos, qui sunt in clericali officio constitutos, sed & in laicos cadere, qui Christianos se dici cupiunt, condolemus. Quod vindicari acrius in eos, qui fuerint computandi, decernimus: ut omnis peccandi opportunitas adimatur.

Hucusque de criminibus laicorum: quemadmodum in canonibus continetur, collectum est. Nunc vero ad judicia clericorum est transeundum.

EXPLICIT LIBELLUS DE POENITENTIA LAICORUM FELICITER.

1. Ex Concilio Carthaginiensi.
2. Ex Concilio Agathensi.
3. Ex Concilio Ilerdensi. m. s. Ohelerdense.
4. Ex epist. Leonis papæ.

INCIPIUNT REGULÆ DE MINISTRIS ECCLESIÆ, Si deviaverint, canonice prolatæ.

CAPITULA LIBRI QUINTI.

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 825.



INCIPIT
LIBER QUINTUS.

CAPUT I.

De Presbyteris, qui uxores acceperunt, vel fornicati sunt.

1 PResbyter, si uxorem acceperit, ab ordine deponatur. Si vero fornicatus fuerit, aut adulterium perpetraverit, amplius pelli debet, & ad pœnitentiam redigi.

CAPUT II.

De Diaconibus similiter.

2 SImili modo etiam Diaconus, si eodem peccato succubuerit, ab ordine ministerii subtrahatur.

CAPUT III.

De his, qui ad Presbyterium promoventur, & ante ordinationem, peccatorum sibi sunt conscii.

3 PResbyter, si occupatus corporali peccato, & confessus fuerit de se, quod ante ordinationem deliquerit, oblata non consecret, manens in reliquis officiis, propter studium bonum. Quod si de se non fuerit ipse confessus, & argui manifeste nequiverit, potestati sui judicis relinquatur.

CAPUT IV.

De Canone Apostolorum.

4 PResbyter, aut Diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio, aut furto, aut homicidio captus est, deponatur. Non tamen communione privetur. Dicit enim Scriptura: *Non judicabit Dominus bis in id ipsum.*

CAPUT V.

De diversis ordinibus ab uxoribus abstinendis.

4 SAcerdotes Dei, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant pudicitiæ custodes ab uxoribus se abstineant.

CAPUT VI.

Quod Sacerdotes & Levitæ cum mulieribus coire non debeant.

5 PRæterea, quod dignum, & pudicum, & honestum est, tenere Ecclesia omnimodo debet, ut Sacerdotes, & Lævitæ cum mulieribus non coeant: qui ministerii quotidiani necessitatibus occupantur. Scriptum est enim: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester.*

A

CAPUT VII.

De incontinentia Sacerdotum, vel Levitarum.

6 DE Presbyteris, & Diaconibus divinarum legum est disciplina, ut incontinentes in officiis talibus positi, omni honore ecclesiastico priventur: nec admittantur ad tale ministerium, quod sola continentia oportet impleri.

CAPUT VIII.

De subintroductis mulieribus.

B 7 INtercedit per omnia magna Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, non alicui omnino, qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem.

CAPUT IX.

De Clericis usuras accipientibus.

8 QUoniam multi sub regula constituti, avaritiam, & turpia lucra sectantur: oblitique divinæ Scripturæ dicentis; *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram:* mutuum dantes, centesimos exigunt: juste censuit sancta, & magna
C Synodus: ut, si quis inventus fuerit post hanc definitionem usuras accipiens, aut ex inventione aliqua, vel quolibet modo negotium transigens: aut hemiolia, id est, sescupla exigens, vel aliquid tale prorsus excogitans, turpis lucri gratia, dejiciatur a clero, & alienus exsistat a regula.

CAPUT X.

Ut nullus Presbyter & Diaconus conductor exsistat, & Clerici abstineant se ab usuris.

9 PResbyteri & Diaconi non sint conductores, aut procuratores, neque ullo turpi negotio,
D & inhonesto, victum quærant: quia respicere debent, scriptum esse: *Nullus militans Deo, implicat se negotiis secularibus.* Si quis commodaverit pecuniam, pecuniam accipiat: si speciem, eamdem speciem, quam dederat, accipiat.

CAPUT XI.

Ut Clerici, vel continentes, ad virgines, vel viduas non accedant.

10 CLerici, vel continentes, ad virgines vel viduas non accedant: nisi ex jussu, vel permissu Episcoporum, non accedant.

E

1. Ex Concilio Cæsar.
2. In eodem Concilio.
3. In eodem Concilio.
4. Ex Concil. Carthaginiensi cap. IV.
5. In decretali pap. Innocent. cap. XVI.
6. Innocentii papæ cap. XXI.
7. Ex Concilio Nicæno cap. III.
8. In eodem Concilio cap. XVI.
9. Ex Concilio Carthaginiensi cap. XXVI.
10. Ex Concilio Africano cap. V.

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 825.

A

CAPUT XII.

De Clericis vel Monachis non manentibus in suo proposito.

[1] QUI semel in Clero deputati sunt, aut Monachorum vitam expetiverunt, statuimus neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam: aut hoc tentantes, & non agentes pœnitentiam, quo minus redeant ad hoc, quod propter Deum primitus elegerunt, anathematizantur.

CAPUT XIII.

De Monachis vel virginibus propositum non servantibus.

[2] VIrginem, quæ sese Domino consecravit, similiter & Monachum, non licere nuptialia jura contrahere: quod si hoc inventi fuerint perpetrantes, excommunicentur. Confitentibus autem decrevimus, ut habeat auctoritatem ejusdem loci episcopus, misericordiam humanitatemque largiri.

CAPUT VIV.

Ut ad sacrarium mulieres non introeant.

[3] QUod non oporteat mulieres ingredi ad altare.

CAPUT XV.

Quod nefas sit feminas sacris altaribus ministrare, vel aliquid ex his, quæ virorum sunt officiis deputata.

[4] NIhilominus impatienter audivimus, tantum divinarum rerum subesse despectum, ut feminæ sacris altaribus ministrare firmentur, cunctaque non nisi virorum famulatui deputata, sexum, cui non competit, exhibere: nisi quod omnium delictorum, quæ sigillatim perstrinximus, noxiorum reatus omnis & crimen eos respicit Sacerdotes, qui vel ista committunt, vel committentes minime publicando, pravis excessibus se favere significant.

CAPUT XVI.

Quod nulli Sacerdoti Canones liceat ignorare.

[5] NUlli Sacerdotum suos liceat Canones ignorare, nec quidquam facere quod Patrum possit regulis obviare.

CAPUT XVII.

De pollutionibus interrogatio Augustini, & responsio Gregorii.

[6] SI post illusionem, quæ per somnium solet accidere, vel Corpus Domini quislibet accipere valeat, vel, si sacerdos sit, sacra mysteria celebrare.

Responsio Gregorii.

ET quidem hunc Testamentum Veteris Legis, sicut in superiori capitulo jam diximus, pollutum dicit, nisi lotum aqua. Ei usque ad vesperum intrare Ecclesiam non conceditur: quod tamen aliter populus spiritualis intelligens, sub eodem intellectu accipiet, quo præfati sumus: quia, quasi per somnium illuditur, qui tentatus immunditia, veris imaginibus in cogitatione inquinatur: sed lavandus est aqua, ut culpas cogitationis lacrymis abluat. Et nisi prius ignis tentationis recesserit, reum se quasi usque ad vesperum cognoscat. Sed B est in eadem illusione necessaria valde discretio; quæ subtiliter pensari debeat, ex qua re accidat menti dormientis. Aliquando enim ex crapula: aliquando ex naturæ superfluitate, vel infirmitate: aliquando ex cogitatione contingit. Et quidem si ex naturæ superfluitate evenerit, omnino hæc illusio non est timenda: quia hanc animus nesciens pertulisse magis dolendus est, quam fecisse. Cum vero ultra modum appetitus gulæ in sumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula gravantur; habet exinde animus aliquem reatum, non tamen usque ad prohibitionem percipiendi sacri mysterii, vel missarum solemnia celebrandi, cum fortasse aut festus dies exigit, aut exhiberi C mysterium pro eo, quod Sacerdos alius in loco deest, ipsa necessitas compellit. Nam si adsunt alii, qui implere [7] ministerium valeant, illusio per crapulam facta, a perceptione sacri mysterii prohibere non debet, sed ab immolatione sacri mysterii abstinere, ut arbitror, humiliter debet, si tamen dormientis mentem turpis imaginatio non concusserit. Nam sunt, quibus ita plerumque illusio nascitur, ut eorum animus etiam in somno corporis positus, turpibus imaginationibus non fœdetur. Qua in re unum ibi ostenditur, quod ipsa mens rea non tunc sit, sed suo judicio libera, cum se ex dormienti corpore nihil meminit vidisse, tamen in vigiliis corporis meminit in ingluviem ceD cidisse. Sin vero ex turpi cogitatione vigilantis oritur illusio in mente dormientis, patet animo reatus suus. Videt enim a qua radice inquinatio illa processerit: quia quod cogitavit sciens, hoc pertulit nesciens. Sed pensandum est, ipsa cogitatio utrum in suggestione, an in delectatione, vel quod majus, in peccati consensu ceciderit. Tribus enim modis impletur omne peccatum, videlicet suggestione, delectatione, consensu. Suggestio quippe fit per diabolum. Delectatio, per carnem. Consensus, per spiritum: quia & primam culpam serpens suggessit. Eva, velut caro delectata est. Adam vero velut spiritus consensit. Et necessaria est magna discretio inter suggestionem, atque delectationem: inter deE lectationem, atque consensum, judicem sui præsidere animum. Cum enim malignus spiritus peccatum suggerit in mente, si nulla peccati delectatio sequatur, peccatum omnimodo perpetratum non est. Cum vero delectari caro cœperit, tunc peccatum incipit nasci. Si autem etiam ad consensionem ex deliberatione descendit, tunc peccatum cognoscitur perfici.

In suggestione igitur peccati semen est; in delectione, fit nutrimentum; in consensu perfectio. Et sæpe contingit, ut hoc, quod malignus spiritus se-

1. Ex Concilio Calchedonensi cap. VII.
2. In Concilio Calchedonensi cap. XV.
3. Ex Concil. Laodicensi cap. XLIV.
4. Ex epist. papæ Gelasii cap. XXVI.
5. Cælestini papæ cap. XX.
6. Interrogatio Augustini.
7. Vulg. edit. *mysterium*

minat in cogitatione, caro in delectatione trahat, A nec tamen anima eidem delectationi consentiat. Et cum caro delectari sine animo nequeat, ipse tamen animus carnis voluptatibus reluctans, in delectatione carnali aliquo modo ligatur invitus, ut ei ex ratione contradicat, ne consentiat, & tamen delectatione ligatus sit, sed ligatum se vehementer ingemiscat. Unde & ille cælestis exercitus præcipuus miles gemebat, dicens: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis.* Si autem captivus erat, [1] minime pugnabat: sed & pugnabat. Quapropter & captivus erat, & pugnabat. Igitur legi mentis, lex, quæ in membris est, repugnabat: si autem pugnabat, B captivus non erat. Ecce itaque est homo, captivus liber. Liber ex justitia, quam diligit: captivus ex delectatione, quam portat invitus. Amen.

CAPUT XVIII.

Quod nihil prosit Sacerdoti, etiamsi bene vivat, si male viventem tacendo non corrigit.

[2] QUod vero dicit Apostolus, *ut nos formam debeamus exhibere fidelibus*, quid valebit, *si is, cui vel hortandi bonos, vel castigandi malos cura commissa est, bene vivendo se imitandum bonis exhibeat, & malos tacendo non corrigat?* C Ad hoc enim, nisi me fallit opinio, sancte vivendum est Sacerdoti, nam dicta sua repugnantibus factis evacuet si quod prædicat fieri debere, non faciat: aut si quod non facit, prædicare præsumserit, nihil apud eos, qui ejus vitam novere, proficiat. Quia ad hoc est Ecclesiæ Dei præpositus, ut non solum bene vivendo alios exemplo suæ conversationis instituat, sed etiam fiducialiter prædicando, singulis ante oculos peccata sua constituat: quæ pœna maneat duros; quæ gloria obedientes, ostendat. Nullius salutem desperando contemnat: animas emendari nolentium plangat, imitatus Apostolum, qui ait: *Ut lugeam multos ex his, qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam.* Et D iterum: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* Quapropter sciens, quod si quibuslibet divitibus, ac potentibus male viventibus parcat, aut foveat eos, perdat simul, & pereat. Et sancte debet vivere propter exemplum: & docere, propter suæ administrationis officium: certus, quod ei nihil sua justitia suffragetur, de cujus manu anima pereuntis exigitur: quando quicumque alius perierit, quem nulla docendi necessitas manet, solus pœnas sui sceleris dabit. Illi autem, cui dispensatio verbi commissa est, etiamsi sancte vivat, & tamen perdite viventes arguere aut erubescat, aut metuat: cum omnibus, qui eo tacente perierunt, perit. Et quid ei pro- E derit non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato? Mentior, nisi hoc Dominus per Ezechielem Prophetam, sub cujusdam terroris denuntiatione loquitur, dicens ad eum: *Et tu, filii hominis, speculatorem dedi te domui Israel.* Nec hoc transeunter debemus audire, quod Sacerdotem speculatorem appellat. Ut, sicut speculatori est de loco editiori prospicere, & plus omnibus contemplari. Ita Sacerdos debet esse propositus sublimitate celsior cunctis, ac majoris scientiæ habere gratiam, qua possit sub se viventes instruere. Videamus jam, quid divinus sermo contineat. *Audies*, inquit, *ex ore meo sermonem, & annuntiabis eis ex me*: ut hoc dicat Sacerdos, quod ex divina lectione didicerit, quod illi Deus inspiraverit; non, quod præsumtione humani sensus invenerit. Annuntiabis eis, inquit, ex me: ex me, non ex te. Mea verba loqueris: non est, quod ex eis, tamquam Deus inseris. Ex me, inquit, eis annuntia. Sed jam quid annuntiet, audiamus. Si me dicente ad impium, Impie morieris: non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem vero ejus de manu tua requiram. Quid potuit expressius? quid apertius potest dici? Si impio, inquit, loquutus non fueris, ut se ab impietate custodiat, & ille perierit, sanguinem ejus de manu tua requiram. Hoc est dicere: Si ei peccata sua non annuntiaveris, si eum non argueris, ut ab impietate sua convertatur, & vivat; & te, qui non increpasti, & ipsum, qui te tacente peccavit, flammis perennibus perdam. Quis rogo tam saxei pectoris? quis tam ferreus erit, quem sententia ista non terreat? quis tam alienus a fide, qui sententiæ isti non credat [3]?

CAPUT XIX.


Luctuosa descriptio carnaliter viventium sacerdotum.

SED nos præsentibus delectati, dum in hac vita commoda nostra, & honores inquirimus, non ut meliores, sed ut ditiores; non ut sanctiores, sed ut honoratiores simus ceteris festinamus. Nec gregem Domini, qui nobis pascendus tuendusque commissus est; sed nostras voluntates, dominationem, divitias, & cetera blandimenta carnaliter cogitamus. Pastores dici volumus, nec tamen esse contendimus. Officii nostri vitamus laborem: appetimus dignitatem; immundorum spirituum feras a grege dilacerando non pellimus; & quod eis remanserat, ipsi consumimus, quando peccantes, divites, vel potentes non solum non arguimus, sed etiam veneramur: ac nobis aut munera solita offensi non dirigant, aut obsequia desiderata subducant; ac sic muneribus eorum, & obsequiis capti, imo per hæc illis addicti, loqui eis de peccato suo, aut de futuro judicio formidamus: & ideo minaciter superbiam nostram divinus sermo contundit: sed noster auditus nihil, unde proficiamus, admittit: quia præsentis vitæ capti dulcedine, quæ pœna negligentiam nostram maneat in æternum, noluimus cogitare. In Pastores ergo, ista dicuntur; de quorum nobis inani appellatione blandimur. *Hæc dicit Dominus Deus; Væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos*, Nonne greges pascuntur a Pastoribus? lac comedebatis, & lanis operiebamini: quod crassum erat, occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit, non solidastis: & quod ægrotum, non sanastis: quod fractum, non alligastis: & quod abjectum, non reduxistis: quod perierat, non reduxistis, non quæsistis, sed cum auctoritate imperabatis eis, & cum potentia: & dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor. Et factæ sunt in devorationem omnium bestiarum *agri*. Et paullo post: *Propterea Pastores, audite verbum Domini: Vivo ego dicit Dominus Deus. Pro eo, quod facti sunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devorationem omnium bestia-*

1. Vulg. *minime pugnabat, quapropter & captivus erat, & captivus non erat, sed pugnabat.* CANIS.

2. Est cap. xx. lib. I. de vita contempl. Prosperi.
3. *Hucusque ex* Prosp. cap. xxi. lib. I. ibid.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 825.



rum agri, eo quod non esset Pastor. Neque enim quæsierunt Pastores gregem meum: sed pascebant Pastores semetipsos: & gregem meum non pascebant. Propterea Pastores audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse super Pastores, requiram gregem meum de manu eorum, & cessare eos faciam, ut ultra non pascant gregem: nec pascant amplius Pastores semetipsos. Quis ad hæc non intremiscat? Quis ista sine intollerabili metu futuræ examinationis accipiat? nisi qui, aut non intelligit, aut futura non credit: sed omnia, quæ Deus observare voluit, tam aperte posuit, & ita sui nominis auctoritate firmavit, ut ea facilius, quod dictu quoque nefas est, contemnamus, quam non intelligere, vel non credere. Jam aperta, & divina fingamus, quando audimus, Hæc dicit Dominus. Quis futurum esse non credat, quod dicit Deus, nisi qui Deo non credit? Quod autem dicit: Væ Pastoribus, istud, væ, pro maledicto poni, & Pastorum nomine, nos significare, quis non intelgat, nisi qui futurum non cogitat? Greges Domini pascendos Pastores facti suscipimus, & nos ipsi pascimur: quando non gregum utilitati prospicimus, sed quid foveat, & augeat nostras voluptates attendimus. Lac, & lanas ovium Christi oblationibus quotidianis, ac decimis fidelium gaudentes accipimus, & curam pascendorum gregum, ac reficiendorum, a quibus perverso ordine volumus pasci, deponimus. Non sanamus spiritali consilio peccatis infirmum. Non sacerdotali ope consolidamus, aut reficimus, diversis tribulationibus fractum. Non ad viam salutis revocamus erroneum. Non requirimus solicitudine pastorali veniæ desperatione jam perditum. Ad hoc tantum potentes effecti, ut nobis in subjectos dominationem tyrannicam vindicemus, non ut afflictos contra violentiam potentum, qui in eos ferarum more sæviunt, defendamus. Inde est, quod tam a potentibus hujus mundi, quam a nobis, quod pejus est, nonnulli graviter fatigati depereunt, quos se de manu nostra Dominus requisiturum terribiliter comminatur dicens: Requiram oves meas de manu pastorum, & cessare eos faciam, ut ultra non pascant. Quod, quid est aliud, quam pastores, qui semetipsos, non greges meos pascunt, sublimitate suæ dignitatis exspoliam, & inter reprobos, quia honorem suum noluerunt custodire, projiciam? Horum, & his similium consideratione perteritus, timor, & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ. Et dixi: *quis dabit mihi pennas sicut columbæ? & volabo, & requiescam?* Et hoc est totum, quod imperitiæ meæ, ac futuri finis recordatus ingemui, & volui sarcina Episcopatus mei deposita elongare fugiens, & manere in solitudine, & ibi exspectare Deum, qui salvum me faceret, & a pusillanimitate mea, & ab ipsa intollerabilium mihi solicitudinum tempestate [1].

EXPLICIT LIBER QUINTUS FELICITER.

1. *Hucusque ex* Prospero.



PRÆFATIO HALITGARII.

Addidimus etiam huic operi excerptionis nostræ [1], Pœnitentialem Romanum alterum, quem de scrinio Romanæ Ecclesiæ adsumsimus, attamen a quo sit editus ignoramus: idcirco adnectendum præscriptis canonum sententiis decrevimus, ut si forte hæ prolatæ sententiæ alicui superfluæ sint visæ, aut penitus quæ desiderat, ibi de singulorum criminibus nequiverit invenire, in hac saltem brevitate novissima omnium scelera forsitan inveniet explicata.

INCIPIT LIBER POENITENTIALIS EX SCRINIO ROMANÆ ECCLESIÆ ASSUMTUS.

Quomodo pœnitentes sint suscipiendi, judicandi, sive reconciliandi.

Quotiescumque Christiani ad pœnitentiam [2] accedunt, jejunia damus: & nos communicare cum eis debemus jejunio, unam, aut duas septimanas: aut quantum possumus: ut non dicatur nobis, quod sacerdotibus Judæorum dictum est a Domino Salvatore nostro: *Væ vobis legisperitis, qui aggravatis homines, & imponitis super humeros eorum onera gravia, & importabilia; ipsi autem uno digito vestro non tangitis sarcinas ipsas.* Nemo enim potest sublevare cadentem sub pondere, nisi inclinaverit se, ut porrigat ei manum. Neque ullus medicorum vulnera infirmantium potest curare: nisi fœtoribus particeps fuerit. Ita quo-

1. In Cod. Stevvartii sextum Halitgarii librum conficiebat.
2. Illa leguntur totidem verbis apud Rubertum in Pœnitentiali quod Morinus edidit ad calcem Tract. de Pœnitentia pag. 13.

que nullus sacerdotum, vel pontifex, peccatorum vulnera potest curare, aut animabus peccata auferre, nisi præstante sollicitudine, & oratione lacrymarum. Necesse est ergo nobis, frater carissime, sollicitos esse, pro peccantibus: quia sumus alterutrum membra. Et, si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra. Ideoque & nos, si viderimus aliquem in peccatis jacentem, festinemus eum ad pœnitentiam, per nostram doctrinam, vocare. Et quotiescumque dederis consilium peccanti, da illi pœnitentiam statim: quantum debeat jejunare, & redimere peccata sua: ne forte obliviscaris, quantum eum oporteat pro suis peccatis jejunare: ita quod necesse sit, iterum ut exquiras ab eo peccata. Ille autem forsitan erubescet, iterum peccata sua confiteri, & iterum amplius judicari. Non enim [1] omnes clerici hanc scripturam usurpare, aut legere debent, qui inveniunt eam: nisi soli illi, quibus necesse est, id est, presbyteri. Sicut enim sacrificium offerre non debent, nisi episcopi & presbyteri, quibus claves regni cælestis traditæ sunt: sic nec judicia illa alii usurpare debent.

Si autem necessitas evenerit, & presbyter non fuerit præsens, diaconus suscipiat pœnitentem ad [2] satisfactionem, vel sanctam communionem. Sicut ergo superius diximus: humiliare se debent episcopi, sive presbyteri, & cum tristitiæ gemitu, lacrymisque orare, non solum pro suis delictis, sed etiam pro Christianorum omnium, ut possint dicere: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?* Cum ergo venerit aliquis ad sacerdotem confiteri peccata sua, mandet ei sacerdos, ut exspectet modicum, donec intret in cubiculum suum ad orationem: si autem non habuerit cubiculum, tamen sacerdos dicat hanc in corde suo orationem.

Oremus.

Domine Deus [3] omnipotens, propitius esto mihi peccatori; ut condigne possim tibi gratias agere, qui me indignum propter tuam misericordiam ministrum fecisti sacerdotalis officii: & me humilem, exiguumque peccatorem constituisti ad orandum, intercedendumque ad Dominum nostrum Jesum Christum, pro peccantibus, & ad pœnitentiam revertentibus: ideoque dominator Domine, qui omnes homines vis salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; qui non vis mortem peccatoris; sed ut convertatur, & vivat: suscipe orationem meam, quam fundo ante clementiam tuam pro famulis, atque famulabus tuis, qui ad pœnitentiam venerunt; per Dominum nostrum.

Videns autem ille, qui ad pœnitentiam venit, sacerdotem tristem, & lacrymantem, pro suis facinoribus; magis ipse in timore Dei perculsus, amplius tristatur, & exhorrescit peccata sua.

Et unumquemque hominem, accedentem ad pœnitentiam, si videris acriter, & assidue stare in pœnitentia: suscipe illum. Qui vero potest jejunare, quod impositum est illi, noli prohibere, sed permitte. Magis enim laudandi sunt, qui celeriter debitum pondus persolvere festinant; quia jejunium debitum est. Et sic date mandatum illis, qui pœnitentiam agunt: quia si jejunaverit, & compleverit, quod illi mandatum est a sacerdote, purificabitur a peccatis. Quod si iterum ad pristinam consuetudinem vel peccatum reversus fuerit: sic est, quomodo canis, qui revertitur ad vomitum suum. Omnis itaque pœnitens, non hoc solum debet jejunare, quod illi mandatum est a sacerdote: verum etiam postquam complevit ea, quæ illi jussa sunt, debet quantum ipsi visum fuerit, jejunare: sive in quarta feria tradas, sive parasceve: si egerit ea, quæ illi sacerdos præceperit, peccata ejus dimittentur: si vero postea ex sua voluntate jejunaverit, mercedem sibi acquirit, & regnum cælorum. Qui ergo tota septimana jejunat pro peccatis suis, Sabbato, & Dominico die manducet, & bibat, quidquid ei appositum fuerit. Custodiat tamen se a crapula, & ebrietate: quia luxuria, de ebrietate nascitur. Ideo beatus Paullus prohibuit dicens: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*: non quia in vino est luxuria, sed in ebrietate.

Si quis forte non potuerit jejunare, & [4] habuerit, unde dare possit ad redimendum: si dives fuerit, pro VII. hebdomadibus det solidos XX. si autem non habuerit tantum, unde dare possit, det solidos X. si autem multum pauper fuerit, det solidos III. Neminem vero conturbet: quia jussimus XX. solidos dare, aut minus: quia si dives fuerit, facilius est illi dare solidos XX. quam pauperi tres solidos. Sed unusquisque attendat, cui dare debet: sive pro redemtione captivorum; sive super sanctum altare: sive pauperibus Christianis erogandum. Et hoc scitote fratres, ut dum venerint ad vos servi, vel ancillæ, quærentes pœnitentiam, non eos gravetis; neque cogatis tantum jejunare, quantum divites: quia servi, & ancillæ non sunt in sua potestate, ideo medietatem pœnitentiæ illis imponite.

EXPLICIT PROLOGUS.

Incipiunt orationes ad dandam pœnitentiam.

In primis dicat sacerdos XXXVII. Psalmum: *Domine, ne in furore tuo arguas me.* Postea dicat, *Oremus*: & Psalmum CXI. *Benedicam*, usque, *renovabitur*. Et iterum dicat, *Oremus*, & Psalmum L. *Miserere*, usque, *omnes iniquitates meas dele*. Post hæc Psalmum: *Deus in nomine tuo*. Et dicat, *Oremus*. Deinde Psalmum: *Quid gloriaris in malitia?* usque; *videbunt justi*. Et dicat hanc orationem:

Oremus.


Deus, cujus indulgentia nemo non indiget, memento Domine famuli tui, N. & qui lubrici, terrenique corporis in fragilitate nudatur, quæsumus, ut des veniam confitenti, parce supplici, ut qui nostris meritis accusamur, tua miseratione salvemur. Per Dominum &c.

Aliter.

Deus, sub cujus oculis omne cor trepidat, omnes conscientiæ contremiscunt, propitiare omnium gemitibus, & omnium medere vulneribus, ut sicut nemo nostrum liber est a culpa, ita nemo sit alienus a venia. Per Dominum &c.

1. Similia videre possis in libro de officiis, qui tribuitur Alcuino.
2. Apud Egbertum hæc desunt; nec ille loquitur de satisfactione vel communione. Negatur autem a multis diaconum potuisse talia conficere.
3. Habetur hæc oratio integra in ordine Romano. Bibl. Pat. tom. X. pag. 27.
4. Habet eadem totidemque verbis Regino in antiqua collectione m. s. lib. II. cap. XLIV. Basn.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 825.



Item aliter.

DEus infinitæ misericordiæ veritatisque immensæ, propitiare iniquitatibus nostris, & omnibus animarum nostrarum medere languoribus, ut miserationum tuarum remissione percepta, in tua semper benedictione lætemur. Per Dominum.

Aliter.

PRecor Domine, clementiæ & misericordiæ tuæ majestatem, ut famulo tuo peccata, & facinora confitenti, veniam relaxare digneris: & præteritorum criminum culpas indulgeas, qui humeris tuis ovem perditam reduxisti; qui publicani preces confessione placatus exaudisti: tu etiam huic famulo tuo placare Domine; tu ejus precibus benignus adspira: ut in confessione placabilis permaneat, ejus & petitio perpetuam clementiam tuam celeriter exoret, sanctisque altaribus, & sacramentis restitutus, spei rursus æternæ vitæ, & cælestis gloriæ mancipetur. Per Dominum.

Manus impositio.

DOmine sancte Pater omnipotens, æterne Deus, qui per Jesum filium tuum Dominum nostrum, vulnera nostra curare dignatus es: te supplices rogamus, & petimus nos humiles tui sacerdotes, ut precibus nostris aurem tuæ pietatis inclinare digneris, remittesque omnia crimina & peccata universa condones, desque huic famulo tuo Domine, pro suppliciis veniam, pro mærore lætitiam, pro morte vitam, ut de tua misericordia confidens pervenire mereatur ad vitam æternam. Per Dominum.

Ex pœnitentiali Romano, qualiter judicandi sint singuli pœnitentes.

In primis de homicidio.

SI quis clericus homicidium fecerit, x. annos pœniteat. III. ex his in pane & aqua. Si laicus: III. annos pœniteat. I. ex his in pane & aqua. Subdiaconus VI. diaconus VII. presbyter X. episcopus XII. Si quis ad homicidium faciendum consenserit: VII. annos. III. in pane & aqua. Si quis laicus homicidium fecerit voluntarie, VII. annos pœniteat, III. in pane & aqua. Si quis infantem oppresserit, III. annos pœniteat. Primus ex his in pane & aqua. Ex clericus similiter observet.

De fornicatione; ex eodem pœnitentiali.

SI quis clericus fornicaverit, sicut Sodomitæ fecerunt, x. annos pœniteat. Tres ex his in pane & aqua. Si quis clericus adulterium commiserit, id est, cum uxore, vel sponsa alterius, si filium genuerit, VII. (ann.) pœniteat: si vero filium non genuerit, & in notitiam hominum non venerit, si clericus est, tres annos pœniteat: primum ex his in pane & aqua. Si diaconus & monachus VII. tres in pane & aqua. Episcopus XII. V. in pane & aqua. Si quis clericus, vel cujus superior gradus est, qui uxores habent; vel post conversionem, vel honorem iterum eam cognoverit, sciat se adulterium commisse; idcirco, ut superius statutum est, pœniteat. Si quis fornicaverit cum sanctimoniali, vel Deo dicata, cognoscat se adulterium commisisse: secundum priora statuta unus-

A quisque juxta ordinem suum pœniteat. Si quis per semet ipsum fornicaverit, aut cum jumento, aut cum quolibet quadrupede, III. annos pœniteat. Si post gradum, vel votum, VII. annis pœniteat. Si quis clericus concupiscens mulierem, & non potuit peccare, quia mulier eum non suscipit: dimidium annum pœniteat in pane & aqua, & toto se abstineat a vino & carne.

Si quis clericus, postquam se Deo voverit, ad habitum secularem redierit, sicut canis ad vomitum suum, vel uxorem duxerit, x. annis pœniteat, III. ex his in pane & aqua, & postea in conjugio non copuletur. Quod si voluerit sancta Synodus, vel apostolica sedes, separabit eos a communione catholicorum: B similiter & mulier, postquam se Deo voverit, si tale scelus commiserit, pari sententiæ subjacebit. Si quis laicus fornicaverit, sicut Sodomitæ fecerunt, VII. annis pœniteat. Si quis de alterius uxore filium genuerit, id est adulterium commiserit, ac torum proximi violaverit, III. annos pœniteat. Abstineat se a lautioribus cibis, & a propria uxore: dans insuper pretium pudicitiæ marito uxoris violatæ.

Si quis adulterare voluerit, & non potuerit, id est susceptus non est, XL. dies pœniteat. Si quis virgo virgini conjunctus fuerit, si voluerint parentes ejus, sit uxor. Tamen unum annum pœni- C teant, & sint conjugati. Si quis cum jumento fornicaverit, I. annum pœniteat. Si uxorem non habuerit, dimidium annum pœniteat. Si quis virginem, vel viduam rapuerit, III. annos pœniteat. Si quis sponsam habens, sorori ejus forsitan vitium intulerit, & cohæserit tamquam suæ: hanc autem uxorem duxerit, id est, desponsatam; illa vero, quæ vitium passa est, si forte necem sibi intulerit: omnes qui hujus facti consentanei fuerint, x. annis in pane & aqua redigantur, secundum statuta Canonum. Si quis de mulieribus, quæ fornicatæ sunt, interfecerit, quæ nascuntur; aut festinet abortivos facere, primum constitutum, usque ad exitum communionem vetat. Id est quidem verum definitum. D (Ut) humanius aliquid consequantur, constituamus eis decennii tempora, secundum gradus, quæ sunt constituta, pœniteant.


De perjurio.

SI quis clericus perjuravit, VII. annis pœniteat, III. in pane & aqua. Laicus VII. subdiaconus VI. diaconus VII. presbyter X. episcopus XII. Si quis coactus pro qualibet necessitate, aut nesciens pejeraverit, tres annos pœniteat. Unum in pane & aqua: & animam pro se reddat, id est, servum, vel ancillam de servitute absolvat, E & eleemosynas multas faciat. Si quis pejeraverit per cupiditatem, totas res suas vendat, & donet pauperibus; & tondeatur; & intret monasterium, & ibi deserviat usque ad mortem.

De furto.

SI quis furtum capitale, id est, quadrupedem, vel fregerit, aut quodlibet majus precium furaverit, VII. annos pœniteat. Laicus V. Subdiaconus VII. diaconus VIII. presbyter X. episcopus XII. annos pœniteat. Si quis de minoribus semel, aut bis furtum fecerit, reddat pro animo suo, & unum annum pœniteat in pane & aqua. Et si reddere non potest, III. annos pœniteat. Si quis sepulcrum violaverit, VII. pœniteat, III. ex his in pane & aqua. Si quis laicus furtum fecerit, reddat proximo suo quod furavit., III. quadragesimas in pane

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 825.



& aqua pœniteat. Det eleemosynas pauperibus de A labore, & sacerdotis judicio jungatur altari.

De maleficio.

SI quis maleficio suo aliquem perdiderit, VII. annos pœniteat, III. in pane & aqua. Si quis pro amore maleficus fit, & neminem perdiderit: si laicus est, dimidium annum pœniteat: si clericus est, unum in pane & aqua: si diaconus III. annos in pane & aqua: si sacerdos V. annos, II. in pane & aqua. Si autem per hoc partus mulieris, quis deceperit, VI. quadragesimas unusquisque insuper addat, ne homicidii reus sit. Si quis immissor tempestatum fuerit, VII. pœniteat, IV. in pane & aqua. B

De sacrilegio.

SI quis [1] sacrilegium fecerit, id est, quos aruspices vocant, qui auguria colunt semper auguraverint, aut quocumque malo ingenio, III. annos pœniteant in pane & aqua. Si quis ariolus fuerit, quos divinos vocant, & aliquas divinationes fecerit, quia dæmoniacum est, V. annos pœniteat, III. in pane & aqua. Si quis in Kalendis Januarii, quod multi faciunt, & in cervulo dicunt, aut in vehiculo vadit, III. annos pœniteat. Si quis fortes habuerit, quas [2] *Sanctorum*, contra rationem vocant: vel aliquas sortes habuerit, vel qualicumque malo C ingenio sortitus fuerit, vel divinaverit, III. annos pœniteat, primum pane & aqua: si quis ad arbores, vel ad fontes, vel ad cancellum, vel ubicumque, exceptum in Ecclesia, votum voverit, aut exsolverit, III. annos pœniteat in pane & aqua, quia hoc sacrilegium est, vel dæmoniacum. Qui vero ibidem ederit, aut biberit, I. annum in pane & aqua pœniteat. Si quis mathematicus, id est, per invocationem dæmonum hominis mentem tulerit; V. annis pœniteat, primum in pane & aqua. Si quis ligaturas fecerit, quod detestabile est, III. annos pœniteat in pane & aqua. Si quis simul vadunt ad festivitatem, in locis abominandis gentilium, & suam escam deferentes comederint, pla- D cuit eos per pœnitentiam biennii suscipi. Utrum vero cum oblatione, singuli episcoporum probantes vitam eorum, & singulos actus examinent. Si quis manducaverit; aut biberit juxta fanum per ignorantiam, promittat deinceps, (quod) numquam reiteret: & quadraginta diebus in pane & aqua (pœniteat). Si vero per contemtum hoc fecerit, id est, postquam sacerdos ei prædicavit, quod sacrilegium erat, mensæ dæmoniorum communicaverit; si gulæ hoc vitio tantummodo fecerit, III. quadragesimas in pane & aqua pœniteat: si vero pro cultu dæmonum, & honore simulacri hoc fecerit, III. annos pœniteat. Si quis secundo & tertio immolatus paruit, III. annos pœniteat, & duobus sine obla- E tione communicet. Si quis manducaverit sanguinem, aut morticinium, aut idolis immolatum, & non fuit ei necessitas, jejunet hebdomadas XII.

De diversis capitulis.

SI quis quodlibet membrum sibi voluntarie truncaverit, IV. annos pœniteat: primum in pane & aqua: si quis abortum voluntarie fecerit, III. annos pœniteat: primo in pane & aqua. Si quis per potestatem, aut quolibet ingenio, res alienas malo ordine invaserit, vel tulerit, superiore sententia similiter pœniteat, & eleemosynas multas faciat. Si quis servum, aut quemcumque hominem, quolibet ingenio in captivitatem reduxerit, vel transmiserit, sicut supra pœniteat. Si quis Ecclesiam combusserit, XV. annis pœniteat, & eam sedule restituat, & precium suum pauperibus distribuat. Si quis aream, aut domum cujuscumque voluntarie cremaverit, sicut supra pœniteat. Si quis per iram alium percusserit, & sanguinem fuderit, aut debilitaverit, solvat ei primum mercedem, & medicum quærat; si laicus est, XL. dies in pane & aqua jejunet: si clericus, V. XL. diaconus, VII. menses: presbyter unum annum. Si quis venationem exercuerit: clericus unum annum pœniteat: diaconus II. presbyter III. Si quis de ministerio sanctæ Ecclesiæ qualecumque opus fraudaverit, vel neglexerit, VII. annos pœniteat. III. pane & aqua. Si qui cum animalibus peccaverint, qui nondum XX. annorum fuerint, XV. annis exactis in pœnitentia, communionem orationum mereantur. Deinde V. annis in hac communione durantes, oblationis sacramenta contingant. Discutiatur autem & vita eorum, qualis tempore pœnitudinis exstiterit, & ita misericordiam consequantur. Quod si inexplebiliter his hæsere criminibus, ad agendam pœnitentiam prolixius tempus insumant. Quotquot autem peracta XX. annorum ætate, & uxores habentes, hoc peccato prolapsi sunt, XXV. annis pœnitudinem gerentes, in communione recipiantur orationum. In qua quinquennio perdurantes, tum demum oblationis sacramenta percipiant. Quod si qui uxores habentes & transcendentes L. annis ita deliquerint, ad exitum vitæ communionis gratiam consequantur.

De ebrietate & fornicatione.

INebriatur quis a vino, sive cervisia, contra interdictum Salvatoris, & Apostolorum ejus. Quod si votum habuerit sanctitatis, XL. diebus in pane, & aqua culpam diluat: Laicus vero VII. diebus pœniteat. Episcopus faciens fornicationem, degradetur, & XII. annis pœniteat. Presbyter, aut diaconus, fornicationem faciens naturalem [3] prælato ante monachi votum tres annos pœniteat, veniam omni hora roget: superpositionem in unaquaque hebdomada faciat, exceptis quinquagesimæ diebus.

De minutis caussis.

SI quis casu negligens sacrificium perdit, relinquens foris, & ab aliquo devoratur, XL. diebus pœniteat, sin [4] vero; annum unum pœniteat. Si communicaverit ignorans excommunicatum, diebus XL. pœniteat. Si quis sponte communicaverit excommunicato, verbo, vel relatione, vel cibo, vel potu, XL. dies in pane & aqua, & sale pœniteat. Si sacrificium terratenus cadit [5] negligendo, superpositio fiat. Si ceciderit sacrificium de manu offerentis terratenus, & non invenitur aliquid: omne, quodcumque inventum fuerit, in loco, in quo ceciderit, comburetur: & cinis sub altario recondatur, & sacerdos dimidium annum pœniteat.

Pro bonis rebus offerre debemus; pro malis, ne-

1. Forte *sortilegium*.

2. *Sortes Sanctorum* erant divinationes ex verbis Scripturæ, de quibus S. Augustinus sub finem epist. LV. al. CXIX. Ceterum de his & similibus consule Berardum ad Can. XVI. cau. 26. qu. 7.

3. *Prælato ante monachi votum*. Deerant illa verba in codice Stevvartii.

4. Id est, *si non casu*.

5. Sic Gregorius in judiciis suis: Si quis Eucharistiam, id est, sacrificium caussa negligentiæ perdiderit, unum annum vel tres quadragesimas pœniteat; quod si in terram caussa negligentiæ ceciderit; L. Psalmos cantet.

quaquam. Presbyteri pro suis Episcopis non prohibentur offerre. Qui præbet dicatum barbaris, III. annos pœniteat. Qui monasteria exspoliant, falso dicentes se captivos redimere. III. annos pœniteant: & omnia, quæ abstraxerunt, pauperibus donent. Qui carnem animalium, quorum mortem nescit, manducat, tertiam partem anni pœniteat. Priorum statuta Patrum promamus. Pueri solum sermocinantes, & transgredientes instituta seniorum, tribus superpositionibus emendentur. Osculum simpliciter facientes, VII. superpositionibus. Cum inquinamento autem sine amplexu, XV. superpositionibus corrigantur.

De dispensationibus sacrificii.

QUi non bene custodierit sacrificium, & mus comederit, XL. diebus pœniteat. Qui autem perdiderit suum chrisma, [1] L. aut solum sacrificium, in regione qualibet, ut non inveniatur, III. quadragesimas vel annum unum pœniteat. Perfundens aliquis calicem super altare, quando auferuntur linteamina, VII. diebus pœniteat. Si ceciderit [2] in stramen, VII. dies pœniteat. [3] Vomens sacrificium gravatus saturitate ventris, XL. diebus: si in [4] ignem projecerit, XX. diebus pœniteat. Diaconus oblivifcens oblationem offerre sine linteamine, donec offeruntur, similiter pœniteat. Qui acceperit sacrificium post cibum, vel aliquam parvissimam refectionem, nisi pro viatico: pueri, tres: majores VII. Clerici XX. dies pœniteant.

Si in farina, vel in aliquo sicco cibo, sive in melle, vel in lacte, bestiolæ immundæ inveniuntur, quod circa corpora eorum est, projiciatur. [5] Qui negligentiam erga sacrificium fecerit, ut sit a vermibus consumtum, & ad nihilum deveniat, III. quadragesimas pœniteat. Si integrum invenerit, & in eo fuerit vermis, comburatur, & sic cinis ejus sub altari abscondatur; & negligens XL. dies pœniteat. Et si inventum fuerit, ut supra, mundetur: si usque ad altare tantum fuerit lapsum, superponatur. Si de calice aliquid stillaverit, per negligentiam in terram, lingua lambatur: tabula radatur: igne comburatur; & L. diebus pœniteat. Si super altare stillaverit calix, sorbeat minister, & linteamen, quod tetigit stilla, abluatur tribus vicibus, & tribus diebus pœniteat. Si titubaverit sacerdos super orationem Dominicam, quæ dicitur, periculose una vice, vel Psalmis, L. Psalmos; secunda vice, C. plagis (pœniteat.)

Item de homicidio.

SI quis in expeditione publica occidit hominem sine caussa, jejunet hebdomadas XXI. Si autem forsitan se defendendo, aut parentes suos, aut familiam suam, occidit aliquem, ille non erit reus. Si voluerit jejunare, in illius potestate est; quia coactus hoc fecit. Si homicidium in pace fecerit, & non fuerit turba per potestatem, aut inimicitiæ caussa, ut res ejus capiat, jejunet hebdomadas XXVIII. & res ejus, quem occidit, reddat uxori, vel filiis ejus.

De pœnitentibus ægris.

SI quis ad pœnitentiam venit, & ægritudo evenerit, & non potuerit adimplere, quod illi mandatum est a sacerdote, suscipiatur ad sanctam communionem. Et si voluerit eum Dominus salvare, jejunet postea. Si quis non pœnitet, & forsitan ciciderit in ægritudinem, & quæsierit communicare, non prohibeatur. Sed date ei sanctam communionem, & mandata illi, ut si placuerit misericordiæ Dei, & evaserit de ipsa ægritudine, postea omnia confessus sit, & sic pœniteat.

De excommunicatis mortuis.

SI quis excommunicatus fuerit mortuus, qui jam sit confessus, & non occurrit, sed occupavit eum mors, sive in via, sive in domo; si est aliquis ex parentibus ejus, pro eo aliquid offerat ad sanctum altare, aut ad redemtionem captivorum, aut ad commemorationem animæ ejus.

De incestis.

SI quis accepit filiam uxoris suæ, hunc non potestis judicare, nisi prius separentur. Postquam separati fuerint; unicuique eorum imponat hebdomadas XIV. & iterum numquam se jungant. Si autem voluerint nubere sive vir, sive mulier, potestatem habeat: sed non illa, quæ dimisit. Si quis acceperit cognatam, aut novercam, aut avunculi viduam: & hi, qui uxorem patris sui, vel sororem uxoris suæ, grande judicium est; canonice damnetur. Propter fornicationem autem multi nesciunt numerum mulierum, cum quibus fornicati sunt, illi jejunent hebdomadas L.

De idolothytis.

SI quis, dum infans est, per ignorantiam gustaverit de his, quæ fuerint idolis immolata, aut morticinum: aut aliquid abominabile: jejunet hebdomadis III. Si quis nesciens manducavit idolis immolatum, aut morticinum, dabitur illi venia, quoniam nesciens hoc fecit: tamen jejunet hebdomadis III.

De furto per necessitatem.

SI quis per necessitatem furavit cibaria, vel vestem, sive quadrupedem per famem, aut per nuditatem: venia illi datur. Jejunet hebdomadis IV. Si reddiderit, non cogatis jejunare. Si quis caballum, aut bovem, aut jumentum, vel vaccam furaverit, sive cibaria, vel quæ totam familiam nutriunt, jejunet ut supra.

De adulterio.

SI mulier deceperit matris suæ maritum: illa non potest judicari, donec relinquat eum. Cum separati fuerint, jejunet hebdomadis XIV. Si quis legitimam habens uxorem, dimiserit eam, & aliam duxerit. Illa quam duxit, non est illius. Non man-

1. Non legendum; quasi L. anni pœnitentiæ assignarentur; nec littera L. numerum denotat; legendum Chrismal. debet autem hic intelligi Palla corporalis.

2. Vel *si ceciderit sacrificium intra mensam*. Sic codex Menardi; melius tamen *in stramen*. In pœnitentiali ms. Bibl. Colbertinæ n. 1348. legitur ..... *de manu sacrificium ceciderit in stramen, VII. diebus pœniteat a quo ceciderit.*

3. Al. *Sumens*.

4. Hæc ommittuntur in aliis codicibus. Vide editionem Morini.

5. Eadem fere habet Gregor. III. in Judiciis cap. XXVIII. quæ vide Concil. tom. VI. pag. 1483. multa tamen hic circa Eucharistiam observare jubentur a Gregorio omissa.

ducet, neque bibat, neque omnino in sermone sit A cum illa: quia male accepit: neque cum parentibus illius. Ipsi tamen si consenserit, sint excommunicati. Si mulier suaserit alterius mulieris maritum, sit excommunicata a Christianis. Si quis Christianus Christianum viderit ambulantem, vel oberrantem parentem suum, eumque vendiderit, ille non est dignus inter Christianos requiem habere, donec redimat eum. Si autem non potuerit invenire locum, ubi sit, precium quod accepit, det pro illo, & alium redimat de servitute, & jejunet hebdomadis XXVIII.

De pœnitentia trigamorum.

SI cujuslibet hominis mortua fuerit uxor, habet potestatem accipere alteram: similiter & mulier. Si tertium acceperit, jejunet hebdomadas tres. Si quartum aut quintum acceperit hebdomadas XXI.

De eo, qui se ipsum laniaverit.

SI quis comas suas incidit, aut faciem suam laniaverit cum gladio, aut ungulis, post mortem parentum: jejunet hebdomadas III. Et postquam jejunaverit, sic communicet.

(*De veneficis.*)

HErbarius vir, aut mulier, interfectores infantium, in extremum vitæ cum venerit, si quæsierit pœnitentiam cum luctu, ac fletu lacrymarum, si cessaverit, suscipite eum; jejunet hebdomadis L.

De suffocatis.

SI canis, aut vulpes, sive accipiter aliquid mortificaverint: sive de fuste, sive de lapide, sive de sagitta, quæ ferrum non habet, mortuum fuerit: hæc omnia suffocata sunt: non manducentur. Et qui manducaverint, jejunet hebdomadis VII.

De laceratis.

SI quis sagitta percussit cervum, sive aliud animal: & post diem tertium inventum fuerit, & forsitan ex eo lupus, ursus, canis, aut vulpes gustaverit, nemo manducet. Et qui manducaverit, jejunet hebdomadis IV. Si gallina in puteo mortua fuerit, puteus evacuetur. Si sciens ex eo biberit, jejunet hebdomadis I. Si mus & gallina, aut aliquid ceciderit in vinum, de hoc nullus bibat. Si in oleum, aut mel ceciderit, oleum expendatur in lucernam, in medicinam, vel in aliam necessitatem. Si piscis mortuus fuerit in piscina, non manducetur. Et qui manducaverit, jejunet hebdomadas IV. Si porcus, vel gallina manducaverit de corpore hominis, non manducetur, neque servetur ad semen, sed occidatur, & canibus tradatur. Si lupus laceraverit animal, & mortuum fuerit, nemo manducet. Et si vixerit postea, cum homo occiderit, manducetur.

De pollutis animalibus.

SIve cum capra, sive cum pecore, aut cum alio animali si peccaverit homo, nemo manducet carnes ejus, neque cocus ejus, sed occidatur, & canibus tradatur. Si quis voluerit dare eleemosynam de his pecuniis, quæ fuerunt de præda: si jam pœnitentiam egit, potestatem habet.

De reconciliatione pœnitentium III. (&) V. feria ante pascha.

IN primis dicit Psalmum cum antiphona: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis.*

Oratio.

DEus humani generis benignissime conditor, & misericordissime reformator: qui in reconciliatione lapsorum, etiam misericordia tua primus indigeo, servire effectibus gratiæ tuæ, per ministe-
B rium sacerdotale voluisti, ut cessante merito supplicis, mirabilior fieret clementia redemtoris.

Alia.

OMnipotens sempiterne Deus, confitenti tibi famulo tuo, pro tua pietate peccata relaxa, ut non ei plus noceat conscientiæ reatus ad pœnam, quam indulgentia tuæ pietatis prosit ad veniam.

Item, aliorum.

OMnipotens sempiterne Deus, qui peccatorum indulgentiam in confessione celeri posuisti, suc-
C curre lapsis, miserere confessis: ut quos delictorum catena constrigit, magnitudo tuæ pietatis absolvat.

Oratio super infirmo.

DEus, qui famulo tuo Ezechiæ terquinos annos ad vitam donasti: ita & hunc famulum tuum, a lecto ægritudinis eripias ad salutem. Per Dominum.

Qualiter ille annus observandus sit, qui in pane & aqua alicui imponitur in pœnitentia jejunandus.

D

Ex pœnitentiali Romano.

POEnitentia unius anni, qui in pane & aqua jejunandus est, talis esse debet: in unaquaque hebdomada tres dies, id est, secundam feriam, IV. & sextam in pane & aqua jejunet. Et tres dies, id est, tertiam feriam, V. & Sabbatum a vino, medone, mellita, cervisia, a carne, & sagimine, & caseo, & ovis, & abdomine, & pinguibus piscibus se abstineat. Manducet autem minutos pisciculos, si habere potest: sin autem; unius generis piscem, legumina, & olera, & poma comedat, & cervisiam bibat. Et in Dominicis diebus; & in
E Natali Domini, illos IV. dies; & in Epiphania Domini, I. diem: & in Pascha usque in octavum diem: & in Ascensione Domini, & in Pentecoste IV. dies, & in missa S. Joannis Baptistæ, & sanctæ Mariæ, & XII. Apostolorum, & Michaelis, & sancti Remigii, & omnium Sanctorum, & sancti Martini, & in festivitate illius sancti, qui in episcopatu celebris habetur: in his supradictis diebus faciat caritatem cum ceteris Christianis; id est, eodem cibo, & potu utatur, quo & illi. Sed tamen ebrietatem, & ventris distensionem semper in omnibus caveat.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 825.

Ex eodem pœnitentiali.

ISte annus secundus est ab illo, qui in pane & aqua observandus est: post illum, jejunandus. Qui etiam dandus est his, qui viros ecclesiasticos sponte occidunt: & in consuetudine habent Sodomiticum scelus, & peccatum contra naturam: & in Ecclesiis homicidia sponte committunt: & qui alia hujusmodi perpetraverint. Pœnitentia illius anni talis esse debet: ut duos dies, id est, secundam & quartam feriam; VI. unaquaque hebdomada jejunet usque ad vesperam; & tunc reficiat se sicco cibo: id est, pane & leguminibus siccis, sed [1] coctis, aut pomis, aut oleribus crudis: unum eligat ex his tribus, & utatur: & cervisiam bibat, sed sobrie. Et VI. feriam in pane & aqua observet; & III. quadragesimas jejunet. Unam ante Natalem Domini: secundam, ante Pascha: tertiam, post Pentecosten. Et in his tribus quadragesimis jejunet duos dies ad nonam in hebdomade, & de sicco cibo comedat, ut supra notatum est. Et VI. feriam jejunet in pane & aqua. In festivis autem diebus, in superiori capite enumeratis, utatur cibo, & potu, quo & ceteri Christiani. Sed tamen ebrietatem, & ventris distensionem semper in omnibus caveat.

Quid illis agendum, qui statutum jejunium implere nequeunt.

QUi potest jejunare, & implere, quod in pœnitentiali scriptum est, bonum est, & Deo gratias referat. Qui autem non potest, per misericordiam Dei consilium damus tale: ut nec sibi, nec alicui necesse sit vel perire, vel desperare. Pro uno die, quem jejunare debet in pane & aqua, L. Psalmos cantet flexis genibus, si potest fieri, in Ecclesia, vel in alio loco convenienti, & unum pauperem pascat. Vel si tamdiu flexis genibus stare non potest, LXX. Psalmos erectus cantet, & pauperem pascat. Vel centies genibus flexis, centies veniam petat. Vel tres denarios in eleemosynam tribuat, vel tres pauperes pascat. Qui autem unum diem in pane & aqua jejunandum aliquo prædictorum V. modorum redemerit, eo die, excepto vino, carne, & sagimine, sumat quod placet.

De remedio unius hebdomadæ; ex eodem pœnitentiali.

PRo una hebdomada, quam in pane & aqua jejunare debet, CCC. Psalmos genibus flexis decantet. Vel sine genuum flexione III. Psalteria intente cantet. Et postquam psallerit, excepto vino, carne, & sagimine, sumat quod velit.

Remedium unius mensis.

PRimo uno mense, quem in pane & aqua jejunare debet, Psalmos mille ducentos genibus flexis: vel sine genuum flexione mille, D. C. LXXX. Psalmos decantet. Et omni die, si velit, & non potest abstinere, reficiatur ad sextam: nisi IV. feriam, & sextam: has jejunet ad nonam. Et a carne, & sagimine, & vino totum mensem se abstineat. Alium autem cibum post decantationem Psalmorum sumat. Isto ordine, totus ille annus redimendus est.

1. *Non* in ms. deest.

A

Ex eodem pœnitentiali.

(*De alia redemtione.*)

QUi vero Psalmos non novit, & jejunare non potest, pro uno anno, quem in pane & aqua jejunare debet, det eleemosynam pauperibus XXII. solidos. Et omnes sextas ferias in pane & aqua jejunet. Et in tribus quadragesimis illius anni, quantitatem, quod sibi præparatur in cibo, vel in potu, illud æstimet, quanti precii esse possit: & medietatem illius preciij distribuat in eleemosynam pauperibus, & assidue oret Deum.

B

De Presbyteris (quorum) prava exempla.

Ex Concilio magno sub Ludovico rege.

SI quis Presbyter vitæ suæ negligens pravis exemplis mala de se suspicari permiserit: & populus ab Episcopo juramento, seu banno Christianitatis constrictus infamiam ejus patefecerit: & certi accusatores criminis ejus defuerint, admoneatur primo seorsim ab Episcopo: deinde sub duobus, vel tribus testibus, si non emendaverit, in conventu presbyterorum Episcopus eum publica increpatione admoneat. Si vero neque sic se correxit, ab officio suspendatur, usque ad dignam satisfactionem, ne populus fidelium in eo scandalum patiatur. Si autem accusatores legitimi fuerint, qui ejus crimina manifestis indiciis probare contenderint: & ipse negaverit, tunc ipse cum sociis ejus ejusdem ordinis VI. si valet, a crimine, se expurget. Diaconus vero, si eodem crimine accusatus fuerit, semetipsum cum tribus examinet.

C

Diversitas culparum diversitatem facit pœnitentiarum. Nam & corporum medici diversa medicamenta componunt: ut, aliter vulnera; aliter morbum: aliter tumores: aliter putredines: aliter caligines: aliter confractiones: aliter combustiones curent. Ita & spiritales medici, diversis curationum generibus, animarum vulnera curare debent. Sed quia hæc paucorum est ad purum cuncta cognoscere, & curare, & mederi, atque ad integrum salutis statum revocare; ideo solerter admonemus doctum quemque sacerdotem Christi, ut non ex suo sensu, sed secundum canonum statuta, & traditiones Patrum, universa disponat, & contradictionem utriusque sexus, ætatem, personas, paupertatem, caussam, statum cujusque pœnitentiam agentis, ipsumque cor pœnitentis inspiciat; & secundum hæc, ut visum sibi fuerit, ut sapiens medicus, singula quæque dijudicet.

D

E

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 825.



Ex dictis beati Hieronymi presbyteri.

Cur Canones singulis criminibus modum non præscribant.

MEnsuram autem temporis in agenda pœnitentia, non satis aperte præfigunt canones pro unoquoque crimine: ut de singulis dicant, qualiter unumquodque emendandum sit: sed magis in arbitrio sacerdotis intelligentis relinquendum statuunt: quia apud Deum non tam valet mensura temporis quam doloris: nec abstinentia tantum ciborum, B quam mortificatio vitiorum. Propter quod tempora pœnitentiæ, fide, & conversatione pœnitentium abbrevianda præcipiunt: & negligentia, protelanda existimant. Tamen pro quibusdam culpis, modi pœnitentiæ sunt impositi, juxta quos ceteræ perpendendæ sunt culpæ: cum sit facile per eosdem modos vindictam, & censuram Canonum existimare.

Sanctus Leo papa omnibus Episcopis cap. 11.

De Confessione pœnitentium non publicanda.

ILlam præsumtionem, quam nuper, contra apostolicam regulam agnovi, a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri. De pœnitentia scilicet, quæ a fidelibus postulatur, ne de singulorum genere peccatorum, libellis scripta professio publicetur conscientiarum: sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis: quæ propter Dei timorem, apud homines erubescere non vereatur: tamen, quia non omnium hujusmodi sunt peccata, ut ea, qui pœnitentiam poscunt, non timeant publicare: amoveatur improbabilis consuetudo: ne multis a pœnitentiæ reme- D diis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis facta sua referari; quibus possunt legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio, quæ primum Domino offertur: tunc etiam sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium deprecator accedit. Tunc enim plures ad pœnitentiam poterunt provocari; si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.

Ex decretis Evaristi papæ cap. 5.

UT Presbyteri de occultis peccatis jussione Episcopi pœnitentes reconcilient: & sicut supra- E scripsimus, infirmantes absolvant, & communicent.

Ex dictis S. Augustini.

Ut Canonicum remedium occulte confessis primitus indicatur.

SI quis incestum occulte commiserit; & sacerdoti confessionem occulte egerit: indicetur ei remedium canonicum, quod subire debuisset, si ejus facinus publicatum fuisset. Verum quia latet commissum, detur ei a sacerdote consilium, ut saluti A animæ suæ pro occulta pœnitentia proficiat: hoc est, ut graviter se ex corde deliquisse confiteatur: per jejunia, & eleemosynas, vigiliasque, atque sacras orationes cum lacrymis se purgare contendat: & sic, se ad spem veniæ pro misericordia pervenire confidat.

Ex decretis Pii papæ cap. 10.

Ne pœnitentes ante consummationem pœnitentiæ communicent.

PŒnitentes non debent communicare ante consummationem pœnitentiæ. Quod pœnitentes a conviviis, & ornamentis, atque alba veste abstinere debeant: & discordes ab Ecclesia pellantur, donec ad pacem redeant.

Ex decretis Julii papæ

Quod sit simoniacus, quicumque reconciliationem pro munere, vel dignis negaverit, vel indignis concesserit.

UT nemo Presbyterorum xenium, vel quodcumque emolumentum temporale, immo detri- C mentum spiritale a quocumque publice peccante, vel incestuoso accipiat, ut Episcopo, vel ministris ejus, peccatum illius reticeat: nec pro respectu cujusque personæ, aut consanguinitatis, vel familiaritatis, alienis communicans peccatis, hoc Episcopos innotescere detrectet: nec a quoquam pœnitente aut gratiam, aut favorem, aut munus suscipere præsumat: aut minus digne pœnitentem ad reconciliationem adducat, ei testimonium reconciliationis ferat: vel quocumque livore, alium quemlibet dignius pœnitentem a reconciliatione removeat: quia hoc simoniacum, & Deo, & hominibus contrarium est.

Ex decretis Lucii papæ cap. 5.

Ne quis pœnitentiam morienti neget.

SI quis Presbyter pœnitentiam abnegaverit morientibus, reus est animarum: quia Dominus dicit: *quacumque die conversus fuerit peccator, vita vivet, & non morietur*. Vera enim conversio in ultimo tempore esse potest: quia Dominus non solum temporis, sed cordis inspector est.

Ex Concilio Toletano.

EPiscopi in protegendis populis, ac defendendis, impositam sibi curam non ambigant. Ideoque, dum conspiciunt, potentes, ac judices, pauperum oppressores exsistere, prius eos sacerdotali admonitione redarguant: & si contemserint emendari, eorum insolentiam regis auribus intiment: ut quos sacerdotalis admonitio non flectit ad justitiam, regalis potestas ab improbitate coerceat.

A

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 825.

De filiis non legitimis.

FIlii vero ex hujuſcemodi vituperali conjunctione ante conjugium minus laudabiles procreati ; ad eccleſiaſticam dignitatem nullo modo promoveantur. Nec de tali conjugio generati, eccleſiaſticis ordinibus applicentur : niſi forte eos aut maxima Eccleſiæ utilitas, & neceſſitas poſtulet ; aut evidens meritorum prærogativa commendet.

Ex decretis Hygini papæ cap. 4.

SI motum fuerit altare : denuo conſecretur Eccleſia. Si parietes mutantur, & non altare : ſalibus tantum exorcizetur.

Quæ conſuetudo in Eccleſia ſit concedenda.

EX regeſto S. Gregorii cap. LXV. nos quidem juxta ſeriem relationis veſtræ, conſuetudinem, qua tamen contra fidem catholicam nihil uſurpare dignoſcitur, immotam eſſe concedimus. Hoc etiam pro ædificatione omnium Eccleſiarum, & pro utilitate totius populi, nobis placuit, ut non ſolum in civitatibus, ſed etiam in omnibus parochiis, verbum faciendi daremus Presbyteris poteſtatem. Ita ut ſi Presbyter aliqua infirmitate per ſe ipſum non poterit prædicare; ſanctorum Patrum homiliæ, a Diaconibus recitentur. Si enim digni ſunt Diaconi, quos Chriſtus in Evangelio dignatus eſt legere : quare indigni judicentur, Sanctorum expoſitiones publice recitare ?



EPISTOLÆ AMULONIS ARCHIEPISCOPI LUGDUNENSIS.

AD THEODBOLDUM EPISCOPUM LINGONENSEM.

EPISTOLA I.

I. Reverendissimo & puro dilectionis affectu excolendo [1] Theodboldo Ecclesiæ Lingonicæ Episcopo, Amolo humilis Ecclesiæ Lucdunensis Episcopus in Domino Jesu Christo sempiternam salutem. Mandastis nobis per dilectum fratrem [2] Chorepiscopum vestrum, nuper in castro Divionensi, apud Ecclesiam beati Benigni martyris, cœpisse quædam fieri in his qui orationis & venerationis caussa ex quibuscumque locis confluere videntur, & maxime, immo, ut nonnulli affirmant, tantummodo in feminis; unde animus vester quadam ambiguitate turbaretur, & necessarium judicaretis nostrum, id est, fraternum, expetendum esse consilium. Dixit enim quod anno transacto duo quidam, qui se monachos esse dicerent, detulerint usque ad præfactam sancti martyris Basilicam quædam velut cujusdam sancti ossa, quæ se vel ex urbe Roma, vel ex nescio quibus Italiæ partibus, sustulisse affirmabant: cujus tamen sancti nomen se oblitos esse mira impudentia dixerunt. Quasi aut eum in tantum diligere & venerari potuerint, si vere sanctum esse cognoverant, ut tanto terrarum spatio tam studiose deferre satagerent, nisi ejus nomen in locis illis, unde assumtus dicitur, usitatum esset atque vulgatum, & istis ita insinuatum & cognitum, ut desiderarent illum & exposcerent, vel etiam furto auferrent in suæ regionis finibus collocandum, ac venerationi fidelium commendandum. Aut certe quem tanta veneratione dignum agnovissent, quem tanto amore transferendum exoptassent, quem tam longo itinere ipsi assidue pertulissent, ejus nomen saltim una hora oblivisci potuerint: ut non illum, quem tantopere diligebant & venerabantur, continuo desiderio atque oratione ad præsidium salutis suæ, & ad propitiandam divinam clementiam pia & indesinenti memoria sibi adesse precarentur; aut omnino tantæ ignaviæ ac stoliditatis exstiterint, ut nomen ejus ad commonitionem sui nec litteris saltem signare studuissent.

II. Unde, sicut prædictus frater noster retulit, prudenter & religiose fecistis ut istiusmodi reliquias, quarum nulla exstaret auctoritas, & ipsum quoque vocabulum esset ignotum, nec ullo modo recipiendas judicaretis, nec penitus contemnendas; si tamen illi qui detulerant possent, sicut promittebant, hujus rei certitudinem ex eisdem partibus delatam sub diligenti examinatione evidenter ostendere. Dixit itaque nobis quod unus ex præfatis monachis, A qui apud Divionem remanserat, jam mortuus sit; alter vero, qui ad perquirendum & renuntiandum perrexerat, nequaquam ulterius sit reversus. Attamen dum illa ossa, a tam vilibus personis delata, & nulla veritatis assertione declarata, & tam insulsa relatione Ecclesiæ inlata, velut caussa honoris juxta sepulcrum præfati gloriosi martyris reverenter locata conservantur, cœpisse in eadem Basilica velut quædam miracula fieri, non sanitatum & curationum, quibus ulla indicia divinæ miserationis & propitiationis ostenderentur, sed percussionum & elisionum, quibus miseræ mulierculæ subito in ipsa orationis domo cadere, & conlidi, & quasi vexari viderentur; cum tamen in nulla par- B te corporis læsæ appareant, aut ulla plagæ alicujus vestigia monstrare videantur. Qua ex caussa tanta illuc velut admirantium turba concurrit, sicut non solum ab illo fratre nostro, quem misistis, sed etiam a nonnullis aliis didicimus, ut jam trecentæ sive quadringentæ aut eo amplius personæ esse referantur, quæ jam dicto modo corruentes atque elisæ & per paullulum velut recepto sensu sanatæ, nullatenus a loco discedere posse firmantur: quia videlicet si ad domos suas redire tentaverint, statim nova nescio qua plaga percussæ, ad Ecclesiam de qua exierant redire compellantur. In quibus esse dicuntur, non solum puellæ, sed etiam conjugatæ juveniores, & maturiores ætate, hone- C stiores, atque viliores.

III. Hæc autem non solum in Ecclesia sancti Benigni, sed etiam in altera Ecclesia intra ipsum castellum & in aliis nonnullis per parochias vestras similiter jam fieri cœpisse significastis. Nam & in Augustodunensi territorio quod Sedelocus vocatur, apud Ecclesiam in qua sancti martyres Andochius, Thyrsus, & Felix conditi sunt, similia fieri vel potius simulari certa relatione comperimus. Exspectavimus autem aliquot diebus ut sicut per præfatum Chorepiscopum vestrum rogavimus, diligentius & modum & ordinem hujus rei vestris nobis litteris intimaretis; ut quanto subtilius & eviden- D tius instructi, tanto adspirante Dei gratia ad respondendum inveniremur parati. Sed quia nihil postea rescripsistis, melius nobis visum est, ut juxta quod ex ejus relatione agnoscere vel perpendere potuimus, dilectioni vestræ debitum responsionis officium solvere non differamus. Igitur ut ad hæc omnia, prout Christus donare dignatur, breviter

1. Alias *Teotbaldus* vel *Teutboldus* dicitur, factus episcopus anno 844.

2. Ingelrannus erat is in castro Divionensi vices episcopi agens.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 851.



respondeamus, & caussæ ambiguum cum vestra pariter dilectione recesemus; videtur nobis in primis A ut ossa illa, quæ nulla ratione, nulla auctoritate, nescio cujus sancti esse dicuntur, unde primum prurigo hujus curiositatis exorta esse videtur, omnino de sacris adytis & de loco celebri tollantur, & nequaquam intra Ecclesiam, sed foris in atrio, aut certe sub pariete, vel circa ipsam, vel quod utilius existimamus, circa aliam secreto in loco apto & mundo sub paucorum conscientia sepeliantur; ut quoniam & sancta esse dicuntur, aliquid eis reverentiæ referatur, & quia esse penitus nesciuntur, nequaquam rudibus populis occasio erroris & superstitionis exsistant. Nec metuere debemus ne forte ex hac diligentia aliquam offensionem incurramus. B Vult enim omnipotens Deus nos in rebus suis cautos esse atque discretos, juxta præceptum Apostoli dicentis: *Omnia autem probate, quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete vos*. Et iterum: *Nam & ipse satanas transfigurat se in angelum lucis*. Unde & Dominus monet dicens: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*. Habemus in hac re magnum & reverendum pietatis exemplum in gestis beati Martini, ut nequaquam temere adhibeamus incertis fidem. Qui beatus & [1] gloriosus Christi Confessor & Pontifex locum quemdam a præcessoribus suis sub altaris titulo consecratum, & concurrentis populi frequentia celebratum, quia nec nomen sepulti illic, ut C ferebatur, martyris, nec tempora passionis ejus reperit, omnino se ab illo loco abstinuit, nec auctoritatem suam vulgi opinioni accommodare ullatenus voluit, donec rei veritate divinitus sibi patefacta, etiam populum superstitionis illius absolvit errore.

IV. Invenimus etiam in decretis beati Papæ [2] Gelasii graviter notari Episcopos & pene alienos a Christianitatis affectu designari, qui in quocumque nomine defunctorum, & fortassis nec omnino fidelium, ædificatas sacris processionibus audacter instituere præsumunt Ecclesias. Sed & quorumdam venerabilium valde sanctorum corpora novimus, vel D inter agrorum sepulturas, vel in angulo Ecclesiæ annis plurimis jacuisse, donec se dignis revelationibus manifestarent. Quapropter juxta apostolicam atque evangelicam auctoritatem & venerabilia sanctorum Patrum exampla atque instituta, removeatur de medio, & congruenti modo habeatur unde tanta pullulavit occasio superstitionis, & nulla probatur exsistere utilitas salutis. Nam etsi unum aut multo duo vel tria istis ipsis temporibus, quibus talia geruntur, sanitatum vel curationum signa in eadem beati Benigni martyris Ecclesia veraciter & probabiliter celebrata sunt, hæc profecto cum omni gaudio & veneratione ac debita gratiarum actione ad Dei gloriam & beatissimi atque gloriosissimi E martyris merita referenda sunt. Nec tamen ob hoc cetera quæ sive in ejusdem martyris Ecclesia, sive in plerisque aliis fieri dicuntur, approbanda sunt. Quia quantum ipsius rei gestæ ordo ostendit, potuit fieri ut hæc primum ex vana opinione, tamquam nuper allati sancti corporis locum inveniret occasio, dum in diebus quadragesimalibus, confluentibus fortasse, ut in multis locis consuetudo est, ad orationem popularibus turbis ostenderetur, commendaretur, & venerationi habendus, qui penitus ignorabatur, supervacue inculcaretur; atque ex hoc jam superveniente solemnitate Paschali, quando talia inchoasse perhibentur, viles & nequam homunculi, accepta occasione, sive necessitate famis cogente, sive cupiditate lucri instigante, istiusmodi velut percussiones, & conlisiones & dementationes, ac rursum sanationes, fingere atque ostentare cœperint, sive sint viri, sive mulieres.

V. Quod cum populus, supervacua opinione delusus, in admiratione vel terrore habere cœpisset, tanta illuc conferre & quasi male habentibus velut ex misericordiæ compassione administrare cœperunt, ut omnino qui talia pati videbantur, non solum a loco recedere nollent, sed tamquam nova plaga ac debilitate percussi, nullatenus se recedere posse simularent. Quando enim umquam in Ecclesiis Dei, in memoriis beatissimorum martyrum, talia signa increbuerunt, quibus nequaquam ægri sanarentur, sed sani percuterentur & dementarentur? Quando istiusmodi sanitates sanctorum oratio apud Dominum obtinuit, quibus simplices & innocentes puellæ in sanctuario Dei incolumes reddantur, sed si de salute sua gaudium parentibus facere voluerint, continuo iterum percussæ ad domos eorumdem parentum suorum redire prohibeantur? Quando autem martyres sancti ita conjugatas quasque fideles in suis sanctuariis sanitati restituerunt, ut eas a maritis sejungerent, & ne ad virorum suorum domos reverti possent, repentinæ cladis animadversione percuterent? Quis hæc non videat vel fallaciis hominum nequissimorum, vel deceptionibus & ludibriis dæmonum concinnata, qui hebetes sensu, & inanes fide, & plenos curiositate, & attonitos vanitate, facile opprimunt, vel etiam invadunt; ut in eis Deo juste permittente, & propria nequitia sævientes, talia etiam veraciter exercere sinantur? Atque ita velut ex uno loco per astutiam hominum & nequitiam dæmonum pessimorum, qui humanæ saluti libenter inludunt, per alia atque alia loca se pestilentia ista superstitionis atque inlusionis diffudisse videtur, dum in sacris locis & sanctorum martyrum Basilicis sunt etiam quidam, qui turpis lucri gratia non solum ista non prohibent, nec errantem populum ad sinceram & puram religionis observantiam instituunt, sed etiam instigant, ad talia sectanda, eosque tamquam religiosos prædicant, ac suis adulationibus supplantant, tantum ut ex eorum votis atque donariis vel marsupia sua repleant, vel epulis & potationibus vacent. De quibus recte per Prophetam dicitur: *Peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum*. Hæc de fictione talium inlusionum & insana quorumdam cupiditate nequaquam in hujus responsionis nostræ serie diceremus, nisi talia tempore pii patris & antecessoris nostri ita certissime in quibusdam homunculis, tam viris, quam feminis, intra parrœchiam nostram experti essemus, ut de his nullatenus dubitare permittamur.

VI. Vidimus namque aliquotiens coram illo qui se dæmoniacos advexaticios esse simularent; sed cum plurimis plagis atque verberibus distringerentur, confestim de miserrima simulatione confessi, & necessitates atque egestates suas, quibus supplendis talia ostentaverant, publice exponentes, ab omni invasione dæmoniaca, sicuti & erant, inlæsi apparuerunt. Scimus etiam civitatem quamdam haud longe a nostris finibus, quæ Ucetia nuncupatur, sita in provincia Narbonensi; ubi cum ejusdem piæ memoriæ prædecessoris nostri tempore ad sepulcrum sancti Firmini episcopi istiusmodi percussiones & elisiones fieri cœpissent, ita ut in membris caden-

1. Sulp. Severus in lib. de vita beati Martini cap. VIII.

2. Decreta Gelasii cap. XXV.

tium reperirentur quædam stigmata ustionis, tamquam illic sulphur arsisset, & ex hoc territi atque obstupefacti vulgares, cum votis ac donis plurimis gregatim Ecclesiam frequentarent, accepto ab eodem patre nostro consilio prædicavit eis atque præcepit Narbonensis qui nunc superest Bartholomæus episcopus, ut omnino locum illum, quem superstitiose frequentare cœperant, nequaquam amplius ita frequentarent, & quæcumque illuc conferre consueverant, magis in usus indigentium & misericordiæ opera erogarent. Quod cum factum fuisset, statim & ibi & in aliis locis in quibus jam similiter fieri incipiebat, tota illa deceptio cessavit, & populus fidelis optata incolumitate ac tranquillitate respiravit.

VII. Unde omnino videtur nobis, prout ratio ipsa dictat, & bonorum nos exempla informant, ut arripiatis pium studium & sacerdotalem sinceritatem ac severitatem; & ne domus Domini, quam oportet esse domum orationis, fiat domus negotiationis & spelunca latronum, eliminetis ex ea istiusmodi commentum & figmentum diabolicum, quo tanta infelicium hominum & maxime mulierum multitudo nimis dolende ac pudende, velut captiva & mente capta, obligata tenetur; annuntiando omnibus fideliter, atque obtestando, ut intermisso hujusmodi vano & perniciosio concursu, unde nulla animæ salus, nulla corporis incolumitas, nulla vitæ utilitas provenire cognoscitur, unaquæque plebs in parrœchiis & Ecclesiis, quibus attributa est, quieta consistat; ubi sacrum baptisma accipit, ubi corpus & sanguinem Domini percipit, ubi Missarum solemnia audire consuevit, ubi a sacerdote suo pœnitentiam de reatu, visitationem in infirmitate, sepulturam in morte consequitur, ubi etiam decimas & primitias suas offerre præcipitur, ubi filios suos baptismatis gratia initiari gratulatur, ubi verbum Dei assidue audit, & agenda ac non agenda cognoscit; illuc, inquam, vota & oblationes suas alacriter perferat, ibi orationes & supplicationes suas Domino effundat, ibi suffragia omnium sanctorum quærat, qui; ut scriptum est: *Sequuntur agnum quocumque vadit*, & idcirco fideliter invocantibus ubique præsto sunt, & per ipsos atque in ipsis omnipotens Deus, qui populo suo promittit dicens: *In omni loco in quo memoria fuerit nominis mei, veniam ad te, & benedicam tibi*. Ibi itaque unaquæque plebs pupillis & viduis, pauperibus & peregrinis, de facultatulis quas Deus tribuit eleemosynarum largitionem exhibeat, hospitalitatis officia impendat, & quodcumque comessationibus & ebrietatibus & quæstu hominum vanorum consumere solebat, in istiusmodi suis & proximi salubribus utilitatibus expendat. Hæc est enim legitima & ecclesiastica religionis forma; hæc antiqua fidelium consuetudo, per quam & novitatum vanitas amputatur, & vetusta ac recta evangelicæ atque apostolicæ institutionis semita custoditur. Si autem & languores aliqui ac debilitates accidunt, juxta evangelicum & apostolorum præceptum præsto habet unusquisque ut [a] *inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei salvabit infirmum.*

VIII. Cum hæc largiente vobis Domino fideliter atque instanter annuntiata fuerint & observata, confidimus in ipsius pietate, quoniam cessante inani ac supervacua largitione munerum ac votorum, cessabit etiam multitudo illa simulantium & simulatio

A percussionum ac dementationum, cum unusquisque non vana & falsa ostentare, sed ad corpusculi sustentationem necessaria quærere vel etiam mendicare cogetur; ita ut si forte aliqui obstinatiores in tali facto apparere voluerint, duris omnino verberibus coerciti, ad confessionem veritatis compellendi nobis esse videantur. Nam etsi illud verum esset, ut discedere a locis illis tentantes confestim novo morbi genere corriperentur, quanto esset manifestius hoc ex diaboli impugnatione fieri, tanto confidentius Domino miserante ac protegente erat discedendum, & contemtis fideliter inimici terroribus, in locis legitimis more ecclesiastico illius misericordiæ supplicandum. Neque enim inter sanctos B martyres & spiritus atque animas justorum cum Domino jam regnantium, illic invidia suspicanda est, sed plena caritatis unitas, & pietatis societas; & ideo simul sibi oblatos ægros, si vitandæ tentationis gratia fideliter ad aliorum sanctorum limina deducantur, nequaquam indignari, sed potius favere & congaudere atque congratulari credendi sunt. Quorum unus præcipue, magnus videlicet Apostolus Paullus, propter hanc unitatem spiritus ceteris sanctis dicit: *Si cui autem aliquid donatis, & ego. Nam & ego si quid donavi, propter vos in persona Christi*. Quod si votum & desiderium est pupulorum fidelium, diversorum martyrum & ceterorum sanctorum limina suppliciter frequentare, C sunt dies certi & legitimi, quibus id juxta antiquam Ecclesiæ observantiam devote exercere conveniat; tempore videlicet generalium rogationum, & pro diversis tribulationibus ac necessitatibus indictarum litaniarum, seu quadragesimalium jejuniorum, sive etiam in vigiliis & natalitiis martyrum.

IX. Quæ omnia & ex universalis Ecclesiæ lege descendunt, & sacerdotum prædicatione ac denuntiatione commendantur, & omnium fidelium obedientia & pietate attentius observanda sunt. Quamquam & ceteris diebus cum silentio & puritate devotionis, non in ostentatione & tumultu, sacra loca probabiliter visitentur. Nunc vero quanta ab- D surditas est hæc tam legitima, & tam assidue annuntiata ac justa, a plerisque popularibus aut negligenter omitti, aut vix & coacte observari, & ad illa esse promtissimos quæ nullo prædicante ac docente, immo etiam obsistente, tantum animi sui supervacuitate sequuntur; quibus sæpe beati Paulli Apostoli voce inculcandum est: *Fratres, nolite pueri effici sensibus; sed malitia parvuli estote, ut sensibus perfecti sitis*. Et illud beati Jacobi dicentis: *Religio munda & immaculata apud Dominum & patrem hæc est; Visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo*. Quatinus hæc atque hujusmodi apostolica hortamenta attendentes tam Presbyteri, quam E populi, atque in locis suis devote, instanter, ac fideliter Domino servientes, sinceritati mentis & fructibus misericordiæ potius studeant, quam vanitati vel ostentationi. Nam etsi quidam illorum fallacium atque fallentium, vere energumeni & arreptitii essent, more ecclesiastico vel in locis suis a sacerdotibus suis, vel in quibusque martyrum sanctuariis a propinquis & amicis tranquille debuerant tractari, atque opitulante Dei gratia purgari, non populorum turbis ac tumultibus inaniter prosequi. Hæc, prout Dominus dedit, juxta auctoritatem divinam & institutionem paternam ad interrogationem vestram sedulo respondere curavi. Vos & ista libenter accipite; & si qua meliora

[a] Jacob. V. 14.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 851.



Deus inspiravit, promta intentione & vigilanti cura peragite; quatinus grex dominicus vestræ gubernationi commissus, eodem Domino auxiliante & erroris effugiat offendiculum, & religionis ac sinceritatis consequatur augmentum. Misimus vobis etiam exemplar epistolæ præfati pii patris & nutritoris nostri ad jam dictum Narbonensem Episcopum; ut si quis de hujusmodi caussis subtilius & plenius nosse voluerit, illius lectione uberius ac profundius instruatur. Deus omnipotens reverendam dilectionem vestram ad ædificationem Ecclesiæ suæ jugiter protegere & custodire dignetur.

AD GOTHESCALCUM.

EPISTOLA II.

AMolo humilis Ecclesiæ Lugdunensis Episcopus dilectissimo fratri [1] Gothescalco salutem. Quod te in hujus sermonis exordio fratrem nomino, quem fraternæ unitati contrarium non ignoro, ea in quantum Deus largitur facio caritate, quam Scriptura nobis præcepit dicens: *Dicite his qui oderunt vos, fratres nostri estis*. Quia etsi ex illorum parte qui ejusmodi sunt fraternitas deperit, non idcirco etiam in nobis frigescere aut perire debet ipsius fraternitatis affectus. Quod autem non solum fratrem, sed etiam dilectissimum dico, Dominus novit quia te fideliter diligo, hoc tibi cupiens quod & mihi. Unde & salutem tibi veraciter opto, præsentem pariter & futuram, per eam divini cultus pietatem, quæ, sicut Apostolus testatur: *Ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ*. Audiens sane & agnoscens quæ in scriptis tuis misisti, & per quemdam fratrem nostrum mihi innotescenda vehementissime flagitasti, diu hæsitavi utrum tibi respondere deberem, homini de novis contra Ecclesiam præsumtionibus, & non parvis erroribus jamdudum accusato, & propter contumaciam, ut audio, episcopalis Concilii auctoritate damnato. Importunum namque & impudens videri posse existimabam, si de caussa, quæ prudentium & reverendorum fratrum nostrorum inquisitione, cognitione, & sententia definita est, aliquid ultro dicere vel respondere aggrederer: & rursum, tantam deprecationem & supplicationem tuam contemnere & præterire silentio, non videbatur Christianæ esse pietatis & caritatis, per quam præcipue lex Christi adimpletur in nobis, testante & commendante Apostolo: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*. Unde & cum de seipso dixisset: *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrarer: omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos*. Et post aliqua: *Non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant*. Continuo, ut nos ad exemplum sui, & per hoc ad exemplum Christi, instrueret & informaret, adjunxit: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*. Ipse est enim verus & pius ille Samaritanus, qui descendentem ab Hierusalem in Hiericho, & a latronibus in itinere spoliatum, & vulneratum, ac semivivum derelictum, clementer miseratus est, alligans vulnera ejus, & vini atque olei infusione curans: tantæque misericordiæ & pietatis suæ nos imitatores esse desiderans, in fine hujus parabolæ unicuique nostrum dicit: *Vade & tu fac similiter*. Manifeste ostendens, illum vere esse proximum fratri, illum vere imitatorem sui, qui fraternis necessitatibus atque infirmitatibus promta pietate & compassione succurreret. Istiusmodi igitur consideratione provocatus, & de venerabilium fratrum atque consacerdotum nostrorum sincerissima caritate confisus, (per quam in Domino unum sumus, & invicem commissi nobis ministerii onera & officia communicare debemus, quatenus & illorum bona per unanimitatis spiritum nostra, & nostra, si qua divina misericordia esse possunt, illorum sint) melius & salubrius existimavi aliquid tuæ fraternitati rescribere, quam inutili taciturnitate, & de illis viderer diffidere, & tibi tam angustiato, tam afflicto, tam anxio & conturbato, nihil consulere. Quapropter omnipotentis Domini & Salvatoris largissimam & indeficientem oro gratiam, ut nobis tribuere dignetur utilem & veracem tuam consolationem & instructionem, sermonem & animum tuum præparet ac tranquillet, ut quæ dicturi sumus, pia mansuetudine & humilitate suscipias, ac seposita animositate, & studio contentionis, libenter quæ vera sunt audias, & non nostra, sed Dei & sanctorum Patrum dicta obedienter suscipias, eisque animum tuum & sensum sincera pietate summittas: quia ut verax veraciter Scriptura dixit: *Sunt viæ quæ videntur homini rectæ, & novissimum earum ducit ad mortem*. Et: *Qui confidit cogitationibus suis impie agit*. Unde & alibi eadem Scriptura admonet, dicens: *Et ne innitaris prudentiæ tuæ*. Hoc namque malum quantum cavendum sit homini, etiam beatus Ephrem admirandæ sanctitatis & inlustrissimæ doctrinæ pater ostendit, cum in hora exitus sui, adstanti sibi uni ex discipulis, magni & acuti & nimis curiosi ingenii, sollicite admonens dixit: Cave, Paulline, ne umquam te summittas cogitationibus tuis. Quantum vero bonum sit obedientiæ, & quantum malum contentionis & contumaciæ, docet nos iterum sermo divinus, ubi per Samuelem prophetam dicit: *Melior est obedientia, quam victimæ, & auscultare magis, quam offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, quasi scelus idololatriæ nolle adquiescere*. Itaque & tu, si bonus, & utilis, & pacificus Ecclesiæ filius esse desideras, noli te sensui tuo committere, sed majorum judiciis atque sententiæ, immo divinis & ecclesiasticis auctoritatibus facile cede, libenter adquiesce, & obedienter subdere, ut possit in te Dei spiritus habitare, dicente Domino per Prophetam: *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum, & trementem verba mea?* Videmus certe tempora novissima & periculosissima, ab Apostolo olim prædicta, plena ignorantiæ & infirmitatis animorum, in quibus illud Domini terribile dictum semper est reminiscendum, atque tremendum: *Qui scandalizaverit unum de pusillis his qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in*

1. Monacho Orbacensi, docto quidem sed Ecclesiæ perturbatori, & in Synodo Carisiacensi, damnato jam Moguntiæ, ob contumaciam virgis cæso, anno 849.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 851.

profundum maris. Et iterum: *Væ mundo ab scandalis! necesse est ut veniant scandala: verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit!* Sed & aures & linguas prurientes cavere debemus, ne vel ad audiendas vel ad loquendas novitates promti & faciles simus. Quia & prurientes auribus, & profanas vocum novitates pariter Apostolus condemnat, & oppositiones falsi nominis scientiæ admonens devitandas, continuo de eadem falsi nominis scientia subjungit, dicens: *Quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt*. Cum adhuc esses in partibus regni Germaniæ, audivimus in primis super nomine tuo famam dolendam: quod videlicet novitates sereres, & stultas ac sine disciplina quæstiones ventilares. Deinde perlata est etiam ad nos studio ecclesiasticorum virorum quædam scriptura tua, in qua apertissime, & prolixo sermone, atque ut tibi visum est, etiam testimoniis Scripturarum, sive sanctorum Patrum, quid sentires sive doceres multipliciter exsecutus es. Nunc quoque accepimus & alia scripta tua non parva, quæ ad Episcopos, vel contra Episcopos, qui in Concilio damnationis tuæ affuerunt, scripsisse vel protulisse videris. In quibus quanta potuisti intentione, de una tantum quæstione, id est, prædestinatione divina, quid teneas, diligenter explicare curasti. Ita factum est, ut ex utraque scriptura tua, sive quam per alios, sive quam te mittente accepimus, plenissime nobis cognoscere videamur, in quibus quæstionum periculis fluctuet, vel quod nimis dolendum est, naufragetur sensus tuus. Quapropter compendiose nobis & utiliter fieri posse videtur, ut ex illa tota serie scriptorum tuorum, ea quæ nobis fidei catholicæ maxime contraria esse videntur, brevibus & distinctis capitulis ordinemus, adjungentes, sive subjungentes per singula, quid e contrario Scriptura sancta doceat, & Ecclesia Dei firmissime teneat, & ubique fideliter ac salubriter doceat. Cujus doctrinæ & sensibus te, quasi devotum & pium filium, inrefragabiliter obtemperare oportet, si cupis in ejus corporis unitatem vivum & sanum membrum inveniri, & non cum putribus & emortuis justæ severitatis judicio abscisionem mereri. Hunc autem sermonis nostri tenorem, servato in omnibus legitimo ordine, ac ecclesiastica auctoritate, non tibi, qui infelici & miserabili lapsu excommunicationem ab Ecclesia excepisti, sed principaliter reverentissimo & carissimo nostro, Metropolitano antistiti direximus tuo, confidentes in Domini pietate, quia cum hæc legerit, & nostræ erga te compassionis affectum cognoverit, non indignatione aliqua adversum te, sed boni patris & pii pastoris visceribus commovebitur, ut his congruenter perlectis, & tranquille apud te tractatis, si divina gratia adspirante adquiescere volueris veritati, nequaquam diutius aberres a caulis, sed boni & summi pastoris humeris reportatus, unitati inventæ ac redemtæ ovis, cum gaudio cælestium & terrestrium, feliciter restituaris. Hæc sunt igitur quæ in scriptis tuis merito reprehendenda, & reprehensa, tamquam veræ fidei catholicæ inimica, notavimus, & qualiter ad regulam veritatis sint corrigenda perstrinximus.


In primis displicet nobis valde, quod dicis & asseris, neminem perire posse Christi sanguine redemtum. Hoc enim dictum dupliciter fidei catholicæ adversatur. Si aut neminem ex numero Christianorum, postquam semel in Christo baptizatus, & particeps redemtionis Christi effectus est, perire posse confirmas, contra Apostolum apertissime prædicantem & contestantem: *Quoniam iniqui regnum Dei non possidebunt*. Et quoniam qui illa vel illa crimina admiserint, regnum Dei non consequentur,

A & non habent hereditatem in regno Christi Dei: inter quos etiam illi sunt negatores Christi, de quibus ipse terribiliter testatur: *Quicumque negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui est in cælis*. Et illi infructuosæ fidei, de quibus ait: *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum*. Sed & illæ fatuæ virgines, quæ non sumserunt oleum in vasis suis cum lampadibus, quibus clausa janua regni dicturus est: *Amen dico vobis, nescio vos*. Aut si non credis, omnes, qui vera fide & devotione per baptismi gratiam regenerantur, Christi esse sanguine redemtos, immo in Christi morte & sanguine baptizatos, licet postea plurimi ex eis, vel per B hæreses, vel per alia diversa crimina pereant, manifestissime contrarium est beato Paullo Apostolo dicenti: *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus*. Et beato Joanni similiter de eodem Domino contestanti: *Qui dilexit nos*, inquit, *& lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*. Et beato Petro etiam de pessimis hæreticis, qui post baptismum redemtionis Christi de Ecclesia recesserunt, ita dicenti: *Et eum qui emit eos Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem*. Et ipsi Domino de eisdem hæreticis per Prophetam dicenti: *Et ego redemi eos, & contra me locuti sunt mendacia*. Itaque juxta fidem catho-C licam & apostolicam, propheticam & evangelicam, omnes isti, fideliter ad baptismum Christi accedentes, non utique alio pretio, sed Christi sanguine redemti sunt. Sed cum plurimi ex eis eamdem gratiam in se irritam fecerint, & idcirco in æternum pereant; qua ratione verum est neminem perire posse sanguine Christi redemtum?

Secundo loco displicet nobis valde, quia verissima & sacratissima Ecclesiæ sacramenta, videlicet exorcismi, & baptismi, chrismatis, & Eucharistiæ, ac manus impositionis, perfunctorie & frustratorie omnibus, qui post perceptionem eorum pereant, dari confirmas, dum eos sanguine Christi, sine quo ipsa mysteria, sed quædam velut vacua & inania D ludibria sunt habenda, redemtos negas: cum e contrario Apostolus, & veritatem redemtionis Christi, & verum divinorum mysteriorum effectum, etiam in eis qui inreparabiliter pereunt doceat esse conlata, cum ait: *Impossibile enim est eos qui semel sunt inluminati, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes sunt facti Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, renovari rursus ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimet ipsis filium Dei, &c.* Et iterum: *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo E sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Et alio loco: *Et peribit*, inquit, *infirmus in tua conscientia frater, propter quem Christus mortuus est?* Ita veritas mysteriorum peragit virtutem suam, cum fideliter accipitur, etiam in illis qui non permanent in veritate eorumdem mysteriorum. Sed & in illa regula intelligendarum scripturarum de corpore Christi vero atque simulato, unde tu hunc errorem velut confirmare niteris, veraciter nosse debes, simulationem denotari vitæ & morum, non quod absit, divinorum mysteriorum & sacramentorum.

Tertio loco displicet nobis valde, quia & divinarum scripturarum testimoniis, & sincerissimis sanctorum Patrum dictis, tam perverse abuteris, ut hæc omnia quæ manifestissime adversus divinam veritatem & paternam fidem disputas, ex illis non recte intellectis multipliciter adfirmare contendas.


SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 851.



In tantum ut illos qui ex numero fidelium pereunt, nec tunc, quando in primis ad percipienda mysteria regenerationis, & dominicæ oblationis, vel in parvula ætate ab aliis oblati sunt, vel ipsi in majori fideliter accesserunt, affirmes Christo & Ecclesiæ non incorporatos, nec membra illius quæsitæ & salvatæ ovis effectos, ac per hoc nec umquam fuisse Christianos. Nam quomodo est Christianus, qui non pertinet ad corpus Christi, qui non est membrum Christi? Cum e contrario Apostolus etiam illos, qui graviter peccare, & in eodem gravi peccato perire possunt, membra Christi & templum Spiritus sancti esse dicat, quamdiu fideliter & innocenter agunt. *Nescitis*, inquit, *quia corpora vestra membra Christi sunt? Tollens ergo membra Christi* B *faciam membra meretricis? absit.* Et iterum: *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus sanctus habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus, &c.*

Quarto loco displicet nobis valde, quia tam dure & indisciplinate & immaniter de divina prædestinatione sentis & loqueris in damnatione reproborum, ut omnes illos qui ad sinistram ponendi sunt in die judicii, & cum diabolo atque angelis ejus pro malis meritis suis æterno igne damnandi, ita sint divinitus ad interitum prædestinati, ut eorum prorsus nullus aliquando potuerit, nullus possit salvus esse. Quod sentire & dicere quid est aliud, quam in Deum graviter & horribiliter blasphemare, C si illis ejus prædestinatio hanc necessitatem irrevocabiliter imposuit, ut omnino quod ad salutem suam proficeret operari non possint? Sed absit a nobis hoc recipere, ne meritum damnationis illorum Dei culpa sit, qui eos tales esse constituit, non illorum, qui aliud esse non potuerunt. Huic errori, vel potius immanissimæ impietati, resistit Scriptura dicens de illo: *Nemini mandavit impie agere, & nemini dedit spatium peccandi.* Et ipse judex vivorum & mortuorum destruit istud insanum mendacium, qui se in illo die judicii ita illis qui ad sinistram stabunt dicturum esse prædixit: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus.* Ut cur a se inse- D parabiliter discedere sint digni, cur maledicti, cur diabolo & angelis ejus in æterna pœna sociati, videlicet non ex præjudicio prædestinationis suæ, sed ex merito iniquitatis eorum, statim clarissime subjungat & ostendat dicens: *Quia esurivi, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi bibere, &c.* Ubi evidenter ostenditur, quod non propterea damnantur, quia opera salutis suæ facere non potuerunt, sed quia facere noluerunt. Unde & Psalmista de eodem justo & æterno judice dicit: *Quia tu reddes unicuique secundum opera sua.* Non ait, secundum præjudicia sua, sicut ista insana & furibunda doctrina afferere conatur, ad nihil aliud, nisi ad subversionem audientium. Cum e contrario E fides catholica firmissime teneat, nec ipsum diabolum, & angelos ejus, ad hoc umquam prædestinatos ut tales essent: sed quia tales suo vitio esse voluerunt, idcirco eis æterni ignis supplicia præparata. Omnipotens enim Deus non est auctor malorum meritorum, nec malorum hominum, nec malorum angelorum: sed ipsi sibi sunt auctores mali, quod propria voluntate gesserunt, Deus autem justus ultor & judex in his quæ ejus æquitate passuri sunt. Præscivit ergo æternaliter futura mala merita ipsorum, sed præscientia ejus non eis intulit necessitatem, ut aliud esse non possent, sed tantum prævidit quod aliud esse nollent. Prædestinavit eisdem malignis angelis, & reprobis hominibus perpetuas pœnas: non quia malignos & reprobos ipse

A eos facit, sed quia malignos & reprobos suo vitio futuros illos prævidit: & quos tales proprio vitio futuros prævidit, quid mirum si eos justo judicio suo æternis pœnis & incendiis prædestinavit, ut qui volentes peccaverunt, nolentes puniantur? Non itaque in illis prædestinavit omnipotens Deus quæ sibi erant facturi iniqua voluntate sua, sed quæ ipse de eis erat ordinaturus æquissimo judicio suo. Nulla enim prædestinavit injusta, sed tantum justa: injusta vero præscivit ut Deus futura, prædestinavit ut judex justus damnanda. Nec præscientia tamen, nec prædestinatione sua, cuiquam malorum hominum, vel angelorum, necessitatem imposuit male agendi, sed tantummodo pro malis gestis æternas pœnas luendi. Unde verissime ad eum Scriptura dicit: *Deus æterne, qui occultorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant.* Et iterum de illo: *Domino enim Deo antequam crearentur omnia fuerunt cognita: similiter & post perfectum respicit omnia.* Et alio loco: *A sæculo enim*, inquit, *usque in sæculum respicit, & nihil est novum in conspectu ejus.* Sunt quidem in malis & damnandis aliqui reputati, qui aliud esse non potuerunt: sicut illi parvuli recens nati, sub reatu originalis peccati defuncti, quibus per baptismum Christi non potuit subveniri: sicut etiam illi ignorantes Deum, qui non potuerunt invocare in quem non crediderunt, nec audire sine prædicante, nec prædicatorem habere, quia nullum ad se mitti meruerunt. Sed & in his non est iniquitas apud Deum, quia & illos traxit ad mortem originale peccatum, & istos & originale pariter & actuale. Ipso tamen ubique justo judice, qui de tota humani generis massa, ob primæ prævaricationis meritum juste damnatos, alios facit vasa misericordiæ gratuita gratia, alios permisit esse vasa iræ justo judicio. Sin autem hoc quæritur, ubi in Scripturis prædestinatio in malam partem dicatur, ipsum quidem proprie verbum tali sensu positum forsitan non facile invenitur: sensus tamen verbi manifeste in pluribus locis apparet. Sicut in primis de angelis refugis beatus Judas Apostolus dicit: *Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, carceribus caliginis damnatos tradidit in judicium cruciandos reservari.* Et de Antichristo Paullus Apostolus dicit: *Et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Et post pauca: *Quem Dominus interficiet spiritu oris sui, & destruet inlustratione adventus sui.* De Juda quoque proditore ipse Dominus, cum pro Apostolis oraret: *Et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur.* De quo etiam Apostoli, orantes pro electione successoris ejus Mathiæ, ad Dominum dicunt: *Ostende quem ex his duobus elegeris accipere locum ministerii hujus, & apostolatum, de quo prævaricatus est Judas, ut abiret in locum suum.* Tale est & illud, quod per Solomonem dicitur: *Universa propter semet ipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum.* Et quod in libro Job scriptum est: *Quia in diem perditionis servatur malus, & ad diem furoris ducitur.* Et in libro Sapientiæ de Ægyptiis: *Ducebat enim eos ad hunc finem digna necessitas.* Et apud Hieremiam de quibusdam: *Congrega eos quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos in diem occisionis.* Talibus etiam Amos propheta dicit: *Qui separati estis ad diem malum, & adpropinquatis solio iniquitatis.* Item de filiis Heli sceleſtis & sacrilegis dicitur: *Qui non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos.* Et ad Amasiam prævaricatorem & impium regem Propheta loqui-



tur : *Scio*, inquit, *quod cogitaverit Deus occidere te, quia fecisti hoc malum, & insuper quod non adquievisti consilio meo*. Sed hæc omnia ita fideliter pensanda sunt, ut in eis & malorum, sive angelorum, sive hominum, iniquitas, & Dei vindicantis incontaminabilis justitia cognoscatur. Prærordinavit atque tradidit angelos malignos in judicium cruciandos reservari : sed exigente eorum impietate, quia non servaverunt ordinem & honorem suum, quem sub Deo & cum Deo habere potuerunt. Et Judas præcognitus & prædictus est filius perditionis, sed merito impiæ proditionis abiit in locum suum, id est, sibi in pœnis destinatum & præparatum : sed quia prævaricatus est de loco ministerii & apostolatus. Ita non est mirum, si Antichristus, quia præscitus est homo peccati, præcognitus etiam & prædictus est filius perditionis. Et malus atque impius præparatus ad diem malum, servatur in diem perditionis & furoris : sed quia ipse sua sponte & malus & impius exsistet. Ducebat & Ægyptios divini judicii necessitas ad exitium & interitum præparatum : sed digna, quia pro impietatibus & contumacia eorum justa. Sic & illi, qui velut pecora æternæ morti devoti esse voluerunt, siquidem impii manibus & verbis accersierunt illam, congregantur quasi grex perditionis, & sanctificantur, id est, quodammodo separantur ad diem malum, & ad diem occisionis. Sed & impii filii Heli, & impius rex ille Amasias, indigni habiti sunt judicio Dei, qui consilium salutis suæ susciperent, & Deus illos occisioni & perditioni præparavit. Sed juste utique ob merita impietatum, quæ de illis prius Scriptura commemorat, & excæcari & interire meruerunt. Ait etiam Scriptura : *Et qui transgreditur a justitia ad peccatum, Deus præparavit illum ad romphæam*. Paravit ergo & præordinavit istiusmodi transgressorem ad romphæam, id est, ad mortem & interitum : sed juste, quia ipse ultro transgressus est a justitia ad peccatum. Juxta hunc igitur divinæ auctoritatis sensum, omnipotens Deus justo judicio suo prædestinat pœnas malis, prædestinat malos pœnis, nullum tamen prædestinat ut fit malus : quia non malorum, sed bonorum auctor est bonus, & malorum gestorum ultor est justus, & si mala gerentes ad eum convertantur, indultor pius. Sciendum tamen, quod prædestinationis verbum in malam partem, sicut in Scripturis minus est usitatum, ita & a doctoribus rarius est usurpatum : & ob hoc nequaquam magnopere de eo certandum.

Quinto loco non minus detestamur, & horremus, quod ita exarsisti adversus eos qui æterno interitu sunt digni, ut dixeris eos tam irrevocabiliter & incommutabiliter perditioni esse prædestinatos, sicut Deus ipse incommutabilis & inconvertibilis est, & Episcopos, ad quos scribis, quasi misericorditer adhortaris, ut hoc prædicent populis, ut quia jam præfinitam damnationem evadere non possunt, saltim aliquantulum Deo supplicent & humilientur, ut statutum eis vel modicum mitiget & leviget pœnas. Obsecro, ubi hæc umquam in Scripturis sacris legisti? ubi in sanctis & catholicis Ecclesiæ doctoribus invenisti? Cur non similiter diabolum & angelos ejus exhortaris, ut quia statutam damnationem evadere non potuerunt, jam nunc interim orent & deprecentur Dominum, ut eis mitiores & tolerabiliores fiant æternæ pœnæ? aut quid amplius istis relinquis, quos similiter irrevocabili sententia damnatos asseris? Huic tam atroci impietati contradicit Ecclesiæ fides, quæ diabolum cum angelis suis credit inremediabiliter corruisse : hominibus vero, etiam impiis, si recognoscant peccata sua, si defleant, si confiteantur, si divinam misericordiam implorent, indubitanter januam indulgentiæ aperiri. Sic enim Propheta docet & exhortatur dicens : *Quærite Dominum, dum inveniri potest ; invocate eum, dum prope est. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum*. Et iterum : *Quis ambulabit in tenebris, & non est lumen ei? speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum*. Et ipse Dominus per se : *Convertimini ad me, & convertar ad vos, dicit Dominus exercituum*. Et alio loco : *Revertimini filii revertentes, & sanabo aversiones vestras*. Et iterum : *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua*. Ista est fides & pietas Ecclesiæ : quia diabolum novit in malis suis sine pœnitentia permansurum, nec ullam indulgentiam accepturum : & hominibus ad Deum conversis per ineffabilem ejus bonitatem, & pœnitentiæ remedium concedi, & salutis aditum non negari. Oro, quid tibi peccavit humanum genus? quid tibi peccavit Ecclesia? quid in ipsa Ecclesia tot proximi & fratres tui, ut eis tam magnam, tam patentem januam pietatis Dei obstruere & obserare coneris? Quis umquam fidelis ecclesiasticus vir ita prædicavit, ut hæc tam attente & obstinate inculcare & confirmare non erubescas? Vere non est Christiana, sed pagana, immo diabolica ista duritia : quam si bene cogitare & cognoscere posses, profecto signares cor tuum, & manum tuam poneres super os tuum. Legimus quidem in Evangelio, beatum Joannem Evangelistam de Judæis dixisse : *Propterea non poterant credere, quia dixit Esaias, Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum*. Sed sicut beatus Augustinus in quinquagesimo ejusdem Evangelistæ tractatu fideliter & catholice exponit, „ Sic dictum est, *non poterant*, ubi intelligendum est quod nolebant, quemadmodum dictum est de Domino Deo nostro, *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest*. De omnipotente dictum est, *non potest*. Sicut ergo quod Dominus negare seipsum non potest, laus est voluntatis divinæ : ita quod illi non poterant credere, culpa est voluntatis humanæ. „ Non quia mutari homines in melius non possunt, sed quamdiu superba sapiunt, non possunt credere. Hoc de Judæis, qui excæcati & indurati sunt, Deus præscivit, atque in ejus spiritu Propheta dixit. Non ergo poterant credere, juxta sensum fidelissimi doctoris, quia hanc eorum futuram impossibilitatem, id est, superbam impietatem, per quam Domini humilitatem contemserunt, & Deus vere prævidit, & per Dei spiritum Propheta vere prædixit. Claudamus itaque aures adversus hanc inauditam duritiam, & verba præcipitationis, & audiamus præfactum doctorem dulciter orantem, & dulciter disputantem adversus profanæ inaniloquia vanitatis. „ [1] Quosdam, *inquit*, „ nimia suæ voluntatis fiducia extulit in superbiam, „ & quosdam nimiæ suæ voluntatis diffidentia dejecit in negligentiam. Illi dicunt, Ut quid rogamus Deum ne vincamur tentatione, quod in nostra est potestate? Isti dicunt, Ut quid conamur bene vivere, quod in Dei est potestate? O Domine! o pater qui es in cælis! ne nos inferas in quamlibet istarum tentationum, sed libera nos a malo. Audiamus Dominum dicentem : *Rogavi*

1. Tract. LIII. in Joan.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 851.

„ *pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*: ne sic „ existimemus fidem nostram esse in libero arbi- „ trio, ut divino non egeat adjutorio. Audiamus „ & Evangelistam dicentem: *Dedit eis potesta-* „ *tem filios Dei fieri*: ne omnino existimemus in „ nostra potestate non esse quod credimus. Ve- „ rumtamen in utroque illius beneficia cognosca- „ mus. Nam & agendæ sunt gratiæ, quia data „ est potestas, & orandum, ne succumbat infir- „ mitas. „

Sexto loco similiter detestati sumus, quod Deum, & sanctos ejus, in perditione eorum, quos æternæ damnationi prædestinatos assidue repetis, dicis exsultaturos & gravisuros: cum e contrario apertissime Scriptura dicat: *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum*. Et alio loco: *Vivo ego dicit Dominus Deus, quia nolo mortem impii, sed ut convertatur & vivat*. Et iterum: *Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non magis ut convertatur a via sua mala, & vivat?* Quomodo ergo lætatur in morte & in damnatione impii, cum ipse jurat non esse voluntatis suæ? aut quomodo gaudet ad ruinam cujusquam, qui ut nullius bono, ita etiam nullius malo indiget, ut quasi potentior vel beatior fiat? Protulisti quidem, velut ad muniendum sensum tuum, testimonia de Scripturis, sed incongruenter, & non eo sensu quo ibi posita sunt. Velut est illud: *Ego quoque in interitu vestro videbo, in subsannabo*. Et illud, quod non de generali perditione impiorum, ut tu posuisti, sed proprie de miseria & calamitate infidelium Judæorum in Deuteronomio dicitur: *Et sicut lætatus est Dominus super vos, benefaciens vobis, vosque multiplicans; sic lætabitur disperdens vos, atque subvertens*. Sed grandi & pia consideratione indiget, ut qualitercumque cogitetur risus & subsannatio Dei in interitu perditorum, & lætitia sive exsultatio, non solum in profectu rectorum, sed etiam in subversione pravorum, qui, ut supra ostensum est, in nullius morte, in nullius perditione lætatur, nec aliquem perire velle se jurat: quia nullius interitum velut inimicus creaturæ suæ desiderat, sed in eis qui pereunt, tantummodo finem malitiæ, & ordinem ac retributionem justitiæ diligit. Sic itaque in interitu impiorum & iniquorum ridebit & subsannabit, cum eorum superbiam & contentum digna punitione humilians atque condemnans, omnem creaturæ vanitatem, & elationem adversus creatorem, irrisione & subsannatione dignam esse monstrabit. Unde & divina eadem verba posita sunt, ut non diceret, de interitu vestro: scilicet non pro illo, sed in illo; id est, non pro illis qui sua culpa perierunt, sed quia in eorum justa perditione, in contemplatione rationalis & beatæ creaturæ, laus accrescet & gloria creatoris, exsultante omni electa creatura, non in tormentis miserorum, sed in æquitate & veritate judiciorum divinorum. Quod etiam in præsenti sæculo animabus sanctorum conceditur, dicente Psalmista: *Exsultaverunt filiæ Judæ propter judicia tua Domine*. Non ergo propter perditionem cujusquam, sed propter divinæ æquitatis justitiam. Hoc sensu accipi potest & illud: *Lætabitur justus cum viderit vindictam*. Et illud in Salomone: *Et in perditione impiorum erit laudatio*. Lætatur autem omnipotens Deus, vel benefaciens justis, vel mala retribuens pravis. Non quod ipse diversa affectatione mutetur, atque varietur, cujus gaudere, sicut & esse, æternum atque incommutabile est, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Sed sicut spiritus patris dicitur loqui in eis quos loquentes facit, quos ad testificationem veritatis instruit & informat: qui etiam postulare pro sanctis, & gemere ac desiderare dicitur, quia eis quos repleverit affectum postulandi & gemendi & desiderandi inspirat. Ita & ipse lætatur in sanctis in quibus habitare dignatur, quia eos proculdubio lætantes facit, sive in donis gratiæ quæ largitur piis; sive in judiciis & æquitatibus, quibus impios punit. Pro quibus etsi humano affectu, sicut Apostolus dicit de se, tamquam homines contristantur: tamen divino spiritu regente atque inlustrante, justa Dei judicia laudare & glorificare non cessant. Cum igitur tam magna & ineffabiliter majori cautela, ut aliquatenus intelligi possint, divina verba indigeant, non facile a quoquam proferenda sunt velut pro se, ne forsitan bene tractata inveniantur contra se.

Septimo loco, duo prorsus gravia mala in tuis nobis moribus plurimum displicuerunt. Unum quod sacerdotes Dei, & rectores Ecclesiarum, tantis injuriis & conviciis & maledictis laceras, tanto dispectu & contumacia conculcas, utique spiritu erroris & superbiæ miserabiliter deceptus, ut omnino nihil Christianæ patientiæ, nihil Christianæ reverentiæ habere videaris. Nam inter cetera, omnes qui insaniæ sensuum tuorum zelo fidei resistunt, hæreticos appellare non metuis, eosque a bono & erudito viro atque catholico Episcopo Rhabanicos nuncupare præsumis. Nec times Deum, quod in tales & tantos diaboli laqueos, per vanam instabilitatem mentis & corporis, & vaniorem curiositatem atque arrogantiam incidisti. Nec erubescis, quod in tot erroribus & mendaciis ab omnibus ubique deprehenderis & confutaris. Nec doles, quod ecce tot annis a corpore Ecclesiæ justæ severitatis damnatione præcisus, atque omni bonorum contubernio ac solatio defraudatus, remansisti velut stirps inutilis, & palmes aridus igni destinatus. Sed adhuc insuper os tuum maledictione & amaritudine plenum est: & conversus in arcum pravum, non pro Domino, ut putas, sed Ecclesiam matrem tuam, ejusque Præsules patres tuos, sacrilega audacia contemnens, adversus Dominum jacularis. Alterum vero malum est in moribus tuis, quod in omnibus quæ dicis & sentis, sicut scriptura tua declarat, nullum omnino, hominum more bonorum, pie & humiliter deprecaris, nullius te sensui & auctoritati summittis, nec dicis, quod sæpe solet & debet pietas dicere, Obsecro bone vir, aut bone frater, si in his quæ dico aliquatenus erro, ferto infirmitatem meam, instruito ignorantiam meam, & probabis obedientiam meam; quia paratus ero libenter suscipere quicquid veritas dignabitur declarare. Sed ita te sensui tuo credis, & in ipsa veritate speculari & contemplari gloriaris, ut in scriptis tuis nec Deo ipsi supplices, ut tibi quod melius est revelet. Quapropter multum fraternitatem tuam exhortor & moneo; & paterna pietate ac fraterna caritate persuadeo, ut revertaris in temet ipsum, convertaris ad cor tuum, & excutias procul a te istum errorem vanum, & laborem infructuosum ac perniciosum, restituasque te sanctæ matri Ecclesiæ, restituas te obedientiæ Domini sacerdotum & patrum tuorum, restituas te fraternæ omnium caritati. Ut qui modo jaces tamquam vas perditum, cooperante Dei gratia, efficiaris in domo ejus vas utile, ad omne opus bonum paratum. Nec terrearis consideratione, vel erroris quem incurristi, vel injuriarum, quas in Dei sacerdotes intulisti, ne ex hoc velut implacabiles patiaris. Omnes deprecabimur pro te, & ipsi ultro propter amorem Christi obliviscentur se, eruntque apud omnes & præterita errata in oblivionem, & præsens



conversionis tuæ bonum in gaudium & exsultationem. Tantum ne dubites, nec remoreris, sed eruere quasi damula de manu, & quasi avis de insidiis aucupis, ne in tali damnatione repentina morte præventus, Ecclesiæ matri, cui nunc mærorem facis assiduum, luctum, quod absit, derelinquas perpetuum. Crede indubitanter, quia hæc ex vera & sincera erga te caritate & solo amore salutis tuæ loquor. Nec omnino æstimes, quod quædam superius, velut durius & austerius prosecutus sum, ad confusionem vel condemnationem tuam prolata. Sed scito certissime, quia ad hoc tantum dicta sunt, ut ea coram oculis ponerem tamquam in speculo veraciter dijudicanda, & adjuvante Dei gratia, quantocius & studiosius emendanda. Siquidem, ut bene ipse nosti, meliora sunt vulnera amici, quam fraudulenta oscula inimici. Ad extremum, breviter tuæ intimo caritati, gestum esse intra Gallias, temporibus pene beati papæ Leonis, A sive Agapiti, Concilium venerabile, & Ecclesiæ Dei valde utile, a pluribus Episcopis, quibus præfuit admirandæ sanctitatis, & virtutum ac miraculorum, beatus Cæsarius Arelatensis Episcopus: ubi diligenter de gratia Dei & libero hominis arbitrio, de præscientia & prædestinatione divina constat esse definitum, qualiter moderatissima ratione sentiendum, tenendum, & docendum sit. Unde heic ad commonitionem prudentiæ tuæ paucissima verba subnecto, quibus ajunt, „ Hoc etiam secundum „ fidem catholicam credimus, quod post acceptam „ baptismi gratiam, omnes baptizati, Christo au- „ xiliante & cooperante, quæ ad salutem animæ „ pertinent, possint & debeant, si fideliter labo- B „ rare voluerint, adimplere. Aliquos vero ad ma- „ lum divina potestate prædestinatos non solum „ non credimus, sed etiam, si sint qui tantum „ mali credere velint, cum omni detestatione il- „ lis anathema dicimus. „

OPUSCULA DUO

EJUSDEM ARGUMENTI,

AMULONIS AD GOTHESCALCUM


Epistolæ adjuncta in Codice Trevirensi.

OPUSCULUM I.

Responsio ad interrogationem cujusdam de Præscientia vel Prædestinatione divina, & de libero arbitrio.

OMnipotens Deus, quia verissime verus & solus Deus est, omnino in sua æterna & incommutabili scientia præscivit omnia antequam fierent, sicut Scriptura testatur, dicens: *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant.* Præscivit ergo sine dubio, & bona quæ boni erant facturi, & mala quæ mali erant gesturi. Sed in bonis ipse fecit sua gratia ut boni essent: in malis vero, non ipse fecit ut essent mali, quod absit: sed tantum præscivit eos proprio vitio tales futuros. Neque enim præscientia Dei imposuit eis necessitatem, ut aliud esse non possent, sed tantum quod illi futuri erant ex propria voluntate, ille ut Deus prævidit ex sua omnipotenti majestate. Unde Scriptura incontaminabilem D justitiam ejus nobis insinuans, ait de illo: *Nemini mandavit impie agere, & nemini dedit spatium peccandi.* Quod ergo impie agunt impii & iniqui, & spatium temporis vitæ hujus, quod eis dedit Deus ab bene agendum, ipsi e contrario convertunt ad malum exercendum, non Dei sed ipsorum est culpa, & ideo recte damnantur ipsius justitia. Præscivit autem idem omnipotens Deus etiam æternam illorum damnationem, sed ex merito ipsorum, quos in propria malitia perseveraturos prævidit, non ex sua, quod absit, iniquitate, qui nihil injuste constituit, & qui reddit unicuique secundum opera sua, id est, & bene agentibus bona æterna, & male agentibus mala perpetua. Ergo bonos præscivit omnino, & per gratiam suam bonos futu- C ros, & per eamdem gratiam æterna præmia accepturos, id est, & in præsenti seculo bene victuros, & in futuro feliciter remunerandos. Utrumque tamen ex dono misericordiæ Dei. Unde Apostolus vasa misericordiæ eos appellat dicens: *Ut ostenderet divitias gratiæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* E contrario autem malos, & præscivit per propriam malitiam malos futuros, & præscivit per suam justitiam æterna ultione damnandos. Sicut præsciebat de Juda proditore quod eum esset traditurus, sicut Evangelium dicit: *Cum esset unus de duodecim.* Præsciebat etiam æternam ejus damnationem, cum diceret: *Væ homini illi per quem filius hominis tradetur! Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Sic & de impiis Judæis, præsciebat sine dubio eorum impietatem futuram, de qua prædixit in psalmo: *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.* Præsciebat & subsequentem ipsorum damnationem, de qua in eodem psalmo subjunxit: *Deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur.* Sed in his, & in omnibus iniquis, illud prius ex propria est pravitate, istud sequens ex divina æquitate. Hoc modo & de prædestinatione Dei omnino sentiendum est quia in bonis prædestinavit, & ipsam eorum bonitatem futuram ex dono gratiæ suæ, & pro eadem bonitate æternam ipsorum remunerationem, ut ipsius dono fierent boni, ipsius dono essent remunerati. Unde ait Apostolus: *Qui prædestinavit nos in adoptionem fi-*

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 851.



liorum per Jesum Christum in ipsum. Et alio loco : A *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui*. Prædestinavit utique electos suos, ut & nunc assumerentur in adoptionem filiorum Dei per gratiam baptismi, & in futuro efficiantur conformes imaginis filii Dei, per eamdem Dei gratiam secundum imaginem ejus renovati & glorificati. Prædestinavit omnino, ut & hi essent boni, non ex se, sed ex illo, & illi beati, non per se, sed per illum. In utroque ergo bona sua in eis & de eis futura præscivit & prædestinavit. In malis vero & impiis, non prædestinavit omnipotens Deus malitiam & impietatem, id est, ut mali & impii essent, & aliud esse non possent: sed quos præscivit & prævidit malos atque impios futuros proprio B vitio, ipse eos prædestinavit ad æternam damnationem justo judicio. Non quia aliud esse non potuerunt, sed quia aliud esse noluerunt. Ipsi igitur sibimet ipsis exstiterunt caussa perditionis: Deus autem justus judex & ordinator justus ipsius damnationis. Non enim prædestinavit injusta, sed justa. Prædestinat tamen & coronas justis, & pœnas injustis, quia utrumque est justum. Quam justitiam ejus commendans nobis Apostolus, ait: *Numquid iniquus Deus, qui infert iram? absit*. Et quia modo omnibus prærogat patientiam, ut convertantur ad pœnitentiam, & qui pereunt, suo contemtu & duritia pereunt, quia tantam Dei patientiam contemserunt, iterum alio loco dicit: *An divitias bo-* C *nitatis & patientiæ & longanimitatis ejus contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Secundum duritiam autem suam, & cor impœnitens, thesaurizat sibi iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua. Hinc etiam alia Scriptura testatur, dicens: *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum: impii autem manibus & verbis accersierunt illam, & æstimantes amicam deflexerunt & sponsiones posuerunt ad illam, quoniam digni sunt qui sint ex parte illius*. Non ergo omnipotens Deus ulli hominum caussa mortis vel perditionis exsistit; sed ipsam mortem & perditionem manibus & verbis ipsi impii sibi accer- D sunt, dum nequiter operando, & nequius aliis suadendo, & sibi & illis damnationem adducunt; dum viam iniquitatis & perditionis amantes, a recto itinere deflectunt, & ad perpetuam damnationem, tamquam datis inter se dextris, pari consensu nequitiæ, quasi ex voto & sponsione festinant, fœderati mortis, & vitæ æternæ inimici: ipsi secundum duritiam suam, & cor impœnitens, thesaurizant sibi iram in die iræ. In qua die justi judicii Dei, quia unusquisque secundum opera sua recipit, nemo ex Dei præjudicio, sed ex merito propriæ iniquitatis, condemnatur. Non enim ille aliquem prædestinavit ut malus esset, sed vere omnem malum prædestinavit ut impunitus non esset. Quia E & unaquæque lex justa crimen non jubet, ne sit injusta, & tamen criminosum punit, ut vere sit justa. Qui ergo dicit, quod hi qui pereunt prædestinati sunt ad perditionem, & ideo aliter evenire non potest; similiter quoque & de justis, tamquam & ipsi ideo salventur, quia prædestinati ad salutem aliud esse non potuerunt. Qui ergo hæc tam confuse & insulse, & illis tollit meritum damnationis, & istis meritum salutis: ac per hoc quid aliud agit, nisi ut & pereuntibus secundum illum sit imposita necessitas perditionis, & his qui salvantur, sit imposita necessitas salutis? atque ideo nec illi juste damnentur, qui justi esse non potuerunt, nec isti juste remunerentur, qui aliud quam justi esse nequiverunt, ut in utraque parte & perditio & salus non sit ex judicio propriæ actionis, sed ex præjudicio divinæ prærordinationis? Et ubi erit illud: *Qui reddet unicuique secundum opera sua?* Et iterum: *Numquid iniquus Deus qui infert iram? absit*. Aperte namque caussa perditionis illorum qui pereunt in Deum refertur, si ipse eos ita ad interitum prædestinavit, ut aliud esse non possent. Quod sentire vel dicere horribilis blasphemia est. Sed Ecclesiæ catholicæ fides, cujus filii & sectatores esse debemus, ita nobis firmissime tenendum insinuat, ut superius juxta Scripturæ sanctæ auctoritatem breviter designavimus. Videlicet omnipotentem Deum, in malis ipsorum malitiam præscisse, quia ex ipsis est, non prædestinasse, quia ex illo non est: pœnam vero illorum & præscisse, quia Deus est, & prædestinasse quia justus est: ut & in illis sit meritum suæ damnationis, & in illo potestas & judicium justæ damnationis. Non enim prædestinat Deus, nisi quæ ipse facturus est: præscit vero multa quæ ipse facturus non est, sicut omnia mala, quæ utique mali faciunt, non ille. Ipsos quoque malos non ideo perire, quia boni esse non potuerunt: sed quia boni esse noluerunt, & suo vitio vasa iræ apta in interitum perseveraverunt, & in massa damnationis, vel originali, vel actuali merito permanserunt. In bonis autem, omnipotens Deus, sicut supra satis ostensum est, utrumque præscivit & prædestinavit, ut & in præsenti vita per suam gratiam exsisterent boni, & in futura etiam beati. Utriusque enim boni eorum, id est, præsentis & futuri, ipse est auctor, & idcirco sine dubio utriusque præcognitor & prædestinator. Quare & ipsi ex seipsis non solum aliud esse potuerunt, sed etiam aliud fuerunt antequam per eum, qui justificat impium, ex impiis justi efficerentur. Sive autem in illis qui salvantur, sive in illis qui pereunt, voluntas propria remuneratur, voluntas propria damnatur. Sed in illis, quia per gratiam Domini Salvatoris est sanata, ut ex mala & prava fieret bona & recta, est proculdubio dignissime coronata: in istis autem, quia non adquiescit per Salvatorem recipere sanitatem, justissime per eumdem judicem sentiet perpetuam damnationem. Et hoc est breviter totum, quod de libero arbitrio juxta veritatem catholicæ fidei est tenendum. Quod scilicet omnem hominem liberi arbitrii condiderit Deus. Sed quia per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt: ita istud liberum arbitrium, in universo genere humano, illius prævaricationis merito, vitiatum & corruptum, ita obcæcatum est & infirmatum, ut sufficiat homini ad male agendum, id est, ad ruinam iniquitatis, & ad hoc solum possit esse liberum: ad bene vero agendum, id est, ad exercitium virtutis, & fructum boni operis, nullo modo assurgat & convalescat, nisi per fidem unius mediatoris Dei & hominum hominis Christi Jesu, & donum Spiritus sancti instauretur, inluminetur, atque sanetur: sicut ipse Salvator in Evangelio promittit, dicens: *Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis*. Et Apostolus ait: *Ubi spiritus Domini, ibi libertas*. Ut per hanc gratiam Christi, & spiritus Christi, humanum liberum arbitrium inluminatum, atque sanatum, dicat gratulans illud Psalmistæ: *Dominus inluminatio mea & salus mea, quem timebo?* Qui igitur hanc gratiam libertatis accipere desiderat, ut ad bene & pie vivendum veraciter liber fiat, non de suis viribus præsumat, sed illi se fideliter sanandum corroborandumque

committat, de quo idem Psalmista dicit: *Apud Dominum gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet:* illumque oret, atque supplicet dicens: *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, & non domi-* A *netur mei omnis injustitia.* Et iterum: *Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua:* & cetera similia.

OPUSCULUM II.

De gratia & præscientia Dei, deque prædestinatione & libero arbitrio, de spe item ac fiducia salutis, & de sententia sancti Augustini.

Opusculum hoc in veteri codice Amolonis Epistolam subsequitur, sine titulo, & ut apparet, sine principio.


GRatiam itaque Dei credere debemus, qua humanum genus, nullis suis bonis meritis præcedentibus, sola Dei gratuita bonitate & misericordia salvatur per unum mediatorem Dei & hominum Jesum Christum. Quam gratiam commendat ipse Dominus in Evangelio dicens: *Venit enim filius hominis quærere & salvum facere quod perierat.* Hanc & Apostolus prædicat dicens: *Ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.* Et alibi: *Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo.* Hanc significat gratiam, ubi dicit fidelibus: *Gratia salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis. Dei enim donum est.* Id est, utrumque, & quod salvi facti estis, & quod per fidem salvati: & salus vestra, & fides vestra. Per hanc gratiam, id est, gratuitum donum suum, trahit Deus pater quos vult ad filium suum. Trahit autem, non necessitate, sed delectabili voluntate & amore: sicut ipse filius dixit: *Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum.* Trahit eosdem & ipse filius ad se, sicut ipse dicit: *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Hanc accipiunt in baptismo regenerati parvuli & majores, & quotidie fideles in omni cogitatu, & opere, & sermone bono. Exhortatur videlicet, quod bonum est inspirando: confirmat vero, quod inspiraverit conservando. Nullum est enim hominis bonum, quod non sit Dei donum. Per hanc gratiam nobis etiam quotidiana peccata humiliter confitentibus & supplicantibus remittuntur, testante beato Joanne Apostolo, & dicente: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata, & emundet nos ab omni iniquitate.*

Præscientiam quoque Dei credere debemus, qua omnia in æterna scientia sua præscivit, & præcognita ei sunt quæcumque futura sunt: non solum bona, quæ ipse facit & remunerat in suis, sed etiam mala quæ ipse non facit, sed tantum judicat & damnat in alienis. Unde & Scriptura dicit: *Qui nosti omnia antequam fiant.* Ita namque in illa æterna præscientia, ei æternaliter & incommutabiliter omnia præcognita sunt, sicut omnino futura sunt. Et quia verissime & certissime præscivit, omnino ita erunt, sicut ea præscivit. De qua præscientia ejus Apostolus dicit: *Nam quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui.* Præscivit credituros & non credituros: præscivit in fide perseveraturos, & non perseveraturos: præscivit in vita æterna futuros, & in igne æterno arsuros. Præscivit ergo & certum numerum sanctorum suorum. Unde mystice in psalmo canitur: *Qui* B *numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Et Apostolus: *Novit Dominus qui sunt ejus.*

Debemus etiam credere prædestinationem & electionem sanctorum: quia eos, quos præscivit sua gratia salvandos & liberandos, prædestinavit, id est, præordinavit, & elegit, id est, a massa perditionis & societate reproborum discrevit, ut ejus gratia fierent vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. Non itaque idcirco eos prædestinavit & elegit, quia præscivit eos ex semet ipsis justos futuros: sed potius ad hoc eos præscivit & prædestinavit, ut eos gratis sua gratia justificaret. Quod totum ita Apostolus testatur dicens: *Nam quos præ-* C *scivit & prædestinavit*, &c. Hoc itaque eis præstitit præscientia & prædestinatio Dei, ut fierent quod non erant, id est, ut fierent conformes imaginis filii sui, & vocarentur vocatione non solius vocis exterius, sed & gratiæ inspirantis & adjuvantis interius. Hæc prædestinatio Dei appellatur nonnumquam propositum Dei, sicut ait Apostolus: *Scimus enim, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt sancti.* De hoc proposito & gratia, ante mundi constitutionem, ante tempora æterna sanctis promissa & donata, iterum dicit: *In spem vitæ æternæ, quam promisit qui non mentitur Deus ante tempora sæcularia, manifestavit autem temporibus* D *suis verbum suum.* Et alibi: *Secundum virtutem Dei, qui nos liberavit, & vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu, ante tempora secularia, manifestata est autem nunc, per inluminationem Salvatoris nostri Jesu Christi.* De qua vocatione dictum est: *Sine pœnitentia enim sunt*, id est, sine mutatione, *dona & vocatio Dei.* Oportet itaque ut credamus, ipsum bonum perseverantiæ sanctorum, non solum donum, sed etiam magnum & præcipue necessarium Dei donum. Quid enim prodest in his bonis esse cœpisse, & ea ante finem vitæ vel in finem perdidisse?

E Oportet etiam ut credamus, liberum & rectum voluntatis arbitrium, ab initio homini a Deo naturaliter insitum, ita primæ prævaricationis merito esse vitiatum, infirmatum & depravatum, ut ad amorem veritatis & justitiæ assurgere non possit, nisi per donum Christi fuerit excitatum, sanatum, ac vegetatum, & a suæ pravitatis vitio liberatum. Hinc enim Scriptura dicit: *Creavit Deus hominem rectum & ipse se infinitis miscuit quæstionibus.* Et post hunc humanæ depravationis lapsum quod subjectum sit, eadem Scriptura sic dicit: *Sensus enim*

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 851.



& cogitatio humani cordis prona est ad malum. A Hunc itaque liberi arbitrii languorem, quo sensus hominis & cogitatio, ex vitio damnatæ originis, prona & intenta est ad malum, & ipsum liberum arbitrium tenetur captivum, solus ille sanat medicus, solus ille liberat, & reddit liberum liberator, qui de seipso ait: *Non est opus sanis medicus, sed male habentibus.* Et iterum: *Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.* Ipse liberum arbitrium reddit sua gratia liberatum: ut sicut erat pronum & promtum ad malum, multo attentius & delectabilius efficiatur pronum & promtum ad bonum. De qua libertate Apostolus ait: *Ubi autem spiritus Domini, ibi libertas.*

Hæc igitur gratia, & præscientia, & prædestinatio, & electio, & vocatio, sed & liberi arbitrii dejectio & instauratio, tam clare adnuntiata in Scripturis, fidelissime & firmissime debent teneri a nobis. Quæ non ad hoc adnuntiantur, ut hominem fidelem ab spe & fiducia salutis dejiciant, aut frangant: sed ut humiliata omni humana superbia, & omni de suis viribus præsumtione deposita, subjiciat se unusquisque & commendet fideliter Deo regendum, & ejus virtute protegendum, ejus bonitate juvandum, ejus gratia conservandum & perficiendum, quæ nulla est alia, nisi misericordia & benignitas redemtoris, cujus morte vivificamur, cujus sanguine redimimur, cujus justitia absolvimur, cujus cruce salvamur, ut fiat in nobis, non ad desperationem, sed ad salutem, quod Apostolus ait dicens: *Sed ipsi in nobis ipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui vivificat mortuos.* Et alio loco: *Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est sapientia nobis a Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemtio.* Quatenus totum ipse nobis sit, & nos toti ejus simus, non ex parte de nobis, & ex parte de illo fidentes, & unusquisque nostrum dicat ei fideliter cum Psalmista: *Tuus sum ego, salvum me fac.* Quid est enim, quod ita se quodammodo familiarius Deo commendandum putavit, ut diceret, *Tuus sum ego?* nisi intelligi volens, quod malo suo suus esse voluerit, quod est inobedientiæ primum & maximum malum. Ideo tamquam dicens, Meus esse volui, & perditum me feci, *Tuus sum*, inquit, *salvum me fac*. Constanter utique fidelis quisque Christo crede, eique te totum committe, quantum potest. Noli velle esse quasi proprius, & in tua potestate, sed ejus clementissimi & utilissimi domini te servum esse profitere. Ita enim te ad se sublevare non desinet, nihilque tibi evenire permittet, nisi quod tibi profit, etiamsi nescias. Ipsa est namque Dei sapientia, quæ loquitur & admonet dicens: [a] *Ego mater pulcræ dilectionis & timoris, & agnitionis & sanctæ spei: in me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & a generationibus meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, & hereditas mea super mel & favum. Qui audit me non confundetur, & qui operantur in me non peccabunt.* Pro hac vir sapiens orat dicens: *Mitte illam de sanctis cælis tuis, & a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, & mecum laboret, & sciam quid acceptum sit apud te.*

Neque contrarium putari debet, quod in dictis sancti Augustini, forsitan & aliorum catholicorum doctorum, aliquotiens inveniri solet, impios quoque ad æternam damnationem, sive ad æternum interitum prædestinatos. Quia omnipotens Deus, quos in peccato suo, sive originali, sive etiam actuali, atque in impietate prævidit esse perituros, non eos sua divina potestate, quasi præjudicando, prædestinavit ad malum, ut eos velut ipsa prædestinatione cogeret malos esse, atque ad æterna mala toleranda pervenire: sed quos vel ex juste in B Adam damnata origine, vel etiam propria impietate, perpetuæ damnationis reos futuros esse præscivit, justo eos judicio, tamquam omnium præscius, ad æternum interitum præordinavit, & præordinando utique prædestinavit. Sed jam audiamus beatum Augustinum, quomodo & ipse, post Apostolum præcipuus prædestinationis & gratiæ prædicator, hortetur fideles ad studia pietatis, & instantiam orationis, ut mereantur accipere præmium vocationis. [1] *O si cor esset*, inquit, *qualitercumque suspirans in illam ineffabilem gloriam! o si peregrinationem nostram in gemitu sentiremus, & sæculum non amaremus, & ad eum qui nos vocavit pia mente perpetuo pulsaremus! Desiderium sinus cordis est: ca-* C *piemus, si desiderium quantum possumus extendamus. Hoc nobiscum ait & scriptura divina, hoc congregatio populorum, hoc celebratio sacramentorum, hoc baptismus sanctus, hoc cantica laudis Dei, hoc ista nostra disputatio, ut hoc desiderium non solum seminetur & germinet, verum etiam in modum tantæ capacitatis augeatur, ut idoneum sit sumere, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Sed amate mecum. Non multum amat nummum, qui amat Deum. Et ego palpavi infirmitatem. Non sum ausus dicere, non amat nummum, sed non multum amat nummum: quasi amandus sit nummus, sed non multum. O si Deum digne amemus! nummos omnino non amabimus.* D *Erit tibi nummus instrumentum peregrinationis, non irritamentum cupiditatis: quo utaris ad necessitatem: non quo fruaris ad delectationem. Deum ama, si aliquid in te egit quod audis & laudas. Utere mundo, non te capiat mundus. Quod intrasti, iter agis. Exiturus venisti, non remansurus. Iter agis, stabulum est hæc vita. Utere nummo, quomodo viator in stabulo utitur mensa, calice, urceo, lectulo, dimissurus, non permansurus. Si tales fueritis, erigite cor qui potestis, & audite me. Si tales fueritis, ad ejus promissa venietis. Non enim multum est ad vos, quia magna est manus ejus qui vos vocavit. Vocavit, invocetur. Dicatur illi: Vocasti nos, invocamus te. Ecce audivimus vocantem: audi in-* E *vocantes. Perduc quo promisisti, perfice quod inchoasti. Noli deserere munera tua, noli deserere agrum tuum. Germina tua intrent in horreum. Abundant tentationes in mundo, sed major est qui fecit mundum. Abundant tentationes, sed non deficit, qui in illo spem ponit: in quo defectus nullus est.*

a Eccli. XXIV. 24. seqq.

1. Tract. XL. in Joan. in fine.

Sæcul. IX.
circa
Ann. Chr.
855.



EPISTOLA AUDRADI EPISCOPI AD HINCMARUM.

Nobilis ingenii linguam facunde poeta, A
Cælitus esse tibi dulci modulamine pandis,
Dum flagrans animo, virtutum pascua lustras,
Dum salientis aquæ perfundis lumina rore.
Ocius hinc lectæ Lauri succedis & umbræ
Pallentis hederæ, necnon & pinguis olivæ:
Dans miro nexam capiti de fonte coronam.
Denique quos dudum sitientes ire per agros
Cernebas miseros, studio florente monebas,
Ut (fontis vitæ) clarissima cernere templa
Irent, & votis peterent sibi dona salutis.
Me quoque jamdudum carum quem ducis amicum,
Talibus Audradum dictis Hincmare monebas:
Ut viva felix, monitis nunc utere nostris, B
Rumpe moras, cursu properans quo mœnia cernis.
Fons ibi de medio sedis diverberat auras,
Et mihi largitur vivos haurire sapores,
Atque tibi faciam præcedens, limina pandi.

Fictio poetica Audradi episcopi.

Credulus his equidem dictis festinus amici
Explorare locum, cernens sed culmina veni.
Sive fides horret dictu, seu fictio fratris
Fama mox facili sancto me clausit ab Imbri.
Vertex cum subito paret de margine bino
Sacrarum tereti fontem circumdare saxo,
Si foret emensus, septem bis redderet ulnas
Candida septeni species fulgebat in ulnis, C
Ac totidem mixtas nebulis obduxerat Eurus.
Illic dum frustra duodenis atteror horis,
Tuque domi placidis celares tempora ramis,
Incusare fidem cœpi fallacis amici;
Nec desunt lacrymæ, cur te præcedere sivi.
Occiduis quoque surgebant jam partibus umbræ,
Vesper & hesperias ornabat lampade terras.
Cum fletu victos oculos per mœnia volvo,
Vocibus his Dominum, votis iterumque reposcens.
O, quicumque loci custos rectorque videris,
O dignare sitim misero restinguere tantam!
Mox de sede sacra vox est allata per auras:
Sum rerum custos, sum vivi fontis origo, D
Sed sine vase suos mortalibus abnegat haustus:
Sit cui cognoscas talis compacta figura,
Scilicet ut calamis septenis surgat ab imo,
Erigat & summum distinguens ausa cacumen,
Ora quidem totidem colli de vertice flagrant.
O quam gratisonis celebrabat talia verbis!
Demum quid facerem, docuit sermone paterno.
Curre domum, manibusque refer quæ mando, miselle;
Aut si pauperies te illud non sinit habere,
Invida seu furtim rapuit de nocte noverca,
Aut si nulla domi mansit spes inveniendi.
Audi consilium, cur his exureris auris?
Huc quidam juvenis, te nocte dieque frequentat,
Et cipho nostris libamina fundit in aris:
Olli nos nostris dedimus viridantia pratis
Tecta, quibus maneat jussus, seu prosit amicis.
Cignea jamque sibi costinis atria gyrat,
Utitur & claris nostro moderamine limphis,
Jam seu dives amat pictis recubare tapetis.
Ocius accelerans, illi hæc mea dicta referto.
Hospitio sanctam requiem meruisse fideles
Sis memor! o juvenis, nunc & sine fine valeto.
Auribus hoc capiat, tectis te vimine textis
Temperet atque sitim, somnum sub nocte quiete
Sternat, & hærentes recreet per viscera fibras.
Et prima cum luce dies dejecerit umbras
Molliat argillam, primo vel sole tepescat,
Et nota tornet specie, quam novit abunde:
Obducat cera, ceramque recondat arena,
Innocuos ignes juxta mox collocet illud,
Æquet lance, metalla placet cum pondere libræ.
Quæ commissa sibi meminit, lucrique memor sit
Per quæ pollet ovans, nostris vernantibus aulis;
Ambabus manibus post omnia follibus efflet,
Et vacuet formam cera, repleatque metallo.
Post aliquod spatium, vas testis exuat assis,
Effigiemque novam ferro diffumiget unco,
Concilietque tuis manibus venerabile pignus.
Illud huc tecum veniens deferre memento,
Hoc libabis aquæ fontem salientis ad astra,
Insuper & caussam referet, quid vase figurem,
Et dubios verbis animos tibi firmet amicis.
Interea triplum solvat cum carmine nodum,
Quem poterit fusum referans ornare metallum
Hunc tibi mente locans. Olli, sic pangere mando.
In geminæ specie lunæ distinguitur orbis,
Scilicet obscura claraque fugante tenebras,
Luminis & faciem terras dum vertit ad imas,
Altera pars cælo, tenebris obducta tenetur.
Denique bis septem, lumen mirabile visu
Evomit in terris glomerata fronte diebus.
Nam mirum dictu! crescunt dum lumina Phœbæ,
Instituere Patres nimium solemnia Paschæ.
Sed sursum pallens, ut primum condere lumen
Cœperit, & terris nigra vilescere forma
Ter septem numerant, quos non excedere soles
Sit, sed in his licitum, sanctum solemne requiri.
Quid hic Pascha pium numerus, seu luna figurent
Explicet: & triplum poterit dissolvere nodum.
Hic memor esto, locum juvenis responsa capessant.

EXPLICIT EPISTOLA AUDRADI EPISCOPI.

INCIPIT LIBER
DE
FONTE VITÆ.

TUm præſens juvenis referens hæc ordine juſſo, A
Juſſa refers, agnoſco quidem mandata relatis,
Immortale decus Domino, regnumque perenne.
Qui mihi dignatur geminas mandare ſalutes,
Quique dedit vivo faciem perfundere rivo,
Vimineaſque domus frondenti tegmine ceſſit:
Excipit ac noſtri ſcipho libamina voti,
Illius haud dubium nobis præcepta tuliſti.
Da dilecte manum,mecumque hac nocte quieſce,
Florentemque domum jam nunc fidiſſimus intra,
Atque ſedens animum recreato ſalubribus undis,
Utere vel ſtratis ſomno, ſub nocte tapetis.
Cetera quæque refers, aurora teſte faceſſam.
Non meritis indigna tuis tibi gloria crevit. B
Tanta, bonus hoſpes ſacro de fonte bibiſti,
Namque vales doctis ægrum ſanare loquelis.
En quæſita manus, quo vis properemus amice?
Nec fraudabo torum membris, nec pocula labris:
Illius æternum maneat per ſæcula nomen
Hoſpitis electi, qui me direxit ad aulam.
Sed cum tanta tibi virtus, laudeſque manerent:
Miror cur tantis voluiſti ſubdere pœnis
Me, qui nil nocui, invenem ſed ſemper amavi.
Dicere ſi liceat, placitum culpabo magiſtri.
Nam quondam placidis caneres cum vocibus odas,
Me ceu dilectum, mulcebas carmine tali: C
Conſule feſtinus, propriæ dilecte ſaluti.
Te quoque paullatim præcedens limina pandam,
Intra quæ ſaliens fons vivus, verberat aſtra.
Ficta fides placiti rapuit veſtigia pacti,
Condictoque loco veniens incognitus horror:
Biſque quaterque vocans Hicmarum, vocibus addo.
Hauribam vacuas crebra de voce loquelas
Aure, tuque fidem velans, reſponſa negabas.
Altitonans donec me miſit partibus iſtis,
Cunctaque quæ retuli, docuit ſermone paterno.
Confortare precor, violet ne cura quietem;
Sit tibi nunc requies, ſpatio ſub noctis opacæ,
Et veniente die dictis reſponſa parabo. D
Pallida luciferum ſequitur jam filia ſolis,
O meus Audrade, ſoſpes ſis, ſomnia linquis
O venerande nimis, ſanum me ſomnia linquunt
Principio lucis, pacti vel temporis hora.
Perfice namque precor multum laudabilis hoſpes,
Pignus: & exponas miſſum cum carmine nodum.
Incipe nunc mecum cæleſtis gratia carmen
Æterni fontis, ciphri Paſchalis, & horæ.
Sit regi Domino virtus, laus, gloria ſemper,
Illius & faciem precibus poſcamus uterque,
Senſibus ut noſtris aſpiret juſſa fateri,
Qui tibi differri juſſit ſua pocula, donec
Æternum fatearis eum, credaſque colaſque. E

De creatione mundi & hominis, cui Deus infundit vitam.

Incipe nunc mecum cæleſtis gratia carmen
Æterni fontis, ciphri Paſchalis & horæ.
Vult etenim ſciri, mundi qui tempora ducit,
Pontum, telluremque, poloſque creavit, & illis
Ære ſubtili formam ſpeciemque reducit,
Aſtris qui cælos, variis animalibus arva,
E grege ſquammoſo fluvios, volucrumque perornat
Aera, poſt hominem fecit ratione repertum,
Talibus & dictis affatur conditor illum.

Præceptum a Deo homini primo impoſitum, ſub pœna amittendi fontis vitæ.

Quæque moventur in orbe novo, frondentque virentque;
Omnia trado tibi, mihimet tu ſubditus eſto:
Illa tuis vivant, noſtris tu condite juſſis.
Confero multa tibi, nobis tu pauca rependas,
Unius ut ligni tangas ne mala memento,
Nam te de limo feci, vitaque replevi
Ut ſemper vivas, ſi non neglexeris illud:
Et mecum regnes, ſenio non fractus in ævum.
Quod ſi de vetita guſtaveris arbore malum,
Continuo mortalis eris, captivus & ibis,
Fonſque tibi vitæ claudetur cum paradiſo.
Nam te qui terræ dominum concedo manere,
Carcere flammivomo, triſti nec torqueo fumo,
Horriſonique canis rabiem non cernere cogo,
Nec feci gelidum tenebris ſentire dolorem,
Alterius fugias domini ſuccumbere juſſis.
Cujus ſuggeſtu, miſero ſi viſeris actu,
Quas retuli ſupra, merito ſuccumbito pœnis.

Homo peccans amittit ſibi & poſteris fontem vitæ.

Eheu! qui primi recinam nunc facta parentis,
Qui ſprevit præcepta Dei, vitamque reliquit,
Et mortis domino conſenſit, & intulit orbi
Atque ſuis natis, omni ſobolique ſequenti
Quas meruit pœnas, domino mereatur iniquo.
Qui vetiti malum ligni porrexerat Evæ,
Eva viro, mortem cunctiſque ſequacibus ambo.
Sic homo cum voluit, vitam pro morte reliquit.
Incipe nunc mecum cæleſtis gratia Carmen
Æterni fontis, ciphri paſchalis, & horæ

Ad quem revocatur a Deo, per pœnitentiam.

Sed tamen omnipotens rerum cui ſumma poteſtas,
Quem fecit hominem doluit, miſeratus & illum,
Dulcibus alloquiis & celſa voce reclamat.
Quo fugis O factura mei? per devia vallis
Tendis ad ignotas & cæci carceris ædes.
Sulphureaſque domos, flammas ſine fine vomentes.
Illic mors inimica ſedens tua funera farcit,
Obvia mille tuo præmittens ſpicula cordi.
Flecte miſer curſum; quo ſol conſurgit eoo:
Eſt ubi noſtra domus, & vivi fontis origo.
Et ſeptem palmæ faciem ſalientis amictant
Fecundæ fructu, quarum non poma putreſcunt.
Temperies veris, flores & roſcida mella,
Et miranda ſuos emittunt gramina flores,
Pulcrius in toto verum nil cernitur orbe.
Huc plangens lacrymanſque redi, veniamque preceris.
Et votis expoſce tibi pia pocula fontis,
Et fructu palmæ peccati vincula ſolvi:
Namque tuæ mortis, tu conſcius eſſe videris.
Hæc celebrante Deo clementi carmine verba,

Infelix oculos, gressum nec flexit ad illum, A
Sed mortis dominum letali fonte secutus,
Excepit dignas tanto pro crimine pœnas.
Hostis ut agnovit revocari carmine vinctum,
Fraude dolos acuit, figitque cacumine culmi,
Mortiferum pomum nexit, calamoque draconem
Extulit, & virga signum pomo colubroque
Ante patrem prolem suam: non intulit illis
Vim, quod sponte sua cuncti periere sequentes.
Sic victor serpens, victorum signa levavit,
Et sibi per campos, urbesque domosque petivit
Et nemora, sculpi simulacra, Deumque precari
Se jussit, hominumque genus sibi subdidit omne.

Mittit Deus ad revocandum hominem prophetas, qui nihil possunt in hac re. B

Incipe nunc mecum cælestis gratia Carmen
Æterni fontis, ciphri paschalis, & horæ.
Sed Deus æternus hominem sevire metallo
Indoluit, elegitque viros, quos esse Prophetas
Jussit, & errantem docuit revocare parentem.
Hi Domini videre domum, fontemque biberunt:
Gustavit palmæ fructum sed nullus eorum.
Vincula nec potuit captivi solvere quisquam.

Christus fons vitæ æternus, hominem sua morte redimit.

Æqualis patri donec de virgine natus
Filius advenit, homines retinere labentes,
Et revocare sibi mortis de carcere lapsos. C
Ipse quidem præsens Dominus, hæc verba salutis,
Eloquio dulci saliens fons, intulit orbi.
Terrigenæ quicumque sitim restringuere rivo
Vultis, æternum cursim contendite fontem.
Unicus ecce Dei fons vitæ, jure perenni
Effluo nunc largos vobis sitientibus imbres.
Namque meas hominum quisquis gustaverit undas,
Ultra non sitiet, felix sed vivet in ævum.
Cernitis ecce quidem præsenti corpore natum,
Me Patris æterni genitum sine temporis hora.
De me, deque Patre procedit Spiritus almus,
Quem septem palmæ faciem quæ fontis amictant,
Multiplici dono distinctæ, mystice signant. D
Nam dederam mundo vitam, quam respuit Adam,
Humano generi gignens letale venenum,
Unde fuit totum, mortis tenebrisque pererrat,
Illum qui feci, jam præsens ipse requiro.

Merito exclusum e Paradiso.

Eligo namque hominem moriens absolvere leto,
Namque per excessum vitam pro morte reliquit,
Proque suis meritis paradisi perdidit aulam.
Cognitione Dei vacuus, simulacra deosque
Effigiare sibi studuit, dominosque precari.
Hunc ego decrevi, soli mihi subdere colla.
Quid facit? ab furis rapitur deceptus amore,
Utque Deum veneratur eum, cui claustra gehennæ E
Inferus & flammæ, tenebrisque obducta vorago
Atra manet, sedes spirantibus undique flammis.
O factura mei, tristi sub sorte laborans!
Quam feci manibus faciem, vitaque replevi,
Ad me deflectas. Nam qui voco corpore sumto
Te revocare volens, veni moriturus in orbem.
Signifer ille quidem leti, mortisque repertor
Talibus auditis, furiis accensus & ira,
Artibus insimulat fidis; Sat possumus, inquit.
Cum mater hominum nostro sine numine tantum
Ediderit terris, culpati nescia partus.
Conditor ille potens, cæli qui possidet arcem,
In terris hominem primum quem fecit, adivi,
Disjecique suis clausum quem sepserat aulis,
Et mihi subjeci, & natos, vulgusque nepotum,
Insuper & proprio complevi dogmate mundum.
Me sine nec prolem matres genuere maritis,
Ex quo nostra volens Adam præcepta secutus,
Seque suosque dedit nobis servire parentes:
Legibus his donec pacto quo nescia fractis,
Tantus in orbe puer, nullius criminis heres
Intrat, & antiquas præsumit frangere leges.
Dum mihi prostratum, quærit sibi surgere mundum,
Hunc ego ter tentans hominem cognoscere purum
Arte mea volui; heu pulsus dubiusque recessi!
Ergo decet majora virum sentire pericla.
Mors mihi te sociam solito cum fœdere jungam,
Qui nisi cognoscat semper quid possit amica,
Esse potest totum revocet per carmina mundum.

Quem mors alloquitur, regnaturum ubique terrarum.

Mors dedit e contra tales de pectore voces,
Fœdera si quæris, tecum sum semper ubique,
Perfice quod gaudes, totus quam suscipit orbis,
Æmulus ille tuus morsu degustet amaro.
Erige, nil tardes, virgam, pomum colubrumque;
Quo lato digne Dominus veneraris in orbe,
Lexque manet, priscos subdens tibi jure colonos,
Illius in faciem victricia signa levato.
Humano qui more nisi tua sceptra sequatur,
Sorte mea calidam divellam corpore mentem.
Tuque potens animam rapies, raptamque tenebis,
Corpus in optata claudetur morte sepultum,
Sic quoque cessabit nostros irrumpere fines.
Dixerat, & dæmon, concusso culmine signi,
Audet in æterno torquendus sulphuris igne
Infestare Dei faciem, pomo colubroque.

Fons vitæ restauratur per Christum resurgentem a mortis sepulcro.

Incipe nunc mecum cælestis gratia Carmen
Æterni fontis, ciphri paschalis, & horæ.
At patiens Dominus hominum cui cura perennis,
Signa levat contra lignum, pomumque Deumque;
Pro furto pomi sacrum dans in cruce pomum.
Hujus non speciem potuit mors fere nec hydrus,
Moxque fugam caperent, si non vis proxima Christi
Majestasque Dei Leviathan prenderet hamo,
Et natus hominis mortem moriendo necaret,
Qui ponens animam sancto commisit ab ore:
Protinus alma jubet, hostis sævissima colla
Divinis stringi vinclis; torvumque draconem

Portas mortis effringentem.

Jam tormenta premunt suspecta, trahuntque gementem
Ad portas erebi, Dominus quas obruit, atque
Tartara disrupit. Cæci tunc carceris ædes
Lux Deus irradians, evertit luce tenebras.

Et eripientem e faucibus draconis homines.

O nova captivis facies tunc visa tonantis,
Qui genus humanum rapuit de fauce draconis.
Vincula dissolvit, prædam patrique reduxit,
Armillæque terras percussit cuspide fauces,

Posse nec indulsit sanari vulnus apertum. A
Tunc mortis morsus prædictus voce Prophetæ [a]
Exstitit, & partem rapuit, partemque reliquit.
Primus & ad vitam devicta morte triumphans
Ter redeunte die post hæc surrexit ab umbris
Christus, & e tenebris lumen resplenduit orbi.
Ut sol post tenebras consurgit luce coruscus,
Condere quem densæ numquam potuere tenebræ.
Sic chaos exsuperans Christus, de morte migravit,
Atque pium celebri cum nomine Pascha sacravit.
Quo transivit enim lux est, & vita perennis,
Dans formam nobis tenebris exsurgere posse,
Si tamen illius celebremus dogmatis horam,
Lumine quam lunæ numero signavit & almo. B
Inferiora legas, si vis hæc carmina nosse.

Explicatio mystica Paschatis, & ejus dierum.

Perfice nunc mecum cælestis gratia carmen
Æterni fontis, ciphri Paschalis, & horæ.
Nunc audi frater quæ sit displosio nodi.
In gemina specie lunæ distinguitur orbis,
Scilicet obscura, claraque fugante tenebras.
Dicitur hac specie pars terræ, parsque polorum,

Luna hominis figura.

Effigies hominis, manibus plasmata creantis.
Hactenus & terris conversum lumen ad illum
Vertere luna monet, quæ dum sua lumina terris
Volvit & ad cælum, tenebris obducta tenetur.
Dat hominis formam, qui dum terrestria quærit, C
Ingenii lumen terras convertit ad imas:
Excipit & vulgi gaudens dum murmure laudes,
Dispectus cælo, tenebris obductus habetur.

Celebratio Paschæ prohibetur ante lunam XIV.

Interea minimum poterit solemnis haberi,
Bis etenim septem glomerata fronte diebus
Evomit in terris lumen mirabile luna,
In quibus est vetitum sanctum solemne requiri.
Qui duo, quæ Christum præcedunt tempora signant,
Ante datam legem primum, sub lege secundum.
Per quæ terrigenæ peccati pondere pressi
Ingenium vitæ sibimet conferre volentes,
Indigni cælo, tenebris mersere senectam,
Morte nec abjecta, meruerunt cernere Pascha.
Sed sursum pallens, ut primum condere lumen
Cœperit, & terris nigra vilescere forma:
Ter septem numerant, quos non excedere soles
Sit, sed in his licitum, sanctum solemne requiri.
Sic lacrymans, primum cælo cum vertere vitam
Cœperit, & terris vilis despectus & esse.
Jam cælo clarus, ter septem supputet illud,
Scilicet in mundo, Christi quo gratia fulget
Tempus: & ex toto conversus corde requirat
Pascha salutiferum, celebri ratione repertum.
Deque tenebrosa saliens caligine noctis,
Transeat ad lucem, Christus quam contulit orbi:
Ut tribuente Deo, felix per sæcula vivat.
Perfice nunc mecum cælestis gratia Carmen
Æterni fontis, ciphri Paschalis, & horæ.
Auxiliante Deo cujus mihi verba tulisti,
Arcanum fidei reserans, sub nomine Paschæ,
Explicui: triplum potuique resolvere nodum.
Marginis & geminas cecini jam forte figuras,
Clara septenis specie qui fulget in ulnis,
Ac totidem mixtis variatur cortice nigro.
Vos quoque jam fudi, venerabile pignus honoris,
Septenis calamis, horis totidemque ter ornans.
Hoc fine quisque sitit, frustra contendit ad umbas
Æterni fontis, hic est sapientia patris;
Non intrabit enim commercia pectoris atri,
Subdita peccatis nec mens amplectitur illam.
Spiritus ipse Dei, sed qua dignissimus hospes
Expurgans vitiis, septeno munere dotat,
Perpetuoque sibi mansuram dedicat aulam,
Hæc sitiens limphas poterit haurire salubres.
Hoc vas quisquis habet, fontis festinet ad undas.
Hauriat & sacris fundat libamen in aris.
Cursibus æthereis, sonitus fit maximus orbi,
Qui tegit hunc sonito, monuit me sensibus imis.
Hæc Audrade tibi modulari carmine dulci,
Pignora cara satis, recinas quæ sæpius oro.
Sic quoque felici tractabis gutture fontem
Quæsitum, longo certamine, dulcis amice.
Maxima dona tibi cælestis gratia confert.
Hæc memor esto mei, sacris confunderis aris
Obsecro mi frater, nunc felicissimus esto.

[a] Oseæ XIII. 14.

E X P L I C I T.

SERVATI LUPI PRESBYTERI DE TRIBUS QUÆSTIONIBUS LIBER.

Quæ nobis utilia judicamus, si communicamus cum aliis, Deum nullo renitente promeremur, cujus præcepto devoto respondemus obsequio: & si quod jam accepimus sincera benevolentia impertimur, quæ necdum accepimus ejus munere consequemur. Hæc mecum reputans, cum post devictas persecutiones & falsas opiniones jam inde ab initio incarnationis Domini exortas, octingentesimum quadragesimum nonum ab eadem incarnatione agente annum Ecclesia in pace quam ei reliquit Salvator, cum ea futurus juxta suæ pollicitationis fidem usque ad consummationem sæculi, comperissem primum in Italia, deinde in Gallia, si non concuti fidem, turbari certe quorumdam intentionem, quod *de libero arbitrio*, & *de prædestinatione bonorum & malorum*, ac *de sanguinis Domini* taxatione, vulgo quædam inaudita jactarentur, harum rerum qui per se non possent optavi ut per me fierent certiores. [1] Hic in auxilium invocato Deo, a quo non esse solum, sed etiam nosse percepimus, ad ejus primum auctoritates, quibus omnium consensus fidelium adquiescit, me contuli. Deinde quid earumdem clarissimi tractatores & defensores invictissimi super memoratis quæstionibus sensissent, anxie diuque scrutatus sum. Quorum sole clariora opera, divinis irradiata eloquiis, si omnes vel intelligerent vel haberent, jure deberem superfluitatis aut arrogantiæ argui, qui vel eadem verbis aliis ingessissem, vel quod ipsi non valuissent, me implere posse confiderem. Cum vero utrumque multis, alterutrum quibusdam, neutrum forte nonnullis obtigerit, alterum vel neutrum habentibus sic adesse contendam, ut utrumque possidentes, si tamen sua cognitione hæc mea, qualiacumque sunt, digna duxerint, non offendam. Itaque mihi nihil, Deo plurimum confidens, quod proposui hinc expedire conabor.

QUÆSTIO I.

De libero arbitrio.

I. Rerum omnium opifex Deus, loci temporisque ac per hoc totius mutabilitatis expers, (neque enim concluditur loco qui continet omnia, nec [2] vero accessu temporis augetur, qui nequaquam temporali primordio cohibetur,) omnis creaturæ rationes sempiterna apud se immutabilitate custodiens, spiritalem creaturam tantum tempori, corporalem autem non tempori modo, verum etiam loco fecit obnoxiam. Siquidem subjectam se tempori spiritalis natura ostendit, quæ bene utpote a bono Deo condita, partim suo se vitio depravans in veritate non stetit, atque ideo corruit, partim A conditori pia subjectione adhærens, & quod lapsus esset capax aperuit, & ne ultra laberetur compos tantæ felicitatis accepit. Namque redemtor, cum in resurrectione opinionem conjugalis commercii removisset, nequaquam nobis Angelorum spopondisset æqualitatem, si in eis peccandi [3] aut consequenter cadendi suspicio remansisset. Quei enim feliciore quam nunc sumus donaremur conditione, nisi emenso mortalis vitæ discrimine, in tanta beatitudinis collocaremur securitate, ut ultra nec peccare possemus, nec velle peccare? Porro corporalis natura, & cœpit ex tempore, & augmentis decrementisque, sive conversionis in alia facultate, mutabilitatis vices, quæ cuncta fiunt in tempore, B confitetur. Loco vero subjectam non dubitat, qui omne corpus longitudine, latitudine, atque altitudine constans, quod solidum appellatur, non nisi loco semper contineri considerat. Utriusque autem naturæ, hoc est & spiritalis & corporalis, proprietatibus Deus artifex observatis, hominem ex anima compegit & corpore, sicut eodem revelante qui fecit accepimus. Verum animam illi fecit ad imaginem suam. Quia tametsi cœpit ex tempore ut creatura, sempiterna tamen ut Deus pro suo modulo permanebit. Sed quia rationis ei & intellectus participium quemadmodum sanctis Angelis contulit: corpus autem non usquequaque ceteris C animalibus formavit dissimile, nisi quod illa in alvum prona, id autem erectum instituit, cujus fido servitio ad capessenda superiora auctoris sui nutibus obediens anima uteretur. Quantum vero præstet corpori anima etiam gentilis auctor conatur exprimere, cum de utroque loquens [4] *alterum nobis*, inquit, *cum diis, alterum cum beluis commune est.* Ita factum hominem primum Adam cum Eva conjuge, quam mirabile dictu! de costa illi dormienti subtracta Deus produxit, in paradiso voluptatis, ut sacræ litteræ testantur, constituit, eumque, suppetentibus omnibus ad usum necessariis, non molesto labore damnavit, sed otiandi tædium oblata ei facultate operandi removit.

D

II. Ne autem nesciret homo ei se debere subjectionis & obedientiæ vicem, a quo & esse acceperat, & bene esse nullis contra votum reluctantibus animæ corporisve motibus feliciter capiebat. Concessis ei Deus ad escam universis pomorum paradisi generibus, uno prohibuit ligno, quod scientiæ boni & mali nominavit. Et quoniam spes impunitatis magna est peccandi illecebra, præcepto interminationem pœnæ addidit, moriendum eis [5] confirmans qua die ex ligno quod vetuerat comedissent. Summa erat observandi jussum facilitas, quando ad id violandum nec ulla necessitas invitabat,

1. Aliqui mss. *Hinc*.
2. Virdun. ms. *vario*.
3. Victor. ms. *ac*.
4. Saluſt. in Catilin.
5. Virdun. ms. *affirmans*.

nec hostis qui solus diabolus erat, vim ullam inferendo impellere poterat. Jam ipse superbiendo ceciderat, jam quod ipse merito perdiderat, hominibus posse contingere invidebat. Quid faceret qui nec semel conceptam malitiam deponere, nec hominem nisi adquiescentem, nisi consentientem, nisi volentem posset dejicere? Auctor mali proprii, repertor alieni, serpente induitur, & cum divinae jussionis non caussa scrutanda sit, sed exsecutio maturanda, quod se quaerere simulat, rudes quaerere instigat, cur videlicet eis omnium pomorum Deus usum non permisisset promiscuum? Respondente muliere, quam faciliorem falli calidus explorator deprehenderat, ne forte morerentur, incautam a vera sententia deduxit, & in falsam quod non essent morituri protinus induxit; adjecto eo, scire Deum, quod si comedissent unde prohibiti essent, mox aperirentur oculi eorum, similesque diis existerent. Scilicet ut numerositate deorum saltem eorum fidem corrumperet, si ad inobedientiam tentati gulae vitio non cessissent. Capta mulier, cum hostis male dulcoratis alloquiis, tum etiam interdicti pomi immodica venustate, prior comedit, & viro ut comederet persuasit. Mox uterque non anima solum, sed & corpore occidit, quando inevitabilem moriendi necessitatem contraxit. Et quia peccati mortem, unde liberum ei fuerat abstinere, non exhorruit, ad persolvendam mortem corporis nolens quandoque pervenit. Mortuum sane hominem statim ut vetitum praesumsit non mirabitur, qui ferali vulnere saucium, vel inremediabiliter veneni contagio jam corruptum, non perperam dici mortuum recordetur, propterea quod tam certa mors impendeat sic affecto, ut nulla spes effugii valeat inveniri. Istius quoque sententiae Apostolus auctor est qui ait: [a] *Corpus mortuum est propter peccatum*. Habet scilicet moriendi necessitatem, quam non habuit ante peccatum. Ita quoque conditus fuerat Adam, ut posset non peccare si vellet, & posset non mori nisi peccaret. Verum ubi ei solum non suffecit bonum, nisi etiam mali caperet experimentum, & voluntatem ad peccandum convertit, posse non mori amisit, & non posse non mori incurrit. Ita sero scientiam boni obedientiae quam sponte deseruit sensit, & scientiam mali quam impia curiositate affectavit, invenit. Quod numquam enim veritus fuerat, ultricem comitemque peccati concupiscentiam sensit, membrorum scilicet genitalium appetitum: quem ita exhorruit, ut ad pudoris remedium velamen quaereret foliorum: ita adamavit, ut ad justum damnationis [1] judicium importunam ejus illecebram nec si vellet vitare sufficeret. Quod itaque peccare posset si vellet, peccando publicavit, quod vero posset etiam non peccare si vellet, conditor patefecit, qui comminatus poenam ne peccaret praemonuit.

III. Habuit ergo Adam liberum voluntatis arbitrium & ad bonum & ad malum: sed ad bonum divino munere adjuvandum, ad malum autem divino judicio deferendum. Quemadmodum enim non adjuvaretur in bono ab eo qui vita esset animae ejus, ut anima corporis ejus? Denique si *anima quae peccaverit ipsa morietur*, ut prophetica praescribit auctoritas, consequens est ut vivat quae bene gesserit vivificante [2] Deo vita ipsius. Liberum autem hominis arbitrium in malo idcirco fuerat divino judicio deferendum, quia cum illi aequa facul- A tas boni malique constaret, nulla indigentia, nulla violentia, voluntatem ad malum inflexit, dum praeceptum Dei sui observatu facillimum, a quo se tanta bona percepisse videbat, sacrilega impietate quasi suspectum contemsit, & hostis ignoti, cujus in nullo penitus indigebat, incitamentum, non solum ad examen Dei non retulit, verum audaci temeritate quasi profuturum excepit. Justissime igitur in illo haesit quod sponte elegit. Et quia ut Apostolus asserit, *in eo omnes peccaverunt*, in omnibus ejus vitiata est natura ex utroque sexu progenitis: ut ad male agendum, quatenus tamen progredi permittimur, sit nobis ut illi liberum arbitrium, ad bene autem operandum nequaquam sit B liberum, nisi fuerit Dei gratia liberatum. In primo parente nostro, qui utinam stetisset! omnes peccando cecidimus, & omnes communi merito atrocissima quidem sumus, sed justissima poena damnati. Non fuisset homo ingratus ei qui se fecerat! obtemperasset conditori, non seductori! noluisset esse nisi quod vellet, qui eum potentia fecerat, clementia gubernabat!

IV. Verba hostis, quae forinsecus per serpentem sonuerunt, sacra revelante scriptura cognovimus: quae vero intrinsecus menti humanae suggestionis molimina admoverit, tametsi indubitanter non valemus comprehendere, tamen probabili conjectura C possumus aestimare. Siquidem [b] *Diabolus misit in cor, ut traderet Dominum Judas*, non palam vocibus perstrependo, verum clandestinis avaritiae facibus miserum accendendo. Celsitudinem similitudinis Dei superbiendo diabolus concupierat, jamque alieni appetens, sui gradus dignitate deciderat. Dumque hanc nec vellet recuperare, nec posset, habituro invidit, & fortasse priusquam verba ederet, incautum qua perierat peste corrupit. Quomodo enim ad capiendum cibum exterius tam cito adquievisset, nisi ad obtinendam propriam libertatem tumuisset ante interius? Quomodocumque contigerit, auctor nostri generis suo ut palam est vitio cecidit. Et quoniam in eo omnes peccavimus, o- D mnes nos in lapsum ejus ruina proculdubio secum traxit. Atque cuilibet sicut possibile est cum voluerit in foveam se praecipitare, quae sit ampla nec scabra tamen crepidine, cum vero egredi voluerit non valebit, nisi extrariis nisibus adjuvetur. Ita primus homo sponte quidem cecidit, in quo ipsi originaliter lapsi sumus, sed coeno peccati nos etiam si volumus expedire non possumus ut resurgamus, nisi prostratos extrahat & erigat gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Voluntarii criminis tantum malum non hominem primum modo, sed universam etiam ejus sobolem, sexus utriusque copula manantem, merito damnationis obstrinxit: quam cum eadem caussa sit omnium, com- E muniter omnes paterentur, quippe qui non Deo, sed diabolo auscultavarint omnes. Nec hinc oriretur justa conquestio aequitate servata, praeterquam quod mererentur nullis recipientibus, nisi esset Deus, quemadmodum incomparabiliter justus, ita ineffabiliter pius, immo ut verbo nostrarum scripturarum utamur, quo colligimur, quo salvamur, misericors. Cum itaque suo merito pereundum esset omnibus, plures divina bonitate salvantur. In his agnoscamus & amplectamur misericordiam ejus: & ut his aggregari mereamur supplici observantia mandatorum ipsius, & precibus assiduis flectamus

a Rom. VIII. 10. b Joan. XIII. 2.

1. Duo mss. *indicium*.

2. Virdun. ms. *se Deo*.



indulgentiam ejus. Cum vero itidem plures damnantur, non reprehendamus, quia merito suo juste damnantur; sed pertimescamus judicium ejus, qui est *terribilis in consiliis super filios hominum*, nosque paria merentes miremur potuisse salvari: ut eorum consideratione ferventius accendamur ad amandam, laudandam, prædicandam misericordiam ejus.

V. His constitutis, & fideli assensu retentis, nemo sobrie sapientium erit nesciens, non esse Deum auctorem caussamque perditionis homini, quem & rectum condidit, & posse si vellet in suo statu manere, monendo monstravit. Namque necdum erat ejus vitiata natura, ut vel scienda nesciret, vel impediente difficultate cognita implere non posset. Nimirum sibimet ipsi homo, aut ex seipso, aut ex diabolo, malum concepit & peperit, dum a se divinam amoliendo reverentiam deceptori credidit, & cibum usurpando illicitum capitale crimen commisit. Istud, istud plane mortalium generi omnium caussa fuit malorum. Peccatum siquidem pœna consequitur, & quicquid non consumit remittendo præsens misericordia, rependit ulciscendo quandoque repræsentata justitia. Sed insurgat aliquis ex numero mordaciter querulorum, & dicat: Non fecisset Deus hominem, quem peccaturum sciebat! Quanto rectius diceret, Non fecisset homo quod summa facilitate vitare poterat peccatum, quo se, si verbis Dei fidem habebat, cognoverat moriturum, quamquam esset divinæ bonitati non congruens, hominem, quem bonum post lapsum, aut etiam ex quo bonum facere posset, non condere! Aut talem fecisset, subjiciat, qui peccare non posset! Quid ita non queratur, Cur homo, cum talis factus esset, ut posset non peccare si vellet, in hoc statu manere noluit, ut quandoque tantum de Deo mereretur obediendo, ne peccare vellet aut non posset? Verum cur homini negaretur illa voluntas, qua vel bene utens exspectaret præmium, vel male excedens præmonstratum pati cogeretur tormentum? Constanter dixerim, nullam Deum creaturam, quæ mala peccando futura esset, facturum fuisse, nisi aut eam iterum bonam, aut ex ea boni aliquid facere decrevisset. *Maluit enim ex malis bonos vel bona facere, quam mala nulla esse permittere.* Et hominum quidem plerosque, vel originali vel proprio vitio malos, reformat in bonos, nulla eis imputata iniquitate sua, quod firmissime tenendum est, gratuita bonitate: spirituum autem immundorum neminem hac dignatur gratia, quorum pertinaci superbiæ nullo veniæ subvenire decrevit remedio. Horum tamen, eorumque participum hominum perditorum, quamquam ipsis nolentibus, bene utitur famulatu: dum his vel aperte sævientibus, vel occulte insidiantibus, exercet Sanctorum patientiam sempiterno quondam præmio coronandam. Nec minus ex malis bonum agit, cum singulis eis meritum repensat supplicium. Bonum enim est malos non conversos puniri, ut comprimatur superborum elatio, crescat humilium devotio, augeatur ex utrisque divina laudatio.

VI. Invicta, ut opinor, superiorum ratione colligitur, hominem tam anima quam corpore fuisse damnatum, nec infortunium damnationis ejus alii quam ipsi & seductori ejus aliquatenus imputandum. Illud etiam claruit, potuisse suis viribus hominem peccando cadere: verum non posse umquam sua virtute resurgere. Proinde pius artifex, quod homo non posset ut ipse perficeret, Filium sibi coæternum, æqualitate voluntatis & potestatis consimilem, non ex mare & femina, sed ex Spiritu sancto & Maria Virgine, novo nascendi privilegio, hominem absque peccato instituit, ut per eum qui obumbrante Spiritu sancto non fuisset conceptus æstu libidinis, eorum qui in peccatis concepti essent aboleret omne peccatum. Hic virgine satus, virgine natus, ut absque delicto conceptus & ortus, sic absque ulla offensæ macula conversatus, postquam dispensationem nostræ salutis docendo sufficienter exercuit, Deus verus, homo verus, utrumque unus, hoc est in utroque & ex utroque unus, dignatione mirabili, mortem, quæ peccato debetur, totius expers contagii sponte pertulit, & nos peccatores æterna morte liberavit. Tum intra triduum resurgens, spem nostram in cælum sustulit, & paullatim pristini lapsus veritatem, & nostræ instaurationis integritatem exposuit, non suis verbis solum, verum etiam discipulorum & verbis & scriptis. Quamquam & sanctæ literæ, quæ dicuntur veteris testamenti alterum mira proprietate expresserunt, alterum mystica præfiguratione signarunt. Nam & primi parentis peccatum ipsæ prodiderunt, & futurum ut per dominum Jesum repararetur genus humanum, cum multis aliis locis, tum in illo summe atque clarissime, [a] *Dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum.*

VII. Subtiliter igitur expendat fidelis examinator & pius, quanta fuerit hominis iniquitas, quam nec quisquam hominum, nec quilibet angelorum, nisi Dei solius sanguis valuit expiare: nec se mereri aliud quam supplicium credat homo, qui post purgationem baptismatis, qua etiam parvulis regni cælestis januæ aperiuntur, tametsi quædam digna venia suspicatur se gessisse magis quam novit, multa sunt tamen plura, super quibus divini judicii severitatem formidet. Quamquam etiam de bene gestis timendum est, cum tantus vir dicat, *omnes justitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ.* Justitia enim nostra, licet interdum coram hominibus splendeat opere & sermone, in conspectu Dei sordescit prava cogitatione. Habemus autem, ut supra relatum est, ex Adam liberum arbitrium, non ad bonum & malum, quale ipse a conditore accepit, sed quale ipse sponte in ima vergens elegit, & peccando commeruit: hoc est ad malum liberum, ad bonum autem, si tamen id nobis divino munere contigerit, ut supra jam diximus, Dei gratia liberandum. Mentior nisi hoc primus liber divinæ auctoritatis ostendit his verbis: [b] *Sensus & cogitatio humani cordis ad malum prona sunt ab adolescentia sua.* Secretorum etiam cælestium fidus interpres Paullus, jam baptizatus, jam forsitan ad tertium cælum evectus, *Condelector*, inquit, *legi Dei secundum interiorem hominem*; illi profecto quæ sanxit, Non concupisces; *video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis.* Legem in membris concupiscentiam vocat, quam post peccatum in membris genitalibus primi senserunt parentes, quam sibi adversantem divino freti adjutorio etiam continentes quique repellunt, sed penitus numquam reversuram, dum heic mortaliter vivunt, excludere nequeunt. Dominus quoque Jesus, qui singulariter ut conditor sciebat quid esset in homine, imbecillitatis nostræ nos admonens: *Sine me*, inquit, *nihil potestis*

a Psalm. LXXI. 8. b Gen. VIII. 21.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 862.

facere: nihil scilicet boni, nihil saluti conducibile. Nec indignetur salvatus, & salvandus, sine salvatore se nihil posse facere, qui pollicetur: *Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.*

VIII. Et cur, dicat aliquis, velut possibile præcipitur, quod postea impossibile demonstratur? *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua*: &, *Diliges proximum tuum tamquam teipsum*: &, *Diligite inimicos vestros, bene facite his qui vos oderunt*: &, *Qui vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*: & alia multa, quæ nunc instruunt fidem, nunc vires informant. Profecto ut dum conatur quis, nec sufficit quæ jubentur implere, illuc fatigatione humiliatus recurrat, unde petendo, quærendo, pulsando, accipiat quod desiderat, & non in se, sed in Domino de omnibus ejus beneficiis glorietur. Nec sibi nervos fortitudinis detrahi opinetur subjecte Deo devotus, cum per se nihil boni posse facere tam evidentibus instruatur testimoniis. Nec vero meritum minui: quoniam solum hominem præstantius quam Deo cooperante posse aliquid agere, ne dicam opinari, vel somniare, non tam superbientis est hominis, quam amentis: & de cujus plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratia, pro gratia quam impendit laboriosæ bonitatis gratiam rependit beatæ retributionis. Non habere hominem in bono liberum arbitrium etiam Hieremias propheta non dubitans: [a] *Scio*, inquit, *Domine quia non sit hominis via ejus: nec est ut ambulet & dirigat gressus suos.* Proinde mox adjutorium flagitat: *Corripe me Domine, verumtamen in judicio, & non in furore tuo.* Hoc est, quia non est meæ virtutis ut meam pravitatem corrigam, & justitiæ tuæ apprehendam & teneam rectitudinem, tu adhibe correctionem judicii, cujus terrore salubriter sanas infirmos, non correptionem furoris cujus severitate horribiliter damnas superbos: ut mutata & confirmata voluntate faciam, te cooperante, quod meis viribus implere valeo. Vates præterea clarissimus Isaias totum Deo nihil nobis penitus tribuendum confirmans; *Domine*, inquit, *pacem da nobis: omnia enim opera nostra operatus es nobis.* Namque si nobis temere sanitatem liberi arbitrii arrogamus, frustra diu multa conati, sic impossibilitate, ut hoste acerrimo confundimur, molestoque bello laboramus, quousque defessi ad divinum recurramus auxilium. Quo impetrato, pacem de qua dicitur: *Pax multa diligentibus legem tuam* consequimur: dum per bonum affectum in Deo mens nostra velut in munitione tutissima requiescit, & jam salutaria præcepta fiducialiter operatur, quandoquidem ea ipse qui præcepit exercet.

IX. Miretur aliquis, ne parva quidem bona opera nobis a nobis, sed ipsa quoque a Deo esse, nisi cognoverit ipsas cogitationes bonas, & initium ac perfectionem fidei non a nobis procedere, sed a Deo inspirari habentibus atque firmari. Doctor hæc gentium, immo per eum Dei spiritus publicans: *Non quasi sufficientes simus*, inquit, *cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Hoc est, quod ad sanctitatem religionis pertineat; nos quidem nihil sufficimus cogitare: sed ut sufficiamus, ipsas a Deo cogitationes bonas accipimus. Item de initio fidei: *Sed misericor-*

A *diam consecutus sum*, ait, *ut fidelis essem.* Non enim ait, quia fidelis fui misericordiam consecutus sum, sed misericordiam consecutus sum ut fidelis essem. De perfectione autem fidei: *Gratia salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis. Dei enim donum est.* Itemque non de fide solum, sed de ipsa bona voluntate: *Deus est*, inquit, *qui operatur in vobis & velle & perficere.* Quod vero in bonis actibus perseverantia Dei donum, ac per hoc gratia Dei sit, facile illo satis idoneo testimonio comprobatur: *Confidimus in Domino Jesu, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu.* Hoc est Deus, qui cœpit in vobis agere quod præcepit, tamdiu operabitur, quo- B usque excedentibus vita singulis adveniens incipiat reddere quod promisit.

X. His omnibus erudimur, ne spem in nobis collocemus opinione gravius delinquentes, sed statum nostrum munientes, totius nostræ spei plenitudinem transferamus in illum, qui propterea nos ad se vocat ut fulciat, idcirco profutura nos petere invitat ut tribuat, ideo ne nobis confidamus terret, ne deserat. Namque *maledictus homo est qui spem ponit in homine*; qui autem eam in seipso ponit, in homine ponit: maleditus igitur est. Sane Dei bonitas præclare commendatur, cum benedictus esse vir asseritur qui confidit in Domino, & solus in- C terdum confidentis affectus præmium jam benedictionis assequitur. Amant autem immundi spiritus, decipiendi astu spem hominum in se transferre, quod in suis cultoribus effecerunt, vel ex quodam colludio falsas opiniones mentibus eorum inserere: quasi propter naturæ dignitatem atque præstantiam tutissimum sit eis in seipsis spem aliquatenus collocare. Quod est ex eorum scriptis ostendere, qui divinæ vacui notitia mundanæ sapientiæ claruerunt. Tullius facit non Lælium vel Scipionem, quæ posset esse dubia, sed M. Catonem senem certa, hoc est sua, dicere sententia. [1] Quibus nihil est in ipsis opis ad bene beateque vivendum, his omnis ætas gravis est: qui autem omnia bona a se ipsis pe- D tunt, his nihil malum potest videri, quod naturæ necessitas afferat. Omnia bona a vero Deo non a se ipsis petunt, Marce Tulli, dixisses, & nobis non tam splendore verborum, quam sententiæ veritate placuisses! Virgilius etiam, ut hominem decuit poetica figmenta tractantem, aliud agens tale quid significavit potius quam expressit: [2] *Spes sibi quisque.* O utinam dixisset, cuique Deus verus spes, & credidisset! nec de Mecenate adulando, sed de eodem vero & solo Deo probe summeque canendo protulisset: [3] *Te sine nil altum mens inchoat.*

XI. Nostri autem auctores, facile sapientia supe- E riores quia divina eloquentia pares, quam cum volunt exserunt, cum volunt abscondunt; Cyprianum loquor, Augustinum, Hieronymum, Ambrosium, & quosdam alios, & mentem divinorum eloquiorum penitus inspexerunt, & nobis salubriter expresserunt. Scilicet egere nos in bonum arbitrio liberando, & Dei gratiam non secundum merita nostra dari. Itaque gloriosissimus martyr Cyprianus, & doctor suavissimus, omnia nostris viribus adimens, Deo assignans, brevissime omnia genera meritorum complexus, ait [4] in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit. Ambrosius autem scri-

a Hier. X. 23. 24.

1. De Sen. num. 4.
2. Æneid. XI. ℣. 309.
3. Georg. lib. III. ℣. 42.
4. Lib. III. Testimon. ad Quirinum cap. IV.

bens, [1] non eft in noftra poteftate cor noftrum & noftræ cogitationes, etiam ipfa facta & dicta comprehendit, quæ profecto ex corde & cogitatione procedunt. Hieronymus divina & fæculari doctrina præcipuus, & velut quidam parens cum Augustino Ecclefiafticæ philofophiæ, quæ humanam nec multum appetit, nec in omnibus contemnit. Pelagianam hærefim recens exortam potenter debellans; [2] *Si*, inquit, *in eo tantum Dei gratia eft, quod propriæ nos condidit voluntatis, & libero arbitrio contenti fumus, nec ultra* [3] *ejus indigemus, ne fi indiguerimus, liberum frangatur arbitrium, ergo neque ultra orare debemus, nec illius clementiam precibus flectere, ut accipiamus quotidie quod femel acceptum in noftra eft poteftate.* Item poft aliquanta: *Agamus femper gratias largitori, fciamufque nos nihil effe, nifi quod donavit in nobis ipfe fervaverit.* Item alibi in Deuteronomio: *Perfpicue demonftratur, non operibus noftris atque juftitia, fed Dei nos mifericordia confervari. Non juftitia tua Dominus Deus tuus dabit tibi terram optimam, ut poffideas eam, quia populus duræ cervicis es tu.* Item poft aliquanta: *Pro nihilo falvos facies eos, haud dubium quin juftos, quia non proprio merito, fed Dei falvantur clementia.* Item alibi in expofitione fententiæ: *Non glorietur fapiens in fapientia fua, & non glorietur fortis in fortitudine fua, & non glorietur dives in divitiis fuis, fed in hoc glorietur qui gloriatur, fcire & intelligere & noffe me, quia ego fum Dominus, qui facio mifericordiam & judicium, & juftitiam in terra. Ubi funt*, inquit, *qui dicunt proprio hominem regi arbitrio? fic datam liberi arbitrii poteftatem, ut Dei mifericordia tolleretur atque juftitia?* Ipfe autem Auguftinus, quem nefcias utrum rerum inventione magis an dicendi [4] felicitate mireris, de libero arbitrio & gratia Dei tanta differuit, ut poffint vix ab aliquo legi, omnia vero, ut mea fert opinio, quamquam fint clariffima & utiliffima, a nemine memoria contineri. Quid enim fentiendum fit de libero arbitrio & gratia Dei, ficut nemo tam laboriofa indagine veftigavit, nemo ut ille tamdiu verfavit; ita ut pace cunctorum dixerim, nullus utrumque tanta varietatis proprietate invenit, nullus tanta eloquentiæ ubertate afferuit, nullus inexpugnabilium argumentorum copia tanta defendit. Proinde, cum effent illius omnia optima, & pene innumera, hæfitaremque quid potiffimum effet eligendum, ftatui ftudiofum ad illorum invitare lectionem, quæ noftris præcognitis facilius poterit penetrare, quam paucis pofitis, fimilibus melioribufve fraudare.

XII. Hoc unum tamen occultare non paffus fum, quod inter alia de libero arbitrio acutiffime deprehendit. [5] *Liberum*, inquit, *arbitrium congenitum, & omnino inamiffibile fi quærimus, illud eft quo beati effe volunt etiam hi qui ea nolunt, quæ ad beatitudinem ducunt. Nec arbitretur aliquis, aut tantos viros, aut nos, bona quæ dono Dei confequimur, fic dona ejus afferere, ut non fint etiam noftra. Sunt profecto Dei ac principaliter, quia ab illo donantur: funt confequenter & bona noftra, quia nobis ab illo effe creduntur: & cum aliquid boni molimur vel agimus, eft in nobis liberum arbitrium, quia peccati affectu Dei gratia liberatum. Idemque opus & Dei eft, qui operatur in nobis; & noftrum eft, quia voluntate facimus quod præceptum eft nobis. Cogitationes bonæ Dei funt, quia nobis donantur ab illo, ut Apoftolico fuperius conftitit documento;* Non quod fufficientes fimus cogitare aliquid a nobis quafi ex nobis, fed fufficientia noftra ex Deo eft: *& eædem noftræ funt, quia Spiritus Dei admonet*, Jacta cogitatum tuum in Domino, & ipfe te enutriet. *Converfio noftra Dei eft, cui fupplicatur*, Converte nos Deus falutaris nofter; *& eadem noftra eft, quia divinitus jubetur*, Convertimini ad me in toto corde veftro. *Inclinatio cordis noftri ad præcepta Dei, & ipfius Dei eft, quem placamus his ab eodem docti precibus*: Inclina cor meum in teftimonia tua; *& eadem inclinatio noftra eft, quia volentibus nobis eft. Unde non falfo gloriamur*: Inclinavi cor meum ad faciendas juftificationes tuas in æternum. *Poftremo omnia opera noftra bona, & Dei funt qui dicit*, Sine me nihil poteftis facere, *& eadem noftra funt, quia illi prophetice dicitur*, Domine pacem da nobis, omnia enim opera noftra operatus es nobis. *Noftrorum autem omnium bonorum Dei gratia auctor & cauffa eft. Nam poft peccatum Adæ, in quo omnes peccavimus, & jufte damnati fumus, (rectus eft enim Dominus Deus nofter, & non eft iniquitas in eo) quid mereatur totius generis humani feries* [6] *ufitata, & propter originale peccatum damnata, & propter propria addita, fi ad activam ætatem accefferit, damnanda, nifi fempiterna fupplicia?*

QUÆSTIO II.

De Prædeftinatione.

I. Hæc plane, ut fupra relatum eft, peccato vitiata tota ftirps hominum perpeti cogeretur, nifi ex eadem ftirpe eamdem cauffam damnationis habente, alii occulto judicio Dei quamquam rectiffimo per juftitiam ejus in damnatione debita relinquerentur, alii vero manifefta gratia per ejus mifericordiam falvarentur. Non eft unde inflentur liberati, quia quod non meruerant acceperunt: non eft unde querantur damnati, quia nihil nifi quod meruerant perferre coacti funt. Cur autem iftos non illos falvet Deus, aut cur non potius iftos, quam illos, jam hoc fupra hominem eft, nec fecreti Dei, præfertim tanti, cauffa exfpectari debet ab homine. *Quis cognovit fenfum Domini, aut quis confiliarius ejus fuit?* Igitur, ut idem ait, [a] *cujus vult miferetur, & quem vult indurat*: miferetur exuberante bonitate, indurat nulla intercedente iniquitate. Indurat autem, non ad peccatum impellendo, Deus enim intentator malorum eft, fed in peccato deferendo, quia ipfe quorum vult folum liberator eft. Et utique ut eft quorumdam, fi voluiffet, effe potuiffet & omnium: *omnia enim quæcumque voluit Dominus fecit in cælo & in terra.* Sed ita voluit exercere mifericordiam, ne in aliquo infirmaret juftitiam.

II. Nam quod venerabilis Paullus ait: [b] *Qui vult omnes homines falvos fieri*, non fic accipiendum eft, quafi cum Deus velit generaliter omnes fieri falvos, quibufdam impedientibus impotentiffimis, non valeat omnipotentiffimus implere quod velit: fed ita potius, quod illi five volentibus, five nolentibus, nam plures in infantili ætate bapti-

a Rom. IX. 18. b I. Tim. II. 4.

1. Lib. de fuga fæculi cap. VIII.
2. Hieron. tom. II: adv. Pelagium & Ctefiphontem.
3. In edit. *ejus inaigemus auxilio*.
4. Virdun. ms. *facilitate*.
5. Aug. lib. operis imperfecti contra Julianum cap. XI.
6. *Vitiata*

SÆCUL. IX.
CIRCA
ANN. CHR.
862.



zati, horum non habentes discrimen, mox vita excedentes transferuntur ad gloriam: salvantur omnes quoscumque ille salvare voluerit. Omnes ergo vult salvos fieri homines, sed non alios quam qui salvantur. Quo elocutionis genere usus est Evangelista Joannes his verbis: [a] *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: non quo fidei luce omnes in hunc mundum venientes illuminet, quod sentire perquam absurdum est; quandoquidem plures infidelitatis tenebris obscurentur: sed eos videlicet qui illuminantur, dum non ab alio nisi ab illo illuminantur. Omnes autem semper universitatem generaliter, verum aliquando exceptionem quamdam particulariter comprehendere, etiam ipse Apostolus, de cujus deliberatur sententia, idoneus auctor est ubi ait: *Sicut ego per omnia omnibus placeo*. Namque ut taceam de majore adhuc infidelium parte, quibus profecto placere non poterat, non placebat his a quibus cædebatur, non placebat his a quibus obruebatur lapidibus, non placebat his denique a quibus urbe velut mortuus pellebatur. Placebat autem solis fidelibus, qui tot erant ut merito dici possent omnes, quique in illo glorificabant Deum quod persecutionem prædicatione mutasset. Possumus etiam, *Qui vult omnes homines salvos fieri*, sic sano sensu intelligere, quod ex omni genere hominum colligat ad salutem, hoc est quosdam Judæorum atque gentilium, quosdam utriusque sexus, nonnullos magistratuum & privatorum, aliquos dominorum atque servorum, alios ingeniosorum atque hebetum, & quarumcumque differentiarum homines possunt a subtiliter contemplantibus deprehendi, qui omnium vocabulo non immerito censeantur. Siquidem eadem notione idem nomen in Evangelio Lucas posuit: *Væ vobis Pharisæi, qui decimatis mentam & rutam, & omne olus*. Neque enim omnium generum olus per omnem terræ amplitudinem Pharisæi decimabant: sed omne olus, omne genus olerum quod habebant, est absque scrupulo sentiendum. Nec ille sensus abhorret a vero, ut qui vult omnes homines salvos fieri, qui velle nos facit omnes homines salvos fieri significare voluerit: ut qui scimus multos vocatos, paucos autem electos nullo discrimine separare valeamus, omnes indifferenter velimus fieri salvos. Nam & in eumdem modum invenimus apud Apostolum: *Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, hoc est postulare nos facit.

III. Hanc autem gratiam, qua nos omnes qui salvamur gratis eripimur, pluribus relictis in damnatione quam nos quoque meruimus, commendans vas electionis: *Sicut elegit nos*, inquit, *in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in caritate: qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum*. Ne adversus Deum ex ejus munere inflaremur, antequam oriretur superbiæ morbus, quam efficax est remedium procuratum! Elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non quia eramus sancti & immaculati, aut quia futuri eramus sancti & immaculati, alioquin non tam suæ gratiæ donum largiretur, quam nostro merito vel præsenti vel futuro præmium velut ex debito referret. Sed elegit nos ante constitutionem mundi, ut essemus sancti & immaculati: hoc est eligendo præstitit ut essemus sancti & immaculati, qui nisi vellet, nec ulli quidem esse possemus. Ceterum ubicumque de electione vel præscientia sive prædesti-

A natione Apostoli loquuntur, quicumque Deum propterea elegisse, præscisse, aut prædestinasse quoslibet asserunt, quod præscierit eos devotos sibi futuros, & in eadem devotione mansuros, tametsi sint in aliis magnæ auctoritatis, in hac sententia non sunt penitus audiendi, ne evacuetur divinæ gratiæ donum, si secundum humanum quamquam futurum meritum dispensetur. Nec indignentur his præponi Apostolum quicumque non nesciunt in hoc loqui potius Christum, qui se, quemadmodum est, veritatem esse testatur. Hi sola gratia prædestinati sunt omnes, de quibus ait Salvator: *Omnis qui audivit a patre & didicit, veniet ad me*. Hæc autem salutis doctrina, qua venitur ad gratiam salvantis, valde
B remota est a sensibus corporis. Non auribus apprehenditur sonantibus verbis, sed mentibus creatoris instinctu, etiam in eis absque strepitu quod placuerit operantis, vel misericordiam ut vocati liberentur, vel judicium ut relicti damnentur. Operatur plane in mentibus piorum, adjuvando ut salutaria velint, & in eis proficiant: operatur in mentibus impiorum deserendo, ne nisi noxia velint, & in pejora labantur. Id Propheta intelligens orat: *Adjuva me & salvus ero*. De reprobis vero sponte peccantibus, & deserente judicio Dei ad deteriora ruentibus ait Apostolus: *Quia non probaverunt Deum habere in notitiam, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt*.
C Utrosque discernit voluntas, vel misericordia Dei adjuta, vel judicio non adjuta.

IV. Deum itaque, qui adjuvat ut bona sit voluntas, & voluntatis ipsius, & omnium quæ ex ea prodeunt bonorum, nec non & quæ hæc nullo dubitante consequuntur præmiorum, nemo est tam ingratus, qui non credat & confiteatur auctorem. Perditorum vero malæ voluntatis eum esse auctorem, nemo nisi insanus & perditus opinari audebit. Neque enim cujus voluntas summe bona est, malam esse facit alterius. Auctor itaque sicut non est malæ voluntatis impiorum, ita nec aliorum quorumlibet peccatorum quæ ex ea procedunt. Ve-
D rum qui non est auctor illius omnino reatus, est profecto censor & judex. Ut autem reus majestatis damnatus, non recte nisi sibi aut sociis criminis imputat quod punitur, ita judicio Dei damnatus, non recte potest in eum supplicii sui retorquere invidiam, cui nequaquam valet objicere peccati sponte a se commissi calumniam. Imputet igitur sibi homo, vel si placet, diabolo, cui temere credidit, & peccatum & vindictam peccati, hoc est & caussam damnationis, & ipsam damnationem: Deo vero & bonum opus, & ipsum boni operis præmium. Ad hoc bonum nemo malus nisi discessurus accessit: ad hoc bonum nemo bonus nisi tractus pervenit. Siquidem quam verum est, *ex nobis exierunt,*
E *sed non erant ex nobis*; tam verum, *nemo venit ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum*. Ubi pravitas nostræ naturæ, quam tamen translato vocabulo, id est improprio utentes, naturam juxta Apostolum dicimus, qui ait: [b] *Eramus nos aliquando natura filii iræ, sicut & ceteri*, vocans naturam quæ habeat jam peccatum quod fit contra naturam, cum vere & proprie natura dicatur incorrupta, in qua conditus est Adam: pravitas, inquam, nostræ naturæ ostenditur, quæ ut alibi declaratur *sensu & cogitatione cordis ad malum prona ab adolescentia*, hoc est ex quo potest discretionis habere judicium, ad virtutem reluctans trahitur & invita.

a Joan. I, 8. *b* Ephes. II, 3.

V. Sed ut ad propositum revertamur, ad bonum, & ad boni præmium, nemo nisi ante mundi constitutionem gratia electus, gratia præscitus, gratia prædestinatus, intromissus est, sicut divino spiritu pandente comperimus. Electio non omnium, sed quorumdam confitetur salutem: præscientia futurorum, nobis dumtaxat, nam Deo simul præsto sunt omnia, prænotionem insinuat. Prædestinationem autem, in bono positam, didicimus ostendere in sanctis literis gratiæ præparationem. Gratiam vero ipsam exprimere donationem. Præscit Deus quæcumque aut facturus est, aut permissurus: utraque nulla necessitate, alterum communione injustitiæ nulla. Prædestinat quæcumque immutabiliter facere statuit, immo omnia quæ facturus erat tunc prædestinavit, quando cuncta quæ futura erant fecit. Proinde prædestinatio numquam est sine præscientia: nihil enim quod nesciat se facturum Deus prædestinat. Præscientia vero est & plerumque sine prædestinatione: quia crimina perversorum præscit Deus, quæ utique ut se facturum non prædestinavit, ita nec fecit. Verum enimvero præfixit numerum electorum, cui nullus possit augeri, nullusque subtrahi, ne videretur Deus, quod nefas est opinari, in veritate suæ prædestinationis errasse. Si quis vero hinc forte confirmari desiderat, instruetur Baptistæ Joannis quæ in Evangelio refertur illa sententia: *Facite fructum dignum pœnitentiæ, & nolite dicere apud vos, patrem habemus Abraham: potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Qua satis ostendit, sic istos, nisi fructum fecerint, præcidendos, ut substituantur alii, vel carne vel tantum imitatione filii Abrahæ: ne nutante promissionis Dei fide possit aliquis certæ summæ deesse. Et adhuc apertius in Apocalypsi, ubi præcipitur: [a] *Tene quod tenes, ne alius accipiat coronam tuam.* Si enim alius non est accepturus, nisi iste perdendo locum vacuum fecerit successuro, certus est numerus electorum.

VI. Ut autem etiam perseveraturis perinde ista dicantur, velut eos perseveraturos habeatur incertum, hæc ratio est, quod metus est necessarius, quibus adhuc potest subripere superbiæ morbus: & tanta subest his adhuc infirmitas, quæ non securitate fovenda, sed alia sit infirmitate sedanda. Veniat nobis in mentem Apostolus, cui corporis incertum an mentis incommodo laboranti, & remedium flagitanti, cælestis medicus, qui sciret quam ipse melius, quid ei competeret, infirmitatis antidotum convenire monstravit hanc prædestinationem, quia Deus evolvens gratiam facit sanctos, non invenit, & post excursum instantis vitæ perficit & coronat. Hanc inquam prædestinationem, quæ illustribus divini eloquii testimoniis & inexpugnabilibus argumentis adstruitur, fideles quique passim suscipiunt, constanter defendunt, in hac ut par est suspensi spem suæ salutis pio consensu reponunt, nec immerito. Siquidem nulla via salutis humanæ potest inveniri, præter hanc, quam quæ præstitit divina gratia demonstravit. Hac exclusis nullus omnino patet reditus ad salutem. De his prædestinationem Dei dici horrent plerique atque refugiunt, in quibus & quædam præclara Præsulum lumina. Scilicet ne credatur Deus libidine puniendi aliquos condidisse, & injuste damnare eos qui non voluerint peccatum, ac per hoc nec supplicium declinare. Qui si adtenderent, sicut in Adam illo voluntate peccante omnes peccaverunt, ita prius illo absque vitio exsistente omnes absque vitio exstitisse: Deum autem non homini necessitatem casus intulisse, potestatem tamen permisisse, ipsum vero utpote qui fecit quæ futura sunt, & qui vocat quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt, & casum præscisse, & quid casum sequeretur constituisse, ut videlicet genus humanum sua sponte corruptum, nec totum propter misericordiam damnaretur, nec totum propter justitiam salvaretur, nullam patientur caliginem, Deum quos rectos origine condidit, voluntas propria vitiavit, quos non liberat clementia, sic punire judicio, ut non ipse, verum ipsi convincantur suæ damnationis auctores.

VII. Hic aliquis, unde placari debuit, forsan irritatior dicat: Et si mihi semel pereundum est, cur hujus vitæ perdo compendia? cur cum mihi alibi semper futurum est male, non sit heic aliquamdiu bene? quare non omnes voluptatis effundo habenas, totumque quod delectat perficio? Averterit Deus hanc ab omni Christiano insaniam, ut se aliquis de numero perditorum credat, se a malo reverti non posse conjiciat, se inæstimabili Dei clementia salvari posse diffidat. Hoc eorum est, qui *transeunt in affectum cordis*: hoc est, qui malum amore insatiabili diligunt, & in eo durare obstinatissima intentione decreverunt, & in desperationis barathrum inrevocabili se impietate merserunt. Qui vero se redemtum Christi sanguine tanto pretio meminit, initiatum baptismate tanto sacramento non nescit, pœnitentiæ aditum suæ salutis argumentum patere non dubitat; cur quæso potius tantis beneficiis nullo suo merito nisi malo, non indefessus implorat, ut etiam & bonum meritum a Deo, & quæ bonum meritum consequuntur accipiat? Cur se regressum habere dum heic vivit desperat, cum potius de bonitate Dei præsumere debeat, quod ideo vivat ut semet ipsum tandem aliquando corrigat? Quis integre umquam sperare in Domino potuit, nec potuit ad veniam pervenire? Immo suo quisque judicio damnatus fugiat a Deo ad Deum, ab irato dum peccat, ad placatum dum pœnitet. *Revelet Domino viam suam, & speret in eum, & ipse faciet*, scilicet ut mala plene deserat, & bona jam ardenter ac delectabiliter apprehendat. Ille non potest Dei misericordiam consequi, qui in illo sperare non potest. Nam *sperantem in Domino*, ut ipse aperit, *misericordia circumdabit*. O quam tutum est nobis in Dei pietate perfugium! Paratus est Deus, *parcere subjectis, & debellare superbos*. His qui relinquunt culpam, & lacrymabiliter postulant veniam, facilis est præstare indulgentiam. Quis non huc multum diligat, ut sibi dimitti peccata multa diligendo obtineat? Festinus ergo quisque ad pœnitentiæ portum confugiat, securus adprehendat & teneat. Proponat sibi quisque æmula pietate David regem, & Petrum apostolum: quorum unus de adulterio & homicidio increpatur, ut par fuit, insigni dolore, *peccavi Domino* dixit, & translatum mox peccatum, nec se moriturum audire meruit: alter vero respectus ab eo qui paullisper *averterat ab eo faciem suam*, & propterea *factus fuerat conturbatus*, respectus inquam, id est in affectum pœnitentiæ excitatus, negationis Dei maculam, tantum nefas, dicto citius amaris lacrymis diluit, abolevit. At si quis tantorum virorum contemplatione desperationem magis quam imitationem concipit, quod hi, quamquam maxima crimina, virtutum copia propulsaverint atque oppresserint, se autem solis scatere vitiis ingemiscat, saltem illum latronem adspiciat, qui supplicium cru-

[a] Apoc. III. 11.

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 862.

cis haud dubie sceleratis actibus meruit, & per solam fidem, quæ subito confessionem peperit atque spem, in media morte vitam invenit. Postremo, si sciret se aliquis tam infeliciter addictum, ut absque ulla dubietate damnandus esset, cur non temperaret a vitiis? cur non etiam elaboraret sectari bona quæ posset, ut saltem eum levior pœna postea plecteret? Quis hujus vitæ pœnis torquendus, si facultas detur, non minores eligat, majores declinet? Minores autem pœnas minoribus, majores peccatis majoribus rependi divina scriptura consulta respondet: *Reddes*, inquit Propheta, *unicuique juxta opera sua*: pro qualitate scilicet bonorum, sive malorum, præmia quibusque digna restituet.

VIII. Sed si jam aliquid in persuadenda bona spe favore divino promovimus, sitne malorum prædestinatio sentienda, post ratiocinationem quam præmisimus, beati Augustini assertione pandamus. Hic auctor certissimus, quia divinarum scripturarum observantissimus, scribendo profecit. Unde culpat quosdam in libro de prædestinatione [1] Sanctorum, quod sicut studuissent ipsius libros legere, non etiam curassent cum ipso proficere: & proficienter scripsit, nec tamen suo judicio ad perfectionem pervenit. Tenebat enim, quod etiam in suo mirabili de Grammatica opere [2] Priscianus intelligit, nihil perfectum ex omni parte in humanis inventionibus inveniri posse. Immo quod noster ait Apostolus, *ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus*. Hoc in exactissimo libro de bono perseverantiæ, quem post vel inter libros Retractationum edidit, dignatur ingenue confiteri. In libris autem Retractationum, quibus non erubuit publicare in quibuscumque se deprehendit errasse, & censoria severitate damnare, & adhibita ubicumque potuit norma divinæ auctoritatis, & acumine cautissimæ argumentationis corrigere, eo usque profecit, ut studiosus quisque singularem ejus doctrinam secutus haurire debeat, malitiosus non inveniat in eo quod juste reprehendat. Quis illo pressius vitia resecuit? quis ad virtutes potentius instigavit, immo ut verius eloquar, impulit? quis illo felicius quod voluit persuasit? Cumque sit, ut ait Tullius, minimum de arte loqui, multo maximum ex arte dicere, ex arte quotiens voluit perfecte loquens oratorem implevit: de arte autem præclara adjumenta, vim ejus aperiens, in quarto de doctrina Christiana libro capacibus præstitit. Quis hoc sit sanctior? quis cautior? quis acutior? Hic itaque tot divinis ornatus muneribus, non dubitando, non quærendo, non argumentando, sed plane velut professum docendo, malorum prædestinationem esse insinuat. Verba ejus posui ex libro quem Enchiridion dixit, cui in retractatione cum vellet supremam imponere, ut ajunt, manum, nihil quod adjiceret, nihil quod mutaret invenit. [3] *Hæc sunt magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus, & tam sapienter exquisita, ut cum angelica & humana creatura peccasset, id est, non quod ille, sed quod voluit ipsa fecisset, etiam per eamdem creaturæ voluntatem, qua factum est quod creator noluit, impleret ipse quod voluit, bene utens & malis tamquam summe bonus, ad eorum damnationem, quos juste prædestinavit ad pœnam, & ad eorum salutem, quos benigne* [4] *prædestinavit ad gloriam*. Et ne hoc illi excidisse arbitreris, ac non pro comperto & certissimo comprobatum, cum ex multis librorum ejus locis, tum ex illius cujus feci paullo ante mentionem, qui inscribitur, De bono perseverantiæ, quem ætate matura firmoque judicio exercitatissimus edidit, poterit confirmari. [5] *Quibus*, inquit, *non vult subvenire non subvenit, de quibus in sua prædestinatione, occulte quidem, sed juste, aliud judicavit. Non est enim iniquitas apud Deum.* Huic non dissimilia sanctus Gregorius Papa, Fulgentius, Isidorusque senserunt: quorum ego testimonia ponere supersedi, ne diu aliorum scriptis extentus esset noster labor ingratior. Cujus autem sit momenti Augustinus, [6] Cælestino Papa docente discamus. *Augustinum*, inquit, *sanctæ recordationis virum pro vita sua atque meritis, in nostra communione semper habuimus, nec umquam sinistræ suspicionis rumor aspersit. Quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter* [7] *magistros etiam a meis semper decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, ut pote qui ubique cunctis & amori fuerit & honori.*

IX. Verum ne, quod cavendum etiam sæcularibus literis dum imbueremur cognovimus, amore doctorum amplecti judicemur errores eorum, unde probe idem Augustinus dehortatur in memorato de bono perseverantiæ libro his verbis; [8] *Quamquam neminem velim sic amplecti omnia mea ut sequatur, nisi in his in quibus me non* [9] *errare perspexerit, ac non potius unde potissimum quærendum est vestigare veritatem*; procedat Paullus in medium, cui audeat resistere nemo, nisi qui in ipso loquenti contradixerit Christo, ut detegat hoc tandem suo sermone secretum: [a] *Volens*, inquit, *Deus ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem, ut notas faciat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Ecce vasa iræ perfecta confirmat doctor gentium in perditionem. Et certe, quantum ad humanam spectat opinionem, pressius est dicere perfectum aliquid esse quam prædestinatum. Quantum enim ad humanorum casuum varietatem, perfectum infectum esse non potest, prædestinatum autem mutari aliquando potest: quantum autem ad Dei pertinet continentem omnia majestatem, idem illi & perfectum est, quia fecit quæ futura sunt, & prædestinatum, quia est immutabili veritate complendum. Iram vero illam appellat qua reprobi puniuntur, quæ talibus verbis in Evangelio terminatur: *Qui incredulus est filio non videbit vitam; sed ira Dei manet super eum.* Hanc ut evitaret orabat Propheta: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Sed forte nec ex hoc loco diversa sentientium sopiatur intentio, quia pleraque exemplaria, non vasa iræ perfecta in perditionem habent, sed *vasa iræ apta in interitum*. Quasi vero propterea non possint vasa iræ prædestinari in perditionem, quod apta sint in interitum. Accedat ergo Dominus Jesus, & nodum quæstionis ipse dissolvat. Denique ipse dicit in Evangelio: *Vobis datum est nosse mysterium regni cælorum, illis autem non est datum.* Vobis datum est, discipulis loquitur: illis autem non est datum; hoc est de undequaque confluentibus turbis. Si bene docen-

a Rom. IX. 22. 23.

1. Cap. XV. 2. In Præfat. lib. I.
3. Enchirid. cap. c.
4. In edit. *prædestinavit ad gratiam*.
5. Cap. XI.
6. Epist. VIII. ad Episcopos Galliarum.
7. In edit. Epist. Cælest. *magistros optimos*.
8. Cap. XXI.
9. In mss. *errasse*.

tem capio, eos quibus datum est misericordia colligit, quibus non est datum, judicio repellit, hoc est non adjuvando relinquit. Prædestinati autem sunt electi, quibus datum est, quorum certus est numerus. Neque enim Deus prædestinaret eos, quorum summa nesciret. Igitur cum ad eorum numerum adspirare non possint reprobi, quia ut salventur non est eis datum, quis possit ostendere, quis audeat affirmare, ut damnentur non esse prædestinatum? Item in Evangelio immutabili sententia præscribitur: *Qui non credit jam judicatus est.* Ad quid arbitraris, nisi ad puniendum? Cur quæso? nisi quia in Adam sua sponte peccante peccavit, nec hunc Dei gratia liberavit. An & inde cumulum sibi damnationis conscivit, quod in infidelitate permanere delegit? Ita vero est. Sed cur credere noluit? quia ut scriptum est, *non omnium est fides*. At cur non sit fides omnium, certus est limes, quem nisi impius excedere nullus audeat; quia illis non est datum. Si quidem cur eis non sit datum, illius est solius consilii, cujus quamquam sit subinde occultum, numquam tamen est injustum judicium. Hanc severitatem verisimile est illam quoque sonare sententiam; *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit*. Quod scilicet vas iræ aptum in interitum, vel perfectum in perditionem, malus obstinate in malo semper hæreat, & si videatur ad tempus correctionem simulare, sicut canis ad vomitum, sic ipse ad peccatum conscifcendo sibi mortem recurrat. In eadem sententia studiosi, qui cultu orationis plurimum delectantur, recognoscant licet, non eloquentiæ nitorem solum, sed etiam clausulam numerose cadentem.

X. Jam ergo, cum res in tuto sit, ponamus verborum controversias, ne puerili animositate contra invicem pro inani victoriæ jactantia litigantes corripiamur ab Apostolo dicente: *Noli verbis contendere, nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium*. Nam cum sit nobis unus magister cælestis, qui est verus & veritas, unde accipitur, & quo referenda est omnis veritas, cur pro nostris inventis dimicemus? ut idipsum dicamus omnes, quod nostrum non sit commentum, sed illius documentum, pacifice atque humiliter quid sit rectissimum requiramus. Si qui vero tantis moventur auctoritatibus, seque non nostra assertione, verum perspicua superatos intelligunt veritate, non dedignentur suam mutare sententiam, quia non tam erubescendum est homini errasse, quam cognitum errorem nolle vitare. Quod utiliter amplissimus orator Tullius suo proposito subtiliter monstrat exemplo. *Si temere*, inquit, *aliquid alicujus præteriisse, aut non satis eleganter secuti videbimur, docti ab aliquo facile & libenter sententiam commutabimus*. Non enim parum cognovisse, sed in parum cognito stulte & diu perseverasse turpe est: propterea quod alterum communi hominum infirmitati, alterum singulari uniuscujusque vitio est attributum.

QUÆSTIO III.

De sanguinis Domini taxatione.

I. Quæstionibus duabus, hoc est *de libero arbitrio*, & *de prædestinatione*, non ut voluimus, sed ut valuimus, pertractatis, ad tertiam, scilicet *de redemtione quanta sit sanguinis Christi*, quæ est ultima, veniamus. Et unde melius considerandi capiemus exordium, quam ab ejus verbis, qui quod postea sicut homo implevit, antea sicut Deus prædixit? Sunt hinc ejus verba: [a] *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum?* In hac exaltatione, quam se humiliando ut nos exaltaremur perpessus est, sanguis ille *pro multis effusus est in remissionem peccatorum*. Sic enim idem Jesus, hoc est nostra lingua Salvator, *salvum fecit populum suum a peccatis eorum*. Denique non aliquam solam gentem elegit, quam singulari privilegio totam salvaret: sed ut non suo merito, verum forsitan commendandæ dignitatis pontificalis gratia, Caiphas prophetavit, mortuus est Jesus, non tantum pro Judæorum gente, unde genus ducebat, sed *ut filios Dei qui erant dispersi congregaret in unum*. Non quod adhuc essent filii Dei, sed quia inter congregandum facti sunt filii Dei, cum unitati filii accesserunt. Non incongruenter igitur, sicut prædixit, ad se omnia traxit, qui ex omni genere hominum elegit quoscumque salvare decrevit. Qui multi dicti sunt, quia plures utique salvantur: omnes autem, quia ex omni genere hominum colliguntur.

II. Pro his fusum esse sanguinem Dei, quia *Verbum caro factum est*, hoc est Deus homo factus est, a parte totum significante scriptura (sicut alibi: *Et videbit omnis caro salutare Dei*, hoc est omnis homo) & quia Deus, dum integram naturam nostram assumsit, suam incorruptam certe retinuit, universalis confitetur Ecclesia per totum orbem terræ diffusa. Quæ necessitate constringitur in accepta sanctificatione manendi, sic Apostolo explanante: *Emti estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro*. Itemque se annumerato de omnibus dicit idem Apostolus: *Proprio filio*, haud dubium quin Deus, *non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Item de his omnibus in epistola quæ præscribitur ad Hebræos: *Vidimus Jesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem*. Et aperiens qui sunt isti homines, mox intulit: [b] *Decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare*. Decebat quippe Deum patrem, propter quem omnia, hoc est cujus bonitate sunt omnia, & per quem omnia, quia ab illo coæternus ei ortus est filius per quem facta sunt omnia, *Omnia enim in sapientia fecisti*, dicit sacer psalmus: qui, hoc est pater, multos filios in gloriam adduxerat; cum scilicet nemo venisset ad filium, nisi quem pater ipse traxisset; auctorem salutis eorum, hoc est auctorem salvatorum, per passionem consummare, ut de quo dicitur, quæ cœpit Jesus facere & docere, quod docendum in mundo ipse docuerat, primus impleret, hoc est, *majorem caritatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*,

a Joan. XII. 32. b Hebr. II. 10.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 862.



& ita cum per passionem consummaret pater, id est consummatum perfectumque ostenderet: cum quod ipse bene docuisset, non solum implere quamquam arduum non recusasset, verum etiam suo exemplo ceteros excitasset. Intuendum quod quos dicit omnes in eo quod paullo ante posuit, qualiter gratia Dei pro omnibus gustaverit mortem, eosdem paullo post nuncupat multos, inferens, qui multos filios in gloriam adduxerat. Hæc divinorum eloquiorum auctoritas intelligenter expensa, pro omnibus Dei filium gustasse mortem sic accipi posse insinuat, quemadmodum Deum velle omnes fieri salvus. Ut enim salvos fieri vult omnes quicumque salvantur, ita redimit omnes quicumque rediumuntur. Non autem salvantur omnes, B nec vero redimuntur. Non itaque vult salvari alios omnes aut redimi, nisi qui redimuntur atque salvantur.

III. In hoc sensu beatus Augustinus invenitur in libro, cujus jam supra meminimus, qui Enchiridion dicitur. Locus hic est: *Hæc* [1] *quæ in sanctis angelis & virtutibus dicitur Ecclesia, tunc nobis sicuti est innotescet, cum ei conjuncti fuerimus in finem ad simul habendam beatitudinem sempiternam. Ista vero, quæ ab illa peregrinatur in terris,* [2] *& nobis notior est,* [3] *quo in illa sumus, & quia hominum est, quod & nos sumus, hæc sanguine mediatoris nullum habentis peccatum ab* C *omni est redemta peccato. Ejus vox est, Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui filio proprio non pepercit, sed pro omnibus tradidit eum.* In Ecclesia enim, quæ sanguine mediatoris, nullum habentis peccatum, ab omni est redemta peccato, intelligit esse omnes, qui apostolico testimonio comprehenduntur, quod est, *pro nobis omnibus tradidit eum*. Curiosos tamen divinorum eloquiorum non fugiat, probabiliter dici posse mortuum pro omnibus Christum, qui ejus fidei sacramenta, sive servaturi, sive non servaturi suscipiunt. Pro servaturis quidem nulli potest esse ambiguum, pro non servaturis Apostolus idoneus auctor est illo testimonio, *Peribit in tua scientia frater, propter* D *quem Christus mortuus est?* Nec mirum, cum fides sine operibus otiosa sit, & multi vocati, pauci vero doceantur electi. Verum hoc quidam velut blasphemum vehementer exsecrantur & damnant, quod derogetur plurimum redemtori, nisi generaliter omnes homines redemerit. Nos autem A salva fide, hoc est quod suo sanguine Deus redemerit omnes quos voluerit, & nulli sint redemti, nisi quos ipse redemerit, ita caussam in medio relinquimus, ut si quilibet eumdem sanguinem redemtoris prodesse aliquid etiam perditis valeant demonstrare, non solum resistamus nihil, verum etiam libenter in eorum sententiam transeamus. Nam si sol cæcos, quamquam non illuminet, tamen fovet, cur non potentior sol, etsi non salvat suo merito excæcatos atque damnatos, tanti pretii merito minus puniat? Si tamen hoc admittat consilii ejus benevolentia, cui canitur: *Suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus.* Sed huic opinioni videtur Apostolus refragari, ubi ait: *Ego Paullus dico vobis, quia si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Nam si nihil proderit Christus baptizatis, qui etiam Spiritum sanctum acceperint, sicut idem Apostolus declarat his verbis: *Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* si inquam nihil proderit Christus talibus baptizatis a fide resilientibus; quemadmodum proderit aliquid baptizatis, & relapsis in crimina nec correctis, & quibusque in infidelitate defunctis?

IV. Verum ne me irridendum & respuendum pronuntient, quibus placet omnes sive bonos sive malos indifferenter a Christo redemtos, ponam unum quod cum eis faciat testimonium, & eos omnes ut opinor in gratiam reduxero. Joannes [4] Constantinopolitanus, doctrina & sanctitate juxta insignis Episcopus, ut gratia Dei pro omnibus gustaverit mortem, quod supra jam posui, sic exposuit, qualiter gratia Dei pro omnibus gustaverit mortem, non pro fidelibus tantum, sed pro mundo universo. *Et ipse quidem pro omnibus mortuus est. Quid autem si non omnes credunt? Ille quod suum erat implevit.* Eligat sane superioribus acute consideratis unusquisque quod optimum ei Deus occulta inspiratione suggesserit, aut magistris ejus scriptura manifesta ratione protulerit. Hæc habui quæ de tribus non spernendis quæstionibus dicerem: atque utinam tam proficue, quam prolixe! Quæ si cognoscere non fastidierint studiosi, quamquam approbare non possint obtusam incultamque meam disputationem, tamen quando volentibus quod utile putavi benivole cognoscendum exposui, non improbabunt, credo, talem scilicet volentem prodesse devotionem.

1. Cap. LXI.
2. edit. August. ea.
3. *Quod.*
4. Homil. IV. in Epist. ad Hebr. cap. II. 9.

SERVATI LUPI
COLLECTANEUM
DE
TRIBUS QUÆSTIONIBUS.

Multis laudabiliter studiosis desiderantibus cognoscere ipsis auctorum verbis, quem exitum habeant quæstiones *de prædestinatione* ac *libero arbitrio*, nec non *de redemtione sanguinis Christi*, fideliter morem gessi, ut & pie quærentium eruditio largiente Dei gratia capiat incrementum, & diversa sentientium contradictio mitigetur. Nec aspernabitur benivolus & prudens Lector, si deferam per quos profeci & proficio doctores, vel si eorum assignatis obscurioribus sententiis aliquid lucis infundam, cum eorum honoris mecum habere debeat considerationem, & facillime possit advertere, non ostentationis vanitate, sed ostendendæ veritatis voto, me deprehensa monstrare. Jam itaque narratio propositum exsequatur.

I.

De prædestinatione.

I. Cælestinus Papa beatum Augustinum his verbis commendat. [1] *Augustinum sanctæ recordationis virum, pro vita sua atque meritis, in nostra communione semper habuimus, nec umquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit. Quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter magistros etiam a meis decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune censerunt, ut pote qui ubique cunctis & amori fuerit & honori.* Hic clarissimus doctor, sedis Apostolicæ tanto præconio laudatus, in libro ad Laurentium de fide, spe, & caritate, quem jam Episcopus & senex edidit, prædestinatos bonos & malos ita insinuat. [2] *Hæc sunt*, inquit, *magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus, & tam sapienter exquisita, ut cum angelica & humana creatura peccasset, id est, non quod ille, sed quod voluit ipsa fecisset, etiam per eamdem creaturæ voluntatem, qua factum est quod creator noluit, impleret ipse quod voluit, bene utens & malis, tamquam summe bonus, ad eorum damnationem, quos juste prædestinavit ad pœnam, & ad eorum salutem, quos benigne prædestinavit ad* [3] *gloriam.*

II. Idem in ultimo de Civitate Dei libro, quem jam Episcopus composuit, expresserat. [4] *Hæc*, inquit, *omnia miserorum sunt damnatorumque solatia, non præmia beatorum. Quæ igitur illa sunt, si tot & talia ac tanta sunt ista? quid dabit eis, quos prædestinavit ad vitam, qui hæc dedit etiam eis quos prædestinavit ad mortem?* In penultimo autem ejusdem tam elaborati & mirandi operis libro sic docuerat. ,, [5] Hæc caussa, qua fit ut nunc Ecclesia non oret pro malis Angelis, quos suos novit esse inimicos, eadem ipsa caussa est, qua fiet ut in illo tunc judicio, etiam pro hominibus æterno igni cruciandis, quamvis perfecta sit sanctitate, non oret. Nunc enim propterea pro eis orat, quos in genere humano habet inimicos, quia tempus est pœnitentiæ fructuosæ. Nam quid maxime pro eis orat, nisi ut det illis Deus, sicut dicit Apostolus, pœnitentiam & resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur secundum ipsius voluntatem? Denique si de aliquibus ita Ecclesia certa esset, ut qui sunt illi etiam nosset, qui licet adhuc in hac vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quam nec pro ipso. Sed quia de nullo certa est, orat pro omnibus dumtaxat hominibus inimicis suis in hoc corpore constitutis, nec tamen pro omnibus exauditur. Pro his enim solis exauditur, qui etsi adversantur Ecclesiæ, ita sunt tamen prædestinati, ut pro eis exaudiatur Ecclesia, & filii efficiantur Ecclesiæ. Si qui autem usque ad mortem habebunt cor impœnitens, nec ex inimicis convertentur in filios, numquid jam pro eis, id est pro talium defunctorum spiritibus orat Ecclesia? [6] Non. Cur ita? nisi quia in parte jam diaboli computatur, qui cum esset in corpore non est translatus ad Christum. Eadem itaque caussa est, cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne puniendis, quæ caussa est ut neque nunc, neque tunc oretur pro Angelis malis: quæ itidem caussa est, ut quamvis pro hominibus nunc vivis oretur etiam malis, tamen jam nec nunc oretur pro infidelibus impiisque defunctis. Nam pro defunctis quibusdam, vel ipsius Ecclesiæ, vel quorumdam piorum exauditur oratio; sed pro his, quorum in Christo regeneratorum, nec usque adeo vita in corpore male gesta est, ut tali misericordia judicentur digni non esse, nec usque adeo bene, ut talem misericordiam reperiantur necessariam non habere. ,,

III. Item in secundo ad Marcellinum libro, malos prædestinatos jam Episcopus ita scribit. [7] *Ut innotescat*, inquit, *quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates, qua ut non ajuventur in ipsis itidem caussa est, non in Deo, sive damnandi* [8] *vel prædestinati sunt propter iniquitatem superbiæ, sive contra ipsam suam superbiam judicandi, ut eruditi filii sint misericordiæ.*

IV. Item malos prædestinatos in libro De bono perseverantiæ, quem inter vel post libros Retractationum edidit, sic sentit: [9] *Quibus non vult subvenire non subvenit, de quibus in sua prædestinatione, occulte quidem, sed juste, aliud judicavit: non est enim iniquitas apud Deum.* In eodem libro nomine præscientiæ significari prædestinationem Apostolico testimonio confirmavit. [10] *Non repulit*, in-

1. Epist. VIII. ad Episcopos Galliarum.
2. Enchiridii cap. C.
3. In edit. *ad gratiam*.
4. Lib. XXII. cap. XXIV. sub finem.
5. Lib. XXI. cap. XXIV. sub initium.
6. In edit. August. abest *non*.
7. Cap. XVII.
8. In edit. Aug. abest *vel*.
9. Cap. XI.
10. Cap. XVIII.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 862.

quit, *Deus plebem suam quam præscivit. Hoc quod* A *ait præscivit, non recte intelligitur nisi prædestinavit*. Quid autem sit prædestinare, in superioribus ejusdem libri taliter definierat, quod fideli est memoria continendum. [1] *Sine pœnitentia*, inquit, *sunt dona & vocatio Dei. Namque in sua quæ falli mutarique non potest præscientia, opera sua futura disponere, id omnino nec aliud quidquam est* [2] *quam prædestinare*. De utrorumque prædestinatione, hoc est bonorum & malorum, non dubitavit palam in populo prædicare. [3] *Quia dilexisti*, inquit, *me ante mundi constitutionem: in illo enim dilexit & nos ante constitutionem mundi, & jam prædestinavit quid in fine facturus est mundi. Pater*, inquit, *juste, mundus te non cognovit: quia justus es, ideo* B *te non cognovit. Mundus quippe ille damnationi prædestinatus merito non cognovit: mundus vero, quem per Christum reconciliavit sibi, non merito, sed gratia cognovit*.

V. In opere autem, quod ut [4] Prosper testis est, ultimum contra Juliani libros, inter impetum Wandalorum in ipso dierum suorum fine composuit, gloriose in defensione Christianæ gratiæ perseverans, sic loquitur. „ [5] *Quid te adjuvat quod* „ *eos mihi objecisti*, quos exspectat Dei patientia „ per pœnitentiam corrigendos, & ideo super il„los oriri solem suum facit & pluit, cum ego ti„bi hœdos sinistræ partis objecerim, quos usque C „ in finem, sine pœnitentia victuros in impietate „ & sceleribus suis, ac per hoc æterno supplicio „ puniendos ignorare non potest præscius omnium „ futurorum, nec ab eis abstinet bonum creationis „ suæ quibus nec nasci expediret, nec bonum nu„tritionis & vivificationis suæ, quantum ei pla„cuerit diuturnæ, quibus mori quantocius expe„diret? inter quos sunt certe plurimi, qui si ex „ hac vita abriperentur infantes; secundum falsam „ vestram hæresim, penitus ab omni, secundum „ autem catholicam fidem, a damnatione graviffi„ma tollerentur. Quid deinde illud est, quod in „ his sinistræ partis hœdis, in Dei præscientia, „ quæ falli non potest, igni perpetuo destinatis, D „ multi sunt qui lavacro regenerationis abluti, po„stea vel apostasia pereunt, vel tam facinorose „ flagitioseque vivunt, ut eidem sinistræ sine dubio „ deputentur, nec rapiuntur sicut quidam, ne ma„litia mutet intellectum eorum, nec ut hoc eis „ Deus tam magnum beneficium non conferat, fa„tali necessitate prohibetur, neque ut aliis con„ferat personarum acceptione mutatur? „

VI. Hæc de prædestinatione sanctus Augustinus. Sed ne forte quis audiens malos prædestinatos, arbitretur Deum auctorem perditionis eorum, sicut est auctor salutis eorum quos prædestinavit ad gloriam; consideret quod idem Deus Adam rectum E fecit, & in eo originaliter rectos nos omnes condidit. [6] *Fuit enim Adam*, ut ait beatus Ambrosius, *& in eo fuimus omnes: periit Adam, & in illo omnes perierunt*. Cum itaque omnes recti essemus in Adam, illo absque ulla necessitate peccante, sine dubio corrupti sumus peccato, & divino damnati judicio. Ex hac totius generis humani massa merito damnata, cum fiunt vasa in honorem, hoc est cum formantur electi, exuberat Dei misericordia, & sola ejus gratia corrupta salvatur natura. Ergo & quod creantur, & quod salvantur Dei est, quorum alterum opificio, alterum ejus beneficio deputatur. Cum vero ex eadem massa fiunt vasa in contumeliam, hoc est non salvandi producuntur, nihil mirum videri debet, quia spontanei peccati merito damnata est massa unde creantur. Quod ergo creantur, Dei est; quod damnantur, ipsorum. Et quis nesciat creationem cujuslibet rei, nedum hominis, bonam esse, sponte vero commissæ culpæ ultionem justam exsistere? Cum itaque bonos prædestinatos audimus, creantem Deum, & ex merito damnata massa, eos sua gratia liberantem intueamur: cum vero malos prædestinatos, item creantem eos Deum, & in merito damnata massa judicio relinquentem consideremus, & sic utrisque creationis bonum semper nobis constabit, & vel in assumtis misericordia, vel in relictis justitia eminebit. Neque enim Deus quos condidit in perditionem impellit, sed quos non liberat a perditione per gratiam, relinquit in perditione, quam vel nascendo, vel postea vivendo meruerunt, per occultam, nec tamen reprehendendam justitiam. Ita Deus, juxta beatum Apostolum, *cujus vult miseretur, & quem vult obdurat; qui omnia quæcumque voluit fecit in cælo & in terra. Rectus est autem Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo*. De his qui liberantur dictum est; *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum*: de his autem qui relinquuntur, *dimisit eos secundum desideria cordis eorum: ibunt in adinventionibus suis*.

VII. Hunc sensum beatus Augustinus in memorato libro, quem ut ostendi ultimum fecit, his verbis satis aperuit. „ [7] Cum dicuntur, *inquit*, „ omnes ex uno in condemnationem, ipsa massa „ significatur, ex qua fiunt a figulo alia vasa in „ honorem, id est quæ assumuntur in gratiam, „ alia in contumeliam, id est quæ ad luendum „ debitum relinquuntur. Ut filii gratiæ id sibi do„nari sciant, quod si exigeretur non esset inju„stum, ac sic non in se ipsis, sed in Domino „ glorientur. *Et post paullulum, refutans id quod* „ *Julianus scripserat*; [8] Pietas explanavit & ratio, „ Deum meum neminem in contumeliam formare: „ Si Deus tuus, *inquit*, in contumeliam neminem „ format, non est ipse Paulli Apostoli Deus. Ille „ quippe de Deo vero dicebat; O homo, tu quis „ es qui respondeas Deo? numquid dicit figmen„tum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? an non „ habet potestatem figulus luti ex eadem massa „ aliud quidem vas facere in honorem, aliud in „ contumeliam? Sed tu videlicet artifex magnus „ profers ex officina Pelagiana meliorem Deum, „ qui nullus vas fecit in contumeliam. *Item post* „ *aliquanta*. [9] Non abstinet Deus bonum forma„tionis suæ etiam ab stirpe damnata. Sed si tibi „ displicet Deum creare quos damnet, contradic „ ei si potes, ne creet eos quos malos futuros, „ & in malignitate usque in finem perseveraturos, „ & ob hoc sine dubitatione damnandos esse præ„scivit. Aut ei suggere si videtur, ut tot millia „ parvulorum non baptizatorum, quos novit per„dite esse victuros, & in æternum ignem damnan„te ipso cum diabolo ituros, rapi vetet ex hac „ vita dum sunt innocentes & boni. *Et paucis* „ *interpositis*, Cum enim, *inquit*, te invidiose

1. Cap. XVII.
2. In edit. August. abest *quam*.
3. August. Tract. CXI. in Joan.
4. In Chron. ad ann. 433.
5. Oper. imperf. lib. V. cap. LXIII.
6. Lib. VII. in Luc. cap. XV. ℣. 24. & apud August. oper. imperf. lib. I. capp. XLVII, XLVIII.
7. Lib. I. cap. CXXVIII.
8. Ibid. cap. CXXIX.
9. Cap. CXXX.

„ dicere putaveris Deum creare quos damnet, cogita quanto invidiosius possit dicere alius similiter, vane Deum regenerare quos damnet, cum sit in ejus omnipotentiæ potestate, antequam damnabiles fiant, eos de tentationibus mortalis vitæ hujus auferre. Si autem non potes ista dicere; nec Deo contradicere, nec illi sapientiæ tuum præbere consilium, quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? desine nobis introducere alterum figulum, qui non facit vasa in contumeliam, & ab isto qui ea facit reprehendendo cohibe te, & agnosce te, quia ut te non implices hoc sacrilegio, ideo tibi dicit Apostolus, O homo, tu quis es ut respondeas Deo?" Recurramus posita contentione ad Apostolum Paullum, & obscurum locum ejus tanto auctore illustrante salubriter intelligamus. a *Quod si volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.*

VIII. Nam de his vasis iræ, & vasis misericordiæ, & sæpe alias, & in epistola ad Optatum Episcopum, quid sit sentiendum, idem auctor luculenter expressit. „ [1] Cur autem, *inquit*, creantur etiam illi quos creator novit ad damnationem, non ad gratiam pertinere, beatus Apostolus tanto succinctiori brevitate, quanto majore auctoritate commemorat. Deum enim dicit, volentem ostendere iram, & demonstrare potentiam suam; attulisse in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem, ut notas faceret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quem superius dixerat, tamquam figulum luti, ex eadem massa facere aliud vas in honorem, & aliud in contumeliam. Merito autem videretur injustum, quod fiunt inde vasa iræ ad perditionem, si non esset ipsa universa ex Adam massa damnata. Quod ergo fiunt inde nascendo vasa iræ, pertinet ad debitam pœnam: quod autem fiunt renascendo vasa misericordiæ, pertinet ad indebitam gratiam. Ostendit ergo Deus iram suam, non utique animi perturbationem, sicut est quæ ira hominis nuncupatur, sed justam fixamque vindictam, quod de stirpe inobedientiæ ducitur propago peccati atque supplicii; & *homo natus ex muliere*, sicut in libro Job scriptum est, *brevis est vitæ, & plenus iracundiæ*: ejus enim rei vas est qua plenus est, unde vasa iræ dicuntur. Ostendit & potentiam suam, qua bene utitur etiam malis, multa in illis naturalia & temporalia bona largiens, eorumque malitiam ad exercendos, & comparatione admonendos bonos accommodans: ut in eis discant agere gratias Deo, quod ab eis non suis meritis, quæ [2] in eadem paria fuerunt, sed illius miseratione discreti sunt. Quod maxime apparet in parvulis, de quibus cum per Christi gratiam renascuntur, & istam vitam in illa tenera ætate finientes in æternam transeunt & beatam, dici non potest quod libero discernuntur arbitrio ab aliis infantibus, qui sine gratia in ipsius massæ damnatione moriuntur. Si autem hi soli crearentur ex Adam qui essent per gratiam recreandi, & præter illos qui in Dei filios adoptantur, nulli alii homines nascerentur: lateret beneficium quod donaretur indignis, quia nullis ex eadem damnabili stirpe venientibus debitum supplicium redderetur. Cum vero attulit in multa patientia vasa iræ quæ perfecta sunt in perditionem; non solum ostendit iram, & demonstravit potentiam suam, redhibendo vindictam, & bene utendo non bonis; sed etiam notas fecit divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. Ita enim quid sibi præstetur discit gratis justificatus, dum non suo merito, sed gloria largissimæ Dei misericordiæ discernitur a damnato, cum quo eadem justitia fuerat & ipse damnandus. Tam moltos autem creando nasci voluit, quos ad suam gratiam non pertinere præscivit, ut multitudine incomparabili plures sint eis, quos in sui regni gloriam filios promissionis prædestinare dignatus est; ut etiam ipsa rejectorum multitudine ostenderetur, quam nullius momenti sit apud Deum justum, quantalibet numerositas justissime damnatorum. Atque ut hinc quoque intelligant qui ex ipsa damnatione redimuntur; hoc fuisse debitum massæ illi universæ, quod tam magnæ parti ejus redditum cernerent, non solum in eis qui originali peccato multa addunt malæ voluntatis arbitrio, verum etiam in tam multis parvulis, qui tantummodo vinculo peccati originalis obstricti, sine gratia mediatoris ex hac luce rapiuntur. Tota quippe ista massa justæ damnationis reciperet debitum, nisi ex ea faceret, non solum justus, sed etiam misericors figulus, alia vasa in honorem, secundum gratiam, non secundum debitum, dum & parvulis subvenit, quorum nulla merita dici possunt, & majores prævenit, ut habere aliqua merita possint."

IX. Prædestinatos malos in opere beati Augustini ad Marcellinum clarissimus auctor Hieronymus legit, & id opus non solum non reprehendit, verum etiam magnis laudibus extulit. Verba ejus hæc sunt. „ [3] Scripsit dudum vir sanctus & eloquens Episcopus Augustinus ad Marcellinum, qui postea sub invidia tyrannidis Heraclianæ ab hæreticis innocens cæsus est, duos libros de infantibus baptizandis contra hæresim vestram, per quam vultis asserere baptizari infantes, non in remissionem peccatorum, sed in regnum cælorum. Tertium quoque ad eumdem Marcellinum, contra eos qui dicunt idem quod vos, posse hominem sine peccato esse, si velit, absque Dei gratia. Unde supersedendum huic labori censeo, ne dicatur mihi illud Horatii

In silvam ne ligna feras —

Aut enim eadem dicemus ex superfluo, aut si nova voluerimus dicere, a clarissimo ingenio occupata sunt meliora. „

X. [4] Idem doctor alio verbo sensum prædestinationis expressit in explanatione primi Psalmi: *Qui autem non credit*, inquit, *jam judicatus est: jam enim præjudicatus ad pœnam est*. Et post pauca: *Non resurgunt*, inquit, *impii in judicio: non resurgunt ut judicentur, quia jam judicati sunt: qui enim non credit in me jam judicatus est.*

a Rom. IX. 22. 23.

1. Epist. CLVII. cap. III.
2. Aliq. edit. August. *in eadem massa*.
3. Adversus Pelagianos lib. III. in fine.
4. Hæc sententia in commentariis in Psalmos quæ aliqui post Servatum Lupum Hieronymo adscripserunt, ita legitur, *non dixit quia non resurgunt, sed quia in judicio non resurgunt: jam enim de his præjudicatum est*.

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 862.



XI. *Item in Dialogo.* ,, [1] Aliud est cædere magistri & parentis affectu, aliud contra adversarios crudeli animo desævire. Quam ob caussam & in primo Psalmo canit, quoniam non resurgunt impii in judicium: jam enim in judicium præjudicati sunt. ,, *Idem in explanatione Esaiæ prophetæ:* ,, [2] Pro dissipata terra, LXX. corruptum orbem interpretati sunt: & pro afflicta facie illius, id est terræ, iidem transtulerunt, & revelabit faciem ejus, ut procedant mortui de sepulcris suis: sive nudabit eam, ut omnia opera ejus proferantur in publicum, & dispergantur habitatores in diversa loca, præmiis vel suppliciis destinati. ,,

XII. Non contemnendus auditor ejusdem Hieronymi Philippus, in expositione sententiæ beati Job: [a] *Antequam dies ejus impleantur peribit. Tunc dies,* inquit, *uniuscujusque impleri dicitur, cum bonorum hominum ac malorum retributio venerit. Hic ergo homo, sive diabolus, ante perspicuæ sententiæ diem, quam ei Dominus in futuro judicio daturus est, præscitus in prædestinatione peribit, sicut & de incredulis Propheta dicit*, non resurgent impii in judicio, *vel Dominus ait in Evangelio*, qui autem non credit jam judicatus est.

XIII. Sanctus Papa Gregorius prædestinatos malos pressiore adhuc verbo insinuat. ,, [3] Leviathan, *inquit*, ille qui cum membris suis æternis est cruciatibus deputatus, & dolus in manu ejus dirigitur, & in collo ejus fortitudo demoratur, hoc quod temporaliter perversa contra bonos voluntate desiderat, perversiore facultate consummat: ut tanto ei de adversitate in præsenti nihil obstet, quanto ei in posterum de prosperitate nihil remanet. ,, Eadem tamen prædestinatio vel deputatio, quemadmodum sit intelligenda exponens in moralibus: ,, [4] Non quasi, *inquit*, crudelis suscitabo eum, quis enim resistere potest vultui meo, & quis ante dedit mihi ut reddam ei? aperte insinuat. Non eum, *inquit*, quasi crudelis suscito, quia de ejus fortitudine, & electos meos potenter eripio, & rursum reprobos non injuste sed rationabiliter damno, id est, & eos quos benigne eligo eripere mirabiliter possum, & eos quos respuo non injuste derelinquo. ,, *Et post aliquanta:* ,, [5] Miro modo, *inquit*, æquus omnibus conditor, & quosdam prælegit, & quosdam in suis reprobis moribus juste dereliquit. ,, *Item in moralibus exponens:* Si destruxerit, nemo est qui ædificet: si incluserit hominem, nullus est qui aperiat. [6] Omnipotens, *inquit*, Deus humanum cor destruit cum relinquit, ædificat dum replet. Neque enim humanam mentem debellando destruit, sed recedendo, quia ad perditionem suam sufficit sibi dimissa. ,, *Item post aliquanta:* ,, Si incluserit hominem, nullus est qui aperiat. Quia sicut nemo obsistit largitati vocantis, ita nullus obviat justitiæ relinquentis. Includere itaque Dei, est clausis non aperire. Unde & ad Moysem dicitur de Pharaone, *ego obdurabo cor ejus*. Obdurare quippe per justitiam dicitur, quando cor reprobum per gratiam non emollit. ,,

XIV. Idem in explanatione Evangelicæ sententiæ, *in viam gentium ne abieritis:* ,, [7] Subtili, *ait*, occultoque judicio a quorumdam auribus prædicatio sancta subtrahitur, quia suscitari per gratiam non merentur. Unde necesse est, fratres carissimi, ut in omni quod agimus, omnipotentis super nos Domini consilia occulta timeamus: ne dum mens nostra exterius fusa à sua se voluntate non revocat, intus contra eam judex terribiliter adversa disponat. Quod bene Psalmista intuens ait: *Venite & videte opera Domini, quam terribilis in consiliis super filios hominum*. Vidit namque, quod alius misericorditer vocatur, alius justitia exigente repellitur. Et quia alia parcendo Dominus, alia irascendo disponit, expavit quod penetrare non potuit, & quem non solum investigabilem in quibusdam suis sententiis, sed etiam inflexibilem vidit, terribilem in consiliis esse memoravit. ,,

XV. [8] Beda divinis literis impense doctus, bonos malosque prædestinatos, exponens illud Genesis, *Surgite, egredimini de loco isto: quia delebit Dominus civitatem hanc: Et visus est eis quasi ludens loqui*, indubitanter asseruit. ,, Quod ostium, *inquit*, Loth oncluserunt Angeli, ne vel ipsum, vel aliquem de domo ipsius possent ad perdendum rapere Sodomitæ, patenter insinuat, quia nullum de electis Dei perditura est impietas & persecutio reproborum, dicente Domino de ovibus suis: *Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea*. Quod item Loth, facultate ab Angelis data, nullum de civibus perfidis, ne de suis quidem cognatis, sive amicis, tamen etsi multum conatus, potuit ad salutem revocare, significat quod nullius labor hominis ad numerum prædestinatorum, qui ante constitutionem mundi electi sunt a Domino, vel unam possit animam adjicere. Novit enim Deus qui sunt ejus. Verum etsi nostram fragilitatem qui ad electorum sortem pertinent latet, non tamen ab agenda cura nostræ salutis cessandum, nec ab instruendis proximis lingua est continenda; sed ad exemplum beati Loth, & nobis caste vivendum, & errantium quoque correctioni officium pietatis impendendum. Constat enim, quod etsi prædestinatos ad interitum salvare nequimus, nostræ tamen benignitatis, quam erga illorum salutem impendimus, mercedem non perdimus. ,,

XVI. Sanctus Fulgentius, Ruspensis provinciæ Africanæ Episcopus; ut scribit Joannes Romanæ Ecclesiæ diaconus; in libro ad Petrum de regula veræ fidei, de prædestinatis hoc modo disseruit: ,, [9] Firmissime tene, & nullatenus dubites, omnes quos vasa misericordiæ gratuita bonitate Deus facit, ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei prædestinatos a Deo: neque perire posse aliquem eorum quos Deus prædestinavit ad regnum, nec quemquam eorum quos Deus non prædestinavit ad vitam, ulla posse ratione salvari. Prædestinatio enim illa gratuitæ donationis est præparatio, qua nos Apostolus

a Job. xv. 32.

1. Lib. I. adversus Pelagianos post medium.
2. Cap. XXIV. I.
3. Lib. XXXIV. cap. II.
4. Lib. XXXIII. cap. XX.
5. Cap. eod.
6. Moral. lib. XI. cap. V.
7. Homil. IV. in Evang.
8. Hoc idem testimonium auctor libri de tribus epistolis cap. VII. recitat integrum, & attribuit sancto Ecclesiæ doctori Bedæ presbytero exponenti locum Genesis cap. XIX. de ereptione Loth ex interitu Sodomorum.
9. De fide ad Pet. cap. XXXV. edit. an. 1684.

„ ait prædestinatos in adoptionem filiorum Dei per „ Jesum Christum in ipsum. „

XVIII. Item Fulgentius in libro ad Monimum, sensum beati Augustini de prædestinatis ad interitum his verbis expressit. „ [1] Nihil aliud, *inquit*, „ accipiendum existimo, in illo sancti Augustini „ sermone, quo ad interitum quosdam prædestinatos firmat, nisi ad interitum supplicii, non delicti: neque ad malum quod injuste admittunt, „ sed ad cruciatum quem justissime patientur; nec „ ad peccatum, quo primæ resurrectionis beneficium, aut non accipiunt, aut amittunt, sed ad „ tormentum quod illis propria iniquitas male parit, & æquitas divina bene retribuit: nec ad B „ mortem animæ primam, in qua nascuntur parvuli, vel in quam, sicut beatus Jacobus dicit, „ concupiscentia sua abstracti & illecti recidunt „ criminosi, sed ad mortem secundam, quam necesse est patiantur, retribuente justissimo judice, „ seu qui ante perceptam gratiam baptismi discedunt de sæculo, sive qui in vacuum gratiam „ Dei recipientes, post acceptum baptismum, usque in finem præsentis vitæ, malunt servi esse peccati, nec volunt dum tempus est acceptabile, & dies salutis, converti a via sua mala „ ut vivant: & ignorantes quoniam benignitas Dei „ ad pœnitentiam eos adducit, ipsi secundum duritiam suam, & impœnitens cor, thesaurizant C „ sibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei. „

XVIII. [2] Item Joannes Ecclesiæ Romanæ diaconus, prædestinatos malos sermonibus beati Augustini expressit, volens ostendere, quid significat illud Genesis: *Congregentur aquæ quæ sub cælo sunt in locum unum, & appareat arida.* „ [3] Quid est, „ *inquit*, arida? In Ecclesia arida vocatur omnis „ anima sitiens Dominum. Segregatæ sunt enim „ aquæ, & apparuit arida. Mare, hoc sæculum „ est, & aquæ quæ sunt amaræ segregatæ sunt, „ & congregatæ in congregatione una, id est prædestinatæ in unum finem, quo dirigit Deus omnipotens quos separat a sanctis. „ D

XIX. Isidorus Episcopus in libro sententiarum. [4] *Gemina est*, inquit, *prædestinatio, sive electorum ad requiem, sive reproborum ad mortem.* Hunc tamen quidam reprehendendum putant, quod geminam, hoc est duplicem prædestinationem solus introduxerit, cum simplex Dei natura simplici, hoc est una, prædestinatione secundum eos bonos malosque complexa sit. Qui si intueantur, alios esse qui ad dexteram gratia statuuntur, alios qui ad sinistram justitia relinquuntur, tamen etsi sit ut volunt simplex prædestinatio, duplicem ejus non negabunt effectum: cum aliud sit debitam pœnam E luere, aliud gratuitam gloriam reportare: nec docto viro verbi calumniam ulterius nisi contentione impudentissima commovebunt. A qua tamen ut tandem aliquando conquiescant, & docturi prius ad doctores accedant, docendi non judicaturi, recenseant sententiam Dei ad beatum Job: *Numquid nosti*, inquit, *ordinem cæli, & pones rationem ejus in terra?* Et beatum Gregorium, & summe do- A ctum, & mire facundum, in ejus explanatione prædestinationes plurali numero posuisse invenient. [5] *Ordinem*, inquit, *cæli nosse, est supernarum dispositionum occultas prædestinationes videre; rationem vero ejus in terra ponere, est ante humana corda talium secretorum caussas aperire.*

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 862.



I I.

De libero arbitrio.

I. DE libero arbitrio, beatus Augustinus in libro ad Laurentium, quid sit sentiendum his verbis ostendit. „ [6] Libero arbitrio male utens „ homo, & se perdidit, & ipsum. Sicut enim „ qui se occidit, utique vivendo se occidit, sed „ se occidendo non vivit, nec seipsum poterit resuscitare cum occiderit: ita cum libero [7] peccaret arbitrio, victore peccato amissum est & „ liberum arbitrium. *A quo enim quis devictus est, „ huic & servus addictus est.* Petri certe Apostoli „ est ista sententia, quæ cum vera sit, qualis quæso potest servi addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim servit qui sui domini voluntatem libenter facit, „ ac per hoc ad peccandum liber est qui peccati „ servus est. Unde ad juste faciendum liber non „ erit, nisi a peccato liberatus, esse justitiæ cœperit servus. Ipsa est vera libertas propter recti „ facti [8] licentiam, simul & pia servitus propter „ præcepti obedientiam. Sed ad bene faciendum „ ista libertas unde erit homini addicto & vendito, nisi eum redimat cujus illa vox est, *si vos „ filius liberaverit, tunc vere liberi eritis?* Quod antequam fieri in homine incipiat, quomodo quisquam de libero arbitrio in bono gloriatur opere, qui nondum est liber ad operandum bene? „ Nisi se vana superbia inflatus extollat, quam „ cohibet Apostolus dicens: *Gratia salvi facti estis per fidem.* [9] Et ne ipsam sibi saltem fidem sic arrogarent, ut non intelligerent divinitus esse donatam, sicut idem Apostolus alio loco se dicit „ ut fidelis esset misericordiam consequutum, heic „ quoque adjunxit atque ait: *Et hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ne forte „ quis extollatur.* Et ne putarentur fidelibus bona „ opera defutura, rursus adjecit: *Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus „ bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Tunc ergo efficimur vere liberi, cum Deus „ nos fingit, id est format & creat, non ut homines, quod jam fecit, sed ut boni homines „ simus, quod nunc gratia sua facit, ut simus in „ Christo Jesu nova creatura, secundum quod dictum est, *cor mundum crea in me Deus.* Neque „ enim cor ejus, quantum pertinet ad naturam „ cordis humani, non jam creaverat Deus. [10] Item „ ne quisquam, etsi non de operibus, de ipso glorietur libero voluntatis arbitrio, tamquam ab „ ipso incipiat meritum; cui tamquam debitum „ reddatur præmium bene operandi ipsa libertas, „ audiat eumdem gratiæ præconem dicentem: „ *Deus enim est qui operatur in vobis & velle & „ operari pro bona voluntate.* Et alio loco: *Igitur „ non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.*

1. Lib. I. cap. v.
2. Hinc satis videtur constare, uti notavit V. C. Baluzius, hujus Joannis esse expositionem in Heptateuchum nondum typis editam, de qua Sirmondus in præfatione ad Rufini librum *de fide*.
3. Cap. I. 9.
4. Lib. II. cap. 6.
5. Moral. lib. xxix. cap. [illegible].
6. In Enchiridio cap. [illegible].
7. Edit. August. [illegible].
8. Forte *libertatem*.
9. Cap. xxxi.
10. Cap. xxxii.

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 862.



„ Cum procul dubio, si homo ejus ætatis est ut ratione jam utatur, non possit credere, sperare, diligere, nisi velit, nec pervenire ad palmam supernæ vocationis Dei, nisi voluntate cucurrerit: quomodo ergo *non volentis, neque currentis*, nisi quia & ipsa voluntas, sicut scriptum est, a Deo præparatur? „

II. Item in libro de correptione & gratia. „ [1] Liberum, *inquit*, arbitrium, & ad malum, & ad bonum faciendum, confitendum est nos habere. Sed in malo faciendo liber est quisque justitiæ servusque peccati: in bono autem liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo qui dixit, *si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis*. Nec ita ut cum quisque fuerit a peccati dominatione liberatus, jam non indigeat sui liberatoris auxilio: sed ita potius ut ab illo audiens, *Sine me nihil potestis facere*, dicat ei & ipse, *Adjutor meus esto, ne derelinquas me*. *Item post multa*: Liberum, *inquit*, arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parvum est, nisi adjuvetur ab omnipotente bono. „

III. Item in libro de bono perseverantiæ. [2] *Qui non infertur in tentationem, non discedit a Deo. Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrii quales nunc sunt, peccato resistere,* [3] *quod tamen fuerat in homine antequam caderet*.

IV. Idem auctor in memorato opere contra Julianum. „ [4] Hominis, *inquit*, liberum arbitrium congenitum, & omnino inamissibile, illud est quo beati esse omnes volunt, etiam ii qui ea nolunt quæ ad beatitudinem ducunt. „ *Item post multa*. „ [5] Quid sic fugit natura ut miseriam? quid sic appetit ut beatitudinem? Denique liberum arbitrium quod de hac re habemus, ita nobis naturaliter insitum est, ut nulla miseria nobis possit auferri, quod miseri esse nolumus, & volumus esse beati: usque adeo ut etiam ipsi qui male vivendo sunt miseri, male vivere quidem velint, nolint tamen esse miseri, sed beati. Hoc est illud arbitrium in nostris mentibus immobiliter fixum, non quo bene agere volumus; nam id humana iniquitate potuimus amittere, & gratia possumus divina recipere; sed liberum arbitrium, quo beati esse volumus, & miseri nolumus, nec miseri possunt amittere, nec beati. „ *Item post pauca*; „ Hoc arbitrium liberum adjuvatur per Dei gratiam, ut quod naturaliter volumus, hoc est beate vivere, bene vivendo habere possimus. „ Quod reatus peccati regeneratione, hoc est baptismate solvatur, conflictus tamen ejus adhuc maneat, in eodem opere memoratus auctor expressit. „ [6] Quid litigas, *inquit*, de concupiscentia litigante, hoc est de lege in membris repugnante legi mentis? Lex peccati dicitur, quia suadet peccata, atque, ut ita dixerim, jubet, & si ei mente serviatur, sine excusatione peccatur. Peccatum dicitur ipsa concupiscentia, quia peccato facta est, appetitque peccare. Reatus ejus regeneratione solutus est, conflictus ejus ad agonem relictus est. Malum ejus clarum est: non viribus nostræ voluntatis, ut putas, huic obsistimus, nisi divinitus adjuvemur. Debellandum hoc malum est non negandum, vincendum est non defendum. „ *Item post rerum aliarum amplissimam disputationem*. „ [7] Tam, *inquit*, malignum est hoc sæculum, ut nisi exitum hinc fuerit, promissa requies nobis adesse non possit. Quamvis per prævaricationem primi hominis, labor posteris ejus advenerit, tamen etiam reatu prævaricationis illius quem traximus jam soluto, ut fidei exerceatur examen, labor remanet ad certamen. Oportet enim nos certare cum vitiis, & in ipso certamine laborare, donec donetur nobis adversarium non habere. Quapropter ut boni prœliatores perducantur ad præmia, supplicia vertuntur in prœlia. Parvulorum quoque soluto reatu originaliter, propterea labores manent, quamvis ex ipso reatu doceantur exorti, quia etiam sic Deo placuit fidem probare majorum. A quibus enim offeruntur ut regenerentur, qualis & quanta fides esset rerum invisibilium, si visibilis remuneratio continuo sequeretur, ac non potius, dilata requie quæ promittitur, ageretur fidei negotium cum corde, non cum oculis, ac sic futurum sæculum, ubi nulli labores erunt, quod nondum videtur, & crederetur sincerius & desiderabilius quæreretur? ac per hoc Deus labores nostros mirabili benignitate convertit. „ *Item in eodem opere*. „ [8] Quoniam post pristinam ruinam, *inquit*, tam gravem, ut in hujus mortalitatis miseriam caderemus, prius Deus nos certare voluit, donans nobis ut ejus agamur spiritu, & mortificemus opera carnis, atque ipso dante victoriam per dominum nostrum Jesum Christum in æterna cum illo postea pace regnemus: profecto nisi Deus adsit, nemo est idoneus certare cum vitiis, ne sine certamine pertrahatur ab eis, aut ne jam certans in ipsa eorum conflictatione vincatur. Ideo in hoc agone magis nos Deus voluit orationibus certare quam viribus, quia & ipsas vires, quantas heic habere nos competit, ipse subministrat certantibus quem rogamus. Si ergo ii, quorum contra carnem jam spiritus concupiscit, ad singulos actus indigent Dei gratia ne vincantur, qualem libertatem voluntatis habere possunt, qui nondum de potestate eruti tenebrarum, dominante iniquitate, nec certare cœperunt, aut, si certare voluerunt, nondum liberatæ voluntatis servitute vincuntur? „ *Item in libro Retractationum priore*: „ [9] Perfectio, *inquit*, boni est, ut nec ipsa concupiscentia peccati sit in homine: cui quidem, quando bene vivitur, non consentit voluntas, verumtamen non perficit bonum, quia inest adhuc concupiscentia cui repugnat voluntas. Cujus concupiscentiæ reatus in baptismate solvitur, sed infirmitas manet, cui, donec sanetur, omnis fidelis qui bene proficit studiosissime reluctatur. „

V. Alterum lumen tractatorum Hieronymus in Dialogo; „ [10] Non ideo, *inquit*, peccavit Adam, quia Deus hoc futurum noverat, sed præscivit Deus quasi Deus, quod ille erat propria voluntate facturus. „ *Item post aliquanta*: Dominus, inquit ad discipulos; *Ego sum vitis, vos rami: qui manet in me, & ego in eo, iste afferet fructum multum, quia sine me nihil potestis facere*. Sicut rami & folia vitium ilico contabescunt cum fuerint a matrice præcisa, ita omnis hominum fortitudo marcescit & deperit, si a Dei auxilio

1. Cap. I. 2. Cap. VII.
3. Iu edit. August. abest *quod tamen*.
4. Oper. imperf. lib. IV. cap. XI.
5. Lib. VI. cap. XXVI.
6. Lib. I. cap. LXXI.
7. Lib. VI. cap. XXIX. 8. Ibid. cap. XV.
9. Cap. III.
10. Lib. III. adversus Pelagianos ante med.

deferatur: *Nemo*, inquit, *poteſt venire ad me, niſi pater qui miſit me traxerit eum*. Quando dicit, nemo poteſt venire ad me, frangit ſuperbientem arbitrii libertatem, quod etiam ſi velit ad Chriſtum pergere, niſi fiat illud quod ſequitur, pater meus cæleſtis traxerit eum, nequicquam cupiat & fruſtra nitatur. Simul & hoc animadvertendum, quod qui trahitur non ſponte currit, ſed aut retractans, aut tardus, aut invitus adducitur. Qui non poteſt ſuis viribus & labore venire ad Jeſum, quomodo poteſt omnia ſimul peccata vitare, & vitare in perpetuum? „

VI. Cæleſtinus etiam Papa, magnis annumerandus doctoribus, de libero arbitrio, ut tantum Pontificem decuit, univerſos inſtituit. Ex ejus decretis verba hæc ſunt: „ [1] In prævaricatione, *inquit*, Adæ omnes homines naturalem poſſibilitatem & innocentiam perdidiſſe clarum eſt, [2] & neminem de profundo illius ruinæ poſſe conſurgere, niſi eum gratia miſerentis Dei erexerit. „ *Item*: „ [3] Neminem etiam, *inquit*, baptiſmatis gratia renovatum idoneum eſſe ad ſuperandas diaboli inſidias, & ad vincendas carnis concupiſcentias, niſi per quotidianum adjutorium Dei perſeverantiam bonæ converſationis acceperit. „ *Item*, quod nemo niſi per Chriſtum libero bene utatur arbitrio. Hinc & Innocentium Papam adhibet teſtem poſita ejus ſententia. „ [4] Adverte tandem, o praviſſimarum mentium perverſa doctrina, quod primum hominem ita libertas ipſa deceperit, ut dum indulgentius frænis ejus utitur, in prævaricationem præſumtione conciderit. Nec ex hac potuit erui, niſi ei providentia regenerationis ſtatum priſtinæ libertatis Chriſti Domini reformaſſet adventus. „ *Item* Cæleſtinus, „ [5] quod omnia ſtudia, & omnia opera ac merita Sanctorum, ad Dei gloriam laudemque referenda ſunt, quia nemo ei aliunde placet, niſi ex eo quod ipſe donaverit. „ *Item*, „ [6] quod ita Deus in cordibus hominum, atque in ipſo libero operetur arbitrio, ut ſancta cogitatio, pium conſilium, omniſque motus bonæ voluntatis ex Deo ſit; quia non niſi per illum aliquid boni poſſumus, ſine quo nihil poſſumus. „ *Item*; „ [7] Quiſquis dixerit, ideo nobis gratiam juſtificationis dari, ut quod facere jubemur per liberum arbitrium, facilius poſſimus implere per gratiam; tamquam, etſi gratia non daretur, non quidem facile, ſed tamen poſſemus etiam ſine illa implere divina mandata, anathema ſit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait, ſine me difficilius poteſtis, ſed ſine me nihil poteſtis facere. „

VII. Sanctus quoque Papa Gregorius, bonis omnibus, Latini ſermonis capacibus, ſuæque doctrinæ pie ſtudioſis, plurimum collaturus, humani arbitrii proprietatem ſubtiliter, ac ſuavitate ſolita, Homilia nona in Ezechielem expreſſit: [8] *Audivi*, inquit, *vocem loquentis, & dixit ad me, Filii hominis, ſta ſuper pedes tuos, & loquar tecum. Ubi adhuc ſubditur; Et ingreſſus eſt in me Spiritus poſtquam locutus eſt mihi, & ſtatuit me ſuper pedes meos.* „ Ecce divina vox jacenti Prophetæ juſſit ut ſurgeret. Sed ſurgere omnino non poſſet, niſi in hunc omnipotentis Dei ſpiritus intraſſet: quia ex omnipotentis Dei gratia ad bona opera coronari quidem poſſumus, ſed hæc implere non poſſumus, ſi ipſe non adjuvat qui jubet. Sic Paullus cum diſcipulos admoneret dicens, *Cum metu & tremore veſtram ipſorum ſalutem operamini*, ilico quis in eis hæc ipſa bona operaretur adjunxit dicens, *Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate*. Hinc eſt quod ipſa veritas diſcipulis dicit; *ſine me nihil poteſtis facere*. Sed in his conſiderandum eſt, quia ſi bona noſtra ſic omnipotentis Dei dona ſunt ut in eis aliquid noſtrum non ſit, cur nos quaſi pro meritis æternam retributionem quærimus? ſi autem ita noſtra ſunt, ut dona Dei omnipotentis non ſint, cur ex eis omnipotenti Deo gratias agimus? Sed ſciendum eſt, quod mala noſtra ſolummodo noſtra ſunt, bona autem noſtra, & omnipotentis Dei ſunt, & noſtra: quia ipſe adſpirando nos prævenit ut velimus, qui adjuvando ſubſequitur ne inaniter velimus, ſed poſſimus implere quæ volumus. Præveniente ergo gratia, & bona voluntate ſubſequente, hoc quod omnipotentis Dei donum eſt fit meritum noſtrum. Quod bene Paullus brevi ſententia explicat dicens: *Plus illis omnibus laboravi*: qui ne ſuæ videretur virtuti tribuiſſe quod fecerat, adjunxit, *non autem ego, ſed gratia Dei mecum*. Quia enim cæleſti dono præventus eſt, quaſi alienum ſe a bono ſuo opere agnovit dicens, *non autem ego*: ſed quia præveniens gratia liberum in eo arbitrium fecerat in bono, quo libero arbitrio eamdem gratiam eſt ſubſequutus in opere, adjunxit, *ſed gratia Dei mecum*: ac ſi diceret, in bono opere laboravi, non ego; ſed & ego. In eo enim quod ſolo Domini dono præventus ſum, non ego: in eo autem quod donum voluntate ſubſecutus ſum, & ego. „

III.

De Sanguine Chriſti.

I. PRo quibus effuſus ſit & quos redemerit ſanguis Domini, ſanctus Auguſtinus in libro ad Laurentium his verbis declarat. [9] *Hæc quæ in ſanctis angelis & virtutibus Dei eſt Eccleſia, tunc nobis ſicuti eſt innoteſcet, cum ei conjuncti fuerimus in finem, ad ſimul habendam beatitudinem ſempiternam. Iſta vero quæ ab illa peregrinatur in terris, eo nobis eſt notior, quod in illa ſumus, & quia hominum eſt, quod & nos ſumus. Hæc ſanguine mediatoris nullum habentis peccatum, ab omni eſt redemta peccato. Ejus vox eſt; Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui filio proprio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum.* In Eccleſia enim quæ ſanguine mediatoris nullum habentis peccatum, ab omni eſt redemta peccato, intelligit eſſe omnes, qui Apoſtolico teſtimonio comprehenduntur, quod eſt pro nobis omnibus tradidit eum.

II. Item idem auctor in opere memorato contra Julianum. [10] *Redimuntur*, inquit, *quicumque redimuntur ab eo qui venit quærere quod perierat: qui & antequam veniret in carne, per ipſam fidem redemit, qua credebatur eſſe venturus. Redimuntur*

1. Poſt epiſt. Cæleſtini cap. 1.
2. Heic additur *clarum eſt*.
3. Cap. III.
4. Cap. v. Innocentius epiſt. ad Milevitanum Concilium.
5. Cap. vi. 6. Ibid.
7. Cap. vii. Carthaginienſis ſynodi decret. cap. III.
8. In principio.
9. In Enchiridio cap. lxi.
10. Lib. vi. cap. xi.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 862.

autem in libertatem beatitudinis sempiternam, ubi A *peccato jam servire non possint*. Et manifestissime explanans populo sancti Evangelii locum secundum Joannem, *vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis*. [1] *Quomodo*, ait, *istis dixit, non estis ex ovibus meis? quia videbat eos ad sempiternum interitum prædestinatos, non ad vitam æternam sui sanguinis pretio comparatos*.

III. Item ad Pollentium libro priore. „ [2] Sicut „ omnis, *inquit*, qui Christi sanguine redemtus „ est, homo est, non tamen omnis qui homo est „ etiam sanguine Christi redemtus est: ita omne „ quod non licet, non expedit, nec tamen omne „ quod non expedit, etiam non licet. „ Beatus B quoque Hieronymus commentario in Matthæum, se idem sentire manifestat his verbis: [a] *Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare*. „ Nota quod crebro diximus, eum qui ministrat filium appellari hominis, & dare animam suam „ redemtionem pro multis, quando formam servi „ accepit, ut pro mundo sanguinem funderet. Et „ non dixit dare animam suam redemtionem pro „ omnibus, sed pro multis, id est pro his qui credere voluerint. „ Quod cautissime doctor celeberrimus vidit de qualibuscumque fidelibus intelligendum, propter illud, *peribit in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est?* Propter illud etiam: *Quicumque baptizati sumus in Christo* C *Jesu, in morte ipsius baptizati sumus*: Necnon & propter illud: *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit in quo sanctificatus est?* Et quæcumque similia scrutatores pii valent in divinis eloquiis invenire. Sensum Hieronymi Beda in explanatione Marci verbis ipsius ponit, nam & *filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret*. „ [3] Nota, *inquit*, „ quod crebro diximus, eum qui ministraret filium „ appellari hominis, & dare animam suam redem„tionem pro multis, quando formam servi acce„pit, ut pro mundo sanguinem funderet. Et non „ dixit, dare animam suam redemtionem pro o- D „mnibus, sed pro multis, id est, pro his qui cre„dere voluerint. „ Item Hieronymus edisserens illud psalmi: [b] *Vendidisti populum tuum sine pretio*. „ Usque nunc, *inquit*, de se locuti sunt marty„res, nunc de Judæorum populo dicunt, quibus „ dictum est in peccatis vestris venditi estis: & „ ideo sine pretio, quia non est effusus agni san„guis pro eis. „

IV. Sanctus Gregorius Papa in Moralibus exponens locum illum, *non computetur in diebus anni*, eumdem sensum affert his verbis. „ [4] An„num prædicationem supernæ gratiæ non incon„venienter accipimus: quia sicut in anno conge„stis diebus tempus perficitur, ita in superna gra„tia virtutum multiplex vita completur. Potest „ per annum etiam multitudo intelligi redemto„rum: quia sicut ex dierum multitudine annus „ ducitur, ita ex collectione bonorum omnium „ illa electorum innumerabilis universitas exple„tur. „

V. Nec mirandum, duo clarissima lumina doctorum, beatum Augustinum & Hieronymum, & post illos Gregorium & Bedam, in hoc sensu inveniri, cum eorum doctrina ex Evangelica pendeat auctoritate. In qua quidem apud Matthæum sic invenitur: *Bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Apud Marcum autem, *hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur*. Apud Lucam vero, *hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*. Unde concordantes Lucæ cum rem divinam agimus, in prece, hic est calix sanguinis mei novi & æterni testamenti mysterium fidei qui pro vobis, concinentes autem Matthæo & Marco addimus, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Joannes tamen Constantinopolitanus Episcopus, explanans locum illum epistolæ ad Hebræos, qualiter gratia Dei pro omnibus gustaverit mortem; [5] *Non pro fidelibus tantum*, inquit, *sed pro mundo universo. Et ipse quidem pro omnibus mortuus est: quid autem si non omnes credunt? ille quod suum erat implevit*. Verum hanc intelligentiam divinis non roboravit eloquiis. Faustus etiam quidam, ex Abbate Lerinensi Regensis Galliæ Episcopus, de his rebus, hoc est de Prædestinatione, & libero arbitrio, & sanguinis Christi redemtione, longe diversa superioribus præcellentissimis auctoribus scripsit. Sed intelligentius inspecta divinorum eloquiorum integritas errandi occasionem penitus abstulit, & reverentissimus Papa Gelasius cum LXX. Episcopis viris eruditissimis statuens qui scriptores essent vel non essent recipiendi, post approbationem Augustini, & amplissimas laudes Hieronymi, memoratum Faustum ab auctoritate his verbis removit, Opuscula Fausti Regensis Galli apocrypha. Nos igitur incorruptum sanctarum scripturarum sequentes intellectum, & apostolicæ sedis gravitatem suspicientes, quid aliud dicamus, nisi, taceat Faustus, & similiter sentientes, loquantur cum suis consortibus Hieronymus & Augustinus? Scilicet illius proverbii recordantes, conticescant ranæ dum cælum tonat. Atque ut hunc nostrum laborem fructuosum ceteris relinquamus, illud semper memoria tenendum de reprobis monemus, *Qui elongant se a te peribunt*: de electis vero, *in omni gente qui timet Deum, & facit voluntatem ejus, acceptus est illi*. Et ut ab illis Dei gratia separati, istis eadem Dei gratia sociemur, assiduis precibus communiter implorandum. Nam qui parvulis regeneratis, moxque vita excedentibus, ineffabili pietate beatitudinem largitur, etiam eorum saluti benigne prospexit, quibus perfecte in se sperare donavit.

a Matth. X. 28. b Psalm. XLIII. 13.

1. Tractatu XLVIII. in Joan.
2. De conjugiis adulterinis cap. XV.
3. Lib. IV. cap. X.
4. Lib. IV. cap. XI.
5. Homil. IV. in Hebr. II. 9.



SERVATI LUPI
AD
CAROLUM CALVUM REGEM
EPISTOLA.

Domino glorioso regi Carolo sincere fidelis Lupus.

DUdum in urbe Biturgium quæsistis de prædestinatione, & libero arbitrio, ac redemtione sanguinis Christi quid sentirem: & ego quæ in divinis litteris didiceram, & in maximis auctoribus inveneram, vestræ majestati strictim aperui. Et quoniam aliter videtur quibusdam, qui me putant de Deo non pie fideliterque sentire; ipso Deo, cui ab intelligibili ætate plurimum confisus sum, sensum & stilum meum regente, memoratas quæstiones, quas audacter multi ventilant, intelligenter pauci capiunt, breviter, veraciter, perspicueque dissolvam. Neque enim longa disputatione vos tenere debeo, aut in aliquo fallere, aut obscuritatibus retardare, cum vestras occupationes in disponenda republica non ignorem, vobisque post Deum fidem debeam singularem.

I. Deus Adam rectum condidit, ut sancta scriptura docet, & originaliter in eo nos omnes rectos creavit. Hic parens humani generis, rectitudinem deserens naturalem, nullo cogente peccavit tam granditer, ut & seipsum perderet, & in se omnes utroque sexu natos condemnaret. Deus ergo fecit excellenter bonam hominis naturam, sed eamdem ipse homo vitiavit miserabiliter per spontaneam culpam. Denique fuit Adam, ut ait beatus Ambrosius, & in eo fuimus omnes: periit Adam, & in illo omnes perierunt. Laudemus igitur Dei opificium, & cognoscamus culpæ nostræ nihil aliud deberi nisi supplicium. Sed Deus, cui præterita, præsentia, & futura, æque præsto sunt, (ipse est enim qui est, nec scientiæ illius accedit aliquid aut decedit,) cum sciret in Adam massam totius humani generis peccato corrumpendam, non abstinuit ab ea bonum suæ creationis, bene usurus etiam malis: & ante constitutionem mundi elegit ex ea quos a debita pœna per gratiam liberaret, ut ait Apostolus, *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*. Ceteros autem, quibus non hanc gratiam misericordia impendit, in damnatione quam ipsi peccando meruerant justo judicio dereliquit: & hoc modo, ut docet Apostolus, *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat*. Miseretur eorum quos assumit per gratiam; indurat illos quos per eamdem gratiam non emollit, sed quamvis occulto, justo tamen judicio derelinquit. Hi ergo quorum miseretur prædestinati sunt ad gloriam, secundum illud Apostoli, *quos præscivit & prædestinavit*, & appellantur vasa in honorem. Hi debent Deo totum quod sunt, & quod habent: si quidem ejus bonitate facti sunt cum non essent, ejus benignitate salvati sunt cum perditi essent. Illi vero quos indurat, hoc est non emollit, qui in damnatione relinquuntur, quam originaliter, vel actualiter meruerunt, dicuntur vasa in contumeliam, perfecta vel apta in interitum. Hi quod

A creantur, Dei donum est: quod puniuntur, malum ipsorum. Hos beatus Augustinus in multis libris, & in eo quem fecit ultimum, non dubitat dicere prædestinatos ad pœnam: non intelligens fatalem peritorum necessitatem, sed immutabilem relictorum desertionem. Legebat enim de Deo, *Si concluserit hominem, nullus est qui aperiat*: itemque, *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit*: illud etiam, *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum: ibunt in adinventionibus suis*. Et, ut opinor, dirigebat eum in hunc sensum, illud maxime testimonium de Deo, qui fecit quæ futura sunt. Cui & dicitur, *Reddes unicuique secundum opera sua*. Quod nimirum facturus

B est omnibus, nisi quos fecerit beatos remittendo iniquitates eorum, & tegendo peccata. Qui gratiam ipsius Dei summis efferentes præconiis dicere possunt, non secundum peccata nostra fecit nobis neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Consentiunt Augustino verbis aliis Hieronymus & Gregorius: eodem autem verbo Beda & Isidorus: quod ex ipsis auctoribus, si vestræ placuerit celsitudini, facile potero demonstrare.

II. Liberum sane arbitrium in bono quod contemsit, primus homo peccans perdidit, in malo autem quod elegit retinuit. Quemadmodum vero si

C velit quis, vel subtrahendo sibi cibum, se potest perimere, peremtum autem non potest vivificare: ita potuit homo voluntate delinquens usum in bono liberi arbitrii perdere, sed id etiamsi velit non potest suis viribus resumere. Non erit igitur in bono liberum illi arbitrium, nisi fuerit divina gratia liberatum. Dominus Jesus qui *sciebat*, ut scriptum est, *quid esset in homine*, id salubriter aperiens, *Sine me*, inquit, *nihil potestis facere*: nihil scilicet boni. Nam ipse mali auctor cooperator esse non potest, qui, ut Joannes ait Baptista, *Agnus Dei est, qui tollit peccata mundi*, & quæ scilicet facta sunt, & ne fiant. Item alibi Dominus, *si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis*. Sanc-

D ctus Cyprianus, martyr gloriosissimus, & doctor suavissimus, bene expendens verba Apostoli, *Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* statuit in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit. Unde bona quoque voluntas præparatur a Domino, ut memoratus Apostolus docet. Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere opus bonæ voluntatis: propter quod subjungit, *& perficere pro bona voluntate*. Ipsam etiam bonam cogitationem a Deo nobis esse doctor gentium manifestat: *Non quasi sufficientes simus*, inquit, *cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*. Dei gratia nos prævenit, propter quod scriptum est: *Deus meus, misericordia ejus præveniet me*,

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 862.

ut bona velimus & inchoemus. Dei gratia nos A subsequitur, ut scriptum est, *& misericordia tua subsequetur me*, ne frustra velimus & cœperimus. Hæc principaliter Dei sunt, ut præmissis testimoniis claruit, & consequenter nostra, quia voluntate a nobis fiunt. Et scriptum est, *Domine pacem da nobis, omnia enim opera nostra operatus es nobis*. Reatus quidem peccati in baptismate solvitur, sed conflictus ejus propter exercendam fidem servatur: ita ut adjutorio Dei semper, & comprimendis vitiis, & obtinendis virtutibus egeamus. Hoc & unusquisque Deo pie militans in semetipso sentit, & Apostolus, jam Christi sacramentum consecutus, sic humiliter confitetur: *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis*. De libero arbitrio concorditer ita senserunt quicumque mentem divinorum eloquiorum probabiliter perceperunt.

III. Postremo quos redemerit Dominus sanguine suo, Evangelica lectione colligitur apud Matthæum. *Bibite*, inquit Dominus, *ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Apud Marcum: *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur*. Apud Lucam vero: *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis* C *fundetur*. Duo ergo Evangelistæ ponunt pro multis, unus pro vobis, quia & discipuli multis annumerantur, nullus pro omnibus. Et ne id ego temere scrutatus existimer, sanctus Hieronymus explanans locum Evangelii, *Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemtionem pro multis*, quando, inquit, formam servi accepit, ut pro mundo sanguinem funderet: & non dixit dare animam suam redemtionem pro omnibus, sed pro multis, id est pro his qui credere voluerint. Qua expositione, juxta fidem catholicam, docuit solos fideles esse intelligendos, sive in gratia permansuros, sive ab ea suo vitio recessuros. Item beatus Augustinus, aperiens populo sententiam Evangelii, *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis, Quomodo ait istis dixit, non estis ex ovibus meis? quia videbat eos ad sempiternum interitum prædestinatos, non ad vitam æternam sui sanguinis pretio comparatos*. His tam claris luminibus doctrinam suam Evangelico sensu roborantibus qui audeant contradicere, nisi qui erubescunt sine luminibus apparere? Ut pace tamen & reverentia tanti viri dictum sit, hunc intellectum Evangelico fonte manantem, non videns Joannes Constantinopolitanus Episcopus, cum exponeret illud Apostoli, qualiter gratia Dei pro omnibus gustaverit mortem, *Non pro fidelibus tantum*, inquit, *sed pro mundo universo, & ipse quidem pro omnibus mortuus est: quid autem si non omnes credunt? ille quod suum erat implevit*. Verum cur hoc senserit nullo divino testimonio com- B probavit. Quod si quis excellentiæ culminis vestri ostendit aut ostenderit Faustum quemdam de his longe diversa scribentem, ne adquieveritis erranti, quoniam doctus Papa Gelasius cum LXX. Episcopis viris eruditissimis, qui scriptores essent, vel non essent recipiendi, statuens primo commendationem Augustini, & singulares laudes Hieronymi, memorati Fausti scripta his verbis exauctoravit. Opuscula Fausti Regensis Galli apocrypha. Hanc fidem, quam expressi in supradictis quæstionibus, tenuerunt Ecclesiæ catholicæ invictissimi defensores; hanc ego minimus omnium custodio, hanc volentibus absque invidia ostendo: nolentibus meæ mediocritatis conscius non ingero. Nec, ut quidam suspicari se simulant, inaniter, hoc est vanæ gloriæ studio, cupio innotescere, cum terreat me plurimum illa de Scribis & Pharisæis Domini sententia: *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus*: & de hypocritis: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam*. Sed afferendæ veritatis intuitu, quod in divinis auctoritatibus, earumque sensum sequentibus præcellentissimis auctoribus, Deo inspirante deprehendi, quærentibus absque contentione manifesto. Vestræ igitur opinatissimæ prudentiæ si jam satisfactum est, gaudeo. Sin autem, vel nunc, vel cum Deus noster optatam vobis quietem contulerit, propter alia etiam negotia Ecclesiastica, evocatis ad conventum doctoribus quibusque, rectene perperamve sentiam, subtilior plurium tractatus poterit invenire. Sic Deus vos opto & oro diu feliciterque faciat regnare, ut secum vos in æternum regnare concedat.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 862.



SERVATI LUPI AD HINCMARUM REMENSEM EPISTOLA.

Reverentissimo Præsuli Hincmaro, Lupus perpetuam in Domino salutem.

SCrutanti mihi diu multumque de prædestinatione, de qua in pace, in quâ vocati sumus a Deo, quærimus & deliberamus, quid probabiliter esset sentiendum, ne illud Apostoli, *quos præscivit & prædestinavit* pateat [1], illud vero, *vasa iræ perfecta, sive parata, sive apta in interitum*, & illud quod divinitus alibi scribitur, *nescit homo utrum amore an odio dignus sit*; itemque, *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit*, & similia sparsim in divinis reperta eloquiis, dignum non habeant exitum: hæc verissima videtur sententia, ut prædestinatio sit in bonis, juxta intellectum doctissimi Augustini, gratiæ præparatio: prædestinatio autem in malis, secundum nostram capacitatem, gratiæ subtractio. De quibus idem certissimus auctor ita scribit: [2] *Quibus non vult subvenire non subvenit, de quibus in sua prædestinatione aliud judicavit*. Ita tamen, ut in utrisque creator æquissimus inveniatur, dum & illis gratiam misericordia impertitur, & istis eamdem gratiam, quamquam occulto, justo tamen judicio non largitur. Dumque in Adam omnes recti creati sumus, & libertatem arbitrii absque ullius difficultatis impedimento & interpellatione accepimus, sponte autem peccante Adam, *in quo*, ut Apostolus testis est, *omnes peccaverunt*, omnes, ex eo dumtaxat utroque sexu progeniti, conditionis dignitatem amisimus, & pœnam peccati, hoc est concupiscentiam, & mortem, non animæ solum, verum etiam corporis, merito nostro incurrimus: hinc est quod qualis Adam a Deo creatus est non nascimur, sed originaliter peccatores, damnatique pœna peccati, quorum alterum fecit spontanea culpa nostri primi parentis, alterum culpam puniens tremenda severitas justissimi judicis. Cum ergo communiter omnes damnati simus, cujus nostrum vult Deus miseretur, & quem vult indurat, hoc est in propria duritia derelinquit: miseretur magna bonitate, indurat nulla iniquitate. Sic itaque hos quos indurat prædestinat, non ad supplium impellendo, sed a peccato quod meretur supplicium non retrahendo: quemadmodum induravit cor Pharaonis, non ad A culpam urgendo, sed gratia emollitum a culpa non revocando. Sic recte possumus dicere, induci a Deo in tentationem qui non exaudiuntur orantes, *Et ne nos inducas in tentationem*: non quod ipse inducat in malorum tentationem, quod utique, ut alibi docetur, *intentator malorum est*. Sed quodam locutionis genere inducere dicitur, cum judicio desertos patitur in tentationem induci, quos a tentatione gratia non educit. Nemo tamen opinetur, aut justis, aut injustis reprobis, prædestinationis veritate fatalem necessitatem induci, cum in utriusque suspicionem necessitatis libertas excludat voluntatis. Siquidem electi, accipientes a Deo & velle & perficere, libenter agunt unde sempiternum præ- B mium consequantur, perversi autem, deserti ab eodem Deo, non inviti, sed & libenter agunt, unde in æternum merito puniantur. Quis vero, nisi ut mitius loquar tardus sit, ibi afferat necessitatem, ubi videat regnare voluntatem, vel adjutam misericordia, vel desertam divino judicio? Bonorum ergo voluntatem sic divina commendant eloquia: *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis*. Porro malorum voluntatem talem insinuant: *Noluit intelligere ut bene ageret: iniquitatem meditatus est in corde suo: adstitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit*. Permissus est ergo injustus agere quod elegit, ut de malo bene operante Deo clarescere quid esset inter servientem C ei & non servientem, & salvati quantas habere & agere deberent ipsi Deo gratias agnoscerent, dum eamdem habentes damnationis caussam, in isto aspicerent quod liberatoris gratia evasissent. Hæc assertio voluntatis ne in recens quidem natis nutat infantibus. Nam aut percepta baptismatis gratia si decedunt, voluntate Dei salvantur: aut eadem gratia ejusdem Dei judicio fraudati, hereditarii peccati merito paterna commissi voluntate damnantur. Ego quod sentio simpliciter vobis aperui: vos vicissim, si in aliquo diversi estis, ne gravemini reserare. Simile Pardulo nostro direxi. Cupio vos valere feliter.

1. Forte, *pereat*.

2. Lib. de Dono persev. cap. II.



TESTIMONIA
PATRUM GRÆCORUM

Quod Christus pro omnibus passus sit.

Athanasius in Oratione de passione & cruce Domini.

Πάσχων γὰρ αὐτὸς ἐβλάπτετο μὲν οὐδ' ὅλως, ἐχαρίζετο δὲ μᾶλλον. καὶ ἀποθνήσκων οὐκ ἔμενε νεκρὸς, ἀλλὰ μᾶλλον καὶ τοὺς νεκροὺς ἐζωοποίει. καὶ σφαγιαζόμενος δὲ οὐκ ἀπώλετο, ἀλλὰ τῷ αἵματι τῆς σφαγῆς πάντας ἁπλῶς ἐλυτροῦτο, καὶ αὐτὸς ἔμενεν ἀπαθής.

Ipse autem cum pateretur nihil detrimenti sentiebat, sed potius dona largiebatur: nec moriens mortuus remansit, sed potius mortuos vivificabat: nec immolatus periit, sed immolationis suæ sanguine omnes prorsus liberavit, ipseque remansit impatibilis.

Basilius in Psalmum LIX.

Ἔστι δὲ ἀπαξαπλῶς περὶ παντὸς τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων νοῆσαι, ὁ Θεὸς ᾠκτείρησας ἡμᾶς, ὅτε τὸν μονογενῆ σου προέθου ἱλαστήριον ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, ἵνα ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ τὴν ἀπολύτρωσιν εὕρωμεν. Μωϋσῆς μὲν τὰς φλιὰς τῶν Ἰσραηλιτῶν τῷ αἵματι τοῦ προβάτου κατεσημήνατο· σὺ δὲ ἔδωκας ἡμῖν σημείωσιν, αὐτὸ τὸ αἷμα τοῦ ἀμώμου ἀμνοῦ, τοῦ σφαγιασθέντος ὑπὲρ τῆς ἁμαρτίας τοῦ κόσμου.

Psalmum autem universe de toto genere humano interpretari licet, Deus misertus es nostri, quando unigenitum tuum pro peccatis nostris propitiationem proposuisti, ut in ejus sanguine redemtionem inveniamus. Moyses enim Israelitarum postes ovis sanguine obsignarat: tu vero signum dedisti nobis sanguinem ipsum agni, qui pro mundi peccato immolatus est.

Gregorius Nazianzenus Oratione II. *in Pascha.*

Ἀλλὰ τὸ μέγα καὶ ἄθυτον ἱερεῖον, ἵν' οὕτως εἴπω, ὅσον ἐπὶ τῇ πρώτῃ φύσει, ταῖς νομικαῖς θυσίαις ἐγκαταμέμικται· καὶ οὐ μικροῦ μέρους τῆς οἰκουμένης, οὐδὲ πρὸς ὀλίγον, ἀλλὰ παντὸς τοῦ κόσμου καὶ διαιωνίζον καθάρσιον.

Verum magna illa, & quantum ad primam naturam immactabilis, ut ita loquar, victima legalibus sacrificiis immixta est: illa inquam non exiguæ cujusdam partis orbis terrarum, nec ad exiguum tempus, sed totius mundi numquam intermoritura expiatio.

Joannes Chrysostomus Oratione IV. *in Epistolam ad Hebræos.*

Καὶ πάλιν ἐν τῇ πρὸς Ῥωμαίους ἐπιστολῇ φησι· πολλῷ μᾶλλον ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ καὶ ἡ δωρεὰ ἐν χάριτι τῇ τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τοὺς πολλοὺς ἐπερίσσευσε· ὅπως χάριτι Θεοῦ ὑπὲρ παντὸς γεύσηται θανάτου. οὐχὶ τῶν πιστῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ τῆς οἰκουμένης ἁπάσης. αὐτὸς μὲν γὰρ ὑπὲρ πάντων ἀπέθανε. τί δὲ εἰ μὴ πάντες ἐπίστευσαν; αὐτὸς τὸ ἑαυτοῦ πεπλήρωκε.


Et iterum in Epistola ad Romanos dicit: *Multo magis gratia Dei & donum unius hominis Jesu Christi in multos abundavit*, qualiter gratia Dei pro omnibus gustaverit mortem: non pro fidelibus tantum, sed pro mundo universo. Et ipse quidem pro omnibus mortuus est. Quid autem si non omnes credunt? Ille quod suum erat implevit.

Theodoretus in epistolam I. *ad Timotheum.*

Δείκνυσι δὲ καὶ τὸ δεσποτικὸν πάθος ὑπὲρ ἁπάντων γεγενημένον. ὁ δοὺς ἑαυτὸν ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων. πάντων γὰρ ὑπὸ τὴν τοῦ θανάτου δυναστείαν γεγενημένων, αὐτὸς, οὔτε ὡς Θεὸς ὑποκείμενος θανάτῳ· ἀθάνατον γὰρ ἔχει τὴν φύσιν· οὔτε μὴν ὡς ἄνθρωπος· ἁμαρτίαν γὰρ οὐκ ἐποίησε τοῦ θανάτου τὴν πρόξενον· οἷόν τι λύτρον ἑαυτὸν δέδωκε, καὶ τῆς ἐκείνου δουλείας ἅπαντας ἠλευθέρωσε.

Ostendit autem Domini quoque passionem fuisse pro omnibus susceptam: *Qui dedit semetipsum redemtionem pro omnibus*. Cum enim omnes redacti essent sub mortis potestatem, ipse, qui nec ut Deus fuit morti obnoxius, habet enim naturam immortalem; sed nec ut homo, peccatum enim non fecit quod mortem affert, dedit seipsum veluti quoddam redemtionis pretium, & omnes ab ejus servitute liberavit.

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 880.



FLORI DIACONI LUGDUNENSIS LIBER DE ELECTIONIBUS EPISCOPORUM.

COLLECTA A DOMINO FLORO ex sententiis antiquorum Patrum.

I. MAnifestum est omnibus qui in Ecclesia Dei sacerdotale officium administrant, quæ sunt illa quæ in ordinatione episcopali, & sacrorum canonum auctoritas, & consuetudo ecclesiastica, juxta dispositionem divinæ legis & traditionem apostolicam jubeat observari. Videlicet ut pastore defuncto, & sede vacante, unus de clero Ecclesiæ, quem communis & concors ejusdem cleri & totius plebis consensus elegerit, & publico decreto celebriter ac solemniter designaverit, legitimo Episcoporum numero consecratus, locum decedentis antistitis rite valeat obtinere; nec dubitetur divino judicio & dispositione firmatum, quod ab Ecclesia Dei tam sancto ordine & legitima observatione fuerit celebratum.

II. Hæc sunt quæ & in Conciliis Patrum, & in decretis apostolicæ sedis Pontificum statuta reperiuntur, & ab Ecclesia Christi & initio comprobata reperiuntur, & comprobantur. Unde & beatus martyr Cyprianus de sancto Cornelio urbis Romæ pontifice, cum episcopatum ejus adversus quosdam superbos & invidos calumniatores defenderet, hæc ipsa in testimonium sanctæ & legitimæ ordinationis ejus prosecutus est dicens: [1] *Factus est Cornelius Episcopus de Dei & Christi ejus judicio, de clericorum omnium testimonio, de plebejo suffragio, de sacerdotum antiquorum & bonorum virorum consensu; cum nemo Episcopus inibi factus esset, cum gradus cathedræ sacerdotalis vacaret. Quo occupato, & omnium nostrorum consensione firmato, quisquam jam Episcopus fieri voluerit, omnimodis necesse est ut ecclesiasticam non habeat ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet per consensum unitatem. Post primum secundus esse non potest. Quisquis enim post unum, qui per electionem consecratus est, esse voluerit, jam non secundus ille, sed nullus est.*

III. Juxta hæc verba beati Cypriani, ordinatos fuisse constat, & legitime præfuisse universo populo deinceps omnes Ecclesiarum Dei antistites, D absque ullo consultu mundanæ potestatis, a temporibus apostolorum, & postea per annos fere quadringentos. Ex quo autem Christiani principes esse cœperunt, eamdem Episcoporum ordinationibus ecclesiasticam libertatem ex parte maxima permansisse, manifesta ratio declarat. Neque enim fieri potuit, cum unus Imperator orbis terræ mo- A narchiam obtineret, ut ex omnibus latissimis mundi partibus, Asiæ videlicet, Europæ, & Africæ, omnes qui ordinandi erant Episcopi ad ejus cognitionem deducerentur. Sed fuit semper integra & rata ordinatio, quam sancta Ecclesia juxta traditionem apostolicam & religiosæ observationis formam celebravit.

IV. Quod vero in quibusdam regnis postea consuetudo obtinuit, ut consultu principis ordinatio fieret episcopalis, valet utique ad cumulum fraternitatis, propter pacem & concordiam mundanæ potestatis; non tamen ad complendam veritatem B vel auctoritatem sacræ ordinationis, quæ nequaquam regio potentatu, sed solo Dei nutu, & Ecclesiæ fidelium consensu, cuique conferri potest. Quoniam episcopatus non est munus humanum, sed sancti Spiritus donum, sicut ostendit Apostolus, ubi ad Episcopos loquitur, dicens: [a] *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Unde & in epistola ad Hebræos ait: [b] *Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo, sicut Aaron. Sic & Christus non semetipsum glorificavit ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et iterum: *Tu es sacerdos in* C *æternum secundum ordinem Melchisedech.* In quibus Apostoli verbis evidentissime demonstratur, ad hoc munus adipiscendum atque sumendum sufficere unicuique gratiam Dei, cooperante fide & devotione gratiæ ejus, absque his autem humano arbitrio nemini posse concedi. Unde graviter quilibet princeps delinquit, si hoc suo beneficio largiri posse existimat, quod sola divina gratia dispensat; cum ministerium suæ potestatis in hujusmodi negotium peragendo adjungere debeat, non præferre.

V. Denique ut istius rei nonnulla proferantur exempla, puto quod de ordinatione beati Martini, quando ex monasterio sub alia occasione eductus, & a populo comprehensus, atque ad Ecclesiam perductus est, & continuo ab Episcopis, qui ad hoc invitati fuerant, consecratus, nemo principum hujus sæculi fuerit interrogatus. In Ecclesia quoque Lugdunensi sic religiosa olim & venerabilis consuetudo fuit, sicut antiqua narrat historia. Scilicet ut defuncto Pontifice, omnis in unum conveniret Ec-

a Act. xx. 28. b Heb. V. 4. 5. 6.

1. Cyprian. Epist. 211.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 880.

clesia, & triduano jejunio communi voto ac supplicatione celebrato, quemcumque eis Dominus per revelationem sive ex eorum clero seu aliunde ostenderet, ipsum sine dubio antistitem constituerent. Quod de beato Eucherio præfatæ urbis Episcopo, & doctore egregio, sanctissimæ vitæ ejus liber manifeste testatur impletum. Qui cum esset ex nobilissimo senatorum genere oriundus, & huic sæculo abrenuntians, omnique facultate sua in pauperes ob amorem Christi distributa, partibus Provinciæ in quodam specu retrusus, atque ibi soli Deo jejunus, & orationibus vacans latitaret, tali revelatione ostensus, atque inventus, in pontificali regimine locatus est. Ex quo certissime constat, quod omni illo tempore quo tantam bonitatem sive gratiam omnipotens Deus in illa voluit Ecclesia demonstrare, valebat ac sufficiebat ad consecrationem rectorum sola ejus gratia, & fides Ecclesiæ devota.

VI. Sed & in Romana Ecclesia usque in præsentem diem cernimus absque interrogatione principis, solo dispositionis judicio, & fidelium suffragio, legitime Pontifices consecrari: qui etiam omnium regionum & civitatum quæ illi subjectæ sunt, juxta antiquum morem, eadem libertate ordinant atque constituunt sacerdotes; nec adeo quisquam absurdus est, ut putet minorem illic sanctificationis divinæ esse gratiam, eo quod nulla mundanæ potestatis comitetur auctoritas.

VII. Quæ omnia non ideo dicimus, quasi potestatem principum in aliquo minuendam putemus, vel contra religiosum morem regni aliquid sentiendum persuadeamus; sed ut clarissime demonstretur, in re hujusmodi divinam gratiam sufficere, humanam vero potentiam, nisi illi consonet, nihil valere. Quapropter in sacris canonibus Patrum, ubi plurimæ caussæ commemorantur sine quibus episcopalis ordinatio irrita habenda est, de hac re nihil invenitur insertum.

F I N I S.

P H O T I I

EXPATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI

O R A T I O

In diem natalem ſanctæ Dei Genitricis.



ACCEDUNT

ADVERSUS RECENTIORES

M A N I C H Æ O S

L I B R I IV.

I T E M

EX EJUSDEM

A M P H I L O C H I A N I S

QUÆSTIONES XLVI.

ΦΩΤΙΟΥ

ΑΡΧΙΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥΠΟΛΕΩΣ

ΛΟΓΟΣ

εἰς τὸ γενέσιον τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου. [1]

PHOTII

ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI

ORATIO

in ſanctiſſimæ Dei Genitricis natalem diem.

ΠΑσα μὲν ἑορτὴ, καὶ πᾶσα πανήγυρις, καθ' ἣν ὁ τῶν εὐσεβούντων φαιδρύνεται σύλλογος, λύει μὲν τὰς πρὸς ἀλλήλους διαφορὰς, καὶ τὰς ἔριδας, συνάγει δὲ τοὺς ἀπ' ἀλλήλων γνώμῃ διεστῶτας, καὶ τὸν δεσμὸν τοῦ φίλτρου στάσει λύσαντας, τὴν τῶν ᾀσμάτων συμφωνίαν, παράκλησιν ἔργῳ καταβαλλομένη πρὸς τὴν τῆς ὁμοφροσύνης ἐπανάκλησιν· δείκνυσι δὲ καὶ τοῦ αὐτοῦ δεσπότου καὶ δημιουργοῦ τοὺς συναγηγερμένους πλάσματά τε καὶ ποιήματα· καὶ τῇ ἑνότητι τοῦ σεβάσματος, τὴν ὁμοτιμίαν τῆς πλάσεως ὑποφαίνουσα, τοὺς κατ' ἀλλήλων πικρῶς ἐπαιρομένους πραΰνει καὶ κατασπᾷ, μέτρια φρονεῖν καὶ ἀνθρώπινα πείθουσα, καὶ πρὸς τὴν αὐτὴν τοῦ πλάστου παλάμην ὁρᾷν, καὶ τὸν αὐτὸν ἀναλογίζεσθαι τῆς πλάσεως πηλὸν ἐκδιδάσκουσα. εἰς τοῦτο γάρ ἔμοι γε τὰς πανηγύρεις πλεῖν ὁ πρέπων χριστιανοῖς θεσμὸς ὑποτίθεται· καὶ ἡ μὲν Χριστὸν ἐμφανίζει τικτόμενον· ἡ δὲ μαρτύρεται βαπτιζόμενον· ἄλλη φέρει μεταμορφούμενον· ἑτέρα δὲ, τὰς θεοσημείας ἐργαζόμενον· δαιμονῶντας θεραπεύοντα· πηροὺς ὀμματοῦντα· πηγὰς αἱμάτων ξηραίνοντα· χωλοὺς καὶ παρειμένους συσφίγγοντα· νεκροὺς ἀνιστῶντα· τέλος ἐπὶ σταυροῦ κρεμάμενον ἄλλη παραδειγματίζει· καὶ ἄλλη πάλιν ἀνιστάμενον, καὶ τὴν ἐμὴν ἀνάστασιν ἔργοις ὁρωμένοις ἐγκαινίζοντα.

Ἀλλ' οὕτω πάσης θεοπρεποῦς πανηγύρεως, καὶ τῶν ἐπικοίνων χαρισμάτων παρεχούσης τὴν ἀπόλαυσιν, καὶ ἰδίαν τινὰ συνεπαυγαζούσης τῆς χάριτος ἔλλαμψιν, παρὰ πολὺ τῶν ἄλλων ἡ παροῦσα πανήγυρις, τῆς παρθένου καὶ Θεοῦ μητρὸς φιλοτιμουμένη τὴν γέννησιν, λαμπρὰ κατὰ πάσης τὰ πρεσβεῖα ἀποφέρεται. ὥσπερ γὰρ τὴν ῥίζαν κλάδων καὶ στελέχους καὶ καρποῦ καὶ ἄνθους αἰτίαν γινώσκομεν, εἰ καὶ τοῦ καρποῦ χάριν ἡ περὶ τὰ ἄλλα σπουδὴ, καὶ ὁ πόνος καταβάλλεται· καὶ οὐδὲν τῶν ἄλλων χωρὶς τῆς ῥίζης ἐκφύεται· οὕτως ἄνευ τῆς παρθενικῆς πανηγύρεως, οὐδεμία τῶν ἐξ αὐτῆς ἀναβλαστησάντων ἐπιφαίνεται. ἀνάστασις γὰρ, ὅτι θάνατος· θάνατος δὲ, ὅτι σταύρωσις· σταύρωσις δὲ, ὅτι Λάζαρος τεταρταῖος ᾅδου πυλῶν ἀνελήλυθε· καὶ τυφλοὶ βλέπουσι· καὶ κλίνην ἐφ' ἧς ἔκειτο, φέρει τρέχων ὁ παράλυτος. καὶ τῶν παραδοξουμένων ἔργων (οὐ γὰρ ἐπίκαιρον πάντα καταλέγειν) τὰ ἐπίλοιπα, ἃ τὸ Ἰουδαίων ἔθνος δέον δοξάζειν καὶ ἀνυμνεῖν, εἰς φθόνον ἐξέκαυσεν· ἀφ' οὗ τὸν κατὰ τοῦ σωτῆρος ἐπ' ὀλέθρῳ σφῶν [2] φθόνον ἐπαλαμήσαντο. ταῦτα δὲ, ὅτι Χριστὸς βαπτισάμενος, καὶ τοὺς ἀνθρώπους τῆς πλάνης ἀπολυ-

A Omnis quidem feſtivitas, celebriſque omnis conventus, quo piorum cœtus exhilaratur, tum diſſidia mutuaſque lites diſſolvit; tum animis ſtudiiſque diviſos, ac eos, qui amoris vinculum ſeditione diruperunt, canticorum conſonas voces, quibus ipſa re conſoletur, ad concordiæ inſtaurationem exhibens, mire colligit, unitque: atque unius ejuſdemque Domini ac creatoris, figmenta ac creaturas, eos qui collecti ſunt, oſtendit: exque unitate cultus, figmenti parem dignitatem ſubindicans, eorum qui in ſe invicem acerbis odiis efferuntur, lenit, ac deprimit animos, ſuadens modeſte ſapere, ac pro humana ratione; decenſque ad eamdem fictoris manum reſpicere, atque idem fictionis lutum reputa- B re. Ad hoc enim ſolemnes conferre conventus, congrua Chriſtianis conſuetudo documento eſt; ac alius quidem, Chriſtum natum oſtendit; alius teſtatur baptizatum; profert alius transfiguratum: alius exhibet divina patrantem ſigna; dæmoniacos curantem; cæcis viſum reſtituentem; ſanguinum ſiccantem fontes; claudis ac paralyticis membra adſtringentem; mortuos ſuſcitantem: ac demum alius pendentem in cruce traducit; alius vero iterum reſurgentem, meamque viſibilibus factis geſtiſque reſurrectionem initiantem.

Cum ſic autem divinæ congrue religioni inſtitutus omnis ejuſmodi conventus, tum communia do- C na fruenda præbeat, tum propriam pariter emicantem gratiæ illuſtrationem prætendat; longe præ aliis, ſolemnis hic dies virginis ac Dei matris natalitio inclytus, præclara honoris inſignia refert. Quemadmodum enim radicem, ramorum, truncique, ac fructus, floriſque agnoſcimus cauſſam, tametſi fructus gratia omne aliis ſtudium laborque impenditur; citraque radicem, aliorum nihil enaſcitur: ſic virginis demta feſtivitate, aliarum ab ipſa germinantium nulla illuceſcet. Ideo namque reſurrectio eſt, quia mors: mors autem, quia crucifixio: crucifixio, quia Lazarus quatriduanus ab inferni portis reverſus eſt; ac quia cæci vident, D paralyticuſque lectum in quo jacebat portat currens: ac demum quia admiranda alia patrata opera (nec enim per tempus licet percenſere omnia) quibus Judæorum populus, cum ad laudem ac cantica provocari debuiſſet, invidia exarſit; qua permovente, in ſuum ipſi interitum ſalvatoris necem moliti ſunt. Hæc autem eo fuere, quod Chriſtus baptizans, atque ab infidelitatis errore homines liberans,

1. Ex Eminentiſſimi Cardinalis Mazarini Codice, interprete Combef. 2. Lego [illegible].

σάμενος, ἔργῳ καὶ λόγῳ τὴν θεογνωσίαν ἐδίδασκεν· βάπτισις δὲ, ὅτι γέννησις· Χριστοῦ δὲ γέννησις, συντόμως καὶ καλῶς εἰπεῖν, ὅτι παρθένου γέννησις· ἐν ᾗ καινιζόμεθα, καὶ ἣν ἑορτάζειν ἠξιώμεθα. οὕτω ῥίζης, ἢ πηγῆς, ἢ θεμελίων λόγον, ἢ οὐκ οἶδ' ὅτι καὶ οἰκειότερον εἴπω, ἡ παρθενικὴ πληροῦσα πανήγυρις, ἐκείναις τε πάσαις εἰκότως ἀγλαΐζεται, καὶ πολλοῖς καὶ μεγάλοις ἐνδιαπρέπει χαρίσμασι, καὶ παγκοσμίου σωτηρίας ἡμέρα γνωρίζεται.

Σήμερον γὰρ ἡ παρθένος μήτηρ, ἐκ στείρας μητρὸς ἀποτίκτεται, καὶ τῆς δεσποτικῆς ἐπιδημίας τὸ παλάτιον εὐτρεπίζεται. σήμερον δεσμὰ στειρώσεως λύεται, καὶ τῆς παρθενίας τὰ κλεῖθρα σφραγίζεται. οἷς γὰρ νηδὺς ἄγονος, καὶ λόγους νεκρωθεῖσα τεκνώσεως, καρπὸν παρ' ἐλπίδας ὡραῖον προήνεγκεν· τούτοις καὶ τὸ τῆς παρθενίας μνηστεύεται ἀδιάφθορον, καὶ τὸ θαῦμα τῆς κυοφορίας ἐπιδήλοις ἔργοις προαγγέλλεται. ὑπερφυὲς μὲν τόκος ἄνανδρος, καὶ παρθενίας φυλακὴ μετὰ γέννησιν· νικᾷ δὲ θεσμοὺς φύσεως καὶ στεῖρα μετὰ γῆρας γεωργουμένη καὶ τίκτουσα, καὶ τῆς παρθένου τὸν τόκον, δι' ὧν τερατουργεῖται, προοιμιάζεται. σήμερον τὸν ὀνειδισμὸν τῆς ἀτεκνίας ἡ Αννα θερίζεται, καὶ τῆς χαρᾶς τοὺς στάχυς ἡ οἰκουμένη καρπίζεται. πατὴρ παιδὸς ὁ Ιωακεὶμ ὀνομάζεται, καὶ τῆς υἱοθεσίας ἡμεῖς ἀρραβωνιζόμεθα τὸ ἀξίωμα. σήμερον ἡ παρθένος ἐξ ἀγόνων λαγόνων προέρχεται, καὶ τὰς γονὰς τῆς ἁμαρτίας ἡ στείρωσις διαδέχεται· καὶ τῆς συναγωγῆς τῶν Ιουδαίων χηρεύει τὸ πλήρωμα, καὶ τῶν τῆς ἐκκλησίας κόλπων τὰ τέκνα προκόπτουσι, Χριστῷ τῷ νυμφίῳ θεοπρεπῶς αὐξανόμενά τε καὶ πληθυνόμενα. ἐξ ἀγόνων λαγόνων ἡ παρθένος προέρχεται, ὅτε καὶ γονίμων ὄντων ὁ τόκος παράδοξος. ὢ τοῦ θαύματος· ὅτε τῆς σπορᾶς ὁ χρόνος ἐξέλιπε, τότε τοῦ καρποῦ τῆς φορᾶς ὁ καιρὸς ἐπεδήμησεν· ὅτε τὸ πῦρ ἐσβέσθη τῆς ἐπιθυμίας, τότε ἡ λαμπὰς ἀνήφθη τῆς παιδοποιΐας. νεότης ἄνθος οὐκ ἤνεγκε, καὶ βλαστὸν τὸ γῆρας προβάλλεται· γαστρὸς ὄγκος ἀκμαζούσης οὐκ ἐγνώσθη φύσεως, καὶ ὑπεράκμου νηδύος ἀειπάρθενον βρέφος γνωρίζεται κύημα.

Αλλ' ἀπορεῖς ἄνθρωπε, εἰ ἡ στεῖρα τέτοκεν; μᾶλλον δὲ ζητεῖς, οἷς καὶ σὲ θαυμάζειν ἐχρῆν δι' ὧν θαυμάζομεν, παρὰ φαῦλον θέσθαι τὸ θαυμαζόμενον, καὶ πῶς στεῖρα τέκοι λογομαχεῖς; εἰ γὰρ στεῖρα οὐ τίκτει· τίκτουσα δὲ οὐ στεῖρα· πῶς δὲ μαζοὶ ξηρανθέντες εἰς πηγὰς ἀναστομοῦνται γάλακτος; εἰ γὰρ θησαυρίζειν αἷμα τὸ γῆρας οὐκ οἶδε, πῶς ὅπερ οὐκ ἔλαβον αἱ θηλαὶ, λευκαίνουσιν εἰς γάλα; πῶς δὲ μήτρα νεκρωθεῖσα τελεσιουργεῖ καὶ ζωοποιεῖ, καὶ συνέχει καὶ τρέφει τὸ ἔμβρυον; ταῦτα σὺ κατὰ σεαυτοῦ, καὶ τῆς σῆς μηχανορραφεῖς σωτηρίας· τίς ὤν; τῶν πιστῶν γὰρ καὶ ἀξίων τοῦ θαύματος, οὐκ ἂν εἴης· οὐδὲ γὰρ οὐδὲ τοῖς, δι' ὧν ἡ πίστις, ἀπιστεῖν ὅμεν οὖν ὁ πιστὸς παραστήσεται, ἀλλὰ Ιουδαῖος. ἡ Σάρρα δὲ, πῶς, ἢ ποῦ σοι διαπέπτωκεν; ἆρα γὰρ οὐ γήρως καὶ στειρώσεως εἶδε παῖδα τὸν Ισαάκ; ἂν ἡ Αννα σοι συγχεῖ καὶ ταράσσει τοὺς λογισμοὺς, ἡ Σάρρα μᾶλλον, ὅτι καὶ πρῶτον. ἂν τοῦτο ποιῇ τὴν ἀμφιβολίαν, ἐκεῖνος σὺ, καὶ τῆς σῆς οὐκ αἰσθάνῃ παραγράφων συγγενείας, καὶ τέμνων τὰς ῥίζας, ἐξ ὧν σοι τὸ εἶναι κλάδῳ, καὶ τῶν Ιουδαϊκῶν θεσμῶν ἐξελέγχῃ κατενηνεγμένος.

Εγὼ δὲ, εἰ μὲν εἱρμῷ φύσεως πεπρᾶχθαι λέγων τὸν τόκον, ἔπειτά σε ὁμονοεῖν παρεκάλουν, καλῶς ἡ στεῖρα τὸ γῆρας, ἡ φύσις τῶν συλλογισμῶν ἐγέννα τὸν πόνον· εἰ δὲ χάριτος θείας πρεσβεύω τὴν πρᾶξιν, τί τὴν χάριν ἐκβιάζῃ δουλεύειν τῇ φύσει, ἧς ἀεὶ αὕτη πέφυκε κυρία; δέχῃ τὸν Αδὰμ πηλῷ πλασθέν-

A opere pariter atque ſermone, Dei ſcientiam ac fidem doceret: baptiſmus autem, quia nativitas: Chriſti autem nativitas, ut ſumma ac præclare dicam, quia virginis nativitas: in qua initiamur, quamque meruimus celebrare. Quamobrem, radicis, fontiſve, aut fundamenti, vel neſcio quid germanius ac magis proprium dicam, rationem virginalis feſtivitas implens, illis pariter univerſis honeſtatur, ac ſplendet, multiſque ac magnis præpollet donis, ac mundi univerſi ſalutis dies noſcitur.

Hodie enim virgo mater, ex matre ſterili naſcitur, Dominicique adventus palatium præparatur. Hodie ſolvuntur ſterilitatis vincula, ac virginitatis clauſtra obſignantur. Quibus enim infecundus uterus, B ac cujus prolificæ rationes emortuæ eſſent, præclarum fructum protulit, cùm ſpes omnis abeſſet; iis quoque virginalis incorruptio promittitur, partuſque miraculum perſpicuis rebus prænuntiatur. Equidem eximia res, ac tota quid majus natura, partus ſine viro, ac ſervata virginitas ab edita prole; verum naturæ quoque jura ſuperat, ut ſterilis a ſenio fecunditate augeatur, pariatque; ac rei prodigium, virginali partui exordio præit. Hodie Anna ſterilitatis opprobrium amputat; gaudiique ſegetes terrarum orbis metit. Joacim puellæ appellatur pater, noſque adoptionis arrhabonem honoris cumulo accipimus. Hodie virgo ex infecundis lumbis procedit, peccatique fecundos partus ſterilitas C excipit; ſynagogæ Judæorum cœtus viduus manet, exque Eccleſiæ ſinu filii prodeunt, qui Chriſto ſponſo divine creſcant, ac pleno numero augeantur. Procedit virgo abs ſterilibus lumbis, tum, cum etiam iis fecundis partus mirabilis ac inſolitus foret. O rem mirabilem! cum defeciſſet ſementis tempus, tunc editionis fructûs opportunitas advenit: ubi cupiditatis ignis exſtinctus eſſet, tunc fecunditatis fax accenſa eſt. Juventus non protulit florem, germenque ſenectus edit: vegeti uteri tumor ignotus fuit, effœtique ventris virgo perpetua infans noſcitur partus.

Enimvero, dubitas homo, num ſterilis pepererit? Quinimmo quæris, quibus te quoque mirari D oportebat, quibus admiramur ipſi, ut dignam rem miraculo ridiculam facias, ſpernaſque, ac num ſterilis pariat, verbis contendis? Si enim non parit ſterilis, nec quæ parit ſterilis eſt; quomodo arentia ubera in lactis fontes acuuntur? Siquidem enim ſenectus ſanguinis theſauros neſcit recondere, quomodo quod mammæ non acceperunt, in lactis dealbant ſpeciem? Quei vero etiam vulva emortua, maturam vivamque prolem edit, eamque ipſa continet, & alit? Hæc tu adverſus teipſum, tuamque ſubtiliter conſuis ſalutem: quis nempe exſiſtens? Nec enim unus quis fidelium exſiſtas, ac eorum, qui miraculo digni ſint. Nam neque fidelis producatur, qui iis abroget fidem, per quæ fides adſtrui- E tur: ſed Judæus. At quomodo, ac ubi tibi excidit Sara? Nonne enim illa, ſenectutis ac ſterilitatis diſpendiis editam prolem, Iſaac vidit? Siquidem Anna animum tibi confundit, ac turbat; potiori jure Sara, quando etiam prior. Quod ſi hoc dubitationem facit, ille tu, neque perſentis, tuam te præſcribere ac ſubmovere cognationem, radiceſque ex quibus tibi ramo eſſe acceſſit, amputare, atque a Judaicis juribus revinceris excidiſſe?

Ut quidem ego naturæ ſerie partum factum dicens, poſtea rogarem in meam pedibus manibuſque ires ſententiam; merito ſterilitas ſenectutem; natura, rationum laborem progigneret: cum autem divinæ gratiæ opus doceam, quid gratiam cogis ſervire naturæ, cujus illa ſemper dominari comparata eſt? Num Adamum admittis e luto forma-

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 890.

τα, καὶ χωρὶς παραχθέντα γεννήσεως; δέχῃ τὴν Εὔαν ἄνευ συναφείας, καὶ πλευρᾶς ὑπάρχουσαν γέννημα; λόγον ταῦτα φύσεως οὐκ ἂν εἰπεῖν ἔχων. ἡ γὰρ κατὰ διαδοχὴν τῶν ἀνθρώπων αὔξησίς τε καὶ γέννησις, ἄλλην τάξιν τῆς προόδου διασώζουσα, οὐκ ἐᾷ τὴν προβολὴν ἐκείνων φύσεως δοξάζειν ἔργον. ἀλλ' οὐδέ γε παρὰ φύσιν πάλιν· ἀρχὴ γὰρ τῆς κατὰ φύσιν τῶν ἀνθρώπων συστάσεως. θείας ἄρα βουλῆς, καὶ ἰσχύος. τί δέ; τότε μὲν ἰσχύειν κἂν τοῖς παραδοξοτέροις δίδως τὸ θεῖον, καὶ τὴν τάξιν τῆς φύσεως κατὰ τοῦ ταύτης οὐχ ὁπλίζεις πλάστου· νῦν δὲ ὥσπερ γῆρας βαθὺ κατεγνωκὼς τῆς πανσθενεστάτης καὶ ἀκηράτου δυνάμεως, ἀσθενεστέραν τούτοις ἀποφαίνεις; ἐφ' ὧν τοῖς ἔμπροσθεν ἐγγεγυμνασμένος, δίκαιος ἂν ἦσθα μᾶλλον καὶ τοῖς ἄλλοις ὀφθῆναι τὴν περὶ τούτων πίστιν ἀδίστακτον παρεσχημένος. οὐκοῦν οὐδὲ Ἰουδαῖος ὁ ἀμφισβητήσων εἴη, ἄνπερ Ἰουδαῖος εἴη· ἀλλά τις τῶν Ἑλλήνων νοῦν καὶ γνώμην κεκτημένων.

Ἀπιστεῖς δὲ ἄρα σὺ, καὶ φαυλίζεις ἐκ στείρας παῖδα προεληλυθέναι, ὁ σήψεως τέκνα πλάττων τοὺς ἀνθρώπους; ὁ δρακοντείους ὀδόντας μήτρας αὐτουργήτας τοῖς σοῖς γε προγόνοις; ὡς εἴθε τάφους ταῦτα λέγοντί σοι τούτους ἐδείκνυς, ὁ λίθους ἀνθρωπίζεσθαι προστάττων, καὶ τῶν σῶν προπατόρων τὸ γένος ἀξίως γε σεαυτοῦ γενεαλογῶν, εἰς τὸ τῶν μυρμήκων ἀναφέρων αἷμα. σὺ ταῦτα φρονῶν, κἂν μακρὸς ὑπάρχει λῆρος· καὶ οὐδαμῆ, οὐδέν· οὐ χάριν· οὐ νοῦν· οὐ φύσιν· οὐκ αἴσθησιν· οὐκ ἀλλοτρίαν δόξαν· οὐ τὴν σεαυτοῦ· οὐκ ἄλλο οὐδὲν συνήγορον ἔχων, πλὴν τῆς σῆς ἀναισχυντίας ἢ ἀναισθησίας· ὅμως, περιέπεις καὶ πρεσβεύεις· ἃ δὲ καὶ δόξαι κυροῦσι μαχόμεναι ταῦτα περὶ τούτων ὑπὸ τῆς ἀληθείας συμφθέγγεσθαι· καὶ ὧν πρώτη μάρτυς ἡ αὐτοψία καὶ αἴσθησις, καὶ οἷς πολλὰ τῶν ὁμοιοτρόπως πάλαι γεγονότων, καὶ χωρὶς τῶν εἰρημένων τὴν πίστιν παρέχεται· ταῦτα χλευάζειν ἐπιχειρεῖς, καὶ ἐν φαύλῳ τίθεσθαι; καὶ οὐ τοῦτο φαίην ἂν ἔγωγε, ὡς οἷς ἐκεῖνοι τὰ ἀτοπώτατα πεπρεσβεύκασι, τούτοις ἡμᾶς δεήσει σεμνολογεῖν τὰ ἡμέτερα· οὐδὲ πολλοῦ δεῖ, τὸ φῶς τῷ σκότει λαμπρύνεσθαι, ἢ τῷ ψεύδει συνίστασθαι τὴν ἀλήθειαν· ἢ τῇ πλάνῃ τὴν πίστιν στηρίζεσθαι· ἀλλ' ὡς ὅλως οὐκ ἐξὸν ἐκείνοις κάτω παντελῶς κατενεχθεῖσι, καὶ ὅσον ἡμεῖς ἄνω τῆς φύσεως, τὰ μὲν παρὰ φύσιν, καὶ ἃ μηδ' ὅστις οὖν τρόπος συγκροτήσειεν, ταῦτα τιμᾶν, καὶ θαυμάζειν· ἃ δὲ πολλῷ κρείσσω καὶ λόγου καὶ φύσεως, καὶ [1] ἀνέσεως· καὶ εἰσέτι μαρτύρων τάφοι, ἔστιν οὗ τῆς χρείας καλούσης, καὶ τῆς προνοίας οἰκονομούσης τερατουργοῦντες ἐπιμαρτύρονται, ταῦτα δὲ λόγῳ καὶ πλάνῃ πειρᾶσθαι παρασαλεύειν.

Ὅρα δὲ κἀκεῖνο. οὐ πάθος κρατεῖ φύσεως; οὐ νόσος; οὐ γῆρας; οὐκ αὐτὴ δὲ νεότης οὕτω ἡβάσκουσα εἰ καί τι ἄλλο, ἀσθένεια καθεστῶσα τῆς τεκνώσεως; καὶ τὸ παράδοξον, εἰ μὴ τῷ συνήθει τὴν ἔκπληξιν διεκλέπτετο, ὅτι δι' ἧς ἔρχεταί τις εἶναι πατὴρ, αὐτὴ τέως οὐκ ἐᾷ γενέσθαι πατέρα. τί οὖν· τὰ πάθη νικᾷ τὴν φύσιν, εἰ μή τι ἄλλο πάθος καὶ περίττωμα ταύτης ὄν· ἡ δὲ χάρις ἣν ἔπλασεν οὐ βελτιοῖ φύσιν; τὸ γῆρας ψῦχον, τῆς γονῆς ἀναξηραίνει τὰς πηγὰς, καὶ ὁ πλάστης θάλπων οὐκ ἀρδεύει τὸ γεγηρακός; ἐκεῖνα πρὸς ἃ μήπω κατηνέχθη, καὶ τοῦ καιροῦ μήπω παραστάντος, καὶ χειρόνων ὄντων πρὸς ἃ καθέλκεται, φέρει ὅμως ἀμυδρῶς· ὁ δὲ πλάστης,

1. Leg. αἰνέσεως.

A tum, ac absque nativitate productum esse? Num admittis & Evam absque copula editam, ac lateris, costæque germen esse? ut plane non hæc dicas rationem naturæ. Quæ enim humana successione accretio ac procreatio est, modum alium processionis servans, non sinit ut illorum processionem naturæ opus existimes: at neque rursum ut contra naturam: siquidem illa naturalis hominum constitutionis principium est. Divini ergo consilii sit, atque potentiæ. Quid vero? Tum quidem potuisse concedis, in iis quoque quæ majorem admirationem habebant, divinum numen, nec naturæ ordinem adversus ejus fictorem instruis; nunc autem, tamquam potentissimam ac immortalem virtutem B gravi senio defectam existimares, istis imbecilliorem pronuncias, cum prioribus exercitatus, par esset ut aliis quoque potius videreris indubitatam in ejusmodi præbere fidem? Quocirca ne Judæus quidem dubitaverit, si quidem Judæus sit; sed eorum aliquis, qui animum ac mentem habent gentilitio errore tentam.

Non credis ergo tu, subsannasque, ut puella abs sterili prodierit, qui homines putredine ortos confingis? qui draconis dentes majoribus tuis vulvas, quibus sint suscepti, efficis: adeoque utinam tibi ipse dicenti, eos sepulcra ostendisses, qui lapides jubes concrescere in homines, tuorumque majorum genus digna te serie recenses in formicarum sanguinem referens. C Tu hæc sapiens, quamquam sunt maximum delirium; nec usquam aliquid, non gratiam, non mentem, non naturam, non sensum, non alienam opinionem, non tuam ipsius, non aliud quidquam habens quod suffragetur, excepta dumtaxat impudentia tua, sive insensibilitate, veneraris tamen, ac honori habes: ea vero quæ & pugnantes confirmant opiniones, cogente veritate ut de his eadem consentienter pronuncient: ac quorum primus testis est ipse adspectus, sensusque; quibus denique, plura olim simili ratione facta, exceptis etiam iis, quæ sunt dicta, fidem conciliant, subsannare contendis, ac flocci pendere? Nec sane ego id dixerim, ut quibus illi res absurdissimas honorarunt, iis nos oporteat D honestare nostras; neque, quod longe abest, tenebris lumen illustrare; aut veritatem mendacio adstruere: vel fidem, infidelitatis errore confirmare: sed plane nefas eos præsumere, omnino sensu ad ima depressos, quanto nos naturæ superiores sumus, ut quæ sunt contra naturam, quæque nulli comprobaverint mores, ea illi honori habeant, ac admirentur: quæ autem majori & oratione & natura, ac laude, præconio hactenus quoque martyrum sepulcra, quandoque usu vocante, ac disponente providentia, prodigiis editis clare attestantur, ea sermone atque errore convellere nitantur.

E

Illud quoque vide. Nonne affectio superat naturam? nonne morbus? nonne senium? nonne juventus ipsa, ita vigens, ac aliud quodvis, generandæ prolis impotentia existens? quodque miraculum haberet, nisi sensim consuetudine, admirationis ac stuporis sensum auferret, qua quis provehit ut sit pater, ipsa hactenus patrem fieri prohibet. Quid ergo? Affectiones naturam vincunt, nisi quid aliud adsit, quod ejus sit affectio ac recrementum; nec gratia, quam finxit, ac condidit naturam, in meliorem augebit? Senectus infrigidans genitales fontes exsiccat; nec fictor, conditorque fovens, irriguum faciet quod consenuit? Illa, ad quæ hæc necdum devoluta est, ac cum adhuc non adsit tempus, cumque ea ad quæ pertrahunt sint

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 890.

ἐν οἷς ἐξ ἀρχῆς ὅροις ἔστησε; οὐκ ἐπανάγει θέλων ἀχερῶς; ἀπιστεῖς τοῖς εἰρημένοις; καλῶς γε ποιῶν· οὐ γὰρ ἔμοιγε, οὗ πολλοῦ δεῖ τῶν σεμνῶν σου ταῦτα μεταπλάσεων, ἃς ἐγώ σοι ἀριθμήσομαι· μᾶλλον δὲ, σόν ἐστι καταλέγειν ταῦτα, ἵν' ἔχῃς πλέον ἐν τοῖς σοι βιωφελεστάτοις ἀφηγήμασιν ἡμῶν κατεπαίρεσθαι.

Λέγε τὰς ἐξ ἀνθρώπων ἀγείρους· ὧν ἀποῤῥεῖ τῶν ὀμμάτων ἡ τοῦ μύθου ἤλεκτρος, ἀφ' οὗ σὺ πλουτεῖς τὴν λήθειαν. ἀρίθμει καὶ τὰς δάφνας, καὶ τοὺς φοίνικας· τὰς ἀηδόνας, καὶ τὰς χελιδόνας· τοὺς ᾠδικούς σου κύκνους, καὶ τὰς ἀλκυόνας, καὶ τοὺς φιλανθρώπους σου δελφῖνας. ὕμνει σου τοὺς ἀνδρογύνους Τειρεσίας, ἵνα θεῶν ἔριν, ἀξίαν τῆς ἐκείνων ἀσελγείας διαλύσωσιν· οἱ πλέον τὴν ἡδονὴν ἐπιμετρησάμενοι τῇ θεῷ, εἰς κακὸν τῆς παῤῥησίας ἀπώναντο. βούλει σοι προσαναμνήσω τοὺς ποντοπόρους ταύρους, κόρης δυστυχοῦς οἰακιζομένους ἔρωτι· καὶ τὰς μακρὰς ἀποδημίας· καὶ τὰς πολλὰς περιόδους· καὶ τὰς ποῤῥωτάτω τοῦ Ὀλύμπου διατριβάς; σιγῶ τ' ἄλλα· οὐδὲ γὰρ οὐδὲ προσεῖχε μύρῳ πίστεως πλάνης συνανακιρνᾶσθαι βόρβορον· ἢ τὰς τῆς εὐσεβείας αὐγὰς, τῷ βάθει τῆς ἀσεβείας ζόφῳ καθυβρίζεσθαι. διὸ τοῖς μακροῖς ὕθλοις καὶ μύθοις μακρὰ χαίρειν εἰπόντες, καὶ τοὺς ἐπτοημένους περὶ ταῦτα τῆς παρανοίας ἐλεοῦντες, καὶ μισοῦντες τῆς ἀλαζονείας, ἐπὶ τὸν ἐξ ἀρχῆς τοῦ λόγου δρόμον καὶ δὴ ἰθυνώμεθα.

Πάλαι τοιγαροῦν τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως τῶν προγονικῶν ἁμαρτημάτων τῷ κράτει δεδουλωμένης, ὁ τῆς ἀπογόνου τόκος τὸν καθαιρέτην τούτων ὑποσαλπίζων, ἀνενεγκεῖν τῆς τυραννίδος καὶ ἀπαλλαγῆναι τῆς δουλείας λαμπρὰ παρείχετο τὰ συνθήματα. διὸ καὶ Ἀδὰμ σὺν τῇ Εὔᾳ τοὺς παλαιοὺς ἐκείνους τῆς παραβάσεως ἀποκαθηράμενοι μολυσμοὺς, καὶ τὸ τῆς κατηφείας ἀποσκεδασάμενοι σκυθρωπὸν, ἐλευθέρᾳ καὶ φωνῇ καὶ ὄψει, τὴν παρθενικὴν χοροστατοῦσι πανήγυριν χαίροντες· μᾶλλον δὲ, κορυφαῖοι ταύτης καθεστηκότες. δι' ὧν γὰρ ἡ τῆς ἁμαρτίας σπορὰ ὅλῳ παραφυεῖσα τῷ γένει, καὶ τοῦτο νοθεύσασα· οὗτοι μᾶλλον, ταύτης ἀποῤῥιζουμένης, κατάρχειν τῆς χαρᾶς, καὶ τῆς χοροστασίας, καὶ μετέρχεσθαι, καὶ συγκαλεῖν τοὺς ἐξ αὐτῶν πεφυκότας, τυγχάνουσι δίκαιοι. καὶ γὰρ διὰ πάντων μὲν ἀπὸ τῶν πρώτως παραβεβηκότων, τοῦ τῆς παραπτώσεως ἀῤῥωστήματος μεταῤῥυέντος· πάντων δὲ τῆς ὁμοίας θεραπείας ἐπιδεομένων· τῆς δὲ παγκοσμίου σωτηρίας σήμερον τῷ τῆς παρθένου τόκῳ θεμελιουμένης, κοινὴν μὲν καὶ παγγενῆ προσῆκε συστήσασθαι τὴν πανήγυριν· δημοτελεῖς δὲ καὶ ὑπερκοσμίους τὰς εὐχαριστηρίους ᾠδὰς ἀνακρούσασθαι. ὑπερκόσμιον γὰρ ἀπαιτεῖ τὴν εὐχαριστίαν, τὸ τῆς σωτηρίας παγκόσμιον.

XXIV. Michaele vero Imperatore Romanum ſceptrum obtinente, qui principale ornamentum in monachorum mutavit habitum; itemque Leone qui eum in imperio excepit, nequaquam perquiſitionem inveſtigationemque hujus impietatis negligentibus, quinimmo curam quæ par erat ſuſcipientibus, mittuntur quidam non obſcuro loco nati homines per univerſam Romanam ditionem, qui ſi quos fortaſſe deprehendiſſent huic obnoxios impietati; quandoquidem eos multoties epiſcoporum atque ſacerdotum nec monita nec adhortationes quidquam aut juverunt, aut abjicere ſuaſerunt ſuam impietatem; hos tantopere obſtinatos, tamquam communem peſtem ac noxam humani generis ſecuri percuterent. Pervenere igitur juſſa & in regionem Armeniacorum dictam. Thomas erat tunc Neocæſareæ epiſcopus, & alius quidam Paracondaces nomine, qui præerat per id temporis univerſis, quotquot vitam religioſiorem ſectabantur, atque ſublimioris converſationis profitebantur vincula cuſtodire. Horum igitur uterque ubi una conveniendi cum aliis diſertis hominibus imperiale decretum ſuſcepere, quoſcumque apoſtatas militaris manus inveniebat comprehendebatque, atque ad ipſos mittebat, interrogabant ac ſubtiliſſime diſcutiebant: atque fontes ab inſontibus in claſſes diſtinguentes, hos quidem dimittebant, præter nonnullos quos pœnis eccleſiaſticis ſubjecerunt; illos vero quippe prorſus inemendabiles, politicis legibus eorumque magiſtratuum tribunalibus addicebantque. Cum hoc modo inquiſitio & judicium, proceſſus item & acta procederent, inter ſeſe partiuntur capitalis ſententiæ exſecutionem prædictorum judicum & illi qui Cynochoritæ dicebantur, & quos Haſtatos appellabant. Erant porro hi inter Sergii diſcipulos ſelectiſſimi. Haſtati igitur nullo alio adhortatore egentes, ipſi per ſe dolo & proditione jugulant prædictum præfectum. At Cynochoritis,

1. Coisl. κοινῇ. 2. Al. συνηγμένους, Mox προσφάτως.
3. Al. θάνατον.

4. Nempe *Curopalatæ*, cognomine *Rhangabe*.
5. Vide Cedrenum pag. 433.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 890.

ἐνέδει στρατηγὸς τοῦ μιάσματος, εἷς τῶν εἰρημένων ἀστάτων ἐφίσταται, καὶ κατασφάζουσι καὶ οὗτοι τὸν ἀρχιερέα τοῦ Θεοῦ Θωμᾶν. ἀναίδην δὲ τούτων οὕτω παρανομηθέντων, ὡς ἔφην, ἑκατέρας μιαιφονίας ἀρχιτέκτονες, φεύγουσι μὲν σὺν τοῖς ἑπομένοις ἀσυδὴ ἀπὸ πάσης γῆς, ἣν ὁ χριστιανῶν ἐκόσμει θεσμὸς, παραγίνονται δὲ ἐν Μελιτηνῇ πόλει τῆς δευτέρας Ἀρμενίας, πολιτείαν οὔσαν τότε τῶν μισοχρίστων Σαρακηνῶν, ἧς καὶ Ἀμηρᾶς ἦρχεν, ὃν ἐπεκάλουν Μονοχεράρην [1]. καὶ οὗτος ὁ μισόχριστος τοὺς μισοχρίστους φυγάδας τά τε ἄλλα φιλοφρονησάμενος δεξιῶς, καὶ παντὸς ἐλευθερώσας ἀνθρωπίνου δέους, τὸ Ἀργαοὺν [2] πολίχνιον οὕτω καλούμενον ἐπιχωρίῳ γλώττῃ οἰκεῖν ἐπιτρέπει. ἀθροίσματος δὲ ἐν οὐ πολλῷ χρόνῳ τῶν τὴν ἀποστασίαν φρονούντων συνερρυηκότος, ὡς καὶ εἰς λῃστρικὴν ἐξαρκεῖν ἐπιδρομήν τε καὶ χεῖρα, πολλὴ καὶ πολλάκις τῶν πλησιοχώρων χριστιανῶν αἰχμαλωσία τοῖς ἀθέοις ἐπετηδεύετο. κἀκεῖθεν κραταιούμενον τὸ κακὸν, οὐ μόνον τοὺς ἀπ' ἀρχῆς θεραπευταῖς ἀδεῶς ἐδίδου τὴν ἀσέβειαν θρησκεύειν, ἀλλὰ καί τινας τῶν αἰχμαλωτιζομένων πολλὴν παρεῖχεν τὴν ἐξουσίαν συναναγκάζειν εἰς τὴν αὐτὴν αὐτοῖς καταπίπτειν ἀθεότητα. γίνεται δὴ καὶ Σέργιος, οὗ πολλάκις ἔσχε μνήμην ὁ λόγος, ἐκεῖσε· καὶ χρόνον τινὰ τοῖς φυγάσι διατρίψας, καὶ βαθυτέρας αὐτοῖς ἐπὶ πλέον τῆς ἀσεβείας τὰ δόγματα, τὴν ἄνωθεν ὅμως δίκην οὐ διδράσκει [3]. ξυλουργίας ἦν ὁ καιρὸς, καὶ τεκτονικῆς ὁ Σέργιος οὐκ ἀμελέτητος ἦν, καὶ δὴ καὶ συνήθης ἦν κεχρῆσθαι τῇ τέχνῃ, καὶ εἰς σανίδας ἀποξέειν τῶν πρέμνων τὰ ἐπιτήδεια· οὗτος κατὰ τὸ σύνηθες εἰς τὸ παρακείμενον ὄρος τοῦ Ἀργαοῦ παραγεγονὼς, ἔπραττε τὰ αὐτοῦ, καὶ εἰς σανίδας τὰ ξύλα ἀπέξεεν. πρὸς ταύτῃ δὲ ὄντα τῇ ἐργασίᾳ, Τζανίων [4] ὄνομα, γένος ἐκ Νικοπόλεως, εὐσεβὴς τὴν θρησκείαν, τὴν γνώμην ἀνδρεῖος, καὶ τὰς χεῖρας παραπλήσιος, ὡς εἶδεν οὕτω τὸν θεομάχον ταῖς μαγγανείαις αὐτοῦ τεθαῤῥηκότα, καὶ ταῖς γοητείαις τὴν ζωὴν πεπιστευκότα, καὶ καταμόνας ξυλουργεῖν ἐπηρμένον, μέγα τι καὶ διάτορον κατὰ τοῦ ἀπατεῶνος ἐμβοήσας, καὶ τῇ φωνῇ φόβου τε καὶ ἐκπλήξεως πληρώσας, ἀφαιρεῖται μὲν αὐτὸς ἄνοπλος ὢν τὴν ἀξίνην τῶν χειρῶν, παίει δὲ τὸν πλάνον καιρίαν, καὶ αὐταῖς ταῖς πληγαῖς ὁ πικρὸς ἐκπολεμηθῆσε τῷ ἀλιτηρίῳ θάνατος. οὕτω μὲν δὴ οὗτος τὸ τῆς ἀπάτης ὡς ἀληθῶς πνεῦμα, ὁ τῶν ἀνθρωπίνων ψυχῶν ὀλετὴρ, ἡ πικρὰ καὶ βαθεῖα τῆς ἀποστασίας ῥίζα, τὸ ἔσχατον καὶ χεῖρον τῶν ἔμπροσθεν αὐτοῦ πάντων κακῶν, τῆς οἰκείας αὐτοῦ χειρὸς καὶ τέχνης τῷ ὅπλῳ κατακοπείς, τῶν τε θεομάχων καὶ ὑπερηφάνων λόγων, καὶ βδελυκτῶν καὶ ἀνοσίων ἔργων, καὶ τῶν ἀμηχάνων ὑποσχέσεων καὶ ἐλπίδων, καὶ αὐτῆς τῆς ζωῆς ἐξεκόπη, καὶ εἰς τὸ ἄσβεστον πῦρ καὶ αἰώνιον αὐτῷ τῷ θεομάχῳ φρονήματι παρεπέμφθη.

Τρίτον καὶ τεσσαρακοστὸν καὶ τριακοσιοστὸν πρὸς τοῖς ς'. ἀπ' ἀρχῆς τῆς κοσμογενείας ἠνύετο ἔτος, ὅτε τὸν βίαιον ὁ θεομάχος ἀπέτισε θάνατον. λείπει δὲ μαθητὰς τῆς αὐτοῦ μυσαρότητος καὶ ἀποστασίας, οἳ τὸ πρωτεῖον ἐν ταῖς μυστικαῖς μαγγανείαις τε καὶ γοητείαις ἔφερον, τρεῖς· ὧν ὁ μὲν Μιχαὴλ, ὁ δὲ Κανακάρης, ὁ δὲ τρίτος Ἰωάννης ὠνομάζετο, οἷς καὶ ὁ μνημονευθεὶς ἄνωθεν Θεόδοτος συνετάζετο. οἱ δὲ μετ' ἐκείνους Βασίλειός τε καὶ Ζώσιμος, καὶ ἕτεροι πλείους ἦσαν. ἀλλ' οὗτοί γε οἱ τοῦ τρισαλιτηρίου ἐκείνου τρισκατάρατοι μαθηταὶ, οὓς καὶ συνεκδήμους τὸ ἠπατημένον πλῆθος ἐπονομάζουσιν, τὸν ἀθροισθέντα λαὸν ἐν τῷ Ἀργαοῦ, καίτοι τὸν πικρὸν καὶ θεήλατον τοῦ διδασκάλου θάνατον ὄψει λαβόντες,

A quoniam sceleris duce indigebant, quidam dictorum Hastatorum fit dux, jugulantque & ipsi episcopum Dei Thomam. Cum igitur audacter hæc scelera fuissent perpetrata, ut dixi, utriusque cædis auctores fugiunt cum sequacibus festinato ab universa terra, quam Christianorum lex condecorabat, veniuntque Metilinem Armeniæ secundæ civitatem, quæ ditioni suberat Christo inimicorum Saracenorum, cui Amiras imperitabat, quem denominabant Monocherarem. Hic igitur Christi adversarius Christi hostes extorres, quos & omni benignitate excepit & ab omni humano timore liberos asseruit, Argaum civitatulam sic appellatam vernaculo idiomate incolere permittit. Brevi multitudine eorum B qui defectionis placita fovebant confluente, itaut etiam sufficeret & ad conficiendam latrocinantium excursionem ac turbam, multa multoties vicinorum Christianorum captivitas ab impiis contingebat. Inde vero roboratum malum, non modo veteranos confestim inverecunde sinebat impietatem profiteri, verum etiam multam facultatem tribuebat cogendi quosdam ex captivis ut in eamdem secum impietatem sese præcipites darent. Eo etiam Sergius, de quo sæpe mentionem oratio nostra fecit, se contulit, atque per aliquod tempus inter fugitivos moratus est: eisque profundius irreligiositatis dogmata insinuavit; supernam tamen ultionem nequaquam evasit. Cædendarum arborum tempus erat, Sergius C artis fabrilis non erat inexpertus; quinimmo hac arte uti consueverat, & in tabulas secare arborum truncos opportuniores. Is ergo de more in vicinum Argai montem cum venisset, suam artem exercebat, & in asseres ligna secabat. Dum in hoc opere exercebatur, Tzanion quidam nomine, genere Nicopolitanus, religione pius, animo fortis nec minus manibus, ut vidit Dei hostem tantopere suis præstigiis fidentem, atque fascinationibus vitam suam commendantem, solum etiam in arboribus cædendis occupari audentem, magnum quid & sonorum adversus seductorem voce tonans, atque clamore implens metu & stupore, arripuit ipse, quippe qui inermis erat, asciam e manibus ejus, ictu vero sic op- D portune seductorem ferit, ut statim vulnera mors dira sceleratissimi hominis exciperet. Sic igitur sic erroris revera spiritus, pestis humanarum animarum, amara ac profunda defectionis radix, extremum & pessimum omnium ante se malorum, suæ ipsius manus & artis armis percussus, ex impiorum ac superborum sermonum, operum item abominandarum & exsecrabilium, impossibiliumque promissionum ac fiduciarum, quin & ipsius vitæ curriculo excisus est, atque in ignem inexstinguibilem & æternum cum sententia illa sua Deo inimica projectus est.

E

XXV. Tertius & quadragesimus ac tercentesimus supra sexcies millesimum ab orbe condito claudebatur annus, quando Dei adversarius violentam mortem oppetiit. Reliquit vero discipulos suæ abominationis & apostasiæ, qui in occultioribus præstigiis, & fascinamentis palmam reliquis præripiebant, tres. Horum unus Michael, secundus Canacares, tertius Joannes dicebatur, quibuscum & memoratus superius Theodotus accensebatur. Hos sequebantur Basilius & Zosimus, aliique plures. Sed isti sceleratissimi illius detestabiles discipuli, quos & comperegrinos decepta multitudo cognominat, coactum Argai populum, tametsi funestam & divinitus immissam magistri mortem oculis hausissent, viderentque nihil

1. Coisl. Μονοχεράρης.
2. Al. Ἀργοῦν.
3. Al. διαδιδράσκει.
4. Confer Petrum Siculum pag. 70.

καὶ οὐδέν, ὧν ἐθεομάχει καὶ ἐστρατεύετο, προελθὸν, ὅμως τοῖς ὁμοίοις κακοῖς διεφθείροντό τε καὶ κατελυμαίνοντο, οὐκ ἔτι μὲν εἰς ἕνα τινὰ, ἢ εἰς δύο τὸ διδασκαλικὸν τῆς θεομαχίας ἀναφέροντες ἀξίωμα, ὁμοτίμως δὲ ἀλλήλοις αὐτοὶ κατὰ πλῆθος τῆς πλάνης τῷ πλήθει καθηγούμενοι. ὅμως δὲ καὶ ὑποβεβηκότας αὐτῶν τινας ἑτέρους ἔταττον, οὓς καὶ νοταρίους ὠνόμαζον, καὶ τινα τῶν ἀποῤῥήτων καὶ βδελυκτῶν ὀργίων εἰς ἐποψίαν καὶ τελεστικὴν ἀφώριζον ἐπιμέλειαν.

A eorum, quæ impie dictitabat ac portentose profitebatur, usuvenisse; nihilominus paribus malis vitiare atque corrumpere pergebant: non amplius uni cuipiam aut duobus impietatem docendi munus deferentes, verum ex æquo inter sese ipsi per multitudinem errorum in multitudine magistros profitebantur. Nihilominus tamen quosdam e suis inferioris gradus creabant, quos etiam notarios appellabant, quibus quædam ex secretioribus & detestabilibus orgiis ad curam solicitudinemque initiandorum destinabant.

Ὑπὸ δὲ τοὺς αὐτοὺς ἀναφαίνεται καιροὺς καὶ ὁ τρισαλιτήριος Κερβέας [1], ἀνὴρ δεινὸς μὲν ὑπελθεῖν ὄχλον, στεγανὸς δὲ κρύπτειν τὸ ἀνέκφορον, καὶ τοῖς χείλεσιν ἄλλα προφέρειν παρὰ τὴν ἐν τῇ καρδίᾳ μελέτην πιθανώτατος, καὶ πίστιν μὲν οὐδ' ἥν τινα στέργων, ἐπεὶ καὶ τὰ τῶν Ἀράβων θειάζειν ἐσχηματίσατο· πλὴν τῆς ἀποστασίας ἐραστὴς καὶ λέγεσθαι καὶ νομίζεσθαι κλέος ποιούμενος, οὐδὲ τῆς κατὰ πόλεμον ἐμπειρίας ἀγύμναστος. διὸ καὶ τῆς ἀποστατικῆς ἐκείνης πληθύος ἤδη πρὸς χεῖρα πολεμικήν τε καὶ βαρεῖαν ἁδρυνομένης, ἄρχειν ὑπὸ τοῦ πλήθους ᾑρέθη. ὃς ἐπὶ μᾶλλον αὔξων τε καὶ κρατύνων τὸ θεομάχον ἄθροισμα, ἐπεὶ τῇ βαρύτητι [2] τοῦ πολυχνίου στενοχωρούμενος [3] εἶδε τοὺς ὑπὸ χεῖρα, πόλιν ἄλλην εὐρυχωροτέραν ἐγείρει, ἣν ἐπωνόμαζε Τεφρικὴν [4], καὶ ταύτην τοῖς ἑπομένοις πολίζει, ὁμοῦ μὲν καὶ τὴν ἐπιφερομένην τῶν Μελιτηνιτῶν ἀποκλίνων τυραννίδα· καὶ γὰρ εἰ κατ' ἀρχὰς φιλοφρόνως ὑπεδέξαντο, ἀλλ' οὖν πλουτοῦντας ὁρῶντες, καὶ πλέον ὧν ἤλπιζον, καὶ καθ' ἡμέραν λῃστρικαῖς ἐφόδοις εἰς εὐπορίαν ἐπιδιδόντας, οὐκ ἔτι τὸν ὀφθαλμὸν αὐτοῖς ἐπιβάλλειν φθόνου χωρὶς καὶ πλεονεξίας ἠδύναντο. διὸ λαφυραγωγοῦντες αὐτοὺς τέχναις πολλαῖς καὶ μεθόδοις οὐκ ἐνέλιπον. μία τοίνυν καὶ αὕτη αἰτία, δι' ἣν ὡς ἀπωτέρω τῆς προτέρας οἰκήσεως πολίζειν ἔγνω τὸ ὑπήκοον. ἔτι δὲ καὶ τῷ ἀνεπιμίκτῳ τῶν ἄλλων ἀνθρώπων εἰς τὰς δαιμονιώδεις καὶ ἀτόπους τῶν πράξεων, ἅτε δὴ καθ' ἑαυτοὺς ὄντας, ἀδείας χωρεῖν καὶ σὺν παῤῥησίᾳ προνοούμενος. ἐκ γειτόνων γὰρ ἔχοντες πρότερον τοὺς Σαρακηνοὺς, ἐσέβοντο [5] μὲν τὰ αὐτῶν, ἐσέβοντο δὲ καὶ τὰ ἐκείνων· ἀλλὰ τὰ μὲν ἐκείνων θεατρίζοντες, τὰ δὲ οἰκεῖα μυστηριαζόμενοι.

XXVI. Sub hæc tempora prodiit etiam sceleratissimus Cerbeas, vir quidam acerrimus ad insi- B nuandum se plebi, impenetrabilis in occultatione eorum quæ in vulgus efferenda non erant, perquam idoneus alia loqui ore, quam quæ in animo meditaretur, & qui fidem nullam sequeretur, quoniam & Arabum religionem pro divina habere simulabat: verumtamen gloriæ ducens apostasiæ amator & dici & haberi, qui & in rebus bellicis satis erat exercitatus. Quamobrem etiam apostaticæ illius multitudinis quæ jam in manum bellicam & quidem molestam excreverat, ducatus ei a multitudine collatus est. Is magis magisque augens ac sceleratas copias roborans, ubi propter angustiam oppiduli in arcto esse sensit suos, civitatem aliam ampliorem excitat, quam Tephricen nominavit, & hanc suis asseclis frequentat, simulque eo pacto ingruentem C Melitinorum tyrannidem declinavit. Quamvis enim statim ab initio eos humaniter excepissent, attamen divites effectos videntes, & quidem magis quam sperabant, quotidieque latrocinantibus excursionibus facultates amplificare, eos non amplius sine invidia aspicere aut livore poterant. Quamobrem variis artibus & imposturis eos sua præda spoliare non cessabant. Itaque & hoc in caussa fuit, cur quam longissime a prima habitatione statuerit subjectos suos in civitatem cogere. Ad hæc solerter studuit, ut, nequaquam cum ceteris hominibus commixti, in dæmoniaca & abominabilia facinora, quippe solitarii degentes, libere & cum licentia ire possent. Cum enim antea vicinos haberent Saracenos, & D illorum & suos ritus colebant: at illorum quidem ad speciem externam, suos vero clanculum exercentes.

Ἐπὶ τούτοις δὲ καὶ ἐπίκαιρος ἐδόκει πρὸς τὰς καταδρομὰς τῆς ῥωμαϊκῆς ἀρχῆς ἣν ἀνέστη πόλιν. μᾶλλον δὲ γὰρ ἐπλησίαζε τοῖς αὐτῆς ὁρίοις· ἀλλὰ καὶ εἴ τις αὐτομολεῖν ἐκεῖθεν ἐβούλετο τῶν τὴν αὐτὴν ἀσέβειαν ἐγκόλπιον φερόντων, ἑτοιμοτέραν εὕρισκε διὰ τὸ γειτόνημα τὴν πρὸς αὐτὸν καταφυγήν τε καὶ ἀναχώρησιν. ὡς μὲν οὖν ἐκεῖνος διήνεγκεν οὐκ ἔτι λῃστρικῶς, ἀλλ' ἐκ παρατάξεώς τε καὶ τοῖς Σαρακηνοῖς συντασσόμενος, ὅποις τε τὸ πλέον ἔσχε, καὶ ἐν οἷς ἀπηνέγκατο τὸ ἧττον, ἄλλης τέ ἐστιν ὑποθέσεως καὶ ἰδιάζοντος χρόνου. ὅτι δὲ παντοδαπῶν ἐπλήρωσε συμφορῶν τὰς τῆς ῥωμαϊκῆς ἀρχῆς πλησιαζούσας αὐτῷ χώρας, τὸ μέγεθος ἐξαρκεῖ τοῦ πάθους ἀντὶ λόγου, τοῖς μεθ' ἡμᾶς παρασχεῖν ἀνεπίληστον [6] γνῶσιν.

XXVII. Præterea opportunissima videbatur ad faciendas in Romanum imperium excursiones quam ædificaverat civitas: propius enim ab ejus finibus aberat, ac si quis præterea transfugere inde voluisset eorum qui eamdem impietatem animo fovebant, paratiorem inveniebat propter vicinitatem fugam ad illum & secessionem. Quasnam igitur copias in alia atque alia loca advexerit non amplius prædatorias, sed ex acie atque adversus Saracenos prælia commitens, in quibusnam etiam superior fuerit vel cladem acceperit, alius est argumenti ac proprii temporis. Quod vero calamitatum omne ge- E nus repleverit vicinas sibi Romani imperii regiones, magnitudo ipsa mali loco sermonis sufficit id posteris nostris ad æternam rei commendare notitiam.

Πλὴν ἀλλ' ὅγε ταλαίπωρος ἐκεῖνος χρόνοις μακροῖς τὰ ἀνήκεστα δράσας, ὀψὲ καὶ μόλις νόσῳ τὸν βίον κατέστρεψε. καὶ τῆς ἐκείνου τυραννίδος, καὶ τῆς ἀσεβείας διάδοχος ἀναδείκνυται ἐπὶ παιδὶ μὲν γαμβρὸς, ὑπὲρ τοῦ γένους δὲ τὸ ἀνεψιὸν ἕλκων, καὶ τὸ ἐπώνυμον Χρυσοχέρης [7]. καθ' οὓς καιροὺς τήνδε τὴν

XXVIII. Verumtamen cum labes illa ac pestis multos per annos nefanda perpetrasset, sero tandem ac vix morbo decessit. At illius tyrannidis & impietatis successor declaratur, ex filia quidem gener at ex consanguinitate consobrinus, nomine Chrysocheres. Cum vero hominis istius temporibus

1. Al. Κερβαίας.
2. Sensus & Wolfiana versio postulant βραχύτητι.
3. Forte στενοχωρουμένους.
4. Cod. Coisl. Τεφρικὸν, Petrus Sicul. Τιβρικὴν.
5. Al. ἔσεβον, heic & mox.
6. Coisl. ἀνεπίληστον.
7. Al. Χρυσοχάρης, al. Χρυσόχειρ. Vide Cedrenum.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 890.

συγγραφὴν ὁ λόγος ἀναταξάμενος, τοῦ πρόσω χωρεῖν, ἅτε δὴ τῶν μελλόντων τὴν γνῶσιν οὔτε ἔχων οὔτε ἐπαγγειλάμενος, ἀπέστη. εἰ δὲ καὶ τὰς ἐλπίδας δοίη τις, ὅσαι γε μάλιστα εἰς τὴν θείαν εἰσὶν εὐμένειαν ἠρτημέναι, καὶ τοῖς τοῦ γένους ἐρῶσι σωτηρίας μὴ σφαλερὰς μηδὲ πλάνους εἶναι, τάχα ἂν οὐ νεανιεύσαιτο ἡ γραφὴ, οὐκ εἰς μακροὺς προαγορεύουσα χρόνους, ῥυῆναί τε καὶ διαφθαρῆναι τοῦ ἀποστατικοῦ τούτου καὶ ἀθέου πληρώματος καὶ τὸ φρύαγμα, καὶ τὰ δόγματα, καὶ τὴν ἰσχύν. ἀλλὰ γὰρ ὁ μὲν παρὼν λόγος ὅθεν τε τὰς πρώτας ἀρχὰς εἶχεν ἡ πλάνη, καὶ ὅπως δευτέρας ἐπισπορᾶς αὕτη τῆς πικρίας ῥίζα βλαστοὺς ἀνέδωκε τῆς θεομαχίας, καὶ ὡς καὶ μέχρι τρίτης προῆλθε προβολῆς ζιζανίων. τίνες δὲ τῆς ἀποστασίας αἱ καλούμεναι ἐκκλησίαι, καὶ πόσαι, καὶ τίνας ἔσχε διδασκάλους, ὅπως τε τὰς ἱερὰς καταπιβδηλεύουσι φωνὰς, καὶ οἷς αὐτῶν τὸ δυσσεβὲς ἐπισκιάζουσι φρόνημα, καὶ ὅσα ἄλλα κατ' ἐπιδρομὴν ἡ ἱστορία διεπεράνατο· τοῦτο διελθὼν εἰς τὸν δεύτερον ἀνατίθεται λόγον τάς τε κατ' ἔπος τῶν δυσσεβῶν δογμάτων ἀνασκευὰς, ὅσα μάλιστα μὴ μέχρι νῦν τὸν ἔλεγχον ὑπέσχε, καὶ εἴ τι ἄλλο ῥηθῆναι δέον παρῆκεν, ἂν ἄρα τὸν γράφοντα τῆς πολλῆς συνοχῆς ἀνοχὴν ἡ φιλάνθρωπος ἰδεῖν παρασκευάσει καὶ θεία εὐμένεια.

A nostra hæc oratio commentatiunculam istam describat, quin ulterius progrediatur, quippe quæ futurorum nec notitiam habeat nec spoponderit, subsistere debuit. Quod si quis spem etiam significare velit, quæ præsertim ex divina benignitate pendet, atque in humani generis salutem amantibus oportet nec dubiam nec incertam esse; mei non facile verba temeritatis essent insimulanda, si dicam, intra brevis temporis spatium dilapsura esse totius istius apostaticæ & impiæ multitudinis audaciam, dogmata & robur. At enim præsens hic liber, undenam primum cœperit hic error; item quomodo secundæ agricolationis hæc amarulenta radix germina produxerit impietatis; præterea quomodo etiam ad tertiam zizaniorum productionem venerit; quæ B rursus dicantur istius defectionis Ecclesiæ, & quot sint; quosve habuerit doctores, & quei sacras adulterant voces; præterea quibusnam verbis suam ipsorum impiam sententiam obumbrent; & quæ insuper alia cursim historia commemoravit: hæc inquam hic liber postquam exposuit, in secundum librum conjicit tum impiorum dogmatum quomodo a suis efferuntur, dissolutiones, eorum præsertim quæ necdum confutata fuerunt; tum si quid aliud quod dicendum esset omisit, dummodo scribentem me multarum sollicitudinum inducias benigna ac divina largitas videre concedat.

ΛΟΓΟΣ β'. C

Ἀπορίαι καὶ λύσεις τῶν Μανιχαίων.

ΕΙ ὁ ἀγαθὸς μὲν τὴν ψυχὴν δημιουργεῖ, ὁ δὲ πονηρὸς τὸ σῶμα, πῶς ἠνέσχετο ὁ ἀγαθὸς ἑνωθῆναι τὸ πλάσμα αὐτοῦ τῷ πονηρῷ; πῶς δὲ καὶ ὑπέμεινε τὴν ἕνωσιν ὁ πονηρός; ἢ γὰρ ἕνωσις ἢ ἀγαθοποιήσει τὸ σῶμα, ὅπερ οὐ χρὴ, τὸν ἀγαθὸν τοῦ κακοῦ τὸ ἔργον ἀγαθοποιεῖν· ἢ κακοποιήσει τὴν ψυχὴν, ὅπερ πολὺ ἀτοπώτερον, ἡττᾶσθαι τὸ δημιούργημα τοῦ Θεοῦ ὑπὸ τοῦ πλάσματος τοῦ πονηροῦ. διατί δὲ καὶ ἠνέσχετο ὁ ἀγαθὸς Θεὸς τὸ ἔργον αὐτοῦ ἑνωθῆναι τῷ ἔργῳ τοῦ πονηροῦ, καὶ κακωθῆναι ὑπ' αὐτοῦ; ὁ πονηρὸς δὲ πάλιν πῶς ὑπέστη ἀγαθύνεσθαι τὸ ἔργον αὐτοῦ; χωρὶς δὲ τῶν εἰρημένων· τίς D ἀπήρξατο τῆς ἑνώσεως; εἰ μὲν γὰρ ὁ ἀγαθὸς, πῶς οὐκ ἐκακώθη κατὰ τοῦτο τὸ πονηρὸν ἔργον προσλαβόμενος; εἰ δὲ ὁ πονηρὸς, δῆλον ὡς καὶ αὐτὸς ἠγαθύνθη κατὰ τοῦτο, ἔρωτα λαβὼν ἀγαθοῦ δημιουργήματος, τό, τε ἀγαθὸν γέγονεν ἅμα πονηρόν τε καὶ ἀγαθόν. ἡ γὰρ ἕνωσις τὴν ἑκατέρου φύσιν τῇ κοινωνίᾳ συγχέασα, τό, τε οἰκεῖον ἐλωβήσατο, καὶ τὸ ἀλλότριον ᾠκειώσατο· ὥστε καὶ ὁ ἀγαθὸς πονηρόν τε ἅμα καὶ ἀγαθὸν ἐποίει τὸ ἔργον αὐτοῦ, καὶ ὁ πονηρὸς πονηρόν τε ἅμα καὶ ἀγαθόν. ὃ τί ἂν εἴη ἀνεκτότερον ἢ ἀτοπώτερον; οὕτω μὲν οὖν, εἰ συμπροῆλθε τῇ τῶν ἔργων δημιουργίᾳ καὶ ἡ ἕνωσις. εἰ δ' ἦν ἀλλήλων ποτὲ κεχωρισμένα ταῦτα, καὶ ὑφ' ἑκατέρου πλάστου προνοίας τε καὶ ἐπιμελείας τὸ οἰκεῖον πλάσμα ἠξιοῦτο, ἀμιγὲς συντηρούμενον τοῦ ἀντικειμένου· E τίς ἦν αὐτοῖς ὁ τότε τῆς διακρίσεως λογισμός; καὶ πόθεν ὕστερον εἰς τὴν τῆς ἑνώσεως ἠλλοιώθησαν; ἢ γὰρ πρότερον πρὸς τὸ οἰκεῖον συμφέρον καὶ ἑαυτοῦ καὶ τοῦ πλάσματος συνετήρει ἑκάτερος ἀνεπίμικτον, ἢ ἀσύμφορον εὑρόντες, ἐκεῖθεν ἐσωφρονίσθησαν πρὸς τὴν ἕνωσιν. καὶ πόσας ἄλλας δυσσεβείας τε καὶ ἀνοίας βρύει ἡ πρώτη τῆς πλάνης ὑπόθεσις; οὕτω θεομάχον τε καὶ ἐμμανὲς καὶ ἀνόητον, τὸ ἄλλον μὲν τῆς ψυχῆς, ἕτερον δὲ τοῦ σώματος δημιουργὸν πραγματεύεσθαι.

LIBER II.

Objectiones Manichæorum solvuntur.

I. SI Bonus animam quidem creat, Malignus vero corpus; quomodo passus est Bonus, ut creatura sua uniretur creaturæ Maligni? quomodo item unitionem tolleravit Malignus? Unitio enim vel bonum efficiet corpus; at non oportet ut Bonus Maligni opus bonum efficiat: vel animam efficiet malam; quod est longe absurdius, ut vincatur scilicet creatura Dei a figmento Maligni. Ut quid etiam permisit bonus Deus opus suum uniri operi Maligni, & ab ipso malum fieri? Malignus vero rursus quomodo sustinuit, ut proprium opus D bonum efficeretur? Et præter hæc quæ diximus: Quis auctor unitionis fuit? Si enim Bonus, quomodo malus non evasit per hoc ipsum, assumto videlicet opere malo? sin vero Malignus, liquet quod & ipse per hoc ipsum bonus evaserit, concepto nempe bonæ amore creaturæ: quodque bonum erat, factum est malum simul & bonum. Unitio namque utriusque naturam communione commiscens, quod proprium erat, vitiavit, quod vero alienum sibi proprium effecit: adeo ut & Bonus malum simul ac bonum effecerit opus suum, Malignus vero malum una ac bonum. Quo quid stolidius esse possit aut absurdius? Et hæc quidem sic, siquidem unitio cum ipsa operum creatione processit. At si fuere hæc aliquando invicem disjuncta, atque utriusE que factoris proprium figmentum fruebatur providentia propria & cura, ab alterius nempe oppositi commixtione servatum immune; quænam fuit tunc discretionis ratio, & unde postea in eam quæ unitionem respicit mutata sunt? Vel enim prius in propriam utilitatem & suimet ipsius & figmenti uterque simplicitatem conservabat, vel eam minus utilem invenientes, inde ad unitionem procurandam prudentiori consilio devenerunt. At enim quot aliis impietatis ac stultitiæ noxis scatet prima hujus erroris hypothesis? Adeo Deo inimicum, & furiosum & stolidum est, alium animæ [& alium corporis creatorem somniare.

Τὸ δὲ φάσκειν τοὺς ἐν τῇ πλάνῃ κατεχομένους, ὡς ἐνοχλεῖ ἡμᾶς πρὸς κακίαν ὁ πονηρὸς, τῆς ἀληθείας ἐστὶν, ἀλλ' οὐ τῆς πλάνης ὁδός. καὶ γὰρ καὶ αὐτὸ τοῦτο, τὸ παρατραπῆναι μερίζειν ἡμᾶς τὴν ἄτμητον καὶ ἀδιαίρετον τοῦ Θεοῦ ἀρχὴν καὶ ἐξουσίαν εἰς δύο, τῆς πολυμηχάνου καὶ σφοδρᾶς ὀχλήσεώς ἐστι τοῦ πονηροῦ. πλὴν ἐκεῖνος μὲν δυνατός ἐστιν ὀχλεῖν, οὐδὲ ἡμεῖς δὲ ἀδυνατοῦμεν διακρούσασθαι τὴν ὄχλησιν αὐτοῦ. διακρουόμεθα δὲ διά τε σώματος καὶ ψυχῆς. ὥστε εἰ τὸ σῶμα ἡμῶν δύναται διακρούσασθαι τὴν ὄχλησιν τοῦ πονηροῦ, καὶ οὐ διακρούσασθαι μόνον, ἀλλὰ καὶ καταβαλεῖν αὐτοῦ πᾶσαν μηχανὴν, πῶς ἐστιν ἐκεῖνος πλάστης αὐτοῦ; τὸ μὲν γὰρ ποίημα τοῦ Θεοῦ ἐντολῆς ὀλιγωρῆσαι δεσποτικῆς, καὶ τῆς ἀπάτης γενέσθαι τοῦ ἐχθροῦ, γνώμης ἐστὶ τῆς ἐπ' ἄμφω ῥέπειν, ἐν τῇ πλάσει δεδομένης ἡμῖν. αὐτεξούσιον γὰρ ἡ ψυχή. καὶ ἰδοὺ τέθεικα πρὸ προσώπου σου τὸν θάνατον καὶ τὴν ζωήν. τὸ δὲ ἤδη τὴν ὁλοκληρίαν ἔχον τοῦ κακοῦ, πῶς οἷόν τέ ἐστιν καταστρατηγῆσαι τῆς ἀρχῆς; πόθεν γὰρ κλίσιν οὐκ ἔχον ἐξέστη τοῦ χείρονος; πῶς δὲ πρὸς τὸ κρεῖττον ἔκλινε, καὶ τῆς προαγούσης ἰσχύος ἐκράτησεν; ὥστε ἀδύνατον εἰς ἀντικειμένας ἀναφέρεσθαι ἀρχὰς τοῦ σώματος τὴν δημιουργίαν καὶ τῆς ψυχῆς.

A II. Quod vero dicunt ii qui hoc errore detinentur, Malignus scilicet nos ad vitium lacessit: id veritatis est, non erroris semita. Hoc ipsum namque, quod errore decipimur ut partiamur indivisibile inseparabileque Dei imperium & potestatem in duo, ex multiplici ac vehementi procedit Maligni suggestione. At ille quidem potis est nobis turbas injicere, at nec minus nos possumus turbas propulsare. Propulsamus autem per corpus & animam. Jam vero si corpus nostrum valet propulsare turbas Maligni, nec propulsare modo, verum etiam omnes illius dejicere machinas, quomodo ipse est opifex illius? Dei enim facturam præcepti dominici nullam habere rationem, & inimici errore B circumveniri, hoc satis arbitrium indicat in utramque partem versatile quando creati sumus nobis fuisse inditum. Libera enim facultas est anima: *Et ecce posui ante faciem tuam mortem & vitam*. Quod vero ex toto jam malum est, quei fieri potest ut militet contra suum principium? Unde enim judicio destitutum a malo recessit? Quomodo autem ad bonum inclinavit, & primam vim superavit? Quare fieri nequit, ut ad contraria principia referatur corporis animæque creatio.

Αλλὰ γὰρ ἔτι φασὶ καλῶς γε φάσκοντες· οὐδὲ γὰρ οὐδ' οὕτω κατεκράτησεν οὐδὲ τῶν ἑκόντων προδεδωκότων ἑαυτοὺς τῆς ψυχῆς ὁ ἐχθρὸς, ὡς μηδαμῆ πρὸς μηδεμίαν ὅλως τῆς ἀληθείας αἴγλην τοὺς ἐσκοτισμένους ἐπιστρέφεσθαι. διό φασιν ὅτι ὁ ἀγαθὸς Θεὸς ἦν ἀεὶ καὶ ἔστι καὶ ἔσται, καὶ ὅτι ἀόρατος καὶ ἀκατάληπτος. ἀλλὰ τοῦτο μὲν αὐγὴ τῆς ἀκτῖνός ἐστι τῆς ἀληθείας· τῷ χρόνῳ δὲ τὸ σκότος δύναμιν πολλὴν λαβὼν [1], αὐτίκα καταχεόμενον αὐτῶν τῆς διανοίας, τυφλοῖ τοὺς λογισμοὺς καὶ παρανοεῖν καὶ λέγειν, ὡς ὁ πονηρὸς γέγονεν ἐκ τοῦ σκότους τε καὶ τοῦ πυρὸς, ὃ πολλοῦ γέλωτός ἐστιν ἄξιον, μᾶλλον δὲ δακρύων ἀεννάων, καὶ ἀδιανόητον γέννημα ψυχῆς. τὸ γὰρ σκότος καὶ τὸ πῦρ, εἰ μὲν αἰσθητὸν λέγουσιν, πάντως καὶ τὸ ἐξ αὐτῶν προελθὸν, αἰσθητόν· ὥστε ὁ πονηρὸς αἰσθητός ἐστιν. εἰ δὲ νοητόν ἐστι τὸ σκότος καὶ τὸ πῦρ ἐκεῖνο, μᾶλλόν ἐστιν ὁ πονηρὸς καὶ τὸ ἐξ αὐτῶν προελθόν. καὶ τοῦτο δὲ τὸ σκότος καὶ τὸ πῦρ ἄρα συναΐδιά ἐστι τῷ Θεῷ, ἢ ὕστερον γέγονε. καὶ ποῦ ἦν τότε ὁ πονηρὸς, ὅτε ταῦτα ἦν; εἰ δὲ ὕστερον γέγονε, τίς ὁ προαγαγὼν αὐτά; τὸ γὰρ νοητὸν σκότος, ἀπ' ἀρχῆς ὑπάρχον σκότος, οὐδὲ τὸν προαγαγόντα αὐτὸν ἀθῶον ἀφίησιν· ὁμοίως δὲ οὐδὲ τὸ πῦρ, εἴπερ νοητὸν ὂν, τοῦ ἀρχηγοῦ τῆς κακίας γέγονε προβολεύς. καὶ πῶς ἀρχηγὸς ὁ ἐξ ἑτέρου τὴν ὕπαρξιν λαβόν; καὶ πόσα ἄν τις εἴποι τὴν ἄλογον ταύτην συζυγίαν λογοθετῶν;

III. At enim dicunt præterea, & quidem bene: Verumtamen non adeo prævaluit adversarius ne in animam quidem eorum qui sese illi ultro dediderunt, C ut nullatenus ad ullum prorsus veritatis fulgorem cæcati converti nequeant. Ajunt propterea bonum Deum exstitisse semper, esse, atque futurum esse, eumdemque invisibilem esse atque incomprehensum. Et hic quidem redius est veritatis: at labentibus annis cum tenebræ vires multas acquisivissent, statim eorum mentes comprehendentes, cogitationes excæcant ut delirent & dicant, ex tenebris Malignum exstitisse & igne, quod cachinno excipiendum est, vel potius perennibus lacrymis, estque animæ inexcogitabile figmentum. Tenebræ enim & D ignis, si quidem sensibilem dicunt, omnino quod ex illis profluit, sensibile est; ideoque Malignus sensibilis est. At si intellectuales sunt tenebræ & ignis ille; multo magis ejusmodi erit Malignus ipse, & quod ex illis progerminat. Prætereaque, hæ ipsæ tenebræ & ignis coæterna sunt ipsi Deo, vel postea exstiterunt. At ubinam tunc erat Malignus, quando hæc erant? Quod si postea exstiterunt, quis ea produxit? Intellectuales enim tenebræ, quippe quæ tenebræ erant ab initio, ne eum quidem qui eas produxit insontem abire sinunt. Similiter nec ignis, siquidem intellectualis, productor fuit auctoris malitiæ. Et quomodonam auctoris, qui ab aliis exstantiam accepit? Quanta quis posset dicere E si ad rationis trutinam irrationabilem hanc conjunctionem velet examinare?

Πῶς οὐκ ἤρκεσε τὸ σκότος μόνον προαγαγεῖν; πῶς οὐχὶ τὸ πῦρ; τίς ὁ συναγαγὼν ταῦτα μᾶλλον; καὶ τί γέγονε; τί δὲ ποιεῖ, τοῦ ἐξ αὐτοῦ προεληλυθότος ἁρπάσαντος τὴν ἀρχήν; ἄλλως τε δέ· εἰ ἐγένετο ὁ πονηρὸς ἐκ τοῦ σκότους καὶ τοῦ πυρὸς, πῶς πάλιν τοῦ σκότους καὶ τοῦ πυρὸς ποιητὴν λέγουσι τὸν πονηρόν; εἰ δὲ οὐκ ἔστι τοῦ πυρὸς ὁ πονηρὸς ποιητὴς, ἔστι δὲ τὸ πῦρ αἰσθητὸν, πῶς λέγουσιν, ὅτι ὁ ἀγαθὸς Θεὸς οὐδὲν ἐποίησεν αἰσθητόν; εἰ γὰρ αἰσχυνθείη τὸ ἀναίσχυντον αὐτῶν τῆς πλάνης, δοῦναι τῷ πονηρῷ τὴν γένεσιν τοῦ πυρὸς, ἵνα μὲν νῦν μὲν πλάστην, νῦν δὲ πλάσμα τὸ αὐτὸ διελέγχοιτο ληροῦσα, εἰς οὐδὲν ἐλάττονα γινωσκέτω καταστρέψασα αἰσχύ-

IV. Quomodo solæ tenebræ sufficientes ad producendum non fuere? Quomodo non ignis? Quis potius hæc in unum coegit? & quid factum est? Quid vero efficit, eo qui a se processit, principium usurpante? Ad hæc: Si Malignus ex tenebris & igne exstitit; quei rursus tenebrarum & ignis factorem esse dicunt Malignum ipsum? Quod si Malignus ignis factor non est, ignis vero sensibilis est, quomodo dicunt, bonum Deum nihil quod sensibus subjiciatur, effecisse? Si enim puderet impudentem horum errorem tribuere Maligno ignis genituram, ita ut modo quidem creatorem, modo vero creaturam idipsum delirare convinceretur, nihilominus in turpem errorem versari agnoscatur. Confitetur

1. Forte λαβεῖν.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 890.

νην. ὁμολογήσει γὰρ καὶ ἄκουσα καὶ σιγῶσα τοῦ ἀγαθοῦ εἶναι Θεοῦ δημιούργημα, ὅπερ αὐτοῦ πάσῃ σπουδῇ καὶ μηχαναῖς ἀφῃρεῖτο πάσαις. πάντα γὰρ τὸ αἰσθητὸν πῦρ, ὅσον ἂν ἐσκοτίσθησαν, οὔτε ἄναρχον οὔτε ἀΐδιον ἐροῦσιν.

Εἶτα τοῦ σκότους πάλιν, εἰ καὶ μὴ πάντες αὐτῶν, ἔνιοι δὲ ὅμως ἀναδύντες λέγουσι· τὸν ἀγαθὸν Θεὸν ἔχειν μὲν τὰ ἐπουράνια, καὶ δημιουργὸν εἶναι τοῦ οὐρανοῦ, καὶ χορηγὸν εἶναι τοῖς ἀνθρώποις πράξεων [1]· οὐ μέχρι πολλοῦ δὲ τὴν ἀχλὺν ἀποσκεδασάμενοι πάλιν δυσφημοῦσιν, οὔτε τῆς γῆς δημιουργίαν, οὔτε τῶν ἐν μέσῳ αὐτῷ συναρμόττοντες, ἕτερον δὲ δημιουργὸν ἐπεισάγοντες. τινὲς δὲ αὐτῶν, [πολυσχιδὴς γὰρ ἡ πλάνη·] καὶ τὸν οὐρανὸν αὐτὸν καὶ τὰ ἐν μέσῳ πάντα τετολμήκασι λέγειν ποιήματα τοῦ ἐχθροῦ. ἀλλ' εἴπερ ἐστὶν ὁ οὐρανὸς, κατὰ τὴν ἐκείνων ἐμβροντησίαν, ἔργον τοῦ πονηροῦ, πῶς ὁ ἀγαθὸς Θεὸς ἐν τοῖς ἐπουρανίοις ἀναπαύεται; καὶ εἰ ὁ οὐρανὸς περιέχει τὸν ἀέρα καὶ τὴν γῆν καὶ τὸ ὕδωρ, [καὶ γὰρ καὶ τὰ καταχθόνια περιέχεται ἐν αὐτῷ·] πῶς ὁ οὐρανὸς τοῦ ἐπουρανίου Θεοῦ οἶκος ὢν, τὰ τοῦ πονηροῦ ἔργα, τουτέστι γῆν καὶ πῦρ καὶ ἀέρα περιέχει, καὶ οὐ περιέχει μόνον, ἀλλὰ καὶ διακυβερνᾷ; ἐκ γὰρ τῆς ἀνατολῆς τοῦ ἡλίου καὶ τῆς δύσεως, καὶ τῶν ἄστρων ἅ εἰσι τοῦ οὐρανοῦ, καὶ γῆ καὶ ὕδωρ καὶ ἀὴρ καὶ πῦρ, τῇ τοῦ Θεοῦ προνοίᾳ καὶ τῆς εὐκρασίας ἀπολαύουσι, καὶ τὴν εἰς ἄλληλα μεταβολὴν ἐπὶ κοινῷ καρποῦνται συμφέροντι, καὶ τῷ ἀνθρωπίνῳ γένει, καὶ τοῖς ἄλλοις ζώοις πρὸς τὴν παροῦσαν χρείαν ἁρμόζονται. ἀλλ' εἰ τῆς πονηρᾶς ἀρχῆς ὁ οὐρανὸς, πῶς ὁ σωτὴρ ἡμῶν εὔχεσθαι τὴν θαυμασίαν καὶ φρικτὴν ἐκδιδάσκων καὶ παραδιδοὺς [2]· πάτερ ἡμῶν, φησὶν, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς· καὶ, ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου ὡς ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ τῆς γῆς; πῶς οὖν ἐν ἀλλοτρίῳ κτίσματι ὁ πάσης δημιουργὸς κτίσεως ἐνοικεῖ, καὶ τῷ γε πονηρῷ καὶ ἔργον ὑπάρχοντι πονηροῦ; ἀλλαχοῦ δὲ συμπαθεῖς εἶναι πρὸς ἀλλήλους νομοθετῶν ὁ σωτὴρ, ἐὰν ἀφῆτέ φησι τοῖς ἀνθρώποις τὰ παραπτώματα αὐτῶν, ἀφήσει καὶ ὑμῖν ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐράνιος. καὶ πάλιν τῷ θελήματι τοῦ Θεοῦ κατακολουθεῖν παραινῶν, ἐπεὶ αὐτὸς πρῶτον ὑπερφυῶς ἐτελείωσε τὸ θέλημα αὐτοῦ· ὅστις ἂν φησὶ ποιήσῃ τὸ θέλημα τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς, αὐτός μου ἀδελφὸς καὶ ἀδελφὴ καὶ μήτηρ ἐστί. φιλανθρώποις δωρούμενος σπλάγχνοις ὅπερ αὐτὸς εἶχε κατὰ φύσιν. αὐτὸς μὲν γὰρ υἱὸς τοῦ πατρὸς οὐ κατὰ χάριν, ἀλλὰ κατὰ φύσιν· πληρῶν δὲ κατὰ τὸ ἀνθρώπινον τὸ θέλημα αὐτῶν [3], τοὺς κατὰ μίμησιν πληρωτὰς εἰς υἱοθεσίαν ἄγει, καὶ τὸ τῶν ἀδελφῶν χαρίζεται ὄνομα. ἢ τί ἄν τις ἀναλέγοι, δι' ὧν οὐράνιον καὶ ἐν οὐρανοῖς ὁ σωτὴρ τὸν πατέρα ἀνυμνεῖ; τί δὲ τ' ἄλλα λέγω; πῶς τῶν παλαμναίων οὐ καταδύεται τὸ ἀναίσχυντον, τῆς δεσποτικῆς ἐχούσης φωνῆς· ἐξομολογοῦμαί σε, πάτερ, κύριε τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς; οὐ γὰρ μόνον ἐνταῦθα τοῦ οὐρανοῦ κύριον, ἀλλὰ καὶ τῆς γῆς τρανολογεῖ· καὶ τί ταύτης τῆς μαρτυρίας σαφέστερον; τί δὲ δυνατώτερον, καὶ τὸν πατέρα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, δημιουργὸν καὶ κύριον παραστῆσαι τοῦ παντὸς, καὶ τὸ θεομάχον τῆς ἀποστασίας θριαμβεῦσαι;

Θεολογήσαντι δὲ πάλιν τῷ κορυφαίῳ τῶν ἀποστόλων Πέτρῳ τὸν κοινὸν ἡμῶν διδάσκαλον καὶ Θεὸν, ὥσπερ τῆς θεολογίας αὐτὸς ἀνταποδιδοὺς μισθὸν, μακαρίζει μὲν τὸν θεολόγον θεοπρεπῶς, τὴν ἀποκάλυψιν δὲ ταύτην τὸν ἐν οὐρανοῖς πατέρα ἐκδιδάσκει παρασχεῖν αὐτῷ. μακάριος εἶ, φησὶ, Σίμων βὰρ Ἰωνᾶ, ὅτι σὰρξ καὶ αἷμα οὐκ ἀπεκάλυψέ σοι, ἀλλ' ὁ πατήρ μου ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς· κἀγὼ δέ σοι λέγω·

A enim vel invita & tacens boni Dei esse opificium, quod ab illo vellet omni studio & machinis omnibus auferre. Omnino enim sensibilem ignem, quamtumvis obtenebrati sint, neque principio carentem, neque æternum profitebuntur.

V. Deinde rursus, si non universi, at quidam ex ipsis e tenebris emergentes dicunt: Bonum Deum cælestia obtinere, & cæli opificem esse, suppeditareque hominibus opera bona. Neque tamen satis caliginem suam discutientes, iterum blasphemant, dum neque terræ creationem, neque eorum quæ inter cælum terramque intercipiuntur, illi acceptam ferunt, sed horum alium creatorem inducunt. Non- B nulli vero ex illis (multimoda enim est hæc secta) & cælum ipsum & intermedia omnia audent dicere opera inimici. At enim si cælum est, juxta stolida eorum placita, opus Maligni, quomodo bonus Deus in cælestibus conquiescit? & si cælum circumplectitur aerem, terram & aquam (nam & quæ infra terram sunt in illo continentur;) quomodo cælum, quod cælestis Dei domus est, Maligni opera comprehendit, terram inquam & ignem & aerem, nec comprehendit dumtaxat, sed & moderatur? Ex ortu enim solis ejusque occasu, astrorum item quæ cæli sunt, terra, aqua, aer & ignis Dei providentia etiam temperie fruuntur, gaudentque mutua permutatione in communem utili- C tatem, congruuntque humano generi ac cæteris animantibus ad præsentem necessitatem. At si ex maligno principio est cælum, quomodo sospitator noster orandi formulam illam admirabilem venerandamque docens atque commendans, *Pater noster*, inquit, *qui es in cælis?* &, *Sanctificetur nomen tuum sicut in cælo & super terra?* Quomodo autem in aliena creatura is qui totius creaturæ auctor est, inhabitat, & quidem mala, & quæ Maligni est opus? Alicubi vero ut affectuosi simus invicem edicens Salvator, *Si dimiseritis* inquit, *hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cælestis.* Ac rursus adhortans ut Dei voluntati obsequamur, quoniam ipse primum eminentissime voluntatem ejus D perfecit, *Quicumque*, ait, *fecerit voluntatem patris mei qui in cælis est, is meus frater & soror & mater est*, benignissima miseratione largiendo quod ipsemet ex natura habet. Ipse enim filius est patris, non ex gratia, sed ex natura. Adimplens vero secundum humanitatem illius voluntatem, eos etiam qui ad sui imitationem Dei voluntatem adimplent, in adoptionem agit, & fratrum appellatione donat. Et quæ non posset quis colligere, ex eo quod cælestem, & in cælis degentem patrem Salvator commendet? Et quid cætera dico? Quomodo male feriatorum hominum impudentia non obruitur, cum dominica vox habeat: *Confiteor te Pater, domine cæli & terræ?* Non enim heic modo cæli domi- E num, sed & terræ manifeste appellat. Et quid hoc testimonio evidentius? quid vero efficacius ad probandum etiam, patrem domini nostri Jesu Christi creatorem esse ac dominum universorum, & ad triumphandum de hac Deo inimica apostasia?

VI. Deum autem rursus profitente principe apostolorum Petro communem nostrum magistrum ac Deum, ipse quasi divinæ hujus appellationis mercedem vicissim reddens, beatum prædicat ut Deus ipse debebat hunc divinitatis suæ assertorem, revelationem vero cælestem patrem docet eidem præbuisse: *Beatus es*, inquit, *Simon bar Jona, quoniam caro & sanguis non revelavit tibi, sed pater*

1. Deest ἀγαθῶν, quod & Wolfiana versio postulat.

2. Forte deest ἀρχήν.

3. Lege αὐτοῦ.

σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς· καὶ δώσω σοι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν· καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς. καὶ μυρία ἄν τις εἰς ἔλεγχον τῆς ἀσεβοῦς διανοίας ἐκ τῶν ἱερῶν συναγάγοι λογίων. ὅρα δὲ καὶ τοῦτο. βαπτισθεὶς ὁ Ἰησοῦς ἄνεισιν εὐθὺς ἀπὸ τοῦ ὕδατος: ὦ γλώσσης μελετώσης δυσσέβειαν· ἐν τῷ πλάσματι τοῦ πονηροῦ ὁ τοῦ ἀγαθοῦ πατρὸς ἀγαθὸς υἱὸς βαπτισθεὶς ἐκεῖθεν ἄνεισι; καὶ ἰδοὺ ἀνεῴχθησαν αὐτῷ οἱ οὐρανοί. ἄλλο πλάσμα πάλιν πονηρᾶς χειρός. διατί δὲ ἀνεῴχθησαν, καὶ τίνος χάριν; εἶδε τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ φησι καταβαῖνον ὡσεὶ περιστεράν. τρίτος οὗτος τῆς ἀσεβείας ἐν ὀλίγοις ῥήμασιν θρίαμβος. πῶς γὰρ ἐν τῷ σχήματι τοῦ πλάσματος τοῦ πονηροῦ τὸ τοῦ Θεοῦ πνεῦμα τυποῦται καὶ κάτεισιν ἐκ τῶν ἔργων τοῦ ἐχθροῦ, κἀκεῖθεν κατιὼν [1] ἔρχεται ἐπὶ τὸν Ἰησοῦν; καὶ τετάρτη στήλη τῆς ἀσεβείας. φωνὴ δίδοται ἐκ τῶν οὐρανῶν· οὗτός ἐστίν φησιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, ἐν ᾧ εὐδόκησα. ἐπισκόπει μοι ἀγαπητὲ, καθεκάστην λέξιν, ὅπως αὐταῖς συμπρόεισιν ὁ κατὰ τῆς ἀσεβείας ἄφυκτος ἔλεγχος. οὗτός ἐστί φησιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, ἐν ᾧ εὐδόκησα. τίς οὗτος; ὁ ἐν ὕδατι βαπτιζόμενος; ᾧ ἀνεῴχθησαν οἱ οὐρανοὶ, ἐφ᾽ ὃν τὸ πνεῦμα τὸ ἐμὸν ἐν μορφῇ περιστερᾶς καταβαῖνον ἐκ τῶν οὐρανῶν συνεπιμαρτυρεῖται τοῦ βαπτιζομένου τὴν υἱότητα. πάντα ἐμὰ διὰ τῶν ἐμῶν κτισμάτων, ὁ ἐμὸς υἱὸς τὸ θέλημα πληρῶν τὸ ἐμὸν, τὴν σωτηρίαν κατεπράττει τοῦ κόσμου. μόνης δὲ τοῦ πνεύματος ἐξουσίας τῷ ὁμοφυεῖ συμπαρούσης, καὶ ἀνακηρυττούσης τῷ πράγματι τὸ γνήσιον τῆς υἱότητος· ἑτέρωθεν δὲ πάλιν τοῖς πάντα πράττουσι πρὸς τὸ ἀρέσκειν ἀνθρώποις ἐπιτιμῶν· μισθόν φησιν οὐκ ἔχετε παρὰ τῷ πατρὶ ὑμῶν, τῷ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. καὶ, πόσῳ μᾶλλον ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, δώσει ἀγαθὰ τοῖς αἰτοῦσιν αὐτόν; καὶ, εἷς ἐστιν ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. τί δὲ καὶ ἀνέβλεπεν ὁ ἀγαθὸς υἱὸς τοῦ ἀγαθοῦ πατρὸς ἀλλότριον ποίημα τὸν οὐρανόν; καὶ τοὺς δακτύλους εἰς τὰ ὦτα ἐμβαλὼν τοῦ κωφοῦ, ἥπτετο τῆς γλώσσης πτύσας, καὶ τῆς κωφώσεως ἀπέλυε τὸν κωφόν; ἄλλο πάλιν πλάσμα πονηρὸν, ὡς οἱ θεομαχοῦντές φασιν. τί δὲ λέγοντος αὐτοῦ· πάτερ δόξασόν σου τὸν υἱόν· ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἧκεν ἡ φωνὴ λέγουσα· καὶ ἐδόξασα, καὶ πάλιν δοξάσω; ᾔδει μὲν γὰρ αὐτὸς, ὅτι καὶ ἐδόξασε καὶ δοξάσει, καὶ οὐ διὰ τοῦτο ᾔτει τὸν πατέρα· αὐτὸς γὰρ ἔχων πάντα τοῦ πατρὸς, καὶ μόνος εἰδὼς τὸν πατέρα, οὐδὲ τοῦτο ἠγνόει· ἀλλ᾽ ἵνα καὶ τὸ παρὸν τῶν ἀκροωμένων πλῆθος σαφῶς ἐπιγνῷ καὶ μάθῃ, ὅτι καὶ παραιτεῖται τὸ πάθος ὡς ἄνθρωπος, καὶ ἐπιζητεῖ τοῦτο, πάντας διδάσκων, ὡς ἑκὼν αὐτὸ ὑπέρχεται. διὸ καὶ ἔλεγεν· οὐ δι᾽ ἐμὲ γέγονεν ἡ φωνὴ, ἀλλὰ δι᾽ ὑμᾶς· ἐγὼ μὲν γὰρ ᾔδειν τὰ τοῦ πατρὸς πάντα, καὶ οὐδὲν ἠγνόουν· οὐδὲ δι᾽ ἐμὲ τὴν φωνὴν πρὸς αὐτὸν ἀφῆκα, οὐδὲ δι᾽ ἐμὲ ταύτην αὐτὸς ἐβεβαίωσεν, ἀλλὰ δι᾽ ὑμᾶς. ἵνα γνῶτε, ὅτι συντρέχει τὸ θέλημα τὸ ἐμὸν τῷ θελήματι τοῦ πατρὸς, καὶ τὸ πάθος δόξαν ὀνομάζω, ὑπὲρ γὰρ ὑμῶν ἁπάντων ἀνακαταδέχομαι τοῦτο. διὰ τοῦτο καὶ ἡ αἴτησις προσήχθη, καὶ ἡ ἐξ οὐρανῶν πατρικὴ φωνὴ ἐβεβαίωσε τὰ αἰτηθέντα. ἀλλὰ τέως μὲν τοσαῦτα περὶ τούτων.

Εἰ δέ γε τὸ πῦρ ποίημα τοῦ πονηροῦ, πῶς ὁ ἀγαθὸς Θεὸς, ὁ τοῦ ἀγαθοῦ υἱὸς, τοὺς μυσταγωγουμένους αὐτῷ ἐν πνεύματι ἁγίῳ βαπτίζει καὶ πυρὶ, τὸ πλάσμα συνάπτων τοῦ ἐχθροῦ τῷ ἁγίῳ πνεύματι [illegible]

[1] Lege κατιόν.

A *meus qui est in cælis. Et ego tibi dico: Tu es Petrus, & super hanc petra ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et dabo tibi claves regni cælorum. Et quidquid ligaveris super terra, erit ligatum in cælis; & quidquid solveris super terra, erit solutum in cælis.* Atque infinita posset quis ad confutandam hanc impiam sententiam ex sacris colligere scripturis. Considera tute & istud. Baptizatus Jesus ascendit statim de aqua. Oh linguam meditantem impietatem! In creatura Maligni boni patris bonus filius baptizatus inde ascendit, *& ecce aperti sunt ei cæli*, aliud rursus opus malignæ manus. Ut quid vero aperti sunt, & in cujus gratiam? *Vidit Spiritum* B *Dei*, inquit *descendentem ut columbam*. Tertius hic de impietate intra pauca verba triumphus. Quanam enim ratione in figura operis Maligni Dei Spiritus efformatur & descendit de operibus adversarii, indeque descendens venit super Jesum? En quarta impietatis confutatio. Vox cælitus redditur: *Hic est filius meus dilectus, in quo delector*. Considera tu mihi, o carissime, singula verba, quomodo cum illis profluat inevitabilis hujus impietatis confutatio. *Hic est filius meus dilectus, in quo delector*, ait. Quis porro est iste? Is qui in aqua baptizatur, is cui aperti sunt cæli, is super quem Spiritus meus in figura columbæ cælitus descendens mecum perhibet de baptizati filiatione testimonium. C Omnia mea sunt, propterea quod meæ sint creaturæ: filius meus voluntatem meam adimplens, salutem mundi operatur: sola autem Spiritus potestate ei qui unius mecum est naturæ adstante, ac ipso opere palam faciente genuinam filiationem. Aliunde rursus objurgans eos qui omnia faciunt ut hominibus placeant, *Mercedem*, inquit, *non habetis a patre vestro, qui in cælis est*. Et, *quanto magis pater vester qui in cælis est, dabit bona petentibus se?* Et, *unus est pater vester, qui in cælis est*. Ut quid etiam aspiciebat bonus filius boni patris alienum opus cælum? atque digitos in aures injiciens hominis muti, spuens linguam tetigit, atque a linguæ stupore hominem liberavit, aliam rursus creaturam D malam, ut quidem Dei hostes loquuntur? Quid vero dicente eo: *Pater glorifica filium tuum*, de cælo venit vox dicens, *Et glorificavi, & iterum glorificabo*? Noverat enim ipse, quod & glorificavit & erat glorificaturus, ac non propterea rogabat patrem. Cum enim ipse haberet omnia quæ sunt patris, solusque patrem noverit, neque istud ignorabat. Sed ut & præsens audientium multitudo manifeste cognosceret disceretque, quoniam deprecabatur passionem ut homo, idque rogat, universos edocens, quod sponte illam subiret. Quapropter dicebat: *Non propter me fuit vox, sed propter vos*. Ego enim noveram patris omnia, & nihil ignorabam. Neque propter me vocem ad illum emisi, E neque propter me hanc ipse confirmavit, sed propter vos: ut noveritis concurrere meam voluntatem cum voluntate patris, & passionem gloriam appello. Propter vos enim omnes eam in me suscipicio. Propter hoc & postulatio perlata est, & cælitus paterna vox postulata confirmavit. Sed hactenus hæc de his sufficiant.

VII. Si porro ignis opus Maligni est, quanam ratione bonus Deus boni filius initiatos suos in Spiritu sancto baptizat & igne, figmentum copulans inimici cum sancto Spiritu, & per inimicas res ba-

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 890.

τι, καὶ δι' ἀντικειμένων ἁγιάζων τὸν βαπτιζόμενον; ποῖος γὰρ ἂν τις τοῦτο παραδέξηται νοῦς; ποῖος οἴσει τὸ δύσφημον λογισμός; τίς δὲ οὐ καταγνοίη τῆς δυσσεβείας τὸ μέγεθος; πῶς δὲ πάλιν ὁ ἀγαθὸς Θεὸς ποιεῖ τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ πνεύματα, καὶ τοὺς λειτουργοὺς αὐτοῦ πυρὸς φλόγα, τοῖς ἀλλοτρίοις ἔργοις ποιητὴν ἐπιγράφων ἑαυτόν; τὴν γὰρ προφητικὴν ταύτην φωνὴν ὡς ἐκ Θεοῦ καὶ θείαν ὁ Παῦλος καὶ τῆς ἀληθείας ἐπισφραγίζεται κήρυγμα. καὶ τὸ ἄχυρον δὲ, ὃ τῶν ἁμαρτωλῶν μηνύει τὸ ἄχρηστον, πῶς πάλιν τῷ πλάσματι παραδίδωσιν εἰς κόλασιν τοῦ ἐχθροῦ, πυρὶ γὰρ ἀσβέστῳ φησὶ κατακαίεσθαι; καὶ πῶς ἦλθε πῦρ βαλεῖν ἐπὶ τὴν γῆν ὁ καθαιρέτης τοῦ ἐχθροῦ, τὸ ἔργον πλατύνων, καὶ αὔξων τοῦ ἐχθροῦ; πῶς δὲ καὶ ἡτοίμασται τῷ διαβόλῳ τὸ πῦρ, εἰ ἐκεῖνός ἐστιν ὁ τούτου δημιουργός; οὐ γὰρ αὐτὸς ἑαυτῷ τὴν τιμωρὸν ὑφίστησιν δίκην· ἄλλως δὲ, εἰ μὴ τὸ πῦρ, ὡς ἔοικεν, ὑπέστησεν ὁ ἐχθρὸς, οὔτε δι' οὗ τοὺς ἀνεπιστρόφως ἁμαρτάνοντας κολάσει, οὔτε αὐτὸν σπορέα τῶν ζιζανίων, δι' οὗ τὴν δικαίαν εἰσπράξεται δίκην. καὶ πόσα ἄν τις ἀπαριθμήσαιτο τοιαῦτα;

prizatum ſanctificans? Quæ mens comprehendere iſtud queat? quæ ratio blaſphemiam patiatur? quis non damnet impietatis magnitudinem? Quomodo vero rurſum bonus Deus *facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis*? alienis ſcilicet operibus ſeſe authorem inſcribens. Hanc etenim propheticam vocem tamquam ex Deo ac divinam Paullus obſignat, & tamquam veritatis præconium. Stipulam rurſus, quæ inanitatem deſignat peccantium, quomodo operi inimici deputat in ſupplicium, ait enim comburendam *igne inexſtinguibili*? Et quomodo *ignem venit mittere in terram* deſtructor inimici, opus ſic augens cumulanſque inimici? Quei etiam *præparatus eſt diabolo ignis*, ſi quidem ipſe eſt ejus creator? neque enim ipſe ſibi ultricem pœnam conſtituit. Ad hæc; ſi ignem, ut videtur, inimicus non creavit; neque id etiam per quod in peccatis obſtinatos puniat, neque ipſum zizaniorum ſatorem, per quem juſtam ſumat ultionem. At quanta quis poſſet hujuſmodi enumerare?

Ἀλλ' εἴπερ, ὡς ἡ βλάσφημος καὶ δυσσεβὴς θρασύνεται γλῶσσα, τὰ ἐπίγεια τοῦ πονηροῦ, πῶς λέγει αὐτὰ ἴδια ὁ κοινὸς ἡμῶν δεσπότης καὶ σωτήρ; εἰς τὰ ἴδια γὰρ ἦλθέ φησι, καὶ οἱ ἴδιοι αὐτὸν οὐ παρέλαβον. εἰ δὲ λέγοιεν οἱ ἀποστάται, ἴδια μὲν εἶναι τοὺς προφητικοὺς λόγους, ἐλθεῖν δὲ εἰς αὐτοὺς τὸν Χριστὸν, ἐκείνους δὲ τοῦτον μὴ παραδέξασθαι· ὅρα τὴν ὑπερβάλλουσαν αὐτῶν ἄνοιαν καὶ ἀναισχυντίαν. πρῶτον μὲν, πῶς λέγουσι τοὺς προφητικοὺς λόγους ἰδίους εἶναι τοῦ Χριστοῦ, αὐτοὺς τοὺς προφήτας λέγοντες πλάσμα τε εἶναι καὶ ἐπίπνοιαν δέχεσθαι τοῦ πονηροῦ; δεύτερον δὲ, πῶς εἰς τοὺς προφητικοὺς λόγους ἦλθεν ὁ Χριστός; πρῶτον μὲν γὰρ εἰς ἀλλοτρίους ἦλθεν κατὰ τὸν ἐκείνων λόγον. ἀλλότριοι γὰρ οἱ προφητικοὶ λόγοι, ὡς ἐξ ἀλλοτρίου ἐμπνεόμενοι, καὶ οὐκ ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ Θεοῦ. ἔπειτα δὲ, πῶς δύνανται ὅλως ἴδιοι εἶναι οἱ προφητικοὶ λόγοι τοῦ Χριστοῦ, οἵτινες οὐκ ἐδέξαντο αὐτόν; λέγει γάρ· εἰς τὰ ἴδια ἦλθε, καὶ οἱ ἴδιοι αὐτὸν οὐ παρέλαβον. ἔτι δὲ, τίνας ἔδωκεν ὁ Χριστὸς ἐξουσίαν τέκνα Θεοῦ γενέσθαι; ἆρα τοὺς προφητικοὺς λόγους; καὶ πῶς οὐ μακρὸς λῆρος τοῦτο; οἱ λόγοι γὰρ, εἰ μὲν ἐκ Θεοῦ εἰσιν, αὐτόθεν ἔχουσι τὸ εἶναι οἰκεῖον Θεοῦ· εἰ δὲ πονηροὶ, πῶς ἂν τεκνωθεῖεν Θεῷ; ἔτι δέ. ποῖος μὲν λόγος προφητικὸς ἐξ αἱμάτων καὶ ἐκ θελήματος ἀνδρὸς, καὶ ἐκ θελήματος σαρκὸς ἐγεννήθη; ἐπάγει γάρ· οἳ οὐκ ἐξ αἱμάτων, οὐδὲ ἐκ θελήματος ἀνδρὸς, οὐδὲ ἐκ θελήματος σαρκὸς, ἀλλ' ἐκ Θεοῦ ἐγεννήθησαν. τίνες οὖν οἱ ἐξ αἱμάτων γεγεννημένοι λόγοι, καὶ τίνες οἱ μή; οὐδεὶς γὰρ λόγος οὔτε ἀγαθὸς οὔτε πονηρὸς, ἀλλ' οὔτε ἀληθὴς οὔτε ψευδὴς, κἂν ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ Θεοῦ πρόεισιν, κἂν ἐκ τοῦ πονηροῦ, οὐ μενοῦν ἐξ αἱμάτων, εἰ καὶ πλέον μαίνωσιν οἱ ταῦτα λέγοντες, οὐ γεγέννηται· ὥστε χώραν ἐν τούτοις τοῖς δεσποτικοῖς ῥήμασιν οὐδεμίαν οἱ προφητικοὶ λόγοι λαμβάνουσιν. ἀλλ' ἴδια μὲν καλεῖ τὸν κόσμον, ὥς που καὶ ἀλλαχοῦ φησι πρὸς τοὺς μαθητάς· ἰδοὺ ἔρχεται ὥρα, καὶ νῦν ἐλήλυθεν, ἵνα σκορπισθῆτε, ἕκαστος εἰς τὰ ἴδια. ποῖα οὖν ἴδια λέγει ἐνταῦθα; ἆρα τοὺς προφητικοὺς λόγους; ἢ δηλονότι τὸ κτῆμα καὶ τὴν κατοικίαν ἑκάστου; ὥσπερ οὖν ἐνταῦθα ἴδια οὐχὶ, κατὰ τὸν μεμηνότα λῆρον, τοὺς προφητικοὺς λόγους λέγει, ἀλλὰ τὸ ἑκάστου κτῆμα καὶ τὴν ἰδίαν οἰκείαν· οὕτω καὶ ἐπειδὰν λέγει, εἰς τὰ ἴδια ἦλθε καὶ οἱ ἴδιοι αὐτὸν οὐ παρέλαβον· ἴδια μὲν τὸν αἰσθητὸν κόσμον λέγει, κτῆμα γὰρ αὐτοῦ καὶ ποίημα οὗτος· ὡσαύτως δὲ καὶ οἱ ἐν αὐτῷ· ὧν οἱ μὲν παρέλαβον

VIII. Sed ſi terrena hæc maligni ſunt, quo modo dicere audet blaſphema & impiiſſima lingua; quomodo ea propria appellat communis Dominus & Salvator? Ait enim, [a] *In propria venit, & proprii eum non ſuſceperunt*. Quod ſi dicant apoſtatæ, propria intelligi propheticos ſermones, veniſſe vero in hos Chriſtum, ſed illos eum nequaquam ſuſcepiſſe; conſidera exuberantem eorum amentiam & inverecundiam. Ac primo quidem, quomodo dicunt propheticos ſermones proprios eſſe Chriſti, cum prophetas ipſos dicant opus eſſe Maligni, ab eoque inſpirationem accipere? Deinde vero, quonam pacto in propheticos ſermones venit Chriſtus? Primo enim in alienos, venit juxta quod ipſi dicunt: alieni enim ſunt prophetici ſermones, quippe ab alieno inſpirati, & non a bono Deo. Dein quomodo poſſunt omnino eſſe proprii Chriſti prophetici ſermones, qui *eum non receperunt*? Ait enim: *in propria venit, & proprii eum non ſuſceperunt*. Ad hæc vero; quoſnam dedit Chriſtus facultatem *filios Dei fieri*? Numquidam propheticos ſermones? At quomodo non hæc ſunt prolixæ nugæ? Sermones enim, ſi quidem a Deo ſunt, inde habent exſtantiam propriam Dei; at ſi ſint mali, quomodo filii Dei fierent? Deinde, qualiſnam ſermo propheticus ex ſanguinibus, & ex voluntate viri, atque ex voluntate carnis natus eſt? Subinfert enim: [b] *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, ſed ex Deo nati ſunt*. Quinam ſunt ergo ex ſanguinibus nati ſermones, & quinam non? Nullus namque ſermo neque bonus neque malus, ſed neque verax neque mendax, ſive ex bono Deo proveniat ſive ex maligno, nequaquam ex ſanguinibus naſcitur, quantumvis furant qui hæc dicunt. Itaque locum nullo modo habent in iſtis dominicis verbis prophetici ſermones. Itaque Propria mundum appellat, quomodo & alicubi alibi dicit ad diſcipulos: *Ecce venit hora, & jam nunc venit, ut diſpergamini quiſque in propria*. Quænam ſane heic Propria dicit? Numnam propheticos ſermones? Sed enim prædium aut domum cujuſque. Quemadmodum ergo heic Propria non, juxta has inſanorum nugas, propheticos ſermones vocat, ſed cujuſque prædium aut privatam domum; ſic etiam cum ait, *In propria venit, & proprii eum non ſuſceperunt*; Propria profecto vocat ſenſibilem hunc mundum: eſt enim poſſeſſio & opus illius. Sic & qui in mundo ſunt. Ex

a Joan. I. 11. b Ibid. V. 13.

A αὐτοῦ τὴν μυσταγωγίαν, οἱ δὲ οὔ, καὶ ἀλλαχοῦ πάλιν αὐτὸς ὁ Ἰησοῦς ὁ σωτὴρ ἡμῶν τὴν ἰδίαν περιτρέχων πατρίδα, καὶ τὴν αἰτίαν τῆς περιδρομῆς ἀποδιδοὺς, ἐμαρτύρησε λέγων· ὅτι προφήτης ἐν τῇ ἰδίᾳ πατρίδι τιμὴν οὐκ ἔχει. φανερᾶς τοίνυν γεγενημένης τῆς φωνῆς ἐξ αὐτῶν τῶν εὐαγγελικῶν ῥημάτων, τῆς σημαινούσης τὰ ἴδια, ὅτι τὸν κόσμον καὶ τὴν ἐν τῷ κόσμῳ πατρίδα, ἢ τὸ κτῆμα δηλοῖ, πῶς οὐ μεμήνασιν φανερώτερον οἱ πρὸς μύθους καὶ λήρους τὰ οὕτω περιφανῆ καταστρέφοντες; τῶν γοῦν δεσποτικῶν λογίων ἴδια μὲν τοῦ κυρίου τὸν κόσμον λεγόντων, ἰδίους δὲ τοὺς ἐν αὐτῷ, κἄντε ἔλαβον αὐτὸν, κἄντε μή· οἱ μὲν γὰρ λαβόντες, μετὰ τοῦ εἶναι ἴδιοι ὡς ποιήματα αὐτοῦ, καὶ ἐτεκνώθησαν αὐτῷ, δεξάμενοι τὸν ἐπὶ τῇ σφῶν αὐτῶν σωτηρίᾳ παρα- B γεγονότα· οἱ δὲ μὴ παραλαβόντες αὐτὸν, κἂν ἴδιοι ὦσιν ὡς πλάσμα αὐτοῦ, ἀλλ' οὖν οὐ παραδεξάμενοι αὐτὸν, τῆς δευτέρας καὶ πνευματικῆς υἱοθεσίας ἀπεξένωσαν ἑαυτούς· οὕτω γοῦν τῶν λογίων τὰ ἴδια καὶ τοὺς ἰδίους ἑρμηνευόντων, πῶς οὐ βδελυκτὸν τῆς πλάνης ἔργον τι τοῖς ῥήμασιν ὑποβαλλόμενοι [1]; ὅτι δὲ ἴδια τὸν κόσμον φησὶ, καὶ ἐκ τούτων ἔστι σαφῶς συνορᾷν. ἦν γάρ φησι τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον· ποῖον κόσμον; δηλονότι τὸν αἰσθητόν. καὶ πότε ἐφώτισεν; ὅτε παραγέγονεν ἐν αὐτῷ· πότε δὲ παραγέγονε; τὸ εὐαγγέλιον βοᾷ, ἐν τῷ κόσμῳ γὰρ ἦν φησι· πάντως γὰρ ἐν τῷ αἰσθητῷ κόσμῳ ὢν, τὸν ἐρχόμενον εἰς τὸν αἰσθητὸν κόσμον ἐφώτιζεν. C εἶτα τίνος ἦν ὁ κόσμος ποίημα, ἐν ᾧ τε αὐτὸς ἦν, καὶ τὸν ἐρχόμενον εἰς αὐτὸν ἐφώτιζεν; οὐκ ἄλλοθέν ἐστι μαθεῖν, ἀλλ' ἢ ἐξ αὐτῶν τῶν εὐαγγελικῶν ῥημάτων. ὁ κόσμος γάρ φησι δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ ὁ κόσμος αὐτὸν οὐκ ἔγνω. ὃ ἴσον ἐστὶ τῷ· εἰς τὰ ἴδια ἦλθε, καὶ οἱ ἴδιοι αὐτὸν οὐ παρέλαβον. ὁρᾷς πῶς πανταχόθεν αὐτὸ ἑαυτῇ μαρτυρεῖ ἡ ἀλήθεια; καὶ τὸ φῶς μᾶλλον ἀνακλάμπει τοῖς ἐπιζητοῦσιν αὐτόν. τῶν οὖν ἱερῶν ῥημάτων καὶ ἴδια τοῦ σωτῆρος τουτονὶ τὸν ὁρώμενον κόσμον καλούντων, καὶ δι' αὐτοῦ κηρυττόντων αὐτὸν γενέσθαι, καὶ τοὺς ἐρχομένους εἰς τὸν κόσμον οὐκ ἄλλον, ἀλλ' αὐτὸν εἶναι τὸν φωτίζοντα· πῶς οὐ πεφρίκασι τὰ τῆς ἀποστασίας ὡς ἀληθῶς πλάσματα καὶ τοῦ πονη- D ροῦ τέκνα, ἄλλον μὲν εἰσάγοντες δημιουργὸν τοῦ ὁρωμένου κόσμου, ἕτερον δὲ τὸν φωτίζοντα τὸν ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον, κόσμον [2], ὃν τῆς νοητῆς μόνον δημιουργὸν καταλείπουσιν ὑποστάσεως;

A Heliam, qui tanto ante gratiam exstitit, aberrantes a vero Deo animas, atque dæmonia pone sequentes, ad verum Deum convertisse, testimonium omni exceptione majus perhibeat. Rursus Zacharias Spiritu sancto repletur, & prophetas qui a sæculis fuerunt, chorum Sanctorum esse prædicat: *Erexit* enim inquit vaticinans & per Spiritum sanctum loquens, *cornu salutis nobis in domo David pueri sui*. Et unde rei demonstratio? *Sicut locutus est*, ait, *per os sanctorum, qui a sæculo fuerunt, prophetarum ejus*, non vero Inimici. Et quid prophetaverunt? *Recordatum fuisse Deum testamenti sui sancti*, non vero, o infelicissime hominum, Inimici. Adhuc vero magis impiorum ora frenans, B *jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum* in medium profert, *concessurum sese nobis sine timore de manu inimicorum nostrorum liberatis servire illi in sanctitate & justitia*. Perpende ratione ea quæ dicta sunt. Spiritus sanctus replet Zachariam, & repletus inde sanctos qui ab origine rerum exstiterunt, prophetas Deique conciliatores appellat, nostramque vaticinatur libertatem, & eum qui Abrahamo juravit, eum ipsum prædicat esse libertatis hujus datorem: eos item qui exhibent ei servitutem, servire in sanctitate & justitia. Si hæc repletus Zacharias Spiritu sancto edisseruit, quomodo non maligno repleti spiritu probantur ii, qui hisce contraria loquuntur? Et quid dicere possent amarulenti C Mosaici Testamenti insimulatores, aut potius regni Dei scissores, cum videant ex Evangelio perductum Jesum Jerosolymam, observantemque Mosaica, & offerentem sacrificium *secundum quod scriptum est in lege Domini*, ulnis bajulatum justi Simeonis, qui cum ceteris pietatis ac justitiæ donis a Spiritu sancto vaticinium accipiens, uno eodemque tempore & gestabat ulnis communem redemtorem, & benedicebat ei, & attingens divina prophetabat salutem advenisse ante faciem omnium populorum, & lumen ad revelationem gentium, quæ postea credidissent in illum? Divinus autem evangelista non satis habuit id tantum quod tunc factum est adversus impios dicere; sed, ut videtur, D impudentiam eorum prævidens, Annam quoque, cujus tribus Aser auctorem habebat, adstantem seni agentemque gratias atque de communi Domino paria similiaque vaticinantem exhibet in sacra historia. Quod vero postea sequutum est, magnam vim habet ad succidendum atque deprimendum supercilium eorum, qui illud adversus divinam gloriam sustulerunt. Ascendente enim Hierosolymam Jesu una cum virgine matre secundum carnem ac putato ejus patre, completisque omnibus quæ divina oracula injungunt, deinde cum reverterentur domum, puero non præsente, ideoque ejus secundum carnem genitrice ac reputato parente dubitantibus, & quem desiderabant quærentibus, is qui verum omnium opifex est, & propter benignitatem in homines E virginis filius, [a] *Quid est*, inquit, *quod me quærebatis? An nesciebatis, quod in iis quæ patris mei sunt, oportet me esse*? illud templum patris esse dicens, quod perditum os maligni principii altare esse contumeliose contendit. Sedenim quomodo hæretica temulentia cæli terræque alium eructans dicit esse opificem, dum salvator noster in exsultatione spiritus atque inenarrabili & inexcogitabili confessione clamat: *Confiteor te pater, domine cæli & terræ, quoniam abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, ac revelasti ea parvulis*? Pater, Do-

a Lucæ II. 49.

1. Lege παρά.
2. Potius τὴν ὀφ. τῶν.
3. Errorem puto typogr. pro οὐ.
4. Redundat ὁ errore typographi, vel ἢ esse debet.

τίοις. πάτερ, κύριε τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς, ὁ γνήσιος υἱὸς βοᾷ, καὶ τὸ πᾶσαν ἀσέβειαν ἀποκρύπτον μῦσος ἀντιφθέγγεται τῷ σωτῆρι, καὶ τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς κύριον τὸν Βεελζεβοὺλ ὀνομάζει. εἰ δὲ ὁ νόμος ἦν τοῦ πονηροῦ, πῶς πάλιν ὁ νομοθέτης τῆς χάριτος τὸν ἐκπειράζοντα νομικὸν, καὶ τὴν ζωὴν τὴν αἰώνιον ὑποκρινόμενον ζητεῖν, ὡς εἰς μέγα ἴαμα τὸν νόμον παραπέμπει, κἀκεῖθεν εὑρεῖν τὸ ζητούμενον ὑποβάλλει, τοῦ νομικοῦ δὲ τὰς δύο πρώτας αὐτοῖς ῥήμασι διελθόντος ἐντολὰς, καλῶς τε αὐτὸν ἀποκριθῆναι ἀλήθεια [1] ἔφη, καὶ εἰ κατὰ ταύτας πολιτεύοιτο, τὴν αἰώνιον ζωὴν κληρονομεῖν;

A mine cæli & terræ genuinus filius clamat, & sceleratissimi homines omnem impietatem in se recondentes adversantur Salvatori, & cæli terræque Dominum Beelzebub appellant. Si vero lex Maligni erat, quomodo item legislator gratiæ tentantem legisperitum, simulantemque vitam æternam quærere, tamquam ad maximum remedium, ad legem amandat, indeque inventurum quod quærebat, certiorem facit; cumque legisperitus duo priora præcepta totidem verbis recitasset, & bene illum respondisse Veritas ait, & si secundum illa mores componeret, æternam vitam consequuturum esse?

Ορα δὲ καὶ ἐξ ἄλλων τὴν ἰσοτιμίαν τοῦ νόμου καὶ τῆς χάριτος, ἵνα γνῷς ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ τῆς παλαιᾶς καὶ τῆς νέας διαθήκης νομοθέτης. ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσεται, οἱ δὲ λόγοι μου οὐ μὴ παρέλθωσι. τοῦτο τῆς χάριτος. ὅρα δὲ καὶ τοῦ νόμου. εὐκοπώτερόν ἐστι τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν παρελθεῖν, ἢ μίαν κεραίαν τοῦ νόμου διαπεσεῖν. εἶδες πῶς ὁ σωτὴρ ἡμῶν τῆς ἀποστασίας τὸ θράσος προειδὼς, τὰ ἴσα νέμει γέρα καὶ τὸ κλέος τῇ τε παλαιᾷ καὶ τῇ νέᾳ διαθήκῃ, καίτοιγε ἐν πολλοῖς πολλῷ προέχει τὰ τῆς χάριτος; παιδαγωγὸς γὰρ ἦν ἐκεῖνος τῶν ἐν τῇ χάριτι. ἀλλ᾽ ἵνα δείξῃ τὸν αὐτὸν ἐκεῖνά τε καὶ τὰ παρόντα κατὰ διάφορον καὶ ἀπόῤῥητον οἰκονομίας νομοθετῆσαι τρόπον, ταῖς αὐταῖς καὶ ἴσαις φωναῖς περὶ ἑκατέρας νομοθεσίας ἐχρήσατο. ἀλλὰ γὰρ καὶ τῶν ἀπειθούντων αὐτοῦ τοῖς σωτηρίοις διδάγμασιν οὐκ ἄλλον κατήγορον καὶ θρίαμβον, ἀλλὰ τὸν Μωσῆν εἰσάγει· μὴ γὰρ δοκεῖτέ φησιν, ὅτι ἐγὼ κατηγορήσω ὑμῶν πρὸς τὸν πατέρα· οὐχί. ἀλλὰ τίς ἐστιν ὁ κατηγορῶν ὑμῶν; Μωσῆς δηλονότι, πρὸς τὸν πατέρα· ὁ τοὺς νόμους αὐτὸς πιστευθεὶς, καὶ τὴν περὶ Χριστοῦ προφητείαν, ἀξιόπιστος ἂν κατήγορος εἴη, καὶ ἀπαράγραπτος μάρτυς τῶν μεγαλαυχούντων μὲν αὐτοῦ τοὺς νόμους καὶ τιμᾶν καὶ στέργειν, μηδὲν δὲ τῶν ὑπ᾽ αὐτοῦ περὶ τοῦ κοινοῦ δεσπότου καὶ σωτῆρος ἡμῶν θεσπισθέντων προσιεμένων· ὃ κεφάλαιον ἦν καὶ κρηπὶς καὶ προοίμιον τῆς ὅλης αὐτοῦ νομοθεσίας, ἀλλὰ μηδὲ συναίσθησιν ἀναστολῆς λαβόντων τῆς εἰς τὸν προφητευθέντα παροινίας τε καὶ θεομαχίας. διὰ πολλῶν τοίνυν δεσποτικῶν φωνῶν, καὶ οὐ φωνῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ πράξεων, καὶ δὴ καὶ διὰ τῶν ἀποστολικῶν ἔργων τε καὶ ῥημάτων τῆς πλάνης ἠλεγγμένης, ἢ τὸ κράτος τῆς τοῦ Θεοῦ βασιλείας εἰς ἀρχὰς ἀντικειμένας σχίζει· τίνα λοιπὸν συγγνώμην ἔχουσιν οἱ μετὰ τοσούτους τῆς ἀσεβείας ἐλέγχους ἔτι τῷ τοῦ πονηροῦ, δι᾽ ὧν τε φρονοῦσι καὶ δι᾽ ὧν βιοῦσι, καθυπηρετοῦντες θελήματι; καὶ τὸν μὲν οἰκοδεσπότην τοῦ παντὸς Βεελζεβοὺλ καλοῦντες, τὸν δὲ Βεελζεβοὺλ θεὸν κρύφιον καὶ ἄῤῥητον καὶ ἀγαθὸν καὶ πατέρα, ἀλλ᾽ οὐκ ἂν εἴποιμι τὸ ἀθεώτερον, ἀποφαίνοντες; καὶ μηδὲ τὸν πρὸς τοὺς δυσφημοῦντας τῶν Ιουδαίων δεσποτικὸν ἐκπεθηπότες καὶ καταπτήσσοντες θρίαμβον, ὃν δι᾽ ἐκείνων οὐδὲν ἔλαττον, εἰ καὶ μὴ μᾶλλον κατὰ τῆς νῦν ἀποστασίας· κοινὸν γὰρ αὐτοῖς τὸ θεομαχεῖν, εἰ καὶ νεανικώτερον ὁ ἀποστάτης θρασύνεται, προτείνων ἔλεγε· πᾶσα βασιλεία ἐφ᾽ ἑαυτὴν μεριζομένη, οὐ σταθήσεται. ἐπεὶ γὰρ οἱ τῶν Ιουδαίων ἀγνώμονες τὸν πλάστην ὁρῶντες ἀπελαύνοντα καὶ ψυχῶν καὶ σωμάτων τὰ πάθη, τὸν Βεελζεβοὺλ ταῖς θεοσημείαις ἐπεφήμιζον· καὶ οἱ τῆς ἀποστασίας ὑπέρμαχοι τὰ ἔργα τῶν χειρῶν αὐτοῦ εἰς τὸν αὐτὸν ἀναφέρουσιν· διὰ τοῦτο δικαίως τῇ αὐτῇ δεσποτικῇ φωνῇ καὶ τὸ θεομάχον ἀμφοῖν στηλιτεύοιτ᾽ ἄν. καὶ γὰρ, εἴπερ ἡ μία τοῦ παντοκράτορος ἀρχὴ διατέτμηται, οὐκ ἂν σταίη τμηθεῖσα. ἀλλ᾽ ἡ πρώτη τομὴ ὁδὸς

XIII. Animadverte ex aliis etiam, Legis & Gratiæ B æqualem dignitatem, quo scias, eumdem esse veteris novique Testamenti legislatorem. *Amen, amen dico vobis; Cælum & terra transibit, sermones vero mei non transibunt*. Istud Gratiæ est. Vide & quæ sunt Legis. [a] *Facilius est cælum & terram transire, quam unum apicem Legis excidere*. Vidistin' quomodo salvator noster hujus apostasiæ temeritatem prævidens, iisdem decorat honoribus & gloria vetus novumque Testamentum, tametsi in multis multo præstet Gratia? Pædagogus enim erat Lex eorum quæ sunt Gratiæ. Sed ut ostendat eumdem tam vetera quam præsentia, licet diversa atque ineffabili œconomiæ ratione, constituisse, iisdem & paribus vocibus de utraque legislatione C usus est. At enim eos etiam qui non obtemperant salutaribus illius præceptis, non alium qui reos agat & peragat inducit, nisi Moysen: Neque enim putaveritis, inquit, quod ego accusaturus sim vos apud patrem. Nequaquam. Sed quis est accusator vester? *Moses* nimirum, *apud patrem*. Cui cum leges ejus concreditæ fuerint, & de Christo vaticinia, dignus utique accusator cui fides adhibeatur est, & testis omni exceptione major adversus eos, qui gloriantur quidem se ejus leges plurimi facere & amplecti, nihil tamen eorum quæ de communi Domino & Salvatore nostro ipse vaticinatus est, D admittunt; quod & caput erat & basis & prolusio totius ejus legislationis; sed neque sensum habent quo experiantur eorum coerceri petulantiam & impietatem in eum de quo edita sunt vaticinia. Cum igitur per multas dominicas voces, nec voces dumtaxat, sed etiam facta, immo vero & per apostolica opera & verba error iste refutatus fuerit, qui imperium regni Dei in contraria principia dividit; quamnam quæso veniam habent ii, qui post tot impietatis confutationes, adhuc Maligni serviunt voluntati, ita cogitantes & ita viventes; & patremfamilias quidem universorum Beelzebub vocare pergunt, Beelzebub vero Deum absconditum, & ineffabilem, & bonum, & patrem, ne quid impius E dicam, esse definiunt? & nihil dominicum triumphum quem adversus maledicentissimos Judæos retulit, suspiciunt aut verentur, tametsi per illos non minus, nisi etiam magis, contra præsentem apostasiam (utrique enim Deo bellum movent, etsi petulantius audet apostata) objiciens dixerit: [b] *Omne regnum in se ipsum divisum, non consistet*. Quoniam enim ingrati Judæi videntes creatorem exigere morbos animarum & corporum, Dei miracula Beelzebub accepta ferebant; & hujus apostasiæ propugnatores opera manuum ejus eidem attribuunt: iccirco jure eadem dominica voce simultatis in Deum utrisque nota inuretur. Etenim, si quidem singulare omnia moderantis principium dividatur, divisum non utique consisteret: sed prima sectio ut via

[1]. Forte οὐκ ἀλ.

[a] Lucæ XVI. 17. [b] Matth. XII, 25.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 890.

καθέϛαται τοῦ καὶ εἰς μυρία διαιρεθῆναι, καὶ μηδεμίαν ἕδραν καὶ ϛάσιν μηκέτι δύνασθαι λαβεῖν. ὥσπερ οὖν ἑκάτερος ἁλίσκεται θεομαχῶν καὶ ὁ Ἰουδαῖος καὶ ὁ ἀποστάτης, ὁ μὲν τὰς θεοσημείας, ὁ δὲ τὰ δημιουργήματα τοῦ Θεοῦ διδοὺς τῷ ἐχθρῷ· οὕτω κατ' ἀμφοῖν κοινὴ καὶ ἄφυκτος ἡ ἀπόφασις ἡ δεσποτική.

Ἀλλ' ὦ ποῖ φέρεσθαι ἄνθρωποι· τί τὸν δεσπότην ἀφέντες, τὸν ὁμόδουλον, μᾶλλον δὲ δοῦλον καὶ ἀποστάτην, καὶ τῆς ὅλης ἡμῶν ἀπ' ἀρχῆς ἐπίβουλον φύσεως, δημιουργὸν ἑαυτοῖς ἐπιγράφετε; τί τὸν πλάστην ἀθετοῦντες, τῷ τὴν φθορὰν ὑμῶν ζητοῦντι καὶ σπουδάζοντι, οὐ τὴν τῆς ψυχῆς μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῦ σώματος, ἑαυτοὺς ἐγχειρίζετε; τί πρὸς τὸ φῶς ἐτυφλώθητε; τί δὲ τὸ σκότος, τοῦ φωτὸς ἠλλάξατε; ἐκνήψατε τῆς μέθης. ἀνάστητε τοῦ ψυχοφθόρου κάρου. ἀναλάβετε τῆς ἀπωλείας ἑαυτούς. καὶ πῶς ἂν γένοιτο τοῦτο; εἰ τῶν πράξεων, ἐν αἷς ἔχει τὸ κράτος ὁ ἐχθρὸς, ἀποστροφὴν μελετήσοιτε· πρότερον πορνείαν δι' ἧς φθείρεται μὲν τὸ σῶμα, φθείρεται δὲ τὴν χαλεπωτέραν φθορὰν ἡ ψυχὴ, τὸ αὐτοδέσποτον διδοῦσα δουλεύειν τοῖς πάθεσιν· ἀδικίαν, ἧς ἐπικρατούσης οὔτε οἰκία, οὔτε πόλις, οὔτε βίος ὅλος ἀνθρώπινος διασώζεται. ἐπιορκίαν, τὴν βυθίζουσαν τὴν ψυχὴν εἰς καταφρόνησιν τοῦ Θεοῦ. μισαδελφίαν, δι' ἧς ὁ κοινὸς ὑβρίζεται πλάστης. ὁ γὰρ τὸ πλάσμα μισῶν δωρεὰν, τὴν εἰς τὸν πλάστην διαβιβάζει παροινίαν. μισήσατε ψευδολογίαν, συνιέντες ὡς ὁ τοῦ ψεύδους πατὴρ ὁ διάβολός ἐστι. μυσάχθητε συκοφαντίαν, ἥτις τῶν ἀνελπίστων κακῶν πολλὰ καὶ ὁρᾶσθαι κατεπράξατο. φύγετε τὴν μιαιφονίαν, ἀπ' ἀρχῆς γὰρ ὁ ἐχθρὸς ἀνθρωποκτόνος ἦν· τὴν φιλαργυρίαν, εἰ μή τι ἄλλο, τὸν Ἰούδαν ἐννοοῦντες. βδελύξασθε κλοπὴν καὶ δόλους κατὰ τοῦ πλησίον, καὶ γάμων ἀλλοτρίων διαφθορὰς, καὶ τρυφὴν, καὶ ἀκολασίαν, καὶ μέθην τῆς πολιτείας ὑμῶν ἐκκαθάρατε· τούτοις γὰρ συνεισέρχεται, τούτοις ἥδεται ὁ ἐχθρὸς, ἐν τούτοις λαμβάνει τὴν ἰσχὺν καταδουλῶσαι μὲν τὸ φρόνημα ὑμῶν καὶ διαστῆσαι τοῦ δημιουργήσαντος Θεοῦ, πεῖσαι δὲ πλάσματα καὶ εἶναι καὶ ὀνομάζεσθαι αὐτοῦ. ἂν τῶν ἔργων αὐτοῦ, τῶν τε εἰρημένων καὶ τῶν παραπλησίων ἀποστῆτε, καὶ αὐτὸς ἀφίσταται ἀφ' ὑμῶν, οὐκ ἔχων οἷς ἑδρασθῇ καὶ οἷς ἐπαναπαύσηται ἐν ὑμῖν. καὶ τότε ὑμῖν ἡ θεία χάρις ἐπιλάμψασα, ἐναυγάσει πλάστην ἐπιγιγνώσκειν καὶ δημιουργὸν, οὐ τὸν ἐπίβουλον ἐχθρὸν, ἀλλὰ τὸν ἀγαθὸν καὶ φιλάνθρωπον Θεὸν, ἐν ᾧ ἐκτίσθη τὰ ὁρατὰ καὶ τὰ ἀόρατα, ἀρχαὶ καὶ θρόνοι καὶ ἐξουσίαι καὶ δυνάμεις, καὶ ὁ παρὼν σύμπας καὶ ὁρώμενος κόσμος. καὶ γὰρ δι' αὐτοῦ πάντα γέγονε, κἂν ἡ ἀποστασία προκαταλαβοῦσα τῆς ψυχῆς τὰ ὄμματα, τὸν δημιουργὸν βλέπειν οὐ δίδωσιν· ἕως δ' ἂν τοῖς τοῦ πονηροῦ καθυπηρετῆτε θελήμασιν, καὶ τῷ βορβόρῳ τῶν αἰσχρῶν ἡδονῶν συναφέρησθε, καὶ ἀντὶ τῶν σωτηρίων πόνων τῇ ψυχοφθόρῳ ῥαστώνῃ συναναστρέφησθε, οὔμενουν οὐκ ἂν ὑμῖν ἡ θεία καὶ οὐράνιος ἀναστράψῃ αἴγλη, οὐδὲ ἐκστήσηται τοῦ κράτους τῶν ψυχῶν ὑμῶν καὶ τῶν λογισμῶν ὁ ἐχθρὸς, τοὺς ἔργοις ἔχων δεδουλωμένους. πλὴν ἔτι ταῖς διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος μαρτυρίαις ὁδηγεῖν ὑμᾶς πρὸς τὸ φῶς τῆς εὐσεβείας, καὶ τὴν ἀποστασίαν ἐλέγχειν, οὔμενουν οὐκ ἂν τὸν ὄκνον τῆς ἐπιμελείας προελοίμεθα.

A sternitur ad infinitas etiam sectiones, adeo ut nusquam liceat amplius subsistere aut sedem figere. Quemadmodum igitur uterque adversus Deum pugnare deprenditur, Judæus inquam & apostata, dum ille divina miracula, iste opera Dei inimico affignat; sic contra utrumque communis est & inevitabilis dominica sententia.

XIV. At enim quo abripimini heus vos! Ut quid Dominum relinquentes, conservum, atque adeo mancipium & apostatam, & totius vestræ ab initio insidiatorem naturæ, creatoris vestri titulo decoratis? Quianam creatorem repudiantes, vosmet in manus traditis illius, qui interitum vestrum B quærit & affectat, non animæ dumtaxat, sed & corporis? Cur ad lucem cæcutitis? Cur tenebras pro luce permutastis? Expergiscimini ab ebrietate: surgite a veterno animabus letali: eripite vosmet ab interitu. At enim quei fieret istud? si opera in quibus imperium habet inimicus, aversari animum ceperitis; primo fornicationem, qua corrumpitur corpus, sed graviori corruptela vitiatur anima, dum libertatem suam dedit passionibus servire: injustitiam, qua obtinente, neque domus, neque vita hominum universa servari potest: perjurium, quod demergit animam in contemtum Dei: fraternum odium, per quod communis creator injuria afficitur. Qui enim creaturam odit sine caus- C sa, contumeliam in creatorem refundit. Odite falsiloquentiam, scientes mendacii patrem esse diabolum. Abominamini calumniam, quæ in caussa fuit ut etiam multa inexspectata mala viderentur. Fugite homicidium, *ab initio* enim inimicus *homicida erat;* avaritiam, sin minus aliud, at Judam cogitantes. Aversamini furtum & fraudes adversus proximum, & alieni thalami corruptelam, & luxum, & intemperantiam, & ebrietatem a moribus vestris arcete: cum his enim ingreditur, istis gaudet inimicus, in his vires acquirit ad captivandum intellectum vestrum, vosque avertendum a conditore Deo, atque ad persuadendum, quod figmenta sua ipsius sitis & nominemini. Si ab operibus ejus tam D quæ diximus, quam similibus abstiteritis, & ipse abstistet a vobis, non habens ubi sedem figat, & ubi conquiescat in vobis. Tunc vero divina gratia vobis affulgens, illustrabit vos ut factorem & opificem agnoscatis, non quidem insidiantem hostem, sed bonum ac benignissimum Deum, in quo creata sunt visibilia & invisibilia, principatus & throni, & potestates, & virtutes, atque præsens universus & visibilis mundus. Etenim *omnia per ipsum facta sunt*, tametsi apostasia præoccupans animæ oculos conditorem videre non sinat. At quamdiu Maligni servieritis voluntatibus, atque cœno turpissimarum voluptatum abripiamini, atque pro salutaribus laboribus socordiæ quæ animam corrumpit vacave- E ritis, haudquaquam umquam divinus vobis ac cælestis splendebit fulgor, neque abdicabit imperium animarum & cogitationum vestrarum adversarius, qui vos operibus captivos tenet. Verumtamen adhuc per testimonia Spiritus sancti deducere vos ad lumen pietatis, & apostasiam confutare, nequaquam curæ pigritiam anteferentes, constituimus.

ΤΟΥ ΦΩΤΙΟΥ
ΛΟΓΟΣ γ'.

Καί μοι τὰς ἀκοὰς ἀδεκάστους, καὶ μηδὲν λῆμμα τοῦ πονηροῦ φερούσας ἀναπετάσατε, καὶ συνδιασκοπεῖτέ μοι τῶν τὴν παλαιὰν νομοθεσίαν ἐνυβριζόντων τὸ ἀντίθεον. εἰ γάρ ἐστιν αὕτη τοῦ πονηροῦ, πῶς ἠνέσχετο λαβεῖν τὸ βιβλίον ταύτης ὁ τὸν πονηρὸν καθελεῖν παραγεγονώς; καὶ εἰς πολλῶν ἀναγνῶναι ἀκοὰς, δι' ὧν προεκηρύττετο τὰ περὶ ἑαυτοῦ, καὶ οὐκ ἀναγνῶναι μόνον, ἀλλὰ καὶ διαμαρτύρασθαι, ὅτι ταῦτα νῦν πεπλήρωται ἐν τοῖς ὠσὶν ὑμῶν, καὶ τὸν ἐνιαυτὸν, ὅς ἐστι περίοδος χρόνων, ὁ δὲ χρόνος μέτρον κινήσεως αἰσθητῆς, τοῦτον ἀνακηρύξαι δεκτὸν κυρίῳ; πῶς δὲ πάλιν ἐν τῇ τοῦ Λαζάρου καὶ τοῦ πλουσίου παραβολῇ ὁ φιλάνθρωπος καὶ ἀγαθὸς ἡμῶν δεσπότης Μωσέα καὶ τοὺς προφήτας τῆς σωτηρίου ἐπιστροφῆς καὶ μεταμελείας διδασκάλους ἀποκαλεῖ; ἔχουσι γάρ φησι, Μωσέα καὶ τοὺς προφήτας, ἀκουσάτωσαν αὐτῶν. ἆρα γὰρ ὁ ἐπὶ κοινῇ τοῦ γένους σωτηρίᾳ τὴν ἡμῶν φύσιν ἀναλαβὼν, τοὺς μυσταγωγουμένους παρ' αὐτοῦ, καὶ τῆς πλάνης ἀπαλλαττομένους, εἰς τοὺς θεράποντας καὶ ὑπηρέτας ἀνέπεμπε τοῦ ἐχθροῦ, καὶ τότε σωτηρίας τυχεῖν; καὶ τίς ἂν ἀνάσχοιτο, πλάσμα Θεοῦ ὑπάρχων ἀληθῶς, τῆς τοσαύτης ἀπονοίας τὴν ὑπερβολήν; πάλιν δὲ, εἰ τῆς παλαιᾶς διαθήκης νομοθέτης ὁ πονηρὸς, πῶς λέγει τῆς ἀγαθότητος ἡ πηγή, Ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς, ὅτι ἐν αὐταῖς εὑρήσετε ζωὴν αἰώνιον; ποῦ γὰρ ἡ αἰώνιος ζωὴ, ἐν οἷς τὸ κέντρον τῆς ἁμαρτίας πολιτεύεται; ποῦ ἡ αἰώνιος ζωὴ, ἐν οἷς ὁ ἀνθρωποκτόνος νομοθετεῖ καὶ παρακελεύεται; τοῦτο γὰρ ἡ θεομάχος γλῶσσα θρασύνεται. χωρὶς δὲ τῶν εἰρημένων, εἰ ἡ παλαιὰ τοῦ πονηροῦ, πῶς ἀλήθεια λέγει· εἰ ἐπιστεύετε Μωσεῖ, ἐπιστεύετε ἂν ἐμοί, περὶ γὰρ ἐμοῦ ἐκεῖνος ἔγραψεν. οὐκ εἶπεν· εἰ ἔν τισιν ἐπιστεύετε Μωσεῖ, ἀλλ' ἁπλῶς αὐτοῦ τὸ ἀξιόπιστον ἀνεκήρυξε. πῶς δὲ πάλιν πρὸς τοὺς κεχηνότας περὶ τὴν διάλυσιν τῶν γάμων, καὶ τὸν Μωσῆν εἰς συνηγορίαν τοῦ πάθους προβαλλομένους, λαμπρῶς ὑπερμαχῶν τοῦ νομοθέτου φησίν· ὅτι Μωσῆς πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν ἐπέτρεψεν ὑμῖν ἀπολῦσαι τὰς γυναῖκας, ἀπ' ἀρχῆς δὲ οὐ γέγονεν οὕτως; καὶ πόθεν τὴν ἀπόδειξιν προάγει; ὁ γὰρ ποιήσας αὐτοὺς φησὶν, ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν αὐτούς. ὥστε ἅπερ ἐνομοθέτει ὁ σωτὴρ ἐν τοῖς εὐαγγελίοις περὶ τῆς συζυγίας, ἐκ τοῦ θεμένου ἐν τοῖς αὐτοῦ πλάσμασι καὶ ποιήμασι τοὺς φύσει νόμους προελθεῖν ἐδήλου, καὶ τὸν Μωσῆν οὐ καταφρονητὴν τῶν διὰ τῆς πλάσεως δεδομένων νόμων, ἀλλ' ἐκ περιστάσεως τὸ ἐκείνων ἠρεμεῖν ὑποδιδόντα δικαίωμα· τῷ γὰρ νόμῳ τῆς ἀπ' ἀρχῆς διαπλάσεως, φησὶν, ὁ ἐμὸς συμφθέγγεται νόμος. τὸ δὲ διέσιον [1] τῆς συζυγίας, συγκαταβάσεώς ἐστι καὶ οἰκονομίας Μωσαϊκῆς. πρὸς γὰρ τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν, φησὶν, ἔγραψε Μωσῆς. τῆς δὲ συναφείας τὸ ἀδιάλυτον, ὅπερ ἐγὼ νομοθετῶ, καὶ ὁ πλάσας ἀπ' ἀρχῆς τὸν ἄνθρωπον διὰ τῆς κατὰ τὸ σῶμα διαφόρου διαπλάσεως, τὰ αὐτά μοι τοῖς ἔργοις προεῖπε καὶ προδιωρίσατο. διὸ ἐπάγει· ἐν τούτῳ καταλείψει ἄνθρωπος τὸν πατέρα, [2] καὶ προσκολληθήσεται τῇ ἰδίᾳ γυναικὶ, καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν. ἵνα δὲ σαφέστερον μάθῃς, τίς ὁ διαπλάσας οὕτω τὰ σώματα, αὐτὸς εἰσάγων τὸν ζεύξαντα συνεισάγει καὶ τὸν πλάστην. φησὶ γάρ· ὃ οὖν ὁ Θεὸς ἔζευξεν, ἄνθρωπος μὴ χωριζέτω· μαρτυρῶν ὁ σωτὴρ, ὅτι καὶ ἡ κατὰ σχῆμα διαφορὰ τοῦ

A PHOTII
LIBER III.

I. Jam mihi aures sinceras, nec ullo Maligni præjudicio graves aperite, & mecum considerate eorum qui vetus testamentum contumelia afficiunt impiissimum scelus. Si enim illud Maligni est, quomodo pertulit accipere volumen illius is, qui ad conficiendum Malignum advenerat? item legere multis audientibus locum, ubi prædicebantur ea quæ de illo erant; & non legere tantum, sed & testificari, *ea nunc impleri in auribus vestris*: pariter-
B que *annum*, qui est ambitus temporum, tempus vero mensura motus sensibilis, hunc *prædicare* [a] *acceptum Domino*? Quomodo vero rursum in Lazari ac divitis parabola amantissimus ac bonus Dominus noster Moysem & Prophetas salutaris conversionis ac resipiscentiæ magistros vocat? [b] *Habent* enim inquit *Moysem & Prophetas, ipsos audiunto*. Numnam qui ad communem generis salutem nostram assumsit naturam, edoctos a se, atque ab errore liberatos, ad servos & ministros misisset inimici, & quidem ut salutem consequerentur? Et quis umquam pateretur revera opus Dei existens tantæ excessum dementiæ? Quid plura? si veteris testamenti legislator est Malignus, quomodo dicit bonitatis fons,
C *Scrutamini scripturas, quoniam in ipsis invenietis vitam æternam?* Ubinam æterna vita, in quibus stimulus peccati quasi contrariam tuetur factionem? Ubinam vita æterna, in quibus homicida leges fert & contraria imperat? istud enim pugnax contra Deum lingua dicere audet. Adde jam dictis: Si vetus testamentum Maligni est, quomodo Veritas dicit: *Si crederetis Moysi, crederetis utique mihi; de me enim ille scripsit*. Non ait; Si in quibusdam crederetis Moysi: sed simpliciter ejus authoritatem deprædicat. Quo pacto etiam iterum ad inhiantes dissolutioni matrimonii, Moysemque in patrocinium suæ affectionis producentes testem, liquido propugnatorem hujus legislatoris agens respondit: [c] *Quo-*
D *niam Moyses propter duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores, ab initio autem non fuit sic?* Et undenam demonstrationem adducit? *Qui enim fecit ipsos* inquit, *masculum & feminam fecit eos*. Itaque quod præcipiebat sua lege salvator in evangeliis de matrimonio, ab eo qui indiderat figmentis & operibus suis naturæ leges procedere ostendebat, Moysen vero nequaquam contemtorem fuisse legum per creationem inditarum, sed propter ingruentes circumstantias juris illorum rigorem temperasse. Legi enim primigeniæ creationis, ait, mea consonat lex: at dissolutio matrimonii, ex indulgentia est & dispensatione Mosaica: *Ad duritiam* enim, inquit, *cordi vestri scripsit Moyses*. At conjugii in-
E dissolubilitatem, quam ego lege caveo, vel ille qui ab initio hominem plasmavit, per corporis diversi sexus formationem, itidem mecum opere ipso prædixit ac præstabilivit. Quamobrem subinfert: *In hoc derelinquet homo patrem & matrem, & conglutinabitur propriæ uxori, & erunt hi duo in carnem unam*. Quo vero manifestius discas, quis ita corpora formaverit, ipse dum conjungentem introducit, simul etiam formatorem introducit. Ait namque: *Quod igitur Deus conjunxit, homo ne separet*: atque ita testificatur salvator, quod etiam sexuum

[a] Lucæ IV. 19. [b] Lucæ XVI. 29. [c] Matth. XIX. 8. seqq.

1. Forte διαίσιον, h. e. αἰσία.
2. Deest καὶ τὴν μητέρα, quod tamen Wolfii versio exhibet.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 890.

πλάσματος ἀνδρός τε καὶ γυναικὸς, Θεοῦ τε καὶ τοῦ ἐπὶ πάντων ἐστὶ δημιούργημα, καὶ ὅτι σωτηρεῖν ὀφείλει τὸ ἀδιάλυτον εἰς συνάφειαν. καὶ ὅτι ἡ Μωσαϊκὴ εἰσήγησις, τὴν σκληροκαρδίαν τῶν νομοθετουμένων περίστασιν εἶχε, καθέλκουσαν εἰς ἐλάττωσιν τοῦ κατὰ τὴν πλάσιν σεσιγημένου νόμου τὸ ἀξίωμα.

A diversitas in viri feminæque formatione, Dei opus est ac illius qui est super omnia, quodque oporteat indissolubilitatem conservare in conjugio: ac præterea, quod a Moyse inducta constitutio, a circumstantiis profecta est duritiei cordis eorum qui legem accipiebant, quæ trahebant vi ad restringendum imperium legis, quæ tacite in creatione ipsa prætérita fuerat.

Ἑτέρῳ δὲ λόγῳ. εἰ πονηρᾶς ἦν ἀρχῆς ἡ παλαιὰ, πῶς ὁ τὴν χάριν συνάπτων τῷ νόμῳ, Χριστὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν, λέγει· πολλοὶ δίκαιοι ἐπεθύμησαν ἰδεῖν ἃ βλέπετε, καὶ οὐκ εἶδον; πῶς γὰρ ἠθέλησαν ἰδεῖν οἱ τοῦ πονηροῦ τὰ τοῦ ἀγαθοῦ; ἡ γὰρ ἐπιθυμία τοῦ ἀγαθοῦ ὁρμῆς ἀγαθῆς βλάστημά ἐστι. καὶ πάλιν, πῶς λέγει· Ἀβραὰμ εἶδε τὴν ἡμέραν τὴν ἐμὴν, καὶ ἠγαλλιάσατο; ποῦ γὰρ ἀκόλουθον, ποῦ δὲ δυνατὸν, τὸν τῆς παλαιᾶς διαθήκης ἄνθρωπον εἰς τοσοῦτον ὕψος ἀναχθῆναι θεωρίας καὶ δυνάμεως, ὥστε ἰδεῖν τὴν ἡμέραν τῆς ἐπιδημίας τοῦ ἀγαθοῦ Θεοῦ καὶ ἀγαλλιάσασθαι; μάλιστά γε τοῦ θεσπεσίου Παύλου διαμαρτυραμένου καὶ λέγοντος, ὅτι τὸ κατὰ Χριστὸν μυστήριον, καὶ ἡ παρουσία τοῦ σωτῆρος ἔλαθε τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας τοῦ κόσμου, καὶ τὸν κοσμοκράτορα. εἰ οὖν καὶ αὐτὸν τὸν κοσμοκράτορα τὸ μυστήριον ἔλαθε, πόθεν αὐτοῦ οἱ θεράποντες τοῦτο προεῖπον καὶ προεθεάσαντο; σὺ δέ μοι καὶ τὸ περιφανέστερον ἔτι τὴν ἀσέβειαν ἐλέγχον ἄκουε· ἡνίκα γὰρ τὸ Σαδδουκαίων ἄπιστόν τε καὶ περίεργον, ἑπτὰ μὲν ἔπλαττεν ἀδελφοὺς, μίαν δὲ καὶ τὴν αὐτὴν παρὰ μέρος ἥρμοζον αὐτοῖς γυναῖκα, καὶ τὴν τῶν σωμάτων ἀνάστασιν ἀναιρεῖν τῷ πλάσματι διεμηχανῶντο· ὁ σωτὴρ διαπυνθανομένοις αὐτοῖς τὸ διὰ τοῦ πλάσματος, ὡς ἐνόμιζον, ἄπορον, καὶ τίνος ἔσται τῶν ἑπτὰ γυνὴ ἀπαιτοῦσιν, πρῶτον μὲν ἐπετίμησεν αὐτοῖς τῆς πλάνης, ὡς τὰς γραφὰς οὐκ εἰδόσι· καίτοι τίς ἐπιτίμησις τοῖς ἀγνοοῦσι τὰ τοῦ πονηροῦ; [1] ὃ δὲ προστίθεσιν ἐκ τοῖς ἀγνοίας τῶν γραφῶν ἕτερον αὐτοῖς ὀνειδισμὸν χαλεπώτερον, μηδὲ τὴν δύναμιν αὐτοὺς εἰδέναι τοῦ Θεοῦ. εἶτα τρανώτερον τὸ τῆς ἀναστάσεως ἀναπτύσσων μυστήριον· ἐν γὰρ τῇ ἀναστάσει φησὶν οὔτε γαμοῦσιν, οὔτε ἐκγαμίζονται, ἀλλ' ὡς ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ ἐν οὐρανῷ εἰσιν. ἔτι δὲ σφοδρότερόν τε καὶ ἰσχυρότερον διελέγχων τὴν ἄνοιαν, καὶ ἅμα μὲν τῆς χάριτος καὶ τοῦ νόμου τὴν συμφωνίαν [2] ἀλληλουχίαν τρανολογῶν, ἅμα δὲ καὶ πληγὴν αὐτοῖς διὰ τῆς Μωσαϊκῆς νομοθεσίας καθιεὶς, καὶ δι' ἐκείνων τοῖς νῦν ἀποστάταις, οὐκ ἀνέγνωτέ φησιν τὸ ῥηθὲν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ· ἐγώ εἰμι ὁ Θεὸς Ἀβραὰμ, καὶ ὁ Θεὸς Ἰσαὰκ, καὶ ὁ Θεὸς Ἰακώβ; δεικνύς τε ἐναργῶς διὰ τούτων, ὅτι Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ τῆς αἰωνίου ζωῆς κληρονόμοι, καὶ ὅτι Θεὸς αἰώνιος, καὶ τῆς ἀναστάσεως εἰσηγητὴς, καὶ τῆς ἐκεῖθεν ἀπολαύσεως δοτὴρ ὁ τούτων Θεός. συνάπτει δὲ καὶ κατὰ συνέχειαν, οὐκ ἔστιν οὖν ὁ Θεὸς, Θεὸς νεκρῶν, ἀλλὰ ζόντων. καὶ ταῦτα εἶπεν, ἵνα πᾶσαν τῶν δυσσεβῶν περικόψῃ πρόφασιν. οὐδὲ ἔνθα γέγραπται παραλέλοιπεν, ἀλλὰ διὰ τοῦ ἱεροῦ ἀνακράζει Μάρκου· ὡς ἐν τῇ βίβλῳ Μωσέως ὁ Θεὸς ταῦτα εἴρηκεν πρὸς αὐτόν. εἰ οὖν ὁ Θεὸς, Θεὸς μὲν νεκρῶν οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ ζῇ μὲν παρ' αὐτῷ Ἀβραὰμ, ζῇ δὲ Ἰσαὰκ, ζῇ δὲ Ἰακὼβ, καὶ πάντες ὅσοι τὴν αὐτῶν ἐζήλωσαν πολιτείαν, καί εἰσιν ὡς ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ ἐν οὐρανῷ, πῶς πονηρᾶς ἀρχῆς, ὡς ἡ πονηρία φησὶν, οἱ κατὰ τὴν παλαιὰν βεβιωκότες πολιτείαν;

II. Alia item ratione. Si a malo principio erat Vetus testamentum, quomodo Christus salvator noster qui legi gratiam conjungit, dixit: [a] *Multi justi desideraverunt conspicere quæ videtis, & non conspexerunt?* Quomodo namque desideraverunt conspicere ii qui ex Maligno erant, ea quæ Boni sunt? B Desiderium quippe boni, germen est boni appetitus. Et rursum: quei dicit; [b] *Abraham vidit diem meum, & exsultavit?* Quei enim consequens est, & quei fieri potest, hominem veteris testamenti in tantam sublimitatem elatum fuisse contemplationis atque aciei, ut videret diem adventus boni Dei, & exsultaret? præsertim divo Paullo attestante atque dicente, quod Mysterium Christi & adventus Salvatoris latuerunt principatus & potestates mundi, & ipsum mundi principem. Si ergo & ipsum principem mundi mysterium latuit, undenam ministri illius illud prædixerunt & præviderunt? Tu vero C mihi & istud quod luculentius adhuc hanc arguit impietatem, ausculta. Quando enim infideles ac curiosi Sadducæi commento usi sunt septem fratrum & unius uxoris, quam successive ipsis tribuerunt, quo commento corporum resurrectionem refutare annitebantur: Salvator sciscitantibus illis per indissolubilem ut putabant difficultatem, quam commenti erant, atque petentibus cujus ex septem futura esset mulier; primum quidem exprobavit eorum errorem, tamquam qui Scripturas nescirent. At enim quæ exprobratio esse possit contra eos, qui nesciunt quæ Maligni sunt? Sed ille ex ignoratione Scripturarum aliud ipsis & quidem gravius convicium impingit, *Neque virtutem ipsos scire Dei.* D Deinde evidentius resurrectionis explicans arcanum, [c] *In resurrectione enim* inquit, *neque nubent neque nubentur, sed tamquam angeli Dei in cælo sunt.* Adhuc porro vehementius & robustius arguens eorum stultitiam, simulque Gratiæ ac Legis concordem conspirationem manifestissime ostendens, atque etiam vulnus illis per Mosaicam legislationem infligens, necnon per illos nostris quoque apostatis, *Non legistis*, ait, *quod a Deo dictum est*; *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob?* Ostendens vero evidenter per hæc, Abraham & Isaac & Jacob æternæ vitæ heredes esse, & Deum esse æternum; ac resurrectionis auctorem datoremque E fruitionis inde provenientis esse istorum Deum; subinfert etiam continenter, *Non est ergo Deus, Deus mortuorum sed viventium.* Atque hæc dixit, ut omnem impiorum tolleret prætextum. Neque ubi scriptum sit præteriit, sed per sanctum Marcum clamat, *In libro Moysis Deum illi hæc dixisse.* Si ergo Deus, Deus quidem mortuorum non est, sed vivit apud illum Abraham, vivit Isaac, vivit Jacob, & quotquot eorum imitati sunt mores, & sunt velut angeli Dei in cælo; quomodo maligni principii erant, quod malitia ait, qui secundum veterem prolitiam vixerunt?

Ἔτι δὲ μᾶλλον διελέγχοιτο ἂν τῆς ἀποστασίας τὸ

III. Adhuc vero magis refelli potest apostasiæ

[a] Matth. XIII. 17. [b] Joan. VIII. 56. [c] Matth. XXII. 30. seqq.

1. Typogr. error videtur, pro ὁ δὲ προστίθησιν.

2. Forte σύμφωνον, vel deest καὶ.

φρόνημα, ἐπειδὰν τοὺς βουλομένους τυχεῖν τῆς εἰσόδου τῶν οὐρανῶν, παρακελευόμενος ὁ σωτὴρ διὰ τῆς στενῆς πύλης ἀγωνίζεσθαι εἰσελθεῖν, τοὺς μὲν ἐῤῥαθυμηκότας περὶ τὴν ἐντολὴν, ὡς τῆς ἀκηδίας [1] ἐργάτας, ἔνθα ὁ κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων ἀποπέμπει. εἰσάγει δὲ, πανταχόθεν συνάγων, τοὺς σπουδάσαντας περὶ τὴν ἐντολὴν, ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ, καὶ τούτους ἀνακλίνων ἐν αὐτῇ, [ἐπίστησον ἄνθρωπε τὸν νοῦν] τὸν Αβραὰμ καὶ Ισαὰκ καὶ Ιακὼβ καὶ τοὺς προφήτας προανακλίνει. λέγει γὰρ, κἂν μὴ βούλησθε ἀκούειν· ὅταν ὄψησθε Αβραὰμ καὶ Ισαὰκ καὶ Ιακὼβ καὶ πάντας τοὺς προφήτας ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ, ὑμᾶς δὲ ἐκβαλλομένους ἔξω· καὶ τίνες οἱ ἐκβαλλόμενοι ἔξω; ἢ δηλονότι ὅσοι κατὰ μίμησιν τοῦ Αβραὰμ καὶ Ισαὰκ καὶ Ιακὼβ καὶ τῶν προφητῶν οὐκ ἐπολιτεύσαντο; εἰ δὲ ὅσοι τὸν βίον αὐτῶν καὶ τὴν εὐσέβειαν οὐκ ἐζήλωσαν, τῆς βασιλείας ἐκβάλλονται τοῦ Θεοῦ, καὶ εἰς τὸν κλαυθμὸν καὶ βρυγμὸν τῶν ὀδόντων ἀποῤῥίπτονται, τίς ἂν ἀντάξιος εὑρεθείη τιμωρία τοῖς ἐπὶ τοσοῦτον ἐξοιστρήσασι μανίας; ὢ στομάτων ἀπυλώτων, καὶ τῷ πατρὶ τοῦ ψεύδους ἑτοίμως ὑπηρετουμένων, ὡς καὶ λῃστὰς καὶ κλέπτας καὶ τοῦ πονηροῦ πλάσματα καὶ ὑπηρέτας τολμᾶν ἐνυβρίζειν. οἱ δὲ μηδὲ μέχρι τούτου τὴν λύσσαν ἱστῶντες, ἀλλὰ καὶ τὸν χαριζόμενον ἡμῖν τὴν αἰώνιον ζωὴν καὶ τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, ὅς ἐστι Θεὸς Αβραὰμ καὶ Ισαὰκ καὶ Ιακὼβ, Θεὸς ζώντων καὶ οὐ νεκρῶν, πονηρὰν ἀρχὴν καὶ πονηρῶν ἔργων δημιουργὸν δυσφημοῦντες, τὰ ὡς ἀληθῶς τοῦ πονηροῦ πλάσματα, ἆρ' οὐχὶ τὴν διὰ πυρὸς καὶ τοῦ σκότους ἡτοιμασμένην τῷ διαβόλῳ ποινὴν διαπαντὸς εἰσπραττόμενοι, οὐκ ἐλάττονα τῆς τόλμης τίσουσι δίκην; οὐδὲ τὸ χάσμα δὲ, τὸ μεταξὺ τοῦ πλουσίου καὶ τοῦ Λαζάρου πεφρίκασιν, ὃ ἀποτειχίζει μὲν τοὺς μετὰ τοῦ Αβραὰμ εὐφραινομένους, ἀπὸ τῶν ἐν ταῖς βασάνοις κολαζομένων; ἀλλ' οἴμοι· κἂν μὴ [2] νῦν τὴν αἴσθησιν τῆς τιμωρίας οὐκ ἔχοντες, τὴν ἀπειλὴν τοῦ σωτῆρος οὐ τεθήπασι, τότε δὴ τότε πείρᾳ τὸ πικρὸν τῆς βασάνου μαθόντες, κἂν οὐδὲν κέρδος εὑρήσουσι, πολλὴν καὶ μακρὰν καὶ ἀτελεύτητον ἑαυτῶν ποιήσονται τὴν κατάγνωσιν. μάλιστα γὰρ ἐπειδὰν τὸν Αβραὰμ, κατὰ τὴν τοῦ πλουσίου παραβολὴν, εἰς ἐπικουρίαν καλοῦντες ὃν ἐχλεύαζον, ἐλεοῦντα οὐχ εὑρήσουσιν. εἰ γὰρ ὁ εἰς τὸν Λάζαρον παροινήσας τῶν Αβραμιαίων κόλπων φοβερῷ χάσματι ὑπεσορίζεται, καὶ τῷ ἀκοιμήτῳ πυρὶ τὴν δίκην τῆς ἀφιλανθρώπου γνώμης ἀπαιτεῖται, καὶ τῆς μακαρίας ἐκείνης εὐφροσύνης καὶ ἀναπαύσεως γλίχεται μὲν, ἀπείργεται δὲ, καὶ φλέγεται μὲν τὴν γλῶσσαν, ὀδυνᾶται δὲ πικρὰς ὀδύνας, καὶ τότε τῆς παροινίας οὔσης, ὅτι μὴ μετέδωκε τῷ ὁμοφυεῖ συμπαθείας, ἀλλ' οὐχ ὅτι χλεύην ἐπήνεγκεν, ἢ δυσφημῶν ὤφθη· πῶς οὐκ ἂν πολλαπλασίως καταφλεχθείη καὶ τὸ στόμα, καὶ ἡ γλῶσσα, καὶ τὰ σπλάγχνα πάντα τῶν τοιαύτην καταχεόντων παροινίαν τοῦ Αβραὰμ, καὶ δι' αὐτοῦ πρὸς τὸν κοινὸν δεσπότην καὶ δημιουργὸν τὴν θεομαχίαν παραπεμπόντων; σὺ δέ μοι συνέπου τοῖς ἐφεξῆς, καὶ συνεπισκόπει.

Ο σωτὴρ ἐν τοῖς εὐαγγελίοις τὸ μεγαλαυχοῦν τῶν Ιουδαίων καὶ μιαιφόνον καὶ ἄπιστον στηλιτεύων, καὶ ἀναξίους κἀκείνων γονῆς τῆς Αβραὰμ, κἂν ἐκεῖθεν αὐτοῖς κατῆρε τὸ φῦναι· εἰ τέκνα ἦτέ φησι τοῦ Αβραὰμ, ἐποιεῖτε ἂν τὰ ἔργα τοῦ Αβραάμ. καὶ ὁ θρίαμβος οὐ μέχρι τούτων, ἀλλὰ καὶ σφοδρότερον αὐτῶν καθαπτόμενος ἐπάγει λέγων· οὐκ ἐστε τέκνα τοῦ Αβραὰμ, ἀλλὰ τοῦ διαβόλου ἐστέ. πολὺ γὰρ ἡ γνώμη κραταιόν [3], ἐκείνου τὴν κλῆσιν καὶ τὸ γένος ὑπελθεῖν,


A mens, siquidem eos qui volunt consequi introitum cælorum, postquam præcepit salvator ut enitantur ingredi per angustam portam, eos quidem qui negligentes circa præceptum fuerunt, tamquam incuriosos operatores eo trudit, ubi est fletus & stridor dentium; introducit vero, undique congregans, quotquot solliciti circa mandatum fuerunt, in regnum suum: eosque recumbere faciens in illo, (adverte animum o homo) ante illos recumbere facit Abraham, & Isaac, & Jacob, & prophetas. Ait enim, quamtumvis audire nolitis: [a] *Quando videritis Abraham & Isaac & Jacob & omnes prophetas in regno Dei, vos autem exactos foras.* Et quinam sunt qui exiguntur foras? An non manifeste B quotquot ad imitationem Abraham, Isaac, & Jacob suam vivendi rationem non composuerunt? Si vero quicumque eorum vitam & pietatem non sunt æmulati, a regno Dei exiguntur, & in fletum ac stridorem dentium abjiciuntur; quænam par pœna inveniri queat pro iis, qui ad tantum stultitiæ œstrum devenerunt? O effrenata ora, ac patri mendacii adeo propense inservientia, ut & fures & latrones, & Maligni figmenta & administros per contumeliam vocare audacter possimus! Qui vero neque intra hos limites rabiem coercent, sed & eum qui æternam vitam gratiose nobis largitur regnumque cælorum, Deum nempe Abraham & Isaac & Jacob, Deum vivorum & non mortuorum, malum C principium, & malorum operum auctorem blasphemant, sunt autem revera isti Maligni figmenta; nonne per ignem & tenebras præparatam diabolo ultionem æternum subire coacti, non minorem sua audacia pœnam solvent? Neque intercapedinem quæ est inter divitem & Lazarum horrent, quæ separat eos qui cum Abrahamo gaudent, ab iis qui in tormentis puniuntur. Sed hei mihi! tametsi nunc sensum supplicii non habentes, minas salvatoris non verentur; tunc profecto tunc experientia acerbitatem tormentorum addiscentes, quamvis nullum invenient emolumentum, seipsos vehementer, & prolixe atque adeo æternum condemnabunt. Potissimum vero ubi Abrahamum, juxta divitis parabolam, in D auxilium vocantes, quem subsannaverunt, miserentem non invenient. Si enim qui Lazaro insultavit, a sinu Abrahæ terribili hiatu separatur, solvitque igne numquam obdormiscente animi crudelis pœnas, atque appetit quidem beatam illam lætitiam & fruitionem, ab ea tamen arcetur, & ardet linguam, acerbissimosque dolet dolores, & quidem in eo posito ejus insultu, quod similem natura non est misertus, non quod subsannationem intulerit, aut illum contumeliis lacessere visus sit: quomodo non multo magis ardebit & os & lingua, & viscera omnia eorum, qui tantos effundunt insultus contra Abraham, & per illum adversus communem Dominum atque conditorem bellum movent, quod E divinitatem oppugnat? Tu vero sequere me deinceps, simulque considera mecum.

IV. Salvator in evangeliis petulantiam Judæorum, simulque in cædes ac perfidiam propensionem traducens, eosque indignos judicans stirpe Abrahami, tametsi inde illi ortum haberent; [b] *Si filii essetis*, inquit, *Abrahami, faceretis utique Abrahami opera.* Neque triumphus heic hæret; sed etiam vehementius in illos invectus subinfert dicens: *Non estis Abrahæ filii, sed diaboli estis.* Hæc enim sententia magnam infert præsumtionem, quempiam ab

a Lucæ XIII. 28. b Joan. VIII. 39.

1. Forte ἀδικίας. 2. Wolfius perperam mallet μέν. 3. Wolfius mallet κρατεῖν.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 890.



οὐ τὸ γνήσιον ἐν τῇ μιμήσει φέρει τῆς ζωῆς. εἰ δ' ἦν ἡ παλαιὰ, κατὰ τὰς ἀθέτους φωνὰς, τοῦ πονηροῦ, ταύτης δὲ ὁ Ἀβραὰμ, ἴσον ἦν εἰπεῖν, τέκνα τοῦ Ἀβραὰμ, καὶ τέκνα τοῦ διαβόλου· δι' ἑκατέρου γὰρ ἃ μισεῖ μὲν ὁ Θεὸς, στέργει δὲ ὁ ἐχθρὸς, ἐλέγχονται τιμῶντες ὁμοίως οἱ Ἰουδαῖοι. πῶς δὲ καὶ ἀλλαχοῦ πάλιν ὁ σωτὴρ τοῖς περὶ Ἀβραὰμ τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν εἰς κλῆρον ἀφορίζει, καὶ συντάττει τούτοις τοὺς ὁλοψύχῳ γνώμῃ τῶν τε προσταγμάτων φύλακας ἀπροφασίστους δεδειγμένους, καὶ καθαροὺς αὐτῷ τὴν λατρείαν προσενηνοχότας, καὶ ὥσπερ τι μέγα καὶ θαυμάσιον ἔπαθλον διδοὺς, τὴν μετὰ τῶν ἀνδρῶν ἐκείνων ἐν τῇ τῶν οὐρανῶν βασιλείᾳ ἐπαγγέλλεται συναυλίαν; λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι πολλοὶ ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν ἥξουσι, καὶ ἀνακλιθήσονται μετὰ Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν. ἆρα γὰρ τοῦτο ἔπαθλον τοῖς ἐπεγνωκόσιν αὐτόν; ἆρα τοῦτο δῶρον τοῖς, ὅσοι τὰς σφαγὰς ὑπέσχον ὑπὲρ αὐτοῦ; τοῦτο φιλοτιμία; τοῦτο ἔπαθλον, τὸ μετὰ τῶν θεραπευόντων τοῦ πονηροῦ καὶ συνεῖναι καὶ συναριθμεῖσθαι καὶ συναγελάζεσθαι; καὶ ποία ἂν ταῦτα ἀνέξεται ἀκοὴ, ῥημάτων ὅλως ἔχουσα ἀκοὴν θείων;

Καὶ εἰ ἡ παλαιὰ τοῦ διαβόλου ἦν, πῶς ὁ Ματθαῖος καὶ Λουκᾶς τὴν τοῦ σωτῆρος ἀναπτύσσοντες γενεαλογίαν, προγόνους αὐτοῦ καὶ πατέρας τοὺς, οὓς ἡ παλαιὰ κλέος εἶχεν, ἀναγράφουσι; πῶς γὰρ ὁ ἀγαθὸς Θεὸς ἢ ἐν σχήματι καὶ ὑποκρίσει; ἔστι γὰρ ἔστι τις τῆς ἀποστασίας ταύτης οὐκ ὀλίγη μοῖρα, καὶ ταύτην τὴν λύσσαν κατὰ τῆς ἐνσάρκου τοῦ λόγου παρουσίας προφέρουσα. ἀλλὰ πῶς ὁ ἀγαθὸς ἢ κατὰ σχηματισμὸν καὶ ὑπόκρισιν, ἢ ἐν ἀληθείᾳ καὶ ὑπάρξει, τοὺς ἐν τῇ πονηρᾷ διαπρέψαντας διαθήκῃ, πατέρας καὶ προγόνους ἑαυτοῦ γενέσθαι κατεδέξατο, καὶ τοιούτου σπέρματος ἐπιλαβέσθαι, οὗ πλάστην οὐκ ἠγνόει τὸν πολέμιον; καὶ πῶς μὴ ἐξ ἄλλου ἔθνος προῆλθεν αὐτὸς, ὃ μὴ δευτέραν εἶχεν ἐνέργειαν τοῦ πονηροῦ, ἀλλ' ἐξ ἐκείνου πρόεισιν, ὃ τῆς παλαιᾶς οἱ νόμοι διεμόρφουν τε καὶ διετίθεντο, καὶ μετὰ τὴν ἀπ' ἀρχῆς πονηρὰν πλάσιν πονηροτέροις ἄλλοις ἔργοις καὶ ἔθεσιν ἐπαιδαγώγουν τε καὶ διέπλαττον; καὶ εἰ μὴ ἦν ἡ παλαιὰ τοῦ Θεοῦ, πῶς τοὺς ἀθετήσαντας τοὺς ἐν τῇ φύσει νόμους τοῦ πλάστου, καὶ εἰς ἀσέλγειαν μὲν ἐξοκείλαντας, τῷ θελήματι δὲ παντελῶς καταδουλωθέντας τοῦ ἐχθροῦ, πυρὶ κολάζει, καὶ τὴν τῶν τετολμημένων δίκην ἀπαιτεῖ; τὸν πονηρὸν γὰρ δίκην ἀπαιτεῖν τῆς αὐτὸν τερπούσης καὶ ἐξ αὐτοῦ προϊούσης πονηρᾶς ἐργασίας, πῶς οὐκ ἂν εἴη ὅλως ἢ ἐννοηθῆναι οὐ μανικόν; ὁ δὲ ἀποστάτης, τῶν πονηρῶν ἔργων τοὺς πονηροὺς πονηρῷ πλάσματι ἄλλῳ, τῷ πυρὶ, τὴν τιμωρίαν εἰσπράττεσθαι λέγει, τὸν ἐχθρὸν ἐτῶν [1] τοῖς σαρκὸς πάθεσι κατασυρέντας κατακλυσμῷ κολάζει [2]· μισοπονήρου γάρ ἐστι καὶ ἀγαθοῦ καὶ δικαίου τὸ, τι κακὸν ἀναστέλλειν, καὶ τοὺς πρὸς τὴν ἁμαρτίαν ἀναιδευσαμένους τὴν ἴσην εἰσπράττεσθαι τιμωρίαν, ἀλλ' οὐχὶ πονηροῦ ποθεν, οὐδὲ φιλοῦντος καὶ νομοθετοῦντος τὴν ἁμαρτίαν.

Ἵνα δὲ μάθῃς ἀκριβέστερον, ὡς αὐτός ἐστιν ἀγαθὸς καὶ φιλάνθρωπος Θεὸς, ὅ, τε τοῦ δικαίου ἔκδικος ἐν τῇ παλαιᾷ καὶ ὁ ἐν τῇ χάριτι, ξηραίνει μὲν τὴν συκῆν καρπὸν αὐτῷ μὴ προσενεγκοῦσαν, μυρίαις δὲ ἀπειλαῖς ὑποβάλλει τοὺς αὐτῷ μὴ πειθομένους, καὶ τὸ σφοδρότερόν τι καὶ ἀμίμητον τῆς κολάσεως εἰς τὸ ἐξώτερον πῦρ, τὸ ἡτοιμασμένον τῷ διαβόλῳ καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ, τοὺς παραβεβηκότες [3] αὐτοῦ τοὺς νόμους καταδικάζει. καὶ κατ' ἀρχὰς μὲν

A illo & appellationem & genus trahere, cujus vitam veriffime imitetur. Si itaque vetus teftamentum, fecundum reprobas voces, Maligni erat, ad illudque Abraham pertinebat, perinde erat dicere *Filii Abraham*, & *Filii diaboli*: per utrumque enim evincitur pari modo, Judæos in pretio habuiffe ea, quæ Deus quidem averfatur, amat vero inimicus. Quomodo autem alibi quoque falvator illis, qui Abrahamo fociantur, regnum cælorum in hereditatem affignat, hifque copulat eos, qui ex toto animi fenfu præcepta cuftodiviffe fine detrectatione probantur, purumque illi cultum adhibuerunt; ac veluti magnum quoddam & admirabile præmium dans, converfationem promittit cum hominibus illis B in regno cælorum? *Dico enim vobis, quoniam multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham & Ifaac & Jacob in regno cælorum.* Hoccine eft præmium iis qui agnoverunt illum? Hoccine donum iis omnibus, qui pro illo jugulum præbuerunt? Hoccine liberalitas? Hoccine bravium? cum miniftris fcilicet Maligni degere, connumerari, congregari? Quæ auris ifthæc audire patiatur, fi modo divina ei verba umquam infonuerunt?

V. Ac fi vetus teftamentum Diaboli erat, quo pacto Matthæus & Lucas falvatoris genealogiam ediffcrentes, progenitores ejus ac patres defcribunt eos, qui veteris teftamenti decus efficiunt? Quomo- C modo enim bonus Deus fuerit in fpecie & hypocrifi? Eft namque eft hujus apoftafiæ pars haud exigua, quæ & rabiem hujufmodi adverfus Verbi in carne adventum evomit. Sedenim quomodo bonus Deus vel fecundum externam fpeciem & fimulationem, vel in veritate ac reipfa eos, qui in Maligno teftamento excelluerunt, patres ac progenitores fuos fuiffe tulit, atque ejufmodi femen apprehendere, cujus auctorem non ignorabat effe adverfarium ipfum? Et quomodo non ex alia gente proceffit ipfe, quæ haud inferiorem haberet potentiam Maligno; fed ex ea prodiit, quam veteris teftamenti leges informabant atque ordinabant, & poft malam ab initio creationem, pejoribus aliis D operibus moribufque erudiebant & imbuebant? Quod fi Dei non erat vetus Teftamentum, quomodo eos qui tranfgrediebantur creatoris leges naturæ infitas, in lafciviamque illidentes, atque funditus voluntati adverfarii obnoxii erant, igne punit, atque ab iis patratorum fcelerum pœnas exigit? Quod enim Malignus pœnas repetat mali operis quod & fibi arridet & ex fe prodit, quei non fit omnino vel cogitare dumtaxat furiofum? At Apoftata, *malorum operum a malis mala alia creatura, igne videlicet, pœnas fumere dicit adverfarium eorum: eofque qui carnis voluptatibus tranverfi aguntur, diluvio punit.* Sedenim proprium eft ejus qui malum odit & bonus ac juftus eft, non modo malum compefcere E fed & eos qui inverecunde peccata perpetrant digna profequi vindicta; non vero id proprium eft ejus qui malus fit, ametque aut præcipiat legibus peccatum.

VI. Ut vero planius pleniufque intelligas, quod bonus atque benignus Deus idem ipfe eft, qui tam in veteri quam in novo teftamento jufti vindicem agit, arrefacit ille ficulneam quæ fructum ei non produxerat, infinitifque minis fubjectos effecit eos qui fibi morem non gerunt, damnatque ad acerbiffimam atque inimitabilem pœnam in ignem exteriorem præparatum diabolo atque angelis ejus quotquot leges illius tranfgreffi funt. Atque vetuftis

1. Wolfius legit καὶ τοὺς: forte αὐτῶν. 2. Idem κολάζων. 3. Lege παραβεβηκότας.

προσκαίρῳ πυρὶ καὶ ὕδατι τιμωρεῖται, ἐπὶ τέλει δὲ διαιωνίζοντι καὶ ἀπελάτήτῳ· ὁρᾷς πῶς τὸ μισοπόνηρον πανταχοῦ, ὥσπερ καὶ τὸ φιλάνθρωπον γνώρισμά ἐστι καὶ μαρτύριον τῆς ἀγαθότητος τοῦ Θεοῦ; καὶ οὐκ αὐτὸς μὲν ταῦτα πράττει, τοὺς μαθητὰς δὲ τῆς τοιαύτης πράξεως ἀναστέλλει· ἀλλὰ Πέτρος μὲν, ὁ ἐν τῇ χάριτι λαμπρὸς, τὸν Ανανίαν καὶ τὴν Σάπφειραν ψευδολογίας θάνατον ἔλαβε τὴν δίκην, Παῦλος δὲ ὁ θερμὸς τῆς χάριτος κήρυξ καὶ διδάσκαλος τῆς οἰκουμένοις, τυφλὸν μὲν εὐθὺς ποιεῖ τὸν Ελύμαν, αὐτὸς μαθὼν ἐξ ὧν πέπονθε, ὅσον ἡ ποινὴ κέρδος φέρει· τὸν δὲ πεπορνευκότα Κορίνθιον παραδίδωσι τῷ σατανᾷ εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκός. Αλέξανδρον δὲ εἰς τὴν ἐκεῖθεν παραπέμπει βάσανον καὶ κρίσιν. καὶ εἰ, ὀργὴ καὶ θλίψις καὶ στενοχωρία ἐπὶ πᾶσαν ψυχὴν ἀνθρώπου τοῦ κατεργαζομένου τὸ κακὸν [1], σφόδρα διαμαρτύρεται ὁ Παῦλος, ὥσπερ δόξα καὶ τιμὴ καὶ εἰρήνη παντὶ τῷ ἐργαζομένῳ τὸ ἀγαθὸν, πῶς προσωποληψία οὐκ ἔστι παρὰ τῷ Θεῷ; πῶς οἱ κατακριθέντες ἐν τῇ παλαιᾷ, οὐχ ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ κατεκρίθησαν ἀγαθοῦ Θεοῦ, ὃς καὶ τὴν χάριν νομοθετεῖ, καὶ τὸ ἀπροσωπόληπτον αὐτοῦ οἷς ὑπέστησαν ἐβεβαίωσε; καὶ πόσοις αὖθις ἐπιδείξαιτο τὴν μισοπόνηρον δίκην ἐν τοῖς τῆς χάριτος νόμοις τὸ κράτος ἔχουσαν ἄμαχον;

A quidem temporibus transitorio igne & aqua punivit, in fine vero, æterno atque inexstinguibili. Vides quomodo odium mali ubique, quemadmodum & benignitas, character sit & testimonium bonitatis Dei. Ac non ille quidem hæc facit, discipulos vero suos ab hoc exercitio removet: sed Petrus qui in œconomia gratiæ præ ceteris fulget, Ananiam & Sapphiram propter mendacium morte multavit, & Paullus fervidus ille Gratiæ præco atque orbis magister, cæcum statim efficit Elymam, qui didicit ex iis quæ passus est, quantum pœna emolumentum afferat: Corinthium vero qui fornicatus fuerat, tradit Satanæ in interitum carnis, itemque Alexandrum in idem conjicit tormentum ac judicium. B Quod si *Ira, & angustia & afflictio in omnem animam hominis operantis malum* vehementer protestatur Paullus; quemadmodum contra *Gloria, & honor & pax omni operanti bonum*: quomodo personarum acceptio non est apud Deum? quomodo qui damnati sunt in veteri testamento, non ab eodem damnati sunt bono Deo, qui & Gratiam promulgat, & quod ipse personarum acceptor non sit per ea quæ sustinuit, demonstravit? Et quotnam modis ostendere quis posset justitiam mali vindicem in lege Gratiæ imperium invincibile habere?

Χωρὶς δὲ τῶν εἰρημένων· εἰ πονηρᾶς ἦν ἀρχῆς ἡ παλαιὰ, πῶς ὁ μετάρσιος καὶ οὐράνιος ἄνθρωπος Παῦλος, εὐθὺς ἀρχόμενος τῶν ἐπιστολῶν, διὰ τῶν προφητῶν αὐτοῦ ἐν γραφαῖς ἁγίαις τὸν Θεὸν προεπαγγέλλεσθαι λέγει περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, τοῦ γενομένου ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα; εἰ γὰρ Θεοῦ προφῆται καὶ γραφαὶ ἅγιαι, δι᾽ ὧν ὁ Θεὸς προεπηγγείλατο περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, ποῦ ὁ πονηρὸς εὑρήσει τὴν ἀρχήν; καὶ εἰ τὰ ἀόρατα αὐτοῦ, τουτέστι τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, ἐν τίσιν ὁραθείη δημιουργὸς ὁ ἐχθρός; τὰ ἀόρατα καὶ νοούμενα τοῦ Θεοῦ ἐστι· ταῦτα δὲ καθορᾶται ἀπὸ τῆς αἰσθητῆς καὶ ὁρατῆς [2]· εἰ γὰρ μὴ διὰ τῆς ὁρατῆς κτίσεως τὰ ἀόρατα τοῦ Θεοῦ καθορᾶται, οὐκ ἂν μὲν διέστειλε τὰ ἀόρατα ἐξ αὐτῆς, οὐκ ἂν δὲ διὰ ταύτης ἐδίδαξεν ἐκεῖνα καθορᾶσθαι. πῶς οὖν ἐν τοῖς ποιήμασι τοῖς αἰσθητοῖς καθορᾶται τὰ ἀόρατα τοῦ Θεοῦ, καὶ τότε ἡ ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θεότης, ἐν τοῖς ποιήμασι τοῦ πονηροῦ; τοὐναντίον γὰρ, ἐν τοῖς ποιήμασι τοῦ ἐχθροῦ, εἴπερ ἦν ὅλως τινὰ, ἡ πονηρία καὶ αἰσχρότης αὐτοῦ καθωρᾶτο ἄν. ὅτι δὲ ὁ νόμος ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ Θεοῦ, κἀντεῦθεν ἄν τις ἐπιδείξοιτο ῥᾷον. λέγει γὰρ ὁ Παῦλος, τὸ στόμα τοῦ Χριστοῦ, ὅπερ οὐχ οἱ ἀκροαταὶ τοῦ νόμου δίκαιοι παρὰ τῷ Θεῷ, ἀλλ᾽ οἱ ποιηταὶ τοῦ νόμου δικαιωθήσονται. καὶ πῶς οὐκ ἔστιν ὁ νόμος ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ Θεοῦ, ὃς ἀντὶ τοῦ κολάζειν, δικαίους ἀποφαίνει τοὺς ποιοῦντας αὐτόν; καὶ εἰ ὁ παραβάτης τοῦ νόμου, κἂν περιτετμημένος ᾖ τὴν σάρκα, ὡς ἀκρόβυστος λογίζεται, καὶ ἀνάξιος κρίνεται τοῦ Θεοῦ· ὁ δὲ ἀκρόβυστος τὰ δικαιώματα φυλάσσων τοῦ νόμου, τὴν περιτομὴν τοῦ παναγίου πνεύματος φέρει ἐν τῇ ψυχῇ· πῶς οὐχὶ ὁ νόμος ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ Θεοῦ; εἰ δὲ καθὰ διακέκραγεν ὁ Παῦλος, Χριστὸς Ἰησοῦς διάκονος γέγονε περιτομῆς, διὰ τί; ὑπὲρ ἀληθείας Θεοῦ, εἰς τὸ βεβαιῶσαι τὰς ἐπαγγελίας τῶν πατέρων, καὶ ταύτας ἐβεβαίωσεν ὁ Χριστὸς, ἐκεῖνος δὲ τοῖς πατράσι διέθετο τὰς ἐπαγγελίας, ὁ καὶ τὸν αἰσθητὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν δημιουργήσας Θεὸς, ὃν καὶ Μωσῆς ἐν τῇ κοσμογενείᾳ θεολογεῖ· δείκνυται δὲ δι᾽ ὧν ὁ Παῦλος ἐνταῦθα καὶ ἐν πολλοῖς ἄλλοις λέγει, τοῦ

VII. Accedit huc; Si a maligno principio erat vetus testamentum, quomodo sublimis & cælestis C homo Paullus, ab ipso statim epistolarum initio, *Per prophetas suos in scripturis sanctis Deum prædixisse* ait *de filio suo, qui factus est ex semine David secundum carnem*? Si enim Dei sunt prophetæ, & scripturæ sanctæ, quibus Deus promisit de filio suo, ubi Malignus principium inveniet? Quod si [a] *Invisibilia ejus*, Dei nempe ac patris Domini nostri Jesu Christi, *a creatura mundi, in iis quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur*, in quibus aliis conspici possit creator Malignus? Quæ invisibilia sunt & mente percipiuntur, Dei sunt; hæc vero conspiciuntur a creatura sensibili & visibili: nisi enim per visibilem creaturam invisibilia Dei conspicerentur, non utique distinxisset invisibilia D ab hacce, neque per hancce docuisset conspici illa. Quomodo ergo in operibus sensibilibus *conspiciuntur invisibilia Dei*, & quidem *æterna ejus virtus atque divinitas*, in operibus inquam Maligni? Contra potius, in operibus Inimici, si qua omnino essent, malitia ac turpitudo ejus conspici utique deberent. Quod vero Lex a bono Deo sit, vel hinc facilius possit quis demonstrare. Ait enim Paullus os Christi: [b] *Non auditores legis justi sunt apud Deum; sed factores Legis justificabuntur.* At quomodo non est Lex a bono Deo, qui pro eo ut puniat, justos potius declarat factores ejus? Et si transgressor legis, tametsi circumcisus sit carne, ut præputiatus tamen reputatur, ac indignus Deo ju- E dicatur; præputiatus vero qui justificationes Legis custodit, circumcisionem sanctissimi Spiritus fert in anima, quomodo Lex a bono Deo non fuerit? Sin autem, quemadmodum clamabat Paullus, *Christus Jesus minister fuit circumcisionis*, & quidem cur? *pro veritate Dei, ad confirmandas Patrum promissiones*; & has confirmavit Christus quidem, ille vero Patribus testamento suo disposuit promissiones, qui & sensibile cælum terramque fabricatus est Deus, quem item Moyses in mundi productione divinis nominibus appellat: si insuper per ea quæ Paullus heic & alibi pluries dicit, ostenditur, quod

[a] Rom. I. 20. [b] Rom. II. 13.

1. Nihil videtur deesse, quamvis Wolfius putet excidisse ὡς. 2. Videtur deesse κτίσεως.

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 890.

σωτῆρος ἡμῶν οὗτος πατήρ, οὗ τὰς ἐπαγγελίας ὡς γνήσιος υἱὸς ἀπαραβάτους τε καὶ ἀψευδεῖς αὐτὸς δι' ἑαυτοῦ, καὶ οὐ δι' ἄλλου ἐπεδείξατο, πῶς τῆς ἀποστασίας οὐ καταδύεται τὸ ἀναίσχυντον; ἀλλὰ τί μοι λέγειν Παῦλον, καίτοι τηλικοῦτον ὄντα τῇ τε γνώσει τῆς παλαιᾶς, καὶ τῇ σοφίᾳ τῆς χάριτος αὐτοῦ; πάλιν ἔστιν [1] τοῦ κοινοῦ δεσπότου διακούειν διατεινομένου καὶ λέγοντος· μὴ νομίσητε, ὅτι ἦλθον καταλῦσαι τὸν νόμον ἢ τοὺς προφήτας· οὐκ ἦλθον καταλῦσαι τὸν νόμον, ἀλλὰ πληρῶσαι. καί· ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐ μὴ παρέλθῃ ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ, ἢ ἰῶτα ἓν ἢ μία κεραία, ἕως ἂν ταῦτα πάντα γίνεται. ἐγὼ πληρωτὴς ἦλθον τοῦ νόμου. στομάτων ἐστὶ πονηρῶν τὸ λέγειν, ἐμὲ παραγενέσθαι τοὺς πατρικοὺς παραλῦσαι νόμους. οὐδὲν αὐτοῦ ἀτελείωτον ἐάσω, οὐδὲν ἐπινοίας ἐν αὐτῷ πονηρᾶς, οὐδὲν εἰς ψεῦδος λήξει· πάντα μεστὰ τῆς ἀληθείας. ἐγὼ τῶν προφητικῶν φωνῶν ἡ βεβαίωσις. ἐμοὶ γὰρ ὄντες καὶ τοῦ ἐμοῦ πατρὸς ὑπηρέται καὶ διάκονοι, τήν τε παρουσίαν τὴν ἐμὴν, καὶ πάντα τὰ τῆς παρουσίας σαφῶς προεῖδόν τε καὶ προήγγειλαν. διὸ ἐξ ὧν τε ἐκεῖνοι προεῖπον, καὶ ὁ νόμος περιέχει, οὐ μικρὸν οὐ μέγα παρελεύσεται, ὃ μὴ τῆς ἀληθείας τῷ πέρατι σφραγισθῇ. εἰ γὰρ ἐγὼ διάκονος περιτομῆς εἰς τὸ βεβαιωθῆναι τὰς ἐπαγγελίας, ἃς ὁ πατὴρ διέθετο τοῖς πατράσι· πῶς ἰῶτα ἓν, τουτέστι, τὸ ἐλάχιστον τῶν ἐν τῷ νόμῳ καὶ τοῖς προφήταις ῥηθέντων, δύναιτ' ἂν ὅλως παρελθεῖν, ἢ μὴ γενέσθαι;

πλέα ἀναῤῥήσεως τοῦ ἐχθροῦ, καὶ τί τὸ ἔπαθλον, οἷς οὐκ ἠθέλησαν βασιλεύειν ἐφ' ἑαυτῶν τὸν βασιλέα τοῦ παντός. ἀπεικάζουσι μὲν οὖν αἱ ἱεραὶ παραβολαὶ τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, μᾶλλον δὲ αὐτὸς ἑαυτὸν ἀνθρώπῳ εὐγενεῖ. τί γὰρ θεότητος εὐγενέστερον; τὸ δὲ ἀνθρώπινον σύστημα, ἵνα τὰ ἄλλα ἐάσω, τοῖς πολίταις αὐτοῦ, ἅτε πλάσματα αὐτοῦ, καὶ ὅτι αὐτὸς αὐτοῦ [1] ἐπόλισεν ἐν τῇ γῇ, καὶ ὅτι σάρκα τὴν ἡμετέραν λαβὼν, καὶ σύνοικος ἡμῶν καὶ συμπολίτης ἠξίωσε γενέσθαι καὶ κληθῆναι. πλὴν ἀλλ' ὁ τῆς θεότητος τὴν εὐγένειαν φέρων ἐν ἑαυτῷ, καὶ τὴν βασιλείαν λαβὼν ἴσην καὶ ἀναφαίρετον παρὰ τοῦ πατρὸς, ἐπείπερ ἅπαντα εἰδὼς, οὐδὲ τὴν ἐπανάστασιν ἠγνόησεν, ἣν τινες τῶν πολιτῶν ἐμελέτησαν κατ' αὐτοῦ. καὶ [2] ἠρνήσαντο μὲν τὴν βασιλείαν αὐτοῦ, οὐκ ἠθέλησαν δὲ βασιλεύειν αὐτὸν ἐφ' ἑαυτῶν. οὗτος ὁ φιλάνθρωπος, ὁ ἀγαθὸς πατρὸς παῖς, ἡ πηγὴ τῆς συμπαθείας, ὁ τοῦ ἐλέους Θεὸς, τὰ τῶν οἰκτιρμῶν μὴ κενούμενα σπλάγχνα, οὐκ ἠνέσχετο τὴν τοσαύτην παροινίαν τῶν ἀχαρίστων αὐτοῦ πολιτῶν. οὐ δὲ γὰρ ἕν τι τῶν ἀνθρωπίνων ἁμαρτημάτων ἦν τολμηθὲν, ἀλλὰ κατὰ τοῦ πλάστου, κατὰ τοῦ δημιουργοῦ, κατὰ τοῦ εὐεργέτου, κατὰ τοῦ προνοητοῦ ἡ ἀπόνοια· ἀλλ' ὑπὲρ τοῦ ἀρχεκάκου ἐχθροῦ, ὑπὲρ τοῦ ἀπ' ἀρχῆς ἀνθρωποκτόνου, ὑπὲρ τοῦ ἀντικειμένου ἡ σπουδή. ἵνα τοῦ μὲν ἀφέλωνται τὴν βασιλείαν, τῷ δὲ χαρίσωνται. διὸ τί ποιεῖ; καὶ τίνα δίκην τοὺς ἀποστάτας δίκαιος ἀπαιτεῖ κριτής; ἀλλὰ γὰρ ἄμεινον αὐτῆς ἐκείνης ἀκούειν τῆς ψήφου· τοὺς ἐχθρούς μου φησὶ, τοὺς μὴ θελήσαντάς με βασιλεύειν ἐφ' ἑαυτῶν, ἀγάγετε καὶ κατασφάξατε ἔμπροσθέν μου. ἐπεὶ δὲ γὰρ τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτῶν παρεῖδον μὲν τὸν ποιητὴν, ἀπέβλεψαν δὲ πρὸς τὸν πτερνιστὴν, διὰ τοῦτο ἐνώπιον τοῦ πανεφόρου καὶ πανεπισκόπου τῆς δίκης ὀφθαλμοῦ τὴν ἀξίαν ἀπαιτοῦνται ποινήν. καὶ κατασφάξατε αὐτοὺς ἔμπροσθέν μου, ἵνα ὃν οὐκ ἠθέλησαν ἐπιγνῶναι βασιλέα, ἐπιγνῶσι καὶ ἄκοντες, οἷς ἀπαιτοῦνται τὰς εὐθύνας, βασιλέα καὶ δίκαιον. καὶ ἐπεὶ τὸ παρ' ἐμοῦ σῶμα πλασθὲν αὐτοῖς, ἀλλοτρίας χειρὸς ἔργον ἔθεντο, κατασφάξατε αὐτοὺς, ὡς ἂν δι' οὗ παρῴνησαν εἰς ἐμὲ, καὶ τῆς ἐμῆς διελόντες αὐτοβασιλείας [3] προσεῤῥίψαν τῷ ἐχθρῷ, τούτου διχασθέντες, τὴν ὀφειλομένην ὦσι δίκην τῆς ἀποστασίας ἐκτετικότες. κατασφάξατε αὐτοὺς ἔμπροσθέν μου. ἐννοήσατε τῆς τιμωρίας τὸ ἄφυκτον [4] καὶ πικρόν. τίς ὁ δοὺς τὴν ψῆφον; τίνος ἡ ἀπόφασις; σφαγῆναι μὲν ὑπὸ τοῦ ἐχθροῦ, κἂν φέρῃ τι λυπηρὸν, ἀλλ' οὖν πολλὴν παρέχει παραμυθίας ἀφορμήν. ὑπολείπει γὰρ τὸν δεσπότην ἐκδικητὴν, καὶ τῆς ἀναστάσεως, καὶ τῆς ἐν αὐτῇ χαρᾶς ἡ ἐλπὶς προοίμιον αὐτῷ τῆς εὐφροσύνης ἔννοιαν ὑποτίθησι τὴν σφαγήν. ὅταν δὲ ὁ δεσπότης αὐτὸς προστάσσῃ κατασφαγῆναι, παρ' οὗ ἡ ἐκδίκησις, παρ' οὗ τὸ ἔλεος, παρ' οὗ ἡ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἀγαλλίασις καὶ εὐφροσύνη, παρ' οὗ ἡ ζωὴ καὶ ἡ σωτηρία· τίς ἂν παραστήσῃ λόγος τὸ πικρὸν καὶ ἀφόρητον τῆς πληγῆς; τὸ ἀπαράκλητον καὶ ὀξὺ τῶν ἀλγεινῶν; πρὸς τίνα ἔσται ἡ καταφυγή; τίς ἀνάψυξις τοῦ πάθους οὐ δεχομένου τέλος, ἀπελπιστήτου τῆς τιμωρίας διαμενούσης; ἀλλ' ἐννοήσατε ταῦτα, καὶ ἐννοήσαντες φοβήθητε τὴν πληγὴν, ὁρῶντες ἐν ἑτέροις, πρὸ τοῦ ἐμπεσεῖν εἰς πεῖραν, τὸ φρικτὸν τῆς ὀδύνης καὶ φοβερὸν, καὶ ἀπόστητε τῆς ἴσης ἀπονοίας πρὸ τῆς ἴσης τιμωρίας. ὁ γὰρ ἐν τῷ πάθει φόβος, καὶ ἡ μεταμέλεια οὐδὲν οἶδασι κέρδος φέρειν. ἕως καιρὸς μετανοίας, τὴν μετάνοιαν ἐπιδειξώμεθα· ἕως ἡ τῆς συγγνώμης ἀνέῳκται θύρα, εἰσελθεῖν δι' αὐτῆς μὴ βραδύνωμεν· ἕως αἱ ἀπειλαὶ μετέωροι, τὴν ἐπιστρο-

A præconii, quo hostem sibi regem constituunt; cujusmodi item erit præmium, propterea quod noluerint regnare super se regem universi. Assimilant enim vero sacræ parabolæ Dominum nostrum Jesum Christum, atque adeo ipse semet homini nobili; quid enim divinitate nobilius? humanam vero societatem, ut cetera omittam, civibus ejus, utpote figmenta illius: ajuntque ipsum heic civitatem sibi in terra constituisse, & quod carnem nostram assumens, cohabitator & concivis noster dignatus est esse & vocari. Verumtamen is qui divinitatis nobilitatem in seipso fert, regnumque accepit æquale & inamissibile a patre, quandoquidem omnia sciebat, ne hoc quidem ignoravit, quod ex civibus B nonnulli contra se insurrexerint; quod item non negarint quidem ejus regnum, at noluerint eum supra se regnare. Iste ergo benignus ac bonus patris filius, fons affectionis, Deus misericordiæ, viscera miserationum numquam vacantia, non tulit tantam insolentiam ingratorum civium suorum. Neque enim unum aliquod humanorum peccatorum ausum fuerat, sed contra creatorem, contra opificem, contra benefactorem, contra provisorem insultus erat, & quidem pro primigenio hoste, pro homicida ab initio, pro adversario partium studium erat, ut alterius quidem regnum tollerent, alteri vero largirentur. Quamobrem quid facit, & quam ab apostatis exigit pœnam justus judex? At præstat C ipsam illam audire sententiam: [a] *Inimicos meos*, ait, *qui noluerunt me regnare super se, adducite & jugulate coram me.* Quoniam enim suismet oculis creatorem despexerunt, & respexerunt supplantatorem, idcirco coram omnia intuenti omniaque respicienti justitiæ oculo justas postulantur pœnas. *Et jugulate eos coram me*: ut quem non voluerunt recognoscere regem, recognoscant vel inviti, dum ultio de illis sumitur, & regem & justum. Et quoniam corpus eorum per me formatum, alienæ manus opus esse statuerunt, *jugulate eos*, ut per quod conviciati sunt me, quodque a meo regno divellentes inimico projecerunt, ab eo dissecti debitas apostasiæ pœnas persolvant. *Jugulate illos coram* D *me*. Considerate inevitabilem & acerbam ultionem! Quis suffragium fert? Cujus est sententia? Ab hoste jugulari, etsi triste quid sit, at saltem multam consolationis caussam exhibet. Relinquit enim Dominum vindicem: ac resurrectionis & gaudii illius spes, ceu initium quoddam considerare facit lætitiæ ipsammet jugulationem. At quando Dominus ipse jugulari mandat, a quo ultio, a quo misericordia, a quo post resurrectionem exsultatio & lætitia, a quo vita est & salus: quænam oratio exhibere possit acerbitatem magnitudinemque plagæ? quæ desperationem acroremque dolorum? ad quem confugere licebit? quod refrigerium erit passionis non admittentis finem, interminabile permanen- E te ultione? Sed recogitate isthæc vos, atque recogitantes expavescite plagam, dum in aliis eam conspicitis, antequam ipsi experiamini horribilem illum ac tremendum dolorem, & recedite a simili stultitia ante similem pœnam. Timor enim & pœnitentia quæ in ipsomet cruciatu habentur, nullam sciunt afferre utilitatem. Dum tempus resipiscendi est, resipiscentiam amplectamur: quamdiu veniæ aperta est janua, intrare per illa ne cunctemur: dum adhuc minæ impendent, conversionem

[a] Lucæ XIX, 27.

1. Wolfius in sua versione videtur legisse αὐτοῖς.
2. Deest καὶ.
3. Error videtur typogr. pro αὐτῷ βασιλείας.
4. Ms. ἄφυκτον.

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 890.

φὴν ἐπιδείξωμεν. δοθέντος γὰρ τοῦ συνθήματος, καὶ τοῦ βίου λυθέντος, οὐδεὶς οὐκέτι τρόπος σωτηρίας, οὐδὲ τοῦ μὴ παθεῖν ἐλπὶς, ἃ παθεῖν ἠπειλήθη, καταλείπεται. ἀλλὰ γὰρ τοῦ διδασκάλου τῆς ἀποστασίας τρανῶς τε καὶ χωρὶς τινος περινοίας παρὰ τῶν εὐαγγελικῶν φωνῶν στηλιτευθέντος, καὶ οἵαν ὁ δίκαιος κριτὴς τοὺς ἐκείνου μαθητὰς, καὶ μὴ θέλοντας αὐτὸν ἐφ' ἑαυτῶν βασιλεῦσαι, τὴν ποινὴν εἰσπράττεται κατάδηλόν τε καὶ περιφανεστάτην ἐπιδειξαμένων, τίνα λοιπὸν οἱ μετὰ ταῦτα πάντα τὴν ἀποστασίαν ἔτι στέργοντες εὑρήσουσιν ἀπολογίαν; ποῖον λείψανον ἑαυτοῖς ὑπελείποντο συγγνώμης; τίς αὐτοῖς ὀφθαλμὸς ἐπιστάξει δάκρυον ἐλέους; τὸν διδάσκαλον αὐτῶν, ὅτι περ ὁ διάβολός ἐστιν, ἔμαθον παρὰ τῶν εὐαγγελίων· τοὺς πρὸ αὐτῶν μαθητὰς, ὅτι κατεσφάγησαν ἔμπροσθεν τοῦ δεσπότου, μὴ θελήσαντες αὐτὸν βασιλεύειν ἐφ' ἑαυτῶν. καὶ τοῦτο τὰ σεπτὰ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν εὐαγγέλια διδάσκουσι διαπρυσίως, ὅτι προσκυνηταὶ τοῦ διαβόλου, καὶ ὅτι τοῦ δημιουργοῦ ὑβρισταὶ οἱ σχίζοντες τὴν τοῦ Θεοῦ βασιλείαν, καὶ τοῦτο τὰ αὐτὰ διακεκράγασιν ἱερὰ λόγια. οὐκοῦν, εἰ μηδὲν τούτων αὐτοὺς ἀποστρέψει [1] τῆς ἀποστασίας, ὑπόλοιπόν ἐστι τὸ ἀτελεύτητον πῦρ, καὶ τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον, ὃ ἡτοίμασθαι αὐτῶν τῷ διδασκάλῳ. ἐκεῖνο καὶ ἄκοντας αὐτοὺς, καὶ χωρὶς τινος ὠφελείας ἀποστήσει [2] τῆς θεομαχίας. ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὅσον ἐπὶ τῷ προχείρῳ τῆς διαλέξεως καὶ τῆς ὁμιλίας.

A ostendamus. Dato enim profectionis ſigno ſolutaque vita, nullus amplius erit ſalutis modus, nec ulla non patiendi ſpes ea quæ minæ intentant, relinquitur. At enim, magiſtro apoſtaſiæ hujus liquido & ſine ullo commento per evangelica dicta refutato, quæ cujuſmodi pœna juſtus judex illius diſcipulos, & quotquot noluerunt ipſum regnare ſuper ſe puniat, clare manifeſtiſſimeque demonſtrant; quamnam quæſo qui poſt hæc omnia adhuc apoſtaſiam tuentur, purgandi ſe rationem invenient? Quas reliquias ſibi veniæ reliquas fecerunt. Quis oculus pro illis lacrymas miſericordiæ ſtillabit? Magiſtrum ſuum diabolum eſſe ab Evangeliis didicerunt; B diſcipuloſque qui ante ſe fuerunt, jugulatos fuiſſe ſub oculis Domini, propterea quod noluerunt ipſum ſuper ſe regnare: iſtud præterea veneranda ſalvatoris noſtri Evangelia docent manifeſte, quod nempe adoratores diaboli ſunt, & in creatorem contumelioſi, quotquot regnum Dei partiuntur; id inquam eadem clamant divina eloquia. Si nihil ergo horum eos ab apoſtaſia ſua longe removeat, reliquus profecto eſt ignis immortalis, & tenebræ exteriores, quæ præparatæ fuerunt eorum magiſtro. Illæ eos vel invitos ac ſine ullo emolumento removebunt a pugna hujuſmodi contra Deum. Et hæc quidem dicta ſufficiant pro ratione haud ita elaboratæ commentationis, & familiaris orationis.

1. Ms. ἐπιστρ.

C

2. Ms. ἀποστῆσαι.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ

τῆς τῶν Μανιχαίων ἀρτιφυοῦς πλάνης.

ΑΡΣΕΝΙΩ,

τῷ ὁσιωτάτῳ μοναχῷ, πρεσβυτέρῳ καὶ ἡγουμένῳ τῶν ἱερῶν.

ΛΟΓΟΣ δʹ.

D

ΕΠειδήπερ, ἱερῶν ἀνδρῶν ἐρασμιώτατε, τὰς διαλέξεις ἔχειν ἠξίωσας, αἳ [1] τοῦ Μάνεντος μὲν παραφυάδες τὸ φρόνημα καταισχύνουσι. πάλαι δὴ Νικηφόρῳ προσωμιλήθησαν, οὔπω μὲν ἀπὸ τῆς κλήσεως ταύτης γινωσκομένῳ· καὶ γὰρ οὐδὲ τὴν πίστιν ἠσπάζετο, ἥτις τὸν κόσμον ἐνίκησεν· ἔτι δὲ τοῖς τῆς ἀποστασίας λειψάνοις ἐγκαλινδούμενος, καὶ τὴν ἐκεῖθεν εἷλκε προσηγορίαν, Βέρζελις γὰρ ὠνομάζετο. ἐπεὶ οὖν τοὺς λόγους ἐκείνους, εἰς γραφὴν ἀναληφθέντας ἐπεζήτησας, ἡ δ' ἁρπαγὴ τῶν βιβλίων κἀκείνοις ὑπερόριον ζημίαν ἐπέβαλε, καὶ οὐ πάρεστι τὸ συνταγμάτιον· τῶν δὲ ἐν αὐτῷ κατατεταγμένων προηγουμένη σε χρεία κατέχει, ὅσα διὰ τῶν εὐαγγελικῶν E καὶ ἀποστολικῶν ῥημάτων τῆς Μανιχαϊκῆς ἀποστάδος πρόρριζον τὴν βλάστην ἐκτέμνει. [καὶ γὰρ καὶ ταῦτα κατ' αὐτῶν ἐστι μᾶλλον τῶν ἄλλων ἄφυκτον τὸ τῆς ἐκτομῆς ἐπαφιέντα δρέπανον·] τάδε ὡς ἐν κεφαλαίῳ φάναι, ἐπιδείκνυσιν, ὡς ἡ χάρις τῇ Μωσαϊκῇ κοσμογενείᾳ συμφθέγγεται, καὶ ὅσοις ἄλλοις ἄρτι πολιτείᾳ Θεὸν γινώσκειν καθισταμένη παιδαγωγεῖται καὶ κατευθύνεται· ναὶ δὴ καὶ ὅτι τὴν σωματικὴν καὶ ὁρατὴν κτίσιν ἐκεῖνός ἐστιν ὁ ἐκ μὴ ὄντων λόγῳ ὑποστησάμενος, ὃς καὶ τὴν νοερὰν τε καὶ ἀόρατον παραπλησίῳ σοφίας πλούτῳ παρήγαγεν. ἀλλ' ὅτι καὶ τὸ ἀνθρώπινον σῶμα τῆς αὐτῆς ἐστι φιλανθρώπου καὶ

1. Edit. Wolf. ἠξίωσαν αἳ: quod non videtur.

EJUSDEM,

adverſus Manichæorum nuper gliſcentem errorem.

ARSENIO

ſanctiſſimo monacho, presbytero & abbati.

LIBER IV.

I. QUoniam, ſacerdotum dilectiſſime, diſputationes (meas) habere voluiſti, Manichæi equidem propagines animi cogitata pudore deprimunt. Dudum ſcilicet cum Nicephoro familiariter habitæ ſunt, nondum ſane ex hac appellatione cognito; neque enim fidem amplectebatur, quæ vicit mundum: ſed dum adhuc apoſtaſiæ reliquiis involutus eſſet, inde etiam appellationem trahebat, dicebaturque Berzelis. Quoniam igitur diſputationes illas in ſcriptum redactas requiſiſti, ſed rapina librorum illis quoque exſilii multam intulit, nec libellus ad manus eſt; tu vero inter multa quæ in eo offerantur, potiſſimum opus habes iis omnibus, quæ per evangelica & apoſtolica dicta Manichææ rebellionis radicitus germina ſuccidunt: (ea namque ſunt quæ præ ceteris contra illos inevitabilem excidii falcem immittunt:) ea, ut compendio dicam, oſtendunt; Quod Evangelium Moſaicæ de rerum origine narrationi conſonat, & reliquis omnibus, quibus nove ſtabilita politia cognoſcendi Deum, eruditur & dirrigitur: immo quod corpoream & viſibilem creaturam ille eſt qui verbo ex non exſtantibus ſubſiſtere fecit, qui etiam intellectualem & inviſibilem ſimilibus ſapientiæ divitiis produxit. Præterea etiam, quod humanum corpus ejuſdem eſt benignæ ac beneficæ providentiæ, perinde

ἀγαθουργοῦ προνοίας, ὥσπερ καὶ ἡ ψυχὴ, φιλοτίχνημα, καὶ ὡς οἱ τῇ νομικῇ πολιτείᾳ διαπρέψαντες, Θεόν τε τὸν ἀληθῆ καὶ ἀγαθὸν ἐθεράπευον, καὶ κατὰ τῆς πονηρίας παρετάττοντο. ταῦτα δὴ ταῦτα, καθόσον οἷόν τέ ἐστιν ἡμῖν, καὶ ἡ τοῦ καιροῦ συγχωρεῖ βαρύτης, καθυποβάλλοντες ἐκδόσει· [ἐν τούτοις γὰρ οἶμαι περιγράφεταί σου καὶ τὸ αἴτημα·] τῇ σῇ διεπεμψάμεθα ὁσιότητι. καὶ εἰ μὲν ἄποις, ὡς ἤλπισας· τῆς σῆς ἂν εὐχῆς εἴη, καὶ τῆς κατὰ τὴν πίστιν αἰτήσεως ἡ ἐνέργεια. εἰ δὲ τὰς ἐλπίδας ἐκνικήσει τὸ ἀδόκητον· τοῦτο δὴ ταῖς τε συνεχέσιν ἀῤῥωστίαις, αἷς οὐ λήγει παρενοχλοῦν ἡμῶν τὸ σωμάτιον, καὶ τῇ τοῦ καιροῦ λογίζου χαλεπότητι. ἄν δή ποτε τῆς θείας ἐπισκοπῆς παρορώσης μὲν οἷς ἁμαρτάνομεν, εὐμενέστερον δὲ διατιθεμένης τὰ ἡμέτερα, καὶ τὴν ἀνθρωπίνην καὶ ἀναίτιον ὀργὴν διαλυούσης εἰς πρᾳότητα, τὸ κατ᾽ ἀρχὰς αἰτηθὲν ταῖς σαῖς χερσὶ περιενεχθείη, μηδὲν θαυμάσῃς ἀναλεγόμενος, εἰ [1] τὰ πλείω τῶν ἐν αὐτῷ κἀνταῦθα συμπεριείληπται, ἀλλὰ τοὐναντίον, εἰ μὴ παρεῖται. λήθη γὰρ πολλάκις καὶ τῶν ἄμεινον εἰδέναι καὶ τῶν ἀναγκαίων ἐπεκράτησε, μάλιστά γε συμμαχίαν τὴν ἐκ τῶν παρόντων εἰ συνεπάγοιτο. ἅμα δὲ μηδὲ ἐκεῖνο δίδου παρορᾷν, ὅτι μὴ προάγειν ἄλλην πραγματείαν, ἀλλ᾽ ὡς ἐν ἀπόροις, τῆς ἐστερημένης παραμύθιον καὶ λήθης φάρμακον ἑαυτοῖς καὶ φίλοις ἀντεισάγοντες.

atque anima, solertissimum opus. Ad hæc, quod universi qui sub legali politia eminuerunt, Deum verum & bonum coluerunt, & adversus malitiam in acie steterunt. Hæc eadem, quantum per nos fieri potest & præsentis temporis difficultas permittit, pro argumento nobis tractandorum proponentes, (in his enim ut puto consistit & postulatio tua) ad tuam transmisimus sanctitatem. Ac si talia quidem inveneris, quemadmodum sperasti, virtute utique fuerit orationum tuarum, & petitionis tuæ secundum fidem. Quod si spem vincat quod non exspectabas; hoc sane & continuis infirmitatibus, quibus vexat nos jugiter nostrum corpusculum, & temporum difficultatibus tribuendum existima. Quod si umquam, (divina providentia dissimulante peccata nostra, de rebus nostris benignius aliquid disponat, resolvatque humanam & immeritam iracundiam in benignitatem,) quod ab initio petisti ad tuas manus pervenerit, legens nihil admiraberis, si plurima eorum quæ ibi sunt, heic quoque comprehenduntur, immo vero contra, si non compareant. Oblivio enim sæpe obtinet & in iis, quæ melius est scire aut necessaria sunt, protissimum si ex præsentibus una secum conflictum ducat. Simul vero nec illud non attendendum putes, quod haud aliam commentationem procudere decrevimus, sed veluti in rebus perplexis, aliud quid ad consolationem deperditæ, & pro oblivionis remedio tam nobis quam amicis subrogare voluimus.

Ἀρχὴ δὲ ἡμῖν τῆς κατὰ τῶν ἀντιπάλων παρατάξεως αὐτὰ τὰ δεσποτικὰ ἔργα καὶ ῥήματα. οὔτε γὰρ ἡμῖν ἀλλαχόθεν στρατηγεῖσθαι βέλτιον, οὔτε τοῖς πολεμίοις βάλλειν εὐστοχώτερον, ἀλλ᾽ οὐδὲ ἐκείνους πίπτειν φοβερώτερον ἢ ἀθλιώτερον. ὅρα γοῦν πῶς ἐξ αὐτῆς συμβολῆς ὁ βασιλεὺς τῶν ὅλων, καὶ σωτὴρ ἡμῶν καὶ στρατηγὸς τὸν χάρακα τῶν ἐχθρῶν ἐξ αὐτῶν κρηπίδων ἀνασπᾷ καὶ καταστρέφει, καὶ συγχεῖ τὸ φρόνημα, καὶ διασκεδάζει τὸ θράσος τῶν ἀποστατῶν. τί βουλεύων καὶ τίνα τέχνην κινῶν, οὐδὲν μεμηχανημένον, οὐδὲ δι᾽ ἀγώνων καὶ καμάτων προϊὸν, ἀλλ᾽ ἅμα τε φωνὴν ἀφίησι μόνον, καὶ πάντα τὰ τῶν πολεμίων ἠφάνισται. πᾶσα γάρ φησι, βασιλεία μερισθεῖσα καθ᾽ ἑαυτῆς ἐρημοῦται, καὶ πᾶσα πόλις ἢ οἰκία μερισθεῖσα καθ᾽ ἑαυτῆς οὐ σταθήσεται. ὁρᾷς ὅπως ὁ φθόγγος ἠχήσας μόνον τῆς σάλπιγγος τῆς βασιλικῆς, τὸ χαράκωμα τῶν ἐχθρῶν διέφθειρέ τε καὶ ἐξερήμωσε; καὶ τί λέγω χαράκωμα; ἀλλὰ καὶ τὴν πόλιν, καὶ αὐτὸ τῆς ἀποστασίας, ὅπερ ταῖς αὐτῶν δυσσεβεστάταις καὶ πεπλασμέναις ἐπινοίαις ἀνεπλάσαντό τε καὶ ὠχύρουν, βασίλειον. εἰ γὰρ βασιλεία μεριζομένη ἐφ᾽ ἑαυτῆς οὐχ ὑφίσταται, ἀλλ᾽ αὐτὴ περὶ αὐτὴν θᾶττόν τε καταῤῥεῖ καὶ ἀφανίζεται, ἡ δὲ δημιουργὸς τῶν ὅλων ἀρχὴ καὶ βασιλεία δι᾽ αἰῶνος μένει, ὡς ἂν οὐδ᾽ αὐτὸ τὸ τῆς ἀποστασίας ἀποθρασυνθείη ἐξαρνήσασθαι· οὐδὲ γὰρ οὐδὲ μέχρι νῦν ὁ πάντα νεωτερίζων χρόνος οὐδένα παρέδειξεν εἰς τοιαύτην λύσσαν ἐκλυσσήσαντα. εἰ οὖν ἡ τοῦ ἀγαθοῦ ἀρχὴ, ὡς πᾶσιν ἐπίδηλον, κρείττων πάσης διαλύσεως, πῶς οὐ μᾶλλον ἐπιδηλότερον, ὡς αἷς αὐτοὶ τὸ ὁλόκληρον ταύτης ταῖς τόλμαις διασπαράσσοντες πονηρὰν ἀρχὴν σκηνοποιοῦσιν καὶ παρασηγνύουσι, τὴν μὲν τοῦ κοινοῦ καὶ ἀγαθοῦ δεσπότου βασιλείαν προπηλακίζειν μανίαν εἵλοντο, ἣν δὲ ἀντανιστῶσιν, ἅμα τε πλάττουσι καὶ ἅμα λύουσιν. ἀμερίστου γὰρ τῆς τοῦ ἀγαθοῦ βασιλείας συντηρουμένης, ὁδὸς γὰρ ὁ μερισμὸς εἰς διάλυσιν, ὅτι τε τὸ [2] ἄλυτον τὸν μερισμὸν ἀποπέμπεται, καὶ πρό γε τῆς ἐπιβολῆς ταύτης ὁ δεσπότης εἰπεῖν, τὸ μεριζόμενον διαλύεσθαι.

II. Initium jam nobis instruendæ contra adversarios aciei ab ipsis fiat dominicis actis & verbis. Neque enim aliunde melius est ut bellum ordiamur, neque in adversarios scite magis licet jacula conjicere, aut illi possunt terribilius infeliciusque cadere. Contemplare ergo, quomodo primo statim congressu rex universorum idemque salvator & imperator noster, adversariorum vallum ab ipsis fundamentis convellat evertatque, & confundat cogitata, dissipetque audaciam apostatarum: quid item sibi volens & quam artem movens, nullis machinamentis, nullo præliorum laborumve processu, sed simul atque vocem tantum emittit, omnia adversariorum evanescant. [a] *Omne enim inquit regnum divisum contra se, desolatur; & omnis civitas vel domus divisa contra se, non stabit.* Viden' quomodo tonus vocis insonans dumtaxat regalis tubæ, vallum adversariorum dissipavit desertumque effecit? Et quid dico vallum? immo vero etiam civitatem, & ipsammet apostasiæ regiam, quam suis impiissimis & commentitiis excogitationibus effinxerant ac munierant. Si enim regnum divisum contra seipsum, non subsistit, at ipsum suo in loco citius dilabitur & evanescit, creatrix vero omnium Imperium atque regnum jam tota manet æternitate, ut ne ipsa quidem apostasia inficias ire auderet: (neque enim hactenus quod universa innovat tempus, ullum ostendit qui in tantam rabiem exarserit:) si ergo Boni imperium, ut omnibus liquet, majus est omni dissolutione; quomodo non amplius liquere debet, quod quibus ausibus isti, ejus integritatem dilacerando, malignum imperium in scena repræsentant & consarcinant, regnum quidem communis ac boni Domini contumeliis lacessendi vesanam mentem induerunt; quod vero vicissim stabilire enituntur, uno eodemque tempore compingunt & dissolvunt? Indiviso namque boni Dei regno conservato, (divisio enim via est ad dissolutionem) quod indissolubile divisionem respuat, etiam ante hujusmodi novitatem Dominus, ait dissolutum iri quod dividitur. Ipsa quoque crea-

a Matth. xii. 25. seqq.

1. Ms. εἰς.

2. Ms. τὸν.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 890.

λύεσθαι· καὶ ἡ κτίσις τοσούτοις αἰῶσιν ἐξ αὐτῆς παραγωγῆς κατά γε τὴν ὁλοκληρίαν κρατεῖν τῆς λύσεως ἐκληρώσατο. ὁρᾶται δὲ περιφανῶς καὶ τοῖς οὐρανίοις ἀλληλουχούμενά τε καὶ συνεχόμενα τὰ ἐπίγεια, τά τε νοερὰ καὶ νοητὰ τῶν σωματικῶν καὶ ταῖς αἰσθήσεσι κρινομένων διὰ τῆς ἀδιαδόχου προνοίας οὐ διϊστάμενα, ἀλλὰ καὶ περιφανεστάτην φέροντα τὴν συνάφειαν. οὐ μὲν [1] ἀλλά γε καὶ αὐτὸ τὸ λογικὸν ζῶον, ὁ ἄνθρωπος, ἐξ ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων μερῶν ἡρμοσμένος συνέστηκεν. εἰ οὖν ἡ τοῦ ἀγαθοῦ Θεοῦ δημιουργία τε καὶ βασιλεία τομὴν καὶ μερισμὸν οὐκ ἐπιδέχεται· ἣν δὲ αὐτοὶ ἀναπλάττουσι, μερίδα τινὰ τῆς ὅλης δημιουργίας τῇ γλώσσῃ ἀποσπαράξαντες, τοῖς τῆς ἀποστασίας προάγουσι ῥήμασι, καὶ ἐχθρὸν ἐν αὐτῇ βασιλεύειν καθιδρύουσι· πῶς αὐτὴ καθ᾽ ἑαυτὴν δέξοιτο στάσιν αὐτῇ; πῶς δ᾽ ἂν ὑποσταίη, αὐτὴν τὴν γένεσιν ἐκ μερισμοῦ καὶ λύσεως λαβοῦσα καὶ τομῆς καὶ διαιρέσεως, ἃ καὶ τὸ ὁλόκληρον εἰς φθορὰν καταστρέφει, προελθοῦσα καὶ ἀποῤῥυεῖσα, εἰ καὶ μὴ δυσφημούσης γλώσσης ὑπῆρχεν ἀνάπλασμα; πῶς δ᾽ οὐχ ὥσπερ ἡ τοῦ ἀγαθοῦ ἀρχὴ τῷ ἀδιαλύτῳ συνέχεται, καὶ προϊοῦσα μᾶλλόν τε διαμένει καὶ μεταβάλλει προκόπτουσα πρὸς τὸ ἄμεινον· οὕτως καὶ ἣν καινίζει τῶν θεοβλαβῶν ἡ ἀπόνοια, οὐχὶ τὴν ὕπαρξιν ἐν αὐτοῖς μόνοις τοῖς βλασφήμοις ὀνειροπολήσασα χείλεσι, θᾶττόν τε προῆλθεν, εἰς ἀφανισμὸν καταδύσεται, καὶ γέλωτα καὶ χλεύην τοὺς ἐραστὰς καταλιποῦσα οἰχήσεται, δίκην ὥσπερ ταύτην αὐτοὺς ἀντεισπράττουσα τῆς συμπεπλασμένης καὶ ἀνυποστάτου ἀναῤῥήσεως, δι᾽ ἧς μάτην αὐτῇ, μᾶλλον δὲ δυσσεβῶς καὶ ἀθέως τὸ τῆς βασιλείας [2] ὄνομα, οὐδὲ θεραπαινίδος ἐχούσῃ χώραν, περιέθεντο; οὕτω καταστρέφειν στρατόπεδον τῶν ἐχθρῶν ἡ παντοκρατορικὴ καὶ στρατηγὸς οἶδε, καὶ τῶν ἄλλων κατεξουσιάζουσα ἀρχή. οὕτως σκυλεύειν τοὺς ὑπασπιστὰς καὶ δορυφόρους, καὶ ὧν ἐκείνη ἀγώνισμα, στηλιτεύειν τε καὶ παραδειγματίζειν, καὶ ταῦτα διὰ μιᾶς φωνῆς τὸ κράτος ἄμαχον ἐπιδείκνυσιν. ἔδει μὲν οὖν τοὺς ἀποστάτας αὐτοβοεὶ καθορῶντας τὰ αὐτῶν ἀνατραπέντα, καὶ μηδὲ πρὸς τὸν ἦχον ἀντισχόντα τῆς σάλπιγγος τῆς βασιλικῆς, μήτε αὐτὰ μήτε τὴν βασιλείαν, ἣν πρὸς νεωτερισμὸν ἰδόντες, ἑαυτοῖς ἀνετυπώσαντο, ἀλλὰ πάντων αὐτοῖς εἰς ἐρήμωσιν περιεστηκότων, μηκέτι προσφιλονεικεῖν, μηδὲ τῆς τυραννίδος ἀφανισθείσης πρὸς τὸν τύραννον ἐπιστρέφεσθαι, ἀλλὰ τὸν κοινὸν δεσπότην ἐπιγνόντας προσδραμεῖν αὐτοῦ τῇ βασιλείᾳ, καὶ δι᾽ ἐπιστροφῆς γνησίας καὶ θερμῆς μετανοίας ἀνομολογῆσαι μὲν ἑαυτοὺς τῆς αὐτοῦ χειρὸς εἶναι καὶ πλάσμα καὶ δημιούργημα, διακυβερνᾶσθαι δὲ καὶ διεξάγεσθαι τῇ αὐτοῦ προνοίᾳ καὶ φιλανθρωπίᾳ, μισῆσαι δὲ καὶ ἀποστραφῆναι τέλεον τὸν ἐχθρὸν, ὡς μηδὲν οἷς πράττουσι κατὰ τὸν βίον μηδεμίαν αὐτῷ καταλιπεῖν ἐξουσίαν, ἀλλὰ μηδὲ πάροδον.

Εἰ δ᾽ ὁ βαθὺς αὐτῶν ἐπικρατήσας τῆς ἀποστασίας σκότος, οὕτως αὐτῶν ἠμαύρωσε τὰ νοήματα, ὡς καὶ τῆς τυραννίδος ἤδη λελυμένης τε καὶ ἠφανισμένης, μηδ᾽ οὕτως αὐτὴν ἀνανήφουσιν ἐξομόσασθαι, ἀλλ᾽ ὑπ᾽ ἐκείνην μᾶλλον ἢ τὴν τοῦ ἀγαθοῦ βασιλείαν νεανιεύονται τάττεσθαι· φέρε, δείξωμεν τὸν βασιλέα τῶν ὅλων ὅπως ἀρνουμένους αὐτοῦ τὴν βασιλείαν, οὐ μέχρι τοῦ καταστρέψαι τὴν ἀρχὴν αὐτῶν καὶ ἐξαφανίσαι καὶ σκυλεῦσαι τούτους τὴν δίκην ἵστησιν, ἀλλὰ μετὰ τὴν πολλὴν μακροθυμίαν καὶ ἀνοχὴν ἀνιάτως ἔχουσι τὴν σφαγὴν ἐπαφίησιν. Ἴσως κἂν γοῦν ταύτην αὐτοῖς ὁρῶντες ἐπιφερομένην, συναίσθησίν τινα τοῦ τολμήματος λάβωσι, καὶ μηκέτι

A tura per tot sæcula inde ab ipsa productione integre perfecteque dissolutione superiorem esse sortita est. Conspiciuntur vero etiam evidenter cælis respondere & contineri terrestria; & quæ mente cogitationeque percipiantur a corporeis, & iis quæ sensibus dijudicantur propter perpetuam providentiam non diffidere, quinimmo manifestissimam connexionem exhibere. Quin etiam ipsummet rationale animal homo, ex visibilibus ac invisibilibus partibus aptatus consistit. Si ergo boni Dei opificium & regnum sectionem & divisionem non admittit; illud vero quod ipsi comminiscuntur, de toto opificio portionem aliquam lingua dilacerantes, apostasiæ verbis producunt, atque hostem in illo
B regnare constituunt; quomodo ipsum per se sibi stabilitatem comparare queat? quomodo subsistet, cum productionem suam ex ipsa divisione & dissolutione accipiat, a sectione item ac divulsione, quæ & quod integrum totumque est in corruptionem vertunt, procedat & dimanet, quantumvis non esset blasphemantis linguæ figmentum? quomodo non etiam, sicut boni Dei imperium sua indissolubilitate conservatur, processuque multo magis durat ac proficiens ad ampliorem pervenit perfectionem; ita quoque illud quod novum impiorum stultitia fingit, nonne exstantiam suam in solis blasphemis labiis ipsorum per somnium accipiens, citius quam prodiit, in nihilum redigendum erit,
C risumque & cachinnum suis amatoribus relinquens evanescet, hanc quodammodo pœnam ab illis vicissim repetens fictitiæ & insubsistentis prærogativæ, per quam incassum ei, atque adeo impie & scelerate reginæ nomen imposuerunt, cum ne mancipii quidem locum teneat? Adeo avertere hostium castra novit imperatorius ac ducalis, & qui in ceteris potestatem habet, dominatus: adeo spoliare scutiferos & hastatos, eosque qui pro illo regno pugnant, debellare & in triumphum palam traducere; & quidem unica voce, imperium se habere invictissimum demonstrat. Oportebat igitur apostatas primo statim clamore videntes subverti sua, ac ne posse quidem sustinere sonum regalis tubæ
D nec ipsa nec regnum, quod novitati morem gerentes sibi ipsi imaginaverant; quin etiam omnibus suis in desolationem redactis, non amplius ambitiose contendere, neque sublata jam e medio tyrannide in tyrannum oculos intendere: sed communem Dominum recognoscentes ad illius regnum confugere, & per sinceram conversionem fervidamque pœnitentiam confiteri, se quidem illius manus esse & figmentum & opus, gubernari vero se suaque omnia administrari ipsius providentia & benignitate: præterea odisse atque abominari hostem quantus quantus est adeo, ut in omnibus vitæ suæ actibus nullam relinquerent ei potestatem ac ne obrependi quidem locum.

E III. Quod si tenebræ profundissimæ eorum apostasiæ præpollentes, adeo cogitationes illorum obduxerunt, ut tyrannide etiam jam dissipata & evanescente, ne sic quidem resipiscant, ut eam ejurare velint; sed illi potius, quam regno boni Dei subesse ferociant: age dum ostendamus, rex universorum qualiter abnegantibus ipsis illius regnum, non in eo vindictam sistat, ut Principium illorum subvertat extermineque, ac eos spoliet, verum etiam post diuturnam patientiam, dum curari nolunt, jugulationi subjiciat. Fortasse saltem dum sic sese mactari vident, conscientiam aliquam audaciæ suæ induent, nec amplius sive cogitare sive dicere

1. Lege μὲν.

2. Wolf. putat βασιλίδος.

μή τι διανοηθείης μή τι λέγοιες μὴ θέλειν ἐπ' αὐτοὺς βασιλεύειν, μηδ' ἄρχειν αὐτῶν τῶν σωμάτων, μηδὲ τῆς ἄλλης ὁρατῆς κτίσεως τὸν δημιουργὸν καὶ βασιλέα τοῦ παντός. ὅρα γὰρ μεθ' ὅσης τῆς ἀποτομίας καὶ σφοδρότητος τὴν τιμωρὸν ἐπάγει ψῆφον κατ' αὐτῶν ὁ φύσει φιλάνθρωπος. τοὺς ἐχθρούς μου φησὶν ἐκεῖνος, τοὺς μὴ θελήσαντάς με βασιλεῦσαι ἐπ' αὐτοὺς ἀγάγετε ὧδε, καὶ κατασφάξατε ἔμπροσθέν μου. τί λέγεις; φρίττεις τὴν ψῆφον, καὶ φεύγεις τὴν σφαγήν; καὶ τοῦ διχάζειν ἀφίστασαι τὴν βασιλείαν τοῦ ἀγαθοῦ Θεοῦ; καὶ πρὸς ἐπιστροφὴν ὁρᾷς, ἐφ' ᾧ τὴν δεσποτικὴν ἀρχὴν ὁλόκληρον μὲν ὁμολογεῖν, καὶ τῶν σωμάτων δὲ καὶ τῆς ψυχῆς ἀναφέρεσθαι τὴν κυριότητα εἰς αὐτήν; ἢ μέχρι τοῦ παθεῖν ἃ παθεῖν ἀθλιώτατον, καὶ ἃ μή ἐστι μηδὲ ῥήματι δηλῶσαι χαλεπώτερον, φιλονεικεῖς; καὶ γὰρ οὐδ' ἀποκτείνει μόνον, οὐδὲ τῆς παρούσης ἀπάγει ζωῆς, ἀλλὰ μετὰ τὸ ἀποκτεινῦναι ἐν ἀτελευτήτῳ καὶ ἀδιαδόχῳ γεέννῃ πυρὸς, καὶ τὴν ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα τιμωρεῖσθαι παραπέμπει. ἀλλὰ γὰρ ἐγώ σοι καὶ ἕτερα πλείονα εἴτε βέλη βούλει τιτρώσκοντα καὶ ἐξαφανίζοντα πολυτρόπως τε καὶ πολυμερῶς ἔτι τόσον ἀσεβὲς φρόνημα, εἴτε σωτήρια φάρμακα τῆς νόσου καὶ ἰάματα ἐκ τῆς αὐτῆς φιλανθρώπου καὶ παντοκρατορικῆς γλώσσης λαβὼν, ἂν ἄρα σοι τῆς ὑγείας ἔρως, ἀντὶ τοῦ κατακεῖσθαι τετραυματισμένῳ, περιγέγονε, προοίσω, καὶ πρὸς τὴν ἀπαλλαγὴν συναγωνίσομαι τοῦ νοσήματος.

A audeant, quod nolint super se regnare, aut imperare corporibus suis alterive visibili creaturæ conditorem & regem universi. Conspice namque quanto rigore & severitate sententiam fert adversus illos, benignus ceteroqui natura. *Inimicos meos*, ait ipse, *qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & jugulate coram me.* Quid dicis? Horres sententiam, & jugulationem fugitas, definisque in duo partiri regnum boni Dei, & ad conversionem respicis, itaut Domini imperium plenarium confitearis, & corporum æque atque animarum dominium ad illud referas? vel contra niteris, usquedum patiaris ea, quæ pati miserrimum est, & quo tristius ne verbis quidem exponere quidquam licet? B Neque enim occidit dumtaxat, aut a præsenti hac vita abducit; sed etiam postquam occidit, in æternam perpetuamque gehennam ignis & animam & corpus ad puniendum mittit. Ego vero tibi alia multa, sive mala mavis vulnerantia & exterminantia multifariam multisque modis adhuc cogitationem adeo impiam; sive salutaria pharmaca & medicamina morbi istius, ex eadem benigna & omnipotenti lingua accipiens, si forte tibi amor salutis superfit, potius quam prosterni vulneratum velis, proferam, nitarque ut ab infirmitate convalescere queas.

C

Ἐκήρυσσε τὸν Χριστὸν ὁ Ἰωάννης μήπω τῆς χάριτος μετασχὼν, ἀλλ' ἔτι τῷ νόμῳ παιδαγωγούμενος. ἐκήρυσσε δὲ θεολογῶν μὲν αὐτὸν οἷς τοῦ κόσμου τὴν ἁμαρτίαν αἴρειν ἅπασι διεμαρτύρατο, καὶ οἷς αὐτὸν υἱὸν Θεοῦ καὶ ἐν πυρὶ καὶ ἐν ἁγίῳ βαπτίζοντα πνεύματι, τουτέστι τῇ ἐμπύρῳ καὶ πρηστηρίῳ τοῦ πνεύματος δυνάμει, τὴν καταπεσοῦσαν ἡμῶν φύσιν ἀναχωνεύοντά τε καὶ ἀνακαινίζοντα ἐλευθέρᾳ φωνῇ ἀνεδίδασκεν. ἐκήρυσσε δὲ καὶ τὸν πατέρα, θεολογῶν τε αὐτὸν, καὶ ἐκ τῶν λίθων ἐγεῖραι τέκνα τῷ Ἀβραὰμ τὴν ἰσχὺν ἀκώλυτον ἔχοντα. καὶ τὸ πνεῦμα δὲ, οἷς τε ἐξ οὐρανοῦ προελθεῖν ἐθεάσατο, καὶ οἷς ἐπὶ τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν μονογενῆ ἐπεφοίτησέ τε καὶ ὡς ὁμοουσίῳ προσέμενε· καὶ, τό γε θεολογικώτερον, οἷς κοινωνὸν αὐτὸ τῆς ἐργασίας ἀνομολογεῖ [1], δι' ἧς ἡ σωτηρία τοῦ κόσμου ἐπαρρησιάζετο. καὶ γὰρ κοινὴν αὐτοῖς τὴν τῶν ἀνθρώπων σωτηρίαν ἀνατιθησιν. εἴπερ ὁ μὲν αἴρει τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, αὕτη δὲ τῷ παναγίῳ πνεύματι καθαίρεταί τε καὶ ἀποσμήχεται. καὶ γὰρ λαμπρῶς ἀνακέκραγεν· ὡς ὁ κόσμος τῆς ἁμαρτίας τὴν ἐλευθερίαν δεχόμενος, καὶ τῆς σωτηρίας ἀξιούμενος, τῷ παναγίῳ πνεύματι εἶτα καὶ πυρὶ βαπτιζόμενος, δι' οὗ τὴν πυρφόρον καὶ δραστικὴν καὶ καθάρσιον τοῦ πνεύματος ἰσχύν ἐστιν ἐκμανθάνειν, τῆς τηλικαύτης εὐεργεσίας ἀπολαύουσιν. ὧν δὲ τὸ ἔργον κοινὸν καὶ ἀμέριστον, καὶ τότε κόσμου ἀνακαινισμὸς καὶ ἀνάπλασις, πῶς οὐχ ἡ αὐτὴ μὲν τούτοις φύσις, αὐτὴ δὲ ἡ ἰσχὺς, ἡ αὐτὴ δὲ φιλανθρωπία καὶ πρόνοια; οὕτω γοῦν ἐξ αὐτῆς ἑστίας θεολογῶν τὴν τριάδα, καὶ τὸ τῆς θεολογίας φρικτὸν καὶ σεπτὸν μάθημα ἐν προθύροις τοῦ κηρύγματος ἀπαγγέλλων, ὃ μετὰ τὴν ἀνάστασιν τοῖς μαθηταῖς ὁ σωτὴρ τηλαυγέστερον παρεδίδου, ἆρά σοι ἄλλοθεν ἐπιπνεῖσθαι ταῦτα καὶ λέγειν καὶ κηρύσσειν δόξειεν, ἢ ὡς ὁ νόμος ἀσύμφωνος ὑπάρχει τῇ χάριτι, ἢ ὡς ὁ ἐκ λίθων ἐγείρων τέκνα τῷ Ἀβραὰμ Θεὸς, οὐχ ὁ αὐτὸς υἱὸν ἑαυτοῦ εἶναι καὶ ἀγαπητὸν τὸν σωτῆρα τοῦ κόσμου πᾶσιν ἐτράνωσεν; εἰ δὲ οἱ ἐν τῷ νόμῳ τῆς χάριτος κήρυκες, καὶ ὁ νομοθέτης Θεὸς, ὁ πᾶσαν τὴν παλαιὰν διαθέμενος, τὸν ἀγα-

IV. Prædicabat Christum Joannes necdum gratiæ participes effectus, sed adhuc sub legis degens pædagogo: prædicabat vero Deum ipsum esse ostendens, quatenus attestabatur omnibus quod ille tolleret peccatum mundi, & quatenus eum Dei filium ac in Spiritu sancto & igne baptizantem, (id est ignea & ferventi Spiritus virtute,) projectam naturam nostram refundere quodammodo ac renovare libera edocebat voce. Prædicabat porro etiam patrem, Deum illum esse affirmans, facultatemque habere liberam ex lapidibus filios Abrahamo excitandi: Spiritum item, quatenus illum cælitus D descendentem viderat, venientemque super filium Dei unigenitum, & in eo quippe consubstantiali manentem, immo, quod ad rationem divinitatis comprobandam opportunius se habet, quatenus socium illum operis fatetur, per quod salus mundi efficaciter agebatur. Ex æquo enim ipsis humanam salutem acceptam fert: siquidem alter quidem tollit peccatum mundi, istud vero sancto Spiritu purgatur & deletur. Clamabat namque perspicue, quod mundus accipiens liberationem a peccato, & dignus habitus salute, sancto Spiritu tum & igne baptizatus, (per quod igneam vim & efficacem ac purgatricem sancti Spiritus licet intelligere,) tanto E hoc fruitur beneficio. At quorum opus commune est & indivisum, & quidem mundi renovatio & reformatio, quomodo non eadem sit iisdem natura, eadem virtus, eadem benignitas & providentia? Hoc igitur modo ipso statim in limine de Deo Trinitate loquens, atque istud Theologiæ terribile ac venerabile documentum in ipso prædicationis vestibulo annuncians, quod post resurrectionem discipulis Salvator luculentius commendavit; numquidnam tibi aliunde hæc illi fuisse inspirata, isque ea dicere aut prædicare videri possit? quod lex cum Gratia non concordet? vel quod Deus ipse qui ex lapidibus filios Abrahamo excitat, non manifeste docuerit filium suum esse, & quidem dilectum mundi Salvatorem? Quod si gratiæ præcones qui sub Lege erant, atque legislator ipse Deus qui totum disposuit vetus testamentum, bonum Deum ac

1. Ms. ἀνομολογῶν.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 890.

θὸν Θεὸν καὶ λυτρωτὴν τοῦ κόσμου τὸν ἴδιον ἀνεκήρυξε, καὶ τότε βαπτιζόμενον ἐν τῷ ὕδατι, πῶς οὐχὶ καὶ τὰ ἐν τῷ νόμῳ πάντα, καὶ τὰ ἐν τῇ χάριτι, τῆς αὐτῆς εἰσι προνοίας καὶ δημιουργίας καὶ ἀγαθότητος ἔργα καὶ διατάγματα;

Συνεπισκόπει δὲ καὶ ὅσοις τὸν Ἰωάννην ἐγκωμίοις ὁ σωτὴρ στέφει, κρείττω μὲν ἐπιψηφιζόμενος χρημάτων, πάσης δὲ περιγείου δόξης ὑπεριδρύμενον, στεῤῥὸν δὲ τὴν ἐπὶ τῇ πίστει κρίσιν, καὶ ἁπλῶς τὴν ἐπ' ἀγαθοῖς πᾶσι γνώμην ἀκλόνητον. τούτοις δὲ αὐτὸν ἀνακηρύξας, ὅρα πῶς ἐπὶ μείζω τὸν ἄνδρα ἐπαίρει, καὶ τῶν ἐν γεννητοῖς γυναικῶν οὐδένα τίθησιν ἐξισούμενον, ἀλλὰ κατὰ πάντων τὸ πρεσβεῖον φέροντα. εἶτα πρὸς ἀρετὴν αὐτὸν οὕτως ἀνυψώσας, καὶ προφήτην ἀποκαλεῖ καὶ προφήτου περισσότερον. προφήτην μὲν, ἵνα δείξῃ τὸ τῶν προφητῶν ὄνομα καὶ τὴν χρείαν τοιούτοις ἔργοις καὶ ἀξιώμασιν, ἃ τῆς ἀγαθότητός ἐστι δῶρα, προσαρμοζόμενον. προφήτου δὲ περισσότερον, ὅτι τὴν ἴσην ἐκείνοις χάριν λαβὼν τοῦ προορᾷν τὰ ἐσόμενα, πλέον εἵλκυσε τὸ καὶ τὸν προφητευόμενον ἰδεῖν, καὶ τὸ καταξιωθῆναι ὕδατι βαπτίσαι τὸν πυρὶ καὶ πνεύματι ἁγίῳ τὸν κόσμον βαπτίζοντα, καὶ τῶν ἁμαρτημάτων καθαίροντα. ἆρα οὖν ἡ χάρις τῷ νόμῳ διαμάχεται; ἢ οὐ πολλή τις ἐστιν ἐν αὐτοῖς συμφωνία καὶ συνάφεια; πῶς δ' εἴπερ ἦν ὁ Ἰωάννης ἄλλης ἀρχῆς, ὁ τῆς χάριτος νομοθέτης ταῦτα προσεμαρτύρησεν αὐτῷ, ἃ [1] ὀλίγοις ἐστὶν εὑρεῖν, καί ταῦτα τοῖς ἐκλεκτοῖς τῶν ἐν τῇ χάριτι κατορθούμενα; πῶς δ' ἂν ἠνέσχετο παῖς ὢν ἀγαθὸς ἀγαθοῦ πατρὸς καὶ πηγὴ ἀγαθότητος, τῇ νομικῇ καὶ χειρὶ καὶ φωνῇ, ὃ οἱ ἀποστάται τῆς ἀντικειμένης ἔργον τολμῶσι λέγειν καὶ πρόσταγμα, τὴν ἄχραντον αὐτοῦ κεφαλὴν ὑποκλῖναι, καὶ τὸ ἐξ ὕδατος ὑποστῆναι βάπτισμα· ὢ γλώσσης ἰὸν ἀσπίδος προχεούσης· οὐκ ὄντος τοῦ ὕδατος τῆς τοῦ ἀγαθοῦ δημιουργίας;

Ἀλλὰ γὰρ, τί τὸ μεῖζον οὐ λέγω; ἔστι δὲ τὸ αὐτὸ τῷ τε λέγοντι χωρὶς φρίκης εἰπεῖν ἀπορώτατον, καὶ καθ' ὧν ἡ πλάνη χορεύει, σφοδρότατόν τε καὶ τμητικώτατον, καὶ ὅσον ῥηθῆναι χρειωδέστατόν τε καὶ σεβασμιώτερον. γεγέννηται μὲν γὰρ ὁ τοῦ ἀγαθοῦ πατρὸς ἀγαθὸς υἱὸς ἐκ παρθενικῶν λαγόνων διὰ τὴν τοῦ κόσμου σωτηρίαν, καὶ σάρκα τὴν ἡμετέραν ἐκ τῶν ἀχράντων ἑαυτῷ διαπλάσας αἱμάτων, ἐχρημάτισεν ἄνθρωπος. καὶ τοῦτο τοῖς μὲν πάλαι τῶν ἀσεβῶν παρεγράφετο, τοῖς δὲ ἐκεῖθεν φυεῖσιν, οὐκ οἶδ' ὅπως ἔργῳ τὴν ἄρνησιν ἀγαπῶσι, τῆς ἐν λόγοις τιμῆς οὐκ ἐκβάλλεται. καὶ γὰρ σεμνολογουμένους ἔνεστιν αὐτοὺς ὁρᾷν, οἷς τε τὰς εὐαγγελικὰς γραφὰς τιμᾷν ἰσχυρίζονται, καὶ οἷς τὸν ἀπόστολον καὶ θεοφόρον Παῦλον τοῦ οἰκείου φρονήματος δογματιστὴν καὶ διδάσκαλον καταψεύδονται. σάρκα τοίνυν προσλαβόντος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· καὶ γὰρ ὁ τῆς βροντῆς ἀνακέκραγεν υἱός· καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. καὶ τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ τὴν γένεσιν ἄλλος πάλιν τῶν εὐαγγελιστῶν ἀναγράφει ἐκ πνεύματος ἁγίου γεγονέναι, καὶ τεκεῖν τὴν παρθένον τὸν υἱὸν αὐτῆς τὸν πρωτότοκον, καὶ καλέσαι τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰησοῦν. ὁ δὲ τούτοις ὢν ὁμόχορος καὶ συνθιασώτης, οὐ τὸν ἄληπτον τόκον μόνον ἀπαγγέλλει, ἀλλὰ καὶ τὸν ἀπόῤῥητον καὶ προηγησάμενον ἐπὶ μέρους τρόπον, καθ' ὃν ἐκυοφορήθη, καὶ ὡς τεχθέντα τὸν υἱὸν αὐτῆς τὸν πρωτότοκον ἐσπαργάνωσεν ἡ παρθένος, καὶ ἐν τῇ φάτνῃ ἀνέκλινε, καὶ ὡς σωτὴρ ἐτέχθη τῷ κόσμῳ Χριστὸς κύριος ἐν πόλει Δαβὶδ, τῶν ἀγγέλων

A redemtorem mundi, filium suum esse manifestavit, & quidem in aqua baptizatum; quomodo non etiam universa quæ in Lege erant, & quæ sunt in Gratia, ejusdem sunt providentiæ conditus ac bonitatis opera & documenta?

V. Simul adverte etiam quot laudibus Joannem Salvator coronet, dum illum superiorem divitiis declarat, ultraque omnem mundanam gloriam collocatum, firmum in fidei sententia, ac simpliciter mentem in omnibus bonis stabilem præseferentem. Ubi tantis illum cumulavit præconiis, adverte quomodo magis adhuc hominem extollat, atque inter natos mulierum neminem illi æqualem asserat, sed B eum supra universos primas ferre. Deinde postquam illum ob virtutem tantopere exaltavit, etiam prophetam vocat, & plusquam prophetam. Prophetam quidem, ut ostendat prophetarum nomen & usum hujusmodi operibus ac prærogativis, quæ sunt bonitatis dona, convenire: plusquam prophetam vero, quia cum æquale illis gratiam accepisset prævidendi futura, illud insuper habuit ut eum de quo prophetabat videret, dignusque haberetur qui aqua baptizaret eum, qui mundum igne & Spiritu sancto baptizat, & emundat peccata. Numnam igitur Gratia cum Lege pugnat? an vero potius plurima in ipsis non est concordia & connexio? Quomodo autem si ex alio principio erat C Joannes, Gratiæ legislator tanta suo testimonio de illo perhibuisset, quæ a paucis invenire licet, & quidem electis in Gratia, adeo laudabiliter perpetrata? Quomodo etiam tulisset, cum filius esset bonus boni patris, & fons veritatis, legali & manui & voci, quæ apostatæ contrarii principii opus dicere audent & mandatum, intemeratum caput suum inclinare, & baptismum ex aqua recipere, (O linguam venenum aspidis evomentem!) siquidem aqua ex Boni creatura non sit?

VI. At enim, quid quod majus est prætereo? Est vero id ejusmodi, ut qui dicit sine horrore maximo dicere nequeat; & in quibus error tripu- D diat, contra ea vehementissimum juxta atque acutissimum sit, quodque si dicatur maximo usui futurum est, maximeque venerabile. Natus namque est boni patris bonus filius ex virginali utero propter mundi salutem, carnemque nostram ex intemeratis sibi compingens sanguinibus, homo audiit. Et hoc a priscis quidem impiis repudiabatur; ab iis vero qui inde germinarunt, nescio quomodo re ipsa istud negare dum avent, verborum tamen honore nequaquam privatur. Licet de hoc enim videre eos serio gloriantes, tum quia evangelicas sese scripturas venerari contendunt, tum etiam quia apostolum ac deiferum Paullum suæ sententiæ doctorem ac magistrum esse portentose mentiuntur. E Cum igitur carnem assumserit Dominus noster Jesus Christus, (tonitrui namque filius clamavit, *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*:) & Jesu Christi generationem alius rursus evangelistarum describit, ex Spiritu sancto natum fuisse ait, & virginem peperisse *filium suum primogenitum, & vocasse nomen ejus Jesum*: alius vero ejusdem chori & concionis, non modo incomprehensibilem partum refert, verum etiam ineffabilem & præcedentem ex parte modum, quo conceptus est; quomodo item natum filium suum primogenitum fasciis involverit virgo & in præsepio reclinaverit; qualiter etiam *Salvator natus est mundo, qui est Christus Dominus in civitate David*, ange-

1. Forte deest ἐν.

ὁ δῆμος ἀνύμνωσε. καὶ πρός γε τούτοις, ὃ τοὺς φαντασιαστὰς τοῦ μυστηρίου τὴν χάριν εἰς λῆρον ἀπάγοντας ἔτι μᾶλλον ἐπιστομίζει καὶ καταισχύνει, μεθ' οὓς καὶ τὴν ἐκείνων ἀποσπάδα, καθ' ἧς ὁ λόγος κεκίνηται· τούτους οὖν ὑφὲν ἀποῤῥαπίζων καὶ καταστρεφόμενος, καὶ τὴν κατὰ τὸν νόμον περιτομὴν τῆς σαρκὸς ὑποστῆναι τὸν τεχθέντα σωτῆρα ἡμῶν ἐκδιδάσκει, ἡνίκα καὶ τὴν Ἰησοῦ προσηγορίαν κἂν τῷ παρόντι μέρει τὰς Μωσαϊκὰς ἐντολὰς πληροῦντα συμπαραδίδωσι δέξασθαι. τῆς δὲ τοῦ λόγου ἐνσωματώσεως ἢ σαρκώσεως καὶ ἐνανθρωπήσεως οὕτω περιφανεστάτης οὔσης, [ἀλλὰ μέχρι τούτων κατὰ ῥοῦν τε ὁ λόγος ἡμῖν, καὶ δι' ἡδονῆς καὶ χαρίτων ἐφέρετο, τὸ δὲ ἐντεῦθεν ἴλιγγός τε καὶ δέος προσίσταται. πλὴν εἰπεῖν ἀνάγκη καὶ ἀγωνίας πληρούμενον, ἃ παρελθεῖν ὁ τῆς πλάνης ἔλεγχος οὐκ ἐᾷ [1].] πρότερον, ὦ τολμῶν σὺ τὰ ἀτόλμητα, τοῦτο δὲ τὸ κυριακὸν σῶμα τῆς φαύλης ἂν θείης ἀρχῆς, ἢ τὸν ὄγκον εὐλαβηθήσῃ τοῦ δυσσεβήματος; εἰ μὲν γὰρ καί σε τρόμος ἔχει καὶ φόβος κατέλαβε, ἀφαιρήσεις αὐτὸ πάντως τῆς πονηρᾶς καὶ πλάσεως καὶ ἀρχῆς, μᾶλλον δὲ τῆς σῆς βλασφημίας, καὶ σαυτοῦ τὴν τόλμαν ταύτην συναποσκεδάσασθαι πολλὴν ἀποδείξεις τὴν σπουδήν. εἰ δὲ καὶ πρὸς τὴν θείαν ὀργὴν, καὶ τῶν λογισμῶν τὴν κρίσιν καὶ κατάγνωσιν, καὶ τὴν εἰς ἀνθρώπους αἰδῶ, τὴν σὴν ἀντανασχεῖν ἐπωρώθης γνώμην· πῶς, εἰπὲ, τὸ πονηρὸν συνήφθη τῷ ἀγαθῷ, καὶ πῶς ὑπέστη ὁ ἀγαθὸς Θεὸς διὰ τοῦ πονηροῦ τὴν τοῦ κόσμου σωτηρίαν κατaπράξασθαι, καὶ τὸ θαυμασιώτερόν τε καὶ φρικωδέστερον, τῷ θρόνῳ συνεδριάζει τῷ πατρικῷ; τοῦτο γὰρ ὁ τῶν ἀποῤῥήτων μύστης καὶ μυσταγωγὸς ἐδιδάξατο. ἢ γοῦν τούτων ἁπάντων οἰκειώσῃ τὴν ἐξάρνησιν, ὡς ὁ λόγος οὐ σεσάρκωται, οὐ προῆλθε τῷ κόσμῳ διὰ γεννήσεως ἐν τῷ τόκῳ, οὐ [2] γένος διέσωσεν, οὐ τὸ προσληφθὲν σῶμα τῷ πατρικῷ θρόνῳ συγκαθιδρύσατο, ἢ ταῦτα λείπεται μὴ ἐξαρνούμενον, ἀρνεῖσθαί τε τὴν ἀγαθότητα τοῦ Θεοῦ, εἰς κακίαν τῇ συναφῇ καθυβρίζοντα, καὶ δὴ κἀκείνην, ὅτε μηδὲ τὸ σὸν ἔχειν σοι καταλείπεται, εἰς ἀγαθότητα μεταβάλλουσαν. καὶ ἦν ἂν σοι θεομαχεῖν πάντως ᾑρημένῳ, κουφοτέρα μᾶλλον τῶν προτέρων ἢ τῶν δευτέρων δυσσεβημάτων ἡ αἵρεσις. καὶ γὰρ ἦν ποτε τοῖς μὲν οὐκ εἰδόσι τὰ πρότερα, οὐδὲ διὰ τὸ μήπω παρεῖναι τιμῶσιν, οὐδὲ μιᾶς ἐπαφιεμένη δυσσεβείας εἴσπραξις. ἀπάγειν δὲ τὴν τοῦ Θεοῦ ἀγαθότητα πρὸς κακίαν, ἢ ταύτην σεμνύνειν τῇ μετουσίᾳ τῆς ἀγαθότητος, οὐδεὶς οὐκ ἔστιν αἰὼν, ὃς μὴ τὴν τιμωρίαν ἀπαραίτητον τοὺς ἑλομένους οὐκ εἰσπράττεται.

Τηλικούτοις δὲ κακοῖς τῆς τόλμης καὶ τῆς ἀσεβείας πανταχόθεν τοὺς ἐραστὰς περιστοιχιζούσης, οἱ δὲ πρὸς τῷ μὴ τῆς πλάνης ἀναφέρειν, ἀλλά γε καὶ κόρον ὥσπερ τοῦ θεομαχεῖν λαβεῖν τινα δεδιότες, καὶ δευτέρᾳ βεβηλώσει τὴν τοῦ ἀγαθοῦ καθυποβάλλουσι φύσιν. τῆς γὰρ αὐτοῦ διαθήκης τὴν ἀρχαιοτέραν, καὶ τοὺς ἐν αὐτῇ διαπρεπῶς πολιτευσαμένους εἰς τὴν τῆς πονηρᾶς ἀναρτῶντες ἐξουσίαν τε καὶ θεραπείαν, ἐπείπερ καὶ Δαβὶδ καὶ Ἀβραὰμ ἐξ ὧν ὁ Χριστὸς τὰ κατὰ σάρκα, τῆς αὐτῆς χοροστασίας ὑπῆρχον, δῆλον ὡς διπλᾶ βεβηλώσει τὸν τῶν ὅλων καταστίζουσι δεσπότην. μιᾷ μὲν ὅτι πονηρᾶς ἀποφαίνουσιν ὃ προσέληφε σῶμα δημιουργίας, δευτέρᾳ δὲ ὅτι μὴ ἐξ ἄλλου γένους, ἀλλ' οἷς ὁ βίος ἡ παρ' αὐτῶν προπηλακιζομένη κατὰ νόμον λατρεία. καί τοιγε εἰ κακίας ἔργον τῷ ἀγαθῷ, πῶς ἂν εἴη τοῦτο ἀπαραίτ-

A lorum multitudo laudando dixerit. Ad hæc, quod Phantasiastas mysterii hujus gratiam in nugas vertentes adhuc magis obmutescere facit, deinde etiam illorum traducem, adversus quem nostra contendit oratio; hos igitur una simul vapulare faciens evertensque, etiam circumcisionem legalem carnis sustinuisse natum Salvatorem nostrum edocet, quando quoque Jesu nomen, vel in hac parte Mosaica præcepta adimplentem, tradit accepisse. Cum igitur assumtio corporis, carnis, vel humanitatis Verbi adeo insigniter constet; (at vero hactenus prono alveo oratio nostra processit, atque cum voluptate & gratiis. Quod vero sequitur, vertiginis plenum est & mortalis angoris, horroremque incutit. B Attamen necessario dicendum est quæ præteriri non sinit hujus erroris confutatio.) Primo igitur heus tu qui audes non audenda; hoc ipsum dominicum corpus maline principii esse dixeris, aut tam inanem impietatem revereris? Si namque & te tremor habet metusque comprehendit, eximes illud profecto a maligna creatione & principatu, vel potius a tua blasphemia, ostendesque, quo audaciam hanc tuam e medio tollas, plurimum solertiæ. Quod si vero etiam contra divinam iracundiam, rationumve judicium & sententiam, & eam quæ hominibus debetur, reverentiam, opinionem tuam tueri cæce contendas; cedo jam quomodo malum bono coaptatum fuerit; & quomodo tulerit bonus Deus per rem malignam mundi salutem C operari, & quod admirabilius terribiliusque est, eam paterno in throno considere facere? istuc enim oraculorum scius & institutor edocuit. Vel ergo horum omnium abnegationem adoptabis, quod scilicet Verbum caro factum non sit, in mundum non venerit per nativitatem & partum, humanum non salvaverit genus, assumtum corpus in paterno secum throno non collocaverit: aut si hæc non abnegas, restat ut Dei bonitatem abneges, eam propter hanc unitionem malignam contumeliose appellando, immo & unitionem ipsam, dum ne quod tuum quidem est habere tibi superest, quippe quæ in bonitatem convertat. Tibi porro contra Deum pugnare prorsus volenti, indulgentius aliquanto fuisset pri- D mam, quam secundam impietatem eligere. Aliquando enim ab iis qui priora illa comperta non habebant, nec venerabantur propterea quod necdum patrata fuerant, nulla exigebatur impietatis mulcta: at Dei bonitatem convertere in malitiam, aut hanc decorare participatione bonitatis; nullum profecto sæculum erit, quod ab iis qui tantum nefas perpetrant, inevitabiles non postulet pœnas.

VII. Cum tantis igitur malis undique audacia & impietas suos amatores obsideat; illi, præter quam quod ab errore non recedunt, immo veriti ne quam satietatem concipiant impugnandæ divinitatis, novæ adhuc profanationi boni Dei naturam E subjiciunt. Cum enim ex ejus Testamentis quod vetustius est, eos item qui sub illo insigniter vixerunt, ad mali principii referant potestatem atque cultum; quoniam & David & Abraham, ex quibus est Christus secundum carnem, ejusdem chori fuere, consequitur manifesto quod duplicem contumeliæ notam Domino universorum inurant. Unam quidem, quia malæ esse autumant creationis corpus quod assumsit; alteram vero, quia non ex alio genere, quam eorum quibus ratio vivendi is cultus fuit, qui in odium legis ab eis contumelia lacessitur. At enim, si maligni principii opus inest Bono

1. Hæc forte vitio typographico perturbata sint, sicque legenda videantur: τὸ δὲ ἐντ[illegible] ἴλιγγός τε καὶ ἀγωνίας πληρούμενον, καὶ δέος προσίσταται. πλὴν εἰπεῖν ἀνάγκη, ἃ παρελθεῖν ὁ τῆς πλάνης ἔλεγχος οὐκ ἐᾷ.
2. οὐ abest a Ms.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 890.

τον προσλαβεῖν; τίς ἀτοπίας καταλείπεται ὑπερβολὴ τῷ καὶ διπλαῖς ἐνεχομένῳ αἰτίαις; τὸ μὲν γὰρ τὸ οἰκεῖον πλάσμα πρὸς ἁμαρτίαν ἀποῤῥυὲν,[1] διὰ τῆς προσλήψεως ἀνασώσασθαι, τῆς ἄκρας ἦν προνοίας καὶ ἀγαθότητος. τὸ δὲ τὸ ἀλλότριον ὑπελθεῖν, καὶ ταῦτα φύσει καὶ διχόθεν ἀνταινισάμενον πρὸς ἀλλοτριότητα· πῶς οὐχὶ καὶ τῆς προνοίας καὶ τῆς ἀγαθότητος οὐκ εἰς τὸ ἐναντίον περιτρέπει τὸ ἀξίωμα; οὕτως οὐκ ἔστιν ὅλως, οὐκ ἔστιν οὔτε τῶν τὸ σῶμα λεγόντων, οὔτε τὴν Μωσαϊκὴν νομοθεσίαν τοῦ πονηροῦ οὔτ' ἐμμανέστερον οὐδὲν, ἀλλ' οὔτε μιαρώτερον οὔτ' ἀθεώτερον. ἄλλως τε δὲ, εἰ τὰ σώματα πλάσεως ἐστιν ἐναντίας, ἀλλ' οὐχὶ πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος, τῆς μιᾶς θεότητος καὶ ἐξουσίας· πῶς τῶν ἀλλοτρίων καὶ φαύλων σωμάτων, ὅτι φαύλου ποιήματα, τὰς νόσους ἐλαύνων ὁ ἀγαθὸς Θεὸς, τὰς παραδόξους ἀντεισῆγε θεραπείας; οὐδὲν γὰρ τοῦτο, ἀλλ' ἢ συγκροτεῖν τὸ ἔργον, οὗ[1] καθελεῖν παρεγένετο τὴν τυραννίδα, καὶ αὔξειν τὸ κράτος τοῦ τὴν ἐξ ἀρχῆς ἀποστασίας ἐπανῃρημένου. οὐ μὲν[2] ἀλλὰ, καὶ εἰ τὰ βλαστήματα τῆς γῆς οὐ τῆς ἀγαθότητος ἀρχῆς; πῶς τοὺς ἄρτους, οἳ ἐκ τῶν ἀλλοτρίων σπερμάτων ἐζυμώθη, αὐτός τε, ὢ βαθείας μέθης· προσεφέρετο, δυνάμενος μάλιστα ἐκ μὴ ὄντων ἑαυτῷ τροφὴν παρασκευάσαι; ὁ δὲ καὶ τούτους πληθύνων ἔτρεφε χιλιάδας, ὕλην τῆς θαυματουργίας τὴν τοῦ πονηροῦ παραλαμβάνων κτίσιν, καὶ κοινωνὸν ποιῶν τῆς ὑπερφυοῦς εὐεργεσίας τὸν ἀντικείμενον, ὥσπερ οὐκ ἐξὸν αὐτῷ ἐξ ἑτέρας ἐνεργουμένης τρέφειν ὕλης ἑαυτόν τε, καὶ τοὺς, ὅσοι τοῖς αὐτοῦ προσανεῖχον καὶ κατηρτίζοντο ῥήμασιν. καὶ τῶν ἐν τῷ νόμῳ δὲ βεβιωκότων οἱ φύλακες, εἰ μὴ τῆς ἀγαθουργοῦ θεότητος ὑπῆρχον θεράποντες, πῶς τοὺς μαθητὰς μάτην ἐγκαλουμένους ὑπὸ τῶν διϋλιζόντων μὲν Φαρισαίων τοὺς κώνωπας, καταπινόντων δὲ τὰς καμήλους, ὅτι πεινῶντες τοὺς στάχυς ἐν τῷ σαββάτῳ ἔτιλλόν τε καὶ ἤσθιον, τὴν τοῦ σώματος παραμυθούμενοι ἔνδειαν δι' ἐκείνων, κρείττους τε τῆς αἰτίας ἀπέφαινε, καὶ ἀπέλυε τοῦ ἐγκλήματος, τὸν Δαβὶδ εἰς συνηγορίαν καὶ βοήθειαν προτείνων, καὶ τοὺς ἱερεῖς τοὺς κρεανομοῦντάς τε καὶ ξυλοκοποῦντας ἐν τῷ σαββάτῳ; καὶ τότε διὰ τῆς ἱερᾶς ὑπηρεσίας, ἐφ' ἣ μᾶλλον ἔδει σώζεσθαι τὸν νόμον, τῆς ἐργασίας προϊούσης;

Τίς δ' ἂν σαφέστερος ἔλεγχος ἢ δυνατώτερος, ὅτι μηδενὸς τῶν ἐπιγείων ὁ πονηρὸς δεσπόζει, τῶν αὐτοῦ ῥημάτων, δι' ὧν αὐτῷ τὴν κτίσιν ὑποβαλλόμενος, ὅτε κρυπτομένῳ καὶ λανθάνοντι τῷ δημιουργῷ τῶν ὅλων καὶ δεσπότῃ ἐπιπειρᾶσαι προσιὼν, καὶ τὰς ἐπιγείους βασιλείας πάσας καὶ τὴν δόξαν αὐτῶν ἐπιδεικνὺς ἔλεγε· ταῦτα πάντα σοι δώσω, ἐὰν πεσὼν προσκυνήσεις μοι; εἰ γάρ ἐστι ψεύστης, καὶ οὐδέποτε ἐν τῇ ἀληθείᾳ ἕστηκε· τοῦτο γὰρ ἡ ἐνυπόστατος ἡμᾶς ἐδίδαξεν ἀλήθεια, καὶ οὐκ ἔστιν οὐδεὶς ὅλως τῶν ὁμολογούντων Χριστὸν, ὃς ἂν τολμήσειε τὴν τοιαύτην φωνὴν παραγράψασθαι· πῶς οὐ πάντων ἐστὶ φανερώτερον, ὡς οὐδενὸς τῶν ἐπιγείων κτισμάτων ὁ τοῦ ψεύδους δημιουργὸς ἄρχει, οὐδ' ἐστὶν αὐτῶν ποιητὴς, πλήν γε τῶν θελημάτων ἐκείνων καὶ πράξεων, ὧν αὐτός ἐστιν ὑποσπορεὺς, καὶ ὧν τοὺς λογισμοὺς μετεπλάσατο αὐτὸν ἐπιγράφειν κτίστην καὶ δημιουργὸν, οὐχ ὅτι αὐτῶν τὴν ψυχὴν ἐκ μὴ ὄντων, ἢ τὸ σῶμα παρήγαγεν, ἀλλ' ὅτι αὐτὸν ἑαυτοῖς οὗτοι παρηνέχθησαν κύριον ἐπιγράψασθαι. ὥστε ὅπερ τινες τῶν ἀπὸ τῆς πλάνης εἰς παράστασιν τοῦ οἰκείου προβάλλονται δυσσεβήματος, ὅτιπερ ἄρχει τῶν

A Deo, quomodonam illud assumere inevitabile fuerit? Quinam absurditatis excessus adhuc reliquus esse possit ei qui vel duplici sit obnoxius crimine? Proprium namque figmentum quod in peccatum dilapsum fuerat, per assumtionem salvum facere, supremæ equidem fuit providentiæ & bonitatis: at vero quod alienum malitiose subeat, & quidem natura ac dupliciter pugnans pro dissociatione; quomodo non etiam providentiæ ac bonitatis in contrarium prærogativam convertat? Quamobrem non est omnino non est quidquam vel furiosius, vel impurius vel sceleratius iis qui dicunt, corpus aut Mosaicam legislationem a Maligno esse. Accedit huc, quod si corpora figmenti sunt contrarii, & non patris ac filii, & Spiritus sancti, Deitatis potestatisque unius; quomodo alienorum ac malorum B corporum, quippe scilicet Mali opera, morbos expellens bonus Deus, prodigiosas illas intulit sanitates? Nihil est aliud hoc, quam incrementa addere operi, ad cujus tyrannidem destruendam venerat, & augere imperium ejus qui apostasiam exercuit ab initio. Verum etiam, si germina terræ non sunt a bonitatis principio; quomodo panes, res nempe ex alienis seminibus fermentatas, ipsemet (o profundam temulentiam!) comedebat, præsertim cum posset ex non exstantibus sibi cibum comparare? At ille hos etiam multiplicans millenos C homines enutrivit, pro materia miraculi ipsam Maligni creaturam assumens, participemque efficiens supernaturalis beneficii adversarium, quasi non liceret ei ex alia elaborata materia nutrire seipsum, & quotquot verbis illius intenti erant atque imbuebantur. Custodes etiam eorum qui sub Lege vixerunt, si non erant ministri beneficæ divinitatis; quomodo discipulos suos temere in crimen vocatos a Pharisæis, qui percolabant quidem culices, sed camelos deglutiebant, propterea quod esurientes spicas in Sabbato evellebant, & comedebant, per eas indigentiæ corporis obviantes; non modo innoxios esse dicebat, sed & ab impacto crimine liberabat, adducto Davide in patrocinium & defensionem, & sacerdotes carnes D lignaque in sabbato concidentes; & quidem dum propter sacrum ministerium, ob quod vel maxime oportebat legem observari, opus exercebatur?

διὰ τῶν προφητικῶν καὶ Μωσαϊκῶν ῥημάτων τὰ πάθη καὶ τὴν δόξαν αὐτοῦ καὶ τὴν ἀνάστασιν ἀπεκάλυπτεν, ἠρκέσθη τούτοις, οὐδὲν ἐπιδεηθεὶς τῆς ἀπὸ τῶν ἄλλων βεβαιώσεως. τοσοῦτον ᾔδει τῶν προφητικῶν λογίων καὶ Μωσαϊκῶν τὸ τῆς ἀληθείας κράτος, καὶ τῆς ὠφελείας τὸ μέγεθος, οὐχ ὅτι ταῦτα ἐκείνων προῆγεν, ἀλλ' ὅπερ ἐπὶ τοσοῦτον ἐμεθόδευε τοὺς ἐν τῷ νόμῳ χρησμοὺς συναπολαύειν τῆς τῶν ἐκβεβηκότων σεβασμιότητός τε καὶ δυνάμεως. τοῖς μὲν γὰρ ἤρκει χάρις ἡ οἴκοθεν, τοῖς δὲ προσέδει κόσμον ἀνάγειν εἰς τὴν ἐκείνων εὐγένειαν. ἀλλ' οὐδέν ἐστιν οἷον αὐτῶν τῶν δεσποτικῶν ῥημάτων ἀκούειν[a]. λέγει γάρ· ὦ ἀνόητοι καὶ βραδεῖς τῇ καρδίᾳ, τοῦ πιστεύειν ἐπὶ πᾶσιν, οἷς ἐλάλησαν οἱ προφῆται. ἀκούεις, πῶς τὴν ἐπιτίμησιν διὰ τῶν προφητῶν ἐπάγει; εἶτα· οὐχὶ ταῦτα ἔδει παθεῖν τὸν Χριστὸν, καὶ εἰσελθεῖν εἰς τὴν δόξαν αὐτοῦ; τὴν δόξαν οἱ προφῆται τοῦ σωτῆρος κηρύττουσι, καὶ σὺ πρὸς τὴν ἐσχάτην αὐτοὺς, μᾶλλον δὲ κἀκείνων [1], ἀπελαύνεις ἀτιμίαν; καὶ ἀρξάμενος ἀπὸ Μωσέως καὶ πάντων τῶν προφητῶν, διερμήνευεν αὐτοῖς ἐν πάσαις ταῖς γραφαῖς τὰ περὶ ἑαυτοῦ. ὁ λυτρωτὴς ἡμῶν ἑρμηνευτὰς τῶν ἔργων, δι' ὧν ἡμᾶς ἐλυτρώσατο τῆς τυραννίδος, τοὺς προφήτας ἀνομολογεῖ· καὶ σὺ τῆς τυραννίδος ὑπηρέτας οὐ φρίττεις ποιεῖν; ἢ σύγε σεαυτὸν οὐ ταύτῃ μόνον, ἀλλ' ἅμα καὶ τρόπον ἄλλον τοσαύτης ἀνοίας καὶ παραπληξίας ἐνέπλησας, ὥστε μηδ' αἴσθησιν ἔχειν, μηδ' ἐν ᾧ τὰ ἐναντιώτατα καὶ φρονῶν καὶ λέγων ἁλίσκῃ; νῦν μὲν γὰρ τὸν νοῦν τὸν μέγαν τὸν Ἀσσύριον, αὐτοκράτορα, καὶ κύριον τοῦ παντὸς θεομαχῶν προκαθίζεις· νῦν δὲ λανθάνεις, αὐτὸν οὐδὲ ἑαυτοῦ καπεξουσιάζοντά ποθεν, οὐδὲ τῶν λογισμῶν κυριεύειν, ἀλλ' εἰς λῆρον μακρὸν καὶ παραφροσύνην ἀνυπέρβλητον ἐκπέμπεις. τὸ γὰρ τοὺς αὐτοῦ θεράποντας καὶ λατρευτὰς, [εὐμενεῖς δὲ ἡμῖν εἴησαν οἱ προφῆται· ὑπὲρ αὐτῶν γὰρ ἡ κατ' αὐτῶν [2] μνημονεύεται ὕβρις.] τὸ γοῦν τούτους ἐπιπνεῖν τε καὶ χειροτονεῖν, ὥστε τῆς τυραννίδος αὐτοῦ τὴν κατάλυσιν ὑποτίθεσθαι καὶ προανακηρύττειν, ἀλλὰ καὶ τὸν τρόπον τῆς καταλύσεως οὕτω λεπτομερῶς τε καὶ περιφανῶς ἀποσαλπίζειν· καὶ οὐκ ἀποσαλπίζειν μόνον, ὧν οὐδὲν οὐδ' ὁ λῃστὴς αὐτὸς ἐγνώκει, ἀλλὰ καὶ μετὰ πάσης σπουδῆς μηχανᾶσθαί τε καὶ κατασκευάζειν, πόσης οὐκ ἂν εἴη ταῦτα παρανοίας; τίνος δὲ διανοίας τὴν ἔμφυτον κίνησιν κἂν γοῦν ἐπ' ἐσχάτοις ἴχνεσιν διασωζούσης; μᾶλλον δὲ, εἰ βούλει, οἷς μὲν αὐτὸν τὰ ἀπόῤῥητα καὶ ὑπερφυῆ προειδέναι λέγεις, καὶ ἃ μόνῳ ἦν τῷ ἀληθινῷ Θεῷ ἐγνωσμένα τε καὶ προωρισμένα, φεῦ τῆς ἀτοπίας· σοφίαν αὐτῷ τὴν ἀνυπέρβλητον καὶ σύνεσιν ἄφατον χαρίζῃ· οἷς δὲ τὴν αὐτοῦ κατάλυσιν συνεργάζεσθαι καὶ θριαμβεύειν, οὐδὲ τῶν παραπαιόντων καὶ ἐξεστηκότων, ὃν τοῖς χείλεσιν ἔθου Θεὸν, κατ' οὐδὲν ἐᾷς παραλλάττειν.

Τοιοῦτοι τῶν σῶν δογμάτων οἱ καρποὶ, τοιαῦτα τῶν ὑπὲρ τῆς πονηρίας σπουδασμάτων τὰ ἐπίχειρα, μᾶλλον δὲ πρὸς τὸν αὐτόθεν ὄγκον τῆς σῆς βλασφημίας, καὶ τῆς ἀπαρχῆς τῶν σῶν ζιζανίων σπορᾶς. καὶ ταῦτα μικρά. ἐκεῖνο δὲ τῶν Σαδδουκαίων οἱ ἀναισθητότεροι, [οὐ γὰρ ἂν φαίην ἀσεβέστεροι· μείζων γὰρ αὐτῶν ἐστιν ἡ ἀποστασία, τῆς πρὸς τὰ χείρω συγκρίσεως·] ἀλλ' οὖν ἐκεῖνο πῶς οὐ δυσωποῦνται οἱ πρὸς πᾶσαν θείαν καὶ ἀπειλὴν καὶ ὀργὴν, καὶ χάριν καὶ εὐεργεσίας ἀπόλαυσιν ἀδυσώπητοι, ὃ τοῖς νενοσηκόσι Σαδδουκαίοις νεκρῶν μὴ εἶναι ἀνάστασιν, πειράζειν ἐπιχειρήσασι τὸν ἀπείραστον, αὐτὸς ἀνεφθέγξατο· περὶ δὲ τῆς ἀναστάσεως τῶν νεκρῶν,

A phetica atque Mosaica verba passionem & gloriam suam atque resurrectionem revelabat, illis contentus, opus insuper non habuit aliunde rem confirmare. Tantam esse sciebat propheticorum Mosaicorumque oraculorum vim veritatis, & utilitatis magnitudinem: non quod hæc illis antetulerit, sed quia usque adeo satagebat, ut Legis vaticinia eadem fruerentur, cum iis quæ evenerant, veneratione & virtute: istis namque propria sufficiebat nobilitas, illis opus insuper erat ornatum adjicere ad eorum excellentiam. At nihil præstat magis, quam ipsis auscultare deminicis verbis. Inquit enim: [a] *O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ loquuti sunt prophetæ!* Audin', quomodo in-

B crepationem ex prophetis adhibeat? Sequitur: *Nonne hæc oportebat pati Christum, & ingredi in gloriam suam?* Gloriam salvatoris prophetæ enuntiant, & tu ad extremam ipsos, atque adeo & illum ignobilitatem detrudis? *Et incipiens a Moyse & omnibus prophetis, interpretabatur in omnibus scripturis ea quæ de ipso erant.* Redemtor noster interpretes operum, per quæ nos a tyrannide liberavit, prophetas palam confitetur, & tu eos tyrannidis ministros non horres efficere? An tu teipsum non hoc dumtaxat modo, sed simul alia etiam ratione tanta amentia & stoliditate replevisti, ut ne sentias quidem ubi contraria omnino & cogitare & dicere deprehendaris? Modo namque [b] superbam illam

C mentem Assyriam, principem & dominum universi Dei inimicus in throno collocas; modo vero non attendis, eum ne sui quidem potestatem umquam habentem ut suarum cogitationum dominetur, sed ad prolixas nugas extremamque ablegas dementiam. Quod enim ministri & cultores sui (at clementes nobis sint prophetæ; pro illis enim commemoratur contumelia quæ contra ipsos est:) quod illi inquam, inspirentur & eligantur, ut tyrannidis suæ dissolutionem oraculorum argumentum faciant & vaticinentur; immo & modum illam e medio tollendi adeo præcise & manifeste clarigent; nec clarigent modo ea quorum nihil ille latro agnoscebat, verum etiam omni studio & promoveant &

D astruant; quantæ isthæc amentiæ non essent? cujus animi innatum motum saltem in extremis vestigiis servantis? Quin etiam, ut & hoc modo dicatur; quatenus ipsum occulta atque naturam excedentia præscisse autumas, & quæ soli erant vero Deo cognita & prædestinata, (o absurditatem!) sapientiam illi qua nulla major dari possit, ineffabilemque intelligentiam indulges: quatenus vero suam ipsius destructionem cooperari, contraque se triumphum agere dicis; quem verbo tenus ponebas Deum, a stolidissimis quibusque ac stupidissimis nullatenus differre concedis.

XXIV. Hujusmodi sunt dogmatum tuorum fru-

E ctus; hujusmodi præmia studiorum pro malitia, atque adeo inde succrescentis blasphemiæ tuæ, & primitiarum seminis zizaniorum tuorum. Et hæc quidem parva. Illud vero isti Sadducæis stolidiores, (neque enim sceleratiores dicere ausim: gravior enim est illorum apostasia quam cum pessimis comparari queat:) illud inquam, quomodo non verecundentur isti ad omnem divinam & minitationem & iram, gratiam item & beneficiorum collationem inverecundi, quod Sadducæis eo morbo laborantibus, quod nulla sit mortuorum resurrectio, dum aggressi sunt tentare eum qui intentabilis est, ille

a Lucæ xxiv. 25. seqq. b Ex Isa. xiv. 4.

1. Error videtur typogr. pro κἀκείνων. 2. Ms. αὐτόν.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 890.



οὐκ ἀνέγνωτε τὸ ῥηθὲν ὑμῖν ὑπὸ τοῦ κυρίου λέγοντος· A ἐγώ εἰμι ὁ Θεὸς Αβραὰμ, καὶ ὁ Θεὸς Ισαὰκ, καὶ ὁ Θεὸς Ιακὼβ; οὐκ ἔστιν οὖν ὁ Θεὸς, νεκρῶν Θεὸς, ἀλλὰ ζώντων. τί γὰρ ἄν τις εὕροι ταύτης τῆς χρήσεως βεβαιότερον, ἢ καθελεῖν τὴν τῶν θεομάχων τόλμαν κραταιότερον; ὁ τοῦ Αβραὰμ καὶ ὁ τοῦ Ισαὰκ καὶ ὁ τοῦ Ιακὼβ Θεὸς, αὐτός ἐστιν ὁ τῶν ζώντων Θεός. καὶ δῆλον, ὡς ὧν ἐστι Θεὸς, οὗτοι ζῶσι καὶ νῦν καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐν αὐτῷ· τὴν δὲ ἀνάστασιν ἐνήργησεν ὁ Θεός· ὥστε οὓς ἀνίστησιν ὁ υἱὸς [ἀνιστᾷ δὲ σύμπαν τὸ ποίημα, ἐν οἷς καὶ οἱ πρόγονοι τῶν πατριαρχῶν·] τούτων ἄρα βασιλεύει καὶ νῦν καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ὁ Θεὸς, ὅτε καὶ τοῦ σοῦ πλάσματος ὁ πεπλασμένος ποιητὴς τῷ ἀτελευτήτῳ πυρὶ καὶ τῷ σκώληκι παραδέδοται, αὐτός τε καὶ οἷς ὑπακούειν καὶ ὑπηρετεῖν αὐτοῦ γνώμη γέγονε τῷ θε- B λήματι. ἀλλ' ἐκεῖνοι μὲν σὺν ἐκείνῳ τὴν δίκην ὑπέχουσιν, Αβραὰμ δὲ καὶ Ισαὰκ καὶ Ιακὼβ, καὶ πάντες οἷς ἡ διὰ νόμου Θεοῦ εὐαρέστησις, τῆς ἀτελευτήτου καὶ ἀνεκλαλήτου τρυφῆς ἀπολαύουσι. τί λέγεις ἄθλιε; ὁ σὸς τῇ γλώττῃ δημιουργὸς, πυρὸς γίνεται τροφὴ, οἱ δὲ περὶ τὸν Αβραὰμ παρὰ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ τὰς οὐρανίους κληροῦνται σκηνάς. καὶ σὺ λέγεις ἄρχειν αὐτῶν, ὃν τὸ ἐξώτερον συνέχει σκότος; ὁ σωτὴρ τοῦ κόσμου τὸν ἑαυτοῦ πατέρα Θεὸν λέγει τοῦ Αβραὰμ καὶ τῶν ἄλλων πατριαρχῶν· σὺ μὲν τοῦτον ἐκβάλλεις τῆς ἀρχῆς, ἀντεισάγεις δὲ τὸν κατατηκόμενον τῷ πυρὶ, καί σε, ἐὰν μὴ θᾶττον ἀνανήψας φύγῃς τὴν πλάνην, ταῖς αὐταῖς συναπάγοντα [1] ποιναῖς; καὶ οἱ μὲν Ιουδαῖοι ταῦτα λέγοντος τοῦ σωτῆρος ἐξεπλήττοντο, καὶ δὴ καὶ τὸ τῶν Σαδδουκαίων C ἀναιδὲς ἐπεφίμωτο, σὺ δ' οὐδ' οὕτω χαλινοῖς τὴν γλῶτταν, οὐδὲ τῶν λογισμῶν ἀποῤῥίπτεις τὸ δυσσέβημα. καὶ πῶς ἂν ἄλλως ἢ πόθεν συγγνώμης σοι σταγὼν, ἢ κατὰ ποῖον καιρὸν ἐπισταχθήσεται;

Οὐδ' ἐκεῖνο δὲ δεήσει παραδραμεῖν. τῶν Φαρισαίων τις δοκῶν τῶν ἄλλων τῇ τοῦ νόμου γνώσει προέχειν, εἰς πεῖραν αὐτὸν καθίστησι τοῦ Ιησοῦ, καὶ ἐπερωτᾷ· διδάσκαλε, λέγων, ποία ἐντολὴ μεγάλη ἐν τῷ νόμῳ; καὶ ὅρα δι' ὧν ἀμείβεται ὁ Ιησοῦς, ὅπως ταῖς Μωσαϊκαῖς ἐντολαῖς καὶ τὸ μεγαλεῖον ἐπιμαρτύρηται καὶ τὸ θεοφιλές. ἀγαπήσεις γάρ φησι κύριον τὸν Θεόν σου ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ σου, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ ψυχῇ σου, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ διανοίᾳ σου. καὶ τοῦτο μὲν ἡ τοῦ νόμου φωνή. πρόσχες δὲ καὶ ἐπι- D κρίσει τῇ δεσποτικῇ· ἐπιφέρει γάρ· αὕτη ἐστὶ πρώτη καὶ μεγάλη ἐντολή. μεγάλην ἐντολὴν καὶ πρώτην τὴν κατὰ νόμον θεοσέβειαν καλῶν. καίτοι τίς ἐπέκειτο χρεία εἰς τὴν ψῆφον ταύτην ἐλθεῖν, καὶ τὸ μεγαλεῖον δοῦναι τῇ θεοσεβείᾳ τῇ Μωσαϊκῇ, εἰ μὴ πατρῴας ταύτην ἐπεγίνωσκε νομοθεσίας; πλὴν καὶ αὐτάγε καθ' ἑαυτὴν ἡ ἐντολὴ, εἴτις ἐθέλοι θεωρεῖν, πῶς οὐ μεστὴ μὲν ἀγαθοειδοῦς καὶ θείας ἐπινοίας, μεστὴ δὲ τῆς πρώτης φιλοσοφίας, Θεὸν εἰδέναι τὸν πλάστην καὶ εὐεργέτην, καὶ πρὸ τῶν ἄλλων ἁπάντων ἀγαπᾶν; τίνα γὰρ ἄλλον ἐχρῆν πρὸ τοῦ κηδεμόνος καὶ ἐκ μὴ ὄντων ὑποστήσαντος; πῶς δὲ οὐχ ὅλῃ μὲν ψυχῇ, οὐχ ὅλῃ δὲ καρδίᾳ, οὐχ E ὅλῃ δὲ διανοίᾳ, μετά τινος δὲ δισταγμοῦ καὶ διαμερισμοῦ λογισμῶν, καὶ οἷον ἀφοσιούμενον τὸ ἐτάζοντι καρδίας καὶ νεφροὺς προσῆκε φέρειν τὴν τῆς ἀγάπης ὀφειλὴν, ἀνθ' ὧν ὑπέστησεν, ἀνθ' ὧν τρέφει καὶ συνέχει, ἀνθ' ὧν ἡμαρτηκότα μὴ ἀπώσατο, ἀλλὰ καὶ τὸν ἴδιον υἱὸν, τῶν αὐτοῦ μὴ διιστάντα κόλπων, ἐπὶ σωτηρίᾳ καὶ ἀνορθώσει τοῦ πεπλανημένου σαρκὶ κατέπεμψε τοῖς ἀνθρώποις ἐμπολιτεύσασθαι; ὃς ἐπὶ τοσοῦτον τὸ πατρικὸν ἠσπάσατο βού-

A vicissim respondit: [a] *De resurrectione autem mortuorum, non legistis quod dictum vobis est a Domino, dicente: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac & Deus Jacob? Non est igitur Deus, mortuorum Deus, sed viventium.* Quid enim possit quis hoc testimonio invenire validius, sive ad destruendam inimicorum Dei audaciam efficacius? Deus Abraham, & Isaac & Jacob, ipsissimus est vivorum Deus. Et liquet, quod quorum est Deus, isti vivunt & nunc & post resurrectionem in ipso. Resurrectionem vero operatus est Deus. Itaque quos resuscitat filius, resuscitat vero omnem facturam suam, & in his etiam patriarcharum progenitores: horum ergo regnat & nunc & post resurrectionem Deus, quando & tui figmenti fictitius factor æter- B no igni & vermi tradendus est, tam ipse scilicet, quam quibus sententia stetit obtemperare & servire ejus voluntati. At illi quidem cum eo pœnas luent, Abraham autem & Isaac & Jacob, & quotquot per legem Deo accepti fuerunt, interminabili ineffabilique gaudio fruentur. Quid ais miser? Conditor tuus, ut blateras, fit ignis fomes, Abraham vero cælestes veri Dei cum suis mansiones implet. Et tu dicis dominari illorum eum, quem exteriores comprehendunt tenebræ? Salvator mundi patrem suum appellat Deum Abraham ceterorumque patriarcharum; tu hunc de imperio detrudis, ac vicissim introducis colliquescentem igne, teque ni cito ad mentem rediens errorem fugias, una secum in iisdem pœnis detrahentem? Judæi hæc dicente C salvatore percellebantur metu, & os impudens Sadducæorum obmutescebat; tu autem ne sic quidem linguam fræno coerces, nec cogitationum deponis impietatem? Et quomodo nam aliter vel unde indulgentiæ tibi gutta, aut quo tempore instillabitur?

XXV. Nec illud præterire oportebit. Pharisæorum quidam qui videbatur cæteris legis peritia antestare, nititur coram tentare Jesum, atque interrogat: [b] *Magister*, inquiens, *quodnam præceptum maximum est in Lege?* Observa porro per quænam Jesus interrogantem excipiat, ut Mosaicis præceptis inesse testetur & primatum & indolem Deo caram. *Diliges* enim, inquit *Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, & in* D *tota mente tua.* Et hæc quidem ipsissima Legis verba sunt. Attende porro & sententiæ Dominicæ, subinfert enim: *Hoc est primum & maximum mandatum.* Maximum mandatum & primum appellans Dei cultum secundum Legem. At enim quænam urgebat necessitas, ut de eo calculus ferretur, primæque partes deferrentur Mosaico Dei cultui, si non illum ex paterna agnovisset legislatione defendere? Verumtamen ipsum per se præceptum, si quis speculari velit, quomodo plenum non est sensu & bono & divino? plenum item potiori philosophia, Deum agnoscere creatorem & beneficum, eumque præ ceteris omnibus diligere? E Quem sane alium oporteret, præ eo qui providentiam habet, & rebus exstantiam contulit? Quomodo vero non tota anima, non toto corde, non tota mente, sed cum aliqua hæsitantia atque diffidio cogitationum, ac veluti aliquid religionem integrans, ei qui scrutatur corda & renes fas erat persolvere dilectionis debitum, eo quod creavit, eo quod alit & conservat, eo quod peccantem non repulit, sed proprium filium suum, qui a sinu ejus nequaquam recedit, pro salute & restitutione ejus qui erraverat, misit, ut carne cum hominibus versaretur? qui usqueadeo paternam amplexatus est vo-

[a] Matth. xxii. 32. seqq. [b] Ibid. ℣. 36. seqq.

1. Ms. συνάγοντα.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 890.

λημα, ὡς μὴ μόνον ἡμῖν παραπλησίως κοινωνῆσαι σαρκὸς καὶ αἵματος, καὶ καθ' ἡμᾶς ἄνθρωπος χωρὶς ἁμαρτίας χρηματίσαι, ἀλλὰ καὶ σαυρὸν καὶ θάνατον ἐνεγκεῖν, δι' ὧν ὁ πεσὼν ἀνέστη, καὶ μείζονος ἢ τῆς προτέρας δόξης ἠξίωται; ἀντὶ γοῦν τούτων, ἆρ' οὐκ ἐν ὅλῃ καρδίᾳ καὶ ψυχῇ καὶ διανοίᾳ τὸν ταῦτα χαρισάμενον οὐκ ἀγαπᾶν δεῖ; ταύτην τὴν ἐντολὴν ὁ μὴ σωτήριόν τι, καὶ τῆς Ἰησοῦ νομοθεσίας ἀταξίαν καὶ φρονῶν καὶ λέγων, ἀνάξιον ἑαυτὸν ὡς ἀληθῶς ἐπιγινώσκειν ἀποφαίνει τὸν ἀληθινὸν Θεόν. σὺ δὲ ὅρα καὶ τὴν ἐφεξῆς. ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν. καὶ τί ταύτης ἂν εἴη λυσιτελέστερον ἢ ἀγαθοειδέστερον, ἢ τὸν βίον συνέχειν ἐπιτηδειότερον, ἢ τὸ κοινωνικὸν καὶ ἥμερον συγκροτεῖν τῆς φύσεως, ὡς τὸ ἀγαπᾶν τὸν πλησίον ὡς ἑαυτόν; καὶ ἔργον μὲν τῆς αὐτῆς εἰδέναι χειρὸς, φύσεως δὲ μιᾶς, διὰ τῆς αὐτῆς δὲ γενέσεως εἰς φῶς προελθόντα, καὶ διὰ τῆς αὐτῆς ὁδοῦ τὸν βίον ἀπολιμπάνοντα, καὶ τὴν [1] μὲν περιμένειν τὸν αὐτὸν καὶ τῶν βεβιωμένων ἐξετασὴν; καὶ πρόγε τούτων μηδὲν ἀνέχεσθαι πλημμελεῖν εἰς τὸν πέλας, ὧν οὐδεὶς [2] ἑαυτὸν πλημμελῶν ἂν ὀφθείη, τὰ κάλλιστα δὲ καὶ σωτήρια καὶ συνεύχεσθαι, καὶ ᾧ παροικεῖς [3] συγκαταπράττεσθαι· τοῦτο γάρ ἐστιν ὁ τῆς ἀγάπης λόγος. ἆρα οὐ δοκεῖ σοι τὰ μέγιστα καὶ καιριώτατα τῶν ἐν ἀνθρώποις, προστιθήσθω δὲ καὶ ὅσα ἐστὶ θεῖα καὶ θεοφιλῆ, διὰ ταύτης κατευθύνεσθαι τῆς ἐντολῆς; οὐχ ἵσαται δὲ οὐδὲ μέχρι τούτων ὁ σωτὴρ, ἀλλ' ἵνα πᾶσαν τῶν ἀσεβῶν διακόψῃ πρόφασιν, μηδὲ πρός τινα κακουργίαν ἀποβλέψωσιν, ὡς αὕτη μόνη τῶν ἄλλων ἄρα ἡ δυὰς τῆς τιμώσης αὐτὴν δεσποτικῆς ἠξιώθη ψήφου, τῶν δ' ἄλλων λόγος ἐστὶν οὐδείς. ἵνα τοίνυν αὐτοῖς πανταχόθεν ἀποκλείσῃ τὴν τῆς πονηρίας μηχανὴν, ὅρα πῶς ἐπάγει· ἐν ταύταις ταῖς δυσὶν ἐντολαῖς ὅλος ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται κρέμανται. μονονουχὶ λέγων, ὡς οἷς αὗται τῆς ἐμῆς μετέσχον δικαίας ἀποδοχῆς, καὶ καθ' ἑαυτὰς τὴν φύσιν εἰσὶ σωτήριοι καὶ θεοφιλεῖς, διὰ τῶν αὐτῶν καὶ ὁ νόμος ὅλος καὶ οἱ προφῆται τῶν αὐτῶν εἰσιν ἐπάξιοι γερῶν. συνήρτηται γὰρ ἀλλήλοις ταῦτα καὶ συνέχεται, καὶ τῆς αὐτῆς νομοθεσίας ἐξῆπται, καὶ αὐτὸς ὁμότιμός ἐστιν ὁ τούτων ἁπάντων καὶ νομοθέτης καὶ εἰσηγητής. ἀμέλει καὶ τὸν Δαυΐδ πάλιν εἰσάγει μάρτυρα, κύριον αὐτὸν καὶ νικητὴν προανακηρύττοντα, καὶ οὐχ ἁπλῶς, ἀλλ' ἐν πνεύματι ἁγίῳ, καὶ παρὰ κυρίου τὴν ἐκ δεξιῶν καθέδραν κύριον καὶ αὐτὸν ὄντα λαμβάνοντα, καὶ τοὺς ἐχθροὺς ὑποπόδιον τῶν ποδῶν αὐτοῦ τιθεμένους καὶ καταπίπτοντας. καὶ ποῦ ταῦτα προαγορεύειν ἐκεῖνον καὶ θεολογεῖν παρῆν, εἰ τῆς ἐναντίας εἷλκε μερίδος τὴν ἐπίπνοιαν, μάλιστά γε θεολογεῖν οὕτω σαφῶς καὶ ἀπερικαλύπτως τὸν Ἰησοῦν, κύριόν τι ἴδιον αὐτὸν ὁμολογεῖν, καὶ τὸ πατρικὸν ἀξίωμα διὰ τῆς κυριότητος διαμαρτυρεῖν, καὶ ὡς λαμπρῶς καὶ ἀναφαίρετον τὸ κράτος ἀναδήσεται τὸ κατὰ τῶν ἐχθρῶν; ἃ τίνος ἦν ἄλλου καὶ προθεσπίζειν, καὶ εἰς πέρας ἄγειν, εἰ μὴ τῆς ἀγαθοδότιδος [4] Θεοῦ σοφίας, δι' ἧς τό, τι σύμπαν ὑπέστη, καὶ τὰ τῆς σωτηρίας ἡμῶν ἀπὸ καταβολῆς προωρίσθη κόσμου, καὶ πέρας ἔλαβε τοῦ προορίσαντος οὐκ ἀνάξιον;

luntatem, ut non modo nobiſcum eadem ratione communicaret carni & ſanguini, atque ut nos homo fieret excepto peccato; ſed & crucem & mortem perferret, per quæ qui ceciderat arrectus eſt, majoreque quam antea dignus habitus eſt gloria. Pro hiſce rebus ergo nonne in toto corde & animo & mente, qui hæc largitus eſt, diligere non oportet? Hoc præceptum qui non ſalutare, aut Jeſu Leges minus bene ordinatas ſive cogitat ſive dicit, profectò indignum ſeſe qui recognoſcat verum Deum, oſtendit. Tu porro attende & quod ſequitur. *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*. Et quid iſto præcepto eſſe poſſit ſive utilius, ſive bonitatis ſpeciem præſeferens magis, vel ad moderandam vitam opportunius, ſive ad communionem & manſuetudinem naturæ conſtituendam, quam diligere proximum ſicut ſeipſum, & opus illum ejuſdem manus recognoſcere, eadem conſtantem natura, per eumdem nativitatis modum in lucem prodeuntem, eademque via vitam relinquentem, poſtquam debeat eumdem manere vitæ anteactæ cenſorem? præ ceteris vero, nemini permittere ut injuriam proximo inferat earum rerum, quibus in ſe injurius non utique quis videatur; quin potius ei optima & ſalutaria ut impreceris, & penes quem accolis, eidem opem feras? Hæc eſt enim dilectionis ratio. Num ergo non tibi videtur, ea quæ maxima ac potiora ſunt in rebus humanis; addo quæcumque ſunt divina Deoque placentia, per hoc dirigi præceptum? Neque vero hactenus ſubſiſtit Salvator: ſed ut omnem ſuccidat impiorum prætextum, nec quam ſibi fraudem ob oculos ponant, quod hæc ſola ſcilicet inter cetera dualitas digna habita fuerit calculo dominico illam honorante, reliquorum vero nulla ſit ratio; ut igitur, inquam, illis undique præcluderet malignitatis machinamenta, conſidera quomodo ſubinfert: *In his duobus præceptis univerſa Lex & prophetæ pendent*. Tantum non dicens, quod quemadmodum hæc a me juſte approbata fuerunt, & per ſe ſunt natura ſalutaria & Deo grata; ſic etiam Lex univerſa & prophetæ iiſdem honoribus digni habendi ſunt. Hæc enim a ſe mutuo pendent & alterum alteri ineſt, atque ab eadem legiſlatione ſunt profecta, atque idem eſt parique honore dignus horum omnium & legiſlator & doctor. Sane etiam David rurſum teſtem inducit, Dominum ſeſe atque victorem vaticinantem, nec ſimpliciter, ſed in Spiritu ſancto; atque a Domino ſeſſionem a dextris accipientem ſe, qui & ipſe ſit Dominus, inimicoſque pedum ſuorum ſcabellum poſitos atque effectos. At enim unde licebat prædicere eum iſthæc, aut de divinitate ſermocinari, ſi ab adverſa parte inſpirationem traxiſſet, præſertim vero de divinitate ſermocinari adeo manifeſte ipſiuſmet juſſu, & ſine ullis involucris, atque eum proprium ſuum Dominum confiteri, & paternam prærogativam per dominationem teſtatam facere, quodque fulgentiſſimum atque inamiſſibile imperii diadema eſſet conſequuturus contra inimicos? Hæc cujus erat alterius aut vaticinari, aut ad effectum redigere, ſi non beneficentiſſimæ Dei ſapientiæ, per quam & univerſitas ipſa rerum exſtantiam accepit, & ſalutis noſtræ myſteria a conſtitutione mundi prædeſtinata ſunt, effectumque ſunt conſequuta prædeſtinante ipſo non utique indignum?

Σκοπῶμεν δὲ κἀντεῦθεν, εἰ μὴ Μωσῆς καὶ Ἠλίας νόμῳ βεβιωκότες θεράποντες ἦσαν, καὶ πρὸς ἀρέσκειαν πράττοντες τοῦ ἀγαθοῦ καὶ ἀληθινοῦ Θεοῦ. πῶς ἐν τῷ ὄρει, ἐν ᾧ μετεμορφώθη ὁ σωτὴρ, καὶ τὴν δόξαν αὐτοῦ τῆς θεότητος παρεγύμνωσε, καὶ

XXVI. Videamus & ex hoc capite, numquid non Moyſes & Elias Lege viventes, ſervi fuerint & quidem ad libitum operantes boni & veri Dei. Quomodo in monte ubi transfiguratus eſt Salvator, manifeſtamque oſtendit ſuæ divinitatis gloriam, il-

1. Forte μεθ' ἣν.
2. Wolf. mallet οὐδὲν εἰς ἑαυτ. Ego οὐδ' εἰς.
3. Ms. ὡς παροίκοις.
4. Ms. ἀγαθότιδος.

ἐνήστραψε τοῖς προκειμένοις τῶν μαθητῶν, συμπαρῆσαν οὗτοι καὶ συναπήλαυον τῆς θείας ἀστραπῆς, μὴ τῆς αὐτοῦ λατρείας μηδὲ θεραπείας ὄντες; καὶ οὐ συμπαρῆσαν μόνον οἷα δὴ τυχόντες θεαταὶ, ἀλλὰ μαθητῶν μὲν τῶν πλειόνων οἰκειώσεώς τε προνομίοις καὶ θεοπτίαις ἐξαιρούμενοι· καὶ οἷς δὲ συνετάττοντο κἀκείνων τι πλέον ἔχειν παρὰ τῆς ἀγαθότητος δῶρον φέροντες. καὶ γὰρ δόξῃ περιαυγαζόμενοι συνελάλουν τῷ Ἰησοῦ, καὶ τῶν λόγων ἦν τὸ κεφάλαιον ὁ σταυρὸς, καὶ ἡ κατὰ τοῦ θανάτου νίκη, καὶ τὸ τρόπαιον. ὥστε ὅπερ ἦσαν τοῖς ἄλλοις Πέτρος καὶ Ἰάκωβος καὶ Ἰωάννης, τοῦτο Μωσῆ καὶ Ἠλίαν τούτοις εἶναι διεκόσμει κατάγε τοῦτο καὶ ἐμεγάλυνεν ὁ σωτήρ. ὅτι δὲ συνωμίλουν αὐτῷ καὶ τὴν πρώτην τάξιν ἐπλήρουν, ὧδε τὸ τῆς ἱερολογίας φησί· [a] καὶ ἐγένετο ἐν τῷ προσεύχεσθαι αὐτὸν, τὸ εἶδος τοῦ προσώπου αὐτοῦ ἕτερον, καὶ ὁ ἱματισμὸς αὐτοῦ λευκὸς ἐξαστράπτων. καὶ ἰδοὺ ἄνδρες δύο συνελάλουν αὐτῷ, οἵ τινες ἦσαν Μωσῆς καὶ Ἠλίας. ἀκούεις; Μωσῆς φησιν ἦσαν καὶ Ἠλίας, οἳ ὀφθέντες ἐν δόξῃ ἔλεγον τὴν ἔξοδον αὐτοῦ, ἣν ἔμελλεν πληροῦν ἐν Ἱερουσαλήμ. ἢ εἰ βούλει τὴν δόξαν, ὥσπερ ἄλλη διδάσκει γραφή· Μωσῆν καὶ Ἠλίαν τῆς αὐτοῦ θεότητος, ὡς ἐστὶν ἀνθρώπῳ δυνατὸν ἰδεῖν, παρίστησε θεατὰς μορφωθεὶς ὁ σωτὴρ, καὶ τοῖς μαθηταῖς συντάττει, μᾶλλον δὲ ὡς δέδεικται, προάγει. οὐχ ὅτι διόλου τὸ ἔλαττον ἔξουσιν, ἀλλ' ὅτι τοῖς μὲν τῷ νῷ διαπλεῖν ἔτι τὸν βίον, καὶ ταῖς τρικυμίαις, οἷα δὴ τὰ ἀνθρώπινα, ὑπελείπετο κλυδωνίζεσθαι, οἱ δὲ τὸν ὅρμον εἶχον ἀκύμαντον. ὁ δὲ τῆς ἀσφαλείας καὶ τοῦ λιμένος μήπω τυχὼν, τοῦ καταλαβόντος ἤδη, καὶ [1] πολὺ τιμιώτερον τὸ φορτίον φέρῃ τῇ ἀδηλίᾳ τῆς σωτηρίας, τοῦ βεβαίαν ταύτην ὁρμομένου πολλῷ λείπεται. πλὴν ἀλλ' οὓς τηλικαύτης δόξης ἀξιοῖ Χριστὸς ἡ ἀλήθεια, ὡς καὶ συλλαλεῖν αὐτοὺς αὐτῷ, καὶ ὑμνεῖν αὐτοῦ τὴν δόξαν καὶ τὴν ἔξοδον, ἆρα τούτοις οὐ φρίττεις κωμῳδεῖν, ἀλλ' εἰς πονηρὰν ἐλαύνεις ἀρχήν; τίς δ' αὐτὸν ἐκάλει καὶ χρείᾳ ἀγαθὸν ὄντα καὶ ἀγαθότητος πηγὴν, τοὺς οὐκ ὄντας μὲν αὐτοῦ, κακίᾳ δὲ συμφυεῖς, τοῖς τε ἄλλοις ἃ προείρηται τιμᾷν, καὶ πρὸς ἑαυτὸν μετακλήτους ποιεῖν; οὐδὲ γὰρ ἐκεῖνοι γνώμῃ παρῆσάν ποθεν, οὐδὲ γὰρ ἴσχυον, ἀλλὰ τὸν μὲν αὐτὸς ἐξ ᾅδου ἀναστῶν, τὸν δὲ ἐκ μεταρσίων τε καὶ φθορᾶς ἐλευθέρων μετάγων σκηνωμάτων, ἐξῳκειοῦτό τε καὶ συνῆπτεν αὐτοὺς ἑαυτῷ. καὶ οὐ ταῦτα μόνον, ἀλλά γε καὶ ὁ πατὴρ ἄνωθεν, παρόντων τῶν ἀλλοτρίων, ὡς οἱ τοῦ ἀλλοτρίου φασὶ, νεφέλην φωτὸς διετάννυεν ἐπισκιάζουσαν αὐτούς. καὶ φωνὴν ἐκ τῆς νεφέλης ἀφίει λέγουσαν· οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, ἐν ᾧ εὐδόκησα, αὐτοῦ ἀκούετε. τοὺς οὖν τηλικούτου θεάματος ἐπόπτας καὶ μύστας καὶ μυσταγωγοὺς, ἆρα οὐ διὰ πάσης προσῆκεν ἄγειν τιμῆς, οἷς λόγος ἐστὶν ὁπωσοῦν καὶ πράξεων καὶ κρίσεων τῶν δεσποτικῶν; ἀλλὰ γὰρ ὁ σωτὴρ καὶ πάντα σοφίας πλούτῳ καὶ φιλανθρωπίας καὶ πράττων καὶ προσδεχόμενος τῶν παίδων τοῖς ὕμνοις, οὓς τὰ παράδοξα τῶν ἔργων εἰς εὐφημίαν ἐκίνει δορυφορούμενος, ἐπεὶ τῶν Ἰουδαίων ἡ πώρωσις καὶ σκληροκαρδία εἰς διαγογγυσμοὺς ἐξεῤῥιπίζετο, οὐκ ἀλλαχόθεν αὐτοὺς ἐπιπλήττων στηλιτεύει. πάλιν δὲ τὸν Δαυϊτικὸν χρησμὸν ἄφυκτον ἔλεγχον [2] ἀνατείνει· καὶ δι' ἐκείνου τοὺς μὲν καταισχύνει, ἑαυτῷ δὲ τοὺς ὕμνους ἐπιβάλλειν διδάσκει· καὶ πόθεν τοῦτο καλόν; πόθεν δὲ ἀκόλουθον; δίκαιον δὲ πῶς ἂν εἴη τὸν παραγεγονότα καταλῦσαι τὸ τοῦ διαβόλου

luxitque selectissimis discipulorum, aderant simul isti, unaque fruebantur divino illo fulgore, si non sui cultus & famulatus erant? Nec aderant modo, quasi obvii quidam ac fortuiti spectatores; sed a majori quidem discipulorum famulitio privilegiis atque divinitatis obtutibus distincti, præ illis vero quibuscum degebant amplius aliquid favoris habere ab ipsa divinitate munus consequuti. Circumillustrati enim gloria colloquebantur cum Jesu, colloquiorum vero summa erat crux & de morte victoria atque tropæum. Itaque quod erant reliquis Petrus & Jacobus & Joannes, id Moysen & Eliam istis esse per hoc ipsum salvator gloriose & magnifice contulit. Quod vero colloquerentur cum illo, principemque locum obtinerent, hoc modo facer textus enarrat. [a] *Et factum est dum ille oraret, aspectus faciei ejus alius apparuit, & vestimentum ejus album refulgens. Et ecce viri duo colloquebantur cum illo, qui erant Moyses & Elias.* Audin'? *Moyses* inquit *erant & Elias, qui* apparentes in gloria *loquebantur exitum ejus, quem completurus erat in Jerusalem*: aut si mavis, gloriam, quemadmodum alia docet Scriptura. Moysem & Eliam suæ divinitatis, quantum fas est homini videre, spectatores effecit transfiguratus Salvator, atque cum discipulis conjunxit, atque adeo, ut ostendit, illis prætulit: non quod prorsus inferiores essent futuri; sed quia istis animo adhuc transnavigare vitam istam, & fluctibus, ut sunt scilicet humana, obrui restabat, dum illi portum tranquillum tenebant. Qui porro necdum securitatem aut stationem est assequutus, eo qui jam sit assequutus; & qui multo ponderosius onus gestat propter salutis incertitudinem, eo qui hanc tutam stabilemque invenit, longe est inferior. Verumtamen quos tanta gloria dignatur Veritas Christus, ut & secum colloquantur, & laudent ejus gloriam atque exitum; numquid non horres contumeliose insultare istis, sed ad malignum amandas Principium? Ecquis porro rogabat eum qui & usu ipso bonus erat, & fons bonitatis, ut eos qui sui non erant, sed erant mali natura ipsa, tum ceteris rebus quæ jam prædicta sunt, honestaret, tum ad se accerseret? Neque enim illi sponte adfuerunt uspiam, cum istud non possent; sed unum ipsemet ex inferis reduxit, alium a supernis & a corruptione immunibus deduxit habitaculis, eosque sibi socios adjunxit & copulavit. Neque hoc modo, verum etiam pater superne, præsentibus alienis illis, ut loquuntur qui nimirum ex alieno sunt, nubem luminis expandit quæ illos circumdaret, vocemque e nube illa emittit dicentem: *Hic est filius meus dilectus, in quo beneplacitum habeo, ipsi auscultate.* Hos igitur tanti spectaculi inspectores, callentes & doctores, nonne oportebat omne genus honoribus exciperent illi, apud quos qualiscumque sit ratio & operum & judiciorum Domini? Sedenim salvator, qui omnia secundum divitias sapientiæ & benignitatis facit, exceptusque est puerorum hymnis; dum eos quos opera stupenda ad acclamationem movebant, tutari vellet (Judæorum namque cæcitas & duritia cordis ad murmura irritabantur), non aliunde eos increpans confutat, sed rursus Davidicum vaticinium ceu ineluctabilem confutationem intorquet; atque per illud eos quidem pudefacit, ad se vero hymnos illos pertinere demonstrat. Et unde hoc bonum? unde consequitur? Justum vero quei sit, ut qui advenit dissolvere imperium diaboli, per

a Matth. xvii. 1. seqq.

1. Videtur deesse ὁ: ac nisi malis ὁ ὢν, mox legendum putem φέρει.

2. Wolfius putat legendum ἐλέγχει, sed minus necessario, ut videtur.

κράτος ; δι' ἐκείνου τὸ τῆς δόξης πρέπον , καὶ τὴν σύστασιν ἑαυτῷ ποιρίζειν [1] ; τοῦτο γὰρ τῆς ἀποστατικῆς σπορᾶς ὁ καρπός · καὶ ἅμα μὲν ἐπιδημῆται πάσης πίστεως ἄπορον τὸν ἐχθρὸν ποιεῖν , ἅμα δὲ τὰς μεγίστας αὐτῷ προξενεῖν καὶ λανθάνειν ἑαυτὸν ἀντισυνιστῶντα καὶ κρατύνοντα , οὗ τὸ κράτος ἥκεν ἀφελεῖν ; οἷς γὰρ ἄν τις διὰ τῶν τοῦ ψεύδους ῥημάτων τὴν ἀλήθειαν σπουδάζει δεῖξαι παροῦσαν ἑαυτῷ , καὶ τὸ ὁρισθὲν προελθεῖν , οὗτος ὃν τὸ ψεῦδος ἔσχεν ἀρχηγὸν , ἀληθείας δεικνὺς χορηγὸν τῆς ἐνούσης αἰτίας ἀπολύει . καὶ οὐδὲν μᾶλλον , [ἀλλ' ἵλεως εἴη Θεός ·] ἀνεύθυνον ἐπιδείκνυσιν ἑαυτὸν τῶν αἰτιαμάτων τῶν Ἰουδαϊκῶν , ἢ τὸν δι' οὗ ταῦτα ἀποσκευάζεται , τῆς τοῦ ψεύδους οὗ χορηγός ἐστιν ἐνοχῆς . ἆρ' οὐκ εἰς καλὸν ὑμῖν ὁ τῆς ἀποστασίας ἔρως τελευτᾷ , ἀληθείας μὲν κηρύττειν τὸν πατέρα τοῦ ψεύδους δημιουργὸν ; ἐξ αὐτοῦ δὲ κατασκευάζειν τὴν ἐνυπόστατον ἀλήθειαν δανείζεσθαι τὸ ἀληθὲς , καὶ οἷς δανείζεται , ἵνα μὴ λέγω μείζοσι , ταῖς ἴσαις ὀφλεῖν ἀντιδεξιοῦσθαι τιμαῖς.

A illum ipsum gloriæ decorem & commendationem sibi comparet ? (talis namque est apostasiæ sationis fructus :) ad hæc , ut hostem quidem reddat omni auctoritate vacuum inter homines , simulque illi primas partes conciliet , ignarus nec sibi conscius , quod sic potius stabiliat communiatque eum , ad cujus imperium destruendum venit ? Dum enim quis per mendacis verba veritatem sibi inesse demonstrare satagit , ac quod definitum erat , usuvenisse , is eum , quem falsitas habuit ducem , dum veritatis suppeditatorem ostendit , ab insita illi culpa absolvit : nihiloque amplius (at propitius sit Deus !) liberum se demonstrat a reatibus Judæorum , quam illum per quem istos destruit , a falsitatis cri- B mine , cujus est suppeditator. Ergone feliciter fortunateque vobis cedit amor apostasiæ , ut veritatis patrem publicetis esse qui auctor est mendacii , ex ipsoque essentialem Veritatem contendatis veritatem fuisse mutuatam , & quia mutuata est , paribus , ne dicam majoribus , debere excipi honoribus?

Φέρε δὴ καὶ διὰ τῶν παραβολῶν οὐκ ἐν παραβολαῖς , ἀλλ' ἐμφανῶς ἴδωμεν τὸ δόγμα καταλυόμενον τῶν ἀσεβῶν . ὅτι μὲν γὰρ καταγέγονεν ὁ σωτὴρ ζητῆσαι καὶ σῶσαι τὸ ἀπολωλὸς , οὐδενὶ μέχρι νῦν εἰς δισταγμὸν περιέστηκεν . εἰ δὲ τὸ ὡς ἀληθῶς ἀπολωλὸς πρόβατον τῆς ἀπωλείας ἠθέλησεν ἀνασώσασθαι , καὶ εἰς ἑαυτὸν ἐπιστρέψαι , καὶ πρὸς σωτηρίαν ἀνακαλέσασθαι , οὐδὲν ἐργῶδες συνιδεῖν , ὡς ἀρχῆς [2] τὸ ἀνθρώπινον σύγκριμα τῆς ἀγαθουργοῦ παλάμης ἔργον διδάσκει ἡ παραβολή . πάντως γὰρ τὸ ἀπολωλὸς πρόβατον τῆς μάνδρας πρότερον τῶν σεσωσμένων γεγονὸς , ὕστερον δὲ τῆς ἀγέλης ἀποσκιρτῆσαν εἰς τὴν τῆς ἀπωλείας ἀπεπλανήθη ὁδόν . τὸ μὲν γὰρ ἀπ' ἀρχῆς δι' ἀπωλείας φυὲν οὐδ' ἔχει φύσιν πρὸς τὴν σωτηρίαν ἐπανελθεῖν , μᾶλλον δὲ οὐδ' ὅλως ἐστὶν αὐτῷ τὸ ἐπανελθεῖν , οὐδὲ τὸ ἀνασωθῆναι . ἀλλ' οὐδ' ἐπῆλθεν αὐτῷ τὸ ἀπολωλέναι , εἴπερ ἐκ χείρονος μὲν ἅμα τῷ φῦναι προῆλθεν ἀρχῆς , οὐδέποτε δὲ τῆς ἀγαθότητος καὶ σωτηρίας ὤφθη μετασχών [3] . οὐ γάρ τις γέγονεν οὐδαμῶς , ἢ πῶς ἂν ἐκεῖθεν ῥηθείη καταπεσών ; καὶ ὁ σωτηρίας ἀμέτοχος προελθὼν , πῶς ἂν εἰς ἀπώλειαν κατενεχθείη , ἢ γένοιτ' ἂν ἀπολωλώς ; ἀλλὰ μὴν καὶ ὁ φιλάνθρωπος ἡμῶν δεσπότης , ὁ τῆς ἀληθείας διδάσκαλος καὶ χορηγὸς , τοῦ ἀπολωλότος μνήμην ποιούμενος πολλαχοῦ , οὐδαμοῦ συγκατεσκευασμένην αὐτῷ τὴν κακίαν , ἢ τὴν ἀπώλειαν οὖσαν οὐδὲ μέχρι ψιλῆς ἐπινοίας παραδηλοῖ · ἀεὶ δὲ ὡς ὕστερον τῆς τάξεως καὶ τῆς τῶν ἄλλων συναφείας τε καὶ συνδιατριβῆς ἀποῤῥαγὲν , οὕτως ἀπενεχθῆναι πρὸς τὴν ἀπώλειαν παρέχει νοεῖν · καὶ γάρ φησι · τί ὑμῖν δοκεῖ ; ἐὰν γένηταί τινι ἀνθρώπῳ ἑκατὸν πρόβατα . ἰδοὺ τὰ ἑκατὸν πρόβατα πᾶσα ἡ ἀγέλη ἀπλανής , οὐδὲν αὐτῶν τέως οὔτε πεπλανημένον , οὔτε ἀπολωλός . εἶτα κἂν πλανηθῇ ἓν ἐξ αὐτῶν , τῆς ἀγέλης τῶν σωζομένων διέστη , τῶν μὴ πεπλανημένων ἀπεπλανήθη , τῆς μάνδρας ἐξέβη . διὸ καὶ θᾶττον αὐτὸ [4] ὁ φιλάνθρωπος ἐπιζητεῖ , καὶ τοῖς μὴ πεπλανημένοις ἀνευρὼν συγκαταλέγει , καὶ χαίρει ἐπὶ τῇ εὑρέσει , καὶ τὰς φίλας δυνάμεις συγχαίρειν παρασκευάζει , ὅτι τὸ ἀποπλανηθὲν τῆς τάξεως καὶ δόξης αὐτῶν , πάλιν εἰς τὴν αὐτῶν ἐθεάσατο ἐπαναδραμὸν εὔκλειαν τε καὶ σωτηρίαν . καὶ τῶν δέκα δὲ δραχμῶν ἡ παραβολὴ , ἐξ ὧν ἡ μία ἀπώλετο , τὴν αὐτὴν ἀναμφιβόλως παρίστησιν ἔννοιαν . τό, τε γὰρ τὰς δέκα δραχμὰς τὸν αὐτὸν ἐντετυπωμένον φέρειν χαρακτῆρα , καὶ τὴν

XXVII. Agedum etiam per parabolas , haud vero parabolice , sed manifeste videamus dissolutam impiorum istorum doctrinam . Quod enim descenderit Salvator *ut quæreret & salvum faceret quod perierat* , nulli hactenus fuit ambigendi locus . At si quæ revera perierat ovis ab interitu salvari voluisset , & ad mentem suam reverti , & ad salu- C tem revocari , facile profecto esset illi in conscientia intelligere , quod parabola edoceat a rerum origine concretum humanum opus fuisse manus beneficæ. Omnino enim ovis quæ perierat , cum antea de grege salvatorum esset , subinde a grege exsiliens in viam perditionis aberravit . Quod enim ab initio ad interitum natum est , impossibile est ut ad salutem revertatur , atque adeo prorsus nec reverti nec salvari potest. Sed nec illi in mentem venisset perire , siquidem cum nascebatur ex sequiori prodibat principio , nec umquam participasse visum est bonitatis & salutis . Ubi enim numquam quis fuit , quomodo inde cecidisse dici posset ? sic qui salutis nullo modo particeps in orbem D prodiit , quomodo posset in perditionem deferri , aut omnino interiisse ? Sedenim & benignus Dominus noster , veritatis magister & largitor , alicubi sæpe memoriam faciens de ove quæ perierat , nequaquam cognatam illi malitiam vel interitum ullo modo , ne per levem quidem suspicionem , subindicat ; semper vero , quod postea , deserto ordine atque conjunctione & convictu ceterarum , tum demum in perditionem abrepta fuerit , intelligendum exhibet . Ait enim : [a] *Quid vobis videtur ? si quis homo habeat centum oves*. Ecce centum oves sunt totus grex inerrans . Nulla earum hactenus aut aberravit aut interiit . Deinde vero si qua ex illis aberret , a salvatarum grege longe discessit , a non errantibus aberravit , caula egressa est. E Quamobrem cito illam benignus requirit , inventamque cum non errantibus ponit , gaudetque de inventione , amicasque virtutes congaudere invitat , quia quæ aberraverat ab earum ordine & gloria , iterum in earum videt reverti felicitatem atque salutem . Immo & decem drachmarum parabola , ex quibus una amissa fuerat , eamdem citra dubitationem sententiam exhibet . Quod enim decem drachmæ eamdem impressam ferant notam , tantumdem

[a] Matth. XVIII. 12. seqq.

1. Ms. ποείζει .
2. Forte ἀπ' deest vitio typogr.

3. Forte μετισχόν . Mox videtur deesse ὁ post τις .
4. Ms. αὐτῷ , nisi malis αὐτῷ .

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 890.

ἴσην ῥοπὴν ἕλκειν, εἰ βούλει δὲ καὶ τὴν ὕλην μίαν πᾶσιν ὑποκεῖσθαι, τῆς ἐμφύτου ἀγαθότητος καὶ σωτηρίας τὸ ἀπαράλλακτον πάντοθεν ἐκδιδάσκει. καὶ εἰ μηδὲν τούτων παρείληπτο, ἀλλά τόγε ὑπὸ τὴν αὐτὴν κυριότητα πάσαν [1] τελεῖν, τὸ τῆς ἐξουσίας ἄτμητον καὶ ἀδιαίρετον ἀνακηρύττει. καὶ ἐξ ὧν ἐσώζοντο πᾶσαι, ὅτι τῆς ἀγαθουργοῦ μὲν δυνάμεως ἐτύγχανεν ἔργα, τῷ δὲ τῆς αὐτεξουσιότητος ἀξιώματι οἱ μὲν ἐφ' ἧτε προήχθησαν ἀγαθότητι καὶ σωτηρίᾳ διέμειναν, ὁ δὲ παρακινηθεὶς ἐκεῖθεν ἐξετράπη πρὸς ἀπώλειαν. καὶ γέγονε τὸ τῆς γνώμης αὐτοδέσποτον, ὥσπερ τοῖς καθ' ὃν ἔδει τρόπον χρησαμένοις αὐτῷ, τῆς τε ἐνούσης σωτηρίας καὶ ἀγαθότητος φυλακτήριον, καὶ προσθήκη μείζονος πλειότητος· [τὸ γὰρ χωρὶς τῶν πράξεων θαυμαζόμενον, καὶ τὴν ἀπὸ τῶν ἔργων δόξαν προσλαβὸν, πολὺ θαυμασιώτερόν τε καὶ τιμιώτερον·] οὕτω τοῖς παραχρησαμένοις τῷ χαρίσματι, εἰς ἀπώλειάν τε καταπεσεῖν τῆς ὁμοφυοῦς καλονῆς προελήλυθε, καὶ τὴν ἐπὶ τὰ χείρω λαβεῖν ἀλλοίωσιν τῶν κρειττόνων ἀλλαξάμενοι, εἰ μή τις τῆς ἐπὶ φθόρον ἀγούσης μεταβολῆς μετὰ πολλῆς σπουδῆς ἀνασώσειε, προδεδώκασι τὴν φύσιν καταπεπῶσθαι τῷ παραπτώματι.


A etiam habeant ponderis, ac si libet, eadem quoque materia constent omnes, undique demonstrat innatæ bonitatis ac salutis immutabilitatem. Immo quamvis nihil horum accipiamus, vel hoc solum, quod omnes in ejusdem fuerint dominio, indivisum inseparabileque esse proclamat. Et quatenus servatæ sunt omnes indicat, beneficæ eas virtutis opus fuisse, quodque arbitrii prærogativa alii manserint in ea bonitate & salute ad quam provecti fuerunt, dum qui inde dimotus est, in perditionem vergit. Unde etiam accidit, ut sicut rationis arbitrium iis qui bene eo usi sunt ut oportebat, insitæ salutis ac bonitatis custodia fuit; immo majoris perfectionis additamentum; (quod enim sine operibus admira- B bile est, si insuper gloriam quæ provenit ex operibus acquirat, longe admirabilius pretiosiusque evadit;) sic iis qui hoc dono abusi sunt, caussa fuit ut a cognata pulcritudine in perditionem ruerent; atque cum potiora illa commutaverint ut acciperent defectum in pejus labendi, nisi quis eos a mutatione ducente in corruptionem magna sollicitudine salvaret, naturam prodidissent ut a vitio absorberetur.

Ἐπιστράφηθι δὴ καὶ πρὸς τοὺς ἐκ τοῦ αὐτοῦ πατρὸς δύο πεφυκότας παῖδας, ὧν ὁ νεώτερος τὸν πατρικὸν οὐκ ἐλάττω τοῦ πρεσβυτέρου λαβὼν κλῆρον, εἰς χώραν μὲν ἄπεισι μακρὰν, καὶ τὴν τοσαύτην οὐσίαν κατασπαθήσας [2] τε καὶ κατασπαθήσας τῇ ἀποδημίᾳ, ὑπ' ἐνδείᾳ τῇ ἀνυπερβλήτῳ χοίρων τροφὴν προσεφέρετο τὰ κεράτια. τίς οὐ τῇ πλάνῃ τῇ τοσαύτῃ σταλάξειε δάκρυον; ὁ τηλικαύτης κύριος περιουσίας, μισθαρνίας ἔκδοτος, καὶ χοίρων τροφῇ τὴν ἀνάγκην κλέπτων τῆς φύσεως, εἶτα τοῖς πάθεσι καὶ τῷ λιμῷ μεταδιδαχθεὶς τὸ ὀλίσθημα, ἐπανέρχεται πρὸς τὸν πατέρα, καὶ συντετριμμένῳ καρδίας τὴν μετάνοιαν προχεάμενος, [ὢ τῆς περὶ ἐμὲ πολλῆς τοῦ πατρὸς καὶ δεσπότου φιλανθρωπίας·] πλείονος ἢ κατὰ συγγνώμην ἀξιοῦται δεξιώσεως. ὁ γὰρ πατὴρ τὸν νεωτερισμὸν οὐκ ὀνειδίζει, οὐδὲ τὴν πλάνην αἰσχύνῃ προάγει, οὐδ' ὅτι τῆς λιμοῦ μᾶλλον, ἢ τῆς γνώμης ἐστὶν ἡ ἐπιστροφή. οὐδὲν τούτων εἰς τὸν ἐξημαρτηκότα ἀπορρίπτει. ᾔδει γὰρ αὐτοῦ γέννημα εἶναι τὸν προσελθόντα, κἂν ἀλλοτρίαις ἐπισποραῖς ἐνοθεύετο, καὶ τῆς αὐτοῦ φιλανθρώπου παραγωγῆς, ἀλλ' οὐχ ἑτέρας ποθὲν νεωτεριζούσης καταβολῆς. μηδενὶ [3] δὲ τῶν λυπούντων προδιαθέμενος, μηδ' ἐπιβαλὼν ἄλγημα τοῖς πολυχρονίοις τοῦ παιδὸς ἀλγήμασιν. αἴθ' ὥσπερ σου τῆς πλάνης, οὕτω καὶ τῆς ἐπιστροφῆς καὶ τῆς ἀποδοχῆς κοινωνήσαιμι. ἀλλ' οὖν ὁ φιλάνθρωπος καὶ ἀγαθὸς πατὴρ, ἔτι πόῤῥω καὶ διὰ μόνης τῆς μετανοίας ὁρῶν προσερχόμενον, καρπὸν δὲ οὐδ' ὁντιναοῦν προβαλλόμενον, οὐκ ἀνέμεινε καὶ τοὺς ἐπὶ τῇ μετανοίᾳ πόνους, ἀλλ' ἰδὼν αὐτὸν οὕτω κατηφῆ, καὶ τῇ μετανοίᾳ μόνῃ ἀποβλέποντα, ἐσπλαγχνίσθη. καὶ δραμὼν ἐπέπεσεν ἐπὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ, καὶ κατεφίλησεν αὐτόν. τί δὲ ὁ υἱός; τίς ἂν ἃ τότε διεμέριζεν αὐτὸν ἀναριθμήσαι πάθη; αἰσχύνη, λύπη, φόβος, δειλία, κατήφεια, ἐλπίδες μόνῳ τῷ θέλειν σαλεύουσαι, ἀνάμνησις τῶν ἀρχαίων, μνήμη τῶν ὑπερορίων, λογισμὸς τῶν μελλόντων. ὁ δὲ κρατεῖ τῇ μετανοίᾳ πάντων, καὶ φησί· πάτερ, ἥμαρτον εἰς τὸν οὐρανὸν καὶ ἐνώπιόν σου, καὶ οὐκέτι εἰμὶ ἄξιος κληθῆναι υἱός σου· καὶ ἡ τῶν ῥημάτων ἐξομολόγησις τῆς ψυχῆς οὐ ψευδομένη τὴν διάθεσιν. παραυτίκα μὲν αὐτὸν τὴν στολὴν ἐνδύει τὴν πρώτην, καὶ δακτυλίῳ τῆς χειρὸς τὰς πράξεις σφραγίζει, καὶ ὑποδήμασι τοὺς πόδας, μηκέτι δα-

XXVIII. Converte jam te ad duos illos ex eodem patre natos liberos, quorum junior paternam haud minorem quam major natu cum accepisset hereditatem, in regionem abiit longinquam, distractaque C tanta substantia atque abligurita in ea peregrinatione, propter extremam indigentiam, porcorum cibo siliquis nempe nutriebatur. Quis tanto errori non illacrymetur? Homo tantæ dominus substantiæ, mercedis factum mancipium, & porcorum cibo necessitatem fallens naturæ, tandem a calamitatibus & esurie edoctus lapsum suum, revertitur ad parentem, & contritione cordis pœnitentiam profundens (o multam erga me patris & Domini benignitatem!) majore, quam qui per indulgentiam contingere solet, dignatur affectu. Pater namque juvenilem impudentiam non exprobrat, non errorem turpare instituit, nec quod ex fame potius, quam ex animi consulto reditus contingat. D Nihil horum in peccantem intorquet. Noverat enim genimen suum esse qui advenerat, (tametsi alienis commixtionibus ingenuitatem vitiaverat) atque suæ benignæ productionis, non vero alterius cujusquam, quæ nova tandem emerserit, procreationis. Nulla igitur eum re quæ dolorem afferre posset primo afficit, nec diuturnis filii afflictionibus afflictionem addit, (utinam quemadmodum te errantem, sic & revertentem sequerer, eodemque susciperer modo!) sed enim humanissimus ac benignus pater, adhuc longe positum & per solam pœnitentiam revertentem contuitus, at nullum ejus qualemcumque adhuc fructum afferentem, non exspectavit insuper pœnitentiæ labores; sed videns ipsum adeo squalidum, & solam pœnitentiam respicientem, misericordia motus est. Itaque currens E irruit super collum ejus, eumque deosculatus est. Quid vero filius? quis facile numeraverit affectus qui tunc illum distrahebant? pudor, dolor, metus, miseria, tristitia, spes solo desiderio exæstuans, priorum recordatio, exsilii memoria, futurorum cogitatio. At ille cuncta vincit pœnitentia, & ait: *Pater, peccavi in cælum & coram te, nec amplius sum dignus vocari filius tuus:* verborumque confessio animi affectionem non mentiebatur. Statim itaque induit eum stolam primam & annulo manus actiones obsignat, & calceamentis pedes ejus, ne amplius serpens calcaneum ejus

1. Forte πάσας. 2. Ms. κατασπαθήσας. 3. Wolf. mallet μηδὲν, at non videtur necessarium.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 890.



κνεῖν τὸν ὄφιν τὴν πτέρναν, ἀσφαλίζεται. εἶτα ϗ τὸν μόσχον θύει τὸν σιτευτὸν, καὶ εὐφραίνεται λαμπρῶς τε καὶ πολυτελῶς ὁ πατὴρ μετὰ τοῦ ἐκ νεκρῶν ἀναλύσαντος υἱοῦ, ϗ ἀναιρεθέντος μετὰ τὴν μακρὰν ἐκείνην ἀπώλειαν. ὁρᾷς ὅπως αἰνιγμάτων πάντων ἀκριβέστερόν τε [1] ϗ σαφέστερον ἡ παραβολὴ παραδίδωσιν; ἀγαθοῦ μὲν ϗ πλάστου ϗ πλάσματος προελθεῖν τε ϗ φῦναι τόν τε ἄσωτον υἱὸν, ϗ τὸν ὁμοφυῆ καὶ πρεσβύτερον αὐτοῦ ϗ χρόνῳ ϗ κατορθώμασιν, ὃς καὶ τῇ τοῦ πατρικοῦ οἰδιαίτῃ [2] διαμεμένηκέ τε καὶ τὴν προτέραν δόξαν, ϗ οὐσίαν μετὰ τοῦ πρεσβείου συνετήρησε. καὶ οὐχὶ τὸν μὲν πρεσβύτερον ἐξ ἄλλης, τὸν δὲ νεώτερον ἐξ ἀντικειμένης σπορᾶς ἢ γενέσεως προάγει, ἀλλ' ἄμφω καταβολῆς τε τῆς αὐτῆς, ϗ φύσεως ϗ προαγωγῆς ϗ διαίτης ἀναφαίρει. B καὶ ἐπιθεωρεῖν προσήκει, ὡς εἴ τις τοὺς τῆς παραβολῆς υἱοὺς τὴν ἀνθρωπίνην δηλοῦν φύσιν ὑπολάβοι, καὶ διὰ μὲν τοῦ πρεσβυτέρου τοὺς, οἳ τὴν ἀπ' ἀρχῆς διεσώσαντο χάριν, ϗ τὸ δῶρον οὐχ ὕβρισαν ἀσωτίᾳ· διὰ δὲ τοῦ νεωτέρου τοὺς ἀνθελομένους τὰ φαῦλα πρὸ τῶν ἀμεινόνων, ϗ τὴν οὐσίαν εἰς ἀσωτίαν ἀμειψαμένους· εἴτε τὸν μὲν τὴν ἀγγελικὴν, τὸν δὲ τὴν ἀνθρωπίνην παραδειγματίζειν κατάστασιν ϗ λῆξιν· εἰ βούλει δὲ [πῶς δ' ἂν σὺ βουληθῇς], τοὺς ὑπὸ τὸν νόμον τε ϗ ὑπὸ τὴν χάριν· οὐδὲν ἔλαττον δι' ἑκατέρας θεωρίας λαμπρῶς τε καὶ ἀναμφιβόλως ἀποδείκνυται, ὡς ἐκ τῆς αὐτῆς ἐστιν πατριᾶς ϗ ἀγαθότητος ϗ οὐσιώσεως τό, τε τῶν ἀγγέλων, ϗ τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος, ὅ, τε νόμος ϗ ἡ χάρις, C ϗ ἡ τῶν [3] ἀνθρώπων φύσις, κἂν ἡ μὲν τὸ ἔμφυτον συνδιεσώσατο χάρισμα, ἡ δὲ τῆς δωρεᾶς τὴν ἀπώλειαν ἀντεσπάσατο. ϗ τόγε τῆς παραβολῆς χρησιμώτατόν τε ϗ θαυμασιώτατον, ὡς μιᾶς τινος τῶν τριῶν μοίρας κρατούσης, οὐδὲν ἔλαττον ἢ εἴπερ αἱ τρεῖς τὴν ἴσην ἐκληροῦντο νίκην, τῆς ἀποστασίας τὸ φρόνημα καταβάλλεται.

Καταβάλλοιτο δ' ἂν ὁμοίως, καὶ οἷς τοὺς γραμματεῖς καὶ Φαρισαίους τῶν Ἰουδαίων ἐταλάνιζεν ὁ Χριστὸς, ὅτι τῶν μὲν δεδομένων αὐτοῖς ἠμέλουν νόμων, τὰς δὲ ἰδίας ἔμπροσθεν ἦγον. οὐαὶ γάρ φησιν ὑμῖν ὁδηγοὶ καὶ τυφλοὶ, οἱ λέγοντες· ὃς ἐὰν D ὀμόσῃ ἐν τῷ ναῷ, οὐδέν ἐστιν· ὃς δ' ἂν ὀμόσῃ ἐν τῷ χρυσῷ τοῦ ναοῦ, ὀφείλει· τουτέστιν, ὑπόδικός ἐστι δίκης, ὡς παραβάτης ὅρκου. εἶτα ὁρᾶτε τὸ μέγεθος ὑμῶν τῆς πλάνης κἂν νῦν, εἰ μὴ πρότερον. ἐπάγει γὰρ ταῖς προλαβούσαις ἐπιτιμήσεσι ϗ ταῦτα· μωροὶ ϗ τυφλοὶ, τίς μείζων ἐστίν; ὁ χρυσὸς, ἢ ὁ ναὸς ἁγιάζων τὸν χρυσόν; οὐχ ἅγιον μόνον τὸν νομικὸν ναὸν, ἀλλὰ καὶ τὴν γῆν [4] ἁγιότητος ϗ γινώσκων ϗ ἀποκαλῶν. ἀλλ' ὁ μὲν σωτὴρ τοιαύτην ἀφῆκε ψῆφον περὶ τοῦ ναοῦ· ὑμεῖς δ' αὐτὸν οὐ φρίττετε καθυβρίζειν τὴν ἐσχάτην ὕβριν πολεμίᾳ προσαναπαθέντες χειρί. καὶ τίσιν ἂν μᾶλλον τὸ, μωροὶ ϗ τυφλοὶ ἐφαρμόσειε; τοῖς τετιμηκόσι μὲν ὡς ἁγίους ἄμφω, προτετιμηκόσι δὲ τὸν χρυσὸν, E ἢ τοῖς καὶ τὸν ναὸν αὐτὸν καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτῷ τῇ βλασφήμῳ διασπῶσι γλώττῃ, ϗ μὴ πεφρικόσιν ἀρρήτοις ὕβρεσι καταπλύνειν, καὶ διωθουμένοις τῆς ἀγαθουργοῦ προνοίας εἰς τὴν ἀνυπόστατον τῆς τυραννίδος ἐπίνοιαν; εἶτα ϗ ὃς δ' ἂν ὀμόσῃ ἐν τῷ δώρῳ τῷ ἐπάνω τοῦ θυσιαστηρίου, ὀφείλει, ϗ ταῖς ἴσαις παροινίαις ἴση πάλιν ϗ ἡ παρατίμησις. μωροὶ ϗ τυφλοί· τί γὰρ μεῖζον; τὸ δῶρον, ἢ τὸ

A mordeat, tutatur. Deinceps etiam vitulum mactat pinguem, lætaturque insigniter & opipare pater cum filio a mortuis soluto repertoque post prolixum illum interitum. Videsne quomodo ænigmatibus omnibus accuratius quippiam & manifestius parabola tradat? a bono nempe & plaste & plasmate procedere & natum esse prodigum illum filium, æque ac cognatum atque superiorem illi tempore & virtutibus, qui in paternæ domus vivendi ratione permansit, & primam gloriam atque substantiam una cum ætatis prærogativa conservavit. Neque majorem natu ex uno, adolescentiorem vero ex contrario semine aut nativitate intelligendum insinuat; sed utrumque B demonstrat ejusdem originis, & naturæ & productionis & instituti. Par etiam est insuper animadvertere, quod si quis opinetur, filios in parabola commemoratos humanam innuere naturam; & per seniorem eos, qui gratiam primam conservaverunt, nec munus illud luxuria dehonestavere; per juniorem vero eos, qui mala melioribus antetulerunt, & substantiam in luxuriem immutarunt: sive etiam alterum angelicam, & alterum humanam significare constitutionem & exitum: aut si malis etiam (at tu quomodo malueris?) homines sub lege, & sub gratia constitutos; nihilo minus per utramque que considerationem clare certissimeque ostenditur, ex una eademque esse paternitate, bonitate C & essentia tam angelicum quam humanus genus, Legem item & Gratiam, atque angelorum hominumque naturam, quamvis illa insitum conservaverit munus, hæc vero muneris donique amissionem subierit. Quod vero in parabola utilissimum simul & longe mirabilius est, quæcumque ex tribus interpretationibus prævaleat, nihilo minus quam si tres illæ simul ex æquo obtinerent, apostasiæ sententia pessumdatur.

XXIX. Æque etiam pessumdari possit vel ex eo, quia Scribas & Pharisæos Judæorum miseros pronuntiabat Christus, propterea quod traditas sibi leges negligebant, & suas proprias illis anteferebant. D [a] *Væ!* ait enim *vobis, duces & cæci, qui dicitis; Quicumque juraverit per templum, nihil est: at quicumque juraverit per aurum templi, tenetur*: id est, culpæ reus est, quippe juramenti prævaricator. Deinde advertite magnitudinem erroris vestri saltem nunc, sin minus antea. Subnectit enim antecedentibus increpationibus ista quoque: *Stulti & cæci! quid majus est? aurumne, an templum quod aurum sanctificat?* Non sanctum modo legale templum, sed & terram sanctitatis plenam sic agnoscit & appellat. Atque hæc quidem fuit salvatoris de templo sententia. At vos non horretis per summam contumeliam illum hostili manui acceptum ferre. At enim in quosnam melius E congrueret illud, *cæci & stulti*? Num in eos qui honorabant quidem ambo ut sancta, præferebant tamen aurum; an in eos qui & templum ipsum, & quæcumque in ipso erant blasphema dilacerant lingua, nec horrent nefandis conviciis perluere, atque a benefica bonitate subtractum, ad commentitiam tyrannidis curam amandare? Sequitur; *Et quicumque juraverit per altare, nihil est: quicumque vero juraverit per donum altari impositum tenetur*. Contra quoque pares insultus, par iterum adhibetur confutatio. *Stulti & cæci! Quid enim*

[a] Matth. XXIII, 16, seqq.

1. Mallim τι.
2. Sic ms. legendum οἴκου διαίτῃ.
3. Sensus videtur postulare ἀγγέλων καὶ τῶν, etsi id Wolfius non notet.
4. Sensus & Wolfiana versio ostendunt excidisse heic μεστὴν, aut quid simile errore typogr.

θυσιαστηρίου τὸ ἁγιάζον τὸ δῶρον; οὐ τὸν ναὸν μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸ θυσιαστήριον ἁγιάζειν λέγων ὁ σωτὴρ τῆς ἁγιότητος. καὶ ἅγια μὲν ἅπαντα τὰ τοῦ ἱεροῦ, μετοχῇ δὲ καὶ μεταδόσει τὰ μὲν τῶν ἁγίων τὴν πρώτην εἰς τιμὴν ἐκληρώσατο τάξιν, τὰ δὲ δευτερεύει. καὶ τοὺς Ἰουδαίους οὐχ ὅτι πεπαρῳνήκασιν ἐν αὐτοῖς, ἀλλ᾽ ὅτι τὴν τάξιν τετολμήκασιν ἀμεῖψαι, τὸ τοῦ κόσμου φῶς, ἡ ἐνυπόστατος τοῦ Θεοῦ σοφία τυφλοὺς καὶ μωροὺς καταδικάζει. καὶ ὁ μὲν τὸν πατέρα καλῶς εἰδὼς [οὐδεὶς γὰρ οἶδε τὸν πατέρα εἰ μὴ ὁ υἱὸς, καὶ ᾧ ἐὰν ὁ υἱὸς ἀποκαλύψῃ·] οὗτος τὴν χάριν ἡμῖν τῷ πατρικῷ ναῷ καὶ τῷ θυσιαστηρίῳ παραγυμνῶν, αὐτὰ καὶ μεταδιδόναι τῶν ἁγιασμῶν ἐκδιδάσκει. σὺ δέ· [ὢ τί σε ἄν τις εἰπὼν ἀξίως προσείποι; τὸ γὰρ ἀνυπέρβλητον τῆς τόλμης πορρωτέρω σε καὶ μωροῦ καὶ τυφλοῦ παραπέμπει·] οὐ φρίττεις τῷ ἀρχεκάκῳ βδελύγματι τὰ ἅγια ἀναφέρειν; καὶ ὁ μὲν τοσαύτῃ τιμῇ καὶ δόξῃ περιτειχίζει τὰ νομικὰ ἱερὰ, καὶ τοὺς Ἰουδαίους, ὅτι τιμῶντες μὴ κατὰ τὸ προσῆκον ἐτίμων, τηλικαύτης ἀρᾶς καὶ δίκης ἐνόχους ποιεῖ, οὐ κατ᾽ ἐκείνων μᾶλλον, ἢ κατὰ σοῦ ταῦτα ἀφιείς· σὺ δὲ τοῦ μεγέθους τῆς σῆς βλασφημίας οὐδ᾽ οὕτως αἴσθησιν βούλει λαβεῖν; καὶ ἡ μὲν ἐνυπόστατος τοῦ Θεοῦ σοφία τοὺς γραμματεῖς καὶ Φαρισαίους ἔτι καθυποβάλλει τῷ οὐαὶ, ὅτι μὴ διὰ πάντων τῷ νόμῳ τὸ σεβάσμιον ἔνεμον, ἀλλ᾽ ἐν μὲν τοῖς μικροτέροις ἐνομοφυλάκουν, ἐν δὲ τοῖς μείζοσι παρηνόμουν. σὺ δὲ κατὰ πάντων τὴν γλῶσσαν ὀξύνων καὶ νόμων καὶ ἱερῶν, ἀλλὰ καὶ τοὺς ὅσοι ποτὲ κατὰ τὸν νόμον ἐπολιτεύοντο εἰς ἐσχάτην ἀσέβειαν ἕλκων, οὐκ οἴει πολυπλασίους τὰς ποινὰς ὑφέξειν; καὶ γὰρ ὁ σωτὴρ, οὐαὶ ὑμῖν ἐπιφέρει γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι ὑποκριταὶ, ὅτι ἀποδεκατοῦτε τὸ ἡδύοσμον καὶ τὸ ἄνηθον καὶ τὸ κύμινον, καὶ ἀφήκατε τὰ βαρύτερα τοῦ νόμου, τὴν κρίσιν καὶ τὸ ἔλεος καὶ τὴν πίστιν. καίτοιγε κατὰ τὸν τῆς ἀποστασίας λόγον, οὐκ ἐφ᾽ οἷς παρεώρουν τὰ τοῦ νόμου, ἀλλ᾽ ἐν οἷς ἔστεργον, τὰς εἰσπράξεις ἔδει τούτους ἀπαιτεῖσθαι. ἃ γὰρ οὐκ ἔστι τῷ ἀγαθῷ ἀρεστὰ, τούτων ὥσπερ ἡ πρᾶξις ἐν εὐθύναις τοὺς ἑλομένους ἀγάγει[1], οὕτως ἡ φυγὴ πάσης ἀνωτέρω τίθησιν αἰτίας. ἀλλ᾽ ὁ σωτὴρ ἡμῶν, ὁ τῆς παλαιᾶς ὥσπερ καὶ τῆς καινῆς κύριος ὑπάρχων καὶ δεσπότης, κατὰ τῆς νεωτεριζούσης ἀσεβείας μᾶλλον ἢ τῆς Ἰουδαϊκῆς ὀλιγωρίας τὴν ψῆφον ἐκφέρει· ταῦτα γὰρ ἔδει φησὶ ποιῆσαι, κἀκεῖνα μὴ ἀφιέναι, νόμῳ τὸν νόμον τὸν παλαιὸν τῷ νέῳ σφόδρα καὶ μετὰ πολλῆς ἀσφαλισάμενος τῆς κυριότητος. εἰ οὖν παρ᾽ ἐκείνων, ὅτι τὰ ἡμίση παρεώρων τῶν νομίμων, τηλικαύτην δίκην ὁ δίκαιος κριτὴς λαμβάνει, ὑμῖν τίς ἂν ἐξαρκέσῃ δοῦναι, καὶ ταῦτα οὕτως ἀνέδην οὐκ ἐξ ὀλιγωρίας, ἀλλ᾽ ἐξ ἀπεχθείας, θεομάχον τηλικαύτην ὕβριν κατὰ πάντων ἀπορρίπτουσιν; καὶ εἰς ἐκείνους τοὺς τῶν προφητῶν οἰκοδομοῦντας τάφους, καὶ τὰ τῶν δικαίων μνημεῖα κοσμοῦντας, καὶ μέρει τινὶ τὸ τῆς εὐλαβείας σχῆμα περιβαλλομένους, τῆς προφητοκτόνου φορᾶς ἀνευθύνους οὐκ ἀφίησιν, ἀλλ᾽ ὅτι τὰς γνώμας πρὸς τὴν πατρῴαν μιαιφονίαν οὐδὲν ἐχούσας εὐλαβέστερον ἔφερον, καὶ τιμωρίαις ἀπαραιτήτοις ὑποβάλλει· ὑμᾶς κατὰ τῶν προφητῶν πολὺ πλέον ἐκείνων μιαιφονοῦντας, καὶ οὐ μόνον πρὸς οἰκοδομὴν τάφων καὶ μνημείων ἐπιστροφήν τινα[2] δεχομένους, ἀλλ᾽ ἄσπονδον τὴν κατ᾽ αὐτῶν ἔχθραν καὶ μετὰ θάνατον, καὶ τὴν ἀνυπέρβλητον κρατύνοντας ὕβριν, τίς ἂν τιμωρία τὴν δίκην εὑρεθείη μὴ πολὺ ἐλάττω τοῦ τολμήματος ἀπαιτοῦσα; καίτοι εἰ τῆς κακουργίτιδος ἦσαν οἱ θεοφόροι προφῆται θεραπευταὶ, οὐ μόνον

Εἶτα μηδ' ἀνανῆψαι τούτους ἐθέλειν δηλῶν τῆς ἑκουσίας πηρώσεως, ἐπάγει· μήποτε ἴδωσι τοῖς ὀφθαλμοῖς, καὶ τοῖς ὠσὶν ἀκούσωσι, καὶ τῇ καρδίᾳ συνῶσι, καὶ ἐπιστρέψουσι, καὶ ἰάσομαι αὐτούς. ἐπαχύνθησαν τοιγαροῦν τὴν καρδίαν, διὰ τοῦτο βαρέως ἤκουσαν, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἐκάμμυσαν. ἐκάμμυσαν δὲ τοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ τὰ ὦτα ἐβάρυναν, μήποτε ἴδωσι τοῖς ὀφθαλμοῖς, καὶ τοῖς ὠσὶν ἀκούσωσιν. καὶ τούτων δὲ τὴν πήρωσιν ἑκόντες ὑπῆλθον, ἵνα μὴ ἐπιστραφέντες τῶν τηλικούτων παθῶν, τῆς ἰάσεως τύχωσιν. οὕτω μὲν οὖν σαφῶς ὁ προφήτης τοῦ τυφλώττειν καὶ κωφεύειν τὴν αἰτίαν τῆς Ἰουδαϊκῆς ἀνάπτει γνώμης καὶ προαιρέσεως, ἀλλ' οὐχὶ Θεοῦ ψῆφον ὑμενουν οὐκ εἰσάγει ταῦτα τοῖς Ἰουδαίοις ἐπιφέρουσαν. ὥσπερ δὲ κατ' ἐκεῖνο καιροῦ τῶν Ἰουδαίων τοὺς ἀγνώμονας ὁ προφήτης στηλιτεύων, ἔλεγεν, μήτε τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐθελῆσαι διανοῖξαι, μήτε πρὸς ἀκοὴν παρασχεῖν τὰ ὦτα πρὸς τὴν σωτηρίαν αὐτῶν, καὶ θεοπρεπῆ διδασκαλίαν, ἐκ δὲ τῶν συνήθως [7] αὐτοῖς ἁμαρτανομένων, μάλιστα δὲ τοῦ τύφου καὶ τῆς ἀλαζονείας, καὶ τοῦ πρὸς τὴν πλάνην μᾶλλον ἢ τὴν εὐσέβειαν ῥέπειν, ἔμυόν τε τὰ ὄμματα, καὶ τὴν ἀκοὴν συνεῖχον, αὐτοὶ ἑαυτοὺς τυφλοὺς καὶ κωφοὺς ἀπεργαζόμενοι, καὶ τὸ χαλεπότε-

II. Interrogatio LXXVI.

Quid innuit, quod a Domino discipulis in evangelio dictum est: [a] *Vobis datum est nosse mysteria regni Dei, ceteris vero in parabolis; ut videntes non videant, & audientes non intelligant?*

I. DIctum, cujus sensum intelligere postulasti, a quatuor Evangelistis descriptum est. Antea vero prædictum fuerat ab Isaia propheta. Sed tres amplificationis modo dictum illud suæ orationi intexunt, sanctus autem Matthæus appositionis instar, ac in modum testimonii adducit. Isaias enim quando dignus factus est ut videret gloriam Domini, & carbone per unum ex Seraphim ejus labia mundata sunt, tunc eam quoque audivit divinam vocem *Abi* dicentem, *& dic populo huic; auditu audietis & non intelligetis, & videntes videbitis, & non percipietis. Incrassatum est enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos conniverunt, ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur & sanem eos.* Et hæc quidem prophetica verba: quorum testimonium in evangeliis comprehenditur, & declarant insensibilitatem illius temporis Judæorum, & similiter etiam proloquuntur de illis qui postea eorumdem imbiberunt imitationem, nec doctrinæ salvatoris obtemperant. Usque adeo stupendis operibus & verbis supra naturam positis auditum illorum atque obtutum redarguit; alterum ceu sponte obsurdescentem, alterum ceu cæcutientem vitio infidelitatis: & quod neque ad tantam verborum utilitatem auditum aperire voluerint, neque ad ita divinas miraculorum faces oculos aperire passi sint. Quocirca etiam propheta surditatem & cæcitatem illorum non aliunde, nisi ex propria pravitate inesse illis testatus: *Incrassatum est* inquit *cor populi hujus.* Et quia cor suum incrassarunt, ideo etiam *auribus graviter audierunt, & oculos suos conniverunt.*

II. Deinde nec colligere se velle istos a spontanea cæcitate demonstrans, subjicit: *Ne forte videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur & sanem eos.* Incrassati igitur corde erant, propterea que graviter audierunt, & oculos suos conniverunt. Conniverunt porro oculos, & aures aggravarunt, ne forte videant oculis, & auribus audiant. Hujusmodi autem obtusionem sponte subierunt, ut ne conversi a tantis affectionibus, remedium consequerentur. Itaque manifeste adeo propheta cæcitatis & surditatis caussam in Judaicam refundit voluntatem & arbitrium; non vero Dei placitum ullatenus proponit tamquam quod ista Judæis irrogaverit. Quemadmodum autem per ea tempora ingratos Judæos propheta coarguens dicebat, nec oculos eos voluisse aperire, nec ad auditum aures præbere pro salute sua & Deo digna eruditione; immo vero ex consuetis peccatis suis, superbia præsertim & jactantia, ac propensione ad errorem potius quam ad pietatem, conniverunt oculos & auditum clauserunt, se ipsi cæcos ac surdos efficientes; & quod

[a] Lucæ VIII. 10. seqq.

1. Sic Colb. al. ἐγγέγραπται.
2. Al. τι.
3. Sic Colb. al. ἄλλοι μὲν λέγεις παραδράσεως.
4. Colb. προάγει.
5. Al. ἐκείνου, heic & alibi.
6. ῥημάτων ex Colbert. est, & mox, ἐθέλοντας, & θαυμάτων.
7. Al. συνήθων.

ρον, οὔπω παθόντες [1], ἑαυτοὺς βλέπειν τῶν ἄλλων μᾶλλον ἐνόμιζον, καὶ τῷ τῆς οἰήσεως ἐφλέγμαινον πάθει· διό τι νομομαθεῖς τε ἐδόκουν, καὶ τῶν προφητῶν τὰς φωνάς, ὃ πλέον αὐτῶν τὴν κατηγορίαν ἐπέτεινεν, τοῖς χείλεσιν περιέφερον, διὸ καὶ ἀνίατον αὐτοῖς τὴν νόσον κατεσκεύαζον. ἐντεῦθεν ὁ μὲν σωτὴρ τὸν ἐκ γενετῆς τυφλὸν δεικνὺς ὁρῶντα, τῶν δὲ τὴν θεομάχον γλῶτταν ἀντὶ τοῦ θαυμάζειν εἰς ὕβριν κινούντων, εἰς κρίμα φησὶν ἐγὼ εἰς τὸν κόσμον ἐλήλυθα, ἵνα οἱ μὴ βλέποντες βλέψωσι, καὶ οἱ βλέποντες τυφλοὶ γένωνται. καὶ δὴ καὶ τῶν Φαρισαίων ἐπιφθεγγομένων, μὴ καὶ ἡμεῖς τυφλοί ἐσμεν; εἰ τυφλοὶ ἦτε, φησίν, οὐκ εἴχετε ἁμαρτίαν· νῦν δὲ λέγετε ὅτι βλέπομεν, διὰ τοῦτο ἡ ἁμαρτία ὑμῶν μένει. ὁ μὲν γὰρ εἰδὼς ἑαυτὸν ἐξ ἀγνοίας τυφλόν, συνῆκέν τε τὸ πάθος, καὶ θᾶττον χωρεῖ πρὸς τὸν ἰατρόν. καὶ τοῦ φωτὸς ἐπιζητεῖ τὴν ἀπόλαυσιν, καὶ πρὸς ἐκεῖνο σπεύδει, καὶ τῆς φιλανθρώπου διὰ τοῦτο προνοίας καταξιοῦται, ταῖς σελασφόροις αὐτῆς ἀκτῖσι τὸν νοῦν φωτιζόμενος, καὶ πρὸς τὴν σωτηρίαν ἀναγόμενος. ὁ δὲ τῇ πωρώσει μὲν ἐσκοτισμένος, βλέπειν δὲ οἰόμενος [2], διπλῆν ἑαυτῷ τὴν τύφλωσιν κατεσκεύασεν, ὅτι τε μὴ βλέπει, καὶ ὅτι μὴ βλέπων, ὀξύτερον δοκεῖ τῶν ἄλλων ὁρᾶν. ἡ γὰρ οἴησις [3] σκότος οὖσα ψυχικῶν ὀμμάτων βαθύ, τῆς προκατασχούσης ἀμαυρώσεως ἐπιτείνει μᾶλλον τὸ νόσημα [4].

Ἀλλὰ γὰρ οὕτω μὲν τῶν προφητικῶν ῥημάτων τεθεωρημένων, οὕτω δὲ τῶν σεπτῶν λογίων διευκρινημένων, καὶ εἴ τι μέρος αὐτῶν ὑπάρχον τῇ διηγήσει μὴ συμπεριείληπται, οὐκέτι τοῖς ἀκροαταῖς ὁμοίως οἶμαι οὐδὲ τοσαύτην πρόφασιν ζητήματος παρέξει. δῆλον μὲν γάρ, ὡς τοῖς μαθηταῖς δέδοται γνῶναι τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ, ἐπεὶ μήτε τὴν καρδίαν ἐπαχύνθησαν [5], μήτε βαρέως ἤκουον, μήτε τὰ ὄμματα ἔμυον. τοῖς δὲ λοιποῖς, οὓς καὶ ἔξω καλεῖ, ἔξω γὰρ τῆς σωτηρίας σφᾶς αὐτοὺς περιέστησαν, οὐκέτι δέδοται. τοῖς γὰρ εἰρημένοις πάθεσι πᾶσαν ἑαυτοῖς ἀποτειχίσαντες σωτηρίαν καὶ ὠφέλειαν, εἰκότως οὐ δέδοται, ὅτι μηδὲ λαβεῖν αὐτοὺς ἐπιτηδείους παρεσκεύασαν. διὸ καὶ παραβολαῖς προσῆκε μᾶλλον λαλεῖν, ἢ γυμνὰ προτιθέναι τῆς χάριτος τὰ μυστήρια· οὔτε γὰρ συμφέρον, οὔτε κρίσεως ἀδεκάστου, εἰς τὴν αὐτὴν τάξιν τῆς διδασκαλίας καὶ σωτηρίας τιθέναι τὸν ἄξιόν τε καὶ τὸν ἀνάξιον· ὥσπερ οὐδὲ τοῖς χοίροις τοὺς μαργαρίτας προβάλλειν, οὐδὲ τοῖς κυσὶ ῥίπτειν τὰ ἅγια.

Ἐξ οὖν τῶν [6] εἰρημένων καὶ τό, ἵνα βλέποντες μὴ βλέπωσι, καὶ ἀκούοντες μὴ συνιῶσιν, ὁδὸν εὑρίσκει τῆς διαγνώσεως. τὸ γὰρ Ἵνα νῦν συγγενές ἐστι τοῦ Διότι, καὶ μεταλαμβάνεσθαι πέφυκεν θάτερον πρὸς τὸ ἕτερον. ὡσαύτως δὲ καὶ τὸ Μή, οὐκ ἀπαγορεύσεως, ἀρνήσεως δὲ χώραν νῦν ἐπέχει. καὶ ὅτι τὸ λαμβάνειν τὰς λέξεις οὕτως ἐνταῦθα μεῖζον τοῦ εἰκάζειν καθίσταται, τῶν τε προφητικῶν ῥημάτων ἡ διάνοια, δι' ὧν προῆλθε καὶ τὰ κυριακὰ λόγια, μάρτυς ἐστὶν ἀπαράγραπτος, ἀλλὰ καὶ ὁ ἱερὸς Ματθαῖος ἐπὶ τῆς αὐτῆς ἐννοίας ἀντὶ τοῦ Ἵνα χρησάμενος τῷ Ὅτι, καὶ ἀντὶ τοῦ ἀπαγορεύειν, ἀρνητικῶς ἀπαγγείλας τὸ χωρίον. καὶ γὰρ εἰσάγει τὸν κύριον λέγοντα· διὰ τοῦτο ἐν παραβολαῖς λαλῶ, ὅτι βλέποντες οὐ βλέπουσι. καὶ δῆλον, ὅτι σαφὲς καθίστη καὶ τὸ Ἵνα τοῖς ἄλλοις εὐαγγε-

gravius est., cum sic affecti essent, se magis ceteris videre existimabant, ardebantque præsumtionis vitio; quare legisdoctores sibi videbantur, & prophetarum voces (quod eorum accusationem gravabat magis) ore circumferebant, unde etiam irremediabile sibi malum conciliarunt: hinc salvator dum cæco a nativitate lumen restituit, ostendens impiam eorum linguam pro eo ut rem hujusmodi Deo acceptam ferrent, potius in calumnias moveri, [a] *In judicium*, inquit, *ego in mundum veni, ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant*. Pharisæis vero regerentibus, *Num & nos cæci sumus? Si cæci essetis*, inquit, *non haberetis peccatum. Nunc autem dicitis, Videmus: propterea peccatum vestrum manet*. Qui enim sese ex ignorantia cæcum considerat, tum morbum suum agnoscit, tum etiam citius ad medicum contendit: lucis quoque usuram postulat, ad illamque festinat, & propterea benigna dignatur providentia, ac fulgentibus illius radiis mente illustratus, ad salutem revocatur. At qui cæcitate obtenebratus, putat nihilominus se videre, duplicem sibi cæcitatem conciliat; tum quia reipsa non videt, tum etiam quia non videns, acutiori se præditum acie, quam ceteri, arbitratur. Præsumtio enim cum sit velut profundissimæ oculorum mentis tenebræ, præcedentis obscuritatis morbum magis intendit.

III. Hoc igitur modo consideratis propheticis verbis, atque sic dilucidatis venerabilibus oraculis, etsi qua pars eorum expositione non sit comprehensa, haud tamen arbitror auditoribus similem nec tantam quæstionis amplius exhibituram esse occasionem. Liquet enim, Discipulis datum fuisse cognoscere mysteria regni Dei, siquidem nec cor incrassatum habebant, nec graviter audiebant, nec oculos conniverunt. Ceteris vero, quos & extra positos nuncupat, extra enim salutem sese posuerunt; non utique datum est. Prædictis enim affectionibus universam sibi obstruentes salutem & auxilium, jure datum illis non est, quandoquidem nec aptos se ad recipiendum præparaverant. Quamobrem parabolis potius cum illis utendum erat, quam nuda proponenda gratiæ mysteria. Nec enim utile fuisset, aut sinceri judicii in eamdem doctrinæ & salutis classem revocare dignum æque, atque indignum: quemadmodum nec porcis margaritas projicere, nec canibus dare sancta.

IV. Ex his igitur quæ dicta sunt, illud quoque, *Ut videntes non videant, & audientes non intelligant*, reperit facilem suæ expositionis modum. Particula enim *Ut* tantumdem valet atque *Ideo*, & altera pro altera usurpari potest. Itidem & particula *Non*, hoc loco non prohibendi, sed negandi dumtaxat vim obtinet. Quod vero heic isto modo voces accipere aliquid revera amplius, quam sola suspicio sit, non modo propheticorum verborum sensus, ex quibus emanarunt dominica etiam oracula, testimonio est omni exceptione majori; verum etiam & sanctus Matthæus, qui in eamdem sententiam pro *Ut*, usus est vocula *quoniam*, & pro verbo prohibendi, negativo sensu locum retulit. Inducit enim Dominum dicentem: *Propterea in parabolis loquor, quoniam videntes non vident*. Liquet porro, quod manifeste vocula *Ut*

[a] Joan, IX. 39. seqq.

1. Colb. διαθέντες.
2. δι' οἰόμενος est ex Colbert.
3. Al. ὄκνησις.
4. Al. νόημα.
5. Sic Colb. al. ἐπαχύνθησαν.
6. Al. καὶ τὸν. Mox ἵνα est ex Colbert.

SÆCUL. IX CIRCA ANN. CHR. 890.

λισταῖς ἀντὶ τοῦ ὅτι παρειλημμένον, καὶ τὸ ἀπαγορευτικὸν μόριον τὴν τοῦ ἀρνητικοῦ δύναμιν ἀναδεδεγμένον.

Ἀλλ' οὕτω μὲν τὴν προγονικὴν τὸ Ἰουδαίων ἔθνος ἀπόνοιαν καὶ ἀγνωμοσύνην οἰκειούμενοι, τῆς δεσποτικῆς διδασκαλίας καὶ ὠφελείας ἀποστερεῖν ἑαυτοὺς κέρδος ἐτίθεντο. καὶ γὰρ οὐ τοσοῦτον τὰς πηγὰς τῆς σωματικῆς γενέσεως εἰς ἐκείνους ἀνέφερον, ὅσον τὴν πώρωσιν τῆς καρδίας καὶ τὸ τῆς γνώμης ἀχάριστον. θαλάσσης ὁ παλαιὸς Ἰσραὴλ ὑγρὰ κύματα πεζοπορούντες διέβαινον, στύλος πυρὸς καὶ νεφέλης τὴν ὁδὸν αὐτοῖς παρεσκεύαζεν ἄλυπον. ὁ μὲν ἐν νυκτὶ πυρσὸν ἀνάπτων, ἅμα καὶ χειραγωγῶν τὸν ἀχάριστον, ἡ δὲ τὴν λυποῦσαν τοῦ ἡλίου φλόγα, ἀντὶ τῆς κατ' οἶκον ὀροφῆς, ἀποστέγουσα, καὶ τὴν ἡμέραν τῆς ὁδοιπορίας εὐφροσύνης ἡμέραν ἀποφαίνουσα. καὶ ἐν κεφαλαίῳ φάναι, τῶν ὑπὲρ λόγον εὐεργεσιῶν ἀπολαύσαντες, καὶ πᾶσι τοῖς κατὰ τὸν βίον ἀγαθοῖς περιρρεόμενοί τε καὶ πιαινόμενοι, ἀπελάκτιζον μᾶλλον, καὶ πρὸς τὴν τοῦ Θεοῦ ὕβριν ἐξεμαίνοντο, τῶν εἰδωλικῶν μιασμάτων [1] τὸ σέβας τῆς εἰς τὸν δημιουργὸν ἀνταλλαττόμενοι πίστεως. καὶ οἱ τῆς ἐκείνης δὲ γνώμης οὐκ ἔλαττον ἢ τῆς γονῆς φύντες, διὰ τῆς τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἐπιδημίας παραπλησίων καὶ ὑπερφυῶν θαυμάτων τελουμένων θεαταὶ γινόμενοι, νῦν μὲν παθῶν σωματικῶν ἀνιάτων ἐλαυνομένων λόγῳ, νῦν δὲ βλάβης δαμονίας καὶ ἐπιβουλῆς τοῦ πλάσματος ἀπαλλαττομένου, καὶ ψυχικῶν δὲ τραυμάτων τῇ διδασκαλίᾳ θεραπευομένων, νεκρουμένην δ' ἤδη θανάτου τὴν ἰσχὺν εὐαγγελιζομένων· καὶ πολλῶν ἄλλων δωρεῶν τε καὶ εὐεργεσιῶν ἀξιούμενοι, οὐδὲν μὲν τούτων καθορᾶν γνώμην εἶχον, οὐδ' ἀμείψασθαι [2] τὸν εὐεργέτην· πρὸς μόνην δὲ τὴν θεομάχον ἐξωτρύνοντο γλῶσσαν, καὶ τῶν βλεπόντων καὶ ἀκουόντων ἁρπάζοντες τὸ ἀξίωμα, καὶ σφίσιν αὐτοῖς περιτιθέντες, ὅτι ἀκούειν ἤθελον τῶν δεσποτικῶν ῥημάτων, σάλπιγγος γεγωνοτέρως αὐτοὺς πρὸς τὴν σωτηρίαν ἀνακαλουμένων, καὶ πολλοὺς τῶν ἐθνῶν πρὸς αὐτὴν συναγόντων, καὶ τὴν τῆς ἀληθείας ἐπίγνωσιν ἀναδιδασκόντων. οὔτε τὰ ὑπ' ὄψιν τελούμενα τῶν θαυμάτων βλέπειν ἐβούλοντο, πρὸς μόνας δὲ τὰς δυσφημίας, καὶ τὸν νοῦν αὐτῶν καὶ τὴν γλῶτταν ἐξώπλιζον. διόπερ εἰκότως αὐτοῖς τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας οὐκ ἐπιστεύετο, χωρὶς γὰρ τῶν ἄλλων, καὶ διότι μεῖζον αὐτοῖς κρίμα περιῆπτε πιστευόμενον [3]. οὕτω γὰρ ἄν τις μειζόνων ἀξιοῦται, ὁ δὲ πρὸς τὸ χεῖρον ἀντὶ τῆς ἐπὶ τὸ κρεῖττον μεταβολῆς ἀπονεύει, οὗτος [4] διπλῆς ἔνοχος κατακρίσεως, τῆς τε προλαβούσης κακίας, καὶ τῆς ἐπ' αὔξησιν μοχθηρίας τὴν εὐεργεσίαν ποιησαμένης προαιρέσεως.

posita est & ab aliis evangelistis in sensum particulæ *quoniam* usurpata, quodque prohibitiva particula vim præsefert negativæ.

V. Sic porro paternam amentiam & improbitatem adoptando gens Judæorum, dominicis sese documentis & auxiliis privare in lucro ponebant. Etenim non solum fontes corporeæ generationis ad illos referebant, verum etiam magis cæcitatem cordis, & animi ingratitudinem. Maris vetus Israel humidos fluctus pedestri itinere transmiserat; columna ignis & nubis semitam illis sine molestia præparabat; ille quidem noctu ardentem tædam incendens, simulque ingratum populum veluti manu ducens; ista vero molestum solis jubar, ceu domorum tectum, propulsans, diemque profectionis diem efficiens lætitiæ: atque ut compendio dicam, cum beneficiis quæ omne mentis captum superant fruerentur, omnibusque vitæ bonis diffluerent ac pinguescerent; recalcitrabant tamen potius, & in Dei contumeliam furiose erumpebant, idololatricarum abominationum cultum pro fide in creatorem usurpantes. At qui ejusdem sententiæ non minus quam generis nati sunt filii, per salvatoris nostri adventum similium, atque adeo longe sublimiorum miraculorum quæ perpetrabat spectatores facti; dum modo morbi corporum irremediabiles verbo fugabat, modo a dæmoniacis noxis & insidiis creatura liberabatur; dum spiritualia vulnera documentis sanabantur, quæ mortificatam jam mortis potestatem feliciter annunciabant: dum multis aliis donis & beneficiis digni habiti sunt, ad nullum horum animum intendere voluerunt, nec benefactori vices reddere. Quinimmo pugnacem dumtaxat in Deum linguam exacuebant, arripientesque prærogativam videntium & audientium hominum, sibique illam tribuentes, nec audire voluerunt dominica verba, quæ sonantius multo quam tuba illos ad salutem vocabant, multosque ex gentilibus ad eam congregabant, & veritatis cognitione imbuebant: nec quæ ob oculos illorum fiebant prodigia intueri voluerunt, sed ad sola contumeliosa verba mentem linguamque suam armabant. Propterea jure illis mysteria regni non credebantur: præter cetera enim, iccirco etiam quia majorem illis peperissent damnationem si credita fuissent. Quanto enim quis majoribus dignatur, & is ad pejus propendet potius, quam in melius mutatur; homo hujusmodi duplicis est reus damnationis, sive propter antecedentem malitiam, sive propter voluntatem, quæ beneficio abutitur ad incrementum pravitatis.

Ὅτι δὲ μὴ ἀποκληρωτικόν ἐστι τὸ δεδόσθαι μὲν τοῖς μαθηταῖς ἐπιγνῶναι τὰ μυστήρια, τοῖς δὲ μή, καὶ πρότερον μὲν ἀποδέδεικται· οὐδὲν δὲ ἧττον παρίστησι καὶ ὁ σωτήρ, μακαρίζων τοὺς μαθητάς, ὅτι βλέποντες βλέπουσι, καὶ ἀκούοντες ἀκούουσιν. ὁ μακαρισμὸς γὰρ παρά γε τοῖς λογίοις, καὶ μάλιστα τοῖς κυριακοῖς, οὐκ ἀνάγκης ἐστὶν εἰσαγούσης τὸ ἀπαραίτητον, προαιρέσεως δὲ γινομένης τοῦ βελτίονος. μακάριος γὰρ ἀνήρ, ὃς οὐκ ἐπορεύθη ἐν βουλῇ ἀσεβῶν. καί, μακάριος ἀνήρ, ὃς οἰκτείρει ψυχὰς κτηνῶν αὐτοῦ· ὁ δὲ σωτὴρ καὶ κατὰ συνέχειαν πολλοὺς μακαρισμοὺς συνάπτων, οὐδένα τούτων, ἐφ' ὧν ἀποκλήρωσις ἔχει τὴν ἰσχύν, ἀπονέμει, εἰς ἐκείνους δὲ συνάγει πάντας, ὧν ἀρετὴ καρπὸς ὑπάρ-

VI. Quod vero ex hereditario quodam jure non proveniebat, ut daretur discipulis cognoscere mysteria, ceteris vero non item, satis in antecedentibus demonstratum est. Nihilominus & sospitator noster id ostendit, dum beatos prædicat discipulos, quia vident, & audientes audiunt. Beatitudo enim in scripturis, ac præsertim in Evangeliis, non refertur ad necessitatem quæ irrecusabilem rem inducat, sed ad arbitrium quod rem eligit meliorem. Etenim *Beatus vir, qui non incessit in concilio impiorum*: &, [a] *Beatus vir, quem miseret animarum jumentorum suorum.* Salvator vero etiam multas continenter subjungens beatitudines, nullam illorum tribuit illis rebus, in quibus fortuna dominatur; sed universas confert in eos, quorum fructus est virtus,

[a] Prov. XII. 10.

1. Al. βιασμάτων.
2. Ms. ἀμύνασθαι.
3. Error typogr. pro πιστευόμενα, ut videtur.
4. Al. οὕτως.

χει, καὶ γεώργιον τῆς προαιρέσεως. οὐκοῦν οὔτε τοῖς μαθηταῖς κατ' ἀποκλήρωσιν ἐδέδοτο τὰ μυστήρια γνῶναι τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ, οὔτε τοῖς ἀγνώμοσι τῶν Ιουδαίων τούτων ἡ ἄγνοια. ἀλλ' ὅτι τυφλούς τε καὶ κωφοὺς ἑκόντες ἀπέφηναν ἑαυτούς· τούτων ἀναξίους ἡ θεία καὶ ἀδέκαστος κρίσις διήλεγξεν. πῶς οὖν τῶν μαθητῶν ὁ ἠγαπημένος τὸ τῆς θεολογίας ὄργανον, λέγει· τετύφλωκεν αὐτῶν τοὺς ὀφθαλμούς, καὶ πεπώρωκεν αὐτῶν τὴν καρδίαν, οὐδὲν ἔργον ἐκ τῶν εἰρημένων ἤδη συνιέναι. εἰ μὲν γὰρ μὴ ἐκάλει τοῦ λόγου τὸν Ησαΐαν μάρτυρα, ἢ [1] ἐφ' ἑτέρου θεωρήματος προῆγε τὰς αὐτὰς φωνάς, ἀπορίας ἄϋπνος ὑπῆρχεν ἀφορμή, καὶ ζήτησις παρὰ τὰς εἰρημένας ἄλλης ἐπιλύσεως. ἐπεὶ δὲ διὰ τῶν προφητικῶν καὶ ταῦτα προάγεται λόγων, ἐξ ὧν σαφεστάτη καὶ οὐδὲν ἄπορον ἐπιφέρουσα ἐξέλαμψεν ἡ διάνοια, καὶ μὲν καὶ τῶν ἄλλων εὐαγγελιστῶν, ὅσον ἦν ἀμφισβητούμενον, διεκρίθη· δῆλον ὅτι προδιαλέλυται καὶ ἅπερ ἔμελλεν ἐπὶ τῶν ῥημάτων τούτων διαπορεῖσθαι. ἴσον γὰρ ὁ πρῶτος ἀναγραψάμενος τὰς δεσποτικὰς πράξεις ἐκδιδάσκειν δύναται [2] τό, τετύφλωκεν καὶ πεπώρωκεν, καὶ τό, διὰ τοῦτο ἐν παραβολαῖς αὐτοῖς λαλῶ, ὅτι βλέποντες οὐ βλέπουσι, καὶ ἀκούοντες οὐκ ἀκούουσιν.

Εἰ δέ τις τό, τετύφλωκεν καὶ πεπώρωκεν, οὐ προηγούμενα πάθη, ἀλλ' ἐκείνοις ἑπόμενα μᾶλλον θείη, οἷόν τινα ἀντιμισθίαν τῶν φθασάντων ὄντα· οὐδ' οὕτως ἂν εἴη σκοποῦ διαμαρτάνων, δι' οὗ φέροιτ' ἂν οὐ πόῤῥω τῆς ἀληθείας. ἐπεὶ γὰρ ἑκόντες ἔμυσαν τοὺς ὀφθαλμοὺς καὶ τὰ ὦτα συνέσχον, τούτων προηγησαμένων τῶν παθῶν ποινὴ γέγονεν αὐτοῖς ἐπακολουθήσασα τῇ ἑκουσιότητι τῆς μοχθηρᾶς γνώμης ἡ τύφλωσις καὶ ἡ πώρωσις, ὧν ἓν εἴη καὶ τὸ μὴ δεδόσθαι αὐτοῖς τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας γνῶναι. ἔστι δὲ καὶ πρὸ βραχέως ἀκοῦσαι λέγοντα τὸν Ιησοῦν, ὡς αὐτὸς ὁ τῆς βροντῆς ἔγραψεν υἱός· ἔτι μικρὸν χρόνον τὸ φῶς μεθ' ὑμῶν ἐστι· περιπατεῖτε, ἕως τὸ φῶς ἔχετε, ἵνα μὴ τὸ σκότος ὑμᾶς καταλάβῃ. καί, ὁ περιπατῶν ἐν τῇ σκοτίᾳ οὐκ οἶδε ποῦ ὑπάγει. ἔλαμψεν μὲν γὰρ τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν παραγεγονὼς ὁ τοῦ κόσμου σωτήρ. οἱ δὲ οὐκ ἠθέλησαν ἐνατενίσαι πρὸς αὐτό, οὐδ' ἐν τῇ σελασφόρῳ αἴγλῃ τῶν δογμάτων αὐτοῦ περιπατεῖν. διὸ ἀκολούθως αὐτοὺς κατέλαβεν ἡ σκοτία δίκην ἀπαιτοῦσα τῆς προκατασχούσης αὐτοὺς μοχθηρίας. καὶ τοῦτο λέγοιτ' ἂν τετυφλῶσθαι καὶ πεπωρῶσθαι εἰκότως. καὶ ὥσπερ τῷ θελήσαντι περιπατεῖν ἐν τῷ φωτὶ ἕπεται καὶ τὸ εἰδέναι ποῦ ὑπάγει, οὕτως τῷ μὴ θελήσαντι περιπατεῖν ἐν τῷ φωτὶ [3] συνακολουθεῖ τό, βαδίζοντα ἐν τῇ σκοτίᾳ εἶναι, καὶ τυφλῶν καὶ πεπωρωμένων ὁδὸν ἀθλίως ἐξανύειν. προείρηται δὲ καί, ὡς τῆς δεσποτικῆς καὶ σωτηρίου διδασκαλίας ἡ ἀστραπὴ τυφλοὺς καὶ πεπωρωμένους ἐστηλίτευσεν τοὺς Ιουδαίους, καὶ τὴν πρὶν ἐνοῦσαν τοῖς ψυχικοῖς αὐτῶν ὄμμασι λήμην [4] καὶ ἀβλεψίαν ἐμφανεστέραν δὲ καὶ κατάδηλον ἐποίησε μᾶλλον· ὥσπερ γὰρ ὁ αἰσθητὸς οὗτος καὶ περικαλλὴς ἥλιος λαμπρὰς τοῦ δίσκου τὰς ἀκτῖνας ἐναφιείς, ἐλέγχει τοὺς νοσοῦντας τὰ ὄμματα· οὕτω καὶ ὁ νοητὸς ἥλιος, τὸ φῶς τὸ ἄδυτον καὶ ἀνέσπερον, Χριστὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν, ἐπιδημήσας τῷ κόσμῳ, καὶ διὰ τῶν θεοπρεπῶν τε καὶ ὑπὲρ λόγον θαυμάτων ἐναστράψας αὐτοῦ τῆς θεότητος τὴν αἴγλην, ἐπὶ πλέον διήλεγξεν τῶν ἀγνωμόνων Ιουδαίων τὸ προκατασχὸν αὐτῶν τὰ τῆς ψυχῆς ὄμματα σκότος, καὶ τὴν ἀβλεψίαν. ἀλλ' ὥσπερ ὁ ἐγκόσμιος ἥλιος οὐκ ἔστιν αἴτιος τῆς τυφλό-

A atque proventus quidam arbitrii. Itaque nec discipulis forte fortuna datum est nosse mysteria regni Dei, neque impiis Judæis horum esse ignaros. Sed quoniam cæcos surdosque sponte seipsos effecerunt, his indignos divinum illibatumque judicium eos arguit. Quomodo ergo dilectus discipulus, organum illud theologiæ, dixerit: [a] *Excæcavit eorum oculos, & quasi callum obduxit cordi eorum*, facili ex dictis negotio jam licet intelligere. Si enim non adduxisset orationis suæ testem Isaiam, vel in alio proposito adduxisset easdem voces, esse fortasse posset quædam ambigendi occasio, & quæstio quæ aliam præter dictas solutionem postularet. At quia ista quoque per prophetica proferuntur verba, ex quibus manifestissima nullamque inferens dubitationem B effulsit sententia; immo vero etiam in aliis evangelicis verbis quidquid dubii inerat, declaratum est: propterea liquet jam in antecedentibus dissolutum fuisse quicquid in verbis istis difficultatis moveri potuisset. Ex æquo enim primus qui dominica gesta descripsit, docet accipiendum tum illud *Excæcavit & obduravit*; tum illud, *Propterea in parabolis loquor, quia videntes non vident, & audientes non audiunt*.

VII. Quod si quis illud *Excæcavit & callum obduxit*, non pro antecedentibus affectionibus, sed potius pro inde consequutis accipiat, tamquam quæ retributio quædam fuerint & merces præcedentium: C ne hoc quidem pacto a scopo aberraret, cum haud longe a veritate vel sic abriperetur. Quandoquidem enim ultro oculos clauserunt & aures obturarunt, harum præcedentium affectionum consequens pœna fuit excæcatio & obduratio, quæ illis contigit ob voluntariam pravitatem animi, ex quibus pœnis una etiam illa fuerit, quod datum ipsis non sit nosse mysteria regni. Licet vero audire Jesum paullo ante dicentem, sicut ipsemet tonitrui filius scripsit: *Adhuc modicum tempus lumen vobiscum est. Ambulate donec lumen habetis, ut ne tenebræ vos comprehendant*. Et, *Qui ambulat in tenebris, non videt quo vadit*. Affulsit quidem lux vera salvator mundi qui venit; at illi noluerunt oculos in illum intendere, neque in fulgentissimo splendore doctrinarum ejus ambulare. Icd circo consequenter eos tenebræ comprahenderunt, D quæ pœnas exigerent iniquitatis quæ illos jam præoccupaverat. Id porro dici potest merito excæcari & obdurari. Ac quemadmodum volenti ambulare in luce usu venit & videre quo pergat; sic non volenti ambulare in luce contingit, ut in tenebris incedat, atque cæcorum hebetatorumque viam miserabiliter absolvat. Antea vero etiam dictum est, quod dominicæ & salutaris doctrinæ fulgor cæcos obduratosque coarguit Judæos, quodque vitium illud quod jam inerat in spiritualibus eorum oculis hebetatamque aciem mentis longe manifestiorem longeque evidentiorem effecit. Quemadmodum enim sensibilis iste & pulcherrimus sol fulgentes sui disci E radios emittens, quinam oculis laborent ostendit; sic etiam intellectualis sol, lumen inquam illud occasus & vesperi nescium, Chistus Deus noster, in mundum veniens, atque per divina & super hominum mentem posita prodigia, fulgente suæ divinitatis splendore, multo magis ostendit consceleratissimorum Judæorum quænam tenebræ oculos animæ præoccupassent, & quanta cernendi hebetudo. At quemadmodum mundanus sol non est cæcitatis caus-

[a] Prov. xII. 40.

1. Sic Colbert. al. εἰς.
2. Ms. δυνασθαι, nec punctum habet post γάρ. Sed in Ms. omnia constabunt si legas διδάσκει.

3. ἕπεται ..... ἐν τῷ φωτὶ, sunt ex Colb.
4. Al. λίμην.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 890.

τητος, ἐλέγχων τὴν ἀβλεψίαν τῶν ἐνεχομένων τῇ νόσῳ, οὕτω καὶ ὁ ὑπερκόσμιος καὶ νοητὸς ἥλιος, τὸ ἀπαράλλακτον καὶ ἀληθινὸν ἀπαύγασμα τοῦ πατρὸς, τὴν προκατασχοῦσαν τύφλωσιν τῶν ἑαλωκότων τῷ πάθει στηλιτεύων, οὐδαμῶς οὐκ ἂν αἴτιος νομισθείη, εἰ καὶ τετυφλωκέναι λέγοιτ' ἂν, διότι μηδὲ πρὶν λανθάνουσαν τὴν πώρωσιν αὐτῶν τὸ ἐσκοτισμένον τῶν λογισμῶν μᾶλλον ἐθριάμβευσεν. εἰ γὰρ μὴ τοσαύτη τοῦ θείου φωτὸς ἐνήστραπτεν ἡ λαμπρότης, ὥστε καὶ τῶν ἐν σκότει καὶ σκιᾷ καθημένων ἐθνῶν καταυγασθῆναι τὰς διανοίας, καὶ πρὸς τὴν θεογνωσίαν ἀναβλέψαι, οὐκ ἂν ἐπὶ τοσοῦτον τυφλὸν τὸ Ἰουδαίων ἐδείκνυτο γένος. ἀλλ' ἡ διὰ τῶν ἔργων προϊοῦσα τῆς αἴγλης ὑπερβολὴ, καὶ τῆς φωτιστικῆς δυνάμεως ἡ ἐνέργεια, καὶ τῶν ἐθνῶν ἡ ἀνάβλεψις, ἔλεγχος σαφὴς καθίστη τῶν μὴ προσδραμόντων τῷ φωτὶ τῆς ἀληθείας, καὶ καταυγασθέντων τὴν εὐσέβειαν, ὅπερ ἑκούσιον ἑαυτοῖς κατεσκεύασαν τὴν τύφλωσιν, καὶ τῆς παγκοσμίου σωτηρίας ἑαυτοὺς ἐξ ὑπερβαλλούσης ἀπονοίας ἀπεστέρησαν.

A sa dum ostendit habetudinem eorum qui eo morbo detinentur; sic & supernus ac spiritualis sol, immutabilis ille & verus splendor patris, coarguens cæcitatem antecedentem eorum qui eo malo capti essent, nullo prorsus modo caussa reputari debet, quantumvis excæcasse diceretur, propterea quod potius de non latente eorum cæcitate, obtenebrata scilicet ratione triumphum egit. Si enim tanta divini luminis non affulsisset illustratio, ut vel gentium quæ sedebant in tenebris & umbra mentes illustratæ fuerint respexerintque ad Dei cognitionem, non utique usque adeo cæcum demonstraretur Judæorum genus. At splendoris magnitudo quæ ex operibus procedebat, illuminantisque virtutis efficacia, B necnon & gentium contuitus, argumentum est manifestum eorum qui non accurrunt ad lumen veritatis, nec pietate illustrantur; quod nempe voluntariam sibimet cæcitatem ingesserunt, atque communi omnium salute per extremam amentiam seipsos privarunt.

γʹ. Ερώτησις παʹ.

Τί ἐστι; ὑπὲρ Χριστοῦ οὖν πρεσβεύωμεν, ὡς τοῦ Θεοῦ παρακαλοῦντος δι' ἡμῶν· καταλλάγητε τῷ πατρί.

III. INTERROGATIO LXXXI.

Quid sibi vult? [a] *Pro Christo igitur legatione fungimur, tamquam Deo per nos adhortante: conciliamini Patri.*

Εἴρηται τὸ ὑπὲρ Χριστοῦ, ἀντὶ, τοῦ Χριστοῦ· ὡς τῶν μαθητῶν ἀντὶ τοῦ διδασκάλου τὴν διακονίαν παρειληφότων. νοήσαις δ' ἂν, ὡς καὶ ἡμεῖς πολλάκις ὑπέρ τινων σπουδαίων πρεσβείαν ποιούμενοι, καὶ τοῦ προσώπου [1] προσεπιβαλλόμενοι [2] μνήμην, αἰδεσιμωτέραν τὴν πρεσβείαν ποιοῦμεν. τοῦτο καὶ Παῦλος πράττει, ὑπὲρ τοῦ Χριστοῦ πρεσβεύομεν λέγων, ἐκ τοῦ κατὰ τὸ πρόσωπον μεγέθους εὐλάβειαν [3] καθιστῶν τοὺς, οἷς προσάγεται ἡ πρέσβεια. ὑπὲρ ἐκείνου τοίνυν παρακαλοῦμέν φησι, τοῦ τὸν κόσμον ἐν θανάτῳ καταλλάξαντος. ὥστε χρὴ καὶ ἡμᾶς πειθηνίους εἶναι, ἐπεὶ τό γε ἐφ' ἡμῖν, ἡ πολλὴ καὶ ἄφατος ἐκείνη περὶ ἡμᾶς φιλανθρωπία τὸ ἄπρακτον ἕξει καὶ ἐφύβριστον. εἶτα τὸ πρόσωπον ἐπὶ πλέον ἐπαίρων, φησίν· ὅτι ὁ Θεὸς ἁμαρτίαν μὴ γνόντα αὐτὸν ἁμαρτίαν ἐποίησεν. καὶ πάλιν ἑτέρας αὐξήσεως προσθήκη ἐκ τῆς εὐεργεσίας λαβοῦσα τὸ ὕψωμα, ἵνα ἡμεῖς Θεοῦ φησιν δικαιοσύνη γενώμεθα ἐν αὐτῷ. συνεργοῦντες δέ φησι καὶ παρακαλοῦμεν, μὴ εἰς κενὸν τοῦ Θεοῦ τὴν χάριν δέξασθαι ὑμᾶς· οὕτως ἑαυτὸν ὁ Παῦλος διασαφεῖ οἷον ὑπὲρ Χριστοῦ πρεσβευόμενος. ἵνα τί γένηται; ἵνα τὴν ἐκείνου χάριν τοσαύτην οὖσαν μὴ κενὴν, τό γε ὑμέτερον μέρος, ἀπελέγξῃ [4]. οὐχ ἡμεῖς δὲ μόνον τὴν πρεσβείαν ὑμῖν προσάγομεν, ἀλλ' ὡς καὶ αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς μεθ' ἡμῶν ὑπὲρ τοῦ υἱοῦ παρακαλοῦντος. ἐντράπητε τοὺς πρεσβευτὰς, δυσωπήθητε τοὺς παρακαλοῦντας, εὐλαβήθητε τὸν [5] ὑπὲρ οὗ ἡ παράκλησις. τούτου δὲ τοῦ ῥητοῦ [6] ἐκλαμβανομένου, καὶ τὸ ὑπὲρ Χριστοῦ, οὐκ ἀντὶ, Χριστοῦ, ἀλλ' ὡς εἴρηται, κατ' ἀλήθειαν παραληφθήσεται.

C I. Dictum est *pro Christo*, tamquam, *Christi*: quasi discipulis loco magistri ministerium consequutis. Cogites porro, quod & nos crebro de gravibus quibusdam legatione fungentes, ac personæ memoriam facientes, venerabiliorem reddimus, legationem. Hoc & Paullus agit, *Pro Christo legatione fungimur* inquiens: ex personæ magnitudine in reverentiam conjiciens eos, apud quos fit legatio. Pro illo igitur hortamur inquit, qui mundum morte sua reconciliavit. Quare oportet ut & nos obedientes simus, alioqui ex parte nostra, magna & ineffabilis illa erga nos benignitas inutilis evadet & contumeliis affecta. Deinde personam adhuc amplius extollens, inquit: *Quia Deus peccatum ne-* D *scientem illum, peccatum fecit*. Et rursus alterius amplificationis accessio, quæ ex beneficio sublimitatem acquirit: *Ut nos Dei* inquit *justitia fiamus in illo*. Inquit autem: *Cooperantes etiam adhortamur, ne in vacuum Dei gratiam accipiatis vos*. Sic seipsum Paullus declarat, quomodo pro Christo legatione fungatur. Quo nempe fine? Ne illius gratiam, quæ tanta est, vacuam ex parte vestra reddatis. Non modo vero nos apud vos legatione fungimur; sed ipso quodammodo Deo & patre nobiscum pro filio supplicante: Reveremini legatos, auscultate adhortantibus, rationem habete ejus, pro quo fit rogatio. Hoc igitur vocabulo sic accepto, E etiam illud *Pro Christo*, non tamquam *Christi*, sed sicut dictum est, obvio sensu accipietur.

δʹ. Ερώτησις πϛʹ.

Διὰ τί προσκυνεῖ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου;

IV. INTERROGATIO LXXXVI.

Ut quid [b] *adorat summitatem virgæ?*

Προσκυνεῖ μέντοι τὴν ῥάβδον τοῦ παιδὸς ὁ νοῦς ὁ ὁρῶν Θεόν· τοῦτο γὰρ ὁ Ἰσραήλ· ὅτι ἐκ τῆς ῥάβδου ἄνθος προεμήνυε προσκυνηθήσεσθαι

I. Adorat quidem virgam filii *mens videns Deum* *: Hoc enim significat *Israel*: quoniam ex virga florem præsignificabat adorandum

a II. Cor. V. 20. *b* Hebr. XI. 21.

1. Ms. τὸ πρόσωπον. 2. Colb. προσυποβαλ. 3. Sic Colb. at Ms. εὐσέβειαν. Forte tamen præcedere debet εἰς hanc vocem.

4. Error videtur typogr. pro ἀπελέγξητε. 5. Al. τοῖς. 6. Videtur deesse οὕτως.

* Etymon nominis *Israel*, ut etiam Philo censebat.

οὐ μόνον ὑπὸ τοῦ νέου, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ τοῦ γεγηρακότος Ἰσραήλ. ἀλλὰ καὶ τὰς εὐλογίας τοῖς παισὶν [1] οὐκ ἐπίσης μερίζει. ἀλλὰ τοὺς μὲν εὐλογίαις ὑποβάλλει, τοὺς δὲ υἱοὺς ἀρᾶς ἀπελέγχει. διότι ὥσπερ οὗτος τὸν παλαιὸν ἀπέτεκεν λαόν, οὕτω καὶ ὁ κύριος ταῖς πνευματικαῖς ὠδῖσι τὸν νέον ἀπογεννᾷ λαόν, καὶ τῆς εὐλογίας μεταδίδωσιν, οὐ πᾶσιν, ἀλλὰ τοῖς παρεσκευακόσιν ἀξίους ἑαυτούς. οὐ φιλοτιμίᾳ τοίνυν διανέμει τὴν εὐλογίαν τοῖς τέκνοις ὁ Ἰακὼβ, ἀλλὰ τὰς πράξεις τούτων κριτὴν ποιεῖται τῆς διανομῆς.

A non modo ab juniore, verum etiam a seniore Israel. Quin etiam benedictiones filiis non ex æquo omnibus impertit: sed quosdam benedictionibus onerat, filios vero nonnullos maledictioni obnoxios evincit. Quapropter quemadmodum iste veterem genuit populum; sic etiam Dominus spiritualibus quibusdam doloribus novum generat populum, quem benedictionis participem facit, non quidem universum, sed eos qui seipsos dignos reddiderunt *. Non ergo ambitioso quodam studio partium distribuit benedictionem filiis suis Jacob, sed actiones eorum arbitrum distributionis constituit.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 890.

ε. Ἐρώτησις πζ.

Τί ἐστιν· οἶδα, ὅτι οὐκ οἰκεῖ ἐν ἐμοὶ, τουτέστιν ἐν τῇ σαρκί μου, τὸ ἀγαθόν.

TOῦτο οὐκ εἰς ἑαυτὸν ὁ Παῦλος εἴρηκεν, ἀλλὰ τὸ πρόσωπον τῆς ἀνθρωπίνης οἰκειούμενος φύσεως. τότε δὲ οὐκ οἰκεῖ τὸ ἀγαθὸν ἐν τῇ σαρκὶ ἡμῶν, ἡνίκα ἔθει καὶ χρόνῳ καταδουλωθέντες τῇ ἁμαρτίᾳ ἔμμονόν τε καὶ δυσεξάλειπτον ἐν ἑαυτοῖς φέρομεν τὸ κακόν. ὁ γὰρ δουλωθεὶς τῇ χρονίᾳ τούτων διατριβῇ, κἂν βουληθῇ πάλιν πρὸς τὴν ἀρετὴν ἐπαναδραμεῖν, δύσεργόν τι καὶ δυσήνυστον εὑρίσκει τὴν βουλήν. διό φησιν· οὐκ ἔτι ἐγὼ κατεργάζομαι αὐτὸ, τουτέστιν, οὐκ ἐμοῦ οἶδα τὸ ἔργον. πῶς γὰρ ὅγε στενοχωρούμενος ὑπ᾽ αὐτοῦ; ἀλλὰ τῆς οἰκούσης ἐν ἐμοὶ ἁμαρτίας, ἑδραίαν καὶ ἀμετακίνητον τὴν οἴκησιν κεκτημένης [2]. διὸ καὶ ἀποδύρομαι, τὴν ἐλευθερίαν ζητῶν, καὶ ἀνακράζων· ταλαίπωρος ἐγὼ ἄνθρωπος, καὶ ἑξῆς.

B

V. INTERROGATIO LXXXVII.

Quid est illud: [a] *Scio, quod non habitat in me, id est in carne mea bonum?*

I. HOC non de seipso Paullus dixit, sed adoptando humanæ naturæ personam. Tunc porro non habitat bonum in carne nostra, quando moribus & tempore facti mancipia peccati, immanentem in nobis, & quæ difficile deleri possit, malitiam gestamus. Qui enim captivus evasit diuturna hujusmodi mora, tametsi velit rursus ad virtutem recurrere, invenit consilium suum difficile admodum posse exsecutioni & operi mandari. Propterea dicit: *Non amplius ego operor illud*. Idest, C non meum novi opus: quei enim, cum ab illo constringar? sed inhabitantis in me peccati, quod firmum immotumque domicilium obtinet. Quare etiam ingemisco, libertatem quærens, & clamans: *Infelix ego homo! &c.*

ς'. Ἐρώτησις πη.

Τί ἐστιν τό· ὑμεῖς ἐκ τοῦ πατρὸς τοῦ διαβόλου ἐστέ· καὶ τίς ἐστιν ὁ τοῦ διαβόλου πατήρ;

ΠΡῶτον μὲν ἀντιφθέγγεται, τὸ μηδαμοῦ τῆς ἱερᾶς ἡμῶν γραφῆς, μήτε κατὰ τὰ παλαιότερα, μήτε ἐν αὐτῇ τῇ χάριτι, πατέρα τοῦ διαβόλου λαβεῖν τὸ ῥῆμα τὸ εἰρημένον, καίτοιγε πολλοὶ πολλάκις περὶ τῆς πονηρᾶς ἐκείνης δυνάμεως καταβέβληνται λόγοι. ἀλλὰ σατὰν μὲν καὶ διάβολον καὶ ἀποστάτην, καὶ τὰ τοιαῦτα, τὸν ἀρχέκακον τοῦ γένους ἡμῶν ἐχθρὸν εὑρίσκεται τὰ λόγια ὀνομάζοντα, καὶ υἱὸν ἔσθ᾽ ὅτι διαβόλου τὰς πονηρὰς αὐτοῦ γονὰς ἐν ἑαυτῷ δεικνύντα, καὶ τῷ χαρακτῆρι τῆς πλάνης διαμορφούμενον. ὡς τὸ πρὸς τὸν Ἐλύμαν εἰρημένον τῷ μακαρίῳ Παύλῳ, υἱὲ διαβόλου. ἀλλ᾽ ἓν μὲν τοῦτο, τὸ μηδαμοῦ κατονομάζεσθαι πατέρα διαβόλου τῷ ἰδιώματι τῆς γραφῆς.

VI. INTERROGATIO LXXXVIII.

Quid est illud: [b] *Vos e patre diaboli estis? Et quis est diaboli pater?*

I. PRimo quidem obstat, quod nusquam in sacra scriptura, neque in veteri testamento, neque in ipsa Gratia, *patrem Diaboli* significet D dictum vocabulum; tametsi multoties de maligna illa potestate sermo fiat. Verum *Satan*, aut *Diabolum*, aut *Apostatam*, & his similia, invenimus a sacris eloquiis nominari mali auctorem, & generis nostri hostem: *filium* etiam *Diaboli* aliquando dici eum, qui malignas ejus soboles in seipso ostendit, & characterem erroris portat. Sic est illud ad Elymam dictum a beato Paullo, *Fili Diaboli*. Hoc unum est, nusquam *pater diaboli* nominatur ex proprietate sacræ scripturæ.

Δεύτερον δὲ, οὐ περὶ τοῦ πατρὸς τοῦ διαβόλου, τίς ὅλως [3] ἦν, τῷ σωτῆρι πρόκειται σκοπὸς, ἀλλὰ τίνος πατρὸς παῖδας ἑαυτοὺς ὁ τῶν Ἰουδαίων ἀγνώμων λαὸς παρεσκεύασαν καὶ εἶναι καὶ ὀνομάζεσθαι. καὶ γὰρ νῦν μὲν ἔλεγον πατέρα ἔχειν τὸν Ἀβραὰμ, νῦν δὲ, ἡμεῖς πατέρα ἕνα ἔχομεν τὸν Θεόν. οὐχὶ δὲ, πατέρα ἔχομεν τὸν πατέρα τοῦ Θεοῦ. καὶ ὁ σωτὴρ ἀπάγων τῆς πατρικῆς ἐν τῇ κλήσει σχέσεως, ἐπείπερ αὐτοὶ ἑαυτοὺς διεσχίσαντο καὶ διετέμοντο τῆς πρὸς αὐτὸν ὁμοιότητος, τολμᾶτέ φησι λέγειν ἑαυτοὺς υἱοὺς εἶναι τοῦ πατρός; ὑμεῖς τοῦ διαβόλου ἐστέ. εἶτα καὶ τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ θέλετε ποιεῖν. οὐχὶ τοῦ πατρὸς δηλονότι τοῦ δια-

II. Deinde vero, non de patre diaboli, quis omnino esset, loqui propositum erat salvatori; sed cujusnam patris filios seipsos sceleratus Judæorum E populus & esse & vocari effecissent. Aliquando enim dicebant, se patrem habere Abraham, aliquando vero, *Nos patrem unum habemus Deum*; non vero, *Patrem habemus Patrem Dei*. At salvator mulctans eos ratione etiam paternitatis quæ in nomenclatura posita est, propterea quod se ipsi separaverant ac divellerant ab ejus similitudine; Audetis, inquit, dicere vosmet filios esse patris? *Vos Diaboli estis*. Deinde, *Et præcepta ejus vultis facere*. Non utique patris diaboli. Ubinam enim tra-

a Rom. VII. 18. *b* Joan. VIII. 44.

1. Forte πᾶσι. 2. Coisl. κεκτημένη, Colbert, κτησάμενος. 3. Sic Colb. al. ὁ λόγος.

* Hæc ad perseverantiam, & bonum gratiæ usum referenda.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 890.

βόλε. πῦ γὰρ παραδέδωκεν ἐκεῖνος ἐντολὰς, ὃς ὅλως οὐδὲ γνωρίζεται τῇ γραφῇ; ἀλλὰ τὰς ἐντολὰς τοῦ διαβόλε, ὅς ἐςιν ὑμέτερος πατήρ. αἵ τινές εἰσι, πορνεία, μοιχεία, κλοπὴ, φόνος, ψεῦδος, κ὏ ὅσων ἄλλων ἐκεῖνος κακῶν σπορεὺς τῇ γνώμῃ γέγονεν, καὶ ἀρχηγὸς τολμᾶσθαι τὰ ἀτόλμητα καὶ κατεπράττεσθαι. κ὏ τὸ, ἐκεῖνος ἀπ' ἀρχῆς ἀνθρωποκτόνος ἐςὶν, εἰς τίνα ἂν οἰκειότερον ἀνενεχθείη, ἢ εἰς αὐτόνγε τὸν διάβολον, ὃς τῇ γλώσσῃ τὸν Αδὰμ τοῦ παραδείσε ἐξέβαλεν, κ὏ πρόξενος αὐτῷ θανάτε κ὏ φθορᾶς γεγένηται; Θεὸς γὰρ θάνατον οὐκ ἐποίησεν, οὐδὲ τέρπεται ἐπ' ἀπωλείᾳ ζώντων [1]. τίς δὲ ἕτερ☉ τὸν θάνατον διὰ τῦ ψεύδες ἐχαλκεύσατο, κ὏ κατὰ τῶν σπλάγχνων τοῦ Αδὰμ τὴν φθορὰν, εἰ μὴ ὁ παραδὺς μὲν τὸν ὄφιν, δι' αὐτῦ δὲ τὸν θανατηφόρον ἰὸν τῆς εἰς Θεὸν βλασφημίας τῇ γυναικὶ, καὶ διὰ ταύτης τῷ Αδὰμ κερασάμενος;

Εκ τύτων οὖν ἁπάντων κ὏ ἑτέρων τοιύτων δείκνυται, περὶ τῦ διαβόλε τὸν σωτήριον διαλαμβάνειν λόγον, κ὏ τῦτον πατέρα κατονομάζειν τῶν ἀγνωμόνων Ιυδαίων. κ὏ γὰρ κἀκεῖνοι τὸν Θεὸν ἐφιλοτιμοῦντο πατέρα καλεῖν, κ὏ εἰς υἱὺς αὐτῦ καταλέγεσθαι. εἰς δύο δὲ μοίρας μερίζων ὁ σωτὴρ τὸν παρόντα λόγον, συμπλέκει μὲν πάλιν ἑκατέρῳ ἑκάτερον· νῦν μὲν προτάττων τὸν διάβολον, κ὏ ὑποτάττων τὺς Ιυδαίυς, νῦν δὲ προκαταλέγων τὺς Ιυδαίυς [2], εἶτα ἐπάγων τὸν διάβολον. διὸ περὶ τῦ διαβόλε προδιαλαβὼν, κ὏ ἐκ τῆς τῶν ἔργων συγγενείας καὶ ὁμοιότητος δείξας τὺς Ιυδαίυς πατέρα ἔχειν αὐτὸν, μεταβαίνει πάλιν ἐπ' αὐτὺς τὺς Ιυδαίυς, δι' ὧν κ὏ ἡ ὅλη τῦ λόγου γέγονεν εἰσβολὴ, καί φησιν· ὅταν ὁ Ιουδαῖ☉ τὸ ψεῦδος λαλῇ, ὥσπερ καὶ ὑμεῖς νυνὶ λέγοντες, πατέρα ἔχομεν τὸν Θεὸν, καὶ, πατέρα ἔχομεν τὸν Αβραὰμ, ἐκ τῶν ἰδίων λαλεῖ. τουτέστιν ἀπὸ κοιλίας φωνεῖ, κ὏ οὐκ ἐκ τῶν κελμάτων τῦ πνεύματος. ὅτι δὲ ψεύστης ἐστὶ, κ὏ ἐξ ὧν αὐτὸς ἀλαζονεύεται, δείκνυται, καὶ ἐξ ὧν ἔθετο ἑαυτῷ πατέρα διὰ τῆς τῶν πράξεων ὁμοιότητος, περιφανῶς ἀναδείκνυται. διὸ καί φησιν· ὅταν ὁ Ιυδαῖος τὸ ψεῦδος λαλῇ, ὅτι ψεύςης ἐςὶ κ὏ αὐτὸς, κ὏ ὁ πατὴρ αὐτῦ. ὃν ὁ σωτὴρ, ὡς πολλάκις εἴρηται, τὸν διάβολον, κ὏ ὐκ ἄλλον εἶναι ἀπεφήνατο κ὏ κατωνόμασεν.

didit ille mandata, qui omnino nec comparet in Scriptura? sed præcepta diaboli, qui est pater vester. Hæc præcepta sunt, Fornicatio, mœchia, furtum, homicidium, mendacium, & quorumcumque aliorum malorum ipse sua voluntate seminator fuit, & auctor, ut homines non audenda auderent & perpetrarent. Et illud, *Ipse ab initio homicida est*, in quemnam congruentius referri posset, quam in ipsum diabolum, qui lingua Adamum de paradiso expulit, eique mortis & corruptionis conciliator fuit? *Deus enim mortem non fecit, nec delectatur in interitu viventium.* Quis porro alius mortem per mendacium elaboravit, & in visceribus Adæ corruptionem, nisi is qui serpentem subiens per illum letale venenum blasphemiæ in Deum mulieri, & per illam Adæ propinavit?

III. Ex his itaque omnibus aliisque similibus liquet, de diabolo dominicum tractare eloquium, huncque patrem nominare nequam Judæorum. Nam & ipsi gloriabantur vocare Deum patrem, & in filios ejus censeri. Salvator porro in duas partes dividens hunc sermonem, connectit tamen alterum alteri, modo præponens diabolum, & subjiciens Judæos, modo vero prius Judæos percensens, deinde diabolum subinferens. Quare de diabolo antea loquutus, atque ex operum affinitate & similitudine demonstrans Judæos habere illum patrem, transit iterum ad Judæos ipsos, propter quos tota orationis ratio instituta fuerat, & ait: Quoties Judæus falsitatem loquitur, quemadmodum & vos nunc dicentes, *Patrem habemus Deum, & Patrem habemus Abraham*, de suo loquitur; hoc est ex ventre vocem emittit, non ex sententiis Spiritus. Quod vero sit mendax, tam ex iis unde ille gloriatur, ostenditur, quam ex iis, unde sibi patrem accersivit propter operum similitudinem, insigniter demonstratur. Quamobrem etiam ait: Quoties Judæus falsitatem loquitur, mendax est & ipse & pater ejus. Quem salvator, ut sæpe dictum est, diabolum, & non alium esse, asseruit & nominavit.

ζ. Ερώτησις ζ΄.

Εξαπέστειλεν ὁ Θεὸς τὸν υἱὸν αὐτῦ γεννώμενον δεῖ λέγειν, ἢ γενόμενον, δι' ἑνὸς ν;

VII. INTERROGATIO XC.

[a] *Misit Deus filium suum, natum dicere oportet, an factum,* (id est γεννώμενον an γενόμενον) *per unicum N?*

ΓΕνόμενον δεῖ λέγειν ἐκ γυναικὸς, ὥσπερ κ὏ γενόμενον ὑπὸ νόμον διὰ τῦ ἑνὸς [ν] ἀμεταβόλου. πρῶτον μὲν ἐκ τῆς συνεχῦς παραθέσεως τῶν νοημάτων τε καὶ τῶν ῥημάτων. δεύτερον δὲ, ὅτι γεγέννηται μὲν ὁ Χριςὸς ἐκ παρθένε, τῶν δύο γραφομένων κατὰ τὴν δατέραν συλλαβὴν ἀμεταβόλων. ὐ μὴν δὲ γεννᾶται· ἅπαξ γὰρ ἐκ παρθένε γεγέννηται. μηδενὶ δὲ ἡ τῦ Θεολόγε Γρηγορίε φωνὴ πλάνης αἴτιον γενέσθω· ἐκεῖνος γὰρ ἔφησεν, Χριστὸς γεννᾶται [3], ὐχ ὅτι διὰ παντὸς ἐκ παρθένε γεννᾶται, ἀλλ' ὅτι γε ἡ παρῦσα τότε πανήγυρις τῆς τοῦ δεσπότου γεννήσεως ἐτύγχανεν ἡμέρα. διὸ παντὶ τρόπῳ φυλακτέον τοῦ, γενόμενον ἐκ γυναικὸς, διὰ τῶν δύο ν. μήτε τὴν γραφὴν, μήτε τὴν ἐκφώνησιν ποιεῖσθαι.

I. FActum oportet dicere *ex muliere*, quemadmodum etiam *factum sub lege*, per unicum N. quæ est una ex literis immutabilibus *. Id primo evincitur ex continenti serie sententiarum & verborum. Deinde etiam, quia *natus* quidem est Christus ex virgine, scribendo nempe duas immutabiles post secundum syllabam, γεγέννηται: non tamen nascitur adhuc. Semel enim ex virgine natus est. Nulli vero Gregorii Theologi vox erroris caussa esto. Ait enim ille: *Christus nascitur*: non propterea quod semper ex virgine nascatur; sed quia quæ tunc aderat solemnitas, natalis Domini dies erat. Quare omni modo cavendum ne dictum illud γενόμενον ἐκ γυναικὸς, per duplicem N. sive scribamus, sive pronunciemus.

a Gal. IV. 4.

1. Al. ἐπιπωλιάζονται. 2. νῦν δὲ . . . Ιυδαίυς, ex Colb. 3. Vide Opp. tom. I. pag. 613. εἰς τὰ θεοφάνια.

* Sic grammatici vocant literas quæ in analogia linguæ mutari non solent. Talis est litera N. apud Græcos.

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 890.



A

η. Ερώτησις ϛβ.

Τίνα νοῦν ἀναπτύσσει τὸ τοῦ ἀποστόλου ῥητόν· ἐκάθισεν ἡμᾶς ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ καὶ πατρός;

ΟΤι [1] κρείττους ἀγγέλων γεννῆσθαι διὰ τῆς ἐν σαρκὶ τοῦ λόγου παρουσίας ἡμᾶς, ἡ θεία γραφὴ διακέκραγεν, καὶ ἐν τῇ ἀναστάσει ἰσαγγέλους ἔσεσθαι. ἐκάθισεν γὰρ ἡμᾶς ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς, ὡς ὁ θεῖος Παῦλος βοᾷ, καὶ ἑξῆς. καὶ οὐ μάχεται ταῦτα. τῷ μὲν γὰρ συνεδριάσαι τῷ θρόνῳ τῷ πατρικῷ τὸ ἐξ ἡμῶν πρόσλημμα, τῆς ἀγγελικῆς καὶ δόξης δῆλον ὅτι καὶ τιμῆς ὑπερανεστήκαμεν· τῷ δὲ μηκέτι μηδενὶ τῶν τῆς σαρκὸς ἐν τῇ ἀναστάσει μήτε καθέλκεσθαι, μηδὲ παρασύρεσθαι, μηδ᾽ ὅλως ἐν χρείᾳ καθίστασθαι τῶν, ὅσα σαρκὸς φύσις [2] ἐδούλευεν, τῆς τῶν ἀσωμάτων λήξεως χαρίζεται τὴν συγγένειαν· ὥστε εἰκότως [3] καὶ ἰσάγγελοι, καὶ κρείττους ἐκείνων ἐσόμεθα. τῷ μὲν τὴν φύσιν ἡμῶν ἐν τῷ προσλαβόντι συνεδριάσαι τῷ πατρὶ, κρείττους· τῇ δὲ καθέκαστον ἡμῶν ἀπαθείᾳ καὶ ἀφθαρσίᾳ, καὶ σωματικῶν πάντων καὶ παθῶν καὶ σκιρτημάτων, καὶ παχύτητος [4] ἀπηλλάχθαι προσύλου, τὴν πρὸς τοὺς ἀσωμάτους νόας ἰσότητας ἀναδεδεγμένοι [5].

C

Επισκεπτέον δὲ τό· ἔσονται ὡς ἄγγελοι Θεοῦ. οὐ τὴν ἰσοτιμίαν κηρύττει τῆς φύσεως, ἀλλὰ τὸ μηδὲν πάσχειν, ὧν ἔπασχον πρότερον σαρκικῶν, παραπλησίως δὲ τῆς ἀγγελικῆς ἀπαθείας καὶ αὐτοὺς ἐν τῇ ἀναστάσει τῶν σαρκικῶν ἀπηλλαγμένους πολιτεύεσθαι, κρείττους δὲ καὶ ἄλλως ἀγγέλων. ὅτι ἡμῶν μὲν ὀλισθησάντων τὴν φύσιν ἀνέλαβεν ὁ τοῦ Θεοῦ υἱὸς, καὶ ἀνεσώσατο, ἐκείνων δὲ οὐκέτι. καὶ ζητεῖν δεῖ τὴν αἰτίαν, ὅτι αὐτοὶ μὲν ἐπλάνησαν, ἡμεῖς δὲ τῶν πλανηθέντων. καὶ ὅτι αὐτοὶ μὲν πολλὰς ἀφορμὰς εἶχον τοῦ μὴ ἐξαμαρτῆσαι, τὸ δυσπαθές τε καὶ τὸ πλησιάζειν μᾶλλον Θεῷ, καὶ τὸ ἀσώματον. τοῖς δὲ ῥοπὴν ἐλέου παρέχει καὶ τὸ εὐπαθέστερον, καὶ τῷ σώματι καθέλκεσθαί τε, καὶ συνδεδέσθαι, καὶ τὸ μεῖζον, ὅτι οὐκ ἐπιγεγέννηνται ἐκ τῶν πεσόντων ἕτεροι, δι᾽ οὓς ἂν τὸν φιλάνθρωπον εἵλκεν τὸ πτῶμα πρὸς ἔλεον. ἀλλ᾽ αὐτοί γε οἱ παραβάντες τὴν παράβασιν διαπαντὸς μένουσι στέργοντες. ἔτι οὐδ᾽ ὅμοιον, οὐδ᾽ ἐγγὺς ἀγγέλων τε φύσεως καὶ ἀνθρώπων ἐπιλαβέσθαι. τί γὰρ καὶ ὤνησεν τοὺς οὐ πεσόντας; εἰ δὲ διὰ τοὺς πεσόντας, πῶς οὐ χείρους οἱ μὴ πεπτωκότες τῶν πεπτωκότων ἢ [6] τοῦτο ἐπεργαστέον; ἔτι σαρκωθεὶς ὁ λόγος τά τε τῆς ἀρετῆς ἐξεπαίδευσεν, δι᾽ ὧν ἡμῖν γέγονεν, τῇ παρ᾽ αὐτοῦ χάριτι κατορθοῦντας ἃ ὑπέθετο, τῆς τῶν οὐρανῶν βασιλείας ἀδιάδοχος κληρονομία. ἡ δὲ ἀγγελικὴ φύσις, καὶ τῆς ἀρετῆς καὶ τῆς εὐσεβείας εἶχεν τὴν γνῶσιν. τῆς μὲν ἀρετῆς, ἐξ ὧν τοὺς ὑπ᾽ αὐτῆς [7] ὑποσκελιζομένους πρὸς τἀναντία μεθεῖλκέν τε καὶ ὑπεδελέαζεν. καὶ τῆς εὐσεβείας δ᾽ ὁμοίως, καὶ ἐξ ὧν ἐβόα· οἶδά σε τίς εἶ, ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ. καὶ, ἦλθες πρὸ καιροῦ βασανίσαι ἡμᾶς, καὶ μυρία ἄλλα. ὥστε εἰς μάτην αὐτὴν τῶν ἀγγέλων ὑπήρχετο φύσιν. ἔτι· σαρκοῦται ὁ λόγος, ὁδὸν ἡμῖν δι᾽ ὧν ἔπραττεν ὑποδεικνὺς,

VIII. Interrogatio XCII.

Quem sensum præ se fert illud Apostoli dictum : [a] *Consedere fecit nos in dextera Dei & patris?*

I. PRæstantiores angelis natos esse nos propter adventum Verbi in carne, divina clamat scriptura, atque angelis in resurrectione nos æquales futuros. *Consedere enim fecit nos in dextera Dei & patris*, ut divus Paullus clamat & cet. Neque hæc contraria sunt. Quatenus enim in throno paterno quod ex nobis assumsit consedere fecit, liquet iccirco nos angelicam supergressos & gloriam & dignitatem: quatenus vero nulla carnali affectione post resurrectionem trahemur aut abripiemur, nec omnino opus habebimus ullius ex illis rebus, quibus carnis natura serviebat; per hoc largitur nobis affinitatem quamdam cum classe incorporeorum. Quamobrem jure & æquales angelis, & meliores illis futuri sumus. Quia nempe nostra natura una cum assumente patri assidet, meliores erimus: propter singulorum vero ab affectionibus immunitatem & incorruptibilitatem, & quia a corporeis omnibus passionibus & motibus, immo & ejus materiali crassitie liberabimur, æqualitatem cum incorporeis mentibus accipiemus.

II. Illud porro considerandum: [b] *Erunt ut Angeli Dei*, non æqualitatem sonat naturæ, sed quod nihil eorum patiantur, quæ carnalia prius patiebantur: quodque ad angelorum instar impassibilitatis, ipsi quoque in resurrectione a carnalibus liberati victuri sint, meliores ceteroquin angelis ipsis. Siquidem naturam nostram qui lapsi fueramus assumsit Dei filius, nosque salvavit, illorum vero non item. Quærere porro decet caussam. Quia nempe ipsi seduxerant, nos vero seducti fueramus: ipsi multas rationes non peccandi habebant; tum quia immunes ab affectionibus erant, tum quia proximi magis erant Deo, tum etiam quia corpore carebant. At hominibus momentum ad misericordiam conciliat quod facile affectionibus essent obnoxii, quodque corpore gravarentur & vincirentur: ac quod majus est, quia non fuissent generati alii ex iis qui ceciderunt, per quos misericordem Deum lapsus traxisset ad veniam. Porro ipsi qui transgressi sunt transgressionem jugiter amant. Præterea nec simile nec affine est Angelorum hominumve naturam apprehendere. Quid enim juvisset eos, qui non ceciderunt? & si propter eos qui ciciderant; quomodo non pejoris fuissent conditionis qui non ceciderant, quam qui ceciderant, si istud faciendum erat? Ad hæc: Incarnatum Verbum virtutes edocuit, per quas contigit nobis, illius gratia bene agentibus quæ præcepit, cælestis regni inamissibilis hereditas. At angelica natura tam virtutis quam pietatis notitia prædita erat: virtutis quidem, quatenus a se supplantatos in contraria abripuit & inescavit; pietatis vero etiam, propterea quod clamabat, *Novi te quis sis, Sanctus Dei*: &, *Venisti ante tempus torquere nos*, atque infinita alia. Quamobrem frustra ipsam angelorum assumsisset naturam. Præterea, incarnatur Verbum, per ea quæ

a Huc referas Ephes. II. 1. b Matth. xxii. 30.

1. Ὅτι redundat & deest in Colb. Mox γεννῆσθαι error videtur typogr. pro γεγεννῆσθαι.
2. Colb. φύσιν. Lege φύσει.
3. ὅτι εἰκότως ex Colb. al. προστέθεικοτω.
4. Malim παχύτητος.
5. Ms. ἀναδεδεγμένοι.
6. Forte εἰ.
7. Al. αὐτοῖς. Illud ex Colbert.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 890.

δι' ἧς ἡμῖν ἡ πρὸς τὸν οὐρανὸν ἄνοδος πορισθήσεται, τοῖς δὲ δαίμοσι πρόκειται τὰ ὁμογενῆ τάγματα τῆς ἀρχαίας λήξεως, δι' ὧν πράττουσι τὴν μακαριότητα προδεικνύοντα. ἀλλ' ἐκεῖνοι γνώμης ἀπονοίᾳ οὔτε ἕπονται, οὔτε πρὸς αὐτοὺς ἐπιστρέφονται. ὥστε περίεργόν ἐστιν ἀγγέλων τὴν τοῦ Θεοῦ φύσιν ὑπελθεῖν. μᾶλλον δὲ εἰς μείζω καὶ βαρυτέραν, εἴπερ οἷόν τέ ἐστι, τῆς ἀποκειμένης αὐτοῖς κολάσεως. ἔτι· ἀγγέλων εἴπερ ἔμελλεν ὁ λόγος φύσιν ὑπέρχεσθαι [1], πῶς ἂν ὑπῆλθεν, τόκου μὴ μεσιτεύοντος; εἰ δ' ἁπλῶς κατ' οἰκείωσιν καὶ σχετικὴν σύνοδον τοῦτο προσῆν τοῖς δαίμοσιν, ἀλλ' ἐκεῖθεν διερράγησαν [2], ἐπὶ τίνας [3] τῶν πεπτωκότων ἐποιεῖτο τὴν κατὰ τὸ ἄκρον οἰκείωσιν; εἰ μὲν τῶν ἑστώτων, καὶ τί ἂν τὸ πεπτωκὸς ὤνητο; ἐκείνων γὰρ καὶ πρὶν μενόντων [4] ἐν τοῖς ἀμείνοσι, τὸ δαιμόνιον ταλανίζεται. εἰ δὲ τῶν πεπτωκότων· ποῦ τὸ δίκαιον; πῶς δ' ἂν οὐκ ἔσχεν χώραν ἐκλέγεσθαι τὸ κατεγνωσμένον Παύλῳ· ποιήσωμεν τὰ κακά; Ἔτι δέ, τόκου ταῖς ἀγγελικαῖς δυνάμεσι μὴ μεσιτεύοντος, οὐδὲ φύσιν ἦν δυνατὸν αὐτῶν ἀναλαβεῖν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, ἀλλά τινα τὸν [5] καθ' ἕκαστον. ὃν δ' ἂν ἔλαβεν, μόνον ἐκεῖνον ἂν καὶ ἔσωζεν. ὥστε συνέβαινεν ἂν αὐτὸν μυριάκις ἀγγέλων ἄτομα [6] ὑποδύεσθαι, μᾶλλον δὲ ἀνίλεως εἴη [7] δαιμόνων, οἳ πάσης κακίας ἑαυτοὺς ἀπέδειξαν ὄργανα.

gessit viam nobis ostendens, qua nobis ad paradisum reditus comparabitur. Dæmoniis vero propositi sunt similes Ordines veteris status, per ea quæ agunt beatitatem demonstrantes. At illi mentis aversione nec sequuntur, nec ad illos convertuntur. Quare ab re est ut angelica natura divinæ copuletur: quin potius fuisset id ad majorem graviotemque, si quidem fieri potest, pœnam, quam sit ea quæ illos jam manet. Addo: si Verbum subiturum erat angelorum naturam, quomodo illam subiisset, partu non intercedente? Quod si utcumque per adoptionem & relativum concursum id dæmonibus accidisset, at inde divulsi fuissent. Præterea, quemnam ex lapsis vel maxime adoptasset? Vel enim aliquem ex iis qui steterunt apprehendisset, & quid lapsos juvisset? cum enim illi & antea in melioribus steterint, dæmon miserum sese deplorat. Vel aliquem ex lapsis. At ubi tunc justitia? quomodo non licuisset tunc eligere quod Paullum damnat, *Faciamus mala*? Ad hæc quoque: cum partus locum non habeat in angelicis virtutibus; fieri non poterat ut illorum assumeretur natura a Verbo Dei, sed ex singularibus quidam. At quem assumsisset, illum solum & salvare potuisset. Quare contigisset ut ille infinitis vicibus angelica individua subiret. Atque adeo præstaret ut eum dæmonum non misereret, qui sese omnis nequitiæ organa præbuerunt.

θ'. Ἐρώτησις ϟγ'.

Διὰ τί ἐπετίμησεν ὁ Ἰησοῦς τῷ Πέτρῳ τὸν θάνατον δυσανασχετοῦντι;

ΟΤι περ εἰ καὶ φίλτρῳ ζέοντι καὶ στοργῇ ἐμπύρῳ ἐδόκει προαγαγεῖν τὸ ῥῆμα, ἀλλ' οὖν ἡδονὴν ἔφερεν τῷ διαβόλῳ. τοῦ γὰρ μὴ παθεῖν τὸν Χριστόν, κέρδος ἦν μέγιστον τῷ σατανᾷ, ἅτε δὴ τῆς τῶν ἀνθρώπων τυραννίδος οὐκ ἐξισταμένῳ. διὰ τοῦτο οὖν καὶ ἡ ἐπιτίμησις λέγει· ὕπαγε ὀπίσω μου, σατανᾶ, διότι οὐ φρονεῖς τὰ τοῦ Θεοῦ.

IX. INTERROGATIO XCIII.

Ut quid increpavit Jesus Petrum de morte dolentem?

I. QUia tametsi ex ferventi amore & ignita dilectione videbatur loqui, nihilominus voluptatem diabolo afferebat. Quod enim Christus non pateretur, maxima erat satanæ utilitas, quippe qui ab hominum tyrannide depulsus non fuisset. Propterea igitur ipsamet increpatio dicit: [a] *Abi pone me, Satana, quoniam non sapis quæ Dei sunt.*

ι. [8] Ἐρώτησις ϟε.

Πῶς ἐντελλόμενος ὁ σωτὴρ πάντας ἀγαπᾶν, ἐπιτάττει πέμπων τοὺς μαθητὰς εἰς τὸ κήρυγμα, μηδένα ἀσπάζεσθαι κατὰ τὴν ὁδόν;

ΗΔει, ὅτι οὐκ ἔστιν ἐναντία ταῦτα ἀλλήλων. ἀπασχολεῖσθαι γὰρ περὶ τοὺς ἀσπασμοὺς καὶ τὰς δεξιώσεις, ταῦτα προκρίναντος [9] τοῦ κηρύγματος, οὐκ ἐᾷ. οὐ μέν γε κωλύει τὴν ἀγάπην, ἐπιτείνει δὲ μᾶλλον, εἴπερ τὸ κήρυγμα τῶν μαθητῶν τοῖς ἀνθρώποις τὴν ἐλευθερίαν ἐχαρίζετο τῶν παθῶν, καὶ τὴν εὐμένειαν, καὶ τὴν σωτηρίαν, τὴν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ.

A bat producere creaturam, ad alium corruptam renovare: sed utrumque ejusdem erat sapientiæ & artis, renovare creaturam per primum adventum, ne ullus tibi relinqueretur incredulitatis locus, quod per secundum adventum non sit renovanda, tuque ipse ante illam, in incorruptibilitatem, impassibilitatem, ineffabilemque pulcritudinem. Si enim dum sponte erat in infirmitate carnis, in sudoribus, in passionibus Christus, ac veluti seductor & Samaritanus traducebatur, creaturam expurgavit a tot tantisque & adeo vetustis passionibus & coinquinamentis; quando ut Judex vivorum ac mortuorum advenerit, quando infinitis stipatus angelorum ordinibus, quando omnium arbiter & dominus, quando B omnia horrore ac tremore concutiet; quomodo non ex corruptione in incorruptionem mutatio longe facilior conspicietur? Quodque ex consequentia infertur, Deumque apprime decet, quia adveniet salvator prævaticinantibus prophetis; ut nequis existimet, quod quemadmodum homo, quem primum fefellit tentamen & auxilium, ad secundum devenit, ita & Deus. Ne quis igitur rem hanc comminisceretur, jampridem prædixerunt vates adventum illius: quo ostenderent, quia Deus minime res perpendendo, quod utile sit reperit; sed ab initio prævidit universa. Equidem nos homines circa negotia deliberamus, ac si prior conatus nequaquam succedat, ad alium transimus: at Deus non item. Sed legem de- C dit, prophetas, posteaque evangelium, non temporis experientia quod utile sit addiscens, sed ab initio agnoscens, quod haud fieri poterat ut aliter creatura, & qui in ea censetur homo, vel exstaret, vel erudiretur, vel incorruptionis prærogativam consequeretur, nisi quemadmodum ineffabilis providentia ac benignitas disposuisset. At enim, si prævidit peccaturum hominem Deus, ut quid etiam illum condidit? Plures sunt pulcherrimæque hujus dubii solutiones. Dicit tamen & divinitus eruditus Joannes Chrysostomus: Non hoc tantum dico, quod prævideret; sed quod etiam lapsum excitaturus eum erat per incarnationem. Nec prius vidit lapsum, quin insuper præexcogitaverit resurrectionem. No- D vit casurum, sed præparavit resurrectionis pharmacum; permisitque ut homo mortem experiretur, ut addisceret, quo per se ipse frueretur, quo vero per gratiam creatoris. Novit casurum Adam; at respexit ex eo proventurum Abel, Enos, Enoch, Noe, Eliam, prophetas, mirandos apostolos, ingenuitatem naturæ, divinitus motas martyrum nubes & stillantes pietatem. Attende hæc; & quei erat onestum, qui justum, quei Deo dignum, ut quia unus homo peccaturus erat, hunc nequaquam educeret ex non exstantibus, & tantorum virorum, vel uno quorum dignus non erat mundus, copiam interciperet, radicitusque succideret tanta humani generis incrementa & pulcritudinem, & contra illam ictum E iramque vibraret, & quidem tunc, cum qui peccatum postea electurus erat, nec peccaverit, nec peccare cogitaverit, quippe qui ne exstaret quidem adhuc? Si enim prudentium est hominum, ab eo qui quidem peccare cogitavit, nec tamen peccavit, peccatorum pœnas non exigere: quanto magis Dei fuerit, ab eo qui ne cogitavit quidem peccare, peccantium pœnas non sumere, & quidem maxime cum de gravissimo agatur peccato; (Quomodo non enim gravissimum sit transgressio dominici mandati?) quod tamen insanabile futurum non erat per ineffabilem conditoris benignitatem, dum & ipsemet protoplastus in veterem nobilitatem adhuc erat revocandus? Itaque si non fuisset productus quia peccaturus erat primus parens, videretur Deus non

1. Colb. pro ἐμπαθέσιν. 2. Ex eodem, καὶ τρέμῃ. 3. Forte ἢ.

θεῖον τὸν μὴ ἁμαρτάνοντα κολάζων [1], καὶ τῆς ὕστερον ἀνακλήσεως καὶ σωτηρίας ἀποστερῶν, καὶ τοσούτων ἀνδρῶν καλῶν τε καὶ ἀγαθῶν ἔρημον τὴν κτίσιν ἀποφαίνων.

peccantem hominem punire, privareque futura revocatione ad salutem, ac tot hominibus probis spoliare creaturam.

μα΄. Ερώτησις ρϙβ΄.

Τί ἐστι · πρωτότοκος πάσης κτίσεως;

ΟΤι τοῦ θείου Παύλου εἰπόντος · πρωτότοκος πάσης κτίσεως, οἱ αἱρετικοί, φησι, [2], μὴ νοήσαντες περὶ ποίας κτίσεως λέγει, εἰς κτίσμα τὸν υἱὸν οἱ ἀνόητοι καταβιβάζουσι. διττὴ δὲ ἡ κτίσις. ἡ μὲν γάρ ἐστιν ἡ γεγενημένη, ἡ δὲ ἡ ἀνακαινιζομένη. αὐτὸς γὰρ Παῦλος βοᾷ · εἴ τις ἐν Χριστῷ, καινὴ κτίσις. ἵνα δὲ λαμπρῶς ἀποδείξῃ, ὅτι τῆς ἀνακαινισθείσης κτίσεως λέγει πρωτότοκον τὸν Χριστὸν, ἐπάγει · πρωτότοκος ἐκ νεκρῶν, ἵνα γένηται ἐν πᾶσι πρωτεύων. πρωτεύων τῶν ἀνακαινιζομένων, τῶν εἰς ἀφθαρσίαν καλουμένων, τῶν ἐκ νεκρῶν ἐγειρομένων. πρωτεύων οὐ κατὰ τὴν θεότητα, ἄπαγε · ὕβρις γὰρ Θεῷ τὸ καλεῖσθαι πρῶτον τῶν κτισμάτων, ὃς ἀῤῥήτῳ λόγῳ καὶ ἀνεπινοήτῳ ὑπεροχῇ πάσης ὑπερῄρηται καὶ [3] ὑπερίδρυται φύσεως. ἀλλὰ πρωτεύει κατά γε τὴν ἀνθρωπότητα, ἀρχηγὸς ἡμῶν γεγονὼς τῆς ἀναστάσεως, καὶ τῆς ἐκ φθορᾶς εἰς ἀφθαρσίαν μεταστοιχειώσεως. εἰ γὰρ ὁ [4] Ηλίας τὸν υἱὸν τῆς χήρας ἤγειρε, καὶ Ελισσαῖος τὸν τῆς Σωναμίτιδος, καὶ αὐτὸς ὁ σωτὴρ τεταρταῖον τὸν Λάζαρον συνεξανέστησεν, ἀλλ᾽ οὐδεὶς αὐτῶν [5] εἰς ἀφθαρσίαν καὶ ἀθανασίαν ἐξανέστη · πάλιν γὰρ αὐτῶν [6] ὁ θάνατος ἐκυρίευσεν · Χριστὸς δὲ ἀναστὰς ἐκ νεκρῶν, οὐκ ἔτι ἀποθνήσκει, θάνατος αὐτοῦ οὐκ ἔτι κυριεύει, ἀλλ᾽ οὐδὲ ἐκείνων, οὓς κατὰ τὴν δευτέραν αὐτοῦ παρουσίαν ἀναστήσει · ὢ κακῆς καὶ ἄφρονος ἡμῶν γνώμης. ἦλθεν ὁ Χριστὸς πρὸς ἡμᾶς, ἔδωκεν ἡμῖν τὸ αὐτοῦ πνεῦμα, καὶ ἀνέλαβεν τὸ ἡμέτερον σῶμα, καὶ τὸ συνάλλαγμα προῆλθεν. καὶ λαβὼν ἡμῶν τὸ φύραμα ἀνύψωσεν αὐτὸ, καὶ ἐκάθησεν [7] ἐν δεξιᾷ τοῦ πατρός. καὶ ἡ ἀγνωμοσύνη τὴν εὐεργεσίαν ὑβρίζει. ἐλάβομεν ἐξ αὐτοῦ τὸ πνεῦμα, καὶ ὑβρίζομεν, ἐν κτίσμασι καὶ δούλοις αὐτὸ καταλέγοντες.

XLI. INTERROGATIO CXCII.

Quid sibi vult, [a] *Primogenitus omnis creaturæ.*

I. Dicente divo Paullo, *Primogenitus omnis creaturæ*; Hæretici non intelligentes de qua creatura loquatur, ad creaturæ rationem Filium stolide detrudunt. Porro duplex est creatura. Alia quæ facta est, alia quæ renovatur. Ipse enim Paullus clamat: *Si quis in Christo, nova creatura.* Quo vero perspicue ostenderet, se renovatæ *creaturæ primogenitum* dicere Christum, subdit: *Primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus primatum habens.* Primatum nempe habens in renovatis, in vocatis ad incorruptionem, in excitatis a mortuis. Primatum habens, non secundum divinitatem, apage; contumelia est enim Deo vocari primum inter creaturas, qui ineffabili ratione inexcogitabilique excellentia omnem transcendit supergrediturque naturam. Sed primatum habet secundum humanitatem, auctor factus nostræ resurrectionis, ac translationis de corruptione in incorruptionem. Etsi enim Helias filium viduæ resuscitavit, & Elisæus filium Sunamitidis, & ipsemet salvator quatriduanum Lazarum a mortuis revocavit; sed nullus eorum ad incorruptionem immortalitatemque resurrexit: iterum namque eis mors dominata est. At *Christus resurgens ex mortuis, non amplius moritur: mors ei non amplius dominatur*; sed ne illis quidem, quos in secundo adventu suo resuscitabit. O malum & amens judicium nostrum! Venit Christus ad nos, dedit nobis spiritum suum, assumsitque corpus nostrum, contigitque reconciliatio. Ac assumens massam nostram exaltavit illam, collocavitque in dextera patris. Nostra autem ingratitudo beneficium negligit. Accepimus ab illo Spiritum, & vilipendimus eum ad creatam servilemque conditionem redigentes!

μβ΄. Ερώτησις ρϙγ΄.

Τί ἐστι δέησις, καὶ προσευχή;

ΟΤι φησὶ δέησις μὲν λέγεται, ὅταν τις τὸν Θεὸν ἀξιοῖ εἰς πρᾶγμα, προσευχὴ δέ, ὅταν ὑμνῇ τὸν Θεόν. εὐχαριστία δὲ, ὅταν τις ὑπὲρ ὧν ἔπαθεν, χάριν ἀνθομολογεῖ τῷ Θεῷ · ἐντυχία δέ, ὅταν τις κατὰ τῶν ἀδικούντων ἐντυγχάνῃ τῷ Θεῷ προσκαλούμενος [8] αὐτὸν εἰς ἐκδίκησιν. ὅτι δὲ τὸ ἐντυγχάνειν οὐκ ἔστι, φησὶν, ἱκετεύειν, ἀλλ᾽ ἐρωτᾶν καὶ ἀπόκρισιν δέχεσθαι, λέγει ὁ Θεὸς πρὸς τὸν Ηλίαν · τί σὺ ἐνταῦθα, Ηλία; ἀποκρίνεται ἐρωτηθεὶς ὁ προφήτης · ζηλῶν ἐζήλωκα κυρίῳ παντοκράτορι, ὅτι ἐγκατέλιπόν σε υἱοὶ Ισραὴλ, καὶ ἑξῆς. καὶ οὐκ ἔστιν ἐνταῦθα δέησις, ἀλλ᾽ ἐρώτησις καὶ ἀπόκρισις, καὶ γέγονεν τὸ ἐξ ἀμφοῖν ἔντευξις. καὶ πόθεν δῆλον; Παύλου λέγοντος ἄκουσον · οὐκ οἴδατε ἐν Ηλίᾳ τῷ προφήτῃ τί λέγει ἡ γραφή; ὡς ἐντυγχάνει τῷ Θεῷ κατὰ τοῦ Ισραήλ. οὐκοῦν ἐντυχία οὐκ ἔστι δέησις. ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὁ Χρυσόστομος. δεῖ δ᾽ οὖν ἔτι λεπτομερέστερον τὰς διαφορὰς τῶν εἰρημένων ὀνομάτων ἐπισκέψασθαι, καὶ ἐπιθεωρῆσαι ·

XLII. INTERROGATIO CXCIII.

Quid est precatio & oratio.

I. Precatio dicitur dum quis rogat Deum pro re aliqua, Oratio vero quando quis Deum laudat. Gratiarum actio est, cum quis pro acceptis rebus se gratum confitetur Deo. Denique supplicatio est quum quis adversus injurios supplicat Deo, invocans illum in ultionem. Quod vero supplicare non sit obtestari, sed interrogare responsumque accipere; id dicit ad Heliam Deus. *Quid tu heic, Helia?* Respondet interrogatus propheta: *Zelans zelavi Domino omnipotenti, quia dereliquerunt te filii Israel &c.* Porro non est heic precatio, sed interrogatio & responsio, resultavitque ex utraque supplicatio. Et unde hoc liquet? Audi Paullum dicentem: [b] *Nonne legistis in Helia propheta quid dicat scriptura? quod supplicaverit Deo contra Israel.* Non ergo supplicatio est precatio. Et hæc quidem Chrysostomus. Oportet tamen adhuc subtilius differentias dictorum nominum considerare, atque animadvertere: etenim non solum apta sunt ut plebi

a Coloss. I. 15. seqq. b Rom. XI. 2.

1. Hoc & sequentia participia sensu refer ad Θεός.
2. Ms. φασι. Sed utrumlibet redundat ut crebro alias in Codd.
3. Duæ hæ voces ex Colbert.
4. καὶ Ηλ. Idem.
5. Id. pro αὐτῶν.
6. Ms. αὐτῶν.
7. Forte ἐκάθισεν.
8. Colbert. pro προσκαλούμενος.

ὅτι μὴ τῷ πλήθει μόνον ἱκανὰ εἶναι λέγεσθαι, ἀλλὰ καὶ τοῖς δεινότερον διακωδωνίζειν ταῦτα βουλομένοις ἀνάλωτα καὶ ἀνεπηρέαστα διαμένειν.

A exponantur; verum etiam pro iis qui enucleatius ea velint excutere, adhuc intenteta integraque manere videantur.

μγʹ. Ἐρώτησις ρϞδʹ.

Οὐ γὰρ ἐπαισχύνομαι τὸ εὐαγγέλιον. δικαιοσύνη γὰρ Θεοῦ, καὶ ἑξῆς.

Ὅτι φησὶν ὁ Παῦλος, οὐ γὰρ ἐπαισχύνομαι τὸ εὐαγγέλιον· δικαιοσύνη γὰρ Θεοῦ ἐν αὐτῷ ἀποκαλύπτεται. πῶς οὖν δικαιοσύνη Θεοῦ ἐν αὐτῷ ἀποκαλύπτεται; πῶς [1]; ἐπειδὴ ὁ πρῶτος νόμος Ἰουδαίοις μόνοις ἐδέδοτο, καὶ οὐ τῶν [2] ἄλλων ἀνθρώπων, τῆς αὐτῆς ὑπαρχόντων δημιουργίας καὶ φύσεως· τὸ δὲ εὐαγγέλιον πᾶσιν ὁμοτίμως τοῖς ὁμοφυέσιν. εἰκότως ἐν αὐτῷ δικαιοσύνη Θεοῦ ἀποκαλύπτεται [3], καὶ καλεῖται δικαιοσύνης εὐαγγέλιον. ἐν τοίνυν τῇ παλαιᾷ διαθήκῃ οὐκ ἦν ἡ κλῆσις δικαία. οὐ γὰρ ὁμοίως πάντας ἐκάλει καὶ ἐφώτιζεν· τοῖς Ἰουδαίοις δὲ μόνοις οὐκ ἦν οὖν δικαία, ἀλλ' οἰκονομική, προπαρασκευάζουσα ὁδὸν τῇ δικαιοσύνῃ. οὐ λέγω ταύτην δικαίαν, κἀκείνην ἄδικον. ἀλλ' ἐκείνην ὁδὸν ταύτης καὶ προκατασκευὴν ταύτης. ὑπελάμβανον οἱ Ἰουδαῖοι, ὅτι καὶ τὸ εὐαγγέλιον αὐτοῖς δοθήσεται καὶ μόνοις, ὥσπερ καὶ ὁ νόμος. ἐξέβη δὲ παρ' ἐλπίδας ἡ προσδοκία. διὸ καὶ Δαβὶδ λέγει· ὑπελάβομεν, ὁ Θεὸς, τὸ ἔλεός σου ἐν μέσῳ τοῦ λαοῦ σου. εἶτα, κατὰ τὸ ὄνομά σου, ὁ Θεὸς, οὕτω καὶ ἡ αἴνεσίς σου. οὐχὶ ἐν μέσῳ τοῦ λαοῦ σου μόνου, ἀλλ' ἐπὶ τὰ πέρατα τῆς γῆς. καὶ ἵνα δείξῃ, ὅτι τὸ ἐλεῆσαι τὰ πέρατα τῆς γῆς δικαιοσύνης ἐστὶν, ἐπάγει· δικαιοσύνης πλήρης ἡ δεξιά σου. ὁ κύριος ἐβασίλευσεν. πῶς ὁ κύριος ἐβασίλευσεν; ἆρ' ὡς πρόσφατον λαβὼν τὸ τῆς βασιλείας ἀξίωμα; εἰ μὲν γὰρ εἶπεν· ὁ κύριος βασιλεύει, τὴν ἀΐδιον αὐτοῦ ἐρμήνευεν ἐξουσίαν· εἰπὼν δὲ ἐβασίλευσεν, τὴν διὰ σαρκὸς αὐτοῦ οἰκονομίαν λέγει, δι' ἧς ἡ φύσις ἡμῶν τὴν ἐπικράτειαν τοῦ διαβόλου, τῆς ἁμαρτίας, τοῦ θανάτου ἀποσεισαμένη, ἐπέγνω πλάστην τὸν ὡς ἀληθῶς βασιλέα, τὸν χορηγὸν τῆς ἀφθαρσίας, τῆς ἀναστάσεως. εὐαγγελίζεται τοίνυν ὁ Δαβὶδ τοῖς ὑπὸ τῆς ἁμαρτίας, ὑπὸ [4] τοῦ θανάτου, ὑπὸ τοῦ διαβόλου πάλαι βασιλευομένοις, ὅτι ὁ ζυγὸς ἐκεῖνος συντέτριπται, τὸ κράτος λέλυται, καὶ βασιλεύει πάντων ὁ κύριος, ὡς καὶ αὐτὸς μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἔφη· ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς. πρὶν δὲ ἐβασίλευσεν ἡμῶν ὁ θάνατος καὶ ἡ ἁμαρτία. ἐβασίλευσε γὰρ ὁ θάνατος ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι Μωϋσέως, καὶ ἑξῆς. καὶ ὁ σωτὴρ περὶ τοῦ διαβόλου· καὶ εἰ ὁ σατανᾶς τὸν σατανᾶν ἐκβάλλει, ἐμερίσθη ἡ βασιλεία αὐτοῦ. ὥστε ἐβασίλευσεν πρὸ τῆς ἐπιδημίας τοῦ Χριστοῦ τοῦ γένους ἡμῶν ὁ σατανᾶς, ἀλλὰ καὶ ἡ ἁμαρτία. λέγει γὰρ πάλιν ὁ Παῦλος. ὥσπερ γὰρ ἐβασίλευσεν ἡ ἁμαρτία ἐν τῷ ἡμῶν σώματι, οὕτω καὶ ἡ χάρις βασιλεύει διὰ Χριστοῦ. ὁ κύριος ἐβασίλευσεν· πέπαυται τῆς ἁμαρτίας τὸ κράτος, τοῦ θανάτου, τοῦ διαβόλου, οὐκοῦν ἀγαλλιάσθω ἡ γῆ, ἡ φύσις ἡ γηγενὴς, ἥ ποτε πλανωμένη, νῦν δὲ δοξαζομένη, ἥ ποτε ἐν τάφοις, νῦν ἐν θρόνοις. ὅτι φησὶν, οἰκονομίας ἦν τὰ πλεῖστα τῶν ἐν τῇ παλαιᾷ, ἀλλ' οὐκ ἀρεσκείας Θεοῦ, καὶ προηγουμένης εὐδοκίας· καὶ τύποι τῶν μελλόντων καὶ σκιαὶ, ἀλλ' οὐκ αὐτὰ [5] τὰ πράγματα. καὶ ἔστιν ἰδεῖν ἐπ' αὐτῶν ἄλλα μὲν τὰ σχήματα, ἄλλα δὲ τὰ νοήματα. οἷον· πάντως Θεὸς οὐκ [6] ἀναπαύεται ὑακίνθῳ καὶ πορφύρᾳ, καὶ κόκκῳ καὶ βύσσῳ. Θεὸς γὰρ ψυχῶν ἀπαιτεῖ καθαρότητα, οὐ σωμάτων ἀν-

XLIII. INTERROGATIO CXCIV.

[a] Non enim erubesco evangelium; justitia enim Dei &c.

I. Paullus ait: *Non enim erubesco evangelium; justitia namque Dei in eo manifestatur*. Quomodo ergo *justitia Dei in eo manifestatur*? Quomodo? Quoniam prima lex Judæis solis data est, & non aliis hominibus qui ejusdem erant & conditus B & naturæ. At evangelium universis ex æquo qui eamdem habebant naturam. Icciro jure in illo justitia Dei manifestatur, vocaturque justitiæ evangelium. In veteri proinde testamento non fuisset justa hæc nuncupatio. Illud enim non omnes vocabat & illuminabat. Pro solis itaque Judæis non fuisset justa, sed œconomica, præparans viam ad justitiam. Non dico hoc testamentum justum, & illud injustum: sed illud viam quamdam ad hoc & præparationem. Judæi argutabantur quod evangelium quoque ipsis solis dandum esset, quemadmodum & Lex. At exspectatio contra spem cecidit. Quamobrem & David ait: *Suscepimus Deus miseri*C*cordiam tuam in medio populi tui*. Et mox: *Secundum nomen tuum Deus, sic & laus tua*. Non *in medio populi tui* dumtaxat; sed *in fines terræ*. Utque ostendat, quod misereri finium terræ ad justitiam pertineat, subjungit: *justitia plena est dextera tua*. [b] *Dominus regnavit*. Quomodo Dominus regnavit? Numnam quasi recens accipiendo regni dignitatem? Si enim dixisset, *Dominus regnat*, æternam illius exposuisset potentiam. At dum dicit *Regnavit*, de œconomia carnis ejus loquitur, per quam natura nostra imperium diaboli, peccati & mortis excutiens, agnovit creatorem ceu vere regem, largitorem incorruptionis, & resurrectionis. Evangelizat itaque David iis qui sub peccati D tyrannide jampridem, sub mortis, sub diaboli, quod jugum illud contritum est, imperium dissolutum, regnatque in omnibus Dominus, ut & ipse post resurrectionem ait: *Data est mihi omnis potestas in cælo & super terra*. Antea vero regnabat in nobis mors & peccatum. *Regnavit namque mors ab Adam usque ad Moysem &c*. Et salvator de diabolo ait: *Quod si satanas satanam ejicit, divisum est regnum illius*. Ergo regnavit ante adventum Christi in genus nostrum satanas, quinetiam & peccatum. Dicit namque iterum Paullus: *Sicut regnavit peccatum in mortali corpore nostro, sic & gratia regnat per Christum*. *Dominus regnavit*. Cessa E vit peccati imperium, mortis, diaboli. Itaque *Exsultet terra*, natura inquam terrigena, quæ olim aberravit, nunc glorificatur: quæ olim in sepulcris, nunc in Thronis. Siquidem ex œconomia erant pleraque in veteri testamento, & non lubitus Dei aut principalis intentionis; sed figuræ futurorum & umbræ, non vero res ipsæ. Porro licet in illis videre alia esse schemata, alia res intellectas. Puta; omnino Deus non acquiescit in hyacintho, purpura, cocco vel bysso. Deus nempe animarum postulat puritatem, non corporum vividos colores aut

[a] Rom. I. 16. seqq. [b] Psalm. XCII. 1.

1. πῶς οὖν .... πῶς, ex Colbert. sunt.
2. Solœcismus, pro τοῖς ἄλλοις &c.
3. Hoc verbum est ex Colb.
4. ὑπὸ ex Colbert.
5. Sic Colb. pro ὁ .... κατὰ.
6. οὐκ abest a Ms.

θη καὶ λαμπρότητα, ἀλλ' ἐν ταῖς σωματικαῖς φαιδρότησι τὴν εἰκόνα τῶν ἀρετῶν διαγράφει. εἰ γὰρ ταῖς στολαῖς ἐκείναις ὡς ἀληθῶς ἀνεπαύετο, πῶς τὸν Μωϋσῆν πρὸ τοῦ Ααρὼν οὐκ ἐνέδυσεν; ἀλλ' ἣν ἐκεῖνος οὐκ ἐνεδύσατο, ταύτην τοὺς ἱερέας ἠμφίασεν. καὶ Μωσῆς μὲν οὐκ ἐλούσθη ὕδατι, καὶ ἔλουεν. διὰ τί; ἵνα μάθῃς [1], ὅτι οὐκ ἦν ταῦτα προηγούμενα τῷ Θεῷ, ὅτι τῷ τελείῳ πρὸς κόσμον ἀρκεῖ ἡ ἀρετὴ, καὶ ὅτι ταῦτα τύπος ἦν ἀρετῆς, ἀλλ' οὐκ ἀρετή. ὅτι ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, φησιν, ἔφερεν ὁ ἀρχιερεὺς τιάραν, διότι τὸν προχειριζόμενον ἁπάντων κεφαλὴν κατὰ κεφαλῆς ἔχειν τὴν ἐξουσίαν ἔδει, καὶ εἰδέναι ὅτι κεφαλὴ τῶν ἄλλων προβαλλόμενος, καὶ αὐτὸς ὑπὸ κεφαλήν ἐστι, τὸν κοινὸν ἁπάντων δεσπότην καὶ ἐξουσιαστήν. ἀπολελυμένη γὰρ αὐθεντεία καὶ αὐτόνομος, ἀφόρητός [2] ἐστιν καὶ χαλεπή. διὰ τοῦτο καὶ ἐν τῇ χάριτι οἱ ἀρχιερατεύειν τελούμενοι, τὸ εὐαγγέλιον ἐπὶ κεφαλῆς δέχονται, ἵνα μάθῃ ὁ χειροτονούμενος, ὅτι τὴν ἀληθινὴν τοῦ εὐαγγελίου τιάραν λαμβάνει, καὶ ὅτι εἰ ἐκ τῶν ἄλλων ἱερουργεῖται κεφαλὴ, ἀλλ' οὖν καὶ αὐτὸς ὑπὸ τούτους [3] τελεῖται τοὺς νόμους, καὶ τῶν ἄλλων κρατῶν, κρατεῖται τῷ νόμῳ. ἀλλ' ἡ μὲν τιάρα τὴν ἐξουσίαν ἐτύπου, ἥν τι αὐτὸς εἶχεν τοῦ λαοῦ, καὶ ὑφ' ἣν αὐτὸς ἀνεφέρετο τοῦ Θεοῦ. τὸ δὲ πέταλον τὸ χρυσοῦν, ἐν ᾧ τὸ ὄνομα ἐκεκόλαπτο τοῦ Θεοῦ, ἐπέκειτο μὲν τῷ στήθει, φυλακῆς δ' ἐπεῖχε τύπον τῶν ἐν καρδίᾳ κινημάτων. καὶ ὡς δεῖ ταῦτα καταρρυθμίζειν [4] τῇ πρὸς τὸ θεῖον νεύσει καὶ ἀναφορᾷ. ἐπὶ δὲ τῶν ὤμων σμαράγδου λίθοι δύο, ἔχοντες τὰς ἓξ φυλὰς ἐντεῦθεν, καὶ τὰς ἓξ ἐντεῦθεν. οὗτοι δὲ σύμβολον ἦσαν τῆς ὄψεως τῆς ἀρχιερατικῆς. ἔχει γὰρ ἡ τοῦ σμαράγδου ψῆφος καὶ χλωρότητα εὐπρεπῆ, καὶ καθαρότητα διαυγῆ, κατόπτρου δύναμιν ὑποφαίνουσα. καὶ γὰρ δεῖ τὸν ἱερέα καὶ ἀσκήσει νήφειν, καὶ τὸν βίον τοῖς ὑπ' αὐτὸν ὥσπερ κάτοπτρον παρέχειν. ἐπὶ τὸν ὦμον δὲ ἡ σμάραγδος, ἐπειδὴ πράξεών ἐστιν σημεῖον. ἡ γὰρ πρακτικὴ δύναμις τῶν νόμων ἤρτηται. διὸ καὶ ὁ Θεὸς πρὸς Ἱερουσαλὴμ λέγει· θὲς τὴν καρδίαν σου ἐπὶ τῶν ὤμων σου, θύγατερ ἡ τιμωμένη, ὅτι κύριος κτίζει σε εἰς σωτηρίαν. καὶ γὰρ τὰς χεῖρας καὶ τοὺς ὤμους εἰς πράξεις ἡ γραφὴ λαμβάνει. ὡς ὅταν λέγει περὶ τοῦ Δαβίδ· καὶ ἐν ταῖς συνέσεσι τῶν χειρῶν αὐτοῦ ὡδήγησεν αὐτούς. ἐνῆσαν δὲ τῷ λογίῳ, τῷ ἐπὶ τοῦ στήθους καὶ οἱ δώδεκα λίθοι ἐνηρμοσμένοι, τὰς δώδεκα φυλὰς ὑποδηλοῦντες. καὶ ὅρα· ἄνω μὲν καὶ ἐπὶ τῶν ὤμων μία ἡ φύσις τῶν λίθων, ὁ σμάραγδος· κάτω δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ στήθους οἱ δώδεκα. αἰνιττομένου τοῦ λόγου, ὅτι ἄνωθεν μὲν ἅπαντες ἐκ μιᾶς προήλθομεν φύσεως, προϊόντος δὲ τοῦ χρόνου διαφόροις γνώμαις ἐμερίσθημεν [5]. καὶ τὸ μὲν δίδωσι τῇ γνώμῃ, τὸ δὲ τῇ φύσει. ὑπὸ δὲ κράσπεδον τοῦ ἱερέως, τὸ λεγόμενον λῶμα, ἄνθη ῥόας καὶ ῥοΐσκοι, καὶ κώδωνες ἀπῃώρηντο. καὶ πῶς ἂν εἴη Θεῷ ταῦτα πρῶτον λόγον ἀρέσκοντα; ἀλλ' ἐν τῷ σχήματι τοῦ ἱερέως ἐφῆκεν ἐξεικονίζεσθαι τὰς ἀρετάς. κάτω ἄνθη καὶ καρποὶ τὰ τῶν ἀρετῶν κατορθώματα, ἅ τινά ἐστιν ἐλεημοσύνη καὶ δικαιοσύνη καὶ φιλανθρωπία, καὶ τῶν ἄλλων ὁ σύστοιχος χορός.

Ὅτι φησὶν, μὴ μετάβαλλε ῥήματα Θεοῦ ζῶντος. εἰς πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα ἐβαπτίσθης. τί ἀναιρεῖς [6] τὰ ὀνόματα τὰ ζῶντα, καὶ εἰσάγεις ὀνόματα λογισμῶν, γέννημα λέγων, καὶ ἀγέννητον καὶ γεννητὸν, ὂν ἀεὶ, καὶ μὴ ὂν ἀεί;

A fulgorem; sed in corporeis nitoribus imaginem quodammodo virtutum depingit. Si enim indumentis illis revera delectatus fuisset, quomodo Moysem ante Aaronem non induit? At vestes quas ipse non induit, illis sacerdotes circumvestivit. Moyses non est lautus aqua, sed lavit. Quid ita? ut intelligeres, quia in hæc primario non intendebat Deus, siquidem viro perfecto ad ornatum sufficit virtus: & quia isthæc figuræ virtutis erant, non ipsa virtus. In capite, scriptura dicit, gestabat pontifex tiaram; quia scilicet oportebat ut electus in caput omnium, in capite potestatem haberet, sciretque quod caput ceterorum propositus, ipse quoque sub capite est, communi nempe omnium Domino & B arbitro. Potestas namque dissoluta & effrenis, intollerabilis est atque molesta. Propterea etiam sub Gratia qui pontificio initiantur, evangelium super capite accipiunt, ut qui ordinatur intelligat, se veram evangelii accipere tiaram: & quamvis ex reliquis dedicatur in caput, attamen & ipse illis subjectus est legibus, & dum ceteros regit, regitur a lege. Tiara igitur potestatis indicium erat, quam ipse in populum habebat, & sub qua ipsemet subdebatur Deo. Lamina porro aurea, in qua exculptum erat Dei nomen, imminebat quidem pectori, at custodiæ vicem gerebat motuum cordis, indicans hos ordinandos esse nutu ac relatione ad Deum. In humeris duo lapides smaragdi habentes sex utrin- C que tribuum nomina; hi symbolum erant inspectionis pontificiæ. Lapis enim smaragdi habet & virorem eximium, & limpidam puritatem, quæ speculi vim obtinet. Oportet quippe ut sacerdos in munere suo vigilet, vitamque suam subjectis sibi veluti speculum exhibeat. Smaragdus vero super humero erat, siquidem actionis est signum. Vis namque activa a legibus pendet. Quare etiam Deus ad Jerusalem dicit: [a] *Pone cor tuum super humeris tuis, filia honorata, quoniam Dominus creat te in salutem.* Scriptura namque usurpat manus & humeros ad innuendas actiones, ut cum de David ait: *Et in intellectibus manuum ejus duxavit eos.* Inerant autem Rationali quod ad pectus erat, duode- D cim ordine dispositi lapides, subindicantes duodecim tribus. Attende tu vero: Superne & in humeris unica erat lapidum natura, smaragdus: inferne autem & in pectore, duodecim. Qua ratione innuitur, quod a prima quidem origine universi ex una processimus natura, labente vero tempore variis studiis divisi sumus. Itaque una re studia nostra, altera naturam exhibebat. Ad fimbriam vero sacerdotis, quæ dicitur margo, appensi erant flores mali granati, & parva quædam mala granata, & tintinnabula. At quei fieri potest, ut hæc placuerint Deo ex primaria quadam ratione? Sed in veste sacerdotis permisit ut imaginibus exprimerentur virtutes. Inferne positi flores fructusve officia in- E nuebant virtutum, quæ sunt misericordia, justitia, benignitas, & aliarum similis chorus.

II. *Non * mutes verba Dei viventis.* In patrem & filium & Spiritum sanctum baptizatus es. Cur e medio tollis nomina vivificantia, introducisque nomina excogitata, genimen inquiens, & ingenitum & genitum, exsistens semper, & non exsistens

a Jerem. xxxi. 22.

1. Colbert. pro μὴ δεῖ.
2. Ms. ἀφόριστοι.
3. Colb. pro ὑπὸ αὐτούς.
4. Ms. καθαρμίζειν.
5. Cod. ἐμερίσθησαν.
6. Colb. pro ἂν ἡμᾶς.

* Hæc vel aliud quæsitum respiciunt, vel quod alias accidit, adjunctum in periocha non expressum.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 890.



τούτων ἀνέχεται Θεὸς τῶν ματαίων ῥημάτων; ἓν ῥῆμα, ἵνα μεταβάλλῃ προφήτας, ποτὲ ἐκινδύνευσεν ἀπολέσθαι. καὶ βλέπε ῥήματος μικροῦ ἀκριβολογίαν. τὰ ῥήματα τῶν προφητῶν τινες ἐκάλουν ὑπὸ ἀπειρίας [1] λῆμμα κυρίου. λέγει ὁ Θεὸς διὰ Ἱερεμίου [2] [a]· ἐὰν ἐρωτήσει σε ὁ λαὸς, ἢ ὁ ἱερεὺς, ἢ ὁ προφήτης, καὶ εἴποι σοι, τί τὸ λῆμμα; εἰπὲ αὐτοῖς, ὅτι τὸ λῆμμα κυρίου ὑμεῖς ἐστε· λήψομαι γὰρ ὑμᾶς λῆμμα, καὶ ῥάξω ὑμᾶς, ἵνα μὴ λέγηται λῆμμα. ἓν ῥῆμα ἵνα μὴ μεταποιηθῇ ἀπειλεῖ ὁ Θεός· καὶ σὺ ὁλόκληρον δογμάτων ἀκρίβειαν διαστρέφων νομίζεις διαφυγεῖν τὰς τοῦ Θεοῦ χεῖρας;

A semper? Hæc patitur Deus vana vocabula? Unum vocabulum, quo vitiarentur prophetæ, olim perire discrimen erat; ac attende unius voculæ sollicite habitam rationem. Oracula prophetarum vocabant quidam ex imperitia * *lemma* Domini. Deus dicit per Jeremiam: [a] *Si interrogabit te populus vel sacerdos, vel propheta, & dixerit tibi, quod lemma? dic illis, vos estis lemma Domini. Accipiam enim vos lemma, & confringam vos, ut non dicatur lemma.* Minitatur Deus, ut ne una vocula immutetur: & tu integram dogmatum præcisionem subvertens, reputas te evasurum manus Dei?

μδʹ. Ἐρώτησις ρϞςʹ.

Εἰς τὸ ῥητόν· εἴ τις ἐν Χριστῷ, καινὴ κτίσις. τὰ ἀρχαῖα παρῆλθε· ἰδοὺ γέγονε καινὰ τὰ πάντα.

XLIV. INTERROGATIO CXCVI.

B

In illud dictum: [b] *Si quis in Christo, nova creatura: vetera transierunt: ecce facta sunt nova omnia.*

ΟΤι φασὶν οἱ Ἑλληνισταὶ, καὶ τὸ Ἰουδαΐζον· τί κομπάζει Παῦλος λέγων· τὰ ἀρχαῖα παρῆλθε, ἰδοὺ γέγονε τὰ πάντα καινά· εἴ τις ἐν Χριστῷ, καινὴ κτίσις; ἐγὼ γάρ φησι, καινὸν οὐδὲν βλέπω. οὐ γὰρ ἔχεις ὀφθαλμοὺς, ἵνα ἴδῃς ταῦτα. δεῦρο, καὶ ποιήσω σοι ὀφθαλμοὺς, καὶ ὁράσεις [3]. καὶ σὺ ποιεῖς ὀφθαλμούς; ναί. καὶ δημιουργὸς εἶ; καὶ πάνυ. σὺ ἀπονενόησαι. οὐχί. οὐκοῦν ποιεῖς [4] ὀφθαλμοὺς τοῦ σώματος; οὔ· ἀλλὰ τὸ μεῖζον, τῆς διανοίας. καὶ ποιεῖς μοι ὀφθαλμούς; μάλιστα. οὐ γὰρ ἔχω; C οὐχί. σὺ δὲ ἔχεις; ναί. πῶς, εἰπέ μοι; ὅταν ἀπέλθῃς εἰς ναὸν, καὶ ἴδῃς ἐκεῖ ξόανον γυμνὸν, λίθον ἄφωνον, καὶ εἴπῃς. οὗτος ὁ Θεός ἐστιν, ἆρα ὀφθαλμοὺς ἔχεις; μὴ γὰρ ὄφελός τι τῶν ἔξωθεν ὀφθαλμῶν, τῶν ἔνδον πεπηρωμένων. ὁρᾷς, ὅτι χρείαν ἔχεις, ἵνα ποιήσω σοι ὀφθαλμοὺς, ὥστε τὸν λίθον σε ἰδεῖν λίθον, καὶ τὸ ξύλον, ξύλον; ὀφθαλμοὺς ἔχεις, ὅταν ἴδῃς ξύλον, καὶ προσκυνήσῃς; καὶ λαβὼν ἐγὼ αὐτὸ καύσω, ἆρα ἔχεις ὀφθαλμοὺς τὸ καιόμενον Θεὸν ὀνομάζων; ὅταν τὰ πάθη θεοποιεῖς, ὀφθαλμοὺς ἔχεις; μεθύει ὁ ἄνθρωπος, καὶ περιφέρεται; καὶ καταγελᾶται, καὶ γίνεται ἀντὶ τοῦ ἀνθρώπου ἄλογος· σὺ δὲ λέγεις, ἡ μέθη Θεὸς, ὁ Διόνυσος· ἡ κλοπὴ Θεὸς, ὁ Ἑρμῆς. ὁρᾷς, ὅτι D χρεία σοι ὀφθαλμῶν; ὁ νόμος τὰ πάθη κολάζει· καὶ σὺ ταῦτα ποιῶν οὐκ αἰσθάνῃ. εἰ βούλει δὲ, πρόσχες, ὅπως γέγονε πάντα καινά. κτίσις ἐν τῇ γραφῇ λέγεται, ἡ οὐ μόνον ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παραγωγὴ, ἀλλὰ καὶ ἡ ἐκ τοῦ ὄντος ἐπὶ τὸ βέλτιον μεταβολή. ἔκτισεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανόν· τοῦτο ἔστιν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος ἐργάσασθαι. κτίζει καὶ ὅταν τὸν πονηρὸν ἄνθρωπον καλὸν ἀπεργάσηται. ἐνταῦθα τὸ κτίζειν, ἔστιν ἐπὶ τὸ βέλτιον μεταβολή. καὶ ἄκουσον τοῦ Δαβὶδ λέγοντος· ἐπειδὴ γὰρ ἦν αὐτὸς καὶ ἡ καρδία αὐτοῦ ἐκτισμένη, ἐῤῥυπώθη δὲ τῇ μοιχείᾳ καὶ τῷ φόνῳ, καὶ πρὸς φθορὰν κατεφέρετο, παρακαλεῖ τὸν Θεὸν, καὶ λέγει· καρδίαν καθαρὰν κτίσον ἐν ἐμοὶ, ὁ Θεός. οὐχ ὅτι πρότε- E ρον οὐκ εἶχε καρδίαν· οὐδὲ περὶ τῆς οὐσίας τῆς καρδίας λέγει, ἀλλὰ περὶ τῆς κοσμούσης αὐτὴν ἀρίστης πολιτείας· ἰδοὺ τοίνυν, κτίσις λέγεται οὐ μόνον ἡ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παραγωγὴ, ἀλλὰ καὶ ἡ τῆς οὐσίας διαφθαρείσης εἰς τὸ βέλτιον μεταβολή. οὕτω κτίζεται σώφρων ἡ πόρνη, οὕτως ἐλεήμων ὁ ἅρπαξ, οὕτω μεταβάλλεται εἰς πρόβατον ὁ λύκος, καὶ ὁ ἱέραξ εἰς περιστεράν. δύο κτίσεις, διὰ τοῦ-

I. DIcunt gentiles & Judæi: Quid jactatur Paullus dicens, *Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova: Si quis in Christo, nova creatura?* Ego enim, inquiunt, nihil novum video. Nec enim oculos habes, ut hæc videas. Ades, & faciam tibi oculos, & videbis. Tu oculos facis? Næ. Tu conditor es? Omnino. Tu mente non aberras? Minime. Facisne ergo oculos corporis? Minime gentium; sed quod majus est, mentis. Tu mihi oculos facis? Maxime. Non habeo? Nequaquam. Tute vero habes? Utique. Quomodo, dic mihi? Quando templum ingrederis, videsque ibi nudam statuam, lapidem mutum, & ais; Hic Deus est, numnam oculos habes? neque enim externi oculi quidquam prosunt, si interni cæcutiant. Viden', quia opus habes, ut tibi oculos faciam, ut lapidem pro lapide videas, lignum pro ligno? Oculosne habes, quando lignum vides, & adoras? Si accipiam ego illud & comburam, numquid oculos habes dum quod ardet Deum nominas? Quando passiones in censum deorum refers, oculosne habes? Inebriatur homo & vertigine laborat, derideturque, ac pro homine fit brutum; tu vero ais, Ebrietas Deus est, Bacchus: Furtum Deus est, Mercurius. Viden', quod oculis opus habes? Lex vitia punit; & tu hæc te perpetrare non sentis. At si vis attende, quo modo facta sint omnia nova. Creatura in Scripturis dicitur, non modo productio ex non exstantia ad exstantiam, sed etiam mutatio de exstantia in melius. Creavit Deus cælum. Hoc est de non exstante facere. Creat & quando malum hominem bonum facit. Heic creare, est mutatio in melius. Audi quoque David dicentem: cum enim ipse & cor ejus jam creatione exstaret, sed mœchia & cæde coinquinatum fuisset, defereturque in corruptionem, orat Deum & ait: *Cor mundum crea in me, Deus.* Non quod antea cor non haberet, neque de substantia loquitur cordis: sed de genere vitæ, quod ornet cor. Ecce ergo, creatio dicitur non solum productio de non exstantia ad exstantiam; sed etiam substantiæ jam vitiatæ in melius reformatio. Hoc pacto creatur sobria quæ fornicatrix erat; hoc misericors, qui rapax; hoc mutatur in ovem lupus, & accipiter in columbam. Duæ ergo sunt creationes. Propterea & lavacrum, creatio dicitur; lava-

a Jerem, XXIII. 33. *b* II. Cor. V. 17.

1. Ms. ἀπηρίας.
2. Ms. Ἡσαΐου.
3. Colbert. καὶ ὁρᾷς.
4. Idem ποίησον.

* λῆμμα est *acceptio*. Vulgata *Onus*. Estque ab hebr. Nasa, quod *accipere* & *portare* significat.

το ϰ̀ τὸ λουτρὸν, κτίσμα λέγεται· τὸ λουτρὸν λέγω τῆς παλιγγενεσίας. ἀποδυσάμενοι γάρ φησι τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον, ἐνδυσάμενοι δὲ τὸν νέον, ἀναγεννώμενον κατ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντ☉ αὐτόν, ὁρᾷς οὖν, ὅτι ἐστὶ καινὴ κτίσις; τί γάρ μοι ὄφελος, ἐὰν γένηται ὁ οὐρανὸς καινὸς ϰ̀ ἡ γῆ καινή, ἐγὼ δὲ ταῖς ἁμαρτίαις πεπαλαίωμαι; ὁ οὐρανὸς οἶκός ἐστιν, ἐγὼ δὲ ὁ διαιτώμεν☉ ἐν αὐτῷ καὶ νοσῶν. ἐὰν ἰατρὸς εἰς τὴν οἰκίαν τοῦ ἀῤῥωστοῦντος εἰσέλθοι, καὶ τοῦ μὲν οὐδεμίαν πρόνοιαν λάβοι, λευκαίνει δὲ τοὺς τοίχους, ϰ̀ χρυσογραφεῖ τὸν ὄροφον, οὐκ ἂν εἶπες αὐτῷ· ἄνθρωπε, ἀνάστησον τὸν νοσοῦντα; τί τὴν οἰκίαν καλλωπίζεις; βοήθησον τῷ κειμένῳ. καὶ ὁ Χριστὸς εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον τοῦτον, ἐν ᾧ κατακειμένην εὗρεν τὴν φύσιν μου B νοσοῦσαν, καὶ πρὸς τὴν θεραπείαν αὐτῆς ἅπαντα δέχεται τὸν ἀγῶνα, καὶ ἀνακαινίζει ϰ̀ ἀνορθοῖ τὴν φύσιν. τί οὖν τὸν ἰατρὸν μέμφῃ, ὅτι μὴ ταῦτα ἐποίει, τὸν Χριστὸν δὲ πάλιν ὑπὸ μῶμον ποιεῖς, ὅτι ταῦτα ποιεῖ; οὕτω παρῆλθεν τὰ ἀρχαῖα, οὕτω γέγονε τὰ πάντα καινά, οὕτω καινὴ κτίσις. ϰ̀ μυρία ἄν τις τοιαῦτα ἐπισυνάπτῃ.

A crum inquam regenerationis. *Exuentes* enim inquit, *veterem hominem, & induentes novum, qui regeneratus est secundum imaginem creantis eum.* Viden' ergo, quod sit & nova creatio? Quid enim mihi prodest, si fiat cælum novum & terra nova; ego vero peccatis inveterascam? Cælum domus est, ego autem qui in eo habito & ægroto. Si medicus in domum infirmi ingrediatur, ac illius nullam gerat curam, dealbet vero parietes, & auro depingat laquear; an non diceres ei: heus tu! eripe de lecto ægrotantem? quid domum exornas? Jacenti opem fer. Etiam Christus hunc mundum ingressus est, in quo jacentem reperit ægrotantem naturam meam, & pro curatione ejus omne suscepit certamen, B renovatque & erigit naturam. Cur ergo de medico conquereris, quod hoc modo non agebat; Christum vero rursus insimulas, quia hæc præstat? Ita transierunt vetera, ita facta sunt omnia nova. Ita nova est creatura; aliaque innumera id genus, quæ quis adjungere posset,

με'. Ἐρώτησις ρϟζ'.

Διὰ τί ὁ ἀπόστολος, ὅταν περὶ Χριστοῦ διαλέγηται, θάνατον καλεῖ τὸν ἐκείνου θάνατον· ὅταν δὲ περὶ τῆς [1] ἡμῶν, κοίμησιν;

C Τί δήποτε, ὅταν μὲν περὶ τοῦ Χριστοῦ διαλέγηται Παῦλος, θάνατον καλεῖ τὸν ἐκείνου θάνατον, ὅταν δὲ περὶ τῆς ἡμετέρας τελευτῆς, κοίμησιν αὐτὴν, καὶ οὐ θάνατον ὀνομάζει; ϰ̀ γὰρ ἐν τῷ αὐτῷ λόγῳ τρίτον μνησθεὶς [2] τῆς τελευτῆς τῶν ἀνθρώπων, οὐδαμοῦ θάνατον λέγει, ἀλλὰ κοίμησιν τὴν ἀναχώρησιν λέγει· οὐ γὰρ παρέργως ταύτῃ κέχρηται τῶν λέξεων τῇ παρατηρήσει, ἀλλὰ σοφόν τι καὶ μέγα κατασκευάζει. ἐπὶ μὲν οὖν τοῦ Χριστοῦ, θάνατον καλεῖ, ἵνα τὸ πάθος πιστώσηται· ἐπὶ δὲ ἡμῶν κοίμησιν, ἵνα τὴν ὀδύνην παραμυθήσηται. ἔνθα μὲν γὰρ παρεχώρησεν ἡ ἀνάστασις, θαῤῥῶν καλεῖ θάνατον· ἔνθα δὲ ἐν ἐλπίσιν ἔτι μένει, κοίμησιν καλεῖ· καὶ διὰ ταύτης παραμυθούμενος ἡμᾶς D τῆς προσηγορίας, ϰ̀ χρηστὰς ἐλπίδας ὑποτείνων ἡμῖν. ὁ γὰρ κοιμώμενος ἀναστήσεται πάντως, ἐπεὶ ϰ̀ θάνατος οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν, ἢ μακροχρόνιος ὕπνος.

XLV. Interrogatio CXCVII.

Cur apostolus quando de Christo loquitur, mortem appellat mortem ejus: quando vero de nobis, dormitionem?

I. Quid quæso! Quando de Christo loquitur Paullus, mortem appellat illius mortem: at quando de obitu nostro, illum dormitionem, non mortem nominat? Etenim in eadem oratione tertio facta mentione finis hominum, nuspiam mortem nominat, sed dormitionem nuncupat decessum eorum. Non enim perfunctorie in hoc usu dictionum perstitit, sed sapiens quid & grande molitur. De Christo igitur mortem vocat, quo passionem stabiliat: de nobis vero dormitionem, quo dolorem consoletur. Ubi enim processit resurrectio, audacter mortem nominat: at ubi in spe adhuc jacet, dormitionem vocat. Et per hanc appellationem D consolatur nos, & bonam spem nobis conciliat. Qui enim dormit, exsurget omnino. Siquidem & mors nihil aliud est, nisi somnus diuturnus.

μϛ'. Ἐρώτησις ρϟθ'.

Τίς ἡ παραβολὴ τοῦ τὴν πατρικὴν οὐσίαν λαβόντος, καὶ εἰς χώραν ἀποδημήσαντ☉ μακράν;

Ὅτι τὸ τάγμα τῶν δικαίων οὐ βούλεται εἰς ἑαυτὸν ἁρπάσαι τὴν ἐξουσίαν τῶν κτισμάτων, ἀλλ' ὑπὸ τὴν τοῦ σωτῆρος πρόνοιαν θέλει κεῖσθαι τὰ τῆς οἰκονομίας· διὸ καὶ ἡ παραβολὴ τὸν νεώτερον εἰσ- E άγει, λαβόντα τὴν πατρικὴν οὐσίαν, εἰς χώραν ἀποδημῆσαι μακράν. τὸ δὲ μῆκος οὐ σταδίοις διετείνετο, ἀλλὰ τρόποις ἐξετοπίζετο. ϰ̀ γὰρ ὁ ἁμαρτάνων μακρὰν γίνεται Θεοῦ, οὐ τόπῳ ἀλλὰ τρόπῳ. λαβὼν δὲ τὴν οὐσίαν τὴν πατρικὴν ἀπώλεσεν αὐτὴν, ἀσώτως ζῶν. ἔλαβεν ἥλιον εἰς ἀπόλαυσιν, ϰ̀ τὸ δῶρον ὡς Θεὸν προσεκύνησεν. ἔλαβεν πηγὰς εἰς τρυφὴν, ϰ̀ τὸ δῶρον ἐθεοποίησεν. ἠγνόησεν τὸν χαρισάμενον, ϰ̀ τὸ χάρισμα ὑπερεδόξασεν ἡ αὐτὴ κτίσις. ἀλλ' οὐ πᾶσιν ὁμοίως ὁρωμένη πατρικὴ ἡ οὐσία. ἀλλ' ὁ μὲν καλῶς αὐτῇ, ὁ δὲ κακῶς ἀπε-

XLVI. Interrogatio CXCIIX.

Quis est sensus parabolæ ejus qui paternam substantiam accepit, & peregre profectus est?

I. Siquidem justorum cœtus non vult sibi arrogare potestatem in res creatas, sed sub salvatoris providentia vult esse quæ ad œconomiam E pertinent. Propterea etiam parabola adolescentem proponit qui accipit paternam substantiam, peregre proficiscentem. Distantia porro ista non stadiis definiebatur, sed moribus protendebatur. Qui enim peccat longe recedit a Deo, non loco, sed moribus. Cum vero accepisset paternam substantiam, perdidit eam luxuriose vivens. Accepit enim solem in usuram, at donum veluti Deum adoravit. Accepit fontes ad oblectamentum, donumque in deos mutavit. Ignoravit largitorem, & quod largitione accepit superexaltavit ipsamet creatura. At non ab omnibus æque habita paterna substantia. Alius

1. Vel τῶν redundat, vel supplendum τελευτῆς.

2. Ms. μνησθῆς.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 890.

χρήσατο ; τάγμα τοῦτο κἀκεῖνο, εἰ καὶ διάφορον. ὁ εὐσεβὴς τὸ κάλλος ὁρᾷ τοῦ οὐρανοῦ, καὶ ἀπὸ τοῦ κάλλους τὸν δημιουργὸν ἀνυμνεῖ. ὄψομαι γάρ φησι τοὺς οὐρανούς, ἔργα τῶν δακτύλων σου. εἶδεν ὁ ἀσεβὴς, καὶ πρὸς μὲν τὸν κτίστην τὴν διάνοιαν οὐ διεβίβασεν· ἐναπομείνας τῷ κάλλει τοῦ οὐρανοῦ, Θεὸν ἐφαντάσθη τὸ δημιούργημα. ὁ εὐσεβεὶς οὐχ ὑβρίζει τὴν κτίσιν, ἀλλὰ [1] τῷ δεσπότῃ τὴν προσκυνήσιν ταμιεύεται· τιμᾷ τὴν κτίσιν, ἀλλ' ὁμόδουλον. οὐκ ἀφαιρῶν δὲ τὸ σέβας τοῦ κτίσαντος περιάπτει τῷ κτίσματι. ἐπαινεῖ τὸ φιλοτέχνημα, ἀλλ' οὐχὶ τὴν τοῦ τεχνίτου δόξαν εἰς ἐκεῖνο περιίστησιν. ὁ δὲ δυσσεβὴς οὐ κακῶς μὲν εἶδεν [2], κακῶς δὲ προσεκύνησεν, καὶ πᾶσαν τὴν τάξιν ἀνέτρεψεν. ὅτι δράκοντα πολλάκις ἡ γραφὴ καλεῖ τὸν διάβολον, καὶ ὄφιν σκολιόν. διὸ καὶ ὁ σωτήρ φησιν· ἰδοὺ δέδωκα ὑμῖν ἐξουσίαν πατεῖν ἐπάνω ὄφεων καὶ σκορπίων. καὶ ἵνα μὴ τὰ ἕρποντα ὑπολάβῃς, ἐπήγαγεν· καὶ ἐπὶ πᾶσαν τὴν δύναμιν τοῦ ἐχθροῦ. δράκων καὶ ὄφις ὁ διάβολος· οὐχ ὡς ῥίζα κακίας, ὥς φασιν οἱ Μανιχαῖοι, ἀλλ' ὡς κατάρχων τῶν δαιμονίων, καὶ ἀρχηγὸς αὐτοῖς τῆς ἐκπτώσεως γεγονώς.

A bene ea usus est, alius male. Classis hæc & illa, tametsi diversa. Pius enim pulcritudinem videt cæli, & a pulcritudine creatorem celebrat laudibus: *videbo* enim inquit *cælos, opera digitorum tuorum*. Vidit impius, & ad creatorem cogitationes non reflexit: sed hærens in pulcritudine cæli, opificium Deum esse comminiscitur. Pius non afficit injuria creaturam, sed Domino adorationem impendit. Honorat creaturam, sed veluti secum servientem: nec privans cultu creatorem, tribuit illum creaturæ. Laudat artificium, nec tamen artificis gloriam in illud derivat. At vero impius male vidit maleque adoravit, omnemque ordinem subvertit. Draconem sæpe scriptura appellat diabolum, & serpentem tortuosum. B Propterea & salvator ait: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones*. Ac ne serpentia proprie intelligeres, subdit: *Et super omnem potestatem inimici*. Draco & serpens diabolus est. Non tamquam radix malitiæ, ut dicunt Manichæi, sed ut principatum obtinens inter dæmonia, qui illis fuit auctor ruinæ.

1. ἀλλὰ ..... τὴν κτίσιν, ex Colbert.

2. Ms. κακῶς μὲν εἶδεν, ὁ. Potius redundat ὁ ubique ponatur.

Τ Ε Λ Ο Σ.

F I N I S.



SANCTI NOTKERI COGNOMENTO BALBULI MONACHI S. GALLI NOTATIO DE ILLUSTRIBUS INTERPRETIBUS.

ITEM

EJUSDEM

MARTYROLOGIUM.

NOTATIO NOTKERI DE ILLUSTRIBUS VIRIS

Qui ex intentione sacras Scripturas exponebant: aut ex occasione quasdam sententias divinæ auctoritatis explanabant.

Scripta ad SALOMONEM *discipulum suum, postea Constantiensis ecclesiæ episcopum.*

CUM prudens sis, & prudentis nomen heredites, miror te res ineptas appetere: quod tibi quia dissuadere nequeo, quod hortaris aggrediar, prius improperando commonens; quia si me audisses, omnes auctores nostros notissimos haberes. In hoc autem & meæ stultitiæ & tuæ verecundiæ consulendum putavi; ut cum ego utilia possim scribere, & tu optima sis dignus accipere, in talibus ineptiis nomen utriusque sub clausura silentii premeretur. Vide, ne tu nos diffamare velis vilissime.

CAPUT I.

De iis, qui in Genesin, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium *&c. scripserunt.*

SI scire desideras, quid Hebræi historica *Geneseos* explanatione (sentiant), scrutare librum Hieronymi, qui intitulatur *Hebraicarum Quæstionum* juxta Septuaginta dumtaxat Interpretum translationem. Si vero moralitatem requiris, Origeni intende: si disputationem; Augustini duodecim libros [1] peragrare non lasseris. Si defensionem creatoris, & antiquorum patrum contra blasphemias calumniatorum; lege ejusdem Augustini libros duos *adversus Manichæos*, & alios duos *contra Faustum* [2], & XI. XII. XIII. XIV. ipsius *de Civitate Dei*, prophetico spiritu conscriptos. Si creaturarum pulcritudine delectaris, *Hexaemeron* Ambrosii, ut jocularis es, pro ludo relegere consuescas. Si medullas ejusdem libri dulcissima pasci volueris, & ipsius ratione veritatis jocundari cupieris; *Bedam* tenacissima memoria retinere labora. Quod si *excerptum Paterii*, quod de libris beati Gregorii per ordinem singulorum librorum deflorando confecit, umquam reperire potueris, illud tibi ad omnimodam sufficiet sapientiam.

In *Exodum* & in *Leviticum* Homilias *Origenis* mire disputatas ediscere labora. In totum *Heptaticum* septem Augustini *Quæstionum*, & alios sex *Locutionum de diversitate Interpretum*. Et quod præ omnibus utile sibi puto acquirere, *Eugippum* qui ex omnibus libris profundissimi & penetrabilissimi ejusdem Augustini in omnem auctoritatem Scripturæ utilissimum, & valde necessarium volumen collegit: in quo multa mysteria de Genesi, de Exodo, de Levitico, de Numero, de Deuteronomii, Josuæ & Judicum, Samuele & Malachim (libris) & prophetis reserata reperies. Licet *in omnes prophetas* laborantissimus & desudantissimus studioso lectori sufficiat Hieronymus: cujus si volueris esse discipulus, fastidium quod tibi de librorum tædio coaluit, reticere debebis, ut ferventissima lectio fervere congruat discipulo. Hæc de Lege & Prophetis.

CAPUT II.

De his, qui Psalterium, Proverbia, Ecclesiasten, *&* Cantica Canticorum *exposuerunt.*

DE Hagiographis vero in sequenti doceberis, quorum primus est *Psalterium* juxta Circumcisionem. Apud nos vero propter Christum ex eo natum, David est caput omnium prophetarum, in cujus librum plurima multi senserunt. De quibus primus & præcipuus est Origenes apud Græcos, Augustinus apud nos: ex cujus libris Prosper, ut accepimus, Aquitanus episcopus utilissimum volumen studiosis excerpsit, cui multa de aliorum opusculis intexuit; ut statim in principio præfationem de homilia sancti Basilii posuerit. In eumdem librum & Arnobius rhetor sui nobis ingenii monumentum reliquit. In ipsum & Hilarius Pictaviensis episcopus scripsit. In cujus explanationem Cassiodorus senator cum multa disseruerit, in hoc tantum videtur nobis utilis, quod omnem sæcularem sapientiam, id est, schematum & troporum dulcissimam varietatem in eo latere manifestat. Super omnia vero ad intellectum hujus prophetiæ juvat, si quis *Psalterium* quod beatus Hieronymus de Hebraico in Latinum vertit, memoriæ commendare voluerit.

In *Proverbia* Salomonis Hieronymus breves sententias dereliquit, quæ quasi paucissima grana caussa segetum fuere maximarum, quas Beda noster demessuit & collegit.

Scripsit idem Hieronymus in *Ecclesiasten* juxta traditionem LXX. translatorum, hoc est vulgatam interpretationem. Hebræi enim dicunt, eos non amplius interpretatos fuisse quam Moysis quinque libros [3]. Huic ergo expositioni acutissime debes intendere, ut eam ad intellectum modernæ lectionis possis derivare: quia nihil aliud apud Latinorum aliquem super eumdem librum reperies, nisi tantum pauca testimonia in libris beati Gregorii cum expositione posita.

In *Cantica Canticorum* interpretatur sanctus Hieronymus duas Homilias Adamantii; in quarum præfatione hoc præmisit: *Origenes cum in ceteris alios vicerit, in Canticum Canticorum seipsum vicit.*

1. De Genes. ad Litter. 2. Contr. advers. Legis & Proph. 3. V. Fabric. B. Gr. II. 320.

Quam interpretationem quia ipse morte præventus A nobis transferre non potuit ; hanc tibi vicissitudinem nostri laboris & multimodæ servitutis impono, ut si aliquando sumtibus abundaveris, & alicujus hominis latina & græca lingua eruditi amicitia usus fueris, ab eo extorqueas, ut explanationes Latinis & Barbaris pro maximo munere vel præda formosissima transferre non gravetur. Interim lege libellum Justi Lugdunensis episcopi [1] in Epithalamium, brevem quidem verbis, sed spiritualibus plenum sententiis. Quod si Romana facundia barbarorum hominum scripta contemserit, nobis barbaris expositio Bedæ in eumdem librum sufficere debebit. Quem naturarum dispositor Deus, qui quarta die mundanæ creationis solem ab oriente B produxit, in sexta ætate sæculi novum solem ab occidente ad illuminationem totius orbis direxit. Si vero Romanarum etiam deliciarum opipari convivio delectaris, quicquid Gregorius papa dulce super hoc respersum latissime reliquit, idem Beza in brevissimo ferculo avidis glutiendum composuit.

CAPUT III.

De interpretibus libri Sapientiæ, Jesu filii Sirach, Job, Tobiæ, Esdræ, Judith, Esther, Paralipomenon & Machabæorum. [2]

De libro qui *Sapientia Salomonis* inscribitur, C nullius authoris expositionem, nisi tantum per occasionem aliorum librorum pauca testimonia explanata cognovi : quippe qui ab Hebræis penitus respuitur, & apud nostros quasi incertus habetur. Tamen quia priores nostri eum propter utilitatem doctrinæ legere consueverunt, & Judæi eumdem non habent, *Ecclesiasticus* etiam apud nos appellatur. Quod de hoc, id etiam de libro *Jesu filii Sirach* sentias oportet [3] : nisi quod is ab Hebræis & habetur & legitur [4].

Difficillimum librum beati Job prophetæ ab omnibus magistris anterioribus intactum, Apostolicus noster Gregorius ita exposuit, ut super historiæ fundamentum moralitatis construeret ædificium, & ana- D goges imposuerit culmen præstantissimum. Cui libro tam multa de omnibus divinæ authoritatis scriptis testimonia intexuit, & intexta dissolvit, ut hujus occasione vetus & novum testamentum videatur exposuisse. Quod si propter inopiam rei familiaris, vel sæcularium rerum occupationem, vel etiam palatii assiduitatem & militiæ laborem, tibi aspirare non suppetit aut vacare, *Excerptum Ladkeni Hiberniensis* inquire, & post explanationem testimoniorum in medium adductorum, nihil tibi invenies ad plenum intellectum deesse. In diversis etiam locis diversa tum collecta tum excerpta de hoc, & aliis scriptis, si requisieris, invenire poteris, de quibus postea dicetur.

In librum *Tobiæ* & *Esdræ* Beda presbyter aliqua scripsit magis jucucunda quam necessaria, quippe qui simplicem historiam vertere conatus est in allegoriam.

De libro *Judith* & *Esther* & *Paralipomenon* quid dicam, a quibus vel qualiter exponantur, cum etiam ipsa in eis litera non pro auctoritate, sed tantum pro memoria & admiratione habeatur ? Idem de libris Machabæorum suspicari poterit.

CAPUT IV.

Qui Novi Testamenti libros *ex professo interpreati sint*.

De Novo autem Testamento scire debebis, quia licet remotis literæ grossioris integumentis lucidum cunctis ad intelligendum videatur : nusquam tamen periculosius erratur, nisi reverentissima humilitate discatur. Ergo in *Matthæum* Hieronymus tibi sufficiat. In *Marcum* pedissequum Matthæi Beda pedissequus Hieronymi, adeo ut omne, quod ipsum reperit Evangelium, volumen compingeret in unum.

Joannem cælipetam nubivolus Augustinus paribus alis insequutus est. Præter hæc est liber Augustini *de Sermone Domini in monte*, secundum Matthæum. Alius *Quæstionum in totum Evangelium*. Insuper & *Eugippi collectorium*. Præterea homiliæ *Joannis Chrysostomi*, *Origenis*, *Augustini*, *Gregorii maximi*, *Leonis*, *Bedæ*; & *Responsiones Hieronymi ad interrogationes Algasiæ & Denobiæ* [5], si tamen mox Sacerdos futurus dignaris legere libros ad eruditionem feminarum directos. Sed tu juvenculus non dedigneris legere, quod Hieronymus senex dignatus est scribere.

In *Epistola ad Romanos* multa & mira scripsit Origenes, quibus adversarii ejusdem prava quædam inseruerunt : quorum unum [6] sicut nuper tibi in aurem diffudi, ipse in eodem volumine acerrime condemnat.

Ambrosius Mediolanensis episcopus in Evangelium *secundum Lucam*, & in omnes *Epistolas Paulli* breves commentarios reliquit : sed explanationem *ad Hebræos* epistolæ ejus volumini insertam, non eum scripsisse multi contendunt, quod & veritas comprobat. Item Pelagius breves sententiolas in easdem scripsit epistolas.

Hieronymus latissimos tractatus *ad Galatas*, *ad Titum*, *ad Philemonem* dereliquit. Idemque Hieronymus & Augustinus episcopus, prout interrogati fuerant, de diversis *in Apostolum* quæstionibus valde proficuas conscripserunt epistolas.

Super *Actus Apostolorum* lege Bedam presbyterum.

In *Epistolam Joannis* Augustinum : in qua explanatione qui sit Christianus agnosces.

In septem Epistolas, quæ dicuntur *Canonicæ*, interpretationem Bedæ presbyteri require, & ejusdem dilucidationem obscurissimæ visionis potius, quam *Revelationis* beati Joannis : cujus tamen expositionis Augustinum, Hieronymum & Gregorium seminaria esse noveris ; licet idem Beda sæpissime Tychonii Donatistæ se dicat explanationem suo volumini inseruisse : in quo multa quoque Primasii di- E scipuli sancti Augustini dicta posuit, ut facile poterit advertere, qui eosdem tractatores curaverit recitare.

Si glossulas volueris *in totam Scripturam* divinam, sufficit Rabanus Mogonciacensis archiepiscopus.

1. Florebat circa an. Chr. 381.

2. Vide quæ diximus in Proleg. cap. ult. & confer etiam Voisinium in notis ad Pugionem Fidei Raim. Martini.

3. Alicubi ergo saltem *Ecclesiasticus* etiam Sapientiæ librum indicabat, quod nomen Operi Sirachidis tandem ceu proprium adhæsit.

4. Vide Voisinum l. c. & Fabr. B. Gr. II. 729.

5. Al. *Zenobiæ*.

6. Conf. Origeniana Huetii pagg. 243. 253.

CAPUT V.

De iis, qui occasione disputationis propriæ, quasdam sententias divinæ auctoritatis explanaverunt.

HActenus de his Scriptoribus dixisse sufficiat, qui ex intentione sacras Scripturas elucidare conati sunt. Nunc autem de his doceberis, qui ex occasione disputationis propriæ quasdam sententias divinæ auctoritatis explanaverunt. *Augustinus* in libris innumeris quos conscripsit, prout se locorum & rerum obtulerat occasio, omnem pene, immo vero, sanctam Scripturam exposuit. Cujus rei probamenta sunt libri Confessionum ejus numero tredecim. Liber optimus de bono naturæ; de utilitate credendi; Quæstiones de Proverbiis Salomonis, & ceteris Scripturis. Item Enchiridion, hoc est, de fide, spe & caritate, in quibus vel maxime intellectus Scripturarum elucet, ut in aliis mille libris ipsius, sicut ante nos dictum est: *Si Augustinus adest, sufficit ipse tibi.* Speculum ejus require. Quid dicam de *Cassiano*? si tamen aliquando Monachos fastidire desieris, qui in viginti quatuor libris Collationum, quos totidem senioribus Apocalypseos Joannis comparat; ita & propter octo principalium vitiorum occasionem de Lege & Prophetis disputat, ut eum omnia tractanda suscepisse non dubites. Qualiter vero Evangelia & apostolorum scripta differuerit, nullus credere poterit, nisi qui lectioni earumdem Collationum studiosus institerit. Quam tamen doctrinam professionis suæ memor, Patrum sanctitati, non suæ scribit industriæ.

Libri *Isidori* Hispaniensis episcopi Etymologiarum nomine titulati omnimoda te perficiunt scientia. Item Sententiarum ejus utilissimus liber occurrit. Item alius de Patribus veteris & novi testamenti. Item alius de Officiis, & de Ordinibus ecclesiasticis, qui tibi mox Dei gratia futuro sacerdoti maxime sunt necessarii: in quibus omnem rationem, & nomina singularum festivitatum & jejuniorum reperies, ut præco Dei populis futuras stationes prænunciare possis in Keriki [1]. Quia *si non annunciaveris populo, qui speculatoris officium desideras, veneritque gladius, & tulerit eum, ipse iniquitate sua morietur, sangnis autem ejus de manu tua requiretur.*

CAPUT VI.

De libris ornando sacerdotio necessariis, epistolographis &c.

ERgo quia sese obtulit occasio, ut in hoc loco de ministerio quod subiturus es, te attentius instruere debeam, & me imparem tantæ rei agnosco, qui nec vitam propriam custodire, nec quæ aliquantum sentio, idonee valeo proferre; mitto te ad librum beati Gregorii papæ, qui appellatur *Regula pastoralis*, sed meo, immo ut credo, ejus & omnium sapientium judicio melius & verius Speculum nuncupari potuisset: in quo omnis homo se ipsum inveniet quasi depictum, & præcipue episcopi & presbyteri, itaut omnis homo non solum sermones & opera, sed & cogitationes & affectus, quos quisque vel antea vel in ipso sacerdotio conceperit, quasi viventes vel ambulantes ostenderit.

A In quo libro tam multa de novo & veteri Testamento posuit & exposuit, ut si eum memoriæ commendaveris, omnium librorum scientia refertus esse videaris. Ex hoc ergo trutinari debes & examinari, utrum ob animæ tuæ salutem sacerdotium declinare, & eorum periculum quos corrigere nequiveris, fugere; vel propter tui custodiam, quia ministerium ipsum vitiis te subjacere prohibet, & eorum quos convertere poteris lucrum subire debeas vel ambire; licet hoc verbum periculosissimum sit & fœdissimum, nedum etiam in efficientiam apud Christianos veniat, & maxime sacerdotes.

Habes *Eucherium*, nescio utrum ipsum quem B beatissimus Augustinus presbyterum ex Hispania veteri morbo calculi laborantem, per sanctissimum Stephanum in libro vigesimo secundo [2] de Civitate Dei narrat curatum; an alium episcopum vel doctorem, qui multas & utilissimas interpretationes, tropologias, anagoges sacrarum Scripturarum proposuit & dissolvit.

Quid dicam de *Albino* magistro Caroli imperatoris? qui ut tu ipse fateri solitus es, nulli secundus esse voluit, sed in gentilibus & sacris literis omnes superare contendit. Ille talem grammaticam condidit, ut Donatus, Nicomachus, Dositheus, & noster Priscianus in ejus comparatione nihil esse videantur. Sed tibi stulto idem de Dia- C letica, Fide & Spe & Caritate multa disputavit, adeo ut etiam in evangelium Joannis manum mittere præsumeret. Scripsit enim ad amicos plurima, præcipue ad Vitonem [3], Epistolæ vero ejus tibi puerulo cum supercilio scriptæ videntur. Sed ego ita non sentio; quia illa juxta auctoritatem suam, qua omnes post regem potentissimum præcellebat, & loquutus est, & vixit & scripsit.

Commendo epistolas *Hieronymi*, non illius Græci pagani idololatriæ, sed nostri ecclesiastici cultoris veri Dei: in quibus omnem serietatem, miram joculationem, Scripturarum sacrarum explanationem, virginitatis & viduitatis exhortationem, la- D psorum sublevationem, Clericorum & Monachorum ac virginum, immo & fornicariarum insectationem tam vehementem reperies, ut si te ipsum clericum esse memineris, non sit quod Monachis & Sanctimonialibus objicere possis. Sed unam illam ærati, progenitoribus & proximis, indoli & ministerio tuo congruentissimam commendo epistolam ad Nepotianum cognatum Heliodori episcopi, qui futurus post avunculum suum sperabatur episcopus, & subita morte præreptus est: ut secundum talem istitutionem, quali eum instruxit, vivere studeas, & non post matris tuæ consobrinum [4] anhelare ad episcopatum, sed timere & præparare te satagas ad conspectum Dei; quia sicut omnibus, incerta est E tibi hora exitus tui.

CAPUT VII.

De metrorum, hymnorum, epigrammatumque conditoribus.

SI vero etiam metra requisieris, non sunt tibi necessariæ gentilium fabulæ; sed habes in christianitate prudentissimum *Prudentium* de mundi exordio, de martyribus, de laudibus Dei, de patribus novi & veteri Testamenti dulcissime modulantem, virtutum & vitiorum inter se conflictus tropologica dulcedine suavissime proferentem, contra hæreticos & paganos acerrime pugnantem.

1. Templo Domini, vel Dominico.
2. Cap. VIII. §. 12.
3. Al. *Widonem.*
4. Salomonem, de quo Sammarth. tom. II. p. 544.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 900.

Alcimus [1] vero nomine *Avitus*, licet historiam Geneseos quasi solam assumserit, tamen omnia nostra dulcissimo carmine decantavit, & pulcherrimum librum de Virginitate ad sororem suam descripsit, & alium de Institutione mortalium, pro quo tu legisti Catonianum. Sed quantocius facito tuum esse.

Juvencum & *Sedulium* oratorem, Hymnosque *Ambrosianos* scio quia jam memoriæ commendasti.

Quod si *Scriptores Ecclesiasticos* nosse desideras, inani labore tabescis, cum hodieque & usque in fine sæculi non desint, qui utilia scribere possint. Si tamen *Antiquos Auctores* nosse volueris, lege librum beati Hieronymi de *Illustribus Viris* a sancto Petro usque ad se ipsum, & *Gennadii* Toletani episcopi ab [2] Ambrosio, usque ad eumdem Gennadium. Vale, & aliquando tibi satis sit exhausti. Sed quid tibi aviditatem tuam imputo, cum meam socordiam ipse reprehendo? Modo Deus qui omnia tibi prosperat, *Prosperum* mihi perduxit ad memoriam, cujus epigrammata licet invitus habes in corde descripta. Libros autem ejus de Vita activa & contemplativa nescis adhuc: quos si didiceris & observaveris, ut tandem aliquando aperiam quid jugiter sacerdotii nomine significem, episcopatu dignissimus eris. „Eheu! sed mihi tum quam molliter ossa quiescent.„ Iterum iterumque valeto.

CAPUT VIII.

De libro Consensus Evangelistarum, *&* de Fide ad Petrum *sancti* Augustini [3].

LErnææ paludi, hydrino capiti, seu certe rogo flagranti te comparaverim: quorum singula, aliud quo crebrius obturatur, sæpius erumpit; aliud, succiso uno, mille capitibus pullulascit; aliud quo plura ligna voraverit, amplius voranda desiderat. Ita & tu, cum in uno tibi satisfecero, alia & alia nova & impossibilia debilissimæ cervici subeunda non exhorrescis, non times, non expavescis, non saltem misericordia motus desinis imponere. Apto ergo infirmos humeros gravi sarcinæ: pii provisoris mei est, hac me quandocumque relevare. Quod tamen ita dictum noveris ante Deum, ut si quæ mihi fraterne injungere, & non imperatorie volueris imponere, quoad vivam, ad voluntatem tuam cupio promtissimus esse. Ordinatione Dei, ut credo, non humana voluntate factum est, quod libros sancti *Augustini* de symphonia, ut ipse illis nomen imposuit, vel Anaphonia Evangelistarum, ut adversarii garriunt, incommemoratos reliqui: quatenus de his modo latius aliquid instruere te [4] occasionem capiam.

Primus ergo ex eis non de sui materia, sed de sequentibus nomen accepit: ipse enim, quodcumque ei vocabulum imposueris, omnia supergreditur. Quod si ei galeam vel thoracem veteris ac novi Testamenti nuncupare volueris, hoc nomen ipsi minus idoneum reperies, cum eum contra hæreticos & omnes idololatras, sed & falsos fratres clypeum æreum clavis aureis compactum, & argento purissimo vestitum esse, seu nimium ignitum contra ligna arida, fœnum stipulamque didiceris: vel armamentarium omnimodi generis telorum adversus humanæ spiritualisque nequitiæ cœtum, oculis & experimento probaveris. De sequentibus autem quid loquar? qui ita veritatis ipsius ratione subnixi sunt, ut si eos memoriæ commendaveris, omnibus semper & ubique Evangelii contradictoribus ipse jam filius Evangelii contradicere possis: in quibus & multas sententias cum lucidissimis explanationibus positas invenies. Est etiam alius liber ejusdem Augustini [5] de Fide ad Petrum diaconum ita dispositus, ut si eum firmiter comprehenderis, invictum te adversus omnes hæreses, quæ hactenus exortæ, vel post orituræ sunt, victoremque constituat.

CAPUT IX.

De libris sancti Properi Aquitani.

PUlcherrimo operi *Prosperi* de Promissis & prædictis Dei operam impende; quod ipsum noveris regulam omnium divinarum Scripturarum, quid in his tantum historice factum, quid historice quidem factum, sed quomodo moraliter, vel juxta anagogen sit factum, quid tantummodo futurum, & quid in hoc tempore, quid sub Antichristo, vel post ejus perditionem, quid in futuro sæculo reprobis & electis communiter prædictum, quid solis electis specialiter sit promissum. In quo volumine multa vera etiam ex libris ethnicorum de consummatione sæculi & commutabilium translatione utiliter inserta reperies. Item libris ejusdem de gratia & libero arbitrio acutissime intende, quos ille ex innumeris sancti Augustini, & aliorum Patrum libris, quasi in brevissima tabula, quamdam, vel potius veram cosmographiam depinxit. Quia scilicet homo non juxta philosophos minor est mundo, sed major: cum non homo propter mundum, sed mundus propter hominem sit factus.

CAPUT X.

De iis, qui Vitas *&* passiones Apostolorum, *ac* Martyrum *conscripserunt.*

PRæterea debes agones & victorias sanctorum Martyrum diligentissime perquirere; ut eorum exemplo non tantum illecebras mundi respuere, sed & animam pro Christo ponere, & cruciatus corporis pro nihilo ducere, Dei gratia & sancti Spiritus inhabitatione consuescas; primumque præcipuorum apostolorum Petri & Paulli, Andreæ & Jacobi fratris, Joannis, sed & Jacobi fratris Domini. *Historiis* vero quæ sunt *de Andrea* & *Joanne*, sed & *Passionibus* reliquorum *Apostolorum*, auctoritatem derogat Ecclesia. Quorum tamen passionum *Bartholomæi* verisimillimam, seu certe veracissimam noveris [6]. Historia vero *de Petro & Paullo*, & eorum discipulis *Processo & Martiniano* carcerariis, *Nicomede* presbytero, *Nerreo & Achilleo*, *Marone*, *Victorino*, *Eutycete*, *Marcello*, *Petronella*, *Felicula*, *Domitilla*, *Potentia & Euphrosyna*, pro omnium ædificatione legitur [7]. Sed & liber *Hermæ*, qui *Pastor* inscribitur. Liber autem sub nomine *Clementis* [8] respuitur. Post Apostolos sequitur *passio de sancto Clemente* [9]. Dehinc mirabilis

1. Al. male *Alcuinus*.
2. Hodie incipit ab Jacobo Nisibeno.
3. Hæc serius, sin potius aliena manu addita videantur.
4. Hæc minus cum exordio capitis congruere videntur.
5. Potius Fulgentii Ruspensis.
6. Vide Fabric. B. Græc. tom. IX. pag. 61.
7. De his videsis Act. Sanct. 2. Jul. &c. Tillemont. tom. I. Sigbert. S. E. cap. I.
8. V. Bibl. nostram tom. I. & II.
9. Surius 23. Novembr. Coteler. PP. App. tom. I.

liber *de sancto Alexandro*, *Eventio & Theodulo*, *Hermete*, *Quirino*, & ceteris [1].

CAPUT XI.

De Chronographis *ecclesiasticis*, & Bibliothecariis.

EST & *historia*, quæ dicitur *Ecclesiastica* Eusebii episcopi Cæsariensis, & Hieronymi nostri a Nativitate Domini, non solum omnimodas per orbem terrarum Sanctorum passiones continens; sed & alia quæcumque memoria digna videbantur, usque ad ipsum Hieronymum, qui, quod mihi injunxisti, de paucis, ipse scripsit librum *de Illustribus viris*, omnium a se ipso usque ad sanctum Petrum commemorans quid singuli scriptum reliquerunt. Post quem *Gennadius* Toletanus episcopus alium non dissimilem usque ad semet ipsum composuit. Est & alia historia, quæ *Tripartita* nuncupatur, pro eo quod Cassiodorus Senator Romanus de tribus scriptoribus, Socrate videlicet, Sozomeno & Theodoreto, quæ præcipua videbantur, in unum volumen compingebantur.

Passionem sancti Laurentii [2] si integram & non particulatim reperire quiveris, quanta bella & quot victorias martyrum invenies! Polychronii videlicet Babylonii episcopi de Perside cum Presbyteris & Diaconibus [3]: regulorum quoque Abdon & Sennen, quando etiam non persequutione, sed vastitate per Decium facta Cæsarem, abolita est in illis partibus religio christiana. Qui Romam regressus ibi omnes Christianos, quos invenire posset, diversis pœnis interemit: sed quod moliebatur, Christianum nomen auferre tanta cæde non potuit; quin etiam in Perside, licet multo post tempore, christianitatis cultus per Cyriacum [4] diaconum Romanum est recuperatus, temporibus scilicet Diocletiani Cæsaris & filiorum ejus, Maximini scilicet in Oriente, & Maximiani in Occidente, qui super omnes nostræ fidei fuere persequutores. Sed Ecclesiam super firmitatem fundatam petræ licet concutere, tamen quod præcipue cupierunt, dejicere nequiverunt; sicut neque post eos detestandus apostata Julianus. Quo cælitus interemto, post rigidissimam hiemem verni flores in terra nostra apparere cœperunt, qui prius quasi in theca vel cortice clausi tenebantur. Basilius scilicet Cappadocum episcopus, & fratres ejus mirabiles, Gregorius [5], Athanasius Alexandrinus episcopus, Joannes [6] Constantinopolitanus episcopus. Deserta quoque omnia novos fructus edidere: Paullos quoque & Antonios, Macarios utique & Serapionas, & vigintiquatuor seniores [7], cum infinita multitudine sub eorum umbraculo germinantium.

CAPUT XII.

Ecclesiam Occidentalem sanctorum multitudine Orientali nequaquam inferiorem esse docet. Commendat lectionem Prisciani, Josephi & Hegesippi.

OCcidens etiam ipse licet sero, tandem tamen aliquando in germen erupit. *Martinum* Pannoniis ortum, & non solum Germaniam vel Italiam, seu Gallias sua præsentia illustrantem, sed etiam omnes Orientales, ipsis testibus, claritate luminis superantem. Quos etiam magister ejus, *Hilarius* corporaliter illustrandos adiit. Deo gratias. Credo quia æquiparaverit nostra tarditas eorum prioratum, cum intueor *Ambrosium*, *Hieronymum*, *Augustinum* viventem nostrum, defunctum nostrum; ne sterilis Africa de tanta fecunditate se audeat jactitare: *Maximum*, *Clarum*, *Simplicianum*, *Eusebium*, *Aurelium*, *Severum*, *Severinum*, *Briccium*, *Paullinum Treverensem*, & *Nolanum*, quasi astra simul procedentes. Et circa finem noctis alios multos plures, quorum etiam nomina virtutum sunt præsaga; *Congellos* [8] scilicet, qui interpretantur Fausti; *Columbas*, *Columbanos*, *Gallos*, *Gregorium* quintum [9] nomen *Chrysostomi* Græcis auferentem: *Benedictos*, *Honoratos*, *Libertinos*, *Othmaros*, nostrum & Belgicum.

Ceterum si & Gentilium auctores nosse desideras, *Priscianum* lege. *Josephi* vero Judaici historias, & *Hezesippi* nostri legendas...... Et finem libello impono. Amen. Explicit.

1. Act. SS. Maj. 3.
2. Surius 1 August.
3. Act. SS. XVII. Febr.
4. Ibid. VIII. August.
5. Nyssenus.
6. Chrysostom.
7. Recole supra cap. V.
8. Floruit circ. an. 583.
9. Quintum cui Chrysostomi nomen congruere debeat: quatuor enim sunt sic appellati apud Græcos. Est vero sanctus Gregorius M. & nomen *quintum*, non pertinet ad vocem præcedentem Gregorium, sed ad sequentem *nomen*.

IN NOMINE DOMINI INCIPIT MARTYROLOGIUM PER ANNI CIRCULUM S. P. N. NOTKERI COGNOMENTO BALBULI MONACHI S. GALLI,

Menſis Januarii habet dies XXXI. Lun. vero XXIX.

* I A. *Calendis Januariis* .

OCtava nativitatis Dominicæ, qua die idem Dominus circumcifus eſt in carne, ſecundum legem Moyſi, & nomen, ut Jeſus vocaretur, accepit, quod vocatum eſt ab Angelo, antequam conciperetur in utero.

Romæ, natalis ſancti Almachii Martyris, qui jubente Alypio urbis Præfecto, cum diceret: *hodie octavæ Dominici diei ſunt, ceſſate a ſuperſtitionibus idolorum ſacrificiiſque pollutis*; a gladiatoribus hac de cauſſa occiſus eſt. Item Romæ, ſanctæ Martinæ virginis & Martyris, quæ ſub Alexandro Imperatore pro fide Chriſti multis tormentorum generibus cruciata, & ad extremum gladio eſt percuſſa. Quæ etiam ferocitatem leonis numine habitantis in ſe Spiritus ſancti mitigavit, & ſimulacra orando deſtruxit, ac multos ad fidem Chriſti convertit. Pro cujus vindicta Imperator impiam vitam ſe ipſum lacerando finivit. Eodem die apud Spoletum Tuſciæ civitatem, paſſio ſancti Concordii Presbyteri Romani de titulo Paſtoris, temporibus Antonini Imperatoris. Qui pro eo quod idolis ſacrificare noluit, a Torquato Comite capitalem ſententiam accepit. Item Romæ via Appia, Coronæ & militum triginta, qui ſub Diocletiano Auguſto pro confeſſione Chriſtianæ fidei martyrio coronari meruerunt. In Cæſarea metropoli Cappadociæ, depoſitio ſancti Baſilii Epiſcopi, qui regulam fratrum & multa alia utilia conſcripſit, & ſuper multa mirabilia quæ fecit, chirographum perditi hominis, quod diabolo fecit, orando recipere meruit, & diem mortis ſuæ propter converſionem Joſeph Hebræi diſtulit, & conſcriptionem cujuſdam nefandi ſceleris etiam defunctus abolevit.

In Africa, natalis ſancti Fulgentii Eccleſiæ Ruſpenſis Epiſcopi, & Confeſſoris. Qui tempore Wandalicæ perſecutionis, ob Catholicam fidem, & eximiam doctrinam, ab Arianis multa perpeſſus, & diu apud Sardiniam exſilio relegatus, tandem ad Eccleſiam ſuam redire permiſſus, & vita & verbo clarus ſancto fine quievit, annum ſui epiſcopatus agens vigeſimum quintum, vitæ autem totius ſexageſimum quintum. Apud Alexandriam, ſanctæ Euphroſynæ virginis, quæ orationibus patris ſui Paphnutii de ſterili matre pergenita, in puerili ætate conſtituta, clam ſe tonderi fecit, & monaſticam vitam expetiit, Smaragdi ſibi nomen imponens. Poſt etiam in concluſione viginti octo annis A in omni ſanctitate perdurans, tacta ægrotationis incommodo, & mortem ſibi adeſſe cognoſcens, manifeſtavit ſe religioſo, & lacrymis multotiens quærenti ſe jam patri. Cujus nomen & converſatio ſub interpretatione caſtiſſimæ apud Romanos celebris habetur.

2 B. *Quarto Nonas Januarii*.

OCtava ſancti Stephani. Romæ Teleſphori Papæ. Qui conſtituit ut ſeptem hebdomadibus ante Paſcha jejunium celebraretur, & in nativitatis Domini nocte Miſſa frequentaretur, & hymnus angelicus, id eſt, *Gloria in excelſis Deo*, canere-B tur. Omni autem reliquo tempore, nullus ante horam tertiam, qua Dominus traditur crucifixus, Miſſam celebrare præſumeret. Hic etiam martyrio coronatus, ſepultus eſt juxta corpus ſancti Petri in Vaticano. In Antiochia Macarii Abbatis. Et in Ponto civitate Tomis, trium fratrum, Argei, Narciſſi, & Marcellini pueri. Item Tomis Phili Epiſcopi. Qui ſub Licinio Cæſare inter tirones comprehenſus, cum nollet militare, cæſus ad mortem, & diu in carcere maceratus, & in cippo miſſus, deinde in mare demerſus, martyrium conſummavit. Cujus corpus ad littus delatum, & a religioſis viris depoſitum, magnis coruſcat virtutibus. Viennæ, depoſitio beati Florentii Epiſcopi. In ter-C ritorio Lugdunenſi, monaſterio Jurenſium, ſancti Eugendi Abbatis: cujus vita virtutibus & miraculis plena refulſit.

3 C. *III. Non. Jan.*

OCtava ſancti Joannis Apoſtoli. Romæ, Anteri Papæ & Martyris, qui viceſimus poſt beatum Petrum duodecim annis rexit Eccleſiam, & Martyrum geſta diligenter exquiſivit. Paſſus eſt ſub Maximiano, & in Cœmiterio Calliſti ſepultus, via Appia. Apud Pariſium, ſanctæ Genofevæ virginis, quæ a beato Germano Antiſiodorenſi Epiſcopo Chriſto dicata, admirandis virtutibus, & mira-D culis late claruit, & uſque octoginta annos in Chriſti ſervitute conſenuit.

* Dies menſis notis numericis nos ipſi ad commoditatem legentium ſignavimus.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 900.

4 D. *II. Non. Jan.*

OCtava Innocentium. Apud Cretam, natalis sancti Titi Apostolorum discipuli. In Africa sanctorum Aquilini, Gemini, [1] Eugentii, Martiani, Quinti, Theodoti, Tryphonis, præclarissimorum Martyrum. Eodem die apud urbem Romam sanctorum Martyrum, Prisci Presbyteri, & Priscilliani Clerici, atque Benedictæ religiosæ feminæ. Qui tempore Juliani impiissimi Augusti gladio martyrium peregerunt. Item apud Romam beatæ Daphrosæ uxoris Fabiani martyris, quæ post damnationem beati viri sui, primum relegata exsilio, deinde ab impio Juliano jussa est capite puniri. Eodem die nativitas Theogenis Martyris, qui sub Licinio Cæsare per Licentium Tribunum passionem complevit. In Hellesponto primum inter quatuor columnas tensus, fustibus cæsus est, deinde in carcerem missus, ut ibi fame interiret. Sed Domini pietate invisibili cibo ibidem per quadraginta dies pastus, in laudibus Dei assidue manebat. Ad ultimum vero in mare missus, martyrizavit. Quem Eutychus & Eustochius & Zoticus tollentes de littore maris, sepelierunt in foro Hellesponti. Ipso die passio Petri agnomine Balsami, qui sub Maximiano Imperatore agente Severo Præside suspensus, & ungulis laceratus, ad extremum vero gladio percussus est, & in Aulona civitate sepultus est. Eodem die passio Luciani Presbyteri & Martyris. Qui missus a Roma prædicare verbum Dei in Galliis, post multorum conversionem ad Christum in eisdem partibus sub Juliano Imperatore capite plexus est. Ad cujus sepulcrum multa ostenduntur miracula, & sanitates plurimæ fiunt.

5 E. *Nonis Januariis.*

VIgilia Theophaniæ. Hierosolymæ, depositio sancti Simeonis Prophetæ, qui Dominum Jesum Christum Spiritus sancti illustratione cognitum, de manibus parentum in ulnas suas accepit, & non solum de eo, sed & de matre ejus futura mystico sermone prænuntiavit.

Apud Antiochiam, depositio sancti Simeonis Monachi, admirandæ virtutis viri. Qui tertio decimo ætatis anno, huic sæculo abrenuntians monasterii claustra expetiit. Ubi mira abstinentia, vix septimo die cibum sibi indulgens: Psalterium intra quatuor menses didicit. Deinde nimia domandi corporis intentione, fune palmitio renes sibi constringens, duriter laniatus est. Inde in quodam puteo se recludens, sed ex eo a fratribus violenter ad monasterium reductus, clam fugiens eremum petiit. Ubi multo commoratus tempore, in columna editiori, sanctitate fervens, se conclusit. Ubi non modo extraneæ mulieri, sed nec propriæ matri se videre permisit. Et usque hodie Basilicam columnæ illius, feminarum nulla ingreditur. Nam quædam mulier veste induta virili ingredi voluit, sed mox ut limen attigit, retrorsum mortua cecidit.

In Africa, Felicis, Secundi, Honorii, Luciani, Candidi, Januarii, Telesphori, Jocundi, Anastasiæ.

6 F. *VIII. Idus Jan.*

EPiphania Domini: quod interpretatur manifestatio. Apud Romanos autem eadem festivitas A Theophania nominatur, ut ex compositione nominis, quod Dei sit apparitio manifestetur. Quo videlicet die Magi, juxta Prophetiam Balaam, cujus successores erant, dicentis: *Orietur stella ex Jacob, & consurget virga de Israel, & percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth, & erit Idumæa possessio ejus.* Et iterum: *De Jacob erit qui dominetur, & perdat reliquias civitatis*, videlicet Ar, quæ nunc Areopolis dicitur; ex visione incognitæ prius stellæ in hora nativitatis Domini in Oriente, id est, domi, Hierosolymam versus conspectæ; in eadem regia civitate ex Prophetia Micheæ de loco nativitatis Christi certius edocti, ducatu ejusdem stellæ in Bethlehem puerum Jesum B cum Maria matre sua invenientes, mysticis muneribus adoratum venerati sunt. Quod licet divino instinctu credatur actitatum, ut gentes quæ in vicinio erant, nativitatis Dominicæ ac propheticæ doctrinæ jam tunc participes fierent, tamen historica ratione, & temporaria Christi dispensatione non caret: ut & Moabitarum duces apud parentes suspecti sibi quondam regis muneribus oblatis gratiam impetrarent, & eadem munera ad peregrinationem Ægyptiam prodessent. Neque enim iidem magi, aut Chaldæi, aut Indi, aut denique Persæ, juxta quosdam fuerunt, & altero vel tertio nativitatis Domini anno eum adorandum venerunt, sed aut Moabitæ & Ammonitæ sive Madianitæ, C sancto Hieronymo id ipsum astipulante, & tertio decimo nativitatis ejus die, non in Jerusalem sublimem sicut putaverunt, sed in Bethlehem humilem studio devotionis invenire, & spirituali remuneratione donari meruerunt.

Eodem die passio sanctæ Macræ virginis, quam cum [2] Ricovarus Præses torqueri, & in ignem præcipitari jussisset, illæsa permansit. Deinde mamillis abscissis, & squalore carceris afflicta, super testas acutissimas, & prunas volutata orans migravit ad Dominum. In Africa Flori, Jocundi, Petri, Marci, Acutii, Januariæ. In Syria, sanctæ Anastasiæ. [3] Medonis, nativitas & ordinatio Episcopatus, ac transitus sancti [4] Melani Episcopi & Confessoris. Cujus corpori superposita in D mediis ignibus illæsa reperta est palla.

7 G. *VII. Id. Januarii.*

RElatio pueri Jesu ex Ægypto. Et nativitas sancti Luciani Antiochenæ Ecclesiæ Presbyteri & Martyris, viri doctissimi atque eloquentissimi, qui Nicomediæ ob Confessionem Christi passus, & in quatuor partes dissectus est. Quibus in singulis lapidibus ligatis, & in mare demersis, alia die Helenopoli Bithyniæ integrum corpus cum ipsis lapidibus inventum honorifice sepultum est. Quam urbem cum prius Drepana vocaretur, in honorem E ejusdem Martyris Constantinus Imperator instaurans, ex nomine matris suæ Helenopolim nuncupavit. Item apud Antiochiam beati Cleri Diaconi, qui ob confessionem Christi septies tortus, & in carcere diu maceratus, ad ultimum decollatus martyrium consummavit.

Passio sanctæ Faustæ virginis, sub Maximiano Imperatore, quæ Evilasium primum palatii, tortorem suum, patientiæ suæ virtute convertit ad fidem, nec non & Præfectum cui jussum est eam torquere. Primum ergo suspensa & ferramentis lacerata, postea bestiis tradita, sed a nulla earum contaminata est. Deinde clavis caput ejus confi-

1. Eugenii. 2. Ristiovarus. 3. Rhedonis. 4. Melanii.



SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 900.

xum est. Postea in sartaginem pice ferventem A missa, sed non est læsa, sicque cum Evilasio & Præfecto in tormentis constituta, reddidit spiritum. Populi vero Christiani hæc audientes, sepelierunt corpora sanctorum.

8 A. *VI. Id. Januar.*

IN Græcia [1] Proliecti, & Palladii. Neapoli Campaniæ nativitas sancti Severini Episcopi & Confessoris, fratris beatissimi Victorini clarissimi in miraculis viri. Qui & ipse fratris [2] imperator, post multarum virtutum perpetrationem, sanctitate plenus quievit. Sepultus in eo loco ubi priusquam ad Episcopatum vocaretur, abstinentissimus B fuerat conversatus.

In Græcia, Rustici, Timothei, & Jocundi. [3] Mellocia, sancti Luciani, socii beati Dionysii. Item Messiani. Metis, Patientis Episcopi.

9 B. *V. Id. Januar.*

IN Mauritania civitate Cæsariensi, passio sanctæ Martianæ virginis & Martyris. Eodem die apud Antiochiam, sancti Juliani Martyris, & Basilissæ virginis. Qui locupletissimorum cura parentum, pro eo quod erant unici, renitentes & inviti specie tenus in conjugio copulati, sed sanctissimo voto per aliquot annos pariter in virginitate C manentes, monasteria de rebus suis in Antiochiæ municipiis instituerunt, ita multa & frequentia, ut Julianus ad decem millia monachorum pater, Basilissa vero multarum virginum mater exsisteret. Quas ante se ad regnum cælorum præmittens, & ipsa subsequitur. Julianus vero postmodum a Martiano Præside perquiritur. Quo tempore rabies crudelissima, ad persequendum sanctos Dei sub Diocletiano & Maximiano exardescens, multitudinem sacerdotum & ministrorum Ecclesiæ Christi propter immanitatem persecutionis ad eum confugere coegit. Comprehensus itaque cum hac ingenti multitudine, ipse Præsidis audientiæ est reservatus, ceteri servi Dei jussu crudelissimi ducis accenso igne, D eisque apposito, in quo consistebant loco consumti sunt. Ubi ad [4] commodandam pretiosam mortem sanctorum, tertia, sexta, nona, sed & vespertina hora, psallentium Deo chori feruntur auditi. Beatus autem Julianus primum auditus rigidissimis fustibus cæsus est. Cumque cæderetur, unus ministrorum Præsidi necessarius, oculum amisit, quem beato Juliano orante illico recepit, & Christo credens, statim ab insano judice decollatur. Inde beato Juliano ducto ad fanum dæmonum, ad quingenta simulacra comminuta, atque in pulverem sunt redacta. Qui [5] pro hoc in profundissimum & obscurissimum carcerem, cum Celso puero Præsidis filio clauderetur, sed odore suavissimo & lumine E mirifico donaretur, septem fratres & viginti milites, qui ad eos visitandi gratia venerunt, priores igni traditi, posteriores sunt gladio trucidati. Porro Julianus cum Celso puero, & Antonio Presbytero, atque Anastasio diversis pœnis afflicti, & ipsi cum Marcionilla matrona a militibus sunt interemti.

10 C. *IV. Id. Januar.*

NAtivitas beati Nicanoris, [6] unus de primis septem Diaconis apud Cyprum gloriose coronati, ibique venerabiliter sepulti. Apud Thebaidem nativitas sancti Paulli primi eremitæ. Qui a XVI. ætatis suæ anno usque ad XCIII. solus in eremo permansit. Cujus animam inter Apostolorum & Prophetarum choros ad cælum ferri ab angelis Antonius vidit. Romæ Melchiadis Episcopi: qui constituit in Ecclesia a fidelibus nulla ratione in diebus Dominicis jejunandum. [7] Igini Papæ, qui constituit Clerum, & gradus Ecclesiasticos distribuit.

11 D. *III. Id. Januar.*

EDuctio Domini de Ægypto, quæ secundum alios VII. Id. Jan. secundum quosdam Non. Jan. propter multorum dierum profectionem celebratur. Apud Alexandriam SS. Confessorum, Petri, Severi, Leuci.

In Africa, nativitas sancti Salvii Martyris, in cujus natali sanctus Augustinus verbum fecit ad populum Carthagini.

12 E. *Pridie Idus Januar.*

IN Achaja, Cyriaci. In Ægypto, Philoromi. In Arabia, Saturi, qui transiens ante templum cujusdam idoli, cum exsufflasset illud, signans sibi frontem, statim corruit. Quam ob caussam a judice loci decollatus est. Eodem die nativitas sancti Arcadii Martyris, genere & miraculis clari.

13 F. *Idibus Januarii.*

OCtava Theophaniæ. Romæ via [8] Lavinaca, Secundinæ, Coronæ, & militum quadraginta sub Gallieno Imperatore. Pictavis, depositio S. Hilarii Episcopi & Confessoris. Qui sub Constantio Augusto hæretico ob Catholicam fidem quadriennio apud Phrygiam exsilio relegatus est. De quo inter alias virtutes refertur, quod orando mortuum suscitaverit,

14 G. *XIX. Cal. Feb.*

IN Antiochia, Glycerii Diaconi, de antiquis, multa [9] tormenti passi, & in mare demersi.

In Campania Nola civitate, Felicis Presbyteri: cujus Episcopus Maximus cum persecutione territus fugisset in eremum, beatus Felix captus & vinculis astrictus, ante præsidem est adductus & fustibus cæsus. Deinde in equuleo tortus, & in carcere vinculatus, & cocleis ac testulis superpositus: nocte ab angelo Domini confractis catenis, & scissa trabe qua pedes ejus astringebantur, sacerdotem suum requirere jubebatur. Quem cum senio prægravatum, fame consumtum, gelu constrictum, clausis oculis strictisque dentibus semivivum vixque spirantem ægre tandem aliquando reperisset, & non haberet, quid defecto seni porrigeret: ecce subito de sentibus uvam dependere miratus, in os confessoris expressit, & refocillatum, atque humeris impositum ad civitatem perduxit, ac sub tugurio cujusdam viduæ clanculo pavit. Deinde captus & in exsilium trusus, cum multos ibidem per signorum

1. Polyeucti. 2. imitator. 3. Bellovaci. 4. commendandam. 5. Cum pro hoc. 6. unius. 7. Hygini. 8. Lavicana. 9. tormenta.



ostensionem converteret; post inde regressus, cum A iterum ad tormenta quæreretur, sed divina providentia occultatus, apud Nolam multis virtutibus illustrissimus emineret, adeo ut cunctus populus eum sibi pontificem postularent; non consensit, sed alio pro se ordinato, ipse nihilominus per duodecim annos Dei servitio insistens, Dominica die mysteriis confectis migravit ad Christum. Sepultusque est non longe ab urbe Nola, in loco qui dicitur Pincis.

In Spoletana civitate, nativitas Pontiani Martyris: qui passus est temporibus Antonini Imperatoris, sub Fabiano judice. Qui cum nollet idolis sacrificare, jussit eum virgis cædi crudelissime. Deinde nudis pedibus super carbones ardentes ambulare, postea duos ei leones immitti, a quibus cum B nocitus non fuisset, liquefacto plumbo perfusus est: cumque nec in hoc læderetur, capite truncatus est.

15 A. *XVIII. Cal. Febr.*

IN Palæstina depositio Abacuc prophetæ: cujus reliquiæ simul cum ossibus Micheæ Prophetæ temporibus Arcadii & Honorii Augustorum, Domino revelante, repertæ sunt. Item Macarii Abbatis, discipuli sancti Antonii. Item beati Isidori, sanctitate vitæ, fide ac miraculis præclari.

16 B. *XVII. Cal. Febr.*

C

ROmæ via Salaria in cœmiterio Priscillæ, nativitas sancti Marcelli Papæ. Hic fecit cœmiteria via Salaria, & viginti quinque titulos in urbe Roma constituit propter baptismum & pœnitentiam multorum, qui convertebantur ex paganis, & propter sepulturas martyrum. Qui jubente Maximiano Imperatore primo fustibus cæsus, & a facie ejus quem corripiebat expulsus est. Deinde audiens quod domum sanctæ Lucinæ, (quam ipse proscriptione damnaverat, eo quod de facultatibus suis Christianis donaverit, Ecclesiam faceret, atque in ea missas celebraret, in media civitate jussit in eadem Ecclesia plancas sterni, ad animalia [1] extabuli publici, & eumdem Episcopum ad servitium D animalium deputavit, cum custodia publica. Ubi etiam post multos annos serviendo, indutus amictu cilicino, defunctus est, & conditus aromatibus a Joanne Presbytero & beata Lucina, sepultus est in cœmiterio Priscillæ.

Arelate sancti Honorati Episcopi & Confessoris, cujus inter cetera miracula fertur, quod draconem de Hilarina insula orando fugaverit, & ibidem monasterium fundaverit.

In pago vero Mandensi in Perona monasterio, sancti Fursei Hiberniensis. Qui de hoc sæculo raptus multa mirabilia conspexit, & reversus mortalibus admiranda narravit: ac postmodum in austera districtione demigravit.

E

17 C. *XVI. Cal. Febr.*

IN Ægypto apud Thebaidem, depositio beati Antonii monachi, qui sine ulla scientia litterarum, scripturas divinas, & memoriter audiendo tenuisse, & prudenter cogitando intellexisse, & inimitabilem vitam, ac miraculis claram, a pueritia usque ad decrepitam senectutem duxisse, & multos sanctitatis suæ discipulos reliquisse, toto orbe Christiano prædicatur. Obiit autem in pace sub Imperatore Constantino, anno ætatis suæ CV. & sepultus in eremo a suis discipulis, sicut ipse vivens præceperat, occultatus est. Cujus corpus sub Justiniano Imperatore divina revelatione repertum, Alexandriam delatum est, & in Ecclesia beati Joannis Baptistæ humatum.

Lingonis nativitas sanctorum geminorum Speusippi, [2] Elasippi, & Melasippi. Qui cum essent xxv. annorum, cum avia sua Leonilla, & Jonilla & Neone martyrio coronati sunt, tempore Aureliani Imperatoris. Gemini quidem in una arbore suspensi ligatis manibus, sursum, pedibus vero [3] jusum, ita extenti ut pene putarentur ab ipsa membrorum compage separari. Et post in ignem præcipitati, nec tamen flammis læsi, inter verba orationum simul migraverunt ad Dominum. Jonilla hæc videns confessa est se etiam Christianam, & comprehensa a turbis, a capillis suspensa, ac multis afflicta suppliciis, cum Christum negare noluisset, cum Leonilla est simul gladio peremta. Neon exceptor gestorum & ipse Christo nomen confessus, martyrio coronatus est. Docuit autem & baptizavit geminos hos Benignus Presbyter, quem misit ab Oriente beatus Polycarpus [4] Myrneorum Episcopus, Joannis Apostoli auditor in Galliam cum Andochio compresbytero & Thyrso Diacono. Sepulti sunt autem iidem gemini in secundo miliario ab urbe Lingonensi. Turbon quoque scribens victorias confitentium Dominum, non post multum temporis martyrium perpessus est.

18 D. *XV. Cal. Febr.*

CAthedra sancti Petri Apostoli, qua primum Romæ sedit. Cum enim idem princeps Apostolorum Hierosolymis & in Cæsarea, atque in ceteris civitatibus Judæorum primum prædicasset Evangelium, ad prædicandum postea gentibus missus, venit Antiochiam, ibique fundans Ecclesiam præfuit eidem annis [5] .... Inde quoque pergens Romam venit, secundo Claudii Cæsaris anno, ibique Evangelium instantissime prædicans viginti & quinque annis ejusdem urbis Episcopatum rexit.

Item Romæ nativitas sanctæ Priscæ virginis & Martyris.

In Ponto nativitas sanctorum Martyrum, Moysei & Ammonii: qui cum essent milites, primo ad metalla deputati, novissime vero igni deputati sunt.

19 E. *XIV. Cal. Febr.*

HIerosolymis nativitas sanctarum Marthæ & Mariæ sororum Lazari. In Smyrna sancti Germanici Martyris, ad bestias damnati. In Africa Paulli, Quinti, & plurimorum Martyrum. Carthagine, Picariæ, Piæ, & aliorum triginta octo.

20 F. *XIII. Cal. Febr.*

ROmæ Fabiani Papæ, qui cum viginti quinque annis Ecclesiæ præesset, passus est tempore Decii & in cœmiterio Callisti sepultus. Hic regiones divisit Diaconibus, & fecit ut septem Diacones totidem notariis imminerent, ut gesta Martyrum in integrum colligerent, & multas fabricas per cœmiteria fieri præcepit. In cujus electione fertur Spiritus sanctus in columbæ specie plurimis apparuisse. Item Romæ eodem die nativitas sancti Sebastiani Martyris, qui in tantum carus erat Imperatoribus Diocletiano & Maximiano, ut principatum ei primæ cohortis traderent. Quem Diocletianus, ubi Christianum cognovit, nec a fide posse

1. catabuli. 2. Eleusippi & Meleusippi. 3. deorsum. 4. Smyrnæorum. 5. septem. *Baronius.*

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 900.

revocari, juſſit ligari in medio campo, quaſi ſignum ad ſagitam, & ſagitari a militibus. Qui cum ſagitis plenus, quaſi hericius ſtaret, putantes eum mortuum, abierunt. Nocte autem veniens quædam mulier, nomine Hirene, tollere corpus, invenit eum viventem, & adduxit eum in domum ſuam, & curam ejus egit. Qui ubi convaluit, multos in fide confortavit. Nec mora ipſis Imperatoribus apparens, eos prout digni erant corripuit. Tunc juſſit eum Diocletianus in Hippodromum palatii duci, & fuſtigari uſque deficeret. Quem mortuum in cloacam maximam miſerunt. Sed ille apparuit in ſomniis ſanctæ matronæ Lucinæ dicens: Juxta circum invenies corpus meum, pendens in unco, & dum levaveris perduces ad Catacumbas, & ſepelias me in crypta juxta veſtigia Apoſtolorum. [1] Qui ipſa nocte cum ſervis veniens totum ita complevit.

Eodem die Romæ ſanctorum Martyrum [2] Marini & Marthæ cum filiis ſuis Audifax & [3] Ambacuc nobilium de Perſide. Qui ad orationem venerant Romam tempore Claudii principis. E quibus poſt toleratos fuſtes, equuleum, ignes, ungues, manuum præciſionem, Martha in nympha necata, ceteri decollati.

21 G. *XII. Cal. Febr.*

Athenis Publii Epiſcopi, qui cum Paullo Apoſtolo in inſulam naufragio ejecto, poſt patris ſui a febribus & dyſenteria curationem, non modicam humanitatem præſtitiſſet, per ejus prædicationem ad Chriſtum converſus, in tantum gratia Dei profecit, ut ab ipſo Apoſtolo Athenienſibus ordinatus Epiſcopus martyrio ſit coronatus.

Romæ, S. Agnetis, quæ ſub præfecto urbis Symphronio, pro eo quod Chriſti & virginitatis amore filium ejus maritum accipere noluiſſet, ad lupanar illuſionis gratia perducta, ac denudata, primum capillis ſuis contecta, deinde cæleſti veſte donata, ipſum præfecti filium ſe impudentius appetentem & ob hoc a diabolo præfocatum, orationis virtute ſuſcitavit. Poſt hæc ignibus injecta, ſed eis merito ſanctitatis ejus exſtinctis, gladio percuſſa eſt. Quæ poſtea parentibus ſuis inter multitudinem virginum auro textis cycladibus indutarum apparens, gloriam Dei, qua fruebatur in cælis, aperta voce prædicabat in terris. In Hiſpaniis civitate Tarracone, nativitas ſanctorum Fructuoſi Epiſcopi, Augurii & Eulogii Diaconorum. Qui tempore Gallieni Imperatoris ſub Æmiliano præſide, primo in carcerem truſi, deinde flammis injecti, exuſtis vinculis, manibus in modum crucis expanſis orantes ut urerentur, obtinuerunt. Et mox quidam e fratribus & filia præſidis quæ aſtabat, viderunt ſanctorum animas ad cælum aſcendere coronatas.

22 A. *XI. Cal. Febr.*

Apud Trecas, paſſio ſancti Patrocli Martyris. In Hiſpaniis nativitas ſancti Vincentii Diaconi & Martyris: qui cum ſancto Valerio Epiſcopo ſuo a Cæſareæ Auguſtana civitate Valentiam uſque gravibus nexus catenis, jubente Datiano perductus eſt: ibique fame & ſqualore carceris diu maceratus, tormentis equulei, & ungularum horrenda laceratione vexatus, etiam grabato ferreo diutiſſime uſtulatus, arvinæ gutis, & crepitante ſale reſperſus eſt. Poſt hæc in teterrimum carcerem truſus, divaricatis in nervo cruribus, ſuper acutiſſima teſtarum fragmenta projectus eſt. Ubi A nocte lux ingens apparuit, & virtute Dei ſolutus Martyr inter angelos, a quibus viſitari meruit, hymnum canebat, ita ut ipſe cuſtos carceris crederet Chriſto. Mane autem facto, cum miſiſſet eum Datianus, & juſſiſſet in lecto molliſſimo reclinari, ut aliquantulum recreatus, acrius denuo torqueretur, infatigabilem ſpiritum Chriſto reddidit. Tunc Datianus corpus ejus in campum projici & feris atque avibus juſſit exponi. Sed mox corvus divinitus ad cuſtodiam ejus datus, non ſolum aves alias arcebat, ſed & immanem lupum a ſancto corpore repulit. Quod cum Datiano nuntiatum eſſet, juſſit eum inſutum culeo in profundum maris cum graviſſimo ſaxi pondere demergi. Sed prius virtute Dei B ſuper undas innatans ad littus delatus, & arenis conditus eſt, quam remiges portum tangere potuiſſent. Inde cum ſe ſanctus martyr cuidam fideli anui revelaſſet, perſecutionis rabie ceſſante, a Chriſtianis reverenter ſublatus, & in eccleſia tumulatus eſt.

Nativitas ſancti Anaſtaſii monachi & Martyris de Perſide. Qui poſt plurima tormenta carceris, verberum, & vinculorum, quæ in Cæſarea Palæſtinæ perpeſſus fuerat a Perſis, poſtremo in Perſide multa pœna afflictus, atque ad ultimum decollatus eſt a rege eorum Choſroe cum aliis ſeptuaginta. Reliquiæ corporis ejus primo Hieroſolymis ad monaſterium, deinde Romam delatæ venerantur in monaſtrio beati Apoſtoli Paulli, quod dicitur ad C Aquas Salvias. Ipſo die in Galliis civitate Ebreduno ſanctorum martyrum Vincentii, Orontii, & Victoris.

23 B. *X. Cal. Febr.*

Nativitas ſancti Parmenæ Diaconi de ſeptem primis. Qui traditus gratiæ Dei a fratribus, injunctum officium prædicationis plena fide conſummavit, & martyrii palmam adeptus Philippis quievit. Romæ, Emerentianæ virginis Chriſti & martyris, quæ erat conlactanea ſanctæ Agnetis, & dum oraret ad ſepulcrum ejus, ac ſimul orantes a gentilium læſione defenderet, lapidata eſt ab eis. D In Mauritania civitate Neocæſarea, nativitas ſancti Severiani & Aquilæ uxoris ejus ignibus combuſtorum.

24 C. *IX. Cal. Febr.*

Nativitas ſancti Timothei diſcipuli beati Paulli Apoſtoli. Qui apud Epheſum a beato Apoſtolo Epiſcopus ordinatus, poſt multos pro Chriſto agones dormivit. Cujus corpus cum reliquiis beati Andreæ & Lucæ viceſimo anno Conſtantinopolim tranſlatum eſt. Apud Antiochiam ſancti Babylæ Epiſcopi cum tribus parvulis. Qui ſub [4] . . . . . poſteaquam frequenter paſſionibus ſuis cruciatibus glorificaverat Dominum, glorioſæ vitæ finem eſt E ſortitus in vinculis, & non longe a Caſtalio fonte ſepultus. Apollinem in ipſo celeberrimo oraculorum ſuorum loco damnavit ſilentio.

In Neocæſarea civitate, nativitas ſanctorum Martyrum Mardonii, Muſonii, Eugenii, Marcelli, qui omnes igni traditi ſunt, & reliquiæ eorum in Axum fluvium diſperſæ.

25 D. *VIII. Cal. Febr.*

Romæ tranſlatio ſancti Paulli Apoſtoli, & converſio ejus apud Damaſcum, & ibidem nativitas S. Ananiæ, qui eumdem Paullum baptizavit. Alibi nativitas S. Projecti Martyris.

1. Quæ. 2. Marii. 3. Abachum. 4. Decio, *Baronius*.

Constantinopoli Gregorii Theologi. Apud Gabalen civitatem sancti Severiani Episcopi, admirandæ sanctitatis & doctrinæ viri.

26 E. VII. Cal. Febr.

NAtivitas sancti Polycarpi, qui beati Joannis Apostoli discipulus, & ab eo Smyrnæ Episcopus ordinatus, totius Asiæ princeps fuit. Postea vero regnante Marco Antonino, & Lucio Aurelio Commodo, quarta post Neronem persecutione, Smyrnæ sedente Proconsule, & universo populo in amphitheatro adversus eum conclamante, igni traditus est. Sed flamma in modum cameræ curvata, specie quasi veli navis vento sinuati, supra corpus Martyris stetit. Quod corpus in medio positum, non erat ut caro ardens, sed tamquam si aurum aut argentum in fornace candesceret. Tum præterea odorem naribus suis circumstantes hauserunt, tamquam turis incensi, vel pretiosissimi fragrantis unguenti. Ad ultimum videntes sceleris ministri, corpus igne non posse consumi, jusserunt propius accedere confectores, & corpus cui ignis cesserat, mucrone transfodere. Quo facto tam largus profusus est sanguis, ut restingueret rogum. Cum quo & alii duodecim ex Philadelphia venientes, apud præfatam urbem martyrio consumati sunt. Tunc etiam Germanicus athleta Christi insignis, ad bestias damnatus, & ultro ad devorationem sui provocans, veloci morte coronam adeptus est vitæ æternæ.

Eodem die sanctorum Martyrum, Theogenis cum aliis triginta sex. Item apud Biturigas, beati Sulpitii Episcopi & Confessoris.

27 F. VI. Cal. Febr.

IN Africa, nativitas S. Juliani, Vincentiæ & aliorum triginta duorum. Nativitas S. Joannis Episcopi Constantinopolitani, qui pro mira & pretiosissima doctrina Chrysostomus appellatur, quod latine interpretatur, oris aurei, vel os aureum habens. Qui per multos agones vitam promeruit sempiternam. Item Marii Abbatis monasterii Badocensis, vita & virtutibus clari. In Bethlehem Judæ, dormitio Paullæ, matris [1] Eustochiæ virginis Christi. Quæ cum esset ex nobilissimo genere Senatorum Romæ, abrenuntians sæculo, & opibus suis in pauperes erogatis, Christi consecuta est paupertatem, & apud præfatum oppidum, Dominica nativitate gloriosum, monasterii virginalis exstitit mater. Cujus vitam virtutibus admirandam, sanctus Hieronymus scribens, testatur eam longe coronatam esse martyrio. Ejusdemque petitionibus annuens, confecit plurima opuscula.

28 G. V. Cal. Febr.

OCtava S. Agnæ, vel juxta quosdam natalis [2] Genuinus.

In civitate Apollonia, Leucii, Thyrsi, Gallinici, Martyrum. Qui temporibus Imperatoris Decii sub Præsidibus Cymbricio, Sylvano, & Baudo, diversis tormentorum generibus excruciati, primus & ultimus abscissione capitis, medius cælesti voce evocatus spiritum reddens, martyria consummaverunt in Græcia.

A Eodem die apud Alexandriam beati Cyrilli Episcopi, qui Catholicæ fidei præclarissimus exstitit propugnator.

In monasterio [3] Reomanensi, [4] Hicanis Presbyteri viri Dei.

29 A. IV. Cal. Febr.

ROmæ nativitas Papiæ & Mauri militum tempore Diocletiani: qui constantiam videntes Saturnini & Sisinnii Martyrum, conversi sunt ad fidem. Statimque jussum est a Laodicio Præfecto urbis, ut os eorum, quo Christum confitebantur, lapidibus contunderetur, & [5] retunderentur in car- B cerem, ubi erant baptizati ab Marcello Papa. Quos post dies duodecim eductos, jussit sterni in viam & fustibus cædi. Deinde levatos de terra plumbatis cædi, donec expirarent. Quorum corpora colligens noctu Joannes Presbyter sepelivit via Nomentana, ad nymphas beati Petri, ubi baptizabat. Scriptum in gestis beati Papæ Marcelli. Eodem die Treviris depositio beati Valerii Episcopi, discipuli sancti Petri Apostoli.

30 B. III. Cal. Febr.

APud Antiochiam passio sancti Hippolyti, qui [6] Novato schismate aliquantulum deceptus, ope- C rante gratia Christi correctus, ad caritatem Ecclesiæ rediit. Pro qua & in qua postea illustre martyrium consummavit. Jerosolymis depositio beatissimi Matthiæ Episcopi, de quo mira & plena fide gesta narrantur. Qui octavus post Jacobum rexit Ecclesiam, & multa pro Christo perpessus, ultimo in pace vitam finivit.

Item beati Alexandri. Hic Deciana persecutione pro confessione fidei judiciis sistitur, & vinculis carceris traditur. Quique cum longævæ ætatis veneranda canicie præfulgeret, postquam frequenter passionibus suis & cruciatibus glorificaverat Dominum, de vinculis ad tribunalia, & a tribunalibus revocaretur ad vincula, inter ipsa vicissim sibi succe- D dentia tormenta, bono fine quievit.

Item in Malbodio monasterio, nativitas Adelgundæ virginis: quæ temporibus Dagoberti regis Francorum ex nobili genere progenita, virginitatis propositum elegit, & in quo permansit. Sæpiusque illi angelica visio revelata fuit, exhortans eam ut in proposito permaneret. Novissime vero cum magna claritate cælestis luminis ad vitam migravit æternam.

31 C. Pridie Cal. Febr.

APud Alexandriam nativitas S. Metrani Martyris: quem pagani correptum jubent impia E verba proferre. Quod illo recusante, omne corpus ejus fustibus colliserunt. Vultumque & oculos acutis calamis terebrantes, extra urbem cum cruciatibus expulerunt. Ibique quod in eo supererat spiritus, lapidibus ejecerunt. Item Alexandriæ, Tarsitii, Zotici & Ammonii. In Africa Victoris, Publii, Saturnini & Polycarpi. Item Thyrsi, Gelasii, & Gallinici. Eodem die apud [7] Trientinam urbem, beati Vigilii Episcopi & Martyris.

1. Eustochii. 2. Geminus. 3. Remensi. 4. Joannis.
5. retruderentur. 6. Novati. 7. Tridentinam.

Mensis Februarii habet dies xxviii. Lun. xxix. In anno vero bissextili xxx.

1 D. *Cal. Febr.*

Apud Antiochiam, S. Ignatii Episcopi & Martyris. In Græcia, Polycarpi Episcopi. Ravennæ, S. Severi Episcopi. Apud Smyrnam, nativitas S. Pionii Martyris, qui persecutione [1] Antonii Veri, post insuperabilem responsionum constantiam, & squalorem carceris, ubi multos fratrum ad martyrium suis exhortationibus roboravit, ad ultimum cruciatibus multis vexatus, clavis confixus, & ardenti rogo superpositus, beatum pro Christo sortitus est finem. Passi sunt cum eo alii quindecim.

Eodem die beati Effrem, Edessenæ Ecclesiæ Diaconi. In Hybernia nativitas sanctæ Brigittæ virginis, quæ magnorum meritorum & sanctitatis esse prædicatur, adeo ut cum lignum altaris in testimonium virginitatis suæ tetigisset, viride sit effectum.

Eodem die S. Paulli Episcopi civitatis Tricassinæ; cujus & vita virtutibus claruit, & mors pretiosa miraculis commendatur.

2 E. *IV. Non. Feb.*

Hypapante Domini: vel purificatio beatæ Mariæ, quando Dominum Jesum cum hostiis secundum legem præsentavit in templo, & ipsum esse Christum Simeon & Anna in Spiritu sancto cognoverunt, & exspectantibus redemtionem Hierusalem prædicaverunt. Apud Cæsaream nativitas beatissimi Cornelii Centurionis. Cui cum preces & eleemosynæ suæ Deo acceptæ ab angelo nuntiarentur, mox ex admonitione ejusdem angeli, ad sanctum Petrum Apostolum legatos direxit, ut ad salvationem subvenire dignaretur. Qui visione cælitus delata edoctus, ne immunditiam gentilium abhorreret, ad eum properans, & de fide Jesu Christi in auribus gentium disputans, ac Spiritum sanctum ex dono linguarum eos accepisse non dubitans, eos jussit baptizari, post conversionem multorum millium ex Judæis, has primas ex gentilibus primitias Deo consecrans. Qui Cornelius relicta militia, apud præfatam urbem Episcopi honore sublimatus quievit.

Romæ sancti Aproniani commentariensis, qui a Sisinnio Diacono Marcelli Papæ baptizatus, a Laodicio Præfecto urbis capite truncatus est, temporibus Maximiani Augusti. Item Romæ foro [2] Symphronii, via Flaminia milliario ab urbe CLXIII. Laurentii, Hippolyti, & nativitas sancti Fortunati. In Africa Victoris, Maurini, Honorati, Urbani, Hilarii, Perpetui, Juliani, Privatulæ, & aliorum septuaginta quatuor. Aurelianis, depositio B. Flosculi Episcopi & Confessoris, & Sichariæ virginis.

3 F. *III. Non. Feb.*

In Sestabia civitate Cappadociæ, passio S. Martyris Christi Blasii Episcopi, qui sub Agricolao Præside capite truncatus est, cum duobus puerulis filiis unius mulieris, de illis septem, quæ per prædicationem ejus confortatæ, sub eodem Præside martyrizaverunt. In Africa beati Celerini A Diaconi & Confessoris, & sanctorum Martyrum Celerinæ aviæ ejus, & Laurentini patrui, & Ignatii avunculi ipsius. Lugduni depositio S. Lupicini Episcopi.

4 G. *Pridie Non. Feb.*

In foro [3] Symphronii nativitas sanctorum Gemini, Gelasii, [4] Manni, [5] Aquilini & Donati. In civitate Ægypti, quæ appellatur [6] Thynius passio beati Phileæ ejusdem urbis Episcopi, & Philoromi tribuni militum Romanorum: qui constantiam Episcopi admiratus, & eam laudibus prosecutus, pariter cum eo capite plexus est. Cum B quibus etiam innumera multitudo fidelium ex eadem urbe pastoris sui vestigia sequens, persecutione martyrio coronata est.

5 A. *Non. Febr.*

In civitate Patris, ordinatio Episcopatus S. Andreæ Apostoli. In Sicilia urbe Catina, passio S. Agathæ virginis sub Decio Imperatore, Proconsule Quintiano. Quæ post alapas & carcerem, post equuleum & tortiones, post mamillarum abscissionem, sed a Domino sanationem, post volutationem in testulis & carbonibus, tandem in carcere consummata est. Viennæ beati C Aviti Episcopi. Cujus fide & industria atque admirabili doctrina, tempore Gundebaldi regis, ab infestatione Arianæ hæreseos Galliæ defensæ sunt.

6 B. *VIII. Id. Febr.*

Romæ via Appia in ejusdem cœmiterio passio S. Soteris virginis & Martyris. Apud Cæsaream Cappadociæ, nativitas S. Dorotheæ virginis. Quæ cum duabus sororibus Christe & Caliste, quæ a fide nuper apostatabant vitæ doloribus, commendata esset, ut eam averterent a Christo, ipsas iterum convertit ad Christum. Ita ut a Præfecto in cupam ferventem missæ, ad martyrii D palmam pervenerint. Postea vero ipsa sub Sapricio provinciæ ipsius Præside, primum equulei extensione vexata, dein palmis diutissime cæsa, ad ultimum capitali sententia punita est. Cumque egrediens de prætorio duceretur ad mortem, Theophilus quidam Scholasticus ait ad eam: *Eja tu Sponsa Christi, mitte mihi mala de paradiso Christi tui.* Quæ statim promisit se esse missuram. Ubi ergo ventum est ad locum, in quo jugulanda erat, [7] pauper oratione facta, protulit orarium suum, & vocato ad se quodam puerulo annorum sex, misit Theophilo, dicens: *Dic ei: Dorothea ancilla Dei mittit tibi mala de paradiso Christi sui.* Accipiens ille & gratias agens quod petitionem ejus E impleisset, cœpit sibi faciem tergere. Tantaque repente suavitate perfusus est, ut tota mente mutatus cum grandi exsultatione, & clara voce sæpius replicaret: *Benedictum nomen Domini Jesu Christi.* Ob quam confessionem mox & ipse tentus ac suspensus in equuleo tanta crudelitate tortus est, ut omnes circumstantes exhorrescerent. Novissime vero cæso capite martyrium consummavit.

Eodem die nativitas Antholiani, qui apud ur-

1. Antonini. 2. Sempronii. 3. Sempronii. 4. Magni. 5. Aquili. 6. Thmuis. 7. parumper.

bem Arvernam martyrio coronatus. In Gallia civitate [1] Aderato, depositio sancti Vedasti Episcopi & Confessoris. In Hellone monasterio, depositio sancti Amandi Episcopi & Confessoris.

7 C. *VII. Id. Febr.*

IN Britanniis, sancti Moyseis vel Moysis venerabilis Episcopi. Qui primo quidem in eremo vitam solitariam ducens, meritis & virtutibus ac signis quæ faciebat per illum Dominus, magnifice innotuerat. Quique postea petente Mauvia Saracenorum regina, Episcopus illius gentis factus, fidei Catholicæ custodivit intemerata consortia, & gentem cui datus fuerat Episcopus, ex grandi parte ad fidem Christi convertit. Sicque in pace perfectus in virtutibus quievit.

8 D. *VI. Id. Febr.*

IN Armenia minore, nativitas sanctorum Dionysii, Æmiliani & Sebastiani. Eodem die apud Alexandriam nativitas sanctæ Cointhæ Martyris, quam pagani correptam ad idola perducentes adorare cogebant. Quod cum illa exsecrans recusaret, vincula pedibus ejus innectentes, & per plateas totius civitatis eam trahentes, horrendo supplicio discerpserunt. Romæ depositio sancti Paulli Episcopi, & Julii Papæ.

9 E. *V. Id. Febr.*

SUevo apud Cyprum nativitas Alexandri & Ammonis. Item Ammonis & aliorum triginta septem. Alexandriæ, Apolloniæ virginis. Cui persecutores omnes dentes excusserunt: deinde constructo ac succenso rogo, cum comminarentur, vivam se eos esse incensuros, nisi cum eis impia verba proferet, illa paullum quid intra semet ipsam deliberans, repente se de manibus impiorum proripit, & in ignem quem minabantur, sponte prosilivit.

10 F. *IV. Id. Febr.*

ROmæ nativitas sanctorum Martyrum Zotici, Hireni, Jacinthi & Amantii. Item Romæ via Lavicana, militum decem.

Eodem die in Oriente sanctæ Söteris virginis, quæ graviter & diutissime alapis cæsa, cum cetera quoque pœnarum genera vicisset, gladio martyrium consummavit. In Campania, sancti Sylvani Episcopi & Confessoris. In Bethlehem civitate Judæ sub Herode rege: passio sanctorum Andreæ & Aporii. Sanctonis civitate depositio sancti Trojani Episcopi & Confessoris. Et Baldegundis Abbatissæ. Eodem die depositio sanctæ Scholasticæ virginis, cujus animam frater ejus sanctus Benedictus Abbas, vidit in columbæ specie cælos petere. Quod fratribus matutinorum hymnis expletis intimavit, & Deo gratias inde retulit.

11 G. *III. Id. Febr.*

ROmæ Calocerii & Parthenii. In Apamia Pæonis & Eufraxii. Apud Lugdunum Desiderii Episcopi & Martyris, qui beatus vir passus quidem est in Prisciniaco villa, territorio Lugdunensi, x. Kal. Junii. Translatus est autem Viennam in civitatem sui Episcopatus.

1. Atrebato.

11 G. *III. Id. Febr.*

ALexandriæ, depositio sanctæ Euphrosynæ, quæ in monasterio mira virtute abstinentiæ & miraculis etiam claruit.

12 A. *Pridie Id. Febr.*

IN Hispaniis civitate Barcillone, nativitas sanctæ Eulaliæ virginis & Martyris: quæ passa est tempore Diocletiani Imperatoris sub Præfecto Hispaniarum Datiano. Quando sub eodem apud Barcillonem sanctum Cucufatem, & apud Gerundam sanctum Felicem, gloriosas constat martyrii accepisse coronas. In Africa passio sancti Damiani militis. Alexandriæ, Modesti & Ammonii infantum. Romæ Gregorii Papæ secundi. Qui rexit Ecclesiam sedecim annis, Leonis & Constantii Imperatorum temporibus. Qui vir castus, & in divinis scripturis eruditus, in Germaniam per Bonifacium Episcopum verbum salutis prædicavit. Idemque, ut in quadragesimali tempore, quinta feria jejunium atque Missarum celebratio fieret, quod non agebatur, instituit.

13 B. *Idibus Febr.*

APud Antiochiam nativitas sancti Agabi Prophetæ. De quo in Actibus Apostolorum refertur, quod & magnam famem & passionem Paulli Apostoli prædixerit. In Militena Armeniæ civitate, sancti Polyeucti Martyris, qui latine interpretatur, multum orans. Lugduni depositio sancti Stephani Episcopi.

14 C. *XVI. Cal. Martii.*

ROmæ nativitas sancti Valentini Presbyteri: qui post multam sanitatum & doctrinæ insignia fustibus cæsus, & sic decollatus est sub Claudio Cæsare. Eodem die Romæ passio sancti Valentini Interamnensis Episcopi. Qui tentus a paganis ac virgis cæsus, & post diuturnam cædem custodiæ mancipatus, cum superari non posset, mediæ noctis silentio, ejectus de carcere, decollatus est, jussione furiosi Placidi urbis Præfecti. Quem cum discipuli ejus Proculus, Ephebus & Apollonius ad civitatem suam retulissent, & hoc Consulari Leontio nuntiatum fuisset, jussit eos capite cædi. Qui non sunt longe a corpore S. Valentini sepulti. Item Romæ via Ardeatina, Feliculæ, Vitalis, Zenonis. In Egea civitate, S. Juliani. Apud Alexandriam nativitas sanctorum Martyrum Bussi, Antonii, Protolici, qui in mare mersi sunt. Item Cyrionis Presbyteri, Moyseos, Basiani Lectoris, Agathonis Exorcistæ, qui omnes igni combusti sunt. Item Dionysii & Ammonii decollatorum.

15 D. *XV. Cal. Mart.*

ROmæ, Cratonis Martyris. Qui cum haberet filium Chæremonem nomine, qui inciderat in ægritudinem gravissimam, ad eumque sanandum beatum Valentinum Interamnensem Episcopum evocasset, eidemque ipsum sub tali conditione obtulisset, ut si puer sanaretur, ipse cum omni domo sua fieret Christianus, sanato puero, ipse quod pro-

1. Soli.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 900.



miserat implevit: atque cum uxore & universa domo baptizatus, non post multos dies martyrio consummatus est.

Interamnis sanctæ [1] Agapæ virginis. In Brixia, Faustini Martyris. In Antiochia, Josephi Diaconi. Apud Sebasten civitatem, passio S. Blasii Episcopi. Qui multorum patrator miraculorum sub Præside Agricolao post diutinam cæsionem, post carcerem, atque inde suspensionem in ligno, ubi pectinibus ferreis carnes ejus disruptæ sunt; post iterum teterrimum carcerem, post demersionem in lacum, unde supernatans salvus exivit: jubente iniquissimo judice capite ad extremum cum duobus pueris truncatur, felicia regna una cum ipsis ingressus. Ipso autem adhuc agonizante, septem mulieres beatissimæ, quæ guttas sanguinis ejus profluentes de beatissimis plagis corporis ipsius colligebant, deprehensæ quod essent Christianæ, post caminum ignis, ubi plumbo superinfusæ sunt, post pectines ferreos, quibus carnes earum disruptæ, post æreas tunicas excandentes; novissime data sententia gladio percussæ, datoque pretio sanguinis, vitam merebantur æternam.

16 E. *XIV. Cal. Mart.*

NAtivitas S. Onesimi, pro quo B. Paullus Apostolus Philemoni familiares litteras mittit. Quem idem beatus Apostolus Episcopum ordinans eique prædicationis verbum committens, apud Ephesiorum civitatem reliquit. Cui Episcopus post beatum Timotheum, & ipse præsedit. Qui Romam perductus, atque ibi pro fide Christi lapidatus, sepultus est ibi primum Christi Martyr. Inde ad loca ubi fuerat ordinatus Episcopus, corpus ejus delatum.

In Cumis nativitas S. Julianæ virginis. Quæ temporibus Maximiani Imperatoris, primo a patre suo Africano cæsa, & graviter cruciata est: deinde & a præfecto Eleusio quem sponsum habuerat, nuda virgis cæsa, & a capillis suspensa, & plumbo soluto a capite perfusa, & rursum in carcerem recepta, ubi palam cum diabolo conflixit, & rursum evocata, rotarum tormenta, flammas ignium, ollam ferventem superavit, ac decollatione capitis martyrium consummavit. Quæ passa est quidem in Nicomedia, sed post paucum tempus, Deo disponente, in Campaniam translata. Eodem die in Ægypto, Juliani, cum aliis numero quinque millibus. In Hispania civitate Barcillone, S. Cucufatis Martyris. In Africa sancti Maximi. Item Secundæ, [2] Sauli.

17 F. *XIII. Cal. Mart.*

IN Perside, nativitas B. Polychronii Martyris, Babyloniæ, & Ctesifontis Episcopi. Qui præsente Decio Imperatore, os lapidibus cæsus, manibus extensis, oculis ad cælum elevatis, emisit spiritum. Scriptum in passione S. Laurentii. In Africa sanctorum Donati & Secundiani. In Aquileja Chrysanthi, Eutychii, Concordiæ, Justi, Romuli, Salonis, Sylvani & aliorum octoginta quatuor, quorum nomina Deus scit. Alibi Januarii, & aliorum valde multorum.

18 G. *XII. Cal. Mart.*

HIerosolymis, B. Simeonis Episcopi & Martyris. Qui traditur propinquus Salvatoris fuisse secundum carnem. Constat tamen quia de Cleopha cujus filius fuit, frater erat Joseph. Eodem die nativitas sanctorum Martyrum Claudii & uxoris ejus Præpedignæ, & filiorum Alexandri & Cutiæ, & fratris Claudii beati Maximi. Qui cum essent præclarissimi generis, agente fratre eorum Gabinio Presbytero, baptizati sunt a beato Gajo Pontifice Romano. Et postmodum tenti jubente Diocletiano a judice Julio. Et Claudius quidem cum uxore sua & filiis deportatus in exsilium: deinde incendio concremati, odoriferum sacrificium martyrii Deo reddiderunt. Ac sic postmodum apud Ostiam in Reuma jactati sunt. Quorum reliquias Christiani perquisitas, juxta civitatem sepelierunt. In Africa, Rutuli, Sylvani, Classici, Secundini, [3] Fluctuli, Damasi. Interamnis Paulli & aliorum multorum.

19 A. *XI. Cal. Mart.*

ROmæ, nativitas S. Gabinii Presbyteri patris beatissimæ Susannæ, qui a Diocletiano diu in custodia vinculis afflictus, pretiosa morte cæli gaudia meruit. In Africa, nativitatis B. Publii, Juliani, [4] Marubi. Item Juliani, Barachei, Paulli, Marcelli, Tulii, Lampasii, Majuli, Julii.

20 B. *X. Cal. Mart.*

ROmæ via Appia in cœmiterio Callixti, depositio Gaii Episcopi. Apud Cyprum nativitas Potamii, Nemesii & Didymi. Alibi Victoris, & Coronæ, & aliorum viginti. Apud Tyrum quæ est urbs maxima & celebris Phœnicis, beatorum Martyrum quorum numerum Dei sola scit scientia. Quos jubente Diocletiano Veturius Magister militiæ, diversis tormentorum generibus sibi invicem succedentibus occidit. Primo flagris per omne corpus Martyres Dei carpebantur, post hæc tradebantur ad bestias, adhibebantur leones, ursi, pardi atque ferarum genus, equi quoque & tauri, quibus ferro & igni feritas addebatur. Sed cum nulla ferarum eos læderet, furor belluarum transit in homines, & cum gladiis peragerent, quod bestiis nequiverunt, etiam cadavera occisorum marinis fluctibus immiserunt. Quorum primi & prævii fuerunt Tyrannio & Sylvanus Episcopi, qui parvo tempore interposito bestiarum dentibus martyrium compleverunt, & Peleus & Linus Episcopi, qui cum plurimis clericis igne consumti sunt. Zenobius Presbyter quoque venerabilis capite fuit cæsus.

21 C. *IX. Cal. Mart.*

APud Siciliam, Martyrum septuaginta quatuor. Qui sub Diocletiano per diversa tormenta confessionis suæ coronam a Christo sibi paratam percipere meruerunt. In Africa, sanctorum Veruli, Secundini, Servuli, Syricii, Felicis, Jocundi, Saturnini, Fortunati & aliorum septemdecim. Alibi Victorini, Mappalici & plurimorum aliorum Martyrum. Item, depositio Eucherii Episcopi.

22 D. *VIII. Cal. Mart.*

APud Antiochiam Syriæ, Cathedra S. Petri Apostoli. Apud Alexandriam Abilii Episcopi, qui post beatum Marcum secundus Epi-

1. Agapis. 2. Seleuci. 3. Fructuli. 4. Marcelli

ſcopus tredecim in annos Sacerdotium adminiſtravit. Apud Hierapolim, S. Papiæ Epiſcopi, auditoris S. Joannis Apoſtoli. Item B. Ariſtionis, qui unus fuit de ſeptuaginta duobus diſcipulis Chriſti. In Nicomedia, nativitas S. [1] Teglæ virginis diſcipulæ ſancti Paulli Apoſtoli, quæ ſub Nerone Imperatore pro Chriſti nomine igni eſt tradita, ſed non eſt uſta. Poſtea vero beſtiis atque ſerpentibus deputata & projecta eſt, ſed a nullo eorum eſt læſa. Ad extremum vero in Seleucia cum virginitatis martyrio, atque virtutum honore per ſomnum pacis migravit ad Dominum. Romæ via Tyburtina ad S. Laurentium, nativitas S. Concordiæ, quæ Deciana perſecutione trucidata eſt.

23 E. *VII. Cal. Mart.*

APud [2] Smyrnam ſancti [3] Syrenii Monachi, qui tempore Maximiani Imperatoris cum unus ex domeſticis ejus uxorem hora incongrua in horto quem ipſe ſibi excolebat deambulantem acrius increpando repuliſſet, jubente Maximiano tentus, & Chriſtianum ſe eſſe confeſſus, capite cæſus eſt. Item aliorum ſeptuaginta duorum, qui ibidem paſſi ſunt. Romæ S. Polycarpi Presbyteri, qui cum B. Sebaſtiano plurimos ad fidem Chriſti convertit, atque ad martyrii gloriam perduxit. Smyrnæ nativitas ſanctorum Erotis & Carpophori. In Pannoniis ſanctorum Seneroti, Antigoni, Rutuli, Libii. In Africa Gryſionii, Zenonis & aliorum multorum.

24 F. *VI. Cal. Mart.*

IN Palæſtina nativitas S. Matthiæ Apoſtoli, qui de ſeptuaginta diſcipulis pro Juda traditore in Apoſtolatum electus, in Judæa Evangelium prædicavit. Item inventio capitis præcurſoris Domini, tempore Martiani Principis, quando idem præcurſor duobus Monachis primum, ubi ejus caput celatum jaceret, revelavit. Conſtat autem quia imminente feſtivitate Paſchali fuerit, ſicut in Evangelio patet, decollatus, & anno poſt hunc ſequente, cum denuo tempus Paſchale rediret, myſterium Dominicæ paſſionis eſſe completum. Et propterea quod in libro ſacramentorum nativitas ejus quarto Calendarum Septembrium die notatum eſt, & in Martyrologio, quod Euſebii & Hieronymi vocabulis inſignitum eſt, legitur IV. Cal. Sept. in [4] Emiſſa civitate Phœnicis provinciæ, nativitas S. Joannis Baptiſtæ die quo decollatus eſt: non ſpecialiter ipſum diem decollationis ejus, ſed diem potius quo caput ejus in eadem civitate repertum atque in Eccleſia eſt conditum, deſignat. Siquidem duo Monachi Orientales venerant adorare Hieroſolymis, & loca ſancta videre. Quibus per revelationem aſſiſtens idem præcurſor Domini, præcepit ut ad Herodis quondam regis habitaculum accedentes, caput ſuum ibi requirerent, & inventum digno honore reconderent. Quod idcirco malignæ mulieres a corpore abſectum in cubiculo ſuo diligenti cura ſervaverunt, ne corpori adnexum impietatem illarum denuo coarguere potuiſſet. Quod videlicet caput a ſupradictis fratribus divina gratia repertum & aſſumtum, ſed a conviatoribus eorum ſublatum, & de loco ad locum, ab homine ad hominem, quaſi quiddam aliud Emiſſam uſque perlatum eſt, & in quodam ſpecu in urna ſub terra, non pauco tempore ignobiliter reconditum, donec denuo ſe ſe caput ipſum oſtendit Marcello cuidam Presbytero religioſo, dum in eodem ſpecu habitaret. Ex quo tempore cœpit in eadem civitate beati Præcurſoris decollatio, ipſo die quo caput inventum ſive elevatum eſt, celebrari. Denique apud alios inventio capitis ejuſdem octavo Calendas Octobris, quo die conceptus aſſeritur, apud quoſdam vero IV. Calend. Septembr. celebratur. Decollatus vero eſt in Caſtello quodam Arabiæ, quod Macheruntа nominatur, & corpus quidem ejus in civitate Samaria, quæ nunc Sebaſte dicitur, caput autem in Hieroſolymis humatum eſt. At vero oſſa ejus tempore procedente Hieroſoymam tranſlata, ac mox Alexandriam miſſa, nunc ibidem in Eccleſia quæ nominis ipſius eſt honore conſecrata, ſervantur. Caput quoque de Ediſſa Conſtantinopolim per Theodoſium Imperatorem deportatum, extra urbem in Eccleſia regio cultu compoſita, frequentatur. Quod divina providentia conſtat actitatum, ut ſcilicet per plura loca deportatis beati martyris reliquiis plura virtutum ſigna fierent, pluresque per memoriam doctrinæ & vitæ illius ad fidem & dilectionem ejus quam prædicaverat, confluerent, pluresque per memoriam doctrinæ & vitæ illius ad fidem quæ juſtificat & ſalvificat converterentur. Item Romæ Abſalonis. In Cæſarea Cappadociæ, Heroli, Lucii & Sergii Martyrum. In Africa Juliani, Juliæ & aliorum plurimorum. In Nicomedia, Luciani Presbyteri.

25 G. *V. Cal. Mart.*

IN Ægypto nativitas ſanctorum Victoris, Victorini, [5] Nichophori, Claudiani, Dioſcori, Serapionis & Papiæ, ſub Numeriano Imperatore, agente Sabino duce. Quorum primus in pilam ex robore cavam, & undique circumforatam miſſus, ac per ſingula foramina diutiſſime tranſpunctus, cumque nimius ſanguis efflueret, eductus de pila, capite cæſus eſt. Secundus manibus & pedibus amputatis, in eamdem pilam miſſus, prioris tormenta ſuſtinuit, & noviſſime gladio cæſus eſt. Tertius cum ultro in pilam fuiſſet ingreſſus, indignatus judex juſſit eum inde produci, & ſupra craticulam prunis ſubſtratam aliquantum peraſſari, & inverti. Cumque in confeſſione perſiſteret, ſublatus inde, minutatim gladio conciſus, ſpiritum reddidit. Reliquorum quatuor Claudianus & Dioſcorus flammis incenſi, Serapion & Papias gladio peremti ſunt. In Africa ſanctorum Donati, Juſti, Rutuli, Hirenei, Piſionis. Pamphyliæ, Neſtoris & Caſtæ.

26 A. *IV. Cal. Mart.*

IN civitate Pamphyliæ Perge, nativitas beati Neſtoris Epiſcopi, qui perſecutione Decii, cum die noctuque orationi inſiſteret, ut grex Chriſti cuſtodiretur, comprehenſus a quodam Irenarcho, qui erat Princeps curiæ civitatis, velut aries ſine macula oblatus eſt præſidi Pollioni. Et cum nomen Chriſti mira libertate & alacritate confiteretur, Deos autem gentium dæmonia peſſima memoraret, juſſus ab eodem præſide ſuſpendi in equuleo, & crudeliſſime torqueri, lætus pſallebat dicens: *Benedicam Domino in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo.* Præſes vero ſtupens ſuper tanta tolerantia & volens eum blandis verbis a fide revocare, dixit ei: *Vis eſſe nobiſcum, aut cum Chriſto tuo?* Cui ſanctus Neſtor cum magno gaudio reſpondit di-

1. Thecla. 2. Sirmium. 3. Sireni. 4. Edeſſæ. 5. Nicephori.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 900.



cens: *Cum Christo meo & eram & sum & ero*. Tunc indignatus præses dedit adversus eum sententiam, ut qui Jesum crucifixum sub Pontio Pilato fateretur, tamquam devotus Deo suo illius subiret sententiam, & ligno affixus esset. Patibulo docebat assistentem populum Christianum, ut in fide & caritate Christi persisterent, & libentissime compaterentur, ut & simul glorificarentur. Post hæc petens omnem astantem turbam fidelium, ut genua figentes orarent cum ipso, cum compleret orationem & dixissent omnes, *amen*, reddidit spiritum. Consummavit autem martyrium suum, quinta sabbati, hora tertia.

Eodem die beati Alexandri Alexandrinæ civitatis Episcopi, gloriosi senis. Qui post beatum Petrum Arium Presbyterum suum hæretica impietate depravatum, & a divina veritate disjunctum de Ecclesia ejecit. Et postea inter trecentos & octo patres eumdem in Nicæno Concilio damnavit. Item in Alexandria, Felicis cum sociis suis.

27 B. *III. Cal. Mart.*

Apud Hispaniam civitate Hispali, nativitas sancti Leandri Episcopi, ad quem beatus Gregorius libros moralium scripsit. Cujus prædicatione & industria tota Gothorum gens per Reccaredum regem ab Ariana impietate conversa est. Qui etiam fratrem ejus Erminigildum regem, vivente adhuc patre hæretico, ab eadem Ariana hæresi, ad Catholicam fidem correxit, atque usque ad gloriosam martyrii passionem suis exhortationibus perduxit.

Eodem die in Alexandria nativitas sancti Juliani Martyris, qui cum ita podagra constrictus esset, ut neque incedere neque stare posset, cum his qui eum in sellula portabant judici offertur. Quorum unus quidem statim negavit, alter nomine [1] Eum cum Juliano sene in Domini confessione perdurat. [2] Quique jubentur camelis impositi per totam circumduci urbem, & flagris hinc inde stipante populo laniari, usquequo finem ipsis verberibus sortirentur. Apud Lugdunum, sancti [3] Baldemeris viri Dei, cujus sepulcrum crebris miraculis illustratur.

28 C. *Pridie Cal. Mart.*

In Alexandria sanctorum [4] Celeris, Pupilli, Gaii, Serapionis. In territorio Lugdunensi locis virentibus, B. Romani Abbatis, qui primus illic vitam eremiticam duxit, & multis miraculis ac virtutibus clarus, plurimorum postea pater exstitit monachorum.

Martius habet dies xxxi. Lun. xxx. Et in hoc mense erit jejunium primum de quatuor temporibus.

1 D. *Calendis Martii.*

Romæ sanctorum martyrum CCLX. temporibus Claudii, qui via Salaria arenam fodientes, damnati fuerant pro Christi nomine. Quos jussit Claudius ut in figlina foris muros portæ Salariæ mitterentur, & eo loco inclusi in civitatis amphitheatro militum sagittis interficerentur. Ibidem Simplicii Papæ, qui sedit Romæ annis quindecim. Hic Acacium Constantinopolitanum Episcopum, & Petrum Alexandrinum Episcopum Eutychianos damnavit. Andegavis, Albini Episcopi.

2 E. *VI. Non. Mart.*

Romæ via Latina sanctorum Jovini & Brasilei, qui passi sunt sub Gallieno & Valeriano Imperatoribus. Eodem die Martyrum plurimorum sub Alexandro Imperatore passorum: quos diu cruciatos impius Alexander capitali sententia damnavit.

3 F. *V. Non. Mart.*

In Hispania civitate Calagurritana, nativitas sanctorum Martyrum [5] Emetherii & Cheledonii. Qui primum apud Legionensem Gallicíæ civitatem milites, exsurgente persecutionis procella pro confessione nominis Christi plurimis afflicti tormentis, Calagurrim usque perducti, atque ibidem martyrio affecti sunt & coronati. Cumque eorum capita lictor incideret, miraculum populis grande apparuit. Nam unius anulus orariumque alterius, nube susceptum, & in cælos evectum est. Viderunt hæc omnes qui aderant, & usquequo acies oculorum intendere potuit, fulgorem auri, candoremque lintei attonito sequebantur intuitu. Scribit Aureolus in libro coronatorum.

Apud Cæsaream Palæstinæ sanctorum Martyrum Marini militis, & Asterii Senatoris, sub persecutione Valeriani. Quorum prior cum accusatus fuisset a commilitonibus quod esset Christianus, & interrogatus a judice Christianum se esse clara voce testaretur, tres ei horæ ad deliberandum indultæ sunt. Cumque a tribunalibus fuisset egressus, a beato Theotecno ejusdem urbis Episcopo plurimum in fide confortatus, repetens continuo tribunal judicis confidentissime respondit: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*, & illico martyrii coronam capitis abscissione suscepit. Cumque præfatus Asterius capite truncatum martyris corpus subjectis humeris & substrata veste qua induebatur, exciperet, honorem quem martyri detulit, continuo ipse martyrium accepit. Scriptum in historiæ Ecclesiasticæ libro septimo.

4 G. *IV. Non. Mart.*

Nativitas sancti Lucii Papæ & Martyris. Hic præcepit ut duo Presbyteri & duo Diaconi in omni loco Episcopum non desererent propter testimonium Ecclesiasticum. Qui persecutione Valeriani & Gallieni ob fidem Christi exsilio relegatus, & postmodum divino nutu ad Ecclesiam suam redire permissus, martyrium capitis obtruncatione complevit. Postea positus est via Appia ad sanctum Xystum. Sedit autem in Episcopatu annos tres, menses tres, dies tres. Item Romæ via Appia sanctorum Martyrum nongentorum, qui positi in cœmiterio ad sanctam Cæciliam. Eodem die S. Gaii, Palatini in mare demersi.

5 A. *III. Non. Mart.*

Apud Antiochiam sancti Focæ Martyris. Qui per multas, quas pro Redemtoris Christi nomine perpessus est injurias, qualiter de antiquo illo serpente triumphaverit, hodieque populis decla-

1. Eunus. 2. Ambo. 3. Baldomeri. 4. Cærealis, Pupuli. 5. Hemiterii.

ratur. Denique in quempiam loci illius coluber morsum figens venena diffuderit, extemplo qui percussus est, ut januam basilicæ Martyris credens attigerit, evacuata virtute veneni salvatur. Item ipso die Eusebii & Palatini & aliorum octo Martyrum. Item in Antiochia, Saturnini, Casti, Syriæ. Item Saturnini, Martini, Petri & aliorum non paucorum.

6 B. *II. Non. Mart.*

NIcomediæ nativitas sanctorum Victoris & Victorini, qui per triennium cum Claudiano & Bassa uxore ejus tormentis afflicti, & retrusi in carcerem, ibidem vitæ suæ cursum impleverunt. Nicopoli, Papiæ, Alexandri & Diodori Martyrum. In Italia villa Fagoniæ, Victorini & Salviani.

7 C. *Non. Mart.*

IN Mauritania civitate Tiburbitanorum, passio sanctarum Martyrum Perpetuæ & Felicitatis, & cum eis Revocati, Saturnini & Secunduli. Quorum ultimus in carcere quievit. Reliqui omnes ad bestias sunt traditi, sub Severo Principe, die nativitatis ejus. Quique cum adhuc servarentur in carcere, & Felicitas parturiret, omnium Sanctorum commilitonum precibus impetratum est, ut octavo mense pareret. Jam vero Perpetuæ inter alia concessum est, ut ejus mens quodammodo averteretur a corpore, in quo vaccæ impetum pertulit, ita ut adhuc futurum exspectaretur, quod in se jam gestum esse nesciret. In Antiochia Leuci, Saturi, & Nestoris. In Thracia Dandæ, Eunicæ, Secundi, Sergii, Optati.

8 D. *VIII. Id. Mart.*

APud Carthaginem sancti Pontii Diaconi, beati Cypriani Episcopi. Qui usque ad passionis suæ diem cum ipso exsilium sustinens, egregium volumen vitæ, & passionis ipsius reliquit. Atque Dominum semper in passionibus suis glorificans, coronam vitæ promeruit. In Nicomedia Quintilis Episcopi, & Capitulini. In Africa Rogati & Felicis, nativitas etiam Cyrilli Episcopi, Sylvani & Manilii.

9 E. *VII. Id. Mart.*

APud [1] Misenam civitatem sancti Gregorii Episcopi fratris beati Basilii Cæsariensis viri doctissimi, & eloquentia clarissimi. Apud Barcillonem Paciani Episcopi, tam vita quam sermone clari. Qui optima senectute mortuus est, Theodosii Principis temporibus. In Africa, Felicis & Philippi, Mariani, Rogati & Concessi, Gorgonii & Hesychii.

10 F. *VI. Id. Mart.*

NAtivitas sanctorum Martyrum, Alexandri & Gaii de Eumenia, qui apud Apamiam persecutione Antonini Veri martyrio coronati sunt. Scribit Apollinaris Hierapolitanus Episcopus in libro adversus Cataphrygas. In Perside sanctorum Martyrum numero quadraginta duo. In Antiochia [2] Agapæ virginis & Marinæ. In Nicomedia Palatini, Firmani, & Rustici Martyrum. In Alexandria Heraclii, Zosimi, Alexandri & Gaii. In Italia monasterio Bobio, sancti Atalæ Abbatis, admirandæ sanctitatis viri, discipuli beati Columbani.

11 G. *V. Id. Mart.*

APud Sebasten Armeniæ minoris, nativitas Martyrum quadraginta, qui temporibus [3] Licinii Imperatoris & Agricolai Præsidis & Lysiæ ducis, pro nomine Christi martyrio sunt coronati. Quos Agricolaus Præses cum ad culturam idolorum convertere non posset, lapidibus obrui præcepit. Sed tortores eorum alterutrum se lapidibus cædentes, Martyribus nocere non poterant. Dux vero Lysias exardescens ira, tulit lapidem ut percuteret aliquem sanctorum. Sed miro Dei nutu ipse lapis in faciem Præsidis pervenit. Qui furore commotus sanctos Dei in stagnum glacie constrictum, mitti præcepit. Divino autem nutu glacies dissoluta & frigidissima aqua in balnearum temperiem conversa est, ita ut in laudem Dei, sancto Spiritu confortati, erumperent. Unus autem ex eorum numero, pusillanimis effectus, refugiens ad balneum juxta paratum, mox ut attigit calorem, dissolutus & mortuus est. Porro cunctis qui eos custodiendos acceperant, somno gravatis, clavicularius tantum vigilabat. Qui audiens eos orantes, vidensque lucem immensam, atque glaciem resolutam, respiciens unde ortum lux ipsa haberet, vidit super sanctos coronas descendentes numero XXXIX. cœpit cogitare: *Quadraginta*, inquit, *sunt*, *unius corona ubi est?* & Christi confessione præmissa exsiliens in stagnum supplevit numerum definitum. Mane autem facto invenientes eos incolumes, crura eorum fustibus confregerunt, & igni corpora comburentes, in fluvium projecerunt. Sed divina dispensatione, reliquiæ ipsorum in profundo aquæ religiosis viris revelatæ, & honore digno sunt conditæ.

In Nicomedia Eunici, & Gorgonii, Firmi & Agapiti.

12 A. *IV. Id. Mart.*

ROmæ beatorum Pontificum Gregorii Doctoris & Apostoli Anglorum, quos per fidelissimos evangelistas Augustinum & Mellitum atque Joannem ad fidem Christi convertit. Qui sedit in Episcopatu annos tredecim, menses sex, dies decem. Item Innocentii, qui rexit Ecclesiam annos quindecim, menses duos, dies viginti & unum. Hic constitutum fecit de Ecclesia Dei, & Pelagium atque Cælestinum hæreticos damnavit, & constituit ut qui natus fuisset de Christianis parentibus, per baptismum regeneraretur. Quod Pelagius damnabat. Hoc Innocentius. Gregorius vero augmentavit, [4] sed in precatione Canonis, *diesque nostros in tua pace dispone*.

Apud Nicomediam beati Petri Martyris, qui unus fuit ex Dorothei & Gorgonii Martyrum sodalibus, qui in cubiculo regis erant. Hic jubente Diocletiano, eo quod de suppliciis Martyribus irrogatis liberius [5] clausaretur, in equuleo suspensus, & flagris toto laniatus corpore, ac visceribus jam pelle denudatis, aceto & sale perfunditur. Cumque hoc tormenti genus constanter ac fortiter tolerasset, craticula prunis subterstratis poni jubetur in medio, ibique quod reliquum fuerat verberibus absumti corporis superponi, & non ad subitum sed sensim paullatimque succendi, quo scilicet pœna protelaretur in longum. Hoc Petrus martyrio coro-

1. Nyssenam. 2. Agapes. 3. Licinii. 4. Forte *addens*. 5. causaretur.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 900.

natus, vere Petri exstitit & fidei heres & nominis. A
Item Nicomediæ nativitas sanctorum Egduni Presbyteri, & aliorum septem, qui singuli diebus singulis suffocabantur, ut ceteris metus incuteretur.
Eodem die passio Maximiliani Martyris & aliorum plurimorum.



13 B. *III. Id. Mart.*

APud Nicomediam nativitas sanctorum Macedonii Presbyteri, & Patriciæ uxoris ejus, & filiæ Modestæ. Nicæa civitate, nativitas sanctorum [1] Theuseæ & Horis filii ejus, Theodoræ, Nymphodoræ, Marci, [2] Arabæ, qui omnes igni sunt traditi. Item, Julii Episcopi & Alexandri. B
Item Nicomediæ, multorum Martyrum.

14 C. *Pridie Id. Martii.*

ROmæ Martyrum quadraginta septem, qui baptizati sunt a beato Petro Apostolo, cum teneretur in custodia Mamertini cum Coapostolo suo Paullo, ubi novem menses in vinculis detenti sunt.
Item Zachariæ Pontificis, qui sedit Romæ annos decem. Hic in patriarchio beati [3] Gregorii Martyris caput reperit in capsa reconditum. In qua & pitacium pariter invenit, hoc ipsum græcis litteris habens exaratum. Sepultus est in Ecclesia beati Apostoli Petri. Apud Carthaginem, Donati, Eufrosii, Fronimi. In Nicomedia Felicissimi, Dativi, Frontinæ. In Africa Dionæ, Alexandri, Petri, Mammarii & Nabotis Martyrum. C

15 D. *Idibus Martii.*

IN Cappadocia, sancti Longini Martyris. Qui cum in passione Domini lancea latus ejus aperuit, viso terræmotu, & signis quæ fiebant, credidit in Christum, pœnitentiam agens de pristinis operibus, & per triginta & octo annos Christo militans, multosque ad fidem Dei convertens, ad extremum in Cappadocia sub Octavio Præside consumavit. Quem propter infidelitatem animi corporea D cæcitate percussum post martyrium suum illuminavit.
Apud Thessalonicam, sanctæ Matronæ. Quæ cum esset Plautillæ cujusdam viduæ ancilla & occulte Christum colens, quo die furtivis orationibus Ecclesiam frequentaret, deprehensa a domina sua, in scamno extenta atque ligata, & pene usque ad mortem flagellata, atque vincta in scamno, obsignatis diligentissime januis per noctem relicta, die altera divinitus soluta, & cum ingenti oris gratia orans inventa est. Rursumque crudis nervis in eodem scamno constricta, & loris quousque obmutesceret cæsa, ibique per triduum obsignatis januis est relicta. Facta autem die tertia, iterum divinitus soluta, & orans inventa est. Tunc robustis fustibus usque E ad mortem cæsa est. In confessione Christi incorruptum spiritum reddidit.
In Nicomedia Lucii Episcopi & Martyris. Carthagine, Paulli, Salutaris. Item Alexandri, Theophili.

16 E. *XVII. Cal. April.*

ROmæ Cyriaci Martyris, qui a beato Marcello Papa Diaconus ordinatus simul cum Sisinnio multa mirabilia fecit sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, & dæmones ab obsessis corporibus expulit, & post multa ac nimia tormenta quæ pertulit, novissime per Carpasium vicarium jussu Maximiani decollatus est. In Aquilegia, Hilarii. In Nicomedia, Castoris, Dionysii & Nonni. In Græcia, Cyriacæ, Florentii & Joviani.

17 F. *XVI. Cal. April.*

IN Aquilegia Largi, Tatiani, Catonis, & Dativi. Romæ, Alexandri Episcopi & Theoduli Diaconi. In Scotia nativitas sancti Patricii Episcopi natione Britanni, qui in Hybernia insula Scotis primum evangelizavit nomen Domini nostri Jesu Christi, & eos per miraculorum ostensionem ad fidem veram convertit.
Eodem die passio sanctæ Mariæ Martyris: quæ cum esset ancilla cujusdam Tertulli præclari viri, & nollet in nativitate filii ejus, prandiis domini sui interesse, sed magis Christianorum more jejuniis operam dare, flagellis atrocibus ab eodem domino suo lacerata est. Sed cum non posset per hoc ab instantia Christi servitii ad idolorum cultum revocari, Judici publico ad puniendum tradita est. Ubi dum carnifices eam incendio tradere voluissent, precibus populi datæ sunt ei induciæ trium dierum. Triduo ergo completo, cum iterum eam punire unanimiter instarent, mirabiliter Dei misericordia erepta est. Nam cum orationem ad Deum fudisset, una petra ingens, quæ ante eam fuerat, per medium scissa, illam in se recipiebat, & undique concludens, hostium furori resistebat. Ad quam populus concurrens, cum vellet secundum jussum Principis ipsum lapidem destruere, fulmine ac tonitru cælitus emisso, plurimi eorum interierunt, ita ut duo millia & septingenti ex ipsis divino judicio extincti fuerint, pauci vero qui remanserant, conversi ad Dominum in Christiana religione permanserunt.
Eodem die nativitas sanctæ Gertrudis virginis: de cujus miraculis hoc celeberrimum fertur, quod cum in die natalis ejus quædam anus nuper monasterium ingressa propter imminentem Paschalis festi propinquitatem, jejunium solvere cogi non potuerit, filia ipsius ad hauriendam aquam de puteo Claustri directa, sed in eamdem ipsa demersa mortua exstracta, meritis sanctæ virginis resuscitata, gaudium non solum matri, sed & cunctæ congregationi ad cumulum solemnitatis S. Patricii, atque ipsius Gertrudæ sua recuperatione triplicaverit.

18 G. *XV. Cal. April.*

NAtivitas sancti Alexandri Episcopi. Qui de Cappadocia civitate sua veniens cum desiderio sanctorum locorum Hierosolymam pergeret, & Narcissus Episcopus ejusdem urbis jam senex regeret Ecclesiam, & ipsi Narcisso & multis Clericorum ejus revelatum est, altera die mane intrare Episcopum, qui adjutor sacerdotalis cathedræ esse deberet. Itaque re ita completa ut prædicta fuerat, cunctis in Palæstina in unum congregatis, adnitente vel maxime Narcisso, Hierosolymitanæ Ecclesiæ cum eo gubernaculum suscepit. Quique persecutione Decii cum jam longævæ ætatis veneranda canicie præfulgeret, ductus Cæsaream, & clausus carcere ob confessionem Christi martyrio coronatus est. In Alexandria Collegii, & Colyti Diaconorum. In Nicomedia Aprilis & Servuli. In Campania Quinti, Rogati, & Ingenuæ. In Mauritania Timothei & Saldæ.

1. Theusetæ & Horris. 2. Arabiæ. 3. Georgii, *Baron.*

19 A. *XIV. Cal. April.*

APud [1] Pinarensem urbem, beati Joannis magnæ sanctitatis viri. Qui de Syria oriundus pervenit ad Italiam, & angelo Dei, non longe ab eadem urbe locum permansionis sibi demonstrante, sed & a venatoribus hiemis tempore sub arbore foliis vestita repertus, & per hanc famam populo commendatus, monasterium statuit. In quo per quadraginta quatuor annos, multorum servorum Dei pater exstitit, & in pace quiescens, quotidianis miraculis clarus effulsit. Eodem die apud [2] Sorrentum, Quinti, Quintilis, Quartillæ, Marci, cum aliis novem. In Cæsarea Cappadociæ, Theodori Presbyteri sancti & pii. In Africa, Bassæ, Lucillæ, Fusciani, & aliorum multorum.

20 B. *XIII. Cal. April.*

APud Colossos [3] Archiepiscopi Episcopi commilitonis beati Apostoli Paulli. In Antiochia, sancti Joseph. In Syria Paulli, Cyrilli, Eugenii, Serapionis, Victorici & aliorum. In Britannia, sancti Chudberti, qui ex Anachoreta Ecclesiæ Lindisfarnensis antistes, totam ab infantia usque ad senium vitam, miraculorum signis inclytam duxit. Cujus dum undecim annos maneret corpus humatum, incorruptum post hæc, quasi eadem hora defunctum, simul cum veste qua tegebatur, inventum est. Scribit sanctus Beda Presbyter in libello de vita ipsius.

21 C. *XII. Cal. April.*

APud Alexandriam sancti Serapionis Monachi. Item Josephi, Volutiani, Philocali. Apud castrum Cassinum Beneventanæ civitatis, sancti Benedicti Abbatis. Cujus vitam virtutibus & miraculis gloriosam, in Dialogorum libris beatus Papa scribit Gregorius. Quem etiam regulam Monachorum cum magna discretione, & luculento sermone scripsisse commendat.

In territorio Lugdunensi, sancti Lupicini Abbatis Virensium. Qui cum fratre Romano post Anachoreticam vitam, quam ab adolescentia austerissimam duxerant, fundator monasteriorum, & rector exstitit animarum, uterque vero effector miraculorum. Cumque post agones plurimos, quos contra diabolum & angelos ejus visibiliter desudaverunt, atque militiam quam Christo per annos plurimos fideliter impenderunt finem sibi laborum, & perceptionem præmiorum appropinquare cognoscerent, decrevit Lupicinus, ut in remotiori solitudinis monasterio in uno conderentur sepulcro. Quod Romanus qui mitioris erat ingenii, intuitu pietatis [4] abluens, salva caritate impetravit ab eo, ut ipso ad tutionem fratrum in monasterio tumulato, se ad remedium pauperum & maxime feminarum incommodo laborantium, in oratorio ad introitum salutis poni pateretur. Quod cum primo ita factum fuisset, nunc corpus B. Lupicini, incertum ex qua caussa, in finibus Vesontionum apud Laconense monasterium celeberrime frequentatur.

22 D. *XI. Cal. April.*

APud Narbonem civitatem, a qua Gallia Narbonensis nomen assumsit, nativitas S. Paulli, A quem beati Apostoli ordinatum, eidem urbi Episcopum direxerunt. Quem tradunt eumdem ipsum fuisse Sergium Paullum Proconsulem, virum prudentem, a quo ipse Paullus Apostolus sortitus est nomen, quia illum fidem Christi subegerat. Qui in eadem regione prædicationis officio non segniter impleto, clarus miraculis confessione Christi coronatus sepelitur. In Africa, Saturnini & aliorum novem.

23 E. *X. Cal. April.*

NAtivitas sanctorum Martyrum Victoriani, Frumentii, & alterius Frumentii & duorum germanorum. B Qui omnes persecutione Wandalica sub [5] Henrico rege Ariano pro constantia Catholicæ confessionis, immanissimis suppliciis excruciati egregie coronati sunt in partibus Africæ. Item in Africa, Fidelis & aliorum viginti. In Antiochia, Theodori Presbyteri. In Cæsarea, Acacii & Alexandri.

24 F. *IX. Cal. April.*

IN Africa, Agapiti & Romuli. In Mauritania Secunduli, Veruli, Felicis, Saturnini & aliorum multorum.

Romæ S. Pigmenii Presbyteri. Is Julianum Apostatam & impium a puero nutrivit, & litteris C etiam sacris erudivit. Qui factus Imperator culturam pietatis relinquens, audito quod corpora sanctorum Martyrum, qui ab eo necabantur, idem Pigmenius sepeliret, mandavit ei: *Perge quo vis, hic enim non mercabitur vita tua. Tamen hoc servitiis tuis reddo, non tibi.* Tunc S. Pigmenius perrexit ad Persidem. Cumque quatuor menses reversus clivum sacræ viæ cum uno puero stipem petendo conscenderet, factum est ut offenderet Julianum Imperatorem in rheda aurea sedentem. Qui eminus prospiciens Pigmenium, vocari eum præcepit, dixitque ei: *Gloria diis, deabusque meis, quia te video.* Cui vir Dei Pigmenius illico respondit: *Gloria Deo meo Jesu Christo Nazareno crucifixo, quia te video.* D Ad hanc vocem iratus Julianus jussit eum per pontem in Tyberim præcipitari. Cujus corpus inventum & collectum, sepultum est in cœmiterio Pontiani, non longe à sanctis Abdon & Sennen.

25 G. *VIII. Cal. April.*

APud civitatem Galileæ Nazareth, annunciationis Dominicæ. Extra portam Hierosolymorum Dominus noster Jesus Christus crucifixus, occulta prophetarum maxima ex parte revelavit.

In monte Visionis immolatio Isaac. Item Hierosolymis passio S. Jacobi fratris Domini, qui E in Paschæ solemnitate Judæis Christum testificatus, de templi est culmine præcipitatus, ac fullonis vecte percussus. Romæ Cyrini, qui interfectus a Claudio & in Tyberim jactatus, in Insula Lycaonia inventus, & in cœmiterio Pontiani conditus est. Scriptum in passione sancti Valentini. Apud [6] Smyrnum nativitas S. Irenæi Episcopi: qui tempore Maximiani Imperatoris sub Præside Probo, primo tormentis acerrimis vexatus, deinde diebus plurimis in carcere maceratus, novissime abscisso capite consummatus est.

1. Pinnensem. 2. Surrentum. 3. Archippi. 4. abnuens. 5. Hunnerico. 6. Sirmium.

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 900.

26 A. *VII. Cal. April.*

Romæ via Lavicana in cœmiterio ejusdem nativitas S. Castuli. Qui cum esset [1] Notarius palatii & hospes sanctorum, ut in beati Sebastiani gestis legitur, a persecutoribus artatus, & tertio appensus, tertio auditus, in confessione Domini perseverans, missus est in foveam, & dimissa est super eum massa arenaria. Atque ita cum palma martyrii migravit ad Christum. Eodem die apud Pentapolim Libyæ Theodori Episcopi, Irenæi Diaconi, Serapionis & Ammonii Lectorum.

Item apud [2] Smyrnium nativitas S. Montani Presbyteri. Qui cum Maxima uxore tentus, & in fluvium præcipitatus est. Quorum corpora nono ab urbe lapide inventa sunt.

27 B. *VI. Cal. April.*

Hierosolymis resurrectio Domini nostri Jesu Christi. In Africa Romuli, Acutii, Pinarii, Missiæ, Matutinæ & aliorum. Item Donati, Saturnini & Martiani. In Ægypto beati Joannis eremitæ admirandæ sanctitatis viri. Qui præter multa miracula quæ gessit, etiam prophetico spiritu plenus, Theodosio Imperatori christianissimo victorias de tyrannorum immanitate prædixit.

28 C. *V. Cal. April.*

Apud Cæsaream Palæstinæ nativitas SS. Martyrum Prisci, Malchi & Alexandri. Qui persecutione Valeriana cum suburbanum agellum supradictæ urbis habitarent, atque in ea cælestes martyrii proponerentur coronæ, divino fidei calore succensi, ultro judicem adeuntes, cur tantum in sanguinem piorum desæviret, objurgant. Quos ille continuo pro Christi nomine bestiis tradidit devorandos. Item .... Romæ Xyxti Papæ, qui sedit octo annos. Is criminatorem suum Bassum nutu divino mortuum, manibus suis cum linteaminibus & aromatibus tractans, sepelivit apud beatum Petrum. Apud Cabillonensium civitatem [3] Cunderammi regis Francorum viri religiosi, qui ita se spiritualibus actionibus mancipavit, ut relictis sæculi pompis, thesauros suos Ecclesiis & pauperibus erogaret.

29 D. *IV. Cal. April.*

In Nicomedia, Pastoris, Victorini, Saturnini, Juliani. In Africa sanctorum Confessorum Armogastis, Archimimi & Satyri. Qui tempore Wandalicæ persecutionis sub Geiserico rege Ariano, cum essent lucidissima membra Ecclesiæ Christi, & pravitatem Arianorum libertate Catholica frequenter arguerent, pro confessione veritatis mul- A ta & gravia perpessi supplicia atque opprobria, cursum gloriosi certaminis impleverunt. In Burgundia depositio beati Eustasii Abbatis discipuli S. Columbani. Qui pater ferme sexcentorum extitit Monachorum, & vitæ sanctitate conspicuus, etiam miraculis clarus effulsit. In civitate Pisana, sancti Torpetis Martyris.

30 E. *III. Cal. April.*

Romæ Quirini tribuni & Martyris sub Trajano Imperatore. Qui cum ex præcepto ejus beatum Alexandrum Papam, & Hermen præfectum in vincula conjecisset, haberetque filiam, B cujus collum struma circumdederat, exauditis orationibus B. Herme de fide Christi, & visis signis, quæ Dominus in Martyribus suis Alexandro & Herme operabatur, eamdem filiam suam obtulit eis ad sanandum. Cui dixit beatus Alexander: *Tolle boiam de collo meo & impone ei.* Quod cum obedienter pater exsequeretur, divino nutu subito sanata est. Vocabatur autem ipsa Balbina. Atque ita pater ejus Quirinus & ipsa cum universis qui in custodia tenebantur omnique domo sua baptizatus est. Quod ut nuntiavit commentariensis Aureliano judici, iratus jussit ad se adduci Quirinum & dixit ei: *Ego te quasi filium dilexi, Tu autem irrides me, deceptus ab Alexandro.* Dixit ei Quiri- C nus: *Ego Christianus sum factus, vis occidere? vis fustigare? vis incendere? aliud non ero. Nam omnes qui erant in carcere feci fieri Christianos, & noluerunt usquam ire.* Iratus Aurelianus fecit ei linguam abscindi, deinde in equuleo suspendi. Qui dum Aureliani non cederet injuriis, jussit ei manus ac pedes abscindi, & sic eum decollari & canibus projici. Sed Christiani corpus ejus raptum in via Appia sepeliverunt in cœmiterio Prætextati. In Thessalonica civitate, Domnini, Philopoli, Achaici, Palatini. Alibi, Victoris, Aquilinæ virginis, Aurelianis, depositio sancti Pastoris.

31 F. *II. Cal. April.*

D Romæ sanctæ Balbinæ virginis, filiæ Quirini Martyris. Quæ cum bojam beati Alexandri, per quam sanata fuerat, frequentius oscularetur, admonita ab eo ut illam osculari desineret, & magis vincula beati Petri perquireret, & ea osculari curaret, summo studio per desiderium magnum pervenit ad ipsa. Traditque sanctæ Theodoræ religiosissimæ, sorori sancti Hermetis præfecti & Martyris. Ipsa vero Balbina instructa a beato Alexandro in virginitate plena bonis operibus permansit. Et post devictum sæculum juxta patrem suum Quirinum Martyrem sepelitur. In Africa sanctorum Anesii, Felicis, Dioduli, Proti, Cornelii & Vale- E riæ cum sociis eorum.

Mensis Aprilis habet dies xxx. Lun. xxix.

1 G. *Cal. April.*

Romæ nativitas beatissimæ Theodoræ sororis illustrissimi Martyris Hermetis. Quam beatus Alexander Papa & Martyr instruxit, baptizavit, atque in fide Christi edocuit. Quæ sub Aureliano principe martyrizavit, sepulta juxta fratrem Martyrem via Salaria non longe ab urbe Roma. In Armenia, Parthenii, Quintiani, Victoris, Secundi. Eodem die S. Venantii Episcopi & Martyris. In pago Jumnoense S. [4] Wiolarici Confessoris, cujus sepulcrum crebris miraculis illustratur.

2. A. *IV. Non. April.*

Apud Cæsaream Cappadociæ passio sanctæ Theodosiæ virginis. Quæ tempore Diocletiani cum esset annorum decem & octo, altro se sanctis Con-

1. Zetarius. 2. Sirmium. 3. Gunthranni. 4. Walerici.

fessoribus in custodia socians, tenta ab Urbano præfecto, & in equuleo cruciata, deinde ferro onerata, & in carcerem trusa est; Ubi Dei virtute, omnia vincula ejus disrupta sunt. Posthæc saxo alligata, in mare demersa est. Sed mox littoribus incolumis reddita & bestiis in amphitheatro projecta, sed ab his intacta, martyrium capitis abscissione complevit. In Africa nativitas sanctorum Amphiani, Victoris & aliorum quatuordecim. Apud Lugdunum Galliæ, depositio S. Nicetii Episcopi & Confessoris. Cujus & vita miraculis claruit, & pretiosa mors nihilominus miraculis commendatur.

3 B. *III. Non. April.*

THessalonicæ nativitas sanctarum virginum Agapes, [1] Hirenes & Chioniæ sub Diocletiano. Quæ primo in carcere maceratæ, postea in ignem missæ sunt. Sed intactæ a flammis post orationem ad Deum fusam, animas reddiderunt. In Scythia civitate Tomis, nativitas sanctorum Evagrii & Benigni. Apud Taurominium Siciliæ sancti Pancratii. In Nicomedia, Donati & Ampliani.

4 C. *Pridie Non. April.*

IN Thessalonica nativitas sanctorum Agathonis Diaconi, & Theodoli. Alibi Paulli, Matutini, Urbani, Saturnini, Quintiliani, Publii, Victoris, Successi & Juliani. Mediolani depositio B. Ambrosii Episcopi & Confessoris. Cujus studio, inter cetera doctrinæ & miraculorum insignia, tempore Arianæ perfidiæ, tota Italia ad fidem Catholicam conversa est. Qui præfecturæ gratia ad eumdem locum destinatus est, cum adhuc esset catechumenus, in depositione albarum a lactente puero designatus est Episcopus, & suggestione angelica auditores suos allocutus, expulsione dæmonum, & exhibitione sanitatum, atque resuscitatione mortuorum, nec non & tolerantia omnimodarum injuriarum vere comprobari, & nuncupari meruit, imitator antiquorum Martyrum & Apostolorum.

5 D. *Nonis April.*

IN Thessalonica nativitas S. [2] Hirenes, quæ post tolerantiam carceris sagitta percussa est a Sisinnio comite, sub quo & sorores ejus simul Agape & Chionia martyrizaverunt. Quas omnes cum Dulcitius prædecessor ejus in obscurissimam cellam coquendis vasis refertam inclusisset, sed post eas ardentissima concupiscentia deperisset, clanculo ingressus in eam per totam noctem cum ollis, cacabis ac caldariis volutatus, atque a sanctarum virginum illusione defraudatus, cum primum a familia vel familiaribus suis pro hac turpitudine abominabilis haberetur, Imperatorium palatium petens, ut vel ibi suarum injuriarum ultionem mereretur, propter intolerabilem fœditatem, quam oculis clausis non agnoscebat, & inde expulsus, de reliquo omni honore est privatus. Apud Ægyptum nativitas sanctorum Martiani, Nicanoris, Apollonii. Apud Cæsaream Lyciæ nativitas S. Amphiani.

In Cilicia nativitas sanctorum Taraci, Andronici & Probi, multis tormentis excruciatorum, adeo ut post tertiam interrogationem cum pro nimia corporis dilaceratione non possent ambulare, militum jussu deportarentur in amphitheatrum, ut a bestiis A consumarentur. Quarum cum nulla a quoquam hominum vel ab ipsis Martyribus ad læsionem sanctorum provocari quivisset, jussit Maximus Præses introduci gladiatores, ut sanctos Dei Martyres gladio interficerent. Quod cum factum fuisset, Maximus de amphitheatro se recipiens, reliquit ibi decem milites, qui corpora Martyrum immiscerent corporibus gladiatorum. Non post multum vero terræmotus factus est, & tonitrua & fulgura & coruscatio, & nimia tempestas imbrium [3] descendentibus. Custodibus autem inde nimio terrore fugatis, accedentes quidam religiosi fratres qui in proximo latitabant, indicio stellæ se præcedentis sanctorum corpora repererunt, & in spelunca vicini B montis absconderunt. De quorum longissima historia, quia paucissima sunt adnotata, libet in eorum supplementum gladiatorii ludi exhibitionem simul, & cessationem, sanctorum illorum occasione, qui a gladiatoribus sunt interemti, commemorare. Inter multa inepta & sacrilega, quibus ante cognitionem unius veri Dei veteres tenebantur obstricti, etiam hæc consuetudo mortalibus [4] illidebat, ut præstantiores quique in eo spectabiliores apparerent, si effusione rerum homines diutius saginatos in arenam intromitterent, qui primum sceleratis quibusque vel etiam sanctis Martyribus interemti, deinde [5] mitius vulneribus crudeliter interirent. Quæ C stultitia cum etiam Christiana religione pollente, propter antiquitatem sui non posset aboleri, contigit quemdam monachum de Oriente, orationis gratia Romam venire, & gladiatores sese cædentes inopinato incurrere. Quos cum miseratus ab alterutra cæde prohibere conaretur, a spectaculorum editoribus, lapidum ruina est consumtus. Pro cujus indigna morte religiosus Imperator zelo Dei compunctus ludos illos infaustos ulterius exhiberi prohibuit. Apud Alexandriam, S. Didymi Presbyteri.

6 E. *VIII. Id. Aprilis.*

ROmæ Sixti Papæ & Martyris. Qui rexit Ec- D clesiam annos decem, menses duos, diem unum, passus est temporibus Adriani Imperatoris. Hic constituit ut sacra mysteria non tractarentur nisi a sacris ministris. Et quicumque Episcopus evocatus ad sedem Apostolicam rediens ad parochiam, non susciperetur, nisi salutationis litteras, hoc est formatas, a sede Apostolica, plebi detulisset. Et hic instituit, ut intra actionem Missarum: *Sanctus, sanctus, sanctus*, decantaretur. In Syrmio sancti Irenæi Episcopi ejusdem loci. In Africa, sanctorum Epiphanii Episcopi, Donati, Sixti, Rufini, Modesti, & aliorum undecim.

In Nicomedia, Timothei & Theogenis. Pentapoli Libyæ superioris, passio sancti Theodori Epi- E scopi, & multorum Martyrum.

7 F. *VII. Id. April.*

DEpositio Egesippi viri sanctissimi. Qui vicinus Apostolicorum temporum, omnes a passione Domini, usque ad suam ætatem Ecclesiasticorum actuum texens historias, multaque ad utilitatem legentium pertinentia hinc inde congregans, quinque libros simplici sermone composuit. Ut quorum vitam sequebatur, dicendi quoque exprimeret charactere. In Alexandria, sancti Pelusii Presbyteri. In Nicomedia nativitas S. Cyriaci cum aliis decem. In Scotia, Finiani Confessoris.

1. Irenes. 2. Irenes. 3. Forte *descendentium*. 4. illudebat. 5. mutuis.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 900.

8 G. *VI. Id. April.*

ROmæ depositio Cælestini Papæ, qui rexit Ecclesiam per annos octo. Hic constituit ut Psalmi David centum quinquaginta antiphonatim canerentur ante sacrificium. Nam antea tantum Epistolæ recitabantur Apostolicæ, & S. Evangelium. Turonis sancti Perpetui Episcopi, admirandæ sanctitatis viri. Cujus opera templum super reverenda ossa beati Martini Episcopi perfectum est, ejusque sacrum corpus, de loco ubi primum fuerat tumulatum, ad locum ubi nunc condigne veneratur, Angelica demonstratione delatum. In Africa sanctorum Januarii, Macharii, Maximæ & Concessæ, & aliorum multorum.

9 A. *V. Id. April.*

NAtivitas beati Prochori Diaconi, unius de septem primis, præclarissimi fide & miraculis viri, apud Antiochiam martyrio consumati, ibique quiescentis. Apud Syrmium nativitas septem virginum, quæ in unum coronari meruerunt. Item nativitas quinque virginum. Alibi Demetrii Diaconi, Hilarii & Concessi.

10 B. *IV. Id. Aprilis.*

NAtivitas beati Ezechielis Prophetæ. Apud Romam beatorum Martyrum plurimorum, quos beatus Alexander Papa & Martyr baptizavit, cum teneretur in carcere, & ipsi essent relegati pariter cum illo. Hos omnes Aurelianus Princeps navi vetustæ impositos, in altum mare deduci, & illic ligatis ad colla lapidibus, mergi in profundum maris fecit. In Alexandria, Apollonii Presbyteri. In Antiochia, S. Theodori Presbyteri. In Thracia nativitas S. Gajani. In Africa, Martyrum sedecim, quorum nomina Deus scit.

11 C. *III. Id. Aprilis.*

APud Cretam urbe in Cortyna, nativitas beati Philippi Episcopi, qui vita & doctrina claruit, temporibus Antonini Veri, & Lucii Aurelii Commodi Imperatorum. In Mauritania, Salonis, Maximi & Concessi cum ceteris sanctis. In 1 Salonia Dalmatiæ, Domnionis Episcopi, & millium octo. In Africa, Fortunati, Donati, & aliorum ducentorum quadraginta. Romæ Leonis Papæ, qui quadragesimus septimus post beatum Petrum Apostolum, sedit in Episcopatu annos viginti & unum. Hic detexit hæreses duas, & missa legatione ad Martianum Principem Catholicum, congregata Synodo ducentorum quinquaginta & sex Episcoporum in Chalcedone in martyrio S. Eufemiæ exposuerunt juxta fidem Catholicam, duas naturas in uno Christo Domino, hoc est, humanam & divinam, & condemnaverunt Eutychem & Nestorium hæreticos.

12 D. *Pridie Id. Aprilis.*

PErgamo Asiæ nativitas sanctorum Polycarpi Episcopi, Paulli, Isaac, Agathonis. Romæ via Aurelia, milliario tertio in cœmiterio Calepodii, nativitas sancti Julii Papæ & Confessoris. Qui sub Constantio Ariano filio Constantini, decem mensibus, tribulationes & exsilia perpessus, post ejus A mortem cum magna gloria ad sedem suam reversus est. Hic constituit ut nullus Clericus caussam quamlibet ageret nisi in Ecclesia, & notitia fidei per Notarios colligeretur, & sive cautiones, vel instrumenta, aut donationes, vel commutationes aut traditiones, aut testamenta, aut allegationes, aut manumissiones Clericis in Ecclesia celebrarentur.

In civitate Verona, sancti Zenonis Martyris, de cujus miraculis sanctus Papa Gregorius refert, quod Athesis fluvius inundans, usque ad superiores Ecclesiæ fenestras, ubi corpus ejus jacebat humatum, excreverit, sed intra Ecclesiam, ubi fuerat congregata turba fidelium, intrare non potuerit.

B

13 E. *Idibus Aprilis.*

APud Pergamum Asiæ urbem, nativitas sanctorum Carpi Episcopi, & Papyrii Diaconi, & Agathonicæ optimæ feminæ, aliarumque multarum, quæ pro beatis Confessoribus martyrio coronatæ sunt. Cum quibus & vir mirabilis Justinus philosophus, qui in habitu quoque philosophorum incedens, pro religione Christiana plurimum laboravit. In tantum ut Antonino Pio & filiis ejus & Senatui librum contra gentes scriptum daret, ignominiamque crucis non erubesceret. Cumque jam secundum librum successoribus præfati Imperatoris, id est, Antonino Vero, & Aurelio Commodo, pro C religionis nostræ defensione porrexisset, remuneratione linguæ fidelis martyrii munus accepit. In Chalcedone sanctæ Euphemiæ, & Eucarpiæ post multa tormenta requiescentis. In Hispania nativitas beati Herminigildi, quem pater ejus Leovigildus Arianus rex Gothorum, ob fidei Catholicæ confessionem inexpugnabilem in carcerem & in vincula conjecit. Ubi nocte dominicæ resurrectionis jussu perfidi patris securi in capite percussus, regnum cæleste pro terreno, rex & Martyr intravit. Scribit beatus Papa Gregorius in dialogo suo.

14 F. *XVIII. Cal. Maii.*

D ROmæ via Appia in cœmiterio Prætextati, nativitas sanctorum Tiburtii, Valeriani & Maximi, sub Almachio urbis Præfecto. Quorum primi fustibus cæsi, & gladio sunt percussi; ultimus tamdiu plumbatis verberatus, donec spiritum redderet. Interamnis, sancti Proculi Martyris. Item sanctæ Domnæ virginis, cum sociis virginibus coronatæ.

Apud Alexandriam beati Frontonis Monachi Nitriensis. Qui septuaginta Monachos secum in eremum abduxit, ut sequestrati ab hominibus, divinæ contemplationi vacarent. Sed cum eis alimenta deessent, admonuit Dominus quemdam divitem patrem familias, ut servis suis fame la- E borantibus alimenta dirigere curaret. Qui cum locum habitationis eorum ignoraret, consilio amicorum prudentium edoctus, septuaginta camelos victualibus oneratos, absque ullo humano ducatu in eremum direxit, ut Deus omnipotens eos quo vellet sua providentia perduceret. At illi per devia & avia, recto itinere usque ad cellam sanctorum pervenerunt. Quibus discretissimus Fronto conspectis Deo gratias agens, & avaritiam cavens, dimidium omnium sibi & suis assumsit, dimidium vero camelis impositum, domino suo per ipsos remisit. Qui miraculo simul & beneficio stupefactus; omnibus annis pari modo sanctis Dei annonam subministravit. Qua recreati & aliorum

1. Salona.

etiam religiosorum adminiculo sustentati, in Dei A servitio perstitere devoti.

15 G. *XVII. Cal. Maii.*

IN Perside civitate Cordula, nativitas Olympiadis & Maximi nobilium. Qui jubente Decio Cæsare fustibus cæsi, deinde plumbatis, ad ultimum capita eorum securibus tunsa sunt, donec spiritum redderent.

In Tuscia nativitas sanctorum Martyrum, Maronis, Eutychetis & Victorini. Qui cum beata Flavia Domitilla apud insulam Pontianam longum ducentes exsilium, eamque in Christi confessione pio foventes solatio, invidia atque infestatione Aure- B liani sponsi & persecutoris ejus, quem illa ob Christum contemserat, postmodum a Principe Nerva, eidem Aureliano in servitutem traditi sunt. Quos ille primum quasi servos per sua prædia singulos divisit, jussitque eos terram fodere per diem, ad vesperum vero [1] cantabrum manducare. Deinde quamplurimos ad fidem Christi cum converterent, & populum credentium ampliarent, repletus ira a diabolo, misit qui vario genere pœnarum interficerent. Nam [2] Eutychen in media via tamdiu cædi jussit, donec spiritum exhalaret. Cujus corpus rapuit populus Christianorum. Victorinum vero apud locum quem Cotilias appellant, ubi aquæ putentes emanant sulphure, capite deorsum per horas tres C suspensum, jussit torqueri. Quod cum per triduum pro nomine Christi perpessus fuisset, migravit ad Dominum. Cumque una die jussu Aureliani corpus ejus inhumatum jacuisset, venerunt Amiternenses populi Christiani, & rapientes in suum territorium, transtulerunt. Maronem autem misso amico suo nomine Turgio, jussit idem Aurelianus duci, & saxo ingenti opprimi. Sed protegente Domino, in nullo eum lædere potuerunt. Quem Consularis accepto ab Aureliano præcepto interfecit. Corpus vero ejus populus Christianus rapuit, & condigno honore apud urbem Picenum in monte aureo sepelivit.

In Hispaniis civitate Cæsar-Augusta, nativitas D sanctorum octodecim Martyrum, Optati, Luperci, Successi, Martialis, Urbani, Juliæ, Quintiliani, Publii, Frontonis, Felicis, Ceciliani, Evotii, Primitivi, Apodemii, & reliquorum quatuor, qui omnes Saturnini vocati esse referuntur.

16 A. *XVI. Cal. Maii.*

IN Achaia civitate Corintho, nativitas sanctorum Callisti, Charisii, Leonidis, Christianæ, Gallæ, Theodori, qui omnes in mare sunt demersi. In Mauritania, sanctæ Basiliæ. Romæ Aniceti Papæ, qui sedit in episcopatu annis undecim, & temporibus Severi & Marci martyrio E coronatus, sepultus est in cœmiterio Callisti. Hic constituit, ut Clerus comam non nutriret, secundum præceptum Apostolicum.

17 B. *XV. Cal. Maii.*

IN Antiochia nativitas sanctorum Petri Diaconi, & Hermogenis, Petri, Fortunati & Martiani. In Africa sancti Mappalici, qui cum aliis plurimis est coronatus, ut de illis beatus Cyprianus in Epistola ad Martyres & Confessores, hoc modo scribit inter alia: *Illum nunc beatissimum Martyrem, & alios Principes ejusdem congregationis & Comites, in fide stabiles, in dolore patientes, in quæstione victores, ut ceteri quoque secte mini, & opto pariter & exhortor. Ut quos vinculum confessionis, & hospitium carceris simul junxit, jungat etiam consummatio virtutis & corona cælestis.*

18 C. *XIV. Cal. Maii.*

APud [3] Mesenam Apuliæ civitatem, nativitas sanctorum Martyrum Eleutherii Episcopi, & Anthiæ matris ejus. Qui in Aquileia Episcopus ordinatus, primum Felicem & [4] Correnum Comites convertit ad fidem Christi. Qui sub Adriano Imperatore Romam perductus, cum esset & sanctimonia vitæ, & miraculorum virtute illustris, in confessione Christi lectum ferreum ignitum, craticulam igni supposito, & sartaginem oleo pice ac resina ferventem superans, leonibus quoque projectus, sed eis mitigatis non læsus: novissime una cum matre gladio jugulatur.

Romæ Parthenii & [5] Calocerii. Item Romæ Apollonii Senatoris. Qui sub Commodo Principe a servo proditus quod Christianus esset, Imperatori ut rationem fidei suæ redderet, insigne volumen composuit. Quod in Senatu legit, & nihilominus sententia Senatus pro Christo capite truncatur. Veteri apud eos lege obtinente, absque negatione, non dimitti Christianos, qui semel ad eorum judicium protracti fuissent. In Salonica civitate, nativitas sancti Septimi Diaconi. In Africa Victoris cum sociis suis.

19 D. *XIII. Cal. Maii.*

APud Corinthum nativitas beati Timonis de illis septem primis Diaconibus.

In Armenia civitate [6] Militana nativitas sanctorum Hermogenis, Gaii, Expediti, Aristonici, Rufi, Galatæ uno die coronatorum.

Caucoliberi Hispaniæ, nativitas S. Vincentii Martyris.

20 E. *XII. Cal. Maii.*

ROmæ S. Victoris Episcopi, qui tertius decimus post beatum Petrum, rexit Ecclesiam annos decem, & sub Severo Principe martyrio coronatus est. Hic constituit ut sanctum Pascha die Dominico celebraretur, & a quinta decima Luna primi mensis, usque in vicesimam primam observaretur. Quod eatenus sexta die Cal. Aprilis absque ullius diei discretione, vel Lunæ observatione celebratum est. Et constituit ut necessitate cogente, sive in flumine, sive in mari, sive in fontibus sub Christiana confessione, quicumque homines ex gentilibus venientes baptizarentur.

Item Romæ sanctorum Martyrum Sulpitii & Serviliani. Qui prædicatione & miraculis beatæ Flaviæ Domitillæ ad fidem Christi conversi, quæ etiam sponsas eorum Theodoram & Euphrosynam, ad spem vitæ æternæ & perseverantiam sanctæ virginitatis lucrata fuerat, persecutione Trajani, cum nollent Idolis immolare, a Præfecto urbis Aniano capite cæsi sunt. Quorum corpora Christiani rapientes, posuerunt in prædio eorum, via Latina, milliario secundo.

Eodem die in Galliis civitate Ebredunensi, nativitas sancti Marcelli primi ejusdem urbis Episcopi, & Confessoris. Qui divino jussu cum sanctis [...]

1. ita Ms. 2. Eutychetem. 3. Messanam. 4. Corebum. 5. Caloceri. 6. Melitina

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 900.

ciis Vincentio & Domnino ex Africa veniens, maximam partem Alpium maritimarum, verbo & signis admirandis, quibus usque hodie refulget, ad fidem Christi convertit. Ita ut baptisterium quod ipse apud præfatam urbem condidit, in sacrosanctis Paschalis festi vigiliis, divina virtute singulis annis aquis subitis inundaretur, & per septem ejusdem solemnitatis dies, gratia exuberante permaneat. Venerabiles socii ejus apud Dimensium urbem conditi, gloriosis nihilominus miraculis commendantur.

21 F. *XI. Cal. Maii.*

IN Asia nativitas sancti Maximini Martyris, qui tempore Decii Imperatoris oblatus est Proconsuli, nomine Optimo. Qui cùm ab eo tormentis cogeretur ad sacrificandum Idolis, & nollet, in equuleo diu tortus, ad extremum lapidibus est oppressus. Apud Alexandriam, nativitas sanctorum Fortunati, Aratoris Presbyteri, Felicis, Silvii, Vitalis, qui in carcere quieverunt. Romæ sancti Soteris Papæ, qui sedit in Episcopatu annos novem, sepultusque est in cœmiterio beati Callisti. Hic constituit ut nulla Monacha pallam sacratam contingeret in Ecclesia, neque incensum poneret.

In Perside nativitas sancti Simeonis Episcopi Seleuciæ, & Ctesiphontis regalium civitatum. Qui persecutione [1] Saphoris regis Persarum, jubente eodem tyranno, comprehensus, ferroque onustus, cum iniquis tribulationibus ejus aspectibus exhibitus, de Domino Jesu Christo libera voce, & constantissima testaretur, primum carcerali ergastulo, cum aliis centum, e quibus alii Episcopi, alii erant Presbyteri, alii diversorum ordinum Clerici, longo tempore maceratus est. Deinde omnibus ante se trucidatis, ad extremum & ipse lictoris ictu percussus, martyrii palmam assecutus est. Erat autem sexta feria septimanæ majoris, in qua ante resurrectionis festivitatem, annua passionis Christi memoria celebratur. Passi sunt cum eo etiam Ustazadis nutricius Regis, & Major regiæ domus, & Abdella atque Ananias venerabiles senes, & Pusitius Princeps artificum regalium, eo quod videns præfatum senem Ananiam sub ictu gladii trementem, exclamaverit confidenter, dicens: *Paullulum o senex claude oculos, & securus esto: mox Christi videbis aspectum.* Filia quoque ejusdem Pusitii virgo sacra peremta est.

22 G. *X. Cal. Maii.*

ROmæ in via Appia in cœmiterio Callisti, nativitas sancti Gaii Papæ. Qui cum Ecclesiam undecim annos, menses quatuor, dies duodecim rexisset, martyrio coronatus est sub Diocletiano Imperatore. Frater autem ejus beatus Gabinius Presbyter, in multis clarissimus passionibus jam finierat triumphum victoriæ suæ, sub eodem impio Principe, undecimo Calendis Martii. Hic constituit ut per omnes primum gradus ascenderet, si quis Episcopus fieri mereretur, id est, ut esset Ostiarius, Lector, Exorcista, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, & libellum valde utilem de incarnatione Domini conscripsit. Item Agapiti Pontificis, qui sedit Romæ undecim menses. Et ingressus Constantinopolim ad Justinianum Imperatorem, Anthemium Episcopum Constantinopolitanum, qui duas naturas in Christo negabat, deposuit, & in ejus loco Menam Catholicum consecravit.

In Perside civitate Cordula, nativitas sanctorum Parmenii, [2] Helinæ, & Chrysoteli Presbyterorum, & Lucæ & Marci Diaconorum de Babylonia. Quorum primus præcisa etiam lingua loquebatur. Omnes in equuleo suspensi, & nexibus attracti sunt. Deinde laminis ardentibus circa latera appositis ustulati, & unguibus lacerati, ad ultimum gladio trucidati sunt præsente persecutore Decio. Scriptum hoc est in passione sancti Laurentii. Item in Perside sanctorum Martyrum plurimorum, qui jubente [3] Saphore Persarum rege, annuo die cum passionis Dominicæ memoria celebratur, per totam Persidis regionem tenti, ac pro Christi nomine gladio sunt jugulati. In quo fidei certamine, passus est etiam [4] Milesius Episcopus, sanctitate & miraculorum gloria insignis. Acepsimas quoque Episcopus cum Presbytero suo Jacobo, & Mareas & Bicor nihilominus Episcopi cum Clericis fere ducentis, & quinquaginta monachis, etiam sacratis virginibus plurimis. Inter quas etiam & sororem sancti Episcopi & Martyris Simeonis, nomine [5] Tarbuam, cum pedissequa sua stipitibus alligantes, serraque findentes crudelissime necaverunt.

Lugduno Galliæ sancti Epipodii, qui persecutione Antonini Veri, post gloriosos quadraginta octo Martyrum agones, qui in eadem urbe passi sunt, cum Alexandro carissimo collega tentus, ipso interim in carcerem truso, primo os duris pugnorum ictibus cæsus, deinde equulei extensione vexatus, postremo martyrium capitis abscissione complevit.

23 A. *IX. Cal. Maii.*

[6] IN Perside civitate Diospoli, passio sancti Georgii Martyris, qui sub Datiano rege potentissimo, qui dominabatur super septuaginta reges, multis miraculis claruit, plurimosque ad fidem Christi convertit. Simul & Alexandram ipsius Datiani uxorem usque ad martyrium confortavit. Ipse vero post multos & inauditos agones novissime decollatus, martyrium suum sanguinis effusione consumavit. Cujus gesta passionis, etsi inter apocryphas connumerantur scripturas, tamen illustrissimum ejus martyrium inter coronas Martyrum Ecclesia Dei venerabiliter honorat.

Romæ sancti Naboris. In Alexandria, Coronæ Martyris. In Gallia civitate Valentia, Felicis Presbyteri, Fortunati & Achillei Diaconorum. Qui a beato Irenæo Lugdunensi Episcopo & Martyre ad prædicandum verbum Dei missi, cum maximam partem supradictæ urbis ad fidem Christi convertissent, a Duce Cornelio in carcerem trusi, deinde durissima nervorum flagellatione diutissime verberati sunt. Post etiam revinctis post terga manibus, renibus, cruribusque confractis, circa rotarum vertiginem astricti, fumi quoque amaritudine suppositа die ac nocte continuata, equulei extensione suspensi, ad extremum gladio peremti sunt. In Fontanella monasterio, sancti Wolframi Episcopi, præclari in miraculis & doctrina viri.

24 B. *VIII. Cal. Maii.*

IN Babylone metropoli Chaldæorum, Ananias, Azarias, Misael, qui ab ipsis nominibus immutatis Sydrach, Mysach, & Abdenago nuncupati sunt, de camino ignis ardentis sunt liberati. In Alexandria Victoris, Zotici, cum aliis plurimis.

In Africa Faustini, Victorini & aliorum plurimorum Martyrum. Apud Lugdunum clavatum,

1. Saporis. 2. Helimenæ. 3. Sapore. 4. Milles. 5. Tarbullam. 6. Vide Rabani Martyrologium.



nativitas S. Alexandri medici, civis Pergamensis, qui tertio post passionem Epipodii die productus e carcere, primo ita laniatus est crudelitate verberantium, ut carne soluta costarum, patefactis visceribus secreta omnino panderentur. Dein crucis affixus patibulo beatum spiritum exanimatus emisit. Passi sunt cum eo alii numero triginta quatuor.

In Britannia depositio Melliti Episcopi, qui tertius post Augustinum primum Anglorum Episcopum Dorvernensem rexit Ecclesiam.

25 C. VII. Cal. Maii.

Apud Alexandriam nativitas S. Marci Evangelistæ. Qui discipulus & interpres Apostoli Petri, rogatus Romæ a fratribus scripsit Evangelium. Quo assumto perrexit in Ægyptum, & primus Alexandriæ Christum annunciavit. Meminit & hujus Marci Petrus in prima Epistola sub nomine Babylonis figurate Romam significans. *Salutat vos quæ est in Babylone Ecclesia, & Marcus filius* [1] *maximus*. Qui constitutis & confirmatis Ecclesiis per Libyam, Marmaricam, Hammoniacam, Pentapolim, Alexandriam, atque Ægyptum universam, ad ultimum tentus est a paganis, qui remanserant Alexandriæ. Qui videntes eum die sancto VIII. Cal. Maii missas facientem, miserunt funem in collo ejus & trahebant eum ad loca Bucoliæ, quæ erant juxta mare sub rupibus ubi erat Ecclesia constructa. Et inter trahendum insultantes dicebant: *Trahamus bubulum ad loca buculi*. Hoc autem ideo, quia statura procerus erat. Et præ nimio cruciatu, defluebant carnes ejus in terram, ac saxa inficiebantur sanguine. Vespere autem facto, miserunt eum in carcerem, ubi circa mediam noctem, primo angelica visitatione confortatus, deinde ipso Domino sibi apparente ad cælestia regna vocatus est. At mane dum traheretur ad loca Bucoliæ, gratias agens & dicens: *Domine in manus tuas commendo spiritum meum*, defunctus est, & a viris religiosis sepultus in loco lapidis excisi cum gloria. Ordinaverat autem pro se Alexandriæ Episcopum Anianum. Alios quoque longe lateque Episcopos & Presbyteros & Diaconos Ecclesiis dederat. Passus est autem octavo Neronis anno.

In Syracusa civitate Siciliæ nativitas sanctorum Evodii, Hermogenis & Callistæ. In Perside S. Georgii Martyris, juxta Calendarium sagacissimi Hieronymi. Cujus passio apud Romanos & pene alios omnes IX. Calendarum Majarum, ut superius notatum est, celebris habetur. Quod idcirco significandum putavi, ut Patriarcha noster Hatto Magontiacensis, qui hoc anno item ab incarnatione Domini, [a] caput ejus, & aliud quoddam membrum cum plurimis & maximis sanctorum reliquiis in Alemanniam ad novum monasterium suum a Formoso Apostolico impetratis asportavit. In ejus solemnitate, S. Georgii videlicet, indicenda, caute se agat, quia & plures in hac die ipsius natalitia celebrare consueverunt. Et festivitas S. Marci Evangelistæ a supradicto Hieronymo sancto, priori die, id est, octavo Calendarum Majarum, auctoritate Eusebii Cæsariensis designata est.

Roma Letania major: cujus caussæ, quia nos utpote barbari, & in extremo mundi climate positi, sumus ignari, vel ejus, quæ ante ascensionem Domini religionis gratia videtur instituta, ut si quid culpæ sordidantis in diebus indulgentiæ contractum videatur, vel hoc triduano jejunio diluatur, hic rationem secundum traditionem majorum commodum duximus aperire. Sanctus Avitus Viennensis Episcopus refert in quadam homilia quam de rogationibus scripsit, has ipsas rogationes quas ante ascensionis Dominicæ triumphum celebramus, a Mamerto ipsius Viennensis urbis Episcopo, cui & hic eo tempore præerat, institutas fuisse, dum urbs illa multis terreretur prodigiis. Nam terræmotu frequenti quatiebatur, sed cervorum atque luporum feritas portas ingressa, per totam, ut scripsit, urbem nihil metuens oberrabat. Cumque hæc per anni circulum gererentur, advenientibus Paschatis solemnitatibus, exspectabat misericordiam Dei plebs tota devote, ut vel hi magnæ solemnitatis dies, huic terrori terminum darent. Sed in ipsa gloriosæ noctis vigilia, dum Missarum celebrarentur solemnia subito palatium regale intra muraneum divino igne succenditur. Pavore omnibus perterritis, & Ecclesiam egressis, credentibus, ne aut hoc incendio urbs tota consumeretur, aut certe disrupta tellure dehisceret: sanctus Sacerdos prostratus ante altare cum gemitu & lacrymis Domini misericordiam deprecatur. Quid plura? Penetravit excelsa poli oratio Pontificis inclyti, restinxitque domus incendium, flumine profluentium lacrymarum. Cumque hæc agerentur, appropinquante ascensione, ut jam diximus, majestatis dominicæ, indixit populis jejunium, instituit orandi modum, edendi seriem, erogandi hilarem dispensationem. Cessantibus inde quoque terroribus, per cunctas provincias dispersa facti fama cunctos sacerdotes imitari commonuit, quod sacerdos fecit ex fide. Quæ Letania usque nunc in Dei nomine per omnes Ecclesias in compunctione cordis, & contritione spiritus celebratur.

26 D. VI. Cal. Maii.

Romæ nativitas S. Anacleti Papæ, qui duobus post beatum Petrum cum Ecclesiam rexisset annis, XII. persecutione Domitiani, martyrio coronatus est. Hic memoriam beati Petri construxit, & composuit loca ubi Episcopi reconderentur. Hic Presbyter a beato Petro est ordinatus. Hic ad sacrificandum idolis ductus, sacrificavit: deinde pœnitentia ductus, pro confessione veræ fidei, capite truncatus est. Ipso die nativitas S. Marcellini Papæ, qui cum Ecclesiam novem annos, & menses IV. rexisset, temporibus Diocletiani & Maximiani, ab eodem Diocletiano pro fide Christi cum Claudio & Cyrino & Antonio capite truncatus est, & post dies XXXV. sepultus via Salaria, in cubiculo, a Marcello Presbytero & Diaconibus cum hymnis. Quo tempore fuit magna persecutio, ita ut intra mensem decem & septem millia martyrio coronarentur. In Gallia Richarii Episcopi & Confessoris.

27 E. V. Cal. Maii.

Romæ nativitas S. Anastasii Papæ, qui post B. Petrum quadragesimus primus, sedit in Episcopatu annos tres, dies decem. Hic Manichæos in urbe Roma inveniens damnavit, & constitutum fecit, ut nullus transmarinus in Clericatum susciperetur, nisi quinque Episcoporum designaret chirographum. In Nicomedia, S. Anthimi Episcopi & Martyris. Qui persecutione Diocletiani ob confessionem Christi, martyrii gloriam capitis obtruncatione accepit. Quem tamquam bonum Pastorem viam martyrii præeuntem, universa pene gregis multitudo secuta est. Quorum alios præfatus tyrannus apud eamdem civitatem tunc

1. meus.

a. Hic videtur numerus anni excidisse.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 900.

temporis residens, gladio obtruncari, alios ignibus conflagare, alios naviculis impositos, pelago fecit immergi; ipsis fidelium turbis tanta per Dei gratiam fide inflammatis, ut nec interrogari se paterentur, sed ultro vel flammis irruerent, vel cædentibus gladiis cervices objectarent. Scriptum in historia Ecclesiastica libro septimo. In Tharso Ciliciæ nativitas S. Castoris. In Lydia Genesii, Sodalis, Zotici, Elpidii & Eutychii.

28 F. *IV. Cal. Maii.*

Apud Ravennam nativitas S. Vitalis Martyris, [1] cum SS. Gervasii & Protasii. Qui militaris cum Paullino judice Ravennam ingressus est, & cum videret in conspectu judicis sui Christianum nomine Ursicinum, arte medicum, natione Ligurium, post nimia tormenta capitalem accepisse sententiam: locus autem ubi decollabantur Christiani, hoc habebat vocabulum, ut diceretur, ad Palmam, eo quod arbores antiquæ palmæ illic essent. Ille igitur, ut diximus, post nimia tormenta decollandus cum veniret ad palmam, expavit, & dum mallet male evadere, exclamavit voce magna Vitalis dicens: *Noli, noli Ursicine medice, qui alios curare consuevisti, te ipsum æternæ mortis jaculo vulnerare, & qui per passiones nimias venisti ad palmam, coronam perdere a Domino tibi præparatam.* Audiens hæc Ursicinus genu posuit, & spiculatorem ut feriret, hortabatur, agens pœnitentiam quod expavisset, & sic Christi Martyrem se fecit. Statimque B. Vitalis corpus ejus rapiens, & intra Ravennatium urbem sepeliens, ad judicem ultro venire contempsit. Ideoque a Paullino consulari tentus, post equulei tormenta jussus est perduci ad Palmam, & facta fovea profunda, quousque perveniretur ad aquam, ibi supinus depositus, & terra ac lapidibus est oppressus. Beata vero Valeria uxor ejus, cum post mortem viri Mediolanum tenderet, Sylvano sacrificantes incurrit. Qui cum eam deponentes de saumario hortarentur de idolothytis manducare, nec sibi omnino licitum esse testaretur, quia esset Christiana, tanta ab eis cæde mactata est, ut vix seminecem eam sui homines ad Mediolanensem urbem perducerent, ita ut intra biduum migraret ad Dominum.

Alexandriæ S. Theodoræ virginis. Quæ sacrificare contemnens, in lupanar tradita, miro Dei favore erepta est. Astante quippe jam ad ostium cellæ multitudine juvenum impudicorum, repente quidam e fratribus Didymus nomine, plenus fide, divinitus inspiratus, sumto militari habitu, primus lupanar irrupit, & S. virgini cur venisset exponens, illi militares imposuit exuvias, ipse virginali veste induitur. Sic virgo egressa & a nullo agnita, ad civitatem fugiens, evasit. Didymus Præsidi exhibitus, & omne factum constanter exponens, Christianum se esse confessus, abscisso capite igni traditus est. Beata quoque virgo quæ pro tuenda virginitate ex lupanari fugerat, amore coronæ continuo ad stadium regressa, simul cum Didymo percussa, & simul est coronata.

In Pannonia Eusebii Episcopi, Tiballi, & Pollionis. In Africa provincia Numidia, sanctorum Manilii, Donati, Maurilii, Luciani, Victorini, Narciæ virginis, & aliorum septuaginta duorum. Item Luciani cum aliis ducentis & septuaginta. In Tarso Ciliciæ, Malinæ cum aliis centum septuaginta, & aliorum multorum.

29 G. *III. Cal. Maii.*

In Papho insula, nativitas sancti Tychici Apostolorum discipuli. Apud Alexandriam nativitas sanctorum Germani Presbyteri, Prosdoci Diaconi. In Perusio Tusciæ, Valentini & Martiani. In Bononia, Vitalis & Agricolæ. In Numidia apud Cirtensem coloniam, sanctorum Martyrum Agapii & Secundini Episcoporum. Qui persecutione Valeriani post longum exsilium apud præfatam urbem, in qua tunc maxime gentilium cæco furore, & officiis militaribus ad tentandum justorum fidem, rabies diaboli infestantis inhiabat, ex illustri Sacerdotio effecti sunt Martyres gloriosi. Passi sunt in eorum collegio Æmilianus miles, Tertulla, & Antonia sacræ virgines, & quædam mulier cum suis geminis.

30 A. *II. Cal. Maii.*

In civitate Sanctonis, nativitas S. Eutropii Martyris. Qui a beato Clemente Apostolorum successore ad Episcopatum consecratus & in Gallias prædicandi gratia directus, impleto hujus officii munere insurgentibus paganis, quos auctor invidiæ credere non permisit: ictu securis colliso capite victor occubuit. In Alexandria nativitas sancti Aphrodisii Presbyteri, & aliorum triginta. Romæ, depositio Quirini Episcopi. Passio sanctorum Mariani & Jacobi, quorum prior Lector, sequens Diaconus erat. Et cum jam pridem infestationes Decianæ persecutionis in confessione Christi evicisset, iterum cum carissimo collega tentus, apud Cirtensem coloniam post dira & exquisita supplicia, ita ut Marianus per summos apices pollicum suspensus, & gravi pondere pedibus innexus, crudelissime torqueretur, tum ceteri in carcere macerati sunt; sed divinis revelationibus mirabiliter confortati. Deinde Lambelisitanam urbem ad præsidem directi, & rursum longo tempore carcerali ergastulo mancipati, sed iterum divinis revelationibus allevati: novissime cum multis aliis gladio consumati sunt.

Mensis Maii habet dies xxxi. Lun. vero xxx.

1 B. *Cal. Maii.*

Pausatio Jeremiæ Prophetæ. Initium prædicationis Domini nostri Jesu Christi. Natale Apostolorum Philippi & Jacobi. Ex quibus Philippus cum totam pene Scythiam ad fidem Christi convertisset, Diaconibus, Presbyteris & Episcopis ibi constitutis, reversus est ad Asiam. Ubi continuæ prædicationi per aliquot annos insistens, multitudinem populorum Christo laboribus piis semper inserviens lucratus est. Quique apud Hierapolim Asiæ civitatem, [2] dormivit cum patribus suis, exstincta hæresi Ebionitarum, qui Christum Jesum ante incarnationis tempus fuisse negabant, & sepultus est in pace. Jacobus vero qui & frater Domini dicitur, qui pro eo quod filius materteræ ejus Mariæ perhibetur, cognomento Justus, post passionem Domini statim ab Apostolis Hierosolymorum Episco-

1. patris. 2. Confunditur heic Philippus Apostolus cum Philippo Diacono, Vide Baronium.

pus est ordinatus. Hic de utero matris sanctus fuit. A Vinum & siceram non bibit, carnem nullam comedit, numquam attonsus est, nec unctus unguento, nec usus balneo. Huic soli licitum erat ingredi sancta sanctorum. Siquidem vestibus laneis non utebatur, sed lineis. Sed cum publice in concilio compelleretur, ut Dominum Jesum Christum & filium Dei esse denegaret, & ille voce maxima protestaretur ad populum dicens: *Quid me interrogatis de filio hominis? Ecce ipse sedet a dextris virtutis, & venturus est in nubibus cæli*; præcipitatus de pinna templi, confractis cruribus, adhuc semianimis, tollens ad cælum manus diceret: *Domine ignosce eis, quod enim faciunt nesciunt*; fullonis fuste in cerebro percussus, occubuit. Hic est de quo & B Apostolus Paullus scribit ad Galatas: *Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini*. Et Apostolorum super hoc acta crebrius testantur. Evangelium quoque, quod appellatur secundum Hebræos, & a beato Hieronymo in Græcum sermonem Latinumque translatum est, post resurrectionem Salvatoris de eo refert: *Dominus autem venit ad Jacobum Justum, & apparuit ei. Juraverat autem Jacobus se non comesturum panem ab illa hora, qua Calicem Domini biberat, donec videret eum resurgentem a mortuis*. Rursumque post paullulum: *Afferte, ait Dominus, mensam & panem*. Statimque additur: *Tulit panem & benedixit & fregit, & dedit Jacobo Justo, dixitque ei: frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit filius hominis a dormientibus*. Inde est, ut quidam existimant quod in Epistola Paulli ad Corinthios specialiter ei dicitur apparuisse, sicut scriptum est: *Deinde visus est a Jacobo*. Triginta itaque annis Hierosolymitanorum rexit Ecclesiam, id est, usque ad septimum Neronis annum, & juxta templum ubi præcipitatus fuerat, sepultus. Scripsit autem unam tantum Epistolam, quæ de septem Canonicis est.

In Gallia territorio Vivariensi, S. Andeoli Subdiaconi. Quem misit ab Oriente sanctus Polycarpus Smyrnensis Episcopus discipulus beati Joannis Apostoli, cum beato Benigno & Andochio Presbyteris, & Thyrso Diacono, ad prædicandum verbum Dei in Gallia. Cujus prædicatione Cæsar Severus comperta, spinosis fustibus crudelissime flagellatum in carcerem tradi præcepit. Et alia die productum cum videret superari non posse, jussit ad similitudinem gladii de ligno durissimo ensem fieri, & in crucis modum ejus caput findi. Quod cum factum fuisset, eliso in terram cerebro, gloriosa morte translatus est ad vitam æternam. Item Jerosolymis passio sancti Judæ sive Quiriaci Episcopi, cui revelatum est lignum Dominicæ crucis, & Annæ matris ejus, omnimodis passionibus cruciatæ.

Item in Galliis territorio Sidunensi loco Agauno, passio * Sigmundi regis, filii Gundewaldi regis Burgundionum. Qui cum se cerneret Francis resistere non posse, solus fugiens coma deposita habitum religionis suscepit, & jejuniis, vigiliis, atque orationibus die noctuque vacans, captus a Francis cum uxore ac filiis in puteum demersus occubuit. Postea vero cuidam Abbati revelatus, & ab eo reverenter sepultus, etiamnum miraculis claret. Adeo ut frigoretici ab eo quasi specialem expetere soliti sint medicinam, & fideliter expetentes nequaquam priventur eadem.

2 C. *VI. Non. Maii.*

Nativitas S. Patris nostri Athanasii Alexandrinæ urbis Episcopi & Confessoris, qui multa Arianorum perpessus insidiis, & maxime Constantii Imperatoris, adeo ut sex continuis annis in lacu cisternæ non habentis aquam, numquam solem conspiciens latitaverit, totis regni viribus in ejus necem conspirantibus. Sed & ibi a quadam ancilla patris familias, qui ei latebram præbere curaret, proditus, sed divina se gratia protegente servatus, & in sedem suam Constante Galliarum principe, apud fratrem Constantium impetrante, restitutus. Rursumque post mortem illius ob constantiam Catholicæ fidei fugatus, usque ad imperium Joviani latuit. A quo honorificis & officiosissimis litteris requisitus, Ecclesiarum disponendarum statutus in sede sua potestatem accepit. Anno autem sacerdotii sui quadragesimo & ultra, post multos agones, multasque patientiæ coronas, quievit in pace, temporibus Valentiniani & Valentis Imperatorum. Vitam sancti Antonii Anachoretæ futuris generationibus profuturam, eleganti sermone, & plurima sapientia refertam, scriptam relinquens.

Item Alexandriæ, Saturnini & Neopolis. Qui in carcere requierunt. Antisiodoro, Optati Episcopi & Sanctiani Presbyteri.

C

3 D. *V. Non. Maii.*

Hierosolymis inventio sanctæ crucis Domini nostri Jesu Christi ab Helena regina, post passionem Domini anno ducentesimo trigesimo tertio, regnante Constantino Imperatore filio ejusdem Helenæ. Quam post tam diuturna tempora divina revelatione repertam, & resuscitatione mortui comprobatam, ac per medium divisam, ita cuncto orbi curavit exhibere salubrem, ut pars Hierosolymis in loco Dominicæ passionis relicta, Orientalibus & Austrinis non fieret elongata, & pars Constantinopolim ad filium deportata, Septemtrionalibus & Occidentalibus esse videretur ad invisendum D aliquantulum propinquata. Quæ Dominica crux in materia insensata, vim sensatam, & procul dubio vivam retinens, ita ut ex illo tempore innumeris pene quotidie hominum votis, lignum suum accommodet ut detrimenta non sentiat, & quasi intacta permaneat, jugiter dividua sumentibus, & semper tota venerantibus. Sed istam imputribilem virtutem & indetribilem soliditatem, de illius profecto sanguine creditur accepisse, qui passus mortem non vidit corruptionem, immo cunctis in se credentibus immortalitatem providit & incorruptionem.

Eodem die Romæ via Nomentana milliario septimo, nativitas S. Alexandri Papæ. Qui Romanæ E Ecclesiæ Episcopatum, quintus post beatum Petrum, annos decem, menses duos, dies decem, sanctitate incomparabili rexit, & fide clarissimus maximam partem Senatorum urbis convertit ad Dominum. Hic constituit aquam sparsionis cum sale benedici in habitaculis fidelium, & passionem Domini miscuit in prædicatione Sacerdotum, cum Missæ celebrantur. Qui jubente Trajano Cæsare ab Aureliano comite utriusque militiæ, carceri mancipatus, & inde per cælestem nuntium, ad domum Quirini tribuni, ubi beatus Hermes præfectus in custodia tenebatur, perductus, postquam filiam ipsius Quirini, nomine Balbinam, in nomine Domini nostri Jesu Christi a struma colli sanavit, & nu-

* *r.* Sigismundi.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 900.



tricem ejus illuminavit, ipsumque Quirinum in fide Christi confortavit, & eos quos carcer incluserat baptizatos, inde liberavit: inter quos etiam duos sanctissimos Presbyteros Eventium & Theodulum, idem Quirinus adhuc gentilis constrictos habuit. Post hæc omnia & multa alia apostolice facta, exhibitus est ipsi Aureliano, cum duobus supradictis Presbyteris, & in equuleum levatus, tortus ungulis, atque lampadibus gravissime est attrectatus. Cumque nullas voces emitteret, dixit ei Aurelianus: *Quare taces?* Sanctus Alexander respondit: *Quia tempore orationis Christianus homo cum Deo loquitur*. Tunc eo deposito, jussit applicari Eventium & Theodulum, & interrogavit eum: *Qui sunt isti?* Sanctus Alexander dixit: *Ambo viri Sancti, ambo Presbyteri*. Quos etiam ipso cum in confessione Christi constantissimos inveniret, jussit furnum acriter incendi, & beatos Alexandrum & Eventium ligatos in medio præcipitari. Ad quos invictus Theodulus sponte prosiluit in flammas, cumque non læderentur ab igne, fecit Aurelianus beatissimum Alexandrum punctis creberrimis per cuncta pungi membra, donec deficeret. Sanctos autem duos Presbyteros gladio consumari. Quorum corpora Severina religiosa femina colligens, beatum Alexandrum atque Eventium in uno sepulcro, sanctum vero Theodulum in altero diligenti accuratione commendavit.

Ipso die nativitas sancti Juvenalis Episcopi. In Asia sancti Hermogenis de antiquis. Antisiodoro, depositio sanctorum Eusebii Presbyteri, & Aviti Diaconi. Eodem die Heraclii Martyris.

4 E. *IV. Non. Maii.*

IN Palæstina civitate Gaza nativitas sancti Sylvani ejusdem urbis Episcopi. Qui persecutione Diocletiani cum plurimis clericorum suorum Martyrio coronatus est. Item in Metallo [1] Fanensi sanctorum quadraginta Martyrum, qui simul capite cæsi sunt. Hierosolymis Quiriaci Episcopi, cognomento Judæ, qui posteaquam Dominicam crucem reperit, & in fide Christi profecit, a beato Eusebio Romanæ urbis Episcopo, Hierosolymorum est antistes ordinatus. Cujus fama Julianus apostata cognita, cum ad bellum Persicum, ubi & divinitus est interemtus, tenderet, jussit eum ad se perduci. Quem cum nullis terroribus aut promissionibus a confessione Christi posset immutare, jussit dextram ejus abscindi manum, dicens: *In hac manu multas scribens epistolas, multos separavit a sacrificiis deorum*. Sed videns eum immobilem, & fixum in Christo perseverare, jussit plumbum bulliens in os ejus infundi, ut & interiora viscera ejus conflarentur. Cumque ne sic quidem ejus constantiam emollire valuisset, jussit grabatum æreum afferri, & in eo sanctum virum extendi, & substerni carbones ignis, & spargi super eum sal & adipem, & desuper virgis cædi. Matrem autem ejus hæc omnia perseveranter aspectantem, & non solum impavidam, sed etiam constantissimam permanentem, ac filium materno affectu confortantem, jussit impiissimus tyrannus per capillos suspensam, pene tribus horis ungulari, & lampades magnas, flamma ardentes, lateribus ejus applicari. Quæ in gratiarum actione, inter tam immanes cruciatus perseverans, immaculatum Deo reddidit Spiritum. Tunc præcepit Julianus nequissimus fossam fieri altam, & vocavit plurimos incantatores serpentium, & jussit eos nequissimos serpentes afferre, & mitti in fossam, & sanctum Quiriacum projici in medio eorum. Cumque serpentes divino nutu mortificati fuissent, & Ammon serpentarius ad tantum miraculum credidisset, capite plexus est. Tunc Julianus consueto sibi more beatum Quiriacum compellans, ut crucifixum negaret, & ab eo digna invectione coercitus, jussit cacabum magnum impletum oleo calefieri, & in eum sanctum Quiriacum mitti. Sed cum nimium ferbuisset cacabus, ita ut astantes calorem sustinere non possent, dicit sanctus: *Longe recedite filioli, ut nemo confletur ex vobis*, & faciens in fronte sua signum crucis, ingressus est in cacabum quasi ad lavacrum. Cumque nec sic nocitus fuisset, jussit eum tyrannus de macroconto in pectus percuti. Qui percussus in voce confessionis emisit spiritum, & cum triumpho martyrii pervenit ad Christum. Dies passionis ejus secundum alios hic, secundum martyrologium vero sancti Hieronymi Calendis Maii celebris habetur.

Item die suprascripto Nicomediæ, sanctæ Antoninæ. Quæ nimium torta, & variis cruciatibus afflicta, brachio tribus diebus suspensa, & in carcere biennio detrusa, a Priscilliano præside ad ultimum flammis exusta est. Eodem die in [2] Nicorio ripensi, loco Lauriaco nativitas sancti Floriani. Qui tempore Diocletiani & Maximiani Imperatorum sæviente iniquissimo præside Aquilino, jussus est ad collum saxo ligato post nimias cædes & lacerationes in flumen Anisum præcipitari. Cumque lictores divino metu pavefacti, impium facinus exhorruissent, quidam juvenis audacior & infelicior ceteris, præcipitavit eum de ponte in fluvium, & statim oculi ejus crepuerunt. Unda vero famulatrix corpus S. Martyris in quodam secretiori loco saxo eminentiori deposuit, ubi ei tamdiu aquila exhibuit custodiam, donec ipse cuidam religiosæ feminæ eumdem demonstravit, & ei de transferendo corpore suo mandavit.

5 F. *III. Non. Maii.*


A Bethania in monte Oliveti juxta Jerosolymam sita, ascensio Domini nostri Jesu Christi in cælum. Ubi cum Ecclesia regio cultu constructa visatur & tecta, proprie locus ille, in quo novissime stetit, & unde ad cælos corpus incorruptivum libravit, ita sacratus divinæ majestatis impressione creditur, & ab incredulis etiam cernitur, ut numquam desuper tectum sustinere, aut deorsum marmor, aut aliud pavimentum recipere patiatur, sed in media basilica, Dei & hominis ultima vestigia arenæ cernantur omni tempore impressa, ut locum ipsum adeuntes non immerito possint in hanc propheticæ laudationis vocem erumpere: *Adoravimus in loco, ubi steterunt pedes ejus*.

Apud Alexandriam nativitas sancti Euthymii Diaconi, in carcere quiescentis. Thessalonicæ Irenæi & Peregrini atque Irenes igni combustorum.

In Gallia, quæ dicitur Provincia, civitate Arelatensi, sancti Hilarii Episcopi, magni, docti & præclarissimi viri. Qui paupertatis amator, & erga inopum provisionem, non solum mentis pietate, sed & corporis sui labore solicitus erat. Nam pro reficiendis pauperibus etiam rusticationem contra vires suas & usum, homo genere clarus, & longe aliter educatus exercuit, sed nec in spiritualibus neglexit: nam & in docendo gratiam habuit, & absque personarum acceptione omnibus castigationem ingessit. Pelagianam quoque hæresim in Collatore maxime deprehendit, & corrigere sate-

1. Phonnensi.

2. Norico.



git. Inter sua vero opera ad multorum utilitatem necessario opere vitam sancti Honorati decessoris sui ingenio immortali composuit. Moritur Valentiniano & Martiano Imperatoribus. Viennæ Nectarii & Nicetii Episcoporum. Antisiodoro passio sancti Joviani Confessoris.

6 G. II. Non. Maii.

Romæ ante portam Latinam, passio sancti Joannis Apostoli. Qui ab Epheso ubi manere consueverat, jussu Domitiani fratris Titi, secunda in Christianos persecutione, quam ipse post Neronem exercuit, ad urbem Romam perductus, præsente Senatu ante portam Latinam in ferventis olei dolium missus est. Agente hoc impio Principe, qui Christianorum infestissimus persecutor erat, ut tam valido capite detruncato, infirmiora cederent Ecclesiæ membra. Sed beatus Apostolus tam illæsus a pœna immanissima exiit, quam a corruptione carnis permansit immunis. Tunc in Pathmum insulam relegatus exsilio, Apocalypsin vidit & scripsit. Ad commendandam ergo ipsius dignam memoriam, & Apostolicam in fide & confessione Domini nostri Jesu Christi constantiam, Christiani basilicam ipsius nomine ac memoria gloriosam, ut supra dicto loco ante portam Latinam præclaro opere condiderunt. Ubi festivum concursum pridie nonas Majas annuatim usque hodie facere non desistunt. Quod & in plurimis Ecclesiæ Catholicæ locis religiose solet actitari. Post mortem vero Domitiani, omnibus ejus constitutis Senatus judicio cassatis, inter alios diversis ex caussis ab eo damnatos, & in exsilia detrusos, etiam beatus Apostolus Joannes indulgentia Nervæ [1] Imperatricis dimissus, & ad Ephesum redire permissus. Ecclesiam ad tempus absentia sua destitutam & contristatam, adventu suo lætificavit, & exemplis instructam dictis & scriptis in perpetuum confortavit. Porro propter nimiam crudelitatem, & impiissimi persecutoris ejus Domitiani facinora, in eo ut Historiographi referunt, & domus & nomen Cæsarum defecit. Ut vero etiam postea reges Romanorum Cæsares appellarentur, antiqua consuetudo & maxime apud Barbaras nationes obtinuit.

Eodem die nativitas beati Evodii Antiochenæ Ecclesiæ Episcopi, qui primus ab Apostolis ibi est ordinatus Episcopus. De quo ipse Paullus Philippensibus scribens ait: *Evodium rogo, & Syntychen deprecor, idipsum sapere in Domino Jesu Christo.*

Item nativitas beati Lucii Cyrenensis, qui apud Cyrenen primus Episcopus a sanctis Apostolis est constitutus. Quem etiam in actibus Apostolorum sanctus Lucas Evangelista in Catalogo virorum commemorat perfectissimorum. Item Mariani & Jacobi juxta quosdam, & aliorum plurimorum. Antisiodoro, depositio S. Valerii Episcopi.

7 A. Nonis Maii.

Nativitas sancti Juvenalis Martyris, & beatissimæ atque illustrissimæ Dei famulæ, Flaviæ Domitillæ. Quæ cum esset Flavii Clementis Consulis ex sorore neptis, & a sancto Clemente sacro velamine ad integritatis perseverantiam consignata, persecutione Domitiani, anno principatus ejus decimo quinto, ob testimonium quod Christo perhibebat, cum aliis plurimis, in insulam Pontianam exsilio deportata, longum inibi martyrium duxit. A Novissime cum ab Aureliano sponso suo, quem pro Christo contemserat, & cujus accusatione exsilio fuerat relegata, translata esset ad Terracinam urbem Campaniæ, & doctrina ac miraculis primo Euphrosynam & Theodoram collactaneas & convirgines suas, deinde etiam alios ad fidem Domini convertisset: inter quæ magnalia prædictus Aurelianus infestissimus persecutor ejus divina virtute exstinctus est, a Luxurio fratre ejus incenso cubiculo, in quo simul cum præfatis virginibus clausa morabatur, cursum gloriosi martyrii consumavit sub persecutione Trajani. Altera vero die sanctus Diaconus nomine Cæsarius invenit corpora sanctarum illæsa. B In facies enim suas prostratæ, orantes Dominum recesserunt. Quarum corpora idem sanctus Diaconus & Martyr inclytus in sarcophago novo simul condiens, in profundo terræ infodiens, sepelivit. Luxurium vero dum ad convivium properaret, coluber de ramo arboris per capitium ad cor ejus ingressus, enectum & turgidum ad spectaculum & exemplum infidelium dereliquit.

Item Romæ, depositio Benedicti Pontificis, qui sedit menses decem, imperante Constantino. Hic ab ineunte ætate in Ecclesia militavit, paupertatis semper amator. Sepultus est apud beatum Petrum. Apud Nicomediam passio sanctorum Martyrum Flavii & Augustini, & trium fratrum Mar- C cellini, Macrobii, & Eutychii. In Africa Celerini, Maximi, Victuri, Potentillæ, Faustinæ & aliorum innumerabilium. Augustoduno, depositio beati Placiti Episcopi.

8 B. VIII. Id. Maii.

Mediolani natalis sancti Victoris. Qui natione Maurus, & a primæva ætate Christianus, cum esset in castris Imperialibus miles, etiam canitie decoratus, compellente Maximiano Imperatore, ut sacrificaret idolis, in confessione Domini fortissime perseverans, post ergastulum carcerale, ubi sex dies sine cibo & potu permansit, primo D graviter fustibus & flagellis cæsus, deinde liquenti plumbo perfusus, sed nihil penitus læsus: novissime gloriosi martyrii cursum capitis abscissione complevit. Cujus corpus apud Silvam quæ ad ulmos vocatur, bestiis & volucribus projectum, sed per integram hebdomadam a nulla earum contaminatum, a sancto Materno Episcopo collectum, & honorifice sepultum est. Erat autem civis sanctorum Naboris & Felicis, qui in Africa decollati, simul cum Januario & Marino Mediolanum translati sunt.

Constantinopoli, Agathi militis, & aliorum valde multorum. In Ægypto Victoris & Stephanæ. E In Sanctonico, depositio S. Martini Presbyteri. Antisiodoro Helladii Episcopi.

9 C. VII. Id. Maii.

In Axiopoli, Quirilli, Quindei, Zenonis. In Tharso Ciliciæ, Aphrodisii. Constantinopoli, translatio S. Timothei. In Perside sanctorum trecentorum & decem Martyrum. Apud Nazianzi oppidum, depositio beati Gregorii Episcopi, qui Theologus dicitur, nobilis, Athenis eruditus, collega beati Basilii Cæsareæ Cappadociæ postea Episcopi. Quique cum se totum Dei servitio mancipasset, tantum de collegæ amore præsumsit, ut sedentem Basilium de doctoris Cathedra de-

1. Imperatoris.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 900.

poneret, ac secum ad monasterium manu injecta perduceret, ibique per annos tredecim omnium Græcorum sæcularium libris remotis, solis divinæ scripturæ voluminibus operam dabant. Postmodum vero apud Nazianzum oppidum Episcopus ordinatus, hæreticorum turbinem fidei serenitate dispulit. Deinde etiam Constantinopolim ad corrigendam vocatus, ire, & ejus curam suscipere non abnuit. Qua in fide Catholica roborata, ne cupiditate illectus, ditioris invasor æstimaretur, ad pauperrimam sedem suam reversus, quod superfuit vitæ, in ea tempus exegit. Et quoniam fessa jam ætate & corpore invalidus erat, successorem sibi delegit, quo Ecclesiam gubernante debilitatis & senectutis otio frueretur.

10 D. *VI. Id. Maii.*

DEpositio beati Job Prophetæ. Romæ Faltonis, Pinianæ, & Anitiæ, Lucinæ conjugis ejus, cum aliis plurimis Martyribus. Item Romæ Calepodii senis Presbyteri sub Alexandro Imperatore, qui eum fecit occidi a Laodicio, & corpus trahi per civitatem, atque in Tyberim jactari, die Calendarum Maii. Quod inventum piscatores levaverunt & narraverunt Callisto Episcopo. At ille acceptum condivit cum aromatibus, & linteaminibus involutum sepelivit in cœmiterio ejusdem, via Aurelia, miliario ab urbe tertio, in Crypta, sexto Idus Maii. Tunc decollatus est ab Alexandro Palmatius Consul cum uxore & filiis, & aliis promiscui sexus quadraginta duobus. Cum quibus & Simplicius Senator. Qui per doctrinam Callisti Papæ, & Calepodii Presbyteri, nuper fuerant baptizati. Scriptum in passione beati Callisti Papæ.

Eodem die natale beati Gordiani Martyris, qui sub Juliano impiissimo Imperatore passus est. Nam cum prædictus tyrannus præcepisset eidem Gordiano vicario suo adhuc gentili, ut Januarium Presbyterum diligenter examinaret, si quo modo illum posset avertere a fide Christi: Sanctus autem Januarius eum magis lucratus esset Christo cum uxore ipsius nomine Marina, & familia promiscui sexus, numero quinquaginta tribus, & eo amplius, atque universos baptismatis unda consecrasset: audiens hoc impiissimus Julianus iracundia plenus, sanctum Januarium Presbyterum proscriptione damnavit. Sanctum vero Gordianum in custodia publica posuit, atque cuidam Clementiano, quem vicarium ejus loco deputaverat, commisit. Porro uxorem ejus Marinam ad aquas Salvias in servitio rusticorum opprimi fecit. Cum autem vidisset Clementianus, quia sanctum Gordianum nullo modo a statu fidei suæ posset avertere, jussit eum primo plumbatis cædi, dein capite truncari, & corpus ejus ante templum Apollinis [1] intellude jactari. Quod cum factum Christiani comperissent, corpus ejus nocturno silentio rapientes, miliario plus minus uno ab urbe Roma posuerunt in crypta in cœmiterio Prætextati, ubi jam pridem corpus beati Martyris Epimachi sepultum fuerat. Quem ferunt unum de septuaginta discipulis Domini Jesu Christi fuisse.

11 E. *V. Id. Maii.*

PAssio sancti Evellii Martyris. Qui antea Consiliarius Neronis Imperatoris fuit. Sed videns constantiam Christianorum quomodo martyrizarentur, & præcipue patientiam sancti Torpetis, & mirabilia quæ per eum facta sunt, credidit Christo, ita ut etiam pateretur pro illo. Romæ via Salaria miliario vigesimo secundo, S. Anthimi. In Africa Majoli, Victorini, Fortunati & aliorum multorum. In Asia nativitas sanctorum Demetrii & Thadæi. Viennæ beatorum Episcoporum Martini & Materni. Quem Maternum ob clades imminentes, solemni ante ascensionem Domini letanias instituisse retulimus. Item depositio Nepotiani Presbyteri; nepotis Heliodori Episcopi de sorore, in cujus Epitaphii consolatione S. Hieronymus totum mundum, pro eis quæ in eo fiunt malis & accidunt calamitatibus, in luctum & lamentationem convertit.

12 F. *IV. Id. Maii.*

ROmæ in cœmiterio Prætextati, nativitas sanctorum Nerei & Achillei fratrum. Qui fuerunt eunuchi beatæ Flaviæ Domitillæ, cum ea apud insulam Pontiam longum pro Christo duxerunt exsilium. Postmodum vero ab Aureliano sponso Domitillæ, quem ipsa ob amorem Christi spreverat, primo verberibus gravissimis [2] artati, deinde [3] Moninio Ruffo consulari sunt traditi. A quo cum equuleo & flammis compellerentur ad immolandum, & dicerent se a beato Petro Apostolo baptizatos, nulla ratione idolis immolare, capite cæsi sunt. Quorum corpora rapuit Auspicius discipulus eorum, nutritor sanctæ virginis Domitillæ, in Crypta arenaria, via Ardeatina sepelivit, a muro urbis milliario uno, & semisse.

Item via Aurelia milliario secundo, sancti Pancratii Martyris. Qui cum esset annorum quatuordecim, sub Diocletiano martyrium capitis detruncatione complevit. Cujus reverendum corpus, Octovilla illustrissima femina occulte noctu sublatum aromatibus conditum sepelivit. Eodem die beati Dionysii patrui ejusdem sancti Pancratii. Cujus studio idem Pancratius baptizatus, & in timore Dei confortatus ad martyrium animatus est. Ipse vero cum præmiis cælestibus carus & Deo dignus, diem hujus vitæ ultimum in pace conclusit. Item passio sacratissimæ virginis Sotheris, genere nobilis, sub Diocletiano Augusto. Item passio sanctorum Joannis, Achillis, Moysei, Aphroditi, cum aliis numero quingentis quatuor. Apud Cyprum, S. Patris nostri Epiphanii Episcopi Salaminæ.

13 G. *III. Id. Maii.*

NAtivitas S. Mariæ ad Martyres. Cujus festivitatis ista est ratio. Sub Phoca Imperatore beatus [4] Boneficius Papa, in veteri fano quod Pantheon vocabatur, ablatis idololatriæ sordibus, Ecclesiam beatæ Mariæ semper virginis, & omnium Martyrum dedicavit. Cujus dedicationis sacratissima dies tertio Idus Maii Romæ agitur. Festivitas autem omnium sanctorum Calendis Novembris toto orbe terrarum religiosissime celebratur.

Eodem die S. Servatii Ecclesiæ Tungrensis Episcopi. Qui tempore quo Hunni Germaniam vastabant, ne civitatis atque Ecclesiæ suæ videret excidium, divina revelatione commonitus, transiit ad vicum Trajectensium, ibique defunctus, atque in medio publici aggeris est sepultus. Ob cujus meritum hominibus demonstrandum cum tempore hiemis omnia nix in circuitu repleret, numquam sepulcrum ejus operuit, donec industria civium, instante etiam successore ipsius Munolfo, Basilica super

1. *Forte* palude. 2. attrectati. 3. Memmio Rufo. 4. Bonifacius.

illum ædificata est. Antisiodoro, depositio S. Marcelliani Episcopi. In Alexandria, Aphrodisii, Agrippæ & multorum Martyrum. In Pollentia, passio sanctorum Victoris & Saturnini. A

14 A. *Pridie Idus Maii*.

IN Ægypto, depositio sancti Patris nostri Pachumii. Qui cum esset factis Apostolicæ gratiæ insignis, fundatorque Ægypti cœnobiorum, scripsit Monachorum Regulas, quas Angelo dictante didicerat, simul & de tempore Paschali. In Syria nativitas S. Victoris & Coronæ sub Antonino Imperatore, duce Alexandriæ Sebastiano. Erat autem Victor miles a Cilicia. Cui Sebastianus in confes- B sione fidei digitos confringi, & evelli jussit a cute. Deinde illum in caminum ignis mitti. Ubi triduo permanens non est læsus. Deinde venenum bibere jussus non est mortuus, sed veneficum potius ad fidem convertit. Deinde jussum est nervos corporis ejus tolli: deinde oleum bulliens in pudendis ejus mitti. Posthæc lampades ardentes suspenso ad latera applicari. Post hæc acetum & calcem simul misceri, & in os ejus infundi. Deinde oculos ejus erui. Deinde per triduum capite deorsum verso suspendi. Et cum adhuc spiraret, præcepit eum judex iniquitatis excoriari. Tunc Corona cum esset uxor militis cujusdam, cœpit beatificare sanctum Victorem pro gloria martyrii, & dum hoc faceret, C vidit duas coronas de cælo lapsas, unam Victori & alteram sibi missam. Cumque hoc cunctis audientibus protestaretur, tenta est a duce. Jussumque est duas arbores palmæ curvari adinvicem, & cannabineis funibus ligari Coronam, in utraque manibus & pedibus, & sic arbores dimitti. Quod dum fieret divisa est Corona in duas partes. Erat autem annorum sedecim. Tunc quoque Victor decollatus, & in omnibus victor effectus, simul cum Corona coronam vitæ perennis, & martyrii palmam accepit. In Asia, beati Maximini. Mediolani, Victoris, Naboris, Felicis, Rustici. Item quadringentorum sanctorum, qui cum sancto Quiriaco passi sunt. In Africa Secundiani, & multorum D Martyrum.

15 B. *Idibus Maii*.

IN Hispaniis nativitas beatorum confessorum Torquati, Ctesiphontis, Secundi, [1] Indelatii, Cæcilii, Hesychii, Euphrasii. Qui Romæ a sanctis Apostolis Episcopi ordinati, & ad prædicandum verbum Dei ad Hispanias tunc adhuc gentili errore implicitas directi sunt. Cumque ad civitatem Accitanam venissent, & propter laborem itineris modicum quiescentes, caussa victus emendi discipulos in urbem misissent, mox paganorum multitudo, qui tunc forte diis suis festa celebrarent, eos usque ad fluvium persecuta est. In quo pons E miræ magnitudinis & firmitatis exstructus, transeuntibus sanctis, Dei nutu cum omni insequentium multitudine funditus corruit. Ad quod miraculum ceteri territi, & cujusdam magnæ senatricis Lupariæ, quæ divinitus inspirata, eos benigne suscipiens, credidit, exemplum secuti, relictis idolis Christo Domino crediderunt. Post hæc vero diversis urbibus evangelizantes & innumeras multitudines Christi fidei subjugantes: Torquatus Acci, Ctesiphon Vergii, Secundus Abulæ, Indaletius Urci, Cæcilius [2] Heliberri, Hesychius [3] Carcesæ, Euphrasius [4] Heliturgi quieverunt. Exstat usque hodie illustre miraculum, ad commendationem pretiosæ mortis eorum. Nam eadem solemnitate apud præfatam Accitanam urbem ad sepulcrum sancti Torquati arbor olivæ divinitus florens maturis fructibus onustatur.

Apud insulam Chium nativitas sancti Isidori Martyris, in cujus basilica puteus, in quo & fertur injectus. De cujus aqua Energumeni & febricitantes, vel reliqui infirmi sæpius potati, salvantur. [5] Lamosaco passio sanctorum Petri & Andreæ, Paulli & Dionysiæ. In Sardinia, Simplicii.

16 C. *XVII. Cal. Junii*.

IN Isauria, nativitas sanctorum Aquilini & Victoriani. Antisiodoro, passio sancti Peregrini primi ejusdem urbis Episcopi. In civitate Piceno, Florentii & Diocletiani. Apud Ephesum Miogenis, Gajani & Jovini. In civitate Cortina, Vincentii & aliorum. Apud Castrum Tricassinum, depositio [6] Fidulii Presbyteri. In pago foro Juliensi, vico qui dicitur Calidianus, sanctæ Maximæ virginis, quæ multis clara virtutibus in pace quievit.

17 D. *XVI. Cal. Junii*.

IN Tuscia civitate Pisana, nativitas sancti Torpetis Martyris sub Nerone principe. Qui magnus quidem prius in officio Neronis Cæsaris fuit, sed a beato Antonino Presbytero baptizatus, & in fide Christi eruditus est. Quem cum Nero cognovisset esse Christianum, tradidit cuidam propinquo suo Satellico, ut eum sacrificare compelleret. Sed cum spiritu Dei confortatus beatus vir, & in fide fundatus immobilis permaneret, fecit eum Satellicus alapis cædi, & ligatum ad columnam tamdiu verberibus affici, quousque sanguis guttatim de corpore ipsius efflueret. Sed subito dum Martyr cæderetur, columna cadens oppressit judicem, & cum eo viros quinquaginta. Inde tentus a ministris, positus est in rota. Inde feris objectus a filio Satellici, sed minime læsus ab eis. Cujus constantiam & virtutem quidam Consiliarius Neronis Evellius nomine inspiciens, Christo credidit, ac post paullulum baptizatus, decollatus est in urbe Roma, martyriique honore coronatus. Sed & beatus Torpes jubente Sylvio foras civitatem Pisanam ductus, decollatione martyrium suum complevit tertio Calendas Maii. Cujus festivitas & conventus civium decimo sexto Calendas Junii agitur. De quo etiam fertur, quod ingens machina, quam adversarius Dei Nero ad similitudinem cæli commentando fabricavit, meritis & orationibus ejus in flumen Auxarum præcipitata fuerit, ita ut nusquam comparuerit. In Alexandria, Victoris & Basilii. Romæ, beati Parthenii. [7] Leviduno, Heraclii, Paulli & aliorum. Item depositio beati [8] Præandini Confessoris.

18 E. *XV. Cal. Junii*.

IN Alexandria Potamonis, Hortasii & Serapionis Presbyterorum. Item in Ægypto, sancti Dioscori Lectoris. In quem Præses multa & varia tormenta exercuit. Ita ut ungues ejus effoderet, & lampadibus ejus latera inflammaret. Sed

1. Indaletii. 2. Iliberi. 3. Cartejæ. 4. Illiturgil. 5. Lampsaci. 6. Fidoli. 7. Novioduni, Heraclii. 8. *Forte* Brandani.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 900.

cælestis luminis fulgore territi ceciderunt ministri. A Novissime laminis ardentibus adustus, martyrium consumavit. Constantinopoli, Hesychii & Eustachii.

19 F. *XIV. Cal. Junii*.

ROmæ nativitas sanctæ Pudentianæ virginis. Quæ illustrissimi generis Pudentis discipuli sancti Paulli Apostoli filia fuit. Cujus mater Sabinella, soror Praxedis. Quas piissimus pater earum Pudens in omni religione Christi erudivit, Christoque virgines reliquit. Quæ post obitum patris ita in omni exercitatione pietatis excreverunt, ut die noctuque incessanter hymnis & orationibus cum familia sua Domino inservirent. Quam totam beatissimus Pius urbis Romæ Episcopus baptismatis unda consecratam, chrismatis unctione & quotidiana exhortatione confirmavit. Beatæ vero virgines Christi post innumeros Christi agones, & multorum Martyrum venerabiliter exhibitas sepulturas, post omnes facultates suas in visceribus pauperum inclusas, Christoque fideliter commendatas, tandem de terris ad cælestia regna migraverunt. Pudentiana quidem decimoquarto Calendas Junii posita in cœmiterio Priscillæ via Salaria. Praxedis vero duodecimo Calendas Augusti. Quæ ab Apostolis susceptum in Christo baptismatis candidatum, usque ad finem vitæ custodierunt immaculatum. Item Romæ nativitas sanctorum Calocerii & Parthenii, eunuchorum uxoris Decii Imperatoris. Qui cum essent, unus præpositus cubiculi, alter primicerius, nolentes sacrificare idolis, a Decio sunt occisi, & a Christianis juxta viam Appiam sepulti. In Alexandria, sancti Irenæi Diaconi. In Africa sanctorum Quinti, Primulii, Salustii, & multorum Martyrum.

20 G. *XIII. Cal. Junii*.

ROmæ via Salaria nativitas sanctæ Basillæ virginis & Martyris Christi. Quæ cum esset ex regio genere, & haberet sponsum illustrissimum D nomine Pompejum, per beatam Eugeniam & sanctos Dei viros Protum & Jacinthum ad fidem Christi conversa, accusata est a præfato sponso suo apud Gallienum Augustum, quod esset Christiana. Qui eodem tempore immanissimus Ecclesiæ persecutor, decrevit, ut aut sponsum Basilla repeteret, aut gladio interiret. Quæ conventa super hoc, respondit se regem regum habere sponsum, Christum videlicet veri Dei filium. Et cum hæc dixisset, gladio transverberata est. In Gallia civitate Nemauso, passio sancti [1] Baldelii. Qui a paganis deorum suorum sacrificia celebrantibus comprehensus, cum sacrificare nollet, sed in fide Christi immobilis inter verbera & tormenta persisteret, martyrii palmam pretiosa morte percepit, & creberrimis signis clarus effulsit. Biturigis, depositio Austregisili Episcopi & Confessoris.

21 A. *XII. Cal. Junii*.

IN Mauritania civitate Cæsariensi, nativitas sanctorum Timothei, Pollii & Eutychii Diaconorum. Qui apud præfatam regionem verbum Domini disseminantes, pariter coronari meruerunt. Apud Cæsaream Cappadociæ sanctorum Polyeucti, Victorii, Donati. In Britannia Timothei Diaconi. Antisiodori depositio beati Valis Presbyteri. A quo nostrates æstimo nomen Valentis mutuatos.

1. Baudelii.

22 B. *XI. Cal. Junii*.

ROmæ nativitas sanctorum Faustini, Timothei, Venusti, cum sociis eorum. In Corsica, sanctæ Juliæ, quæ crucis supplicio coronata est. In Africa Casti & Æmilii. Qui per ignem passionis martyrium consumaverunt. Scribit beatus Cyprianus in libro de lapsis. In civitate Antisiodorensi depositio beatæ Helenæ virginis.

23 C. *X. Cal. Junii*.

APud Lingones passio sancti Desiderii Episcopi. Qui cum plebem suam ab exercitu Wandalorum vastari cerneret, ad regem eorum pro ea supplicaturus exivit. A quo statim jugulari jussus, pro ovibus sibi creditis, cervicem libenter tetendit, & percussus gladio migravit ad Christum. Percussor vero ejus mox amentia correptus, interiit. Sepultus est idem beatus Martyr in Basilica intra urbis muros. Quod fidelium populus a Christo ei commissus præcipuo amore ipsius, & pia devotione ad tutelam civium fieri procuravit. Contra pessimam quorumdam consuetudinem, qui ne sanctissimos quidem in urbibus tumulari voluerunt, dicentes, civitatem civium esse viventium, non cadaverum defunctorum. Passi sunt cum eo & plures alii de numero gregis sui, & apud eamdem urbem conditi.

Eodem die apud Viennam nativitas sancti Desiderii ejusdem urbis Episcopi. Qui passus est quidem in territorio Lugdunensi in villa Prisciniaca, super fluvium Calaronam: modo autem in Viennensi Ecclesia sepultus, honorifice servatur. De quo quia venerabilis Pater Ado ejusdem Ecclesiæ nostra ætate Pontifex, utpote in præscientia posito, & ob id suis in cunctis notissimo, aliquid speciale dicere superfluum existimavit. Nos juxta scriptum, quod idem Apostolicus vir, anno ab incarnatione Domini DCCCLXX. indictione tertia, per virum sanctissimum Beroldum Presbyterum indigenam eorumdem locorum, sed nunc in castro Turico Christi servitiis insistentem, cum reliquiis ipsius sancti Martyris Desiderii, & aliorum Sanctorum pignoribus atque agonibus, nobis in Cœnobio beati Galli constitutis direxit, pauca de eo summatim attingentes, earumdem rerum ignaris insinuare curavimus. Igitur incestuosissima regina Brunichildis, Hispanis superba divitiis, & Arianis infecta venenis, ideoque omnibus corrupta vitiis, postquam electos advenas, peregrinos quidem mundi, sed cives sanctorum, & domesticos Dei, Columbanum scilicet & discipulos ejus, quorum Gallus noster pars præcipua fuit, flagitia sua non ferentes, a E Francorum finibus expulit, & sanctus Desiderius tali solatio destitutus, non jam ovem erroneam, sed indomabilem bestiam corrigere studeret, hoc ab ea pro beneficiis recepit, ut in exsilium truderetur. Ubi quadriennio diversis quidem laboribus fatigatus, sed tamen gratia Dei suos ubique comitante adjutus est ac relevatus: adeo ut non solum ipse necessariis non careret, sed & omnibus se devota mansuetudine quærentibus proficua subministraret. Nam quidam totus lepra exasperatus, tactu sancti viri inspectante populo sanitati est restitutus, & cincindele, quod ad primum insulæ, ad quam exsilio deportatus fuerat, ingressum, ipse manu sua accenderat, per omne illud tempus ardens & non deficiens, incolis & sanctitatem famuli Dei ostendit, & multis infirmantibus omnimodam sa-

lutem suo unguine recuperavit. Vasculum etiam vini, quod ad resocillandum pauperem Christi, minister ejus custodela cautissima servare curavit, sed eo jubente plurimis adventantibus inde præbendo se exinanisse timuit, lætus iterato divina largitate repletum invenit. Sed cum industria consacerdotum suorum diu desideratus ad sedem suam reversus esset, nec tamen fonti iniquitate profluo cursum liberum permisisset, sed intra legitimos terminos coercere studuisset, tum vero rapacissimi imo furentis fluvii more, omnes justitiæ metas Brunichildis excedens, & committens operariis iniquitatis propugnatorem veritatis, ad Lugdunensem urbem, quasi ad Concilium, re autem vera ad supplicium deduci præcepit. Quorum aliis virum Dei perimere dissimulantibus, alii qui & insaniores fuerunt, orantem illum lapide primum in cerebro graviter vulneratum, deinde vallo acutissimo in cervice confossum, ab hac ærumnosa vita crudelitate nimia propulsarunt. Passus est sanctus Desiderius nullo crimine impetitus, sed criminosis invisus, die supra memorato, in vico Prisciniaco, temporibus Mauritii Imperatoris, & Theodorici Burgundiorum regis, factione Brunnichildis non reginæ sed meretricis, adnitentibus Bettone, Ephano, atque Gasifredo Comitibus. In diebus autem Etherii successoris sui Viennam cum magna gloria translatus, & extra urbem in Ecclesia beatissimorum Petri & Paulli Apostolorum inter antecessores suos Martyres & Confessores tertio Idus Februarii sepultus, quotidie signis & virtutibus mirabilis apparet & vivos. Eodem die in Hispaniis [1] Epictii & sancti [2] Basilii. In Africa, Quinti & Lucii, atque aliorum multorum.

24 D. *Nono Cal. Junii.*

NAtivitas sancti Manahe, Herodis Tetrarchæ collactanei, doctoris & Prophetæ, sub gratia novi Testamenti apud Antiochiam in Christo quiescentis. Item beatissimæ Joannæ uxoris Chuzæ, procuratoris Herodis, quæ in Evangelio commemoratur. In portu Romano, sancti Vincentii Martyris. In Galliis civitate Nannetis, passio sanctorum Donatiani & Rogatiani fratrum. Qui ab impio Præside compedibus impediti, carcerali sunt ergastulo mancipati. Indeque producti, cum a confessione nominis Christi non possent ullo modo coerceri, jussi sunt equuleo suspendi, & diu torqueri. Cum neque sic possent emolliri ad consentiendum idolis, militari lancea cervicibus perfossi, tandem martyrium consumaverunt, gladio capitibus amputatis. Sed quia vulgari accusatione insperato ad tribunal Præsidis sancti Dei sunt evocati, ut Rogatianus aqua baptismatis non posset emundari, quid de eo cautissimus Ecclesiæ Doctor Augustinus sentiat, sententiis ejus in medium proferre non solum commodum, sed & valde necessarium duxi: *Qui baptismatis Sacramentis initiandi sunt*, inquit, *prius abrenuntiare solent diabolo, & omnibus operibus & pompis ejus: deinde post confessionem unius veri Dei, Patris videlicet & Filii & Spiritus sancti, aqua intingi vel perfundi. Et Martyres contemtis idolis & abdicatis, propter eamdem confessionem in ignem aut certe in aquam demerguntur, aut proprii sanguinis effusione perfunduntur. Moris est etiam baptizatos sacro chrismate perungi, sancti Spiritus invocatione confirmari: & Martyres nisi ejusdem Spiritus unctione confortati, nequaquam vel ad certamen accederent, vel omnimoda tormentorum genera constantissime superarent. Jam baptizati ac fideles perceptione corporis & sanguinis Domini eidem consueverunt incorporari: & Martyres cum pro Domino patiuntur, ipsius corpus efficiuntur. Martyres igitur tanto perfectius omnia Ecclesiastica Sacramenta consequuntur, quanto & post percepta, mox sine ullo contagio ab hac ærumnosa vita rapiuntur.* Eodem die in Istria nativitas sanctorum Zoelli, [3] Servuli, Felicis, Sylvani & Dioclis.

25 E. *VIII. Cal. Junii.*

ROmæ via Nomentana in cœmiterio Prætextati, nativitas sancti Urbani Papæ & Martyris. Cujus doctrina sub persecutione Alexandri, multi martyrio coronati sunt. Hic constituit ut nulla esca repudiaretur a Christianis, quæ rationabilis esset & humana. Mediolani sancti Dionysii Episcopi & Confessoris. Qui ab Imperatore Constantio Ariano apud Cappadociam pro fide Catholica damnatus exsilio, ibidem requievit. Reliquias corporis ejus per sanctum Basilium præfatæ urbis Episcopum receptas, beatus Ambrosius condigno condidit honore. Licet alii contendant, quod in Armeniam apud Reditium civitatem exsiliatus, ibidemque defunctus, per sanctum Aurelium ejusdem urbis Episcopum Mediolanum sit translatus, & quod idem Aurelius ibidem infirmatus ac mortuus, in eodem cum sancto Dionysio monumento, sicut in vita condixerant, fuerit tumulatus.

Item Romæ Eleutherii Papæ, qui sedit in Episcopatu annos quindecim, & accepit epistolas a Lucio Britannorum rege, ut per ejus mandatum fieret Christianus. Quod & factum refertur per Timotheum virum sanctum, ita ut idem Lucius spretis omnibus mundialibus rebus nudus & expeditus peregrinatione suscepta, partem Bajoariorum & totam Rhetiam inter Alpes sitam miraculis & prædicationibus ad fidem Christi convertisse credatur. Cujus sepulcrum, id est, qui in Rhetia requiescit, sive rex quondam ille, sive quicumque servus Dei fuerit, creberrimis virtutibus illustratur. Eodem die apud Mœsiam civitate Doroscoro, nativitas sanctorum Martyrum Pasicratis, Valentionis, & aliorum duorum simul coronatorum.

26 F. *VII. Cal. Junii.*

NAtivitas sancti Quadrati Apostolorum discipuli. Qui in locum beati Publii Athenarum Episcopus constitutus, Ecclesiam grandi terrore dispersam fide & industria sua congregavit. Cumque Adrianus Athenis exegisset hiemem, invisens Eleusinam, & omnibus pene Græciæ sacris initiatis dedisset occasionem, eis videlicet qui Christianos oderant, absque præcepto Imperatoris vexare credentes, porrexit ei librum pro nostra religione compositum, valde utilem, plenumque rationis & fidei, Apostolica doctrina dignum. In quo & antiquitatem suæ ætatis ostendens, ait plurimos a se visos, qui sub Domino variis in Judæa oppressi calamitatibus, sanati fuerant. Qui una cum filiabus Philippi in prophetica gratia celeberrimus fuit.

Item in Africa sancti Quadrati Martyris: in cujus solemnitate sermones sancti Augustini inveniuntur habiti. Romæ Symmitrii Presbyteri & aliorum viginti duorum. Quos Antoninus Imperator gladio pro Christo puniri fecit. Quorum corpora noctu beata Praxedis collegit, & in cœmiterio Priscillæ sepelivit. Tuderto Tusciæ, Felicissi-

1. Epitacii. 2. Basilei. 3 Servilii.

mi, Heraclii, Paullini. In territorio Antifiodorensi, passio sancti Prisci Martyris cum ingenti multitudine. In Britannia, depositio sancti Augustini Episcopi & Confessoris. Qui missus a beato Gregorio Papa, primus genti Anglorum Christi Evangelium prædicavit, atque illic virtutibus & miraculis gloriosus in pace quievit.

27 G. *VI. Cal. Junii.*

IN Alexandria nativitas sanctorum Aquili Presbyteri, Evangeli, & aliorum duodecim. In Tomis, Heliæ, Luciani, Zotici, Martialis, Victoris & Maurini. In Sardinia, Saluſtiani. In Mœsia civitate Dorostorensi nativitas sancti Julii. Qui tempore persecutionis cum esset veteranus & eremitæ militiæ, comprehensus ab officialibus, & Maximo Præsidi oblatus, nolens sacrificare idolis, & nomen Domini Jesu Christi constantissime confessus, capitali sententia punitus est. Cumque duceretur ad locum cædis implendæ, Hesychius, quidam miles cum & ipse ob fidem Christi comprehensus detineretur, rogabat eum dicens: *Memor esto mei, nam & ego subsequor te. Plurimum etiam saluta Pasicratem & Valentionem famulos Dei, qui nos per confessionem bonam jam præcesserunt ad Dominum.* Julius vero osculans Hesychium dixit: *Frater festina venire: mandata tua jam audierunt quos salutasti.* Sic accepto orario, ligans sibi oculos, martyrii palmam gladio cædente percepit.

In Galliis civitate Arausica, sancti Eutropii Episcopi, cujus vitam illustrem virtutibus ac miraculis Verus Episcopus luculento sermone descripsit.

28 A. *V. Cal. Junii.*

IN Sardinia passio sanctorum Æmilii, Felicis, Priami, Luciani. Romæ nativitas sancti Joannis Papæ: quem quia orthodoxus erat, & a Justino Imperatore orthodoxo, Constantinopolim veniens, gloriose susceptus fuerat. Theodericus rex Arianus revertentem Ravennæ in custodia detentum ad mortem usque cum aliis æque Catholicis viris perduxit. Hujus meminit sanctus Gregorius in libro dialogorum: cujus corpus translatum de Ravenna sepultum est in Basilica sancti Petri Apostoli, quinto Calendarum Junii, Olibrio Consule. Quo tempore Theodericus rex duos Senatores præclaros & exconsules Symmachum & Boethium occidit. Qui nonagesimo octavo die postquam Joannes Papa defunctus est, subito interiit, & in ollam Vulcani projectus, ultra non comparuit.

Item apud urbem Parisium, depositio Germani Episcopi & Confessoris. Qui ex nobilibus quidem parentibus exortus, sed malitiosorum omnimodis attentatus insidiis, divina se gratia protegente, non solum vivus & incolumis evasit, sed & in virile robur virtutibus & sapientia decoratus excrevit in tantum, ut a sancto Nectario Presbyter ordinatus, Abbas monasterio sancti Symphoriani præficeretur invitus. In cujus regimine ita & divino judicio & humano placuit arbitrio, ut claves portæ Parisiacæ, & prius in visione per Dominum, & postmodum in Episcopatus electione per cohibentiam acciperet populorum. Cujus dignitatem tanta auctoritate administravit, ut tamen exemplo beati Martini propositum Monachi, virtutemque non desereret, atque ideo & in carne vivens, & spiritu cælos petens, in miraculorum ostensione illi per omnia similis appareret, & eadem ætate, octogenaria videlicet, ad Christum ipso vocante plenus sanctitate migraret.

29 B. *IV. Cal. Junii.*

ROmæ via Aurelia, nativitas sancti Restituti. Via Tiburtina, septem Germanorum. Apud Iconium provinciæ Isauriæ, passio sancti Cononis & filii ejus, sub Aureliano Imperatore, judice Domitiano. Qui cum esset fide præclarus, exhibitus judici cum filio suo annorum duodecim, Spiritum sanctum in se habitare veraci confessione manifestaverunt. Primum itaque ignito ferro superpositi, deinde craticulæ prunis suppositis, & oleo superfuso. Deinde frixorio candenti immissi, omnia superaverunt in nomine Christi. Inde suspensi, & valido igni subtus adhibito, malleo ad extremum ignito manibus contritis in laude omnipotentis Dei spiritum emiserunt. Eodem die in regione Anagniæ juxta urbem Tridentinam, passio sanctorum Sisinnii Diaconi, Martyrii Lectoris, & Alexandri Ostiarii. Qui a beato Vigilio Tridentinæ urbis Episcopo ad vicina loca prædicationis gratia destinati, cum plurimos ad fidem Christi convertissent, ab his qui in errore paganismi persistere maluerunt, diversis mortium generibus trucidati sunt. Nam beatus Sisinnius cum ceteris quidem diutina cæde mactatus, sed ærea tuba in capite percussus, atque securibus confossus, juxta ipsius Ecclesiæ limina decumbebat. Sanctus vero Martyrius & ipse in caput securibus vulneratus, atque sudibus transforatus, reddidit spiritum. Tunc gentiles corpora sanctorum Sisinnii & Martyrii simul cum sancto Alexandro adhuc seminece ad aram Saturni, ubi ignis copiosus erat accensus, ad concremandum perduxerunt: & sanctum Alexandrum flagellis cædentes, nec ad immolandum idolis compellere queuntes, vivum projecerunt in ignem, & sic martyrii cursum consumans, palmam gloriosæ passionis accepit. Post quorum necem mox umbra quædam terræ proxima totam regionem fulminibus creberrimis discurrentibus obtexit, ut & ipsi impii terrore perculsi, confiterentur hoc sanctorum caussa fieri. Ad quorum etiam reliquias cum eas postmodum Mediolanenses summa devotione susciperent, quidam cæcus ex littore Dalmatino divino admonitus instinctu veniens, tacto loculo lumen recepit, ut scribit beatus Paullinus in vita beati Ambrosii.

Treviris depositio sancti Maximini Episcopi. Cujus indumenta sacerdotalia in urna ærea ad usque nostra imo Nordmannorum tempora in testimonium sanctitatis ejus visebantur incorrupta. A quo sanctus Athanasius persecutionem Constantii fugiens, honorifice susceptus est. Sed quia fuga sancti Athanasii quosdam formidolosos aut certe blasphemos in contrarium abuti cognovi; quid de ea fidelissimus Ecclesiæ dispensator senserit Augustinus, verbis ejus in medium proferre necessarium duxi. Dicit ergo inter alia in epistola quam ad Honoratum scripsit Episcopum, consultus utrum tempore persecutionis fugiendum sit Episcopis a suis sedibus: *Quid est ergo quod in Epistola tua posuisti? dicis enim: Si in Ecclesiis persistendum est, quid simus nobis vel populo profuturi, non video, nisi ut ante oculos nostros viri cadant, feminæ constuprentur, incendantur Ecclesiæ, nos ipsi tormentis deficiamus, cum de nobis quæritur quod non habemus.* Respondit Augustinus: *Potens est quidem Deus audire preces familiæ suæ, & hæc quæ formidantur, avertere: nec ideo tamen propter ista quæ incerta sunt, debet esse nostri officii certa desertio, sine quo est plebi certa pernicies, non in rebus vitæ hujus, sed alterius, quæ incomparabiliter diligentius, solicitiusque curanda est. Nam si certa essent ista mala, quæ timen-*

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 900.



tur, ne in locis in quibus sumus forte contingant, prius inde fugerent omnes propter quos manendum est, & nos a manendi necessitate liberos redderent. Non enim quisquam est, qui dicat, ministros manere oportere, ubi jam non fuerint, quibus necesse sit ministrare. Ita quidam sancti Episcopi de Hispania profugerunt, prius plebibus partim fuga lapsis, partim peremtis, partim obsidione consumtis, partim captivitate dispersis. Sed multo plures illic manentibus propter quos manerent, sub eorumdem periculorum densitate manserunt. Et si aliqui deseruerunt plebes suas, hoc est quod dicimus fieri non debere: neque enim tales ducti auctoritate divina, sed humano, vel errore decepti, vel timore sunt victi. Cur sibi enim putant indifferenter obtemperandum esse precepto, ubi legunt, de civitate in civitatem esse fugiendum; & mercenarium non exhorrent, qui vidit lupum venientem & fugit, quoniam non est ei cura de ovibus? Cur non istas duas Dominicas verasque sententias, unam scilicet ubi fuga sinitur aut jubetur, alteram ubi arguitur atque culpatur, sic intelligere studens, ut inter se non reperiantur esse contrariæ, sicut non sunt, & hoc quomodo reperitur nisi attendatur quod jam superius disputavi? Tunc de locis in quibus sumus, premente persecutione, fugiendum esse Christi ministris, quando ibi plebs Christi non fuerit cui ministretur, aut potest impleri per alios necessarium ministerium, quibus eadem non est caussa fugiendi. Sicut in sporta summissus fugit Apostolus, cum a persecutore ipse proprie quæreretur, aliis utique necessitatem similem non habentibus, a quibus illic ministerium absit, ut desereretur Ecclesiæ. Sicut fugit sanctus Athanasius Alexandrinus Episcopus, cum eum specialiter apprehendere Constantius cuperet Imperator, nequaquam a ceteris ministris deserta plebe Catholica, quæ in Alexandria commanebat. Cum autem plebs manet & ministri fugiunt, ministeriumque subtrahitur, quid erit nisi mercenariorum illa fuga damnabilis, quibus non est cura de ovibus? Veniet enim lupus non homo sed diabolus, qui plerumque fideles apostatas esse persuasit, quibus quotidianum ministerium Dominici corporis defuit, & peribit infirmus in tua non scientia sed ignorantia frater, propter quem Christus mortuus est. Quod autem ad eos attinet, qui in hac re non falluntur errore, sed formidine superantur: quare non potius contra suum timorem, Domino miserante atque adjuvante fortiter dimicant, ne mala sine comparatione graviora, quæ multo amplius sunt tremenda, conjungant? Fiat hoc, ubi Dei caritas flagrat, non mundi cupiditas fumat. Caritas enim dicit: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror? Sed caritas ex Deo est. Oremus ergo ut ab illo detur, a quo jubetur, & per hanc magis timeamus, ne oves Christi spiritualis nequitiæ gladio in corde, quam ne ferro in corpore trucidentur, ubi, quando, cum quibus, quocumque mortis genere mortui sunt. Magis timeamus ne sensu interiore corrupto pereat castitas fidei, quam ne feminæ violenter constuprentur in carne. Quia violentia non violatur pudicitia, si mente servetur, quoniam nec in carne violatur, quando voluntas patientis sua turpiter carne non utitur, sed sine consensione toleras, quod alius operatur. Magis timeamus ne lapides vivi exstinguantur deserentibus nobis, quam ne lapides & ligna terrenorum ædificiorum incendantur præsentibus nobis. Magis timeamus ne membra corporis Christi destituta spirituali victu necentur, quam membra corporis nostri oppressa hostile impetu torqueantur. Non quia ista non sunt vitanda cum possunt, sed A *quia potius sunt ferenda, quando vitari sine impietate non possunt. Nisi forte quisquam contenderit, non esse ministrum impium, qui tunc subtrahit ministerium pietate necessarium, quando magis est necessarium. An non cogitamus cum ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesiam fieri soleat ab utroque sexu, atque ab omni ætate concursus? Aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem & sacramentorum confectionem & erogationem. Ubi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus est etiam luctus fidelium* B *de perditione filiorum suorum, qui eos secum in vitæ æternæ requie non habebunt? Quantus denique gemitus omnium? & quorumdam quanta blasphemia de absentia ministeriorum & ministrorum? Vide quid faciat malorum temporalium timor, & quanta in eo fit adquisitio malorum æternorum. Si autem ministri adsint pro viribus, quas Deus eis subministrat, omnibus subvenitur. Alii baptizantur, alii reconciliantur, nulli Dominici corporis communione fraudantur. Omnes consolantur, ædificantur & exhortantur, ut Deum rogent, qui potens est omnia, quæ timentur avertere. Parati ad utrumque, ut si non potest transire ab eis calix iste, fiat voluntas ejus, qui mali aliquid non potest velle. Certe jam* C *vides, quod scripseras te non videre, quantum boni consequantur populi Christiani, si in præsentibus malis non eis desit præsentia ministrorum Christi. Quorum vides etiam quantum obsit absentia, dum sua quærunt, non quæ Jesu Christi, nec habent illam caritatem, de qua dictum est, non quærit quæ sua sunt. Nec imitantur eum qui dixit: Non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant. Qui etiam persecutoris principis illius insidias non fugisset, nisi se aliis quibus necessarius erat, servare voluisset. Propter quod ait: Compellor autem ex duobus, concupiscentiam habens dissolvi, & esse cum Christo, multo enim magis optimum: manere autem in carne, necessarium propter* D *vos. Hic autem fortasse quis dicat, ideo debere fugere ministros Dei talibus imminentibus malis, ut se pro utilitate Ecclesiæ temporibus tranquillioribus servent. Recte hoc fit a quibusdam, quando non desunt alii, per quos suppleatur Ecclesiasticum ministerium, nec ab omnibus deseritur, quod fecisse Athanasium supra diximus. Nam quam necessarium fuerit Ecclesiæ, quantumque profuerit, quod vir ille mansit in carne, Catholica fides novit, quæ adversus Arianos hæreticos ore illius & amore defensa est.* Hoc breviarium sancti Patris Athanasii caussa hic a nobis positum, magnum ut credo legentibus conferet emolumentum, & ad inquirendum totum illud opusculum, dulcedine sui præbebit incitamen- E tum.

30 C. *III. Cal. Junii.*

ROmæ via Aurelia in cœmiterio, sancti Felicis Papæ. Qui cum annos quinque rexisset Ecclesiam sub Claudio Principe, martyrio coronatus est. Hic constituit super memorias Martyrum Missas celebrari. In Antiochia sanctorum [1] Isychii & Palatini. Qui ut S. Hieronymus scribit, multa tormenta propter nomen Christi sunt passi. Turribus Sardiniæ, sanctorum Martyrum Gabini & Crispuli. In Nicomedia multorum Martyrum.

1. Syci.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 900.

31 D. *Pridie Cal. Junii*,

ROmæ nativitas sanctæ Patronellæ virginis, filiæ beati Petri Apostoli. Quam ipse rogantibus fidelibus a paralysi curavit, sed mox ut sanitatis miraculum in Christi nomine ostendit, ad grabatum eam salutis animæ gratia redire mandavit. At ubi in Dei timore cœpit esse perfecta, non solum ipsa salva facta est, verum etiam pluriminis sanitatem recuperavit orationibus suis. Quam, quia nimis erat speciosa, Flaccus Comes suo voluit conjugio sociari. Sed sancta virgo triduanas ab A eo petens inducias, cum Felicula collactanea sua æque sanctissima virgine, totum illud spatium in jejuniis & orationibus explevit, & veniente sancto Nicomede Presbytero, & Christi mysteria celebrante, mox ut Dominici corporis & sanguinis sacramenta percepit, ad gaudia æterna migravit. Eodem die apud Aquilejam passio sanctorum Cantii, Cantiani, & Cantianillæ fratrum. Qui imperante Diocletiano martyrii sui cursum consumaverunt. Turribus Sardiniæ, S. Crescentiani. In Hispania civitate Gerunda, Germani, Victuri, Sylvani, Telesphori, Victorini & aliorum multorum.

Mensis Junius habet dies xxx. Et in hoc mense hebdomade secunda erit celebratio jejuniorum.

1 E. *Calendis Junii*,

ROmæ, dedicatio S. Nicomedis Presbyteri & Martyris, cujus martyrium XVII. Cal. Octob. celebratur. Item Romæ nativitas [1] Lyciæ virginis, & Aucejæ regis Barbarorum, Rogati, Germani, Silvani, cum aliis plus quam trecentis. In Thessalonica nativitas sancti Octavii. In Antiochia, Zosimi & Teclæ. Apud Cæsaream Palæstinæ passio sancti Pamphili Presbyteri, viri admirandæ fidei & sanctitatis. Qui persecutione Maximini martyrio coronatus est. Hujus vitam Eusebius Cæsariensis Episcopus tribus libris comprehendit. Sed & beatus Hieronymus scribit quædam volumina manu ejus exarata se reperisse: *Quæ tanto, inquit, amplector & servo gaudio, ut Crœsi opes habere me credam. Si enim lætitiæ est unam epistolam habere martyris, quanto magis tot millia versuum, quæ mihi videtur sui sanguinis signasse vestigiis?* Eodem die depositio sancti Caprasii Abbatis monasterii Lyrinensis. Viennæ, Claudii & Helladii Episcoporum.


2 F. *IV. Non. Junii*.

ROmæ nativitas sanctorum Marcellini Presbyteri, & Petri Exorcistæ. Qui multos in carcere ad fidem Christi convertentes, post dira vincula & plurima tormenta decollati sunt, persecutione Diocletiani, sub judice Severo. Sed qui eos decollavit, vidit animas eorum splendide ornatas ab Angelis ferri ad cælos, & pœnitentiam agens, sub Julio Papa baptizatus est in senectute sua, nomine Dorotheus. Ex plurimis autem qui per doctrinam eorum in Christum credentes baptizati sunt, id est, trecentis viris & amplioris numeri feminis, decollatus est Artemius cum uxore sua Candida, & filia Paullina, quæ per beatum Petrum Exorcistam a dæmonio fuit liberata. Item Romæ centum octoginta Martyrum, & multo plurium, quorum nomina Deus scit solus.

Apud Lugdunum Galliæ, nativitas quadraginta octo Martyrum, temporibus Marci Aurelii Veri, & Antonini atque Lucii filiorum ejus. Quando per multas orbis Romani provincias ex acclamatione & seditione vulgi, persecutiones adversus Christianos dirissime concitatæ sunt, ita ut multa millia Martyrum per loca singula fierent. Quo tempore apud Lugdunum & Viennam urbes Galliæ erga Dei servos supra omne narrationis genus suppliciorum & cruciatuum modus exhibitus est, ita ut primum domorum illis prohiberetur habitatio, B vini deinde usus, & balnearum. Post etiam processus ad publicum. Ad ultimum, ne omnino in quolibet loco domi forisque publico privatoque viderentur. Denique quodam tempore astante Tribuno & Primoribus civitatis pro solis acclamationibus populi, correpti & in carcerem trusi sunt Christiani usque ad præsentiam Præsidis. Cuique advenienti offeruntur, in quos ille tanta crudelitate abusus est, ut sævitiæ ejus species singulas, nemo possit exponere. Inter eosdem vero Martyres licet omnes in Christo fideles & fortissimi fuissent inventi, hi tamen ad Deum & homines apparuere præcipui. Photinus videlicet Episcopus, qui nonagenaria ætate gravatus, dum ab Ecclesia ad tribuC nal, & a tribunali ad carcerem deferretur, & post nimias cædes & injurias ei factas, paullo post incontaminatum edidit spiritum, & Zacharias Presbyter, qui pro defensione fratrum exemplo Christi animam suam posuit, & [2] Repagatus, qui ejus imitatione cum esset nobilissimus & eruditissimus, quasi advocatus Christianorum, pro omnibus est interemtus. Diaconus quoque nomine & opere Sanctus, qui inauditis cruciatus tormentis, adeo ut candentes laminas æris & ferri erga inguinum loca, & delicatiora quæque membrorum, instauratis ignibus tortores adhiberent, & super sellam ferream igni supposito collocarent, nec tamen eum a fide Christi deflectere valerent, cum Attalo & MaD turo cæsis ferro cervicibus, martyrii palmam adepti sunt. Blandina etiam quædam femina, cujus teneritudini omnes metuerent: cui a prima luce usque ad vesperam tormenta semper innovantes, ad ultimum victos se tortores confitentur. Quæ & secundo pulsata cruciatibus non superatur. Tertio quoque die religata ad stipitem, atque in crucis modum distensa, bestiis pabulum præparatur. Quam cum nulla ex eis auderet contingere, rursum revocatur ad carcerem. Quarto etiam verberibus acta, craticulis exusta, & multa alia perpessa, ad ultimum gladio jugulatur. Tunc & Ponticus puer annorum quindecim per omnia tormentorum genera cum ipsa cruciatus, & materna ejus adhortatione E corroboratus, ante illam martyrium consumavit. Alexander autem Medicus, genere Phryx, qualiter omnia tormentorum genera superaverit, & victor ad Christum perrexerit, congruentius in quinto libro Ecclesiasticæ historiæ, unde ista excerpsimus, invenietur. Nomina vero eorumdem Martyrum ista sunt: Photinus Episcopus, Zacharias Presbyter, Sanctus Diaconus, [3] Vetitius, qui & [4] Repagatus, Macharius, Asclepiades, qui alio nomine dicitur Alcibiades, Silvius, Primus, Ulpius, Vi-

1. Lucejæ. 2. Epagathus. 3. Vetius. 4. Epagathus.

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 900.



talis, Comminus, October, Philominus, Geminus, Vilia, Albina, Grata, Rogata, Æmylia, Potamia, Pompeja, Rhodana, Biblis, Quarta, Materna, Elpis quæ & Ammas. Hi quidem diversissimis mortibus interemti sunt. Hi autem bestiis traditi sunt: Sanctus supradictus Maturus, Attalus, Alexander, Ponticus, Blandina, Aristeus, Cornelius, Zosimus, Titus, Julius, Zoticus, Apollonius, Geminianus, Julia, Ausonia, Æmylia, Jannica, Pompeja, Domna, Justa, Trophima, Antonia. Quorum omnium reliquiæ igni traditæ, & in Rhodanum fluvium dispersæ sunt. Sed ipsis Martyribus revelantibus collectæ, & in Ecclesia Apostolorum conditæ, creberrimis virtutibus apud Deum vivere declarantur. Quorum festivitatem cives Lugdunensis urbis, omnibus undequaque lætanter per descensum fluminis cum hymnis & canticis gratulationis procedendo concelebrantes, Missarumque solemnia in eadem Ecclesia festive Domino reddentes, ex antiquorum traditione ipsam diem miraculorum appellant. Locus autem in quo passi sunt, Athenaco vocatur: ideoque dicuntur Martyres Athenacenses.

3 G. *III. Non. Junii.*

Romæ nativitas sanctorum Martyrum Marcelli, Avidi, Gaii, Donati, cum aliis amplius quam centum quinquaginta. In Africa Quirini, Abidiani, Neophori, Pambo, Januariæ, Demetriæ, Zinci & aliorum centum quadraginta novem. Apud Aritium civitatem Tusciæ, sanctorum Martyrum Pergentini & Laurentini fratrum. Qui persecutione Decii sub judice Tertio, cum essent pueri, post dira supplicia tolerata, & multa miracula ostensa, gladio cæsi sunt, & apud eamdem urbem conditi, & aliorum plurimorum quadringentorum. In Campania beati Erasmi Antiocheni Episcopi & Martyris. Qui in Libano monte per annos septem vitam eremiticam duxit, ibidemque multa mira fecit. Sed postmodum a Diocletiano Imperatore comprehensus, & jussu ipsius primo plumbatis crudeliter cæsus, deinde fustibus diutissime maceratus. Postea resina, sulphure, plumbo, pice, cera, oleoque solutis, perfusus, ingenti miraculo illæsus apparuit. Quod multi videntes, fidem Christi, rejectis idolis, susceperunt. Inde immenso pondere ferri constrictus, in carcere sub dira custodia reclusus est. De qua Angelica visitatione solutus & ereptus; sed fama miraculorum Maximiano Imperatori proditus, renovatis suppliciis iterum est cruciatus, in tantum ut tunica ærea ignita vestiretur, & in ollam quæ plumbo, pice, cera, resina, oleo fervefacta erat, immitteretur; sed virtute Domini omnia superans, & illæsus exinde progrediens, atque ad confirmandum ceteros a Domino servatus, in Campaniam Angelico monitus & munitus solatio pervenit. Ubi cum plurimos sive in fide roborasset, sive ad fidem Christi convertisset, vocante Domino martyrio clarus, sancto fine quievit. Aurelianis depositio sancti Leifardi Presbyteri.

4 A. *II. Non. Junii.*


Noviduno civitate, Zotici, Attali, Eutychii, cum aliis multis. In Sicilia sanctorum Expergentii & Cristæ Martyrum. In Pannonia civitate Sabaria, Rutuli cum aliis duobus. In Illyrico civitate Fiscia, nativitas sancti Quirini Episcopi. Qui persecutione Maximiani pro fide Christi ligato ad manum molari saxo, in flumen præcipitatus est, & circumstantibus collocutus diutissime, nec ejus terrerentur exemplo, vix tandem precibus ut mergeretur, obtinuit. Cujus reliquiæ translatæ sunt Romam, & positæ ad Catacumbas.

5 B. *Nonis Junii.*

In Ægypto nativitas sanctorum Martyrum Marciani, Nicandri & Apollonii. Romæ milliario septimo, Feliculæ & Felicitatis cum aliis multis. In Histria, Zoeli, Satyri, Thymini, Saturnini, Servuli, Felicis, Sylvani, Fortunati.

Item Romæ sancti Bonifacii Martyris, sub Diocletiano & Maximiano apud Tharsum Ciliciæ passi, sed Romæ in via Latina sepulti. Qui cum esset procurator rerum cujusdam nobilis matronæ, nomine Aglaes, & cum ea in stupro misceretur, tandem uterque divino nutu compuncti, consilium habuerunt, ut ad quærendum corpora Martyrum Bonifacius mitteretur; si quo modo servientes atque obsequentes eis, per eorum merita salvari mererentur. Perveniens igitur post dies aliquot Tharsum, festinabat ad locum ubi erant sancti Martyres in agone certantes, viditque alium suspensum per pedes igne supposito; alium in quatuor lignis extensum, & diutissime afflictum; alium ungulis exaratum, alium manibus abscissum, alium stipitem in collo habentem infixum, & a terra levatum, & sic diversa supplicia martyrii ab impio carnifice disposita, cum eminus fervens & ipse amore Christi respiceret, magnum Deum sanctorum Martyrum clamare cœpit, & accurrens consedit pedibus eorum, deosculans vincula, ac dicens: *Certate Martyres Christi, calcate diabolum, modicum perseverate. Parvus quidem labor, sed multa est requies, & ineffabilis postmodum satietas.* Aspiciens autem Simplicius judex, jussit eum applicari ad tribunal & dixit ei: *Quis es tu?* sanctus Bonifacius dixit: *Christianus sum & Bonifacius vocor.* Tunc iratus judex jussit eum suspendi, & tamdiu corpus ejus ungulis radi, donec ossa ejus apparerent. Deinde calamos acutos, sub ungulas manuum ejus affigi. Cumque sanctus Martyr in cælum aspiciens, alacriter dolores toleraret, videns impius Judex, jussit aperire os ejus, & plumbum bulliens infundi. Sanctus autem Martyr dicebat: *Gratias tibi ago Domine Jesu Christe fili Dei.* Deinde Judex jussit afferri ollam, & eam pice impleri, atque sanctum Martyrem verso capite in picem bullientem mitti. Sed cum nihil læsus esset, jussit impius Judex ut gladio caput ejus abscinderetur. Quo facto terræmotus factus est magnus, ita ut multi infideles virtutem Christi in Martyre cernentes, crederent. Socii autem ejus tollentes corpus ipsius, & aromatibus condientes perduxerunt ad urbem Romam. Angelus vero Domini apparens dominæ quondam ipsius, rem factam beati Martyris indicavit ei. Quæ confestim cum omni veneratione obviavit sancto corpori, & ædificans ei memoriam dignam, reposuit illud in ea ab urbe Roma stadiis quinque. Beata vero Aglae abrenunciavit mundo & pompis ejus, distribuens universa quæ possederat egenis ac monasteriis, relaxans universam familiam suam a jugo servitutis: & tantam gratiam a Domino meruit, ut in ejus nomine virtutum signis claresceret. Supervixitque in habitu sanctimoniali annos tredecim, & sepulta est apud eumdem Martyrem, piis operibus consumata. Martyrizavit autem beatus Bonifacius decimoquarto die mensis Maii apud Tharsum Metropolim Ciliciæ, sed nonis Junii sepultus est Romæ.

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 900.



Eodem die in Fresia passio sancti Bonifacii Epi- A
scopi. Qui de Britannia veniens, & fidem Christi evangelizans, cum maximam multitudinem in Fresia Christianæ religioni subjugasset, novissime a paganis qui superarant, gladio peremtus, martyrium consumavit, cum Eobano Episcopo & aliis servis Dei: quorum hæc sunt nomina: Wintrug, Walthere, Skirvvald, Bosan, Hamund, & Hethere, Wacchar, Gundachar, Willehere, Hadovolf. De quorum collegio fertur etiam fuisse Willibaldum Presbyterum virtutibus & doctrina clarissimum, & sororem ejus Waldburgam sanctitate conspicuam.

6 C. *VIII. Id. Junii.*

Nativitas sancti Philippi, qui fuit unus de septem primis Diaconibus, qui cum beato Stephano statim post passionem Christi ab Apostolis sunt ordinati. De quo in Actibus Apostolorum refertur, quod signa & prodigia faciendo, prædicatione sua Samaritas ad fidem Christi convertit, & Candacis reginæ Æthiopum studiosum in scripturis Eunuchum, in fonte qui est apud vicum Betsuram, in tribu Juda, euntibus ab Helia ad Hebron, in vicesimo lapide baptizaverit. Qui postea apud Cæsaream requievit. Juxta quem tres filiæ ipsius virgines ac prophetissæ jacent tumulatæ. Nam quarta filia ipsius, plena Spiritu sancto in C
Epheso occubuit. Quidam tamen putant apud Hierapolim eas esse sepultas, ubi Philippus Apostolus unus de duodecim quiescit. Cujus fuisse filiæ ab aliquibus scriptoribus putatæ sunt. Quorum opinionem beati Lucæ refellit auctoritas ita narrantis: *Intravimus in domum Philippi Evangelistæ, qui erat unus de septem: cui erant quatuor filiæ virgines prophetantes.*

Apud Tarsum Ciliciæ, Martyrum viginti, qui sub judice Simplicio temporibus Diocletiani & Maximiani Imperatorum per diversa supplicia glorificaverunt Deum in corporibus suis, ut supra in passione beati Bonifacii dictum est. Romæ, sanctorum Artemii cum uxore sua Candida & filia Paul- D
lina. Qui Artemius cum esset custos carcerum, & clausum teneret beatum Petrum Exorcistam in custodia, per liberationem unicæ filiæ Paullinæ a dæmonio, credidit in Christum, & a beato Marcellino Presbytero baptizatus est cum omni domo sua & aliis multis. Quod Judex nomine Serenus sed mente turbidus audiens factum, Artemium & Candidam filiamque ipsorum Paullinam sibi præsentatos immenso pondere ruderum jussit obrui. Sicque sancti Dei ad passionis locum perducti, beatus quidem Artemius gladio percussus; sancta vero Paullina & Candida per limina cryptæ præcipitatæ lapidibus sunt obrutæ. Noviduno, Amantii, Lucii & beati Alexandri. Alexandriæ, Donati & Peregrini. E

7 D. *VII. Idus Junii.*

In Cæsarea Cappadociæ, beati Luciani Martyris. In Byzantio nativitas sancti Primosi, Fortunati, Macrij & Macharii Monachi. Constantinopoli, quæ antiquitus Byzantium vocabatur, nativitas sancti Paulli ejusdem civitatis Episcopi. Qui tempore Arianæ perfidiæ a Constantio Imperatore apud civitatulam quamdam Cappadociæ, Cucusam nomine, ob Catholicam fidem expulsus exsilio, Arianorum insidiis strangulatus, ad cælestia regna migravit. In Africa Victurii, Evasi, Privitæ, Januariæ, Donatæ, Spisinæ, Quirilli.

8 E. *VI. Idus Junii.*

In Ægypto nativitas sancti Martiani. In Cæsarea Palæstinæ, Cristi. In civitate Dioscoro, nativitas sancti Marci. In Nicomedia, Eutychii, Nestorii & Marinæ. In Sardinia, nativitas sancti Salustiani. In Gallia civitate Suessionensi, festivitas sancti Medardi Episcopi & Confessoris, cujus vita virtutibus plena a Fortunato Parisiaco Episcopo, & prosa & metro nobiliter est conscripta: nam & in eleemosynis largus, & in virtutibus clarus, & in prophetiæ spiritu præcipuus,
B quindecim annis Veromandensium urbis episcopatum rexit, immo totum occidentem exemplis & doctrina gubernavit. Cujus anima ab Angelis in cælum perducta, corpus ejus ad Suessionem delatum, & ibidem honorifice sepultum, miraculorum ostensione gloriosum commendatur. Andegavis, sancti Licinii Episcopi. Item eodem die, Carlenii Confessoris.

9 D. *V. Idus Junii.*

Romæ in monte Cælio, nativitas sanctorum Martyrum Primi & Feliciani sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus. Qui gloriosissimi Martyres semper in Domino viventes, a Pontificibus templorum apud Imperatores quod Christiani essent, accusati sunt. Et inquisiti, erant enim cives Romani, adducti sunt in conspectu Imperatorum: qui jusserunt eos ferro vinctos in carcerem detrudi. Ubi affuit eis Angelus Domini, qui eos consolaretur. Post aliquot vero dies jusserunt eos Imperatores suis aspectibus repræsentari, & præceperunt militibus, ut ducerent eos ad Fanum Herculis, & si sacrificare nollent, fortiter eos pœnis affligerent. Verum cum nulla possent eos ratione movere, sed pro Christi nomine magis optarent mori, extenderunt eos milites & virgis fortiter mactaverunt, & cum renunciassent Imperatoribus quæ facta sunt, irati valde jusserunt eos tradi Promoto Præsidi civitatis Nomentanæ ut diversis pœnis eos interficeret. Et accipientes eos milites duxerunt in viam quæ dicitur Nomentana, milliario decimo tertio, ferro vinctos, & miserunt eos in carcerem juxta forum civitatis. Ubi iterum Angelica visitatione relevantur. Post multum vero temporis jussit sibi Promotus sanctos Dei Primum & Felicianum ante tribunal suum præsentari. Quos cum ad primam & ipsam publicam interrogationem ab invicem separari fecisset, jussit beatum Felicianum plumbatis cædi. Quem cum in eo genere supplicii videret insuperabilem, præcepit eum ligari ad stipitem, & aculeos in manibus ejus ac pedibus figi, & diutissime torqueri, & per tres dies neque aquam neque ullum genus cibi ei ministrari. Cumque sic per triduum continue permaneret in Dei laudibus, jussit eum Præses flagellis cædi, ac de stipite depositum in custodia recludi. Ac postmodum præsente ipso beato Feliciano, fecit applicari sanctum Primum, quo validissimis fustibus cæso, ac deinde in equuleo deposito, & in lecto supinato, præcepit plumbum ferventissimum in os ejus infundi. Sed cum sancti Martyres invictissimi perstitissent, angustiatus Præses jussit eos ad amphitheatrum duci, & duos leones in eos dimitti. Quibus ad pedes sanctorum corruentibus, laxati sunt & ursi ferocissimi, sed & ipsi Martyrum virtute sævitiam perdiderunt. Quod videntes hi, qui ad spectaculum venerant, pene mille quingenti viri miraculis perculsi, crediderunt in Domino. Verum Præses cum insuperabiles eos cerneret, gla-

dio animadverti præcepit: quorum corpora noctu a Christianis rapta, sepulta sunt ad arcus Nomentanos intra arenarium, quinto Idus Junii, ab urbe Roma milliario decimo tertio.

In Galliis civitate Agenno loco Pompeiaco, passio sancti Vincentii Levitæ & Martyris, de quo in libro miraculorum Gregorii Turonici refertur.

Item Romæ, militum quindecim. In Scozia insula Hybernia, depositio sancti Columbæ, cognomento apud suos Columbkilli, eo quod multarum cellarum, id est, Monasteriorum vel Ecclesiarum institutor, fundator & rector exstiterit, adeo ut Abba Monasterii cui novissime præfuit, & ubi requiescit, contra morem Ecclesiasticum primas omnium Hyberniensium habeatur Episcoporum, nec immerito, quia idem sanctus per inhabitationem sancti Spiritus, nulli post Apostolos, & mirabilem Martinum, in prophetia, doctrina & miraculorum ostensione, atque Angelica frequentatione videatur secundus: quod vel ex his paucissimis persentiscere licet. Cum sederet in quadam insula scribens, & in alia domus altissima ædificaretur, & quidam de culmine ejusdem enormis fabricæ ad terram corruere cœpisset, in ipso subitanei casus periculo, dixit Angelo Dei sibi assistenti, *Auxiliare, auxiliare!* Et ecce in ipsius momenti atomo, ita ruenti homini subventum est ab Angelo, quasi non scriptori, sed fabro semper adesset. Cum gravis infirmitas, immo lues & pestilentia intolerabilis universum pene populum devastaret, benedixit lapidem de littoreis faxis, & ubicumque præcepit in aquam mittere, atque ipsa aqua infirmantes potari vel aspergi: qui in aquam missus, & contra naturam suam in modum spumæ supernatans, & hoc modo divinam se benedictionem percepisse contestans, & omnes morbos medicando sanificans, super aurum & omnes gemmas pretiosus, ac super omnia medicamenta fuit saluberrimus. Et ad augmentum miraculi, a nullo per id temporis morituro, licet diligentissime custoditus & cautissime requisitus, umquam poterat inveniri. Hoc uno de multimoda sanatione commemorato, alterum de multiplici in penuria subventione libet ad memoriam revocare, ut prudens lector ex his duobus & tacita discat æstimare. Cuidam pauperculo omnibus rebus indigo, contulum in veru sanctus exacuit. Quod ab eo silvis & aquis jussit infigi. Quod cum faceret, ita dives effectus est, ut & domus ejus eamdem abundantiam non caperet, & uxor ejus terrestres delicias cum marinis fastidiens, idem veru in perniciem sui a viro suo fecisset incidi. Doctrina vero beatus Columba cum omnes anteriores adæquaret, in hoc transcendere non injuria censetur, quod per tres dies ultimos commorationis in terra, cuncta ei revelata sunt sacræ Scripturæ sacramenta, omnibus retro mortalibus aut penitus occulta, aut certe juxta Apostolum, *Per speculum & in ænigmate*, comperta, immo requirenda atque enucleanda proposita. Quæ propter absentiam Baithenei, familiarissimi videlicet illius discipuli, immo propter indignitatem generis humani, litteris non sunt attitulata. Porro prophetiæ dono ita mortales omnes præponderavit, ut & præsentia ceteris abscondita, & absentia, non solum vicina, sed & longe posita, sed & præterita & futura, in uno inevitabilis oculi ictu deprehenderet. Vas ante eum pro solemni benedictione, lacte plenum, oblatum est. Quod cum benedixisset, & vasculum illico crepuisset, increpuit ministrum, cur non ante infusionem per signum sanctæ Crucis, antiquo hosti locum in eo permanendi interdixisset: item lactis similitudinem ex tauri te-

A sticulis expressam in propriam, id est, sanguinis eminus benedicendo convertit naturam. Regum vicinorum bella & præscivit, & aliquando compescuit, aliquando vero justiores caussas habentibus, favit, injustiores vero divinæ justitiæ conjunctus non adjuvando despexit. Subversionem quoque civitatis, quæ nunc Nova dicitur in Italia, in subitaneo stupore, terræ hiatu, immo cælestis iræ respectu subversam conspexit, & aliis ecstasin ejus mirantibus idipsum nuntiavit. Sed & hoc prædixit, quod Gallici nautæ, sicut & factum est, eamdem rem ipso anno in Scotia relaturi essent. Die quoque ultimo vitæ mortalis, id est, Sabbato, cum Psalmum trigesimum tertium usque ad eum versum

B perduxisset in scribendo: *Inquirentes autem Dominum, non deficient in omni bono*, astantibus inquit: *Quod reliquum est, Baithenéus scribat*. Ut videlicet qui in regimine fratrum ei successurus erat, non solum docendo sed & scribendo, discipulos ad se vocare deberet: *Venite filii audite me, timorem Domini docebo vos.* Et addit: *Hæc dies in Scriptura sacra sabbatum, id est, requies appellatur, in qua mibi requies æterna paratur. Ecce enim hac nocte resurrectionis Dominicæ vado ad Dominum Jesum Christum magnæ resurrectionis auctorem, & hoc scitote, quia per continuos dies mare clausum nimia tempestate tenebitur, ut exsequiæ meæ non a vulga-*

C *ribus turbis superstitiose, sed a sanctis fratribus meis religiose celebrentur.* Qui cum plurimos discipulos vel socios sanctitatis suæ pares habuisset, unum tamen, Comgellum scilicet, latine Fausti nomine illustrem, præceptorem beatissimi Columbani, magistri, domini & patris nostri Galli, virtutum ac meritorum suorum, quasi unicum, exemplo Isaac, reliquit heredem.


10 G. *IV. Idus Junii.*

Romæ via Aurelia milliario decimo tertio, nativitas sancti Basilidis Martyris, Tripodis & Mandalis, sub Aureliano Imperatore, Præside

D Platone, & aliorum viginti Martyrum. Pro Tripode tamen & Mandale in quibusdam codicibus in Tripoli Magdaletis scriptum reperitur. Eodem die beati Getulii Martyris temporibus Adriani Imperatoris sub judice Licinio. Hic in omni lege divina erat doctissimus, & per ejus doctrinam multi in fide Christi erudiebantur. Cujus famam Adrianus Imperator audiens direxit Cerealem vicarium ad tenendum eum: sed audito ejus verbo veritatis, credidit in Christum, & baptizatus a beato Sixto Papa, per instructionem sancti Getulii in fide Christi confortatus est. Quo Adrianus comperto, Licinium Consularem direxit, ut Cerealem vicarium teneret. Cum quo beatus Getulius & frater

E ejus Amantius, atque amicus sanctissimus Primitivus inventi, pariter sunt tenti, & jussu ejusdem Licinii expoliati ac cæsi, ac per viginti ac septem dies in carcerem sunt detrusi. Tunc veniens Romam, Adriano de hujusmodi facto innotescens, ab eo in mandatis accepit, ut omnes igne concremaret. Sanctus vero Getulius, cum in igne superviveret, fustibus colliso capite martyrium complevit. Consumati sunt autem beati Martyres in fundo Capreolis, via Salaria, ab urbe Roma plus minus milliario decimo tertio, supra fluvium Tyberim, in parte Sabiniensium: quorum corpora collegit beata Symphorosa uxor Getulii Martyris: quæ non longe post eumdem ipsum Martyrem cum septem filiis suis martyrizavit, videlicet vigesimo septimo die mensis Junii, & sepelivit ea in prædio suo in arena-

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 900.



rio, in loco & oppido supra nominato. Nicomediæ, sancti Zachariæ. Antissiodoro, depositio S. Censorii Episcopi.

11 A. *III. Idus Junii*.

Apud Cyprum nativitas S. Barnabæ Apostoli. Qui cum a parentibus Joseph fuerit nuncupatus, ab Apostolis Barnabas, vel filius consolationis est vocatus, pro eo quod cum habuerit agrum, eumque vendiderit, pretium ejus ante pedes Apostolorum ad consolationem pauperum posuerit: qui cum esset gente Judæus, immo Levites, sed natione Cyprus, non solum ceteros Judæos fidei Christi subjugare, sed & ipsum Apostolum Paullum a Christo de cælo vocatum, sed propter anterioris persecutionis immanitatem Christianis suspectum, Apostolorum choro sociare curavit. Cum quo ab illis gentium Apostolus ordinatus, & plurimas ab incredulis perpessus injurias, sed caussa Marci communis eorum discipuli, vel potius dispensatione divina ab eo corpore divisus, mente tamen unitus, nihilominus Evangelicæ prædicationis injunctum sibi opus explevit. De cujus sanctitate unum beati Lucæ testimonium fidelibus sufficere debebit, quia videlicet erat *vir bonus, plenus Spiritu sancto, & fide*. Cujus corpus tempore Zenonis Imperatoris, ipso revelante repertum est. Hic unam ad ædificationem Ecclesiæ pertinentem scripsisse fertur epistolam, quæ tamen inter apocryphas reputatur.

Eodem die apud Corinthum Sosthenis discipuli beati Paulli Apostoli. Qui cum in Judaismo male a gentibus, Gallione Proconsule non curante tractaretur, ad christianismum conversus, ab ipso beato Paullo in Apostolicis est litteris honorifice commendatus. Item apud Aquilejam nativitas sanctorum Martyrum Felicis & Fortunati, sub persecutione Diocletiani & Maximiani Imperatorum, Præside Euphemio. Qui cum essent germani fratres fide Christi ferventes, deferente Apamio qui erat unus ex officio Præsidis, vincti ferro Aquilejam judici Euphemio perducuntur. Ubi cum Christum constantissime faterentur, ab irato Judice primum in equuleo suspensi sunt, ardentibus lampadibus circa latera appositis, sed mox psallentibus Martyribus exstinctis, inde per ventrem ardenti oleo perfusi, ad ultimum dum in confessione Christi perdurarent, foras civitatem ducti, juxta fluvium civitati proximum capite truncantur. Inde nocte a religiosis viris ejus civitatis sublati, cum aromatibus involuti linteaminibus occulte sepulti sunt. At cives Vicetiæ supervenientes eorum corpora perducere ad suam civitatem Vicetiam nitebantur. Non permittentibus autem Aquilejensibus, immo renitentibus, tandem pia contentio finita est nutu divino, ut Felicem Vicentini, Fortunatum haberent Aquilejenses, ita tamen ut caput beati Felicis Aquilejenses, caput vero S. Fortunati Vicetia sortiretur. Quod factum in laude Domini nostri Jesu Christi usque hodie permanet. Romæ Anacleti Papæ, qui primus beati Petri Apostoli memoriam construxit & composuit, cum Presbyter esset ordinatus ab eo, & juxta corpus ejus sepultus est.

12 B. *II. Idus Junii*.

Romæ nativitas sancti Cyrini: qui jussu Claudii Imperatoris secundi, post omnium facultatum ablationem, & diutinam carceris macerationem nocte decollatus est, & corpus ejus in Tyberim projectum. Quod in Lycaonia insula inventum, honorifice a fidelibus est sepultum. Quando autem vel quomodo Romam fuerit translatum, nobis quidem est incognitum, sed beato Gregorio credimus non ignotum. . . Item Romæ, Naboris & Nazarii: quos simul cum Gorgonio Martyre, quem in Ecclesiastica historia puto designatum, permittente Paullo Papa Romano, transtulit a Roma in Galliam, vel ut verius fatear, in Franciam antiquam Ruodgangus Mettensis Episcopus, anno ab incarnatione Dominica septingentesimo sexagesimo quinto, & collocavit sanctum Gorgonium in Monasterio, quod dicitur Gorzia. Sanctum vero Naborem in Monasterio alio, quod dicitur nova Cella. Sanctum quoque Nazarium in Monasterio quod dicitur Loresham. Ubi signa & miracula in recuperatione sanitatis infirmorum & debilium sæpius ostenduntur.

Eodem die Mediolani nativitas sanctorum Martyrum Nazarii & Celsi pueri. Beati Nazarii pater Africanus, mater vero Perpetua, a beato Petro Apostolo baptizati. Ipse vero sanctus Nazarius a sancto Clemente instructus & baptizatus est. Quem Anulinus sub rabie persecutionis, quæ per Neronem excitata est, diu maceratum & afflictum in carcere cum beatissimo puero Celso, quem idem ipse nutrierat, gladio feriri jussit. Quorum corpora Christiani furati quinto Calendas Augusti sepelierunt foris portam quæ dicitur Romana, in propriis hortis. Revelaverunt autem se beati Martyres cuidam Cæratio nomine, cujus uxor Fortunata, & per visum monuerant se occultari propter rabiem persecutionis, quam Nero impius excitaverat. Latuerunt vero usque ad tempora Honorii & Arcadii Imperatorum. Quos beatus Ambrosius Domino revelante reperit. Patefacto autem sepulcro in quo jacebat corpus beati Nazarii, qui quandonam passus fuerit, ut scribit sanctus Paullinus, usque tunc temporis ignorabatur, viderunt sanguinem Martyris ita recentem, qui præsentes erant, quasi eodem die fuisset effusus. Caput etiam ipsius quod ab impiis fuerat abscissum, ita integrum atque incorruptum cum capillis capitis & barba, ut videretur eodem tempore quo levabatur, lotum atque compositum in sepulcro: etiam odore tanto repleti sunt, ut omnium aromatum vinceret suavitatem. Quo levato & in lectica composito, statim ad sanctum Celsum Martyrem, qui in eodem horto positus erat, ad orationem perrexit sanctus Episcopus, & utrumque transtulit ad Basilicam Apostolorum quæ est in Romana. Inventi autem & translati sunt pridie Idus Junias. Festivitas vero eorum de martyrio agitur quinto Calendas Augusti. Commemoratio tamen eorum publica & celeberrima in die sanctorum Martyrum Protasii & Gervasii, quasi sociorum synchronon agitur. [1]

Antiochiæ sanctæ Marinæ virginis. Quæ per Olibrium Præfectum multa tormenta pro Christi nomine, id est, vincula, carcerem, flagella & equuleum perpessa est. Quam & diabolus in draconis specie atque Æthiopis aggressus subvertere tentavit, sed per signum sanctæ Crucis effugatus & superatus ab ea discessit. Novissime vero per eumdem Præfectum decollata, mortalem vitam finiens, veram & æternam a Christo percepit. Ravennæ Macharii, Felicis, Æmylii, Crispini.

1. Hic desiderantur aliquot pagellæ in manuscripto.

A

19 B. *XIII. Calend. Julii.*

MEdiolani nativitas sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii. Qui beatissimi a sancto Paullo Apostolo instructi, cum per decem annos in uno cœnaculo conclusi, lectionibus & orationibus atque jejuniis vacassent, decimo anno a Pontificibus templorum apud Astatium Comitem proditi, & ab eodem tenti atque examinati, hoc modo ad palmam martyrii pervenerunt. Cum enim nec minis nec blandimentis eos compellere potuisset, ut se Christianos esse negarent, Gervasium quidem tamdiu jussit plumbatis cædi, quamdiu spiritum exhalaret. Protasium vero fustibus cæsum capite truncari. Quorum corpora Philippus vir religiosus una cum filio suo furtim abstulit, & intra domum suam in arca marmorea sepelivit. Eorumdem vero sepulcra multa post tempora sub Theodosio Imperatore Domino revelante beatus Ambrosius reperit, & ita incorrupta corpora eorum, ac si eodem die fuissent interemti. Quæ cum in urbem introducerentur, quidam diu cæcus, feretri tactu lumen recepit.

Item ibidem juxta martyrologium sancti Hieronymi, nativitas sancti Nazarii, & Celsi pueri.

Apud Ravennam, sancti Ursicini Martyris. Qui sub Judice Paullino post nimia tormenta in confessione Domini immobilis permanens, capitis abscissione martyrium consumavit: sepultusque est in eadem urbe a beato Vitale patre sanctorum Gervasii & Protasii. Romæ Sylvestri Papæ, qui sedit anno uno. Qui consentiente Justiniano Imperatore a [1] Vilisario Patricio depositus, & monachus factus, in exsilio Confessor moritur.

20 C. *XII. Cal. Julii.*

ROmæ depositio beati Novati fratris Timothei Presbyteri, qui a beatis Apostolis eruditi sunt. De quo Novato scribit Pastor in gestis Pudentianæ & Praxedis virginum, quod post mortem beatæ Pudentianæ visitante se beato Pio Episcopo & sancta Praxede, assistente etiam frequentia plurimorum Martyrum migraverit ad Christum. In Tomis civitate, Paulli, Cyriaci, Paullæ, Felicianæ, Felicis, Æmylii, Vitalis, Crispinæ, Martyriæ. Item translatio sancti Zenonis Martyris.

21 D. *XI. Cal. Julii.*

IN Sicilia civitate Syracusis, nativitas sanctorum Martyrum Rufini & Martiæ. Romæ sanctæ Demetriæ virginis, quæ fuit beati Fausti filia. Hæc cum ante impium Julianum pro fide Christi introduceretur, in ejus confessione spiritum emisit, sepultaque est a beato Joanne Presbytero, juxta matrem suam Dafrosam, & sororem Vivianam juxta palatium Licinianum. Apud Moguntiacum civitatem, nativitas sancti Albani Martyris. Qui sub Theodosio Imperatore de Insula Namsia pergens, cum sancto Theonesto & Urso Mediolanum venit. Indeque exiens auxiliante Domino pervenit ad Gallias, & in servitute Domini perseverans, & ad martyrium pro nomine Salvatoris promtus, postquam in civitate Augusta beatus Ursus martyrii cursum consumavit, sanctus Albanus cum Theonesto Magontiacum pervenit. Dumque ibi verbum Dei prædicaret, martyrium explevit, & sepultus est ibi juxta prædictam civitatem. In Cæsarea, depositio sancti Eusebii Episcopi.

22 E. *X. Cal. Julii.*

ANtiochiæ nativitas sanctorum Martyrum Agathalicæ, Juliani, Graphi, & aliorum octingentorum quatuordecim, quorum nomina Deus habet in libro viventium. In Britannia, sancti Albani Martyris. Qui tempore Diocletiani in Verolamio civitate post verbera & tormenta acerba capite plexus est. Sed illo in terram cadente, oculi ejus qui eum percussit, pariter ceciderunt. Passus est cum illo etiam unus de militibus, eo quod eum ferire jussus, noluerit, divino utique perterritus miraculo, quia viderat beatum Martyrem, sibi dum

B ad coronam martyrii properaret, alveum amnis interpositi, orando transmeabilem reddidisse. Quo in tempore persecutio crudelissima Oceani limbum in Britannia transgressa, etiam Aaron & Julium cum aliis octingentis octoginta novem felici cruore damnavit. In civitate Campaniæ Nola, sancti Paullini Episcopi. Qui se temporibus Wandalorum aliis omnibus jam exhaustis, pro filio cujusdam viduæ in servitutem Barbaris tradens, & ex terribili visione regi eorum quis esset agnitus, reddita sibi omni captivitate civitatis suæ, & oneratis frumento navibus, cum ingenti gloria ex Africa ad propriam sedem reversus est. Claruit autem non solum eruditione, & copiosa vitæ sanctitate, sed etiam po-

C tentia adversus dæmones. Eodem die, depositio beati Nicetii Romanæ urbis Episcopi.

23 F. *IX. Cal. Julii.*

IN Nicomedia, passio sanctarum virginum, Pistis, Elpis, Agapis, quæ latine Fides, Spes, Caritas dicuntur, & matris earum Sophiæ, quæ Sapientia interpretatur, & aliarum multarum. Romæ sancti Joannis Presbyteri: quem impius Julianus inauditum, via Salaria veteri, ante simulacrum Solis decollari præcepit. Ejus corpus a beato Concordio Presbytero collectum, & sepultum est juxta concilia Martyrum. In Britannia, depo-

D sitio sanctæ Edeldrudæ virginis & reginæ. Cujus corpus cum decem annis esset sepultum, incorruptum inventum est. Item vigilia sancti Joannis Baptistæ.

24 G. *VIII. Cal. Julii.*


IN provincia Palæstina, civitate Sebasta, prius Samaria, & ante multa sæcula Sichem nuncupata, celebritas nativitatis sancti Joannis Baptistæ, propter corpus ejus in Macherunta quidem castello Arabiæ detruncatum, sed ibi a discipulis ejus tumulatum. Qui revera in Hebron civitate Juda, quæ ad fugitivorum præsidium sacerdotibus, immo

E filiis Aaron fuerat delegata, auctoritate Evangelii sancti Lucæ, & libri Jesu Nave, & natus creditur & nutritus. Cujus vitæ sanctitas & conversationis austeritas ac prædicationis qualitas, atque passionis ob defensionem veritatis acerbitas, non solum Evangelistarum scriptis, verum etiam ipsius Domini, interni videlicet arbitri, testimoniis commendatur.

In Epheso, dormitio beati Joannis Apostoli & Evangelistæ. Cujus licet præconia sexta die Calendarum Januarii, quando per totam Ecclesiam festivitatis ejus solemnia celebrantur, congruentius prædicari videantur, tamen & heic aliqua ex eis ad legentium utilitatem commemorentur. Cum igitur sexagesimo octavo post passionem Domini anno, sciret imminere recessus sui diem, convocatis di-

1. Belisario.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 900.



scipulis suis, inter sacra Missarum Dei solemnia de contemtu mundi & concupiscentiarum ejus, ac de observatione mutuæ caritatis, iterato atque frequentato sermone eos admonere non destitit, in tantum ut etiam de ejusdem sententiæ repetitione fastidientes, alia illum dicere, quia hæc sibi satis superque sufficerent, precarentur. Quibus ille respondit: *Quia sanctæ & intemeratæ dilectionis custodia, aut vix a quoquam mortalium digne prædicaretur, aut inter mundana scandala usque ad finem inlibata teneretur:* & his dictis, data omnibus pace, & tam semetipso quam illis, Dominici corporis & sanguinis sacramento communitis, reclinavit se in sepulcro quasi in lecto, tam liber a dolore mortis, quam immunis creditur a contagio corruptionis. Augustoduno, depositio sancti Simplicii Episcopi, Festi, Lucerii.

25 A. *VII. Calend. Julii.*

APud Pyrrhi Berœam, nativitas sancti Sosipatri, discipuli beati Paulli Apostoli. Alexandriæ, sancti Gallicani Martyris: qui dux Romani exercitus, cum intra [1] Philoppolim Thraciarum urbem, a gente Scytharum fuisset obsessus, & ad suggestionem sanctorum Joannis & Paulli, abdicata idolorum cultura, Domini Jesu Christi se defensioni commendasset, & ipse & totæ Thraciæ ab hostium incursione sunt liberatæ. Quique Romam reversus, & Christianus effectus, quinque millia servorum suorum, liberos civesque Romanos fecit, quibus etiam prædia domosque donavit. Cunctas vero facultates suas, excepto jure filiarum, Atticæ videlicet & Artemiæ, quas Constantina Augusta virgo sacratissima Christo fuerat lucrata, distrahi ac donari pauperibus fecit. Ac se in Ostiensi urbe manenti sancto viro cuidam nomine Hilarino sociavit. Cujus habitaculum ampliari fecit ad peregrinorum susceptionem, quam ipse plurimis impendebat. Et adminiculo servorum, quos jam libertate donavit, atque ideo arctius eos sibi astrinxit, omnibus indigentibus ad se venientibus, cunctisque languentibus sanctæ servitutis servitia exhibere non cessabat, donec Julianus apostata Cæsar effectus, legem promulgaret, ut Christiani nihil in hoc sæculo possiderent. Sed & tunc Gallicanus in paucissimis casis, quas ad ministerium pauperum reservatas habebat, ita Christum defensorem invenire merebatur, ut quicumque in eas malitiose, vel ad ponendos titulos fisci intrare præsumeret, statim aut diabolo repleretur, aut lepræ maculis respergeretur. Quod cum Juliano fuisset nuntiatum, mandavit ei ut aut diis sacrificaret, aut a finibus Italiæ discederet. Mox ergo beatus Gallicanus relictis omnibus Alexandriam petiit, & ibi junctus est Confessoribus Christi per annum continuum. Post etiam secessit in eremum, ibique a Rauciano Comite templorum vi cogebatur sacrificare diis. Et dum contemneret, percussus gladio in corpore, Christi Martyr factus, atque ita perrexit ad Dominum, gaudens cum triumpho: cui statim sui nominis Basilicam construxerunt, in qua exuberant beneficia Martyris, ex eo & nunc & usque in sæcula.

Romæ Luceiæ Virginis & Auceiæ Regis, qui cum aliis viginti duobus pariter martyrio coronati sunt.

26 B. *VI. Cal. Julii.*

ROmæ nativitas sanctorum Joannis & Paulli fratrum. Quorum prior Præpositus, secundus fuit Primicerius Constantiæ virginis filiæ Constantini Imperatoris. Qui cum omni die turmas Christianorum recrearent ex his opibus, quas sacratissima virgo Christi Constantia reliquerat, pervenit hoc ad Julianum impiissimum Cæsarem. Qui cum nec minis nec suasionibus a Christi amore eos abstrahere, & ad idolorum culturam allicere posset, dedit eis inducias decem diebus, ut ad venerationem deorum suorum inclinarentur. Tunc sancti Dei Christianos ad se invitantes, ordinaverunt de omnibus, quæ relinquere poterant, ac per totos decem dies incessanter noctu diuque eleemosynis insistentes, in fine decimi diei, hora cœnandi, intra domum suam a Terentiano Campiductore orantes constricti sunt, & nulla ratione vel comminatione a dilectione Christi quantulumcumque declinantes, per eumdem Terentianum decollati, & intra domum suam fovea facta repositi sunt, fama divulgata quod jussu Cesaris in exsilium missi fuissent. Dæmones autem ex obsessis corporibus intra domum Joannis & Paulli ejiciebantur, confitentes sanctam passionem eorum, ita ut unicus filius Terentiani qui eos decollaverat, veniret intra domum sanctorum, & clamaret per os ejus dæmon, quod Paullus & Joannes incenderent eum. Tunc Terentianus divina compunctus gratia, & in Christo regeneratus, tamdiu ad sanctorum corpora orationibus incubuit, donec emundationem filio suo impetraret. In Alexandria Agathonis, Diogenis & Bigati. In Africa, Gaudentii, Felicis, Agapiti, & Emeritæ.


27 C. *V. Cal. Julii.*

IN Galatia, nativitas beati Crescentis, discipuli beati Paulli Apostoli. Qui & in Gallias transitum faciens, verbo prædicationis multos ad fidem Christi convertit. Rediens vero ad gentem cui specialiter fuerat Episcopus datus, Galatas usque ad beatum finem vitæ suæ in opere Domini confortavit. Apud Tiburtinam Italiæ civitatem, nativitas sanctæ Symphorosæ, uxoris beati Getulii Martyris cum septem filiis, Crescente, Juliano, Nemesio, Primitivo, Justino, Stacteo, Eugenio, cum quibus passa est simul, sub Adriano Principe. Qui ipsam Symphorosam jussit palmis cædi, deinde per crines suspendi. Quam dum superare nullatenus posset, jussit eam alligato saxo in fluvium præcipitari. Cujus frater Eugenius principalis curiæ Tiburtinæ, colligens corpus ejus, sepelivit. Et mane Imperator jussit septem stipites figi, ibique filios ejus ad trochleas extendi, & Crescentem in gutture transfigi, Julianum in pectore, Nemesium in corde, Primitivum per umbilicum, Justinum per membra distensum, scindi per singulos corporis nodos atque juncturas: Stacteum lanceis innumerabilibus donec moreretur in terram configi: Eugenium findi a pectore usque ad inferiores partes, & posuerunt Pontifices sacrorum nomen loci illius, ad septem Biathanatos. Quorum corpora requiescunt via Tiburtina milliario nono. Eodem die in Hispania, Corduba civitate, nativitas sanctorum Zoelli & aliorum novemdecim.

Apud Ephesum festivitas septem dormientium fratrum, hoc est, Maximiani, Malchi, [2] Martiani, Dionysii, Joannis, Serapionis, Constantini. Qui Decianam persecutionem post nimia & plurima tormenta fugientes, absconderunt se in spelunca grandi in monte Cælio, & ibi in oratione assidua permanserunt. Quod audiens Decius Impera-

1. Philippopolim.

2. Martiniani.



tor, juſſit obſtrui os ſpeluncæ, ut ibi interirent. Poſt trecentos autem & ſeptuaginta duos annos, hoc eſt, triceſimo anno Imperii Theodoſii filii Arcadii Imperatoris, quando pullulavit hæreſis, volens evacuare ſpem fidei & reſurrectionem mortuorum, ipſi ſeptem fratres, qui in prædicta ſpelunca uſque ad illud tempus quieſcebant, divina proviſione ſuſcitati ſunt de ſomno longiſſimo, & comprehenſi a quibuſdam, eo quod pecuniam ſui temporis jam nunc antiquiſſimam in mercatum adduxerint ad comparandum ſibi victum quotidianum, in præſentiam hominum illius ætatis adducti, quaſi inventores antiquorum theſaurorum cogebantur reddere, quod putabantur tenere. Sed poſt multam concertationem, & ſanctorum nimiam tribulationem, quia ſuſpicabantur ſe veſpere de civitate exiſſe & mane rediſſe, licet immutata eſſet in oculis eorum. Tandem veniente Marino Epheſiorum Epiſcopo, & veritate rei difficulter exſculpta, liberati ſunt de manibus violentorum: ac Theodoſio Imperatori de longinquis mundi partibus advocato, in teſtimonium futuræ reſurrectionis præſentati, iterum in locum quietis priſtinæ redierunt. In civitate Ambianenſium inventio corporum ſanctorum Fuſciani, Victorici, atque Gentiani.

28 D. *IV. Cal. Julii.*

APud Lugdunum Galliæ nativitas ſancti Irenæi Epiſcopi. Qui beato Photino prope nonagenario, ob Chriſti martyrium coronato, in locum ejus ſucceſſit. Quem etiam conſtat beatiſſimi Polycarpi diſcipuli ſancti Joannis Apoſtoli, Sacerdotis & Martyris fuiſſe diſcipulum. Quique perſecutione Severi cum omni fere civitatis ſuæ populoglorioſe coronatus eſt martyrio, ſepultus eſt a Zacharia Presbytero, in Crypta Baſilicæ beati Joannis Baptiſtæ ſub altari. Cujus ab uno latere Epipodius, ab altero Alexander Martyr eſt tumulatus.

Eodem die apud Alexandriam, paſſio ſanctorum Martyrum, Plutarchi, Sereni, Heraclidis, Herois. Item Sereni, Potamienæ, Marcellæ, & Catechumenæ Heræ nomine, baptiſmum martyrio confectæ. Inter quas præcipua erat Potamiena virgo: quæ primo immenſos & innumeros agones pro virginitate deſudans, deinde etiam pro Chriſti martyrio exquiſita & inaudita tormenta perpeſſa, ad ultimum cum venerabili matre Marcella ignis ſupplicìis conſumta, e terris migravit ad cælum.


Eodem die depoſitio ſancti Leonis Papæ. Qui poſt beatum Petrum Apoſtolum, quadrageſimus ſeptimus in urbe Roma ſedit annos viginti & unum, menſem unum, dies tredecim. Hic plurima doctrina exuberans, & cum multis Epiſcopis fidem Catholicam exponens, Eutychianam & Neſtorianam hæreſim damnavit, & ſanctiſſimum Calcedonenſe Concilium ſua induſtria congregari fecit. Hic conſtituit intra actionem dicere, *ſanctum ſacrificium*, & Monacham non accipere velamen capitis benedictum ab Epiſcopo, niſi prius virginitas illius probata fuerit. In Africa, Fabiani & Felicis cum aliis multis Martyribus. Vigilia ſanctiſſimorum Apoſtolorum Petri & Paulli.

29 E. *III. Cal. Julii.*

ROmæ natalis beatorum Apoſtolorum Petri & Paulli, qui paſſi ſunt ſub Nerone Cæſare, Baſſo & Tuſco Conſulibus. Petrus poſt multorum millium Judæorum converſionem ad Dominum Jeſum Chriſtum, poſt vocationem Cornelii & plurimorum gentilium: poſt Epiſcopatum Antiochenæ A Eccleſiæ & prædicationem diſperſionis eorum, qui de circumciſione in Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia & Bithynia in Chriſtum crediderant, ſecundo Claudii anno ad expugnandum Simonem Magum, immo ad illuminationem Occidentalium, & medicamentum in anima & corpore languentium, a Deo directus Romam pervenit. Ibique viginti quinque annis cathedram ſacerdotalem uſque ad ultimum Neronis annum tenuit: a quo & cruci affixus, martyrio coronatus, capite ſecundum petitionem ſuam ad terram verſo, & pedibus in ſublime ſupinatis, quia videlicet indignum ſe crederet, qui ita crucifigeretur ut Dominus ſuus: ſepultuſque apud eamdem urbem in Vaticano, juxta viam B triumphalem, totius orbis veneratione celebratur, & cunctis ex fide ſe inquirentibus multis & inenarrabilibus modis opitulatur. Scripſit duas Epiſtolas, quæ Canonicæ nominantur: quarum ſecunda propter ſtili cum priore diſſonantiam, ejus a pleriſque negatur. Sed vere ipſius eſſe, a cunctis ſanum ſapientibus approbatur. Hic ordinavit duos Epiſcopos, Linum videlicet & Cletum, qui præſentaliter omne miniſterium ſacerdotale in urbe Roma populo vel ſupervenientibus exhiberent. Ipſe vero orationi & prædicationi operam dabat. Sicut etiam Hieroſolymis Diaconibus ad viduarum ac pupillorum miniſterium conſtitutis, ipſe cum ceteris Apoſtolis orationi ac verbo ſemper erat inſtans.

C Paullus quoque poſt paſſionem Domini viceſimo quinto anno, id eſt, ſecundo Neronis, poſtquam ab Jeruſalem uſque in Illyricum Evangelium Chriſti replevit, Romam quidem vinctus directus, ſed a Deo mirabiliter abſolutus, ſub libera cuſtodia ingreſſus eſt, & ſicut ipſe in ſecunda ad Timotheum Epiſtola ſcribit, *liberatus de ore leonis*, ferociſſimi videlicet perſecutoris Neronis, Evangelium Chriſti in Occidentis quoque partibus prædicavit, & ipſe quarto decimo Neronis anno, eodem die quo Petrus, Romæ pro Chriſto capite truncatus, ſepultus eſt in via Oſtienſi, anno poſt paſſionem Domini triceſimo ſeptimo. Scripſit autem novem immo decem, juxta Decalogum legis, epiſtolas ad D ſeptem Eccleſias: Ad Romanos unam, ad Corinthios duas, ad Galatas unam, ad Epheſios unam, ad Philippenſes unam, ad Coloſſenſes unam, ad Theſſalonicenſes duas, ad Hebræos unam. De qua licet a quibuſdam propter diſſimilitudinem dictorum atque ſententiarum, & quia nomen illius in titulo non habetur, quondam dubitatum ſit, nunc & inter Canonicas ſcripturas, & ipſius beati Paulli Apoſtoli indubitanter habetur. Præterea ſunt & aliæ ad diſcipulos ejus quatuor, ad Timotheum duæ, ad Titum una, ad Philemonem una. Legunt quidam & ad Laodicenſes, quæ tamen pro nihilo reputatur ad ſapientes. Commemoratis igitur quæ ad Apoſtolatum vel martyrium ejus pertinere videE bantur, liceat paucis, quamvis ordine præpoſtero, aliqua de genealogia vel educatione ſive electione ipſius ad memoriam ſtudioſorum revocare. Saulus itaque aut Saul certe, ut juxta Hebraicum idioma loquar, quia ipſum nomen in tribu Benjamin unde ille erat, propter Saul regem maxime excellebat, ex oppido Giſcalis oriundus fuit. Quo a Romanis capto, cum parentibus ſuis Tharſum Ciliciæ tranſmigratus eſt. A quibus ob ſtudium litterarum Hieroſolymam directus, a Gamaliele antiquæ legis peritiſſimo, ac poſtea in Evangelium Chriſti vocato, in tantum eruditus eſt, ut vas electionis ab ipſo datore ſpiritualium chariſmatum, non immerito nuncupari mereretur. Cum autem in nece beati Stephani Protomartyris Chriſti, Judæis Chriſtianorum perſecutoribus conſentaneus eſſet, ac poſtea

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 900.



per totam illam provinciam omnes eo nomine inſignitos acerrime debellaret, atque ut ipſe confitetur, Jeſu Nazareni cultores uſque in exteras nationes perſequeretur: in quibus, dum Damaſcum metropolim videlicet Syriæ pergeret, revelatione ſubita, immo pœna digniſſima compulſus ad fidem, in Doctorem gentium de perſecutore eſt translatus. Cumque primum ad prædicationem ejus Sergius Paullus Proconſul Cypri credidiſſet, eo quod eum Chriſti fidei ſubegerat, ejus ſortitus eſt nomen.

Et quia de beati Paulli origine ſeu vocatione pauca propoſuimus, etiam de ceteris Apoſtolis ſine præjudicio ſapientum aliqua narrentur ad inſtructionem ignorantium. Ac primum ſciendum, quia cum duodecim Apoſtoli a Domino referantur electi, quorumdam eorum patria vel tribus aut denique vocatio non aperte videatur expreſſa. Sed diligentius inſpectis divinæ ſcripturæ paginis, neque hæc pie quærentibus, invenienda negantur. Et de Petro quidem & Andrea atque Philippo quod de Bethſaida, quæ nomine proprio venatores noſtros præfigurarunt, orti fuerint, nullus qui Evangelium legit, ignorat. Quod etiam de Jacobo & Joanne intelligendum, Lucas nobis inſinuat cum eos Simonis, qui ob firmitatem fidei, Petrus a Domino cognominari meruit, ſocios fuiſſe commendat. De Jacobo autem minore, qui frater Domini non ſolum a fidelibus, verum & a Joſepho Judæorum hiſtoriographo nuncupari ſolet, & fratribus ipſius Simone ac Juda ſive Thaddæo quin de tribu Juda fuerint, nullus Chriſtianorum dubitare permittitur. De vocatione vero Matthæi, cum tribus Evangeliſtis conſonantibus apertiſſime referatur, de tribu vel patria ipſius taceri videtur. Sed dum Marcus & Lucas eum tacito vulgato nomine Levi nuncupat, aut dionymon juxta quoſdam, aut de tribu Levi, juxta diligentiores, fuiſſe deſignant. Porro de Bartholomæo atque Thoma nihil aliud quibuſdam in litteris Apoſtolicis ſignificari videtur, niſi quod ex multitudine diſcipulorum ſelecti narrantur in apoſtolicum gradum. Sed & in eis, ſi quis acutius intueatur, ſacræ ſcripturæ profundiſſimos rimando theſauros fontium [1] Jeruſalem divitias ſe inveniſſe gratulabundus admiratur. Sicut in Pſalmo de reſurrectione & aſcenſione Domini atque donis Spiritus ſancti, Apoſtolorumque prædicatione, nec non & credulitate gentium ſive crudelitate perſequentium conſcripto cantatur: *In Eccleſiis: benedicite Deo Domino de fontibus* [2] *Jeruſalem. Ibi Benjamin adoleſcentulus*, (Paullus videlicet, ſicut etiam Lucas de illo repetivit, *ſecus pedes adoleſcentis*,) *in mentis exceſſu* (velut idem de ſe profitetur: *Sive mente excedimus Deo, ſive temperantes ſumus vobis*.) *Principes Juda, duces eorum*. (Jacobus ſcilicet, Simon & Judas,) *Principes Zabulon, principes Nephthalim*. Reliqui procul dubio cuncti præter Judam Scarioth, quod interpretatur, *meditatio mortis*, deſignata non inconvenienter accipiatur, etiam tranſmutatione litterarum, quia de tribu Iſachar, quod in Latina lingua, eſt merces, exprimitur, & ortus, & ipſius nominis heres ſeipſum profligando fuerit, a tractatoribus Evavgelii commendatur. His breviter per exceſſum commemoratis ad propoſitum redeamus.

Eodem die, id eſt tertio Calendas Julii, quod eſt ante unum diem Calendarum earumdem, Romæ paſſio nongentorum ſeptuaginta ſex Martyrum. In Perſide nativitas ſanctorum Simonis & Judæ Apoſtolorum.

30 F. *II. Cal. Julii.*

Romæ, immo per totum orbem Chriſti, feſtivitas ſancti Paulli Apoſtoli. Item natalis beatiſſimæ Lucinæ, quæ ab Apoſtolis baptizata eſt inſtructa: quæque de facultatibus ſuis neceſſitatibus ſanctorum communicans, vincula ſemper & carceres ſublevare, atque ſepulturis eorum venerabiliter inſervire ſtuduit. Quorum meritis & ipſa ſociata pretioſam mortem confeſſione Chriſti adepta, atria cæleſtis Jeruſalem intrare vota ſua Domino perſolvendo meruit: ac Romæ in Crypta laudabili, quam ipſa ad condendum corpora Martyrum conſtruxerat, honorabiliter eſt ſepulta. In Africa, Timothei & Zotici. In Agrippina, Aſclepii & Pamphili. [3] Lemodicis, depoſitio ſancti Martialis Epiſcopi & Confeſſoris.

Menſis Julius habet dies triginta & unum.

1 G. *Calendis Julii.*

IN monte Or, depoſitio Aaron primi Sacerdotis in lege. Romæ nativitas ſancti Gaii Papæ, & aliorum non paucorum Martyrum. In Meſopotamia, Zoelli cum aliis plurimis [4] Uronis, [5] Monegundæ ſanctiſſimæ feminæ, apud beatum Martinum incluſæ, ſed miraculorum oſtenſione celeberrimæ. In territorio Lugdunenſi, loco qui vallis Vebrona nuncupatur, depoſitio viri Dei beatiſſimi Domitiani Abbatis, qui primus illic eremiticam vitam exercuit, & plurimos ſibi in Dei ſervitio aggregans, Monaſterium inſtituit, magniſque virtutibus, & glorioſis miraculis clarus, collectus eſt ad patres ſuos in ſenectute bona.

Eodem die depoſitio Areleſſi Confeſſoris. Qui ab infantia Deo deditus, monaſticam vitam expetivit, & a ſancto Maximino Aurelianenſi Epiſcopo, ſimul cum Avito ſocio Presbyter ordinatus, vitam ſolitariam deſiderans, ſed proficientibus meritis latere nullatenus, divino id factum nutu, nequiens, & Monaſteria in diverſis locis ædificans, multis virtutibus & in carne manens, & poſt obitum claruit. Sed quia virtutum nomine aliquando vitæ ſanctitas, aliquando miraculorum efficacia deſignatur, unum de miraculis per ſanctitatem illius oſtenſis, ad comprimendum temerariam mulierum audaciam, in hoc Eccleſiaſticarum hiſtoriarum breviario commemorare ſufficiat. Audiens quædam mulier nomine Gunda, quia ſanctus Areleſſus muliebri ſexui, per quem virile robur ſolet emolliri, interdixiſſet aditum in Monaſterium ſuum, aſſumto viri habitu, quaſi ſancto Dei illuſura, & ut ſibi videbatur jam voti ſui compos effecta, inter multitudinem virorum tendebat ad Cœnobium. Et ecce ſubito in amentiam verſa, femora denudare, crura divaricare, & pudenda proprio nomini cognomina cœpit oſtentare, & quod pudet dicere, niſa eſt baſiare: atque exemplo uxoris Loth, etſi non in ſtatuam ſalis mutata, ſed pœna ſua condimentum fatuis effecta, præſentibus & abſentibus, immo etiam futuris metum curioſitatis incuſſit.

1. Iſrael, 2. Iſrael, 3. Lemovicis. 4. Turonis. 5. Monegundiæ.

2 A. *VI. Nonas Julii.*

ROmæ nativitas sanctorum Processi & Martiniani. Qui cum viderent mirabilia, quæ faciebat per beatos Apostolos suos Petrum & Paullum Dominus Jesus Christus, mirari cœperunt. Erant enim tunc temporis beatissimi Apostoli traditi Paullino viro clarissimo sub custodia Mamertini in monte Tarpejo. Ubi de monte suis orationibus aquam manare fecerunt. Tunc baptizati sunt Processus & Martinianus a beato Petro Apostolo, & alii promiscui sexus numero quadraginta septem. Quod cum nuntiatum esset Paullino, misit milites & tenuit eos, jussitque in custodia retrudi. Sequenti autem die educti cum constantissime [1].

Rusticus e contra intulit: Nunc inquiens agnovimus, quia inreligiosus, incantator ac magus es, qui mane comedis, cervas mulges, vestem de radio Solis appendis, si infantem in Dei nomine loqui non feceris. Tandem igitur post refragationem diutissimam sanctus vir, humilitatem suam aliquantulum postponere & potentiam manifestare coactus, conversus ad infantem dixit: *Adjuro te per Jesum Christum filium Dei vivi, ut fatearis coram omnibus, quis te genuerit, aut quæ pepererit*. Ad quæ infantulus fandi gratia ab omnium auctore percepta, absolutissimo sermone respondit: *Pater meus iste Rusticus est Episcopus, & mater mea sanctimonialis est illa*. Sicque obstinatus ille Episcopus in scelere suo denudatus, a veraci famulo Dei pœnitentiæ consilium accepit, & sanctus Sacerdos Goar a Christo glorificatus, ad locum suum rediit, ac de die in diem in augmento virtutum proficiens in pace requievit.

7 F. *Non. Julii.*

APud Alexandriam Ægypti, nativitas sancti Pantæni viri Apostolici & omni sapientia adornati. Cui tantum studii & amoris erga verbum Dei fuit, ut etiam ad prædicandum Christi Evangelium omnibus gentibus, quæ in Orientis ultimis secessibus reconduntur, fidei & devotionis calore profectus sit, & usque ad Indiam citeriorem prædicando pervenerit. Ubi reperit Bartholomæum unum de duodecim Apostolis, adventum Domini Jesu Christi juxta Evangelium Matthæi prædicasse. Quod Hebraicis litteris scriptum, revertens Alexandriam secum detulit: ibique præclaram & nobilem vitam beato fine conclusit. Ibidem sanctorum Heraclii, Helii, Apollonii, Publii cum aliis viginti.

Romæ passio beatorum Martyrum Nicostrati primiscrinii, Claudii commentariensis, Castori sive Castuli, Victorini, Symphoriani, vel sicut in libro sacramentorum continetur, Semproniani. Quorum natalem sexta die Iduum Novembris eatenus nos celebrasse credidimus, donec venerabilis Pater Ado alios & alios pro eis nobis honorandos insinuaret: de quibus in suo loco, vita comite, commodius differetur. Hos ergo beatus Sebastianus credere in Christum docuit, & sanctus Polycarpus Presbyter baptizavit. Qui cum sanctorum corpora per ora Tyberina requirerent, tenti sunt, & ad Fabianum urbis Præfectum perducti. Qui cum per dies decem minis & blanditiis satageret, ut eos ad immolandum idolis provocaret, & nullum penitus a

A stabilitate fidei commovere posset, fecit de eis suggestionem Diocletiano & Maximiano Imperatoribus: quique jusserunt eos torqueri. Cumque nulla ratione compulsi cederent, jusserunt eos in mare præcipites dari. Immensis itaque arctati ponderibus, pelagi fluctibus dati sunt, ut in loco mundo inter aquas coronam martyrii percipere mererentur.

8 G. *VIII. Idus Julii.*

IN Asia minore nativitas sancti Aquilæ & Priscillæ uxoris ejus. De quibus in Actibus Apostolorum legitur, quod apud eos beatus Apostolus Paullus propter idem artificii genus, quod illi &
B eisdem erat commune, moraretur & operaretur, postquam ipsi ab urbe Roma in Achajam devenerunt. In Palæstina, sancti Procopii Martyris: qui ab Scythopoli ductus Cæsaream, ad primam responsionum confidentiam irato judice Fabiano capite cæsus est. In Nicæa Sostrati Senatoris, Severi & Honorati, cum aliis multis. In Tauromino, Speri, & Corneliani cum aliis sexaginta. In pago Austriæ, id est, novæ Franciæ castro, immo civitate, ut Teutonico nomine prodit Wirzburg, juxta Moin fluvium sita, passio sancti Chiliani, primi ejusdem civitatis Episcopi, & duorum discipulorum ejus [2] Colonati scilicet Presby-
C teri, & Tomani Diaconi. Qui ab Hibernia Scotorum insula venientes, & a Pontifice sedis Apostolicæ auctoritate accepta, nomen Christi in eodem loco & in circuitu prædicaverunt. Cumque multum populum idem vir Apostolicus signis & verbo Domino adquireret, a duce locorum eorumdem nomine Cozperto, pro eo quod eum a conjugio uxoris fratris sui disjungere niteretur, factione ejusdem incestuosissimæ Geilæ, cum sociis eodem zelo ferventibus, est interemtus. Ad quorum memorias cum plurima semper fiant miracula, his tamen indiciis pretiosa mors eorum primum mortalibus est commendata. Nam is qui eos in oratione positos nocturno tempore silentio peremit, huc &
D illuc amens discurrendo, ac se reum necis sanctorum clamitando, seque ipsum dentibus suis laniando, quia igne invisibili a sancto Chiliano sibi videbatur exuri, commissum suum ipse publicavit. Geilam quoque etiam ipso nomine petulcam spiritus malignus invasit, & indignam ejus vitam dignissima morte finivit. Cozbertum vero servi sui occiderunt gladio. Filium autem ejus populi propulerunt de regno. Ad augmentum quoque sanctitatis Martyrum declarandum, cum post annos plurimos transferendi gratia detegerentur, contra naturam ejusdem regionis supra modum humidæ, libri eorum ac vestimenta omnia pariter cum eis
E subterrata, ita sunt illæsa reperta, quasi in scrinio super terram posito essent inclusa.

9 A. *VII. Idus Julii.*

ROmæ ad guttam jugiter manantem nativitas sancti Zenonis, & aliorum decem millium, ducentorum & trium. Item Floriani & Fausti.

In civitate [3] Tyro non longe ab urbe Roma, Anatoliæ & Audacis sub Decio Imperatore. Quorum Anatolia cum multos in Piceno infirmos, lunaticos ac dæmoniacos curasset, ducta est jubente Faustiniano ad civitatem [4] Tyri, & diversis plagarum generibus vexata, deinde cum serpente to-

1. Hic iterum desiderantur aliquot pagellæ in manuscripto Codice.

2. Colomanni. 3. Thoræ. 4. Thoræ.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 900.

ta nocte inclusa, nihil læsa est. Quin & ipsum Marsum, qui serpentem dimiserat, nomine Audacem mane a suo serpente devorandum eripuit, & ad Christi martyrium convertit. Nam & ipse post hoc ob confessionem veritatis in custodiam datus, nec mora, capitali sententia coronatus est. Ipsa quoque Christi virgo gladio transverberata, cum staret extensis manibus in oratione, ita ut per dextrum latus gladius missus, per sinistrum exiret, passa est septimo Iduum Julii, sepulta autem est mane a civibus [1] Tyrensibus. Mediolani nativitas sancti [2] Mochimi. In Ægypto, Cyrilli Episcopi. Qui a Lycio duce flammis injectus, illæsus evasit: ac stupore tanti miraculi a judice dimissus, cum rursus verbum Dei alacriter prædicaret, ac plurimos efficacius ad fidem Christi converteret, judex impietate repletus, eum capite plecti jussit, atque optatum martyrii finem consumavit. Item in Ægypto, sancti Serapionis Episcopi & Confessoris.

In civitate Martulana sancti [3] Brici Episcopi & Confessoris: qui sub judice Martiano postquam os lapide contusum est, & in equuleo crudelissime cruciatus, in confessione Domini perdurans, in carcerem trusus est: nocte autem terræ motu gravi civitas est percussa, inter alios plures etiam Martianum occidit. Et Christi confessor ab Angelo sancto, & a beato Petro Apostolo visitatus, usque ad prædicandum Evangelium confortatus, magnas populorum credentium multitudines omnipotenti Deo lucrifaciens, quievit in pace. Cujus animam viderunt astantes in specie columbæ niveæ cælo recipi.

10 B. *VI. Id. Julii.*

Romæ nativitas septem fratrum filiorum sanctæ Felicitatis, id est, Januarii, Felicis, Philippi, Sylvani, Alexandri, Vitalis, Martialis. Qui sub Præfecto urbis Publio tempore Antonini Principis primum auditi, deinde per diversos Judices, ut variis suppliciis laniarentur, missi sunt. E quibus Januarius post verbera virgarum & carcerem ad plumbatas occisus est. Felix & Philippus fustibus mactati. Sylvanus præcipitio interemtus est. Alexander, Vitalis & Martialis capitali sententia puniti, a caritate Christi & unitate fidei non sunt vel in morte divisi. Item Romæ milliario decimo, fundo Plautillæ qui dicitur Buxo, sanctarum Rufinæ & Secundæ sororum, patre clarissimo Asterio & matre Aurelia genitarum: sub persecutione Valeriani & Gallieni, judicibus Julio Præfecto, & Archisilao comite, in loco prædicto, pro eo quod sponsos suos a Christo apostatatos accipere noluerunt, capite cæsæ sunt. In Africa sanctorum Januarii, Marini, Naboris & Felicis, ob constantiam Christianæ fidei decollatorum: quorum corpora postea Mediolanum sunt translata.

11 C. *V. Idus Julii.*

Romæ passio sanctorum Stephani, Leontii, Mauritii & aliorum multorum. In Africa [4] Mariani & Januarii. In Armenia minore civitate Neapoli, sanctorum Martyrum Januarii & Pelagiæ. Qui equuleo, ungulis, & testarum fragmentis diebus quatuor cruciati, martyrizaverunt. Translatio sancti Benedicti Abbatis a castro Cassino sive Cassiani in Gallias vel Aquitaniam. Postquam enim, sicut ipse vivens prædixerat, Monasterium ejus a gentibus est vastatum, hominibus tantum juxta sententiam illius: *Vix obtinui apud Deum omnipotentem, ut ex hoc loco mihi animæ cederentur*, illo intercedente salvatis. Corpus ipsius a religiosis quibusdam Domino revelante repertum, & in Gallias translatum, atque in territorio Aurelianensi, Monasterio quod vocatur Floriacum, digne sepultum, & multo dignius frequentatione devotorum est jugiter honoratum. Translata sunt etiam pariter ossa beatæ Scholasticæ virginis sororis ejus, atque in partibus Cænomanensium religiosorum devotione conditum. Cujus animam idem vir Dei e corpore egressam, vidit in columbæ specie cæli secreta penetrare, corpusque ejus secum in uno jussit poni sepulcro, ut quorum mens una semper in Deo fuerat, eorum quoque corpora nec sepultura separaret. Sed væ miserorum meritis, per quos separationem passa sunt, quæ dispositione sancti Spiritus conjungi meruerunt! Sed non diu locus ille sanctorum reliquiis honorabilis, a fidelium conventu mansit inanis. Nam fratres qui hostium manus evadere potuerunt, iterato in unum conglobati, & aliis ad vicem dispersorum adhibitis multiplicati, sacros cineres, seipsos jam cautius agentes, satis religiose curarunt: donec nuper infestatione Saracenorum in omnem ventum dispersi sunt.

12 D. *IV. Id. Julii.*

Apud Aquilejam nativitas sancti Hermagoræ vel sicut in antiquis Codicibus invenitur, Hermechoræ, primi ejusdem civitatis Episcopi, discipuli sancti Marci Evangelistæ. Item Fortunati, de quo Fortunatus Episcopus, *Et Fortunatum fert Aquileja suum*. In Cypro beati [5] Nasonis, antiqui Christi discipuli. Romæ in Vaticano depositio S. Pii Papæ, qui sedit in Episcopatu annis octodecim. Sub hujus tempore Hermes librum conscripsit, qui appellatur Pastor, quia in habitu pastoris ei angelus apparuit. Mediolani translatio sanctorum Martyrum Naboris & Felicis, qui sexto Idus Julii cum Januario & Marino in Africa decollati, hac die Mediolanum sunt deportati. De quibus beatum Victorem in passione sua credo supplicasse: *Ne separes me Domine a civibus meis martyribus tuis Nabore & Felice.* Lugduno Galliæ, depositio Viventioli Episcopi.

13 E. *III. Idus Julii.*

Transitus Esdræ instauratoris divinæ legis. In Alexandria Serapionis, Evangeli, Zenonis & aliorum ac Trophimæ virginis. Romæ sancti Cleti Papæ, qui sedit in Episcopatu annis duodecim. Hic cum esset Chorepiscopus beati Petri Apostoli, ex præcepto illius ordinavit in urbe Roma Presbyteros viginti quinque, & sepultus est juxta corpus ipsius. In Africa nativitas sanctorum Confessorum, immo victoriosissimorum Martyrum Eugenii Carthaginiensis Episcopi, fide & virtutibus atque miraculis gloriosi, & universi Cleri ejusdem Ecclesiæ. Qui cæde inediaque macerati fere quingenti vel amplius, inter quos quam plurimi erant Lectores, infantulique gaudentes in Domino, crudeli exsilio procul extrusi sunt. In quibus erant nobilissimi Archidiaconi nomine Salutaris, & Mauritta secundus in officio ministrorum. Qui plurima pro confessione Catholica perpessi supplicia, & tertio Confessores effecti, gloriosæ in Christo perseverantiæ titulo collustrati sunt. In Antiochia, passio Margarethæ virginis: quam Olibrius Consul a

1. Thorensibus. 2. *Forte* sancti Nonæ. 3. Brictii. 4. Marini. 5. Jasonis.



Chriſti fide ſeducere & conſtuprare cupiens, non conſentientem ſibi plurimis tormentis afflixit. Hoc eſt, in equuleo ſuſpenſam ungulis acerbiſſimis lacerari, ac poſtea in carcerem tenebroſum conjici præcepit, ubi multimodas diaboli ſeductiones, quas ei in ſpecie draconis & æthiopis ingerere niſus eſt, in nomine Domini Jeſu exſuperans, noviſſime decollata, ad requiem migravit æternam.

14 F. *II. Idus Julii.*

IN Alexandria, nativitas SS. Martyrum Mammarii, Petri, & aliorum. In Africa Donatæ. In Ponto S. Phocæ ſive Phocatis Epiſcopi civitatis Synopis. Qui ſub Trajano Imperatore, Præfecto Africano, carcerem, vincula, ferrum, ignem etiam pro Chriſto ſuperavit: cujus reliquiæ in baſilica Apoſtolorum in Gallia civitate Vienna habentur. Lugduno Galliæ, ſancti Juſti Epiſcopi & Confeſſoris: qui fervore divinæ contemplationis in anachoretica converſatione defunctus, & ad civitatem ſuam glorioſe translatus, ingenii ſui monumenta in Cantica canticorum reliquit inſignia. Item ſancti Amici Epiſcopi.

15 G. *Idibus Julii.*

NIſibi civitate, natalis ſancti Jacobi Epiſcopi, magnæ virtutis viri, ita ut ad ejus preces ſæpe urbs diſcrimine liberata ſit. Hic unus fuit ex numero Confeſſorum ſub perſecutione Maximini, & eorum qui in Nicæna Synodo perverſitatem Arii homouſii oppoſitione damnarunt: atque intra muros urbis ſuæ ex præcepto Conſtantini Imperatoris ad tutelam & munimentum ſepultus, poſtea zelo Juliani apoſtatæ extra urbem elatus & conditus eſt. Sed mox eadem civitas tanti patroni orbata reliquiis, Perſarum ditioni ſuccubuit. Qui etiam adhuc in corpore multa ſigna fecit, & arcam Noe ſolus in monte Armeniæ Tauro videre promeruit, quod nulli alii de his qui cum eo perrexerant, videre permiſſum eſt. In portu Romano Eutropii, Zoſimæ & Bonoſæ ſororum. Apud Alexandriam ſanctorum Philippi, Zenonis, Narſei & decem infantum. Carthagine ſanctorum Catulini Diaconi, Januarii, Florentii, Juliæ & Juſtæ, qui ſunt poſiti in Baſilica Fauſti. In Sirmio, Agrippini, Secundi, Maximi, Fortunati, Martialis.

16 A. *XVII. Cal. Auguſti.*

IN Oſtia natalis ſancti Hilarini. Qui ſanctorum hilariſſimus ſuſceptor & ſuſtentator, dum ſub perſecutione Juliani cogi non poſſet ſacrificare idolis, fuſtibus cæſus, martyrium conſumavit. Apud Antiochiam Syriæ ſancti [1] Euſtachii Epiſcopi & Confeſſoris. Qui ſub Conſtantio Principe ob Catholicam fidem intra [2] Janopolim urbem Thraciæ pulſus exſilio, ibidem primo requievit. Item Theodoſii, Dionyſii, Theodoti. In Cæſarea Cappadociæ, ſancti Paulli, cujus geſta ſancto Hieronymo, ut ipſe confitetur, agnita, noſtræ tarditati ſunt ignota. Apud eamdem urbem paſſio ſancti Mammetis. Qui in monte Syna divina invocatione perveniens, & non propriam ſed cælo delapſam ad paranda miracula virgam accipiens, ea terram attigit, & mox Evangelium proſilivit. Quod cum legere cœpiſſet, omne genus ferarum manſuetis animalibus manſuetius eſt effectum, adeo ut la-


A ctantes feminæ ultro ſe mulgendas applicarent. Cumque lactis coagula preſſiſſet in caſeum, perrexit ad Cæſaream Palæſtinæ, & viduis ac debilibus & ceteris pauperibus miniſtravit. Quod videntes Hieroſolymitæ Judæi omnium bonorum invidi, detulerunt eum quaſi arte magica imbutum apud Præſidem Cappadociæ ab Alexandro tyranno ad procurationem partium earumdem directum: quo modo ad exhibitionem ejus manum militiæ deſtinante, & ſancto Mamma eoſdem executores ſuos caritatis intuitu paſcente, & poſt prandium Evangelium lectitante, tantus ferarum ac beſtiarum concurſus eſt effectus, ut ſe milites effugium non habituros, crederent. Quos vir benigniſſimus blande conſolatus B ante ſe præmiſit, & leoni immaniſſimo præcipiens, ut poſt ſe veniret ad theatrum, milites e veſtigio ſubſecutus eſt. A quibus Præſidi aſſignatus, & ab eo crudeliter examinatus, & crudelius ungulis in equuleo laceratus, ac deinde in carcerem miſſus, quadraginta alios, quos ibi fame ac ſiti periclitatos invenit, melle & lacte per columbam ſibi cælitus delato reficiens, & meritorum ſuorum clavibus inviſibiliter abſolvens, & ipſe ſolus in carcere perſiſtens, iterum Præſidi præſentatur. A quo in caminum ignis miſſus, & poſt quinque dies illæſus inter Angelorum choros repertus, urſæ crudelitatis nimiæ objicitur, quæ magno impetu ad diſcerpendum eum feſtinans, divino nutu ſubito retroacta C ſubſedit, quaſi audaciæ ſuæ ſemetipſam accuſans. Admiſſus eſt ei etiam pardus, obſecutus eſt potius, quam ei injurioſus effectus. Tunc Præſes iracundia plenus, leonem crudeliſſimum ad devorationem ejus inquiri præcepit. Et ecce Arabicus ille, & tanto curſu efferatus leo theatrum irrumpens, Evangelicæ lectionis aſſiduitate manſuefactus beato Mammæ his eum verbis alloquitur: *Salve o probate Dei cultor, in quo Spiritus ſanctus habitaculum ſibi dulce conſtruxit. Ecce Angelica juſſione vocem ad tempus accepi, fides tua naturæ jura ſuperavit, pro te mutis animalibus humana vox creditur; officia reddo paſtori, memini cui paruerimus in monte.* Hæc eo loquente, ab Angelis theatri clauſæ ſunt januæ, D & ſtatim ille horridis rictibus fremens, per omnes populi cuneos communiter ſævit. Hos ex induſtria [3] lene lacerat, illos ore excipit, hos frangit amplexu, confringit alios unguibus, nonnullos conſumit ſolo timore. Exſtinctis itaque omnibus gentilibus vel Judæis: Præſidi & officio ejus, ex præcepto Mammæ, vita conceditur. Qui pro beneficiis reddens injuriam, leonem jubet dimitti, in quo omnem ſpem putabat eſſe ſuæ victoriæ. Sed fera ut propius acceſſit, lingens ſancti veſtigia, poſcens veniam, volvebatur ad genua. Tunc omnis populus lapidibus eum obruere niſi ſunt, ſed incaſſum, nam ictus hinc inde volitando Martyrem non læſerunt. Sic integer inde diſceſſit, Deo vota per- E ſolvens. Et ecce vox e cælo lapſa eſt, quæ ait: *Aſcende Mamma, apertum tibi eſt cælum, & omnia paradiſi clauſtra reſerata. Jam pro te Dominus exſultat, remunerans præmia pro triumphis: jam te cum corona Chriſtus exſpectat, propera cum ſancto Spiritu, qui te gubernat.* His victorioſiſſimus martyr gaudenter auditis, facta oratione, quievit in pace.

17 B. *XVI. Cal. Auguſti.*

IN Carthagine natalis ſanctorum Martyrum Scillitanorum, id eſt, Sperati, Martialis, vel Narthali, Aquilini, Cythini, Beturii, Felicis, [4] La-

1. Euſtathi. 2. Trajanopolim. 3. *Forte* leo. 4. Letarii.

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 900.



ctantii vel Lactatii, Januariæ, Generosæ, Bessiæ, A Donatæ & Secundæ. Qui sub Saturnino Præfecto de civitate sua Scylla Carthaginem perducti, & post primam confessionem Christi in carcerem missi, & in ligno confixi, mane gladio decollati sunt: quorum reliquiæ cum ossibus beati Cypriani & capite sancti Pantaleonis ex Africa in Gallias translatæ, venerationi habentur Lugduni in basilica beati Joannis Baptistæ. Mediolani, sancti Marcelli. Antisiodoro, depositio beati Theodosii Episcopi.

18 C. *XV. Cal. Augusti.*

ROmæ via Tyburtina milliario octavo, nativitas sanctorum Symphorosæ Martyris, ma- B trisque septem germanorum, quæ cum ipsis est posita, nomina vero germanorum hæc sunt: Petri, Marcelliani, Januarii, Dionysii, Sympronii, Clementis, Hirenei. Apud Carthaginem natalis sanctæ [1] Gundenes quæ [2] Plutio & [3] Zeto Consulibus jussu Rufini Proconsulis, quatuor diversis temporibus equulei extensione vexata, & ungularum horrenda laceratione cruciata, carceris etiam squalore diutissime afflicta, novissime gladio cæsa est. Apud civitatem Mettensem, depositio sancti Arnolfi Episcopi. Qui sanctitate & miraculorum gratia illustris, eremiticam vitam etiam in Episcopatu diligens beato fine quievit.

19 D. *XIV. Cal. Augusti.*

IN Hispaniis natalis sancti Justi: & in civitate Hispalensi sanctarum Justæ & Rufinæ. Quæ a Diogeniano Præside comprehensæ, equulei extensione & ungularum laniatione vexatæ sunt. Deinde trusæ in carcerem, inedia & dolore afflictæ. Post hæc jussit Præses, ut quocumque iret ipse, nudis pedibus sequerentur. Tandem Justa in carcere spiritum exhalavit. Corpus ejus in puteum projectum, & a Sabino Episcopo levatum, in Hispalensi cœmiterio sepultum est. Rufinæ cervix confracta, & corpus ejus igni traditum: cujus reliquiæ a fidelibus curatæ sunt. In Ægypto, Patris nostri Ar- D senii: de quo in verbis seniorum refertur, quia propter redundantiam lacrymarum tergendam, sudarium semper in sinu, vel in manu sua habuerit. In Alexandria, sancti Sisinnii. In Antiochia, Luciani & sociorum ejus. Constantinopoli, Dariæ. In Hispaniis, Justi. Apud Lugdunum Galliæ, depositio sancti Rustici Presbyteri & Confessoris. In Italia civitate Tyro, natalis sanctæ Crystinæ virginis juxta quosdam.

20 E. *XIII. Cal. Augusti.*

NAtivitas beati Joseph qui cognominatus est Justus, quique cum beato Matthia ut nume- E rum duodecimum impleret ab Apostolis statuitur. Sed Matthia locum Judæ prævaricatoris implente, beatus Joseph nihilominus prædicationis & sanctitatis officio inserviens, multasque pro fide Christi persecutiones a Judæis sustinens, victoriosissimo fine in Judæa quievit. De quo refertur quod venenum biberet, & nihil ex eo triste propter fidem Christi pertulerit. Apud Damascum, natalis sanctorum Sabini, Maximi, Juliani, Macrobii, [4] Cassii, Paullæ cum aliis decem. In Corintho, Cyriaci cum aliis multis. Romæ, sanctæ Passeriæ, Macrini, Saturi, & Æmylii.

21 F. *XII. Cal. Augusti*

DEpositio sancti Danielis Prophetæ. Romæ, sanctæ Praxedis virginis. Hæc cum sua sorore beata Potentiana vel Pudentiana a sanctissimo patre Pudente, qui fuit edoctus in fide a beato Apostolo Paullo, in omni castitate & lege divina erudita. Post transitum patris vigiliis & orationibus atque jejuniis assidue vacans, omne patrimonium suum simul cum beata sorore in sustentationem pauperum & Christi sanctorum erogavit. In titulo vero quem pater earum Pudens, nomine beati Pastoris dedicavit, una cum consilio beati Pii sedis sacrosanctæ & Apostolicæ Episcopi, fontem baptismi construere soror & ipsa studuerunt, ut familia earum die sancto Paschæ baptizaretur. Quos ad nonaginta sex numero manumissos, beatus Pius aquis salutaribus abluit. Inde post innumera pietatis opera, post multorum Martyrum sepulturas, eadem beatissima virgo migravit ad Dominum, coronam justitiæ a justo judice receptura. Sepulta in cœmiterio Priscillæ via Salaria juxta sororem suam, atque patrem Pudentem.

In Galliis civitate Massilia natalis sancti Victoris. Qui sub persecutione Diocletiani & Maximiani cum esset miles, & nec militare, & nec idolis sacrificare vellet, primum a Tribuno suo Au- C sterio in carcerem trusus, sed omni nocte ad visitandos & consolandos infirmos, ab Angelo eductus est. Deinde jussu Eutychii Præfecti retortis brachiis loris subtilibus ligatus, & pedibus fune constrictus, per mediam tractus est civitatem. Post hæc fustibus crudelissime cæso ac suspenso, & taureis cruciato, cum exhibuissent aram in qua sacrificaret, & eam nec respicere sustinens, de manu Sacerdotis calce excussisset, pedem Præses ejus jussit incidi. Ad ultimum in confessione Christi persistens, missus est in molam pistoriam, in qua sparsum vertigine animalis macerari solet, atque ita contritus, martyrium consumavit. Passi sunt cum eo tres milites Alexander, Felicianus, & Longinus. Puer quoque Deuterius, dum ad sepulcrum ejus oraret, emisit spiritum.

In urbe Cæsena nativitas sanctorum Adriani, Helii, Victoris, Petrocli & aliorum. Apud Veronam, translatio sancti Zenonis Martyris, de cujus sanctitate beatus Papa Gregorius commemorat, quia cum Atesis fluvius usque ad superiores Ecclesiæ fenestras, in qua venerabile corpus ipsius requiescebat, excresceret, patentibus januis aqua in eamdem Ecclesiam non intraret, sed haustum suum inclusis omnino non negaret.

22 G. *XI. Cal. Augusti.*

NAtivitas sanctæ Mariæ Magdalenæ, de qua ut Evangelistæ referunt, dæmonia septem Dominus ejecit. Quæ etiam inter alia dona insignia, Christum a mortuis resurgentem prima videre, & Apostolis prædicare promeruit. Depositio sanctæ Syntyches, quæ Philippis sepulta quiescit. De qua beatus Apostolus Philippensibus scribit: *Evodiam rogo, & Syntychen deprecor, idipsum sapere in Domino.* In Antiochia, Cyrilli Episcopi, Andreæ & Actebelli. In Ancyra Galatiæ, sancti Platonis.

1. Gundenis. 2. Planciano. 3. Geta. 4. Cassiæ.

23 A. *X. Cal. Augusti.*

APud Ravennam natalis sancti Apollinaris Episcopi & Martyris. Qui Romæ ordinatus a beato Petro Apostolo, illuc directus est. Qui etiam in Æmylia, & in partibus Corinthiorum & in Mysia, & in ripa Danubii, & in partibus Thraciæ, in quibus locis exsilio relegatus est, Evangelium Christi fiducialiter adnuntiavit. Et ubicumque pervenit, innumeras virtutes ostendit, & plurimas passiones sustinuit. Nam nimia cæde frequenter ac diu mactatus, ac nudis pedibus super prunas impositus, atque equuleo suspensus, crudelissime tortus est, & saxo os ejus contusum, & cum gravissimo ferri pondere inclusus in carcere horrifico, atque in ligno extensus est. Ubi ab hominibus quidem est neglectus, sed ab Angelo publice pastus est. Deinde catenatus in exsilium trusus est, ibique rursum fustibus cæsus & vulneratus est, iterumque in carcerem missus est & cæsus, sic martyrium consumavit sub Vespasiano Cæsare Demosthene Patricio. Rexit Ecclesiam per annos viginti octo, mensem unum, dies quatuor. Romæ via Tyburtina, milliario decimo octavo, nativitas sancti Vincentii. Via Acula, sanctæ Primitivæ. In Laodicia Phrygiæ, Minisei & Isichii.

24 B. *IX. Cal. Augusti.*

ROmæ nativitas sancti Victorini. In Amiternina civitate, militum octoginta trium.

In Tuscia apud civitatem Tyrum, quæ est juxta lacum Vulsinum, passio sanctæ Christinæ virginis. Quæ in tenera adhuc ætatula Christi fide & gratia confortata, deos aureos Urbani patris sui Præfecti contrivit, & pauperibus distribuit. Ob hoc jubente patre alapis afflicta, verberibus dilaniata, ferro onerata, in carcerem conjecta est. Post hæc cum diutissime & crudelissime dilaniaretur, de carnibus suis patri in faciem projecit. Cumque alligata rotæ igni supposito, & fuso desuper oleo torreretur, erumpens flamma mille gentilium interfecit. Iterum carceri tradita, Angelo visitante sanata est & refecta. Deinde cum magno saxi pondere in mare jactata, Angelico præsidio liberata est: quam successor patris ejus Dion multis iterum suppliciis afflixit: sed orante illa, simulacrum Apollinis, quem adorare jubebatur, in favillam subito redactum est. Quo miraculo tria millia hominum ad fidem Christi conversa sunt. Novissime successor Dionis Julianus post fornacem candentem, ubi quinque diebus illæsa permansit, post serpentes a venefico immissos, sed fide Christi superatos, post abscissionem linguæ, sagittis eam configi præcepit: sicque cursum martyrii sui beata virgo complevit anno ætatis suæ decimo.

Apud Emeritam Hispaniæ civitatem, sancti Victoris militaris, qui cum duobus fratribus Stercatio & Antinogene diversis examinatus suppliciis martyrium consumavit. Eodem die natalis sanctarum [1] Niceæ & Aquilinæ. Quæ ad prædicationem beati Christophori Martyris ad Christum conversæ, martyrii palmam capitis abscissione sumserunt.

25 C. *VIII. Cal. Augusti.*

NAtale beati Jacobi Apostoli filii Zebedæi, fratris Joannis Evangelistæ. Qui jussu Herodis regis decollatus est Jerosolymis, ut liber Actuum A Apostolorum docet. Hujus beati Apostoli sacratissima ossa ad Hispanias translata, & in ultimis earum finibus, videlicet contra mare Britannicum condita, celeberrima illarum gentium veneratione excoluntur. Nec immerito, quia ejus corporali præsentia & doctrina atque signorum efficacia fidem populi ad Christi fidem conversi referuntur. Ad quorum fidei confirmationem etiam beatissimus Apostolus Paullus se iturum esse pollicetur.

In provincia Lycia civitate Samone, nativitas sancti Christophori: qui virgis ferreis attritus, & flammis æstuantis incendii Christi virtute salvatus, ad ultimum sagittarum ictibus confossus, martyrium capitis obtruncatione complevit. In Hispania B civitate [2] Barcilone, Cucufatis Martyris. Qui ex civitate Scyllitana oriundus fuit, sed Barcilone sub Galerio Proconsule, & Maximiano & Rufino passus: primo gravissime tortus & cæsus, deinde catenis astrictus, in craticula superextensus, aceto & sinapi perfusus, assari jussus est. Cumque ab igne & flammarum globis illæsus apparuisset, ex præcepto impii judicis extra civitatem ductus, in ignem copiosum iterum projectus est. Quo divino nutu exstincto, iterum ferro vinctus, in custodiam retrusus est. Ubi divino splendore consolatus, iterum carduis ferreis & taureis crudelissime cæsus, in ultimo gladio perimente consumatus est. Cujus C corpus a Christianis ibidem tunc temporis sepultum, sed postmodum inde translatum, non longe a civitate Parisiaca, in Ecclesia beatorum Martyrum, Dionysii, Rustici, & Eleutherii tumulatum, & ad usque hæc Nordmanorum tempora omni cum honore cultum est. Romæ, Eutychiani Papæ & Martyris. Is constituit fruges super altare, id est, tantum fabas & uvas benedici. Qui temporibus suis per diversa loca trecentos quadraginta & unum Martyres manibus suis sepelivit. Quique hoc constituit, ut quicumque fidelium sine dalmatica aut colobio purpurato Martyrem nulla ratione sepeliret, quo usque ad notitiam suam divulgaretur.

D 26 D. *VII. Cal. Augusti.*

NAtivitas beati Erasti, qui Philippis a beato Paullo Episcopus relictus, ibi martyrio coronatus quievit. In portu Romano, Hyacinthi, sub Consulari Leontio, Luxurio primo civitatis Terracinæ tradente. Qui missus in ignem, nullo modo lædi potuit. Inde præcipitatus in validissimum torrentem, incolumis ejectus est ad ripam. Quibus Leontio nuntiatis misit speculatorem cum militibus, ut eum gladio ferirent. Tunc quædam matrona nomine Julia corpus ejus collegit, & in prædio suo cum honore sepelivit. In Laodicia Phrygiæ, Joviani, Juliani, Æmylii, Felicis, E Martiani, Maximæ, Saturnini, Gloriosæ.


27 E. *VI. Cal. Augusti.*

APud Nicomediam nativitas beati Hermolai Presbyteri. Cujus doctrina beatus Panthaleon ad fidem Christi conversus est. Qui sanctissimus Presbyter tentus a Maximiano capitali sententia ob confessionem Christi punitus est. Item ibidem passio sanctorum Juliæ, Jocundæ, & Januarii. In Sicilia, Simeonis Monachi. In civitate Nola, sancti Felicis, de ordinatione Episcopatus, ubi multa mirabilia fiunt. Antisiodoro, depositio sancti Ætherii Episcopi.

1 Niceta.

2 Barcinone.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 900.



28 F. *V. Cal. Augusti.*

IN Laodicia Phrygiæ nativitas sanctorum Auxentii, Prudentii, Theophili, Philippi, Alexandri, Zotici, Byssiæ, Secundæ & Macarii. In Nicomedia sancti Pantaleonis pueri. Qui cum jubente Maximiano artem disceret medicinæ, a Presbytero Hermolao ad fidem Christi conversus, multa miracula fecit, patremque suum Eustorgium Senatorem Christi fidei subjugavit. Ob quam caussam ab eodem Maximiano equulei pœna & lampadum exustione cruciatus, sed inter hæc Domino sibi apparente est refrigeratus, tandem ictu gladii martyrii cursum consumavit. B Mediolani, nativitas sanctorum Gervasii & Protasii, Nazarii & Celsi pueri. Lugduni, Peregrini, cujus beatitudinem miraculorum gloria testatur. Romæ Victoris Papæ & Martyris. Qui constituit ut ubicumque in Ecclesia Catholica necessitas occurreret, quicumque ex gentilitate ad Christi fidem festinans, veræ fidei confessione præmissa, sive in fonte, sive in flumine, sive in mari licite baptizaretur. Item Innocentii Papæ. Qui constitutum fecit de omni Ecclesia, & de regulis Monasteriorum, & de Judæis & de paganis: & multos Cataphrygas invenit, quos exsilio in Monasteria relegavit, & ipse invenit Pelagium & Cælestinum hæreticos, ac damna- C vit eos, & hoc constituit, ut qui nati fuerint de Christiano, denuo, per baptismum nascantur, quod Pelagius damnavit. Mediolani, commemoratio sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii, Nazarii & Celsi pueri.

29 G. *IV. Cal. Augusti.*

ROmæ via Aurelia, nativitas sancti Felicis Papæ, sub Constantio filio Constantini. Qui Constantius Imperator Concilium hæreticorum, ac Valentis & Ursatii Arianorum approbans, quia & ipse Arianus erat, ab Eusebio Nicomediense rebaptizatus, ejecit sanctum Felicem urbis Episcopum D de sede Episcopatus sui. Et facta est persecutio maxima in Clero, ita ut Presbyteri & Clerici plures necarentur, & martyrio coronarentur. Depositus autem sanctus ac beatissimus Felix Papa, habitavit in prædiolo suo, quod erat via Portuensi. Sed agentibus postmodum hæreticis, ductus est in civitatem, & capite truncato martyrio coronatus est.

Eodem die nativitas sanctorum Martyrum Simplicii, Faustini, Beatricis, temporibus Diocletiani & Maximiani. Qui post multa ac diversa supplicia, jussi sunt capitalem subire sententiam, & ligato saxo in colla eorum, jactari per pontem, qui vulgo lapideus, sed a prudentioribus Lepidi vocatur, in Tyberinis reumatibus: quorum corpora Dei nutu inventa, levata sunt a beata sorore eorum Beatrice, & Presbyteris Crispo & Joanne, & se- E pulta sunt in loco, qui appellatur sextum Philippi, via Portuensi. Quo comperto Lucretius possessor vicinus, nocte præfocari fecit sanctam Beatricem, & sic quasi a nemine jam impediendus, possessiones sanctorum invasit. Ubi dum quædam mulier filium parvulum lactaret, ipse infantulus Lucretio cum complicibus suis epulante, hujusmodi vocem emisit dicens: *Audi Lucreti: Occidisti & invasisti, & ecce datus es in possessionem inimici.* Ad hanc vocem invasus a maligno spiritu ibi in convivio, & per tres horas vexatus, emisit spiritum Lucretius, mortemque sempiternam lucratus.

A Depositio beati Lupi Episcopi Trecasini. Qui cum beato Germano Antisiodorensi Episcopo venit in Britanniam, & quinquaginta ibi annis sacerdotio functus, ad Christum, quem semper dilexit, mundi ac diaboli victor ascendit: quique inter alia miracula tempore regis Attilæ, qui Gallias crudelissime devastabat, sicut in hymno ejus canitur: *Dum bella cuncta perderent, orando Trecas munit.* Aurelianis, Prosperi Episcopi, viri sanctissimi & doctissimi. Qui multa ad utilitatem Ecclesiæ conscripsit, maximeque gratiam Dei, contra superbiam hæreticorum defensare curavit.

30 A. *III. Cal. Augusti.*

ROmæ in cœmiterio Pontiani ad ursum [1] Pilatum, nativitas sanctorum Abdonis & Sennis: quos Decius in civitate Persarum Cordula comprehensos, catenis vinctos Romam perduci, & ornatos auro atque lapidibus pretiosis: in templo [2] Intelludi præsentati sunt Decio ac Senatui, & omni populo Romano facti sunt spectaculum, eo quod essent nobiles & subreguli, insuper & a Domino Jesu Christo divinitus illustrati. Tunc Decius ira permotus, jussit Valeriano Præfecto, ut si Deum Solem non adorarent, ferarum morsibus interirent. Qui tenuit eos, ac duxit ante simulacrum Solis juxta amphitheatrum ut sacrificarent. Sed illis contemnentibus, & in simulacrum Solis exspuentibus, jussit Valerianus ut cum plumbatis cæderentur: deinde introductis in amphitheatrum, admissi sunt eis leones duo, & ursi quatuor: qui rugientes venerunt ad pedes Sanctorum, & nullatenus eos læserunt, sed magis custodiebant. Valerianus vero plenus furore jussit gladiatores introire, sed beatos subregulos interficere, & ligare pedes eorum, & ante simulacrum Solis jactare. Ubi jacuerunt corpora sanctorum tribus diebus. Post triduum venit quidam Subdiaconus Quirinus nomine, & collegit noctu corpora, & recondidit in arca plumbea in domo sua tertio Calendas Augusti. Ubi latuerunt usque ad tempora Constantini. Tunc se referantes beati Martyres, levati sunt & translati in cœmiterium beati Pontiani.

In Africa civitate Tyburbolucernaria, nativitas sanctarum virginum Maximæ, Donatillæ & Secundæ. Quæ persecutione Gallieni sub Anullino judice passi sunt. Qui eas diutina fame ac siti ad negandum Christum compellere conatus, sed despectus contemtusque, aceto & felle potari præcepit. Deinde cum in conspectu ejus crudelissime cæderentur, jussit calcem super plagas earum spargi & fricari. Exinde in equuleo extendi & torqueri & [3] Stativam ad bibendum offerri. Dein super craticulam ad carbones igneos sterni, & prunas ardentes super comam capitis earum adduci. Postmodum in theatro ad ludibrium deponi, & ab omnibus conculcari. Cumque eas invincibiles per omnia vidisset, ad bestias damnavit, & ferro vinctas, ad spectaculum populi iterato jussit in theatrum produci: qui cum introducerentur in media arena, osculatæ sunt se invicem, ut martyrium pace complerent. Quibus admissus ursus ferocissimus ac sævissimus, in mansuetudinem versus pedes earum lingere cœpit. Tunc furore repletus Anullinus, sanctas Dei Martyres gladio jussit adverti.

Item in Africa, Rufi, Prisci, Paternæ, Septimæ, Optionis, Ammonii, Justi, Juliæ, Potamiæ. Item Maximæ. Antisiodoro, depositio beati Ursi Episcopi.

1. Pileatum. 2. Telluris *forasse*. 3. ita *Ms.*



31 B. *II. Cal. Augusti.*

Cæsareæ, passio sancti Fabii Martyris. Qui cum ferre vexilla præsidialia recusaret, primum diebus aliquot in carcerem trusus est, deinde productus sistitur ante tribunal, interrogatus semel & iterum, in Christi confessione perdurat. Et mox a furibundo judice capitali sententia damnatus est. Cujus etiam detruncato cadaveri sepultura per triduum sub custodia negabatur. Quod postea reticulo inclusum, in maris profunda seorsum, & seorsum caput immergitur. Sed Domini virtute resciffo re- A ticulo, membra capiti revocantur, & scapulis cervix cum indiciis passionis adjungitur: atque ita suæ integritati redditum corpus unda blandiore ad Cartenitanum littus evectum, & condigno cultu a fidelibus in basilica tumulatum est.

In Africa civitate Sinnada, nativitas sanctorum Democriti, Secundæ, Dionysii, & Thyrsi Martyrum. Antisiodoro, depositio sancti Germani Episcopi & Confessoris. Qui multis virtutibus, doctrina & continentia clarus, etiam Brittonum fidem per duas vices a Pelagiana hæresi defendit. Cujus tamen festivitas Calendis Octobris apud Gallicanas B Ecclesias celebrior habetur.

Augustus habet dies triginta & unum, Lun. viginti & novem.

1 C. *Calend. Augusti.*

APud Antiochiam Syriæ, nativitas septem fratrum Macchabæorum cum matre. Qui ut beatus Augustinus ait: *Ante tempora revelatæ gratiæ multimoda passione probati, fideles sunt inventi. Quos crudelissimus Antichristi præcessor Antiochus de patria eliminatos, gentile solum sacri sanguinis effusione fecit invidus atque inscius consecrare.*

Romæ, statio ad sanctum Petrum ad vincula. Quam Ecclesiam ipse primus in Europa primam construxit & consecravit: in qua postmodum catenæ, quibus apud Jerosolymam vinctus, & a quibus Angelica visitatione solutus est, fidelium cura positæ, expetuntur & coluntur orbis quadripartiti veneratione, sicut etiam distichon antiquissimum de illis testatur.


In Arabia civitate Philadelphia, Synodus Martyrum celebratur. Ibidem, nativitas sanctorum Martyrum Cyrilli, Aquilæ, Petri, Domitiani, Rufi, Menandri, una die simul coronatorum. In Italia civitate Vercellis, sancti Eusebii Episcopi & Confessoris. Qui ob confessionem Catholicæ fidei a Constantino principe Scythopolim Arabiæ, ac deinde Cappadociam relegatus, sub Juliano Imperatore ad Ecclesiam suam reversus; novissime persequentibus Arianis, martyrium scalarum tractu perpessus, sed salvatore Jesu Christo servante salvatus, in pace Ecclesiæ circum confessionis suæ consumavit. Prius sibi visione revelata, quia in Calend. Augusti a monte ad montem volare deberet. Quod Patres ita interpretantur: quia videlicet ab humanitate Christi, quem verum Deum propter nos hominem factum, in terris confessus est, ad visionem Dei Patris, Spiritus sancti gratia sublevante esset perventurus in cælis, eisdem Calendis.

In Hispaniis civitate Gerunda, sancti Felicis Martyris. Qui de Scyllitana civitate oriundus, cum persecutiones in Hispaniis adversus Christianos agi comperisset, ascensa mercatorum navi, amore martyrii ocius accurrit. Et cum aliquamdiu apud Barcinonam, Empurias & Gerundam verbum Dei prædicans, plurimos in fide Christi confortasset, & fama ejus longe lateque crebresceret, jubente Datiano repente a Rufino Officiali retentus est: cumque nomen Christi constantissime fateretur, primo fustibus cæsus, & in ima carceris trusus: deinde manibus pedibusque ligatis, negato cibo & potu, in loco squalido projectus est. Posthæc etiam catenis gravioribus vinctus, per totas plateas ab indomitis mulis tractus, & pene in frusta discerptus est. Deinde missus in carcerem, nocte ab Angelo visitatus & solutus atque sanatus fuit, factoque die ad certamina revocatus est. Tunc ungulis excoriatus, capite inverso ab hora tertia usque ad vesperam suspensus, nullum penitus sensit dolorem. Deinde in carcerem Rufinus eum trudi præcepit. Ubi per totam noctem splendor copiosus effulsit, & voces Angelorum psallentium sunt auditæ. Quod cum nuntiatum fuisset Rufino a Custodibus, jussit eum manibus post tergum ligatis, in maris profunda demergi. Ubi continuo vincula ejus disrupta sunt, & Angelis sibi manum tenentibus, super undas deambulans, ad littus venit. Tunc Rufinus jussit iterum cutem ejus ungulis detrahi, ac deinde C usque ad ossa laniari, & tamdiu vulnera vulneribus instaurari, usque dum invictum Christo spiritum reddidit. Cujus corpus Gerundæ in monumento, quod sibi ipse præparaverat, conditum est nonis Augusti. In Gallia civitate Biturica, depositio beati Arcadii Episcopi.

2 D. *IV. Nonis Augusti.*

ROmæ in cœmiterio Callisti nativitas sancti Stephani Papæ & Martyris, sub Valeriano & Gallieno Principibus. Hic constituit ut Sacerdotes & Levitæ vestes sacras in quotidiano usu non haberent, nisi tantum in Ecclesia. Qui cum persecutio sæva grassaretur, congregato universo Clero D suo, hortabatur eos ut pro Christo coronam martyrii alacriter susciperent: ordinaverat autem tres Presbyteros & septem Diaconos & Clericos sedecim, cum quibus de regno Dei assidue docebat. Divina autem gratia procurante, occurrebant multi ex gentilibus, & honesti viri ut baptizarentur ab eo. Inter quos Nemesius Tribunus cum omni sua domo, filiaque sua nomine Lucilla, quæ cæca erat, at per beatum Stephanum illuminata fuerat. Et Olympius alter Tribunus cum uxore sua Exsuperia, & filio Theodulo, & aliis plurimis. Qui postea gloriosa confessione martyrii palmam promeruerunt. Celebrabat autem beatus Stephanus Missas, atque concilia per Cryptas Martyrum. Quem Va- E lerianus & Gallienus summo studio perquisitum, missis militibus teneri fecerunt, cum multitudine Clericorum, Presbyterorum & Diaconorum. Qui veniens ad tribunal Valeriani solus intravit, & condemnatus ad mortem, perductus est a militibus foras muros portæ Appiæ ad templum Martis, ut ibi aut simulacrum Matris adoraret aut interiret. Orante autem beato Stephano Deum suum, facto fragogore tonitrui cum terroribus coruscationum, corruit pars maxima templi sacrilegi, & milites pavefacti fugerunt. Ipse vero cum omnibus Christianis ad cœmiterium sanctæ Lucinæ perrexit, & multis eos consolatus sermonibus, obtulit pro eis sacrificium Deo omnipotenti. Quæ gesta audiens Valerianus, misit plurimos militum, qui beatum Stephanum punirent. Qui venientes invenerunt eum sacrificium

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 900.



Deo offerentem: quem intrepidum & constantem A ante altaris officia, & cœpta perficientem, in eodem loco, in sua sede decollarunt.

In Antiochia, nativitas reliquiarum sancti Stephani Protomartyris Christi, & primi in Ecclesia Diaconi: ubi haberi dicitur unus de lapidibus, quibus in passione sua percussus est, & multas sanitates per eum fieri. Eodem die, passio sanctæ Theodoræ cum tribus filiis suis, in provincia Bithynia, urbe Nicæa, tempore Diocletiani, sub Comite Leucadio. Qui eam ferro vinctam cum filiis suis Consulari Bithyniæ Nicetio destinavit. At ille filium ejus primogenitum Evodium Christum fiducialiter confitentem, in conspectu matris jussit fustibus cædi. Cumque pia mater sacris adhortatio- B nibus filium confortare non desisteret, jussit Nicetius cuidam Hirtaco, ut prius ei illuderet, & sic inter publicas meretrices constitueret: quam ille tenere conatus, sed ab Angelo Dei pugno percussus in naribus, nimia sanguinis eruptione periclitatus recessit ab ea. Tunc Consularis Nicetius in furore nimio succensus, jussit ignem copiosum accendi, & beatam Theodotam cum tribus filiis suis immitti, & sic in confessione Christi consumata, migravit ad cælum. In Italia civitate Verona, nativitas sanctorum Felicis & Nicetii.

3 E. *III. Non. Augusti.*

JErosolymis inventio, immo raptus, corporis sancti Stephani Protomartyris Christi, quando lapidatus a Judæis, & aliquamdiu custoditus ne sepeliretur a Christianis, tandem compassione beati Gamalielis sublatus est, & in villa Gamaliel sepultus ac lamentatus est, sicut ipse Gamaliel septimo Honorii principis anno, cuidam Presbytero nomine Luciano in visione divina apparens exposuit, & sanctus etiam Lucas breviter intimavit dicens: *Curaverunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum.* Cujus visionis seriem, commodius Deo donante in tempore suo, id est, septimo die Calendarum Januarii, quando sacrum corpus ejus patefactum, & Jerosolymam D translatum est, vita comite curabimus aperire. Quam revelationem quidam minus caute legentes, hoc tempore putant actitatam, cum & circa principia Decembris inchoata, & juxta finem ejusdem Mensis probetur absque dubio consumata, ut celebritas Protomartyris Christi subjiceretur nativitati Jesu Christi. Romæ, nativitas sanctorum Diogenis & Stephani Martyrum. Constantinopoli, sancti Achillæ. Augustoduno, depositio sancti Euphronii Episcopi.

4 F. *II. Non. Augusti.*

NAtale sancti Aristarchi, de quo Apostolus E Paullus Colossensibus scribit: *Salutat vos Aristarchus concaptivus meus.* De qua captivitate, quia tractatores divinarum scripturarum, alios adeo erraffe, ut animas de cælo captivatas, & ad corpora damnatas existimarent, alios vero pio quidem sensu, sed historiæ satis incongruo ita intellexisse cognovi, ut idcirco beatus Apostolus Aristarchum concaptivum suum dixerit, quia captivitatem quam omnes patimur, solus pene secum senserit, & sentiendo doluerit: quod ego ab anterioribus gratis accepi, sequentibus sine invidia tradam. Cum Judæi rebellionem contra Romanos assumsissent, illi solito sibi more, quasi injuriam dissimulantes, interimque Judææ parcentes, Basanitidem & Galilæam sive Galaaditim devastantes, Giscalamque beati Paulli & Aristarchi patriam invadentes, pueros ipsos in Ciliciam cum parentibus transmigrarunt. Unde idem Apostolus vere & multipliciter se peregrinum agnoscens, cum sanctis Patribus supernæ Jerusalem jugiter suspirabat, sed & terrestrem discendi gratia frequentabat, ut jam superius insinuavimus.

Romæ in Crypta arenaria, beati Tertullini Martyris. Quem beatus Stephanus Pontifex baptizatum, in albis Presbyterum consecravit. Qui post biduum consecrationis suæ, tentus a Marco Præfecto, ductus est ad Valerianum Imperatorem: quem ille extensum mactari fustibus jussit. Cumque inter cædes Christo gratias ageret, jussit lateribus ejus Valerianus ignem supponi: cumque lætus & constans perseveraret, jussit elevari eum, & tradi Sapricio Præfecto. Qui primum jussit os ejus lapidibus conquassari: deinde extentum in æquuleo, nervis diutius torqueri, deinde ignibus assari. Qui cum perseveranter sancti Spiritus gratia roboratus, Christum Dominum fateretur, mandavit hoc factum Sapricius Valeriano tyranno: cui ille remandavit, ut ejus caput abscinderetur. Tunc Sapricius depositum de equuleo, jussit eum duci via Lavicana, in secundo milliario, & ibidem decollari. Cujus corpus sanctus Stephanus Papa colligens cum Cle- C ricis, hymnis Deo redditis, sepelivit in eodem loco in Crypta arenaria.

Item Romæ in via Tyburtina, Crescentiani & Justi. Item Justini Presbyteri, de quo narratur in passione sancti Laurentii, quod multos ad fidem Christi converteret, & plurimorum Martyrum corpora sepeliret. Apud Lugdunum Galliæ, adventus corporis sancti Justi Episcopi de eremo.

5 G. *Nonis Augusti.*

IN Gallia civitate Catalaunis, depositio sancti Memnii Episcopi & Confessoris: de quo legitur, quod a beato Petro Apostolo Episcopus ordinatus, in Galliam una cum sancto Dionysio atque Eucherio ad prædicandum verbum Dei fuerit directus. Qui post admirabilis vitæ consumationem, & plurimorum miraculorum ostensionem, ad vitam commigravit æternam. Romæ Hormisdæ Papæ: qui sedit annos septemdecim, & composuit Clerum, ac Psalmis erudivit, sepultusque est in Ecclesia beati Petri. In Augusta Euphratensi, nativitas sancti Afri Martyris, quorum nominum similitudine, id est, & Augustæ & Afri, nostrates inducti, hac die apud Augustam Rhetianam sive Vindelicam passionem sanctæ Afræ consumatam putaverunt. De qua in sequentibus Deo volente dicemus. Augustoduni, depositio sancti Cassiani Episcopi. Alibi nativitas sanctorum Floriani & Cælestini.

6 A. *VIII. Idus Augusti.*

ROmæ via Appia in cœmiterio Callisti nativitas sancti Sixti Episcopi & Martyris. Item in cœmiterio Prætextati, Felicissimi & Agapiti Diaconorum, sub Decio Imperatore, Valeriano Præfecto. Qui tenuit beatissimum senem sanctum Sixtum Episcopum Romanum, cum omni Clero suo, & reclusit in publica custodia, & fuerunt ibi diebus multis. Postea vero jussit Decius beatum Sixtum cum duobus Diaconibus Felicissimo & Agapito sibi in Templo [1] Intelludi præsentari, & con-

1. Etiam superius III. Calend. Augusti hac voce usus est.

temnentes idolis sacrificare, in custodia privata includi. Cumque iterato præsentarentur Decio & Valeriano, suggerente Valeriano jussit Decius, ut ducerentur ad templum Martis, & si sacrificare nollent, in eodem loco capite truncarentur. Cumque illuc perducti fuissent, dixit beatus Sixtus ad templum Martis: *Destruat te Christus filius Dei vivi*. Et cum respondissent omnes Christiani, *Amen*, subito cecidit aliqua pars templi, & comminuta est. Tunc beatus Laurentius cœpit clamare dicens: *Non me derelinque Pater sancte, quia thesauros jam expendi, quos tradidisti mihi*. Milites autem qui duxerunt eos, audientes thesauros, tenuerunt beatum Laurentium Archidiaconum. Sanctum vero Sixtum, Felicissimum atque Agapitum duxerunt in clivum Martis, & ibidem decollaverunt. Noctu vero advenientes Clerici, & maxima pars Christianorum collegerunt corpora Sanctorum, & in locis supra nominatis honorifice sepeliverunt. Decollati sunt cum eis & alii quatuor, Januarius, Magnus, Vincentius, & Stephanus Subdiaconi, ut in gestis pontificalibus legitur. Passus est cum eis quoque sanctus Quartus, ut scribit magnus doctor Cyprianus. Hic beatus Sixtus apud Athenas natus & edoctus, prius quidem Philosophus fuit, sed postea Christi discipulus factus fuit. Sedit in Episcopatu annum unum, menses decem, dies triginta & tres. Item Romæ militum centum sexaginta quinque, & passio sanctæ Afræ virginis. Eodem die in Hispaniis civitate Compluto, Justi & Pastoris fratrum: qui cum adhuc pueri litteris imbuerentur, projectis in schola tabulis, sponte ad martyrium cucurrerunt. Et mox a Datiano comite teneri jussi sunt, cum se mutuis exhortationibus constantissime roborarent, extra civitatem producti, & in campo Laudabili a carnificibus sunt jugulati.

7 B. *VII. Idus Augusti.*

Romæ passio sanctorum Martyrum numero viginti quinque. Item sanctorum Martyrum Petri & [1] Julianæ cum aliis octodecim. In Tuscia civitate Aretio, nativitas S. Donati Episcopi & Martyris. Qui nutritus a S. Pigmenio Presbytero in titulo beati Pastoris, eruditus est non solum in divinis, verum etiam in humanis litteris sufficientissime. Cum quo & Julianus crevit, & Subdiaconus ordinatus, rejecto postmodum gradu, inutilis apostata factus, ad imperium aspiravit. Quo tempore beatum Pigmenium Romæ in custodiam mancipavit, & sanctos patrem & matrem Donati gladio occidit. Donatus vero Lector, fuga petiit Aretium civitatem, & habitavit cum Hilarino religiosissimo Monacho, serviens Domino continuis orationibus & jejuniis. Factum est autem, ut mulier nomine Suranna gentilis & pagana, capta oculis & corde vere cæca, cum unico filio suo Herculio nomine, cellam beati Hilarini, cum quo beatus vir habitabat, requireret. Quam fide Christi instructam ad beatum Satyrum Episcopum Hilarinus & Donatus perduxerunt. Qui fidem ejus accipiens, & Deo gratias agens, indixit ei jejunium, & ut humiliaretur in cilicio & cinere. Et sic deinde catechizavit eam & baptizavit, tam ipsam quam filium ejus. Et mox aperti sunt oculi Surannæ. Quod factum audiens Apronianus, attulit etiam filium suum dæmoniacum ad beatum Donatum. Quo orante simul cum beato Satyro Episcopo, & beato Hilarino, expulsus est dæmon, puerumque fanum reliquit. Sed & non longo post tempore vir quidam Eustasius rector Tusciæ, & exactor fisci, dum occupatus alicubi teneretur, supervenientibus hostibus, uxor ipsius Euphrosyna pecuniam fisci abscondit, & paucis diebus succedentibus, absente adhuc viro, defungitur. Rediens autem vir ejus, & pro pecunia fisci conventus, venit ad beatum Satyrum & Donatum, & indicavit eis anxietatem animi sui. Stans itaque Donatus super sepulcrum uxoris ipsius, voce magna clamavit: *Euphrosyna per Christum crucifixum te adjuro, ut dicas nobis quid factum sit de pecunia fisci, quia vir tuus propter eam ab exactoribus valde affligitur*. Quæ mox de sepulcro respondit: *In ingressus domus suffossa latet pecunia quam quæritis*. Recepta igitur pecunia liberatus est Eustasius ab impositione calumniæ. Verum recepto beato Satyro cum patribus suis, ejus loco sacerdotium beatus Donatus suscepit. Cumque die quadam Missas celebrasset populo, & de corpore Christi ac sanguine populus venerabiliter recrearetur, Diaconus quidam nomine Anthimus, tradebat sacrum sanguinem Christi, & subito paganorum impulsu cecidit, & sanctum calicem comminuit. Unde valde tristis tam ipse, quam populus Christi effectus: cujus tristitiam Dominus per beatum Donatum illico relevavit. Nam collecta sunt fragmenta Dominici calicis, & beato viro allata: quæ flendo ille suscipiens, oratione facta vas in pristinam formam restauravit: quo signo perculsi pagani, simul cum Christianis Deitatem Christi confessi sunt, ac circiter septuaginta & octo animæ in Christum credentes, per baptismum salvatæ sunt. Multis ergo signis Dominus glorificans sanctum suum, ad coronam martyrii provexit. Denique tempore Juliani Imperatoris, tentus a Quadratiano Augustali, simul & cum eo vir Dei Hilarinus jubetur idolis sacrificare. Cui fideliter reluctanti, jussit Quadratianus ejus os lapidibus contundi, Hilarinum vero Monachum, in conspectu ipsius tamdiu fustibus cædi, donec spiritum emitteret. Deinde beatum Donatum in custodia recludi. Ubi cum innumera miracula Dominus per servum suum operaretur, misit Quadratianus, & gladio percussit, septimo idus Augusti. Cujus corpus Christiani juxta civitatem cum veneratione sepeliverunt: Martyris vero Hilarini ossa in civitate Ostia tumulata servantur.

Apud Mediolanum sancti Faustini, tempore Aurelii Commodi martyrizati. Apud Provinciam Rhetiam civitate Augusta, nativitas sanctæ Afræ. Quæ cum esset pagana & meretrix, per doctrinam sancti Narcissi Gerundensis Episcopi, eo per gratiam Dei directi, ad Christum conversa, & cum omni domo sua baptizata, pro confessione Domini cum matre Hilaria, & puellis, Digna, [2] Eumenia & Euprepia igni est tradita.

8 C. *VI. Idus Augusti.*

Romæ nativitas sancti Cyriaci. Qui post longam carceris macerationem, quam sub Maximiano pertulit cum Sisinnio Condiacono suo, & Largo & Smaragdo, post multa facta miracula, in quibus filiam Diocletiani Artemiam ipsius rogatu a dæmonio curavit ac baptizavit. Filiam quoque Saporis regis Persarum Jobiam, missus illo a Diocletiano pro hoc, æque liberavit a dæmonio, ac baptizavit cum ipso rege, & aliis trecentis & triginta. Rediens Romam post mortem Diocletiani,

1. Juliani.

2. Eunomia.

SAECUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 900.

tentus est inter alios Christianos a [1] filio ejus Maximiano, & in custodiam missus, eo quod sororem suam Christianam fecisset. Deinde præcepit idem Maximianus, ut die processionis suæ, nudus catenis obligatus, ante rhedam ejus traheretur. Et post hoc eductus de carcere cum sociis Largo & Smaragdo, & Crescentiano per Carpasium vicarium, pice reliquata caput ejus perfusum est. Et rursum post dies quatuor eductus est denuo de carcere, in catasta extensus, attractus nervis, & fustibus cæsus: post dies aliquot jubente Maximiano, capite truncatus est, cum Largo & Smaragdo, & aliis viginti. Quorum corpora collegit noctu Joannes Presbyter, & sepelivit in via Salaria, sub die decimo octavo Cal. Aprilis. Post dies octo veniens beatus Marcellus Episcopus, cum Lucina matrona Christianissima, condivit corpora sanctorum cum aromatibus & linteaminibus. Deinde sustulit ea & transtulit in prædium suum via Ostiensi, milliario ab urbe Roma septimo, & manu sua recondidit in sarcophagis lapideis, die octavo mensis Augusti. Carpasius vero vicarius petiit domum Cyriaci, quam donaverat ei Diocletianus Augustus, & eam statim Maximianus concessit. Ingressus autem Carpasius, invenit locum ubi sanctus Cyriacus Diaconus fontem ædificavit, quem consecravit beatus Marcellus Episcopus, ubi venientes ad fidem, baptizabat beatus Cyriacus. In quo loco Carpasius balneum sibi statuit, & dum lavassent, & epulas exhibuissent, Carpasius & novendecim pariter cum ipso, cum deriderent fidem Christianam, subito ceciderunt & mortui sunt.

In Nicomedia natalis sanctorum Nazarii, Juliani & Agapes virginis, Eutychiani, Philadelphiæ, Leonidis. Apud Viennam Galliæ urbem, nativitas sancti Severi Presbyteri & Confessoris: qui ut ejus testantur gesta, natione Indus, fide Christi fervens, caussa Evangelium prædicandi, laboriosissima peregrinatione suscepta, etiam ad præfatam urbem deveniens, ingentem paganorum multitudinem, verbo & miraculis ad fidem Christi convertit. Cumque in pace quievisset, conditus est in basilica beati Stephani, signis clarus, mira fidelium veneratione colitur.

9 D. *V. Idus Augusti.*

Vigilia sancti Laurentii. Eodem die Romæ natalis sancti Romani Martyris. Qui confessione beati Laurentii compunctus, petiit ab eo baptizari. Et mox jubente Decio cum fustibus exhibitus & decollatus est. In Verona civitate, Firmi & Rustici, qui tempore Maximiani Imperatoris & Anullini Consiliarii ejus passi sunt. In Oriente passio multorum Martyrum. In Colonia, Faustini, Marcellini, Secundiani, Veriani, juxta martyrologium beati Hieronymi: cum a nostratibus Apocryphorum deliramenta sectantibus a beato Sixto propter continuationem temporum baptizati, & a Decio dicantur interemti.

10 E. *IV. Idus Augusti.*

Romæ via Tyburtina, nativitas sancti Laurentii Archidiaconi & Martyris sub Decio Imperatore. Cui beatus Sixtus omnes facultates & thesauros Ecclesiæ, pergens ad coronam martyrii, reliquit. Quos ille munifica liberalitate debilibus & aliis pauperibus, viduisque & indigentibus erogare curavit. Quo audito Decius Cæsar fecit eum sibi præsentari: & auditum tradidit eum Valeriano urbis Præfecto. Qui & ipse dedit eum in custodiam cuidam Hippolyto, & Hippolytus reclusit eum cum multis. Ibidem beatus Laurentius post sanationem Cyriacæ viduæ, & inluminationem Crescentionis, Lucillum cæcum, in nomine Jesu Christi videntem reddidit. Hoc factum audientes multi cæci, veniebant ad beatum Laurentium, & illuminabantur. Quod videns Hippolytus credidit, & catechizatus atque baptizatus est. Completis autem tribus diebus, in quibus ex permissu Hippolyti jam Christiani omnes facultates Ecclesiæ beatus Laurentius pauperibus expendit, præsentavit se ipse in palatio Salustiano: Decius iratus jussit eum expoliari, & cædi scorpionibus. Postea vinctus catenis, ductus est beatus Laurentius in palatium Tyberii, ut ibi audiretur, & iracundia plenus Decius jussit eum nudum cædi: qui dum cæderetur clamabat ad Cæsarem: *Ecce miser vel modo cognosce, quia non sentio tormenta tua.* Tunc Decius fustes augeri, darique ad latera ejus laminas ferreas ardentes jussit. Beatus vero Laurentius dixit: *Domine Jesu Christe Deus de Deo, miserere mihi servo tuo, quia accusatus non negavi; interrogatus, te Dominum Jesum Christum confessus sum.* Et cum diutissime plumbatis cæderetur, dixit: *Domine Jesu Christe, qui pro salute nostra dignatus es formam servi accipere, ut nos a servitio dæmonum liberares, accipe spiritum meum.* Et audita est vox: *Adhuc multa certamina tibi debentur.* Tunc extensus in catasta, & scorpionibus gravissime cæsus, subridens & gratias agens, dicebat: *Benedictus es Domine Deus pater Domini nostri Jesu Christi, qui nobis donasti misericordiam, quam meriti non sumus. Sed tu Domine propter tuam pietatem, da nobis gratiam, ut cognoscant omnes circumstantes, quia tu consolaris servos tuos.* Tunc unus de militibus nomine Romanus, credidit Domino Jesu Christo, & dixit beato Laurentio: *Video ante te hominem pulcherrimum, stantem cum linteo, & extergentem tua vulnera. Adjuro te per Christum, qui tibi misit Angelum suum, ne me derelinquas.* Levatus igitur beatus Martyr de catasta, & solutus, redditus est Hippolyto, tentus in palatio. Veniens autem Romanus cum urceo, misit se ad pedes beati Laurentii ut baptizaretur: & mox baptizatus, ac se Christianum publica voce professus, eductus foras muros portæ Salariæ, decollatus est. Decius autem Cæsar pergit noctu ad thermas juxta palatium Salustii: & exhibito ei sancto Laurentio, allata sunt omnia genera tormentorum: plumbatæ, fustes, laminæ, ungues, lecti, baculi. Et dixit Decius beato Martyri: *Jam depone perfidiam artis magicæ, & dic nobis generositatem tuam.* Cui beatus Laurentius dixit: *Quantum ad genus, Hispanus sum, eruditus vel nutritus Romanus, & a cunabulis Christianus, eruditus omni lege sancta & divina.* Et Decius: *Sacrifica,* inquit, *diis, nam nisi sacrificaveris, nox ista in te expendetur cum suppliciis.* *Mea,* inquit ille, *nox obscurum non habet, sed omnis in luce clarescit.* Et cum cæderetur lapidibus os ejus, ridebat, & confortabatur ac dicebat: *Gratias tibi ago Domine, quia tu es Dominus omnium rerum.* Allatus est autem lectus, cum tribus costis: & exspoliatus beatus Laurentius vestimentis suis, extentus est in cratem ferream, & cum furcis ferreis coriatus desuper, dixit Decio: *Ego me obtuli sacrificium Deo in odorem suavitatis, quia sacrificium est Deo spiritus contribulatus.* Carnifices tamen urgenter ministrabant carbones, mittentes sub cratem, & de-

1. Collega. *Vide Baron. in Annal.*

super eum comprimentes furcis ferreis. Sanctus Laurentius dixit: *Disce miser, quanta est virtus Domini Jesu Christi Dei mei, nam carbones tui mihi refrigerium præstant: tibi autem supplicium sempiternum. Quia ipse Dominus novit, quia accusatus non negavi, interrogatus Christum confessus sum, assatus gratias ago.* Et vultu pulcherrimo dicebat: *Gratias tibi ago Domine Jesu Christe, quia me confortare dignatus es.* Et elevans oculos suos in Decium, ait: *Ecce miser, assasti unam partem, regyra aliam, & manduca eam.* Gratias igitur agens & glorificans Deum, dixit: *Gratias tibi ago Domine Jesu Christe, quia merui januas tuas ingredi.* Et emisit spiritum. Mane autem primo adhuc crepusculo, rapuit corpus ejus Hippolytus, & condivit cum linteis & aromatibus. Et hoc factum mandavit Justino Presbytero. Tunc beatus Justinus & Hippolytus plorantes, & multum tristes, tulerunt corpus beati Laurentii Martyris, & venerunt in via Tyburtina in prædium matronæ viduæ nomine Cyriacæ, in agro Verano, ad quam ipse beatus Martyr fuerat noctu, cui & linteum dedit, unde sanctorum pedes exterserat, & ibi jam hora vespertina sepeliverunt quarto Idus Augusti. Et jejunaverunt agentes vigilias noctis triduo cum multitudine Christianorum. Beatus vero Justinus Presbyter obtulit sacrificium laudis, & participati sunt omnes. Tunc passi sunt Claudius, Severus, Crescentius & Romanus, ipso die quo beatus Laurentius, post tertium diem sancti Sixti Martyris. Eodem die Romæ, militum centum & quadraginta quinque.

11 F. *III. Idus Augusti.*

Romæ inter duas lauros, natalis sancti Tyburtii, filii Chromatii urbis Præfecti, quem cum esset scholasticissimus, erudierunt in fide beatus Sebastianus & sanctus Tranquillinus, ac gloriosus Presbyter Polycarpus, qui ipsum in sacro fonte baptismatis innovavit, & familiam ejus promiscui sexus, mille quadringentos cum eo pariter baptizavit. Hujus filius Tyburtius cum propter immanitatem persecutionis, & pater ejus, & ingens multitudo Christianorum cum illo in Campaniam ex consilio Pontificis Gaii perrexisset, amore martyrii flagrans, resedit in urbe Roma. Et cum jejuniis & orationibus ibi cum beato Gajo Papa occuparetur, quadam die transiens, incurrit in hominem, qui de alto lapsus, ita caput & omnia membra quassatus erat, ut de sola sepultura ejus agerent hi ad quos pertinere videbatur: juxta quem ipse accessit, & cœpit dicere super ejus vulnera lente orationem Dominicam & Symbolum, & ita factus est homo solidatis membris incolumis, quasi nihil ei contigisset. Tunc apprehendens parentes ejus, segregavit eos a turbis, & indicavit eis virtutem Christi. Et videns animum eorum fixum fortiter in timore Domini, perduxit eos ad Papam Gajum, qui juvenem sanatum ac Deo gratias referentem, & parentes ejus pariter baptizavit. Interea dum procella persecutionis graviter excresceret, junxit se quidam Torquatus nomine, simulata fide, veris Christi famulis: & egit arte, quatenus orantem sanctum Tyburtium pagani comprehenderent. Qui comprehensus, & ad Fabianum urbis Præfectum perductus, cum Christum constantissime confiteretur, jussit Fabianus ante pedes ejus carbones ardentes effundi, dicens ad eum: *Elige tibi unum e duobus: Aut tura in istis carbonibus diis addice, aut pedibus nudis super eos incede.* Ille autem faciens signum crucis, constanter nuda super eos ingressus est planta. Et cœpit dicere: *Depone infidelitatem, & disce, quia solus est Deus, quem confitemur omnibus creaturis dominari: nam mihi in nomine Domini nostri Jesu Christi videtur, quod super flores roseos ingrediar; quia creatura ipsa creatoris famulatur imperio.* Cui Fabianus ait: *Quis ignorat magiam vos docuisse Christum?* Tunc beatus Tyburtius exclamavit, dicens: *Obmutesce infelix, & noli hanc injuriam auribus meis facere, ut audiam te ore rabido latrantem mellifluum nomen & sanctum.* Iratus Fabianus dictavit sententiam capitalem, ut gladio interficeretur. Ductus autem gloriosus Martyr Tyburtius in via Lavicana, tertio ab urbe milliario, uno ictu gladii percussus abscessit: & in eodem loco a quodam parente Christiano sepultus est tertio Idus Augusti.

Eodem die Romæ, sanctæ Susannæ virginis & Martyris, sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, judice Macedonio. Fuit autem filia gloriosi Presbyteri & Martyris Gabinii, fratris Gaii Papæ & Martyris, nobili sata propagine: quam pater diligentissime nutrierat, & divinis litteris imbuerat. Audiens itaque Diocletianus de puella, quod pulcritudine & sapientia præcelleret, misit ad Gabinum quemdam consobrinum suum nomine Claudium, & petiit eam Augusto Maximino filio suo in conjugem. Cujus petitionem & filia & patre ac præcipue patruo refutante, etiam ipse Claudius a beato Gajo instructus, & cum uxore sua Euprepia, & filiis Alexandro & Cutia baptizatus est, & in tantum in fide convaluit, ut omnes suas facultates venderet, & pauperibus Christianis erogaret. Quod audiens Diocletianus misit fratrem ejus nomine Maximum, quid de puella Susanna ageret: qui & ipse a beatis Gajo & Gabino diligenter instructus, in Christoque baptizatus, cœpit facultates suas vendere, & per quemdam suum amicum nomine Thrasonem, Christianissimum virum, per vicos & carceres ministrare. Quibus Diocletianus compertis misit Julium, qui Claudium & Maximum & Euprepiam, quæ alio nomine ex græco & latino composito vel interpretato Præpedigna dicitur, & Alexandrum atque Cutiam puniret, jussitque filio suo Maximino, ut abuteretur Susanna in domo sua, sicut ipsi liberet. Qui ingressus domum, ubi sancta virgo orabat, vidit nimiam claritatem super eam, timefactus ad palatium recurrit. Quod Diocletianus audiens, misit Macedium, qui eam intra domum patris sui constringeret, illeque exspoliatam eam cœpit fustibus cædere. Cumque beata virgo in confessione Christi perseveraret, gladio percussa, spiritum incontaminatum Domino reddidit: cujus corpus Serena Augusta occulte Christiana noctu collegit, & manibus suis aromatibus conditum, ac linteaminibus involutum, posuit juxta sanctum Alexandrum tertio Idus Augusti. Sanguinem vero maris velamine detersit, & posuit in capsa argentea in palatio domus suæ: ubi die noctuque furtivis orationibus semetipsam Domino effundebat.

Nicopoli passio multorum Martyrum.

12 G. *II. Idus Augusti.*

In Sicilia civitate [1] Catina, natalis sancti Eupli Diaconi, sub Diocletiano & Maximiano Augustis. Qui cum extra velum Secretarii se Christianum esset confessus, intromissus est jubente Calvisiano Consulari in auditorium. Et cum ibidem fidem suam constantissime confiteretur, commotus ira

1. Catana.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 900.



Calvisius, jussit eum acrius torqueri, atque ad ultimum dictavit sententiam, dicens: *Jubemus Euplum justo judicio interfici*. Beatus vero Euplus gratias agens Deo, & flectens genua sua, facta oratione paravit cervicem, & decollatus est tertio Idus Augusti. Cujus corpus aromatibus conditum, sepultum est in loco venerabili [1] Catinæ civitatis pridie Idus Augusti. Eodem die passio Hilariæ matris beatæ Afræ Martyris. Quæ cum ad sepulcrum illius excubaret, ibidem pro fide Christi a persecutoribus igni tradita est cum Digna & [2] Emenia & Euprepia, quæ fuerunt puellæ sanctæ Afræ. In Histria, sancti Juliani, cum sociis suis. In Syria Vico Magarito, natalis sanctorum Macharii & Juliani, ubi multa religio convenit Monachorum.

13 A. *Idus Augusti.*

ROmæ nativitas sancti Hippolyti. Qui tempore Decii Imperatoris ligatus pedes ad colla equorum indomitorum, sic per carduos & tribulos, prærupta & ardua tractus, emisit spiritum. Et concordiæ nutricis ejus, quæ ante ipsum plumbatis cæsa martyrizavit. Et aliorum novem de domo ejus, qui simul decollati sunt. [3] Dorosyllæ sancti Cassiani, qui cum adorare idola noluisset, interrogatus a persecutore quid artis haberet? Respondit, qui pueros notas doceret. Et mox spoliatus vestibus ac manibus post terga revinctis statuitur in medio, vocatisque pueris, quibus docendo exosus fuerat, data est facultas eum perimendi. At illi quantum oderant discentes, tantum se ulcisci gaudentes, alii eum tabulis ac buxis feriebant, alii stilis vulnerabant. Quorum quanto infirmior erat manus, tanto graviorem martyrii pœnam dilata morte faciebat. Scripsit Prudentius Poeta.

Pictavis, depositio Radegundæ reginæ, quæ & prius in palatio jejuniis & orationibus, atque eleemosynarum largitionibus Deo placere studuit, ac postmodum a sancto Medardo Suessionensi Episcopo in monacham consecrata, adeo se hostiam vivam Christo exhibere curavit, ut inter mille cruces quas pro ejus amore sustinuit, etiam circulis æreis, amore sacrilegorum sanctissima brachia sua constringi fecisset. Sed easdem tribulationes remunerator fidelium etiam in præsenti recompensare dignatus est, annuens ei omnia quæcumque petiisset in nomine ipsius.

14 B. *XIX. Calend. Septembris.*


VIgilia assumtionis sanctæ Mariæ. Romæ depositio sancti Eusebii Episcopi & Confessoris. Qui præsente Constantio Imperatore Ariano, cum fidem Catholicam constantissime defenderet, & [4] Liberium Papam Arianæ perfidiæ consensisse doleret, jubente eodem Constantio, includitur in quodam cubiculo domus suæ, habente in latitudine pedes quatuor, ubi multis diebus in oratione constanter perseveravit, ac post menses septem adhuc tamen inclusus, decimo Calendas Septembris dormitionem accepit: cujus corpus collegerunt Gregorius & Orosius Presbyteri, & sepelierunt in crypta juxta corpus beati Sixti Episcopi & Martyris, via Appia, in cœmiterio Callisti, ubi & titulum ejus scribentes, posuerunt ita: *Eusebio homini Dei*. Audiens Constantius, quod Gregorius & Orosius sepelivissent corpus beati Eusebii, in eadem crypta ubi illud condiderat, præcepit vivum includi Gregorium: quem semivivum noctu Orosius Presbyter excepit inde, & post paullulum defunctum juxta corpus sancti Eusebii Presbyteri sepelivit. Factaque est gravissima persecutio in catholica Ecclesia ab Arianis, sedem Apostolicam tenente tunc Liberio. Mendara Syriæ, natalis sancti Fortunati. In Africa, Demetrii. Alibi, Eutychii, Paulli, [5] Eracli, Possessoris, Parmi, Dissei, Hermæ, Prosolini, Prosalami, Hermiæ. Item Heraclii cum tribus. In Aquileja, natalis sanctorum Felicis, Fortunatæ, Vincentiæ. Item alibi, Eusebii, Tituli conditoris.

15 C. *XVIII. Cal. Septembris.*

ASsumtio beatæ Mariæ genitricis Dei. Pro quo nomine cum in ceterorum sanctorum transitu, depositio vel dormitio, aut certe natale dici soleat, quid venerabilis Pater Gregorius Turonicus Episcopus in libro miraculorum de eadem assumtione sentiat, libet ad utilitatem legentium commemorando proferre. *Post admirabilem igitur Dominicæ ascensionis gloriam, quæ contrito diabolicæ malignitatis capite, mentes fidelium ad contemplanda cælestia animavit, sancti Apostoli Domini & Salvatoris nostri, cum beata Maria matre ejus in unam congregati domum, omnia ponebant in medium, nec quicquam suum esse aliquis dicebat, sed unusquisque cuncta possidebat in caritate, sicut sacer Apostolicæ actionis enarrat stilus. Post hæc dispersi sunt per regiones diversas, ad prædicandum verbum Dei. Denique impleto beata Maria hujus vitæ cursu, cum jam vocaretur e sæculo, congregati sunt omnes Apostoli de singulis regionibus ad domum ejus. Cumque audissent quia esset assumenda de mundo, vigilabant cum ea simul. Et ecce Dominus Jesus advenit cum Angelis suis, & accipiens animam ejus, tradidit Archangelo Michaeli & recessit. Diluculo autem levaverunt Apostoli corpus ejus, posueruntque illud in monumento, & custodiebant, adventum Domini præstolantes. Et ecce iterum astitit eis Dominus, susceptumque corpus sanctum in nube, deferri jussit in paradisum. Ubi nunc resumta anima, cum electis ejus exsultans, æternitatis bono, nullo occasura fine perfruitur.* Huc usque Gregorius. Quod si quem movet, quomodo idem Gregorius in occasu Solis positus, ea quæ in Oriente sunt gesta, compererit, ex aliis ejus scriptis agnoscat, quia de toto orbe ad sanctum Martinum, sicut ad Philosophos concurrebatur, & de occiduis mundi partibus loca sancta in Judæa frequentabantur. Quod etiam usque ad hæc Nordmannorum tempora, jugiter actitari solebat. Sed ne idem Catholicus & venerabilis pater contra Apostolum sensisse videatur, ubi ait: *Christus resurrexit a mortuis, primitiæ dormientium. Quoniam enim per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum, & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur, unusquisque autem in suo ordine, primitiæ Christus: deinde hi qui sunt Christi in adventu ejus.* Sciendum, quia vel hæc specialis assumtio corporis venerandæ genitricis Dei Mariæ, vel eorum, qui cum Domino surrexisse leguntur, & in cælum ascendisse creduntur, Apostolicam auctoritatem magis adjuvant, quam impugnant. Quoniam & corpus illud, de quo Deus incorporari voluit, citius in cælum sublevari decuit, & illos veræ resurrectionis & ascensionis nostræ testes præisse, procul dubio constat. De quibus quia doctissimi tractatores videntur inter se diffidere, non est meum in tam brevi opusculo definire.

1. Catanæ. 2. Eunomia. 3. Apud Forum Syllæ. 4. Vide Baronium in Annalibus. 5. Heraclii.

Sæcul. IX. circa Ann. Chr. 900.



Hoc tamen certissime cum universali Ecclesia, & credimus & confitemur, quia si reverendissimum illud corpus ex quo Deus est incarnatus, adhuc alicubi in terra celatur, revelatio utique ipsius ad destructionem Antichristi reservatur.

Eodem die in Nicomedia, nativitas sanctorum Stratonis, Philippi, & Eutychiani, cum sociis eorum. Romæ, sancti Tharsicii Martyris. Quem pagani cum invenissent Christi corporis sacramenta portantem, cœperunt discutere quid ageret, & quid gereret. At ille indignum judicans porcis prodere margaritas, tamdiu fustibus ac lapidibus cæsus est, quo usque spiritum exhalaret. Et revoluto ejus corpore sacrilegi discussores, nihil potuerunt in ejus manibus vestimentisque invenire sacramentorum Christi. Christiani autem collegerunt corpus ejus, & sepeliverunt in cœmiterio Callisti via Appia.

16 D. XVII. Cal. Septembris.

IN Nicæa Bithyniæ, nativitas sancti Ursatii Confessoris sub Licinio persecutore. Qui deinde relicta militia, solitariam vitam in quadam turre præfatæ urbis egit, tantisque virtutibus claruit, ut & dæmones expulisse, & ingentem draconem orando interemisse legatur. Scriptum in libro quinto historiæ Ecclesiasticæ tripartitæ. Romæ, sanctæ Serenæ uxoris quondam Diocletiani Augusti.

In Alexandria, nativitatis sanctorum Orionis, Æmilii, Agnati. In Perside, Thyrsi cum sociis suis.

17 E. XVI. Cal. Septembris.

IN Cæsarea Cappadociæ, nativitas sancti Mammæ, sive Mammetis, qui temporibus Aureliani tyranni, quando persecutio maxima fuit Christianis, cum puer esset decem annorum, relictis omnibus fugit in montem cum pecoribus suis, quæ ibidem pascebat, & eorum lacte vescebatur. Ubi visitatio divina super illum venit, eique præsignavit, qualiter pro Christi nomine pati deberet. Cum ergo feræ silvestres ad eum venirent, ipseque sedens quotidie Evangelium legeret, mansuetissime circa eum versabantur, earumque lacte servus Dei se & alios pauperes in alimoniis juvabat. Cum audisset hoc Alexander Præses, eum inter feras communiter vivere, magicæ arti illud deputavit: vocatumque ad se multis tormentis afflixit, hoc est, equuleo suspensum torsit, & in caminum ignis ardentem misit, sed in nullo eum ignis lædere potuit. Postea jussit eum lapidari, in tantum ut pene totum corpus illius lapidibus operiretur. Quem persecutor mortuum credens, secessit. Sed Dominus Martyrem suum illæsum servans, postea sua vocatione, ad cælestia regna eum arcessivit: sicque in pace animam reddens ad æternam requiem migravit.

In Africa sanctorum Martyrum Liberati Abbatis, Bonifacii Diaconi, [1] Servii & Rustici Subdiaconorum, Rogati & [2] Septimini Monachorum & Maximi pueri. Qui persecutione Wandalica jussu crudelissimi atque impiissimi regis [3] Henrici de territorio Caspensis civitatis, ex habitaculo Monasterii abstracti, atque ad urbem Carthaginiensem perducti sunt. Ubi pro confessione Catholicæ fidei, & unici baptismatis defensione, primo carcerali custodiæ mancipati, & crudelibus ferri ponderibus arctati, tenebrosis deputati sunt locis. Ubi cum die ac nocte Christianissimum populum in fidei constantia roborarent, jussit tyrannus furore succensus navem lignorum manipulis adimpleri, atque in ea omnes pariter alligatos, in medio pelagi igne supposito concremari. Cumque pro voluntate nefandi regis, vel crudelium ministrorum, extensis eorum manibus & pedibus elevatis, ignis fuisset lignis injectus, statim imperio divino, videntibus cunctis, exstinctus est. Et dum sæpius revocaretur, iterum atque iterum exstinguebantur globi flammarum. Unde magis tyrannus furore simul & pudore repletus, jussit eos remorum vectibus enecari, & ita singulos, in modum canum cerebris comminutis exstingui: sicque speciosum cursum certaminis sui coronante Domino perfecerunt. Corpora eorum in mare jactata, sed eadem hora illæsa littoribus reddita, & a Christiano populo reverenter sublata, præeunte Clero cum hymnis solemnibus condita sunt in Monasterio continuo Basilicæ, quod dicitur Celerinæ. Scribit beatus Victor Africanus Episcopus in historia ejusdem Wandalicæ persecutionis. Quam & ipse cum ceteris sustinuit, & fideli atque illustri stilo digessit. In Alexandria, Orionis.

18 F. XV. Cal. Septembris.

APud civitatem Prænestinam milliario ab urbe trigesimo tertio, natalis sancti Agapiti Martyris sub Aureliano Imperatore, Præside Antiocho. Qui cum esset annorum quindecim, & pro amore Christi martyrio ferveret, jussu Imperatoris tentus, & primo nervis crudis diu cæsus, deinde Præsidi ut impelleretur sacrificare, traditus est. Qui in durissimo atque obscurissimo carcere eum reclusit, & per quatuor dies ei cibum omnem negavit: inde cum de carcere Præsidi fuisset exhibitus, prunas ardentes super caput ejus jussit imponi. Sed cum gratias Deo Martyr ageret, flagellis est cæsus, & nudus suspensus capite deorsum verso, acri subter fumo facto, cum diceret Præsidi: *Sapientia tua & vanitas tua in fumo laboret*. Iterum flagellis cæditur, a quatuor sibi invicem succedentibus: deinde bullientem aquam super ventrem ejus ministri diaboli effuderunt. Interea Judex de tribunali suo cadens, collectus a ministris in lecto reclinatur, & sentiens Dei virtutem in Martyre, post modicum tristem animam amisit. De beato vero Agapito renunciatum est Imperatori, qui beatum virum leonibus jussit projici, sed mansuefactæ feræ, pedibus Martyris ad lambendum se inclinaverunt. Hoc videntes sceleris ministri, tulerunt de medio sanctum Martyrem, & venerunt contra civitatem Prænestinam, ubi sunt duæ columnæ, & ibi eum gladio percusserunt, sub die [4]

caput ejus sicut mons est ante me, unde totus contremisco. Traditur ergo aliis, & gaudio repletus, manus suas aqua lavit, genua flexit, cervicem ad terram humiliavit, orationem ad terram fudit, martyrium suscepit.

Apud Capuam, nativitas sancti Rufi Martyris, docti & baptizati a beato Apollinare. Tomis, sanctorum Martyrum Marcellini Tribuni, & uxoris ejus Manneæ, & filii ipsius Joannis, & Serapionis Clerici, & Petri militis. In Galliis civitate Arelatensi, sancti Cæsarii Episcopi & Confessoris. Apud Augustodunum, sancti Syagrii Episcopi & Confessoris.

1. Servi. 2. Septimi. 3. Hunnerici. 4. Hic iterum desiderantur aliquot pagellæ in manuscripto Codice.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 900.



28 B. *V. Calend. Septembris.*

BEatissimi Hermetis Martyris. Qui cum esset Præfectus, ab Alexandro Pontifice & Martyre baptizatur, filiique ejus, & familia cum illo. Deinde ab Aureliano Imperatore trusus in carcerem, Tribunum Quirinum cum omni domo sua ad fidem convertit. Quod audiens Aurelianus, beatum [1] Hermen decollari præcepit. Eodem die in Africa depositio sancti Augustini Episcopi, mirabilis in omni scientia viri. Qui de hæresi Manichæorum ad Christi gratiam Ambrosii Episcopi doctrina conversus, Hipponensi Ecclesiæ dignissimus præficitur antistes. Hujus venerabile corpus prius de sua civi- B tate propter barbaros Sardiniam translatum, nuper a Luitbrando rege Longobardorum Ticinis relatum, atque honorifice conditum est. Eodem die Emmoniæ, quæ est civitas provinciæ Carniæ, passio sancti Pelagii Martyris, qui tempore Numeriani Imperatoris, agente [2] Velasio judice, pro fide Christi primo ferri pondere collo manibusque gravatus in carcerem truditur. Eductus virgis verberatur, dein fustibus cæditur, postea equuleo suspensus, ungulis laceratur, oleo bulliente ventrem infunditur, super fragmenta testarum, ligatis manibus ac pedibus protrahitur, postremo capite truncatur. Eodem die Brillatensi oppido, nativitas sancti Juliani, qui a persecutoribus ob Christi con- C fessionem, desecto gutture necatus est. Constantinopoli, sancti Alexandri Episcopi & Confessoris: cujus virtute orationis, Arius crepuit medius, & diffusa sunt omnia ejus viscera in terram. Eodem die apud Santonas, Sancti [3] Vibiani Episcopi.

29 C. *IV. Calend. Septembris.*

ROmæ, Sabinæ Martyris, quæ passa est Adriano Imperante, sub Præfecto urbis Elpidio, omnesque ejus facultates dominicis vel publicis ti- A tulis insignantur. Sepulta est autem in monumento, in quo ipsa composuit fidei suæ magistram beatam Martyrem Seraphiam, ad arcum Faustini, juxta aream Vinditianam, in oppido Vindinensi. Eodem die decollatio sancti Joannis Baptistæ. Qui primo in Samaria conditus est, nunc in Alexandria. Porro caput de Hierosolymis ad Phœnicis urbem Edissam delatum est.

30 D. *III. Calend. Septembris.*

ROmæ via Ostiensi, Felicis & Adaucti Martyrum. Hic Felix cum ad diversorum deorum imagines duceretur compellendus sacrificare, Serapis, Mercurii & Dianæ exsufflans statuas dejecit. Pro qua re suspensus est in equuleum, & de patibulo vivens depositus, jussus est decollari. Cumque eo duceretur, obvius est ei quidam Christianus, qui divino instinctu subito exclamavit: *Et ego ipsum quem hic sanctus Presbyter confitetur, Dominum Jesum Christum colo.* Mox & ipse comprehensus cum beato Felice decollatus est. Hunc postea Christiani, quia nomen ejus ignorabatur, Adauctum appellaverunt, quia Martyri Felici auctus sit ad coronam: ipsique pro fidei confessione corona Martyrii sit aucta.

31 E. *II. Calend. Septembris.*

TReviris sancti Paullini Episcopi & Confessoris. Qui tempore Arianæ persecutionis a Constantio Imperatore ob Catholicam fidem exsilio relegatus, & in eo usque ad mortem fatigatus, apud Africam beatæ passionis accepit coronam. Eodem die apud Athenas beati [4] Aristi, fide sapientiaque clarissimi, qui Adriano Principi de religione Christiana libros obtulit, & quod Jesus Christus verus esset Deus, præsente illo jocundissime peroravit.

September habet dies xxx. Lun. vero xxix.

1 F. *Calend. Septembris.*

JEsu Nave & Gedeon. Eodem die natalis sanctissimæ virginis Verenæ, Thebææ genere, quæ a parentibus suis cuidam Episcopo Chæremoni, qui & postmodum martyrio coronatus est, ad imbuendum commendatur: deinceps ad inferiorem Ægyptum cum aliis fidelibus profecta, beatæ se legioni, id est, Mauritio & sociis suis, qui tunc temporis, quasi Diocletiano & Maximiano militaturi ibidem commanebant, Christi virgo Italiam venire desiderans, conjunxit. Mediolanum ergo perveniens, locaque in quibus sancti Martyres continebantur, inquirens, eis quoque pietatis opera, ipsa etiam martyrium optando subministrans, a E quodam sancto viro Maximo ibi detenta subsistit. Audiens denique sanctam Thebæorum legionem, eumque quem unice diligebat Victorem, martyrio consumari, per Alpina juga ad [5] Acaunum rem experitura pertendit. Inde juxta Ararium fluvium, non longe a castro Solodoro, sub districtione mirabili jejuniorum, vigiliarum, orationum, dies & noctes continuans, habitavit. In quodam igitur specu arctissimo, tempore se aliquanto carnem maceratura inclusit. Unde non longe anus quædam Christiana habitabat, & quidquid sacra virgo ope- D rari poterat, mulier prædicta vendidit, ac de hoc sanctæ Dei victum exhibuit. Nam sacrilegus adhuc paganorum cultus Alamannos obtinuit. Signa igitur quam plurima Domino per famulam suam operante, Alamanni ad fidem Christi commoveri cœperunt. Virginis itaque fama in tantum miraculis prodentibus excrevit, ut mater virginum effecta, discretione pietatis omni populo venerabilis exsisteret. Cujus laudabili vitæ diabolus invidens, quemdam tyrannum sub potestate Romani nominis inflammavit, qui virginem Dei multipliciter affectam, publicæ custodiæ mancipavit. In quo ei ergastulo juvenis quidam eximii splendoris apparuit, quem quis esset interrogat. Ille cum se Mauritium esse responderet, illico purpuratorum septus multitudine, ab oculis virginis orationem implorantis eximitur, & eadem nocte tyrannus validissima febre correptus, sed virginem ad se vocans, per ejus orationem continuo sanatur, sicque cum laude omnium ad locum virginum remittitur: in quo cum die quodam panis defecisset, querimonia de hoc exoritur. Illa sorores de divina commonens largitate confidere, in orationem pro imminentis necessitatis caussa prosternitur. Et ecce inopinato quadraginta sacci, mundissimæ pleni farinæ ad ostium cellulæ reperiuntur, ex quibus per annos aliquot

1. Hermetem. 2. Evilasio. 3. Viviani. 4. Aristidis. 5. Agaunum.

congregatio illa sustentabatur. Cumque jam finis A sibi vitæ appropinquaret, infirmata corpore, non autem propositi sui rigorem deponens, lectulo decubuit. Et dum obitus sui terminum præstolatur, adest Dei genetrix virgo Maria, innumerabiles virginum choros præcedens. Quam Verena tota devotione intendens, & unde hoc mereretur, interrogans, ab eadem Dei genitrice audivit: *Veni*, inquit, *ut ab eo cui fideliter servisti, remunereris*. Quo dicto, beata illa anima corpus reliquit. Sepulta est autem beata virgo in loco qui Zurzacha vocatur.

Apud Capuam, nativitas Prisci Martyris, qui unus fuit ex antiquis Christi discipulis. Eodem die apud Senonas, Lupi Episcopi, sanctitate & mi- B raculis illustris. Item apud Cæsaream Cappadociæ, Longini militis & Martyris, qui dicitur lancea latus Domini aperire. Hic cum postea ab Apostolis baptizaretur, ab Octavo Præside comprehensus, lingua abscissa, dentibusque excussis, capite pro Christo truncatur. Simul cum eo coronatus est Aphrodisius Commentariensis, qui etiam post abscissionem linguæ Christum expedite loquebatur.

2 G. *IV. Non. Septembris*.

Nativitas sancti Justi Lugdunensis Episcopi. Qui clam Episcopatum relinquens, ad Ægyptum migravit, comitante se quodam Lectore, cui no- C men erat Viator. Ibidem igitur per aliquot annos Monachis associatus, vitam in sancta conversatione finivit. Corpus ejus a religiosis civibus Lugdunum cum ossibus sancti Viatoris ministri ipsius delatum in basilica septem fratrum Machabæorum. Eodem die in præfata urbe Elpidii ejusdem civitatis Episcopi. Apud Appamiam, beati Antonii Martyris.

3 A. *III. Non. Septembris*.

Romæ, Seraphiæ virginis passæ sub Adriano Imperatore, judice Berillo. Hæc Antiochena genere, apud sanctam manens Sabinam, rapitur & Præsidi exhibetur. Qui cum ab ea fidei verbis in- D creparetur, iratus Præses, jussit eam duobus tradi juvenibus, quorum lascivia virgo corrumperetur. Qui ut eam contingere tentabant, subito terra prostrati ceciderunt exanimes. Iterum virgine adducta, deportati sunt & juvenes ante Præsidem. Ad quos virgo cum oratione accedens, erexit illos in statu suo. Post hæc jussu Præsidis fustibus cæditur, & excussa ex his assella in oculum tyranni insiluit, & protinus eum luscum effecit. Qui data sententia gladio eam percuti jubet: quæ sepulta est juxta collegam suam Sabinam.

4 B. *II. Non. Septembris*.

Moysi Prophetæ. Et apud Ancyram Galatiæ, sanctorum Martyrum Rufini, Silvani, & Vitalici. Cabillone, nativitas sancti Marcelli Martyris. Qui temporibus Antonini ex numero quinquaginta Martyrum, Lugduni in ergastulum projectorum, patefactis divinitus claustris exiens, hominem a quo hospito susceptus est cum omni domo sua convertit ad Dominum, & postea [1] Cavillonem veniens, a Prisco Præside multis cruciatus tormentis, erectus, in terram cingulo tenus defossus est, & sic tertia die Deo reddidit animam.

5 C. *Nonis Septembris*.

Victorini Martyris in suburbano Romæ, Hic cum fratre suo Severino, sub mutua caritatis servitute, qua diutius alterutrum sibi famulabantur, in tanto virtutis provectu excrevit, ut post erogatam pauperibus substantiam, post longam servitutem, qua alter alteri nudus ac solus famulabatur, eremi pro Deo solitudinem ingrederetur. Cumque in hac omni se virtutum studio exerceret, ecce dæmon in forma mulieris, ante ostium se viri hujusmodi ejulatus emittens, projecit. *Heu me*, inquit, *miseram, silvis erroneam, tenebris vagam, bestiis devorandam! Eripe me, quisquis es hujus loci incola, quia si victura sum, tuum erit, si moritura, tuum*. Hæc & alia miserabiliora vociferanti, Victorinus aperit januam. Post modicum, inter alios motus corporis, pedem imago protendit, hominem Dei tetigit, noxium calorem incussit, vulneravit, prostravit. Exclamat jam victum Victorem, victor diabolus. *Quid agis*, inquit, *perfectissime vir? Cur jungeris alteri, qui a fratre recessisti?* Post multa jactantiæ, irrisionisque improperia, ex oculis decepti diabolus evanuit. At ille, quia ceciderat, velut exanimis effectus est. Tandem in se reversus, ad fratrem Severinum repedavit, primo pudore conticuit, dein caussam aperuit, ipseque sibi pœnam constituit. Findens namque arborem, manusque per fissuras inserens, & cuneis pessulans, cicatricem arboris clausit. De qua pœna, nec Episcopo cui res a fratre suo innotuit, ut eximeretur, consensit, sed in eadem toto triennio perduravit, Dominica tantum die modicum panis & aquæ, coactus a fratre, percipit, qui etiam jejunio se simili pro germano maceravit. Vix deinde per Episcopum a supplicio abstractus, sub omni religione sanctitatis vitam duxit, & postmodum Amiterninæ urbis Episcopus eligitur. Procedente vero tempore imperante Nerva, ab Aureliano judice diutius tormentis examinatus, apud locum, qui Cotialis appellatur, in putentes & sulphureas aquas, capite deorsum per tres horas suspensus, teneri jussus est. Quod cum per triduum ageretur, martyrio coronatus migravit ad Dominum.

Item Romæ sancti Herculani. Capuæ, Quinti, Acontii & Donati, Eutychetis & Maronis.

6 D. *VIII. Idus Septembris*.

Nativitas sancti Magni Confessoris, discipuli & comitis beati Galli, mirabilis atque sanctissimi viri. Item Zachariæ Prophetæ, & natalis Onesiphori Apostolorum discipuli. Apud Africam natalis sanctorum Confessorum & Episcoporum Donatiani, Præsidii, Mansueti, Germani, E Fusculi. Qui persecutione Wandalica jussu [2] Hunnici regis Ariani, crudeliter fustibus cæsi, exsilio damnati sunt. Inter quos etiam Episcopus nomine Lætus, incendio consumtus est. Tunc idem tyrannus una die universas Africæ clausit Ecclesias, omnemque Episcoporum substantiam suis Episcopis condonavit.

7 E. *VII. Idus Septembris*.

Apud Nicomediam nativitas sancti Joannis, nobilitate, honore, ac sæculi dignitate illustris. Qui sub Maximiano & Diocletiano, librum impiæ legis eorum, fidei calore succensus, inspectante po-

1. Cabillonem.

2. Hunnerici.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 900.



pulo, minutatim discerpsit. Quod cognoscentes tyranni, omni eum crudelitatis genere jusserunt torqueri. Sed carnifices usque dum viscera ejus defecissent, in sanctum Martyrem furentes, ne tristem quidem eum pœnis efficere potuerunt.

8 F. *VI. Idus Septembris.*

NAtivitas sanctæ Dei genitricis Mariæ. Eodem die apud Nicomediam sancti Adriani Martyris cum aliis viginti tribus. Quorum passio licet ubique habita lectitetur, aliquid tamen brevitatis mihi caussa, de his memorandum videtur. Beatissimus igitur Martyr Adrianus, temporibus Maximiani prior officii erat. Qui cernens quam B multa suppliciorum acerba sancti Dei paterentur, inquirit, cujus mercedis gratia talia facerent. Qui cum viginti tres Martyres, ob indefectivam, & inenarrabilem cælestis regni jocunditatem, martyrium se ferre dixissent, illico exsiliens, stetit in medio eorum, & annotatus est inter Confessores & athletas Dei. Audiens Maximianus inter nomina sanctorum Adrianum recitari, jussit eum ferro vinctum, cum reliquis sanctis ad carcerem pertrahi. Erat autem ipse annorum viginti novem. Quod audiens uxor ejus nomine Natalia Christianissima, gaudio plena cucurrit ad carcerem, & inter multa hortamenta, suadebat ei, ne propter aliquam terrenæ dignitatis gloriam, aut propter pœnæ metum C imminentis consortio se Martyrum subtraheret. Qui iratus contra Adrianum, tam crudeliter eum cædi præcepit, ut apertis costis viscera apparerent. Rursum cum aliis in carcerem truditur. Quibus denuo consumtis pene carnibus, eductis, jussum est, ut vecte magno ferreo tibiæ eorum confringerentur. Confractis ergo cruribus omnium, pedibusque incisis, etiam manus Adriano abscissa est. Quibus ita Christo transmissis, Natalia Byzantium navigans, quo sanctorum delata sunt corpora, & ipsa post aliquot dies obdormivit in Domino.

9 G. *V. Idus Septembris.*

PAssio sanctorum Martyrum Dorothei & Gorgonii apud Nicomediam sub Diocletiano Imperatore. Hi officiorum quæ intra palatium exhibebantur magistri erant, & cubiculi regalis præpositi. Qui Christianæ fidei sectatores, cum die quadam aliquem viderent Martyrem suppliciis immaniter lacerari; *Cur* ajunt, *Imperator in hoc persequeris, cujus nos quoque cultores exsistimus?* Quos ille in medium accersens, jussit appendi, flagris laniari, sale & aceto profundi, ac deinde craticulæ torquendos imponi, & ad ultimum laqueo suspensos strangulari. In Sabinis milliario ab urbe trigesimo, natalis sanctorum Hiacynthi, Alexandri, Tyburtii Martyrum. Eodem die, Sergii Papæ, qui sedit E Romæ annis tredecim. Hic invenit miræ magnitudinis de cruce Christi portionem, in beati Petri sacrario. Hic statuit in tempore fractionis Dominici corporis, *Agnus Dei*, cantari; & ut diebus annunciationis Domini, dormitionis ac nativitatis S. Mariæ, & S. Simeonis, quod Hypapanti græce dicitur, letaniæ exeant a sancto Adriano, & ad sanctam Mariam populus occurrat.

10 A. *IV. Idus Septembris.*

APud Africam natalis sanctorum Episcoporum Nemesiani, Felicis, Lucii, Item Felicis, A Littæi, Polyani, Victoris, Jaderis & Dativi. Qui sub [1] Decio & Valeriano pro fide Christi graviter fustibus cæsi, compedibus vincti, & ad fodienda metalla deputati, martyrium consumaverunt.

Eodem die in [2] Calchidona SS. Sosthenis, & Victoris. Qui cum beata Euphemia pro Christi nomine decertaret, trusi sunt in carcerem. Inde producti ad stipitem religantur: deinde ursi & ferocissimus leo in eos dimittitur, sed cum nullatenus a bestiis læderentur, Priscus Proconsul illos concremari decernit. Interea orationi incumbentes, dato sibi pacis osculo, spiritum emiserunt.

11 B. *III. Idus Septembris.*

NAtivitas sanctorum Martyrum Felicis & Regulæ sororis ejus: quorum festivitas quia solemnis apud nos veneratur, passionisque eorum conscriptio pluribus nota habetur, scriptis superaddere scripta, non opus mihi esse videtur. Hoc tantum dicere sufficiat, quod prædicti Martyres, de consortio Mauritii & sociorum ejus, per vasta eremi, quæ Darona vocatur, tendentes, in partes Germaniæ devenerunt, & in quodam loco juxta fluvium Lindimacum subsistentes, vigiliis precibusque cum omni pietatis studio operam dabant. Dum hæc a sanctissimis agerentur germanis, adsunt nuntii ab impiissimo Maximiano directi, ut sanctos Dei vel idolis sacrificare compellerent, vel tormentis eos variis punire non different. Beati igitur Martyres sacrilegis petitionibus fiducialiter resistentes, sociosque se sanctorum Mauritii, Exsuperii, Candidi ac Victoris confitentes, in ferreas rotas igne candentes alligantur, & ineffabilibus insuper tormentis excruciantur. Ac beatissima Regula super ferventem picem imposita est, cui etiam bulliens plumbum ad potandum a carnifice dari est præceptum. Cumque nullis suppliciorum acerbitatibus, a Christo divelli potuissent, jussa sunt eis capita amputari. Quo facto, truncati Martyres abscissa capita suis manibus bajulantes, a loco ubi decollati sunt cubitis quinquaginta deportaverunt.

D Eodem die via Salaria in cœmiterio, Basillæ, Proti & Hyacinthi Martyrum, qui erant eunuchi beatæ Eugeniæ virginis. Qui aliquanto tempore, apud Ægyptum in monasterio servorum Dei conversati, deinde cum beatissima virgine Romam reversi, sub Gallieno Imperatore pro fide Christi durissime verberantur, ac deinde pariter decollantur. Quomodo vero beata Eugenia propter Deum masculum se simulans vitam sanctissimam duxerit, ac a Niceno Præfecto detenta, simulacrum Dianæ in pulverem orando redegerit; qualiter etiam scapulis ejus ingenti saxo astricto, in Tyberim præcipitata passionis suæ compleverit agonem: liber gestorum ejus sufficienter exponit.

12 C. *II. Idus Septembris.*

APud urbem Ticinum quæ & Papia, sanctorum Confessorum Syri & [3] Hyventii. Qui a beato Hermagora Aquilejensi Pontifice discipulo beati Marci Evangelistæ illuc directi, post continuas instantissimasque prædicationes, ac plurimorum miraculorum virtutes in pace quieverunt.

13 D. *Idibus Septembris.*

APud Alexandriam Ægypti, Philippi Episcopi & Martyris. Qui primum Præfectus fuit,

1. Gallieno. 2. Chalcedone. 3. Juventii.

sed deinde divina ascitus gratia, Episcopatum accepit, & sub Volusiano atque Gallieno a Perennio Præfecto occisus, martyrii adeptus est palmam.

Eodem die, sancti Aniani Presbyteri & Abbatis Monasterii sancti Romarici, qui miræ abstinentiæ & anachoreticæ vitæ sectator, illustrem miraculis & virtutibus duxerat vitam.

14 E. *XVIII. Calend. Octobris.*

Romæ in cœmiterio Callisti, natalis sancti Cornelii Episcopi: qui sub persecutione Deciana Centumcellis exsilio deputatus est. Postea Decio exhibitus, cum nullo *modo* a fide Catholica posset deflecti, jussus est decollari. Cumque duceretur, rogatus visitavit uxorem militis Cerealis, quæ quinque annis paralytica jacens, orante sancto Cornelio erecta & sanata est. Quo viso, multi baptizati sunt, & cum beato Cornelio trucidati, numero viginti & unus. Et Cerealis cum sua uxore Salustia. Eodem die apud Africam, beati Cypriani Episcopi & Martyris. Qui sub Valeriano & Gallieno agente Aspasio Proconsule, in exsilium mittitur, & postea de exsilio revocatus, a Maximo Proconsule, qui Aspasio successerat, ob insuperabile fidei constantiam gladio percussus, migravit ad Dominum. Passi sunt autem cum eo Crescentianus, [1] Auctor, Rosula & Generalis. Cujus ossa cum sancto capite sancti Pantaleonis, membrisque Sperati Martyris, legati Caroli magni Imperatoris, ab Aaron Rege Persarum reversi, secum ex Oriente deportaverunt. Quas beatorum Martyrum reliquias ab Imperatore concessas, Lugdunensis Episcopus in sua collocavit civitate.

Eodem die, exaltatio sanctæ Crucis. Quæ ab Helena inventa, ita per medium secta est, ut & crux Jerosolymis conservata, & crux Constantinopolim sit deportata. Post multa temporum curricula, Persarum gens cum Rege suo Chosroe, multas Romanorum provincias devastantes, etiam Jerosolymam invadunt. De qua plurimis ornamentorum insignibus ablatis, crucem quoque Dominicam abducunt. Quam Chosroe in turrem argenteam constituit, sibique in eadem turri sedem ex auro paravit, in qua velut collega Dei sedere consuevit. Heraclius igitur Romanus Imperator contra Persas bellum aggressus, occiso Chosroe, venerabile lignum cum magna veneratione reportavit: & in eodem die cæcis, paralyticis, leprosis, dæmoniacis pluribus sanatis, etiam mortuus vitam recepit.

15 F. *XVII. Calend. Octobris.*

Natalis sancti Nicomedis Martyris, quem Flaccus Comes, quia corpus sanctæ Feliculæ Martyris sepelivit, & quia idolis sacrificare contemsit, eatenus plumbatis cædi jussit, donec vitam finiret, corpusque ejus in Tyberim præcipitatum, a Diacono suo collectum & honorifice sepultum est.

Eodem die in territorio [2] Cavillonensi natalis sancti Valeriani Martyris.

16 G. *XVI. Calend. Octobris.*

In civitate Chalcedone natalis sanctæ Euphemiæ. Hæc sub Diocletiano Imperatore cum aliis quadraginta novem tradita est Proconsuli Prisco, & post carceres ac tormenta rotarum, post verbera & ignes, lapidumque angularium pondera, post secures & sartagines igneas in theatrum ducitur, ac leonibus & bestiis abjicitur. Tunc beata virgine orante una bestiarum accessit, morsumque sancto ejus corpori infixit, & ita sanctam Dei animam emisit.

Eodem die Romæ sanctæ Luciæ & Geminiani. Quæ beata videlicet Lucia cum trigina & sex annis in laudabili virginitate Deo serviret, accusata est a filio suo Euprepio, & coacta ut idolis sacrificaret, Imperatore Diocletiano, Judicibus Apofrasio & Megasio. Quod facere contemnens, post carcerem & sævissima verbera missa est in ollam pice & plumbo ferventem, de qua illæsa egrediens, onerata ferro & plumbo per plateas trahitur civitatis, & cum pertransisset domum cujusdam potentis nomine Geminiani, idem vir cælesti miraculo instinctus, visa est quippe super caput ejus columba residere, pervenit ad locum ubi sancta Dei torquebatur, & petens baptismum, cum illa pariter gladio trucidatus est.

17 A. *XV. Calend. Octobris.*

In Britanniis, Socratis & Stephani. Novioduno, Valeriani, Macrini & Gordiani. Romæ, Nativitas sancti Justini Presbyteri. Qui a beato Sixto ordinatus est, eique beatus Laurentius pedes lavans, suis se orationibus commendavit. Idem Justinus corpora sanctorum Hippolyti, Concordiæ, Irenæi, Abundii & Cyrillæ filiæ Decii Imperatoris, sepulturæ tradidit, & in persecutione Decii, Galli & Volusiani, confessionis gloria insignissimus fuit. Item Romæ Narcissi & Crescentionis Martyrum. Tungrensi diœcesi natalis sancti [3] Landeberti Episcopi. Qui dum regiam domum zelo religionis accensus, increpasset, intra domum Ecclesiæ occiditur: cujus sepulcrum crebris miraculorum ostensionibus illustratur.

18 B. *XIV. Calend. Octobris.*

Nativitas sancti Methodii, Olympi Lyciæ, & postea Tyri Episcopi, qui sub Diocletiano in [4] Ebacide martyrio coronatus est. Viennæ, sancti Ferreoli, qui cum esset Tribunitiæ potestatis, pro fide Christi crudelissime verberatur, catenis ligatus in carcerem truditur, unde Dei nutu solutis vinculis educitur, & postea ab insequentibus, ad Brivatense territorium perductus, capite detruncatur.

19 C. *XIII. Calend. Octobris.*

In Neapoli Campaniæ civitate, natalis sancti Januarii, Beneventanæ civitatis Episcopi, Sosii Diaconi [5] Mensenatis civitatis, & Diaconi Festi, & Lectoris Desiderii. Qui cum ducerentur ad mortem, viderunt inter alios Proculum Puteolanæ civitatis Diaconum, & laicos duos, Eutychen & Acutium. Qui interrogaverunt quare Justi juberentur occidi? Quos Judex Christianos esse intelligens, decollari jussit cum illis. Eodem die in [6] Palesna, natalis sancti [7] Marci, [8] Palei & Nili Episcoporum, qui persecutione Diocletiani cum plurimis Clericis pro Christo igni consumti sunt.

Apud [9] Niceriam, sancti Martyris Felicis & Constantiæ, qui sub Nerone passi sunt. In territorio Lingonicæ civitatis sancti [10] Sigonis Presbyteri,

1. Victor. 2. Cabillonensi. 3. Lamberti. 4. Chalcide. 5. Misenatis. 6. [illegible]. 7. Eliæ. 8. Pelei. 9. Nuceriam. 10. Sequani.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 900.

20 D. *XII. Calend. Octobris.*

IN Cyzico natalis sanctæ Faustæ virginis & Evilasii sub Maximiano Imperatore. Quam idem Evilasius primus palatii jussit rasam decalvari, dein suspensam torqueri, loculosque afferri, immissam etiam illam atque infixam quasi lignum mediam secari. Quod cum carnifices efficere non possent, nec feriis eam lædere, stupens Evilasius Christo credidit. Hoc ubi Imperator comperit, jussit Evilasium suspensum acrius torqueri, Faustam vero nudam de carcere educi, & ei caput terebrari, ac clavos infigi, faciem quoque ac totum corpus clavis impleri. Posthæc sartaginem igniri, quæ illa psallente refriguit. Inter hæc cælesti voce vocati, tradiderunt spiritum.

21 E. *XI. Cal. Octobris.*

NAtalis sancti Matthæi Apostoli & Evangelistæ, cujus passionis historia circumquaque frequentatur.

22 F. *X. Cal. Octobris.*

IN [1] Hispaniis urbe [2] Siduno, loco [3] Acauno, sanctorum Martyrum Mauritii & sociorum ejus. Qui ab Oriente de Thebis civitate profecti, sub C Maximiano Imperatore, cum legione sua sex millium & sexcentorum numero virorum pro fide Christi trucidati sunt. Hi in auxilium Maximiano accersiti venerunt, sed cum in sacrilegio illum sequi contemsissent, ut ceteros post se facilius inclinaret, decimum quemque ex eis in oculis eorum jugulari præcepit. Quæ decimatio cum bis ab interfectoribus exerceretur, & reliqui nihilominus in sententia perstarent, una & simili interfectione, sponte sua colla summittentes omnes trucidantur. Maximianum autem digna perculit pœna. Genero enim suo Constantio insidiari deprehensus, strangulatur, & deterrimo supplicio affectus, impiam vitam morte digna finivit. D

23 G. *IX. Calend. Octobris.*

SOsii Diaconi, de quo decimotertio Calend. Octobris invenies. Eodem die Theclæ virginis apud Seleuciam quiescentis: quæ de civitate Iconio a beato Apostolo Paullo instructa est. Quam mater ejus cernens Christianam, & nuptias repudiantem, accusavit apud judicem. Adducta itaque sancta Thecla in pyram immittitur, & facto crucis signo, pluvia erumpens, flammas exstinxit. Postea leonibus & ursis nudata, iterum iterumque objicitur. De quibus divina virtute protecta, in fossam aqua & serpentibus plenam immergitur, de E qua nihilominus eam gratia divina illæsam eduxit. Alligatur deinceps duobus ferocissimis tauris, ferro candente, ut eam decerperent stimulatis. Qui funibus disruptis huc illucque disjecti, Martyrem relinquunt illæsam. Tunc dimissa virgo, Tryphænam religiosam fœminam, quæ & martyrio ejus affuit, cum omni domo ejus in fide Christi confortans, venit Seleuciam, & ibi in pace quievit.

24 A. *VIII. Calend. Octobris.*

COnceptio sancti Joannis Baptistæ. Augustoduno sancti Andochii Presbyteri, Thyrsi A Diaconi & Felicis. Qui a Polycarpo Episcopo ad docendum Galliam directi, Aureliano Imperatore, flagellis cæsi, in ignem missi, versis manibus suspensi, & ad ultimum vectibus in colla percussi, martyrium compleverunt.

25 B. *VII. Calend. Octobris.*

NAtivitas beati Cleophe, cui Dominus post resurrectionem in via apparuit.

26 C. *VI. Calend. Octobris.*

SAnctorum Martyrum Cypriani Episcopi, & B Justinæ virginis. Scholasticus quidam Agladius nomine apud Antiochiam videns beatam Justinam, exarsit in concupiscentia ejus, & promisit Cypriano mago duo talenta auri, si virginem Justinam in illius amorem excitaret. Cyprianus magus convocatis dæmoniis cœpit agere, ut per eos sancta Dei seduceretur: cumque id dæmones nullatenus efficere valerent, ac signo crucifixi se ab ea repelli faterentur, Cyprianus diaboli virtutem contemnens, ab Episcopo Antimo catholicis se mysteriis imbui rogavit. Nec multo post, Diaconus ordinatur, ac deinde virtutibus & miraculis excrescens, etiam Episcopatus dignitate sublimatur. Procedente tempore Cyprianus Episcopus & virgo Christi Justina comprehensi, vinculis alligantur, Episcopus suspensus exungulatur, sancta Dei post alapas, crudis nervis immaniter cæditur, dein cum pice, adipe, & cera in sartagine torrentur, postremo etiam gladio jugulantur. Sed & Theognotus quidam simul cum illis punitur sub Diocletiano Imperatore, judice [4] Eutelamio.

27 D. *V. Calend. Octobris.*

APud Ægeam nativitas sanctorum Cosmæ & Damiani, persecutione Diocletiani, sub Præside Lysia, qui ex Arabia oriundi, arte Medici fuerunt, quorum fratres [5] Antimius, Leontius, Euprepius vocabantur. Qui culturam spernentes idolorum, pedibus vincti ac manibus fortiter torquebantur: deinde catenati in mare merguntur, de quo per Angelum Dei liberantur, deinde in ardentem ignem sunt projecti. Quo sanctis orantibus exstincto, iterum suspensi cruciabantur. Quod patienter sufferentes, in crucem levati lapidabantur, ac deinde sagittis appetuntur: verum cum in nullo læderentur, sed mittentes ac circumstantes non pauci repercuterentur, jussi sunt a Præside gladio trucidari.

28 E. *IV. Cal. Octobris.*

IN Hispaniis civitate Corduba, Fausti, Januarii & Martialis. Qui primo equuleis cruciati, deinde rasis superciliis, auribus, naribusque præcisis, dentibus etiam superioribus excussis, deturpati: ad ultimum ignis passione martyrium consumaverunt.

29 F. *III. Cal. Octobris.*

IN monte Gargano, memoria beati Archangeli Michaelis: ubi consecrata ipsius nomine habetur Ecclesia, quæ hoc modo cognita est. Quidam prædives nomine Garganus, de cujus eventu vocabulum monti inditum est, infinita pecorum multitudine pollebat. Contigit autem taurum, peculio remeante, domum non esse reversum: quem dominus per

1. Galliis. 2. Seduno. 3. Agauno. 4. Eutholmio. 5. Anthimus.

devia quæque requirens, invenit tandem in verti- A ce montis, foribus cujusdam assistere speluncæ: quem cum sagitta petisset, illa retrorsum cum impetu retorta, Dominum percussit. Quod Episcopus comperiens, indicto civibus triduano jejunio, caussam interfecti hominis a Deo monuit inquirendam. Peracto itaque jejunio, apparuit sanctus Michael Episcopo, sua hoc insinuans actum esse voluntate: *Locum*, inquiens, *hunc incolere*, *mihique proprium vindicare decrevi*. Nec opus esse, inquit, ab hominibus Ecclesiam ibidem dedicari, sed a se conditam, a se quoque eamdem, inquit, consecratam. Tantum eos præcepit intrare, precibusque devotis locum frequentare. Qualiter autem civibus per sanctum Archangelum cælestibus ostensis miraculis, vi- B ctoria de hostibus collata sit, atque de ejusdem loci situ, miraculorumque ibidem ostensorum numerositate, in plerisque codicibus scriptum reperies.

30 G. *II. Cal. Octobris*.

IN castro Galliæ Solodoro, passio sanctorum Martyrum Victoris & Ursi ex legione Thebæorum. Qui jussu Maximiani ab Hirtaco diris suppliciis cruciati, deinde in igne missi, postremo gladio consumati sunt. Eodem die apud Bethlehem Judæ, depositio sancti Hieronymi Presbyteri. Hic natus in oppido Stridonis, quod Dalmatiæ quondam Pannoniæque confinium fuit, patre Eusebio, vestem Christi puer Romæ suscepit, ibique litteris græcis & latinis a primævo eruditus est, probatissimorum quoque Monachorum habitum, sacrumque imitatus est: Romanæ etiam Ecclesiæ Presbyter ordinatus cunctorum judicio, dignissimus summo sacerdotio esse decernitur. Sed postquam æmulorum invidia Romæ effugatus est, Gregorium Nazianzenum Constantinopolitanum Episcopum discendi gratia adivit. Inde Syriam petivit, ac deserta loca accedens, in horrida solitudine quadriennium exegit: dein Bethlehem oppidum adiens, in præsepe Domini prudens se animal contulit permansurum. Quantis ibi denuo vigiliis jejuniisque institerit, quali instantia Hebræorum bibliothecas auribus latinorum inseruerit, novit ille cui sudores suos immolavit. Tandem post perfectam placitamque Deo conversationem nonagesimo octavo ætatis suæ anno, apud Bethlehem oppidum in pace quievit, secundo Calendas Octobris, duodecimo Honorii Imperatoris anno. Libros suos per quinquaginta & sex annos confecit.

Mensis Octobris habet dies XXXI. Lun. vero XXX.

1 A. *Calend. Octobris*.

APud Antissiodorum, natalis sancti Germani Episcopi. Qui ob refutandam Pelagianæ hæresis perfidiam, omnium Gallicanorum Pontificum judicio, Britannias mittitur. In medio igitur pelagi, cum iter beatus Pontifex ageret, inimica vis concitata tempestate magnum navigantibus periculum exhibuit. At ille consurgens, invocato nomine Domini, procellarum immanitatem sedavit. Deinde Britanniam perveniens, hæresim exortam compescuit, Tribuni cujusdam filiam decem annis cæcam illuminavit, in vicina qua manebat casula, furens incendium exstinxit: infirmitatis suæ dolorem, erat quippe læso pede debilis, cælesti se vi- D sitante persona exsuperavit. Saxones & Picti contra Britonnes eo tempore bellum intulerunt, sed Germano ducis officium assumente, precibusque non armis dimicante, hostes in fugam vertuntur. Post multa virtutum insignia, Ravennam pro pace Armoricanæ gentis supplicaturus advenit, ibique a Valentiniano honorifice susceptus, post aliquot dies finem vitæ præsenti imposuit, corpusque ipsius ad suam urbem relatum est. Tomis civitate, sanctorum Prisci, [1] Crescentii, Evagrii. Remis, sancti Remedii Episcopi & Confessoris, viri clarissimæ virtutis & sanctitatis. Hic gentem Francorum idolis deditam, rege ipsorum primitus initiato, convertit ad Christum. Hic inter cetera facta, E puellam a mortis vinculo suscitavit, septuaginta plus minus annos in Episcopatu complevit.

2 B. *VI. Non. Octobris*.

EUsebii Papæ, qui sedit in Episcopatu annos septem, sepultus via Appia in cœmiterio Callisti: cujus tempore Dominica crux inventa est. Hic hæreticos invenit in urbe, quos ad manus impositionem reconciliavit. Apud Nicomediam nativitas sancti Eleutherii Martyris: tempore Diocle- C tiani contigit palatium incendio conflagrare, quod Imperator a Christianis falsa suspicione factum putans, jussit omnes Christianos colligi, & alios quidem gladio detruncari, alios ignibus concremari. Quorum primus, & qui omnes ad martyrium hortaretur, erat [2] Leudegarius. Tunc quidam flammis injecti, alii gladio trucidati, in pelagus etiam plurimi sunt demersi. Verum beatus Eleutherius immanissimis diu excruciatus tormentis, ad ultimum flammis immissus, martyrii palmam est adeptus. In [3] Atratis villa Syrricinio, passio sancti Leodegarii, Augustodunensis Episcopi.

3 C. *V. Non. Octobris*.

NAtivitas sancti Dionysii Ariopagitæ, qui ab Apostolo Paullo ad fidem deductus, ab ipso etiam primus Athenarum Episcopus est ordinatus, & sub Adriano principe, post clarissimam fidei confessionem & gravissima tormentorum genera, martyrio coronatus est. Apud antiquos Saxones natalis sanctorum [4] Edili & Evaldorii Presbyterorum. Qui cum Willobrordo Episcopo venientes in Germaniam, transierunt ad Saxones, ibique Dei verbum prædicando a paganis occisi sunt. Ad quorum corpora noctu lux apparens, cujus essent meriti declaravit.

4 D. *IV. Non. Octobris*.

APud Corinthum, Crispi & Gai, quorum Apostolus Paullus in Epistola ad Corinthios meminit. In Ægypto, sanctorum Martyrum Marci & Marcellini fratrum, & cum eis aliorum promiscui sexus innumerabilium: quorum alii flammis traditi, alii in mare demersi, nonnulli inedia consumti, quidam patibulis affixi, cælum meruerunt.

1. Crescentis. 2. Eleutherius. 3. Atrebatis. 4. duorum Euvaldorum.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 900.



5 E. *III. Non. Octobris.*

A Pud Siciliam, Placidi & Eutychii, aliorumque triginta. In Galliis civitate Valentia, Apollinaris Episcopi, virtutibus & martyrio insignis. Apud Eumeniam, Thraseæ Episcopi martyrio consumati, qui unus ex antiquis, qui quasi ex traditione priorum se accepisse asserit, Salvatorem præcepisse Apostolis, ne ante duodecimum annum discederent ab Jerosolymis.

6 F. *II. Non. Octobris.*

A Pud Capuam sanctorum Marcelli, Casti, Æmylii, Saturnini. In Galliis civitate Agenno, [1] Fidis virginis & Martyris: cujus exemplo beatus Caprasius ad martyrium animatus est. Eodem die, Sagaris Martyris & Episcopi Laodicensis, qui unus fuit de beati Paulli Apostoli discipulis.

7 G. *Nonis Octobris.*

R Omæ via Appia, natalis sancti Marci Episcopi & Confessoris. Qui sedens in Episcopatu annos duos, menses novem, triginta dies, constituit ut Episcopus Hostiæ, qui consecrat Episcopos, pallio uteretur. Eodem die sanctorum Juliæ, Sergii & Bacchi sub Maximiano Imperatore: in cujus palatio Sergius Primicerius, Bacchus vero Secundicerius, cum apud eumdem Imperatorem accusarentur, immo veracissime deprehenderentur, quod abjecta idolorum cultura, viri Dei cultores exsisterent, cum nec minis nec blandimentis a fidei firmitate possent avelli, jussu Imperatoris chlamyde exuti, muliebribus sunt induti colobiis, & sic per mediam civitatem catenis cervicibus impositis pertrahuntur. Postremo a duce Antiocho, præcepto Maximiani, ita sunt martyrio coronati, ut Bacchus, dum extensus crudis flagellis cæderetur emitteret spiritum, Sergius vero post multa tormenta gladio cæsus est. Quorum corpora tollentes Christiani, honorifice in uno loco sepeliverunt. Ubi & virgo Julia, quæ sub Martiano Præside passa est, martyribus sociata quiescit. Eodem die, sanctorum Martyrum Marcelli & Apulei, qui primo adhæserunt Simoni mago, sed videntes mirabilia, quæ Dominus per Apostolum Petrum operatus est, relicto Simone, apostolicæ se doctrinæ tradiderunt, & post passionem Apostolorum, ipsi quoque martyrio coronati sunt.

8 A. *VIII. Idus Octobris.*

A Pud Cretam urbem Gortyæ, beati Philippi Episcopi, magnis virtutibus viri. Thessalonicæ sancti Demetrii Martyris. Item nativitas Reparatæ virginis & Martyris, quæ passa est in Cæsarea Palæstinæ sub Decio Imperatore. Quæ post fervens plumbum & mammillas abscissas, in caminum missa est ardentem: cumque nihil læderetur ab igne, decollata est, cujus de collo candida visa est evolare columba.

9 B. *VII. Idus Octobris.*

A Brahæ Patriarchæ. Apud [2] Parasium, passio Dionysii Episcopi, Eleutherii Presbyteri, & Rustici Diaconi. Qui beatus Episcopus a Pontifice Romano caussa peregrinationis in Gallias directus, Parisiorum civitatem devenit. Ubi cum per aliquot annos miraculis fidem confirmantibus populos ad viam veritatis convertere satageret, a Præfecto comprehensus cum Rustico & Eleutherio martyrio coronatus est. Apud Coloniam Agrippinam natalis sancti Gereonis cum aliis trecentis novemdecim, quos fertur de legione beati Mauritii fuisse. Qui spernentes funesti Maximiani imperium, pro vera religione gladiis colla subdiderunt.

10 C. *VI. Id. Octobris.*

L Oth Prophetæ. Apud Cretam, Pinyti Episcopi, qui memoriam sui in scriptis a se editis vivam reliquit. Item apud Agrippinensium urbem, sanctorum Martyrum Mallosi & Victoris. In Britannia, Paullini Eburaci Episcopi. Qui ordinatus Episcopus a beato Justo, quem sanctus Augustinus primus Anglorum Pontifex consecravit, gentem Northumbrorum, hoc est, eam nationem Anglorum quæ ad Aquilonem Humbri fluminis habitabat, ad fidem convertit.

11 D. *V. Id. Octobris.*

A Pud Tharsum metropolim Ciliciæ, natalis Tharaci [3] Presbyteri, & Andronici Martyrum. Qui Diocletiani persecutione sub Maximo Præside carcere puniti, nervis cæsi, testis defricati, ardente papyro adusti, maxillarum fracturam & tibiarum tormenta perpessi, aceti & sinapis in naribus infusione cruciati, post obeliscos ignitos, post confixos clavis acutissimis digitos, post oculorum transpunctionem linguæque abscissionem, ursis & leonibus projecti sunt. Sed cum a nulla bestiarum læderentur, gladio jugulati, inter corpora interfectorum projici jubentur. Ubi noctu velut stella splendida de cælo dimissa super corpora sanctorum Christianis revelati sunt, & ejusdem ducatu stellæ, sepulturæ traduntur.

12 E. *IV. Id. Octobris.*

A Pud Ravennam, sancti Edistii. In Africa, sanctorum Confessorum & Martyrum quatuor millium nongentorum septuaginta sex, qui persecutione Wandalica jussu Hunnerici regis Ariani, inter Mauros ferocissimos deputati sunt. Inter quos erant Cyrianus & Felix, præcipui sacerdotes Domini: quorum alii dum hastilium cuspidibus ad currendum impellerentur: alii ligatis pedibus per asperrima traherentur, tam diro discerpti supplicio inter manus contrahentium spiritum exhalabant. Romæ natalis sancti [4] Bedisti Martyris. In Syria [5] Eustatii Presbyteri, Eucharisti, Burri, Bonati. In Campania, Patriæ, Fortunatæ.

13 F. *III. Id. Octobris.*

A Pud [6] Throhadam, Carpi discipuli Apostoli Paulli. Antiochiæ, Theophili, qui sextus ab Apostolis Ecclesiæ pontificatum tenuit, vir eruditissimus. Hic constituit die Sabbati jejunium ter in anno fieri, secundum prophetiam frumenti, vini & olei. In Hispaniis, Fausti, [7] Marci & Adriæ. In Chalcedonia, Marcelli. In Alexandria, sancti Anastasii Episcopi.

1. Fidei. 2. Parisios. 3. Probi. 4. Edistii. 5. Eustachii. 6. Troadem. 7. Januarii & Martialis.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 900.



14 G. II. Id. Octobris.

Nativitas sancti Callisti Papæ : qui sub Alexandro Imperatore martyrium suscepit. Postquam enim Palmachium Proconsulem & Simplicium Senatorem cum omni familia eorum, ac multos alios baptizavit, tentus est ab Alexandro, fame cruciatur, fustibus cæditur, custodiæ mancipatur. In qua custodia Presbyter ejus Calepodius dudum martyrizatus, eum visitans consolabatur, ubi etiam militem Privatum nomine ab ulceribus sanans fidei Catholicæ aggregavit. Unde iratus Alexander beatum Callistum per fenestram domi præcipitari, & ligato ad collum ejus saxo, in puteum jubet demergi, & in eum rudera cumulari. Unde a suis levatus, in cœmiterio Calepodii est terræ commendatus. Corduba, sancti Lupi, Aureliæ.

Lugduno, translatio Justi Episcopi & Confessoris, qui eremiticam ducens vitam, prophetico spiritu, quæ post se essent ventura prædixit.

15 A. Idibus Octobris.

In Galliis apud Coloniam Agrippinam, sanctorum Maurorum de militibus sanctæ legionis Thebæorum. Qui cum essent numero quinquaginta, martyrio consumati, in eadem urbe sunt conditi. In Capua, Libuli, & sanctæ Fortunatæ. Eodem die apud Lugdunum, Antiochi Episcopi.

16 B. XVII. Cal. Novembris.

In Asia, Cereæ. In Africa, ducentorum septuaginta pariter coronatorum.

Item, sanctorum Martyrum Marciani, Satyriani cum duobus fratribus eorum, & Maximæ virginis. Qui sub Geiserico rege Ariano, primum nodosis fustibus usque ad ossa discerpti, postea in nervo arctati, divinaque virtute liberati, continuo incolumes efficiuntur. Maximia Christi famula dimissa, multarum virginum mater est effecta. Reliqui jussu impiissimi Tyranni, ligatis pedibus post terga currentium quadrigarum, inter spinosa loca discissi, obierunt in Domino.

[1] Eodem die apud Alemannos qui & Suevi, juxta alpes Rhetianas, depositio sive transitus, vel ad æternam vitam natalis dies beatissimi Galli Confessoris, festive celebratur. Qui de Insula Hybernia, quæ inter Britanniam & Hispaniam sita est, divini amoris instinctu cum Magistro & Abbate suo Columbano peregrinaturus per Gallias iter agens, Alemanniam ingressus est. Veniens igitur in eremum, quæ sita est inter alpes Rhetiarum & Brigantini marginem lacus, patre Columbano Italiam petente, infirmitate detentus est. Qua divina medicante manu devicta, sanitateque recepta, solitariam ducere vitam desiderans, eremi secreta soli Deo vacando, non vacans fovebat. Rex igitur Sigibertus ut audivit in publicis eum commorari possessionibus, jussit fieri conscriptionem firmitatis, ut vir sanctus locum quem incolebat per auctoritatem obtineret, datis etiam illi auri argentique ponderibus, Cunzoni Duci præcipit, ut si solitudinis incola vellet, solatiorum ei copiam ad ædificandam cellam subministraret. Athleta itaque Dei spirituale constructurus ædificium, parsimoniæ, orationibus, vigiliisque insistens, populum ab errore idololatriæ revocavit, simulacra eorum confregit, signorum effectu prædicationem suam audientibus commendavit. Quarum numerositatem, quia liber vitæ & virtutum ejus ubique habetur & legitur, hodieque per miracula quæ prius A gesta sunt augmentantur, in præsentiarum supersilimus, hoc solum commemorantes, quod divina pietas beatum Gallum genti Alemanniæ Apostolum fecit, qui nationem, quam paganismo involutam reperit, fidei veritate imbutam, de tenebris ignorantiæ, ad solem justitiæ, qui Christus est, ipse callis Dei sollers viator reduxit, ac locum quem eatenus humanæ naturæ inaccessibilem, solisque bestiis, serpentibus & dæmoniis obsessum invenit, exturbatis hostibus, divinitati habitaculum exhibuit. Videndum summopere ac timendum est, ne tabernaculum Dei, quod demonstratione divina, multisque sudoribus vir sanctus erexit, quodque regali auctoritate in sortem & funiculum hereditatis B Dei sequestratum est, aliqua humanæ præsumtionis temeritate impetatur, ne avaritia occupet hominum, quod a rabie dæmonum & sævitia expurgatum est beluarum. Postremo, ne quo delati sunt ab equis indomitis artus Galli defuncti, ibi eum molestare præsumat inquietudo qualibet ausus humani.

17 C. XVI. Calend. Novembris.

Marthæ sororis Lazari, & Aristionis, qui unus fuit ex septuaginta discipulis. Item, Natalis Heronis, qui post sanctum Ignatium Antiochenam rexit Ecclesiam, quod & ipsi Ignatio ad passionem eunti revelatum est. Qui & vita & martyrio C magistri sui imitator effectus est, erat enim Diaconus Ignatii. In Galliis civitate Arausica, Florentii Episcopi: qui multis virtutibus clarus, in pace quievit. In Nicomedia, Alexandri.

In Mauritania, Nini, Victurii, Nobilitani, Mariani, Lucii, Mittini, Crescentiani. Item, translatio corporis sancti Galli, & dedicatio opiparis & decentissimæ basilicæ ipsius, quæ inter duos montes Cirrium & Walthrammesberch constructa est, a meridie habens fluvium Steinaha, ab Aquilone fluvium Nigraha. Qui locus ex ipsius beati nomine sancti Galli Monasterium cognominatur. Ubi Domino virtutum ejus merita declarante, cæci illuminantur, surdis auditus tribuitur, mancis operari D conceditur, multi linguarum laxatione gratulantur, claudis gressus diriguntur, energumeni a spiritibus nequam liberantur: clinici atque contracti indepta gratis sanitate eriguntur, dolor dentium, medicina trabis compescitur, reliquarum etiam infirmitatum exinanitio ibidem efficitur.

18 D. XV. Calend. Novembris.

Sancti Lucæ historiographi & Evangelistæ. Cujus vitæ conversationem, officii professionem, finis qualitatem, in Epistola Paulli, in actibus Apostolorum, in Evangelii sui prooemio reperies.

Romæ, Triphoniæ uxoris Decii Imperatoris, quæ E post interfectionem Callisti & Laurentii, divinitus punito marito suo, aquam baptismatis cum filia Decii Cyrilla suscepit, & alia die defuncta est. Eodem die, Asclepiadis Antiocheni Episcopi & Martyris sub Decio Imperatore.

19 E. XIV. Calend. Novembris.

Apud Antiochiam Syriæ, natalis sancti Beronici, Pelagiæ & aliorum quinquaginta novem. Quæ Pelagia primo fuit sub gentilitatis ritu meretrix, postea per gratiam Dei & sancti Dei Nonni Episcopi dogma ad fidem Christi conversa, & baptizata omnia sua pauperibus erogavit, & in monte Oliveti Antiochiam deserens, in loco ubi Do-

1. Omnia ex Walafrido Strabone desumta.

SÆCUL. IX. CIRCA ANN. CHR. 900.

minus cælum ascendit, parvulam sibi cellam construxit, & sub virili habitu ac monastica conversatione, præsentem vitam finivit. Eodem die, beatorum Martyrum, [1] Tholomei, & Lucii. Qui Tholomeus post vincula & carcerem, quibus a centurione propter divini nominis confessionem cruciatus est, judici Urbicio præsentatus, denuo ab illo de cultura examinatus est. Cui Tholomeus: *Qui negat*, inquit, *quod est, sine dubio culpabile judicat esse quod negat*. Continuo duci ab Urbicio jubetur. Quod videns Lucius quidam Christianus, dixit ad Judicem: *Cur*, inquit, *hic homo, nullius criminis accusatus, sed sola professione Christianitatis, duci jubetur ad mortem?* Cui Urbicius ait: *Ut video & tu Christianus es?* Quo confitente, jussus est & ipse interfici. Sed & tertius quidam ejusdem rei caussa simul punitus est. Passi sunt sub Antonino hi Martyres, Alexandriæ sepulti sunt.

In Galliis civitate [2] Aginno, Caprasii Martyris. Qui persecutionem fugiens in spelunca delituit: audiens autem beatam virginem Fidem pro Christo agonizare, & ipse animatus martyrii indeptus est palmam.

20 F. *XIII. Calend. Novembris*.

Apud Nicomediam, sanctorum Martyrum Dasii, Zotici, [3] Gagii cum aliis duodecim millibus. Item, Simplicii. Cujus vita probabilis, fuit multis caussa salutis, ita ut tria millia hominum baptizatorum, gremio matris Ecclesiæ susciperentur. Eodem die patris nostri Hilarionis: cujus vitam virtutibus plenam scripsit Hieronymus. Qui vitam in omni ducens labore, cum sibi finem appropinquare agnovisset, nec jam præter sensum quidquam in se vivi hominis remaneret, apertis oculis dixit: *Egredere, egredere anima, quid times? quid dubitas? septuaginta prope annis servisti Christo, & mortem formidas?* In hæc verba exhalavit spiritum. Ipsa die, sancti Asterii Presbyteri sancti Callisti, qui cum corpus patris elevatum de puteo sepelivisset, præcepit eum Alexander per pontem præcipitari. Item translatio beati Viatoris in eremo, comitis sancti Justi.

21 G. *XII. Calend. Novembris*.

Hierosolymis Marci, qui primus ibidem ex gentibus Episcopatum tenuit, & martyrio consumatus est. Item beatæ Salomæ, quæ cum reliquis mulieribus circa Domini sepulturam erat sollicita.

Apud Thraciam in Andrinopoli, sanctorum Philippi Episcopi, Eusebii, Severi Presbyteri, Hermetis Diaconi: qui Ecclesias ab iniquis spoliari contradicentes, martyrio sunt coronati.

22 A. *XI. Calend. Novembris*.

Apud Antiochiam Syriæ, natalis [4] Theodoriti Presbyteri. Qui persecutione Juliani impii equuleo & lampadibus dire cruciatus est: milites autem illum torquentes ab aspectu Angelico territi corruerunt in faciem, & crediderunt in Christum. Quos jussit Tyrannus pelago immergi: quibus beatus [5] Theodoritus ait: *Præcedite fratres, ego quoque superans inimicum sequar ad Dominum*: sicque occisus gladio martyrium consumavit. Hic etiam prophetico spiritu interitum Juliani in Perside prædixit. In Hispaniis, Servandi & Germani. Qui post verbera & carcerem longissimum iter ferro onusti perfecerunt, & novissime amputatis capitibus passionem compleverunt.

23 B. *X. Calend. Novembris*.

In Venusia civitate Apuliæ, natalis sancti Felicis Episcopi, [6] Audactis & Januarii Presbyterorum, Fortunati & Septimi Lectorum. Qui temporibus Diocletiani in occisione gladii migraverunt. Item Venantii Abbatis, de quo scriptum est, quod adhuc in terris constitutus, Missarum solemnia in cælo consumari agnoverit. Et cum aliquando ad Missas Dominica recitaretur oratio, audierit quemdam e tumulo sacerdoti respondentem: *Sed libera nos a malo*.

24 C. *IX. Calend. Novembris*.

In Nicomedia, natalis dies Severi & Dorothei. In Cæsarea Cappadociæ, Longini, de quo postea.

25 D. *VIII. Cal. Novembris*.

Romæ, passio Chrysanthi & Dariæ, qui sub specie conjugii castitatem servaverunt perpetuam. Nam Chrysanthus Dariam a gentilitatis convertit errore, & sub Numeriano Imperatore cum uxore & filiis post multa tormentorum genera in foveam demersi profundam, Deo animas reddiderunt. In Galliis civitate Suessionis, Crispinus & Crispinianus, sub Maximiano & Diocletiano extensi sunt ad trochleas, fustibus cæduntur, sudes ungulis eorum insiguntur, hiemis tempore molaribus collo eorum suspensis fluvio immerguntur, plumbo facto liquido, oleoque cum pice & adipe ferventi ingeruntur, sed de his omnibus divina liberatione eripiuntur. Quod cum videret tortor eorum [7] Retiovapus, nullis eos lædi posse tormentis, se furens præcipitavit in ignem. Maximianus autem audiens satellitis sui perditionem, eos gladio consumari præcepit.

Eodem die Petragoricis civitate, sancti Frontonis: qui a beato Petro Apostolo Episcopus ordinatus, cum Gregorio Presbytero ad prædicationem Evangelii mittitur. Qui magnam civitatis gentem ad fidem & professionem Christi convertit, eumdemque comitem suum Gregorium in itinere defunctum, superposito illi baculo Apostoli Petri resuscitavit a mortuis, & in pace quievit.

Item Romæ, passio quadraginta sex militum: qui simul a Papa Dionysio baptizati, jubente Claudio Imperatore sunt decollati. Ibi sunt & alii Martyres cum ipsis positi centum & viginti unus, inter quos sunt illi quatuor, Theodosius, Lucius, Marcus, [8] Parus.

Item Bonifacii Papæ: qui constituit servum Clericum non fieri, nec obnoxium curiæ.

26 E. *VII. Calend. Novembris*.

Apud Africam, sanctorum Martyrum Rogatiani Presbyteri & Felicissimi, qui passi sunt sub Decio & Valeriano. Eodem die, sanctorum Episcoporum Vedasti & Amandi. Qui Vedastus in oppido Tullensi, officio fungebatur Presbyteri, sed postquam rex Chlodovæus victor Alamannorum effectus est, memor voti, quo se in necessitate pugnæ constrixit, beatum Vedastum de Tull secum ducens, baptismi gratia ad sanctum Remigium civitatem Remensium properavit.

1. Ptolemæi. 2. Agenno. 3. Gaii. 4. Theodori. 5. Theodorus. 6. Audasti. 7. Rictionarus. 8. Petrus.

RELIQUA DESIDERANTUR.

INDEX
LOCORUM
SACRÆ SCRIPTURÆ.

PROVERBIA.

ECCLESIASTES.

CANTICUM CANTICORUM.

SAPIENTIA.

ECCLESIASTICUS.

I S A I A S.

ACTUS APOSTOLORUM.

AD ROMANOS.

I. AD CORINTHIOS.

II. AD CORINTHIOS.

AD GALATAS.

AD EPHESIOS.

INDEX
RERUM ET PERSONARUM.

A

B

C

D

E

F

G

H

I

K

L

M

N

O

P

Q

R

S

NOI RIFORMATORI

dello Studio di Padova.

Avendo veduto per la Fede di Revisione & Approvazione del P. F. *Gio: Tommaso Mascheroni* Inquisitor General del Santo Offizio di Venezia, nel Libro intitolato: *Bibliotheca Veterum Patrum, antiquorumque Scriptorum Ecclesiastico-rum*, cura & studio *Andreæ Gallandii Presb. Congreg. Oratorii; Tomus decimustertius, Ms. e Stamp. &c.* non vi esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi e buoni costumi, concediamo licenza a *Gio: Battista Albrizzi* Stampator di Venezia, che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia e di Padova.

Dat. li 6. Agosto 1780.

(Alvise Vallaresso Rif.

(Andrea Tron Kav. Proc. Rif.

(Sebastian Foscarini Kav. Rif.

Registrato in Libro a Carte 440. al Num. 1773.

Davidde Marchesini Segr.

Addì 6. Agosto 1780.

Registrato nel Magistrato Eccell. contro la Bestemmia a Carte 96.



Andrea Sanfermo Segr.

[illegible]

[illegible]

Lorenzo [illegible]

Alvise Valaresso Rif.

Andrea Tron Kav. Proc. Rif.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Adì [illegible] Aprile [illegible]

Registrato nel Magistrato [illegible]

[illegible]